THESAURUS
ANTIQUITATUM
SACRARUM.

THESAURUS
ANTIQUITATUM
SACRARUM

COMPLECTENS

SELECTISSIMA CLARISSIMORUM VIRORUM OPUSCULA,

IN QUIBUS,

VETERUM HEBRÆORUM MORES

LEGES, INSTITUTA, RITUS SACRI, ET CIVILES ILLUSTRANTUR:

OPUS

Ad illustrationem utriusque Testamenti, & ad Philologiam sacram, & profanam utilissimum, maximeque necessarium.

VOLUMEN QUARTUM.

AUTORE

BLASIO UGOLINO.




VENETIIS

MDCCXLV.

APUD JOANNEM GABRIELEM HERTHZ.

SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIO.



ANNIBALI ALBANO CARDINALI

S. R. E.

CAMERARIO

BLASIUS UGOLINUS FELICITATEM.

Q*Uod unum jamdiu, & maxime optavi*, EMINENTISSIME PRINCEPS, *ut aliquis mihi fructus ex decennali hoc studio, atque opera compararetur, uberrimum percepisse mihi visus sum ex judicio, ac testimonio tuo. Quid enim mihi vel optatius, vel honorificen-*

tius

tius contingere unquam potuit, quam ut Tibi, qui ſapientia, & doctrina ceteris excellis, probarentur Antiquitates Sacræ, quibus ex tanto teſtimonio tantum impertitum ſit ſplendoris, ac dignitatis, ut in poſterum ab omni oppugnatione firmiori præſidio muniantur? Illud vero quanti mihi æſtimandum eſt, Te nullum, ut ex multorum literis, ac ſermone cognovi, prætermiſiſſe mei vel ornandi, vel tuendi locum? Permagni mea intererat cum ad animi conſtantiam, tum ad memoriæ dignitatem, me ab eo commendari, qui eſſet ab omni laude, & omnium gentium prædicatione commendatiſsimus. Egregia & præclara de T*e ab omnibus prædicantur omnia. Cuncta Tibi vel a natura vel a fortuna fuere paratiſſima, quibus comparares eam gloriam, quæ maxima, & immortalis Tibi jampridem parta eſt. Ingenium conſecutus es egregium, & ſingulare, neque ingenio ſtudium, aut induſtria, aut ea præſidia, quibus decus, & immortalitas comparatur, defuere. Adfuit etiam ea diſciplina, quam nulli, aut paucis contigiſse meminimus, ut in Aula Pontificia, ubi nihil humile, ac demiſsum, ſed ampla & præclara ſpectarentur omnia, Te* CLEMENS XI. *Patruus tuus, cui parem vel pietate, vel doctrina, vel innocentia, rerum geſtarum vel varietate, vel magnitudine neque noſtra neque ſuperior ulla vidit ætas, cum ceteris artibus, quibus excellebat, tum inprimis imitatione ſui erudiret. Ab hoc uno, qui Te voluit ſemper non ſolum intereſse, verum etiam aliquando præeſse iis conſiliis, quibus Orbis terrarum ſaluti, atque incolumitati conſuleretur, prudentia, quam ceteri tum ſa-*

pien-

pientissimorum Virorum monumentis, atque preceptis, plurimoque doctrinę studio, tum magno tractandarum rerum usu, ac temporum varietate assequi consuevere, tanquam ex uberrimo fonte derivata illa tua est, quæ tanti ab omnibus est habita, ut honorificentissimum S. R. E. *Camerarii munus, ac Sarmatici Regni res maximę, gravissimæque tuæ fidei, ac sapientiæ procurandæ commendarentur. Hinc nata, exculta, & confirmata est admirabilis illa tua animi constantia, quam neque gratia, neque metus, neque præmia ulla ab honestate, rectaque ratione deducere unquam potuere. Urbinatum Basilica magnificis abs Te Anathematis illustrata, & Manliani Seminarium cum amplioribus Ædibus, tum lautiori patrimonio exornatum, quo tuæ Diœcesis Juventus a doctissimis Viris, qui abs Te amplissimis pręmiis undequaque conducti sunt, ad Religionem & bonas artes informaretur, sempiterna erunt posteritati omni, pietatis & munificentiæ tuæ, quam ab eo uno percepisti, monumenta. Quid reliquas ejus præclarissimas virtutes hoc loco persequar, cum illæ sint non solum nostris verum etiam omnium gentium literis, ac linguis celebratæ? Excelluit plane omnibus, pręsertim pietate, ac sapientia, quibus adeo floruisse Cardinalem audivimus, ut, cum Pontificia Comitia haberentur, consulereturque, quinam, allatis acerbissimis nunciis de interitu* CAROLI II. *Hispaniarum Regis, quem consecuturum esse videbatur illud bellum, quo pene tota Europa conflagravit, in tanta Orbis terrarum perturbatione, Ecclesiæ universæ regendæ, tuendęque pręficeretur, cunctis suffragiis floren-*

ren-

rentissima adhuc ætate, vel invitissimus, summa totius Reipublicæ Christianæ gratulatione Pontifex Maximus renuntiatus sit, qui in tanta dignitate ita se gessit, ut omnium expectatio, quæ de eo maxima, atque incredibilis habebatur, desperatissimis illis temporibus, longe ab eo superata sit. Memini adhuc, quanta tum puer Romæ voluptate, eos qui me cum ætate, tum rerum usu anteibant, res ejus gestas narrantes audirem. Commemorabant alii doctrinam, alii in tanta dignitate mansuetudinem, abstinentiam alii, & integritatem, sapientiam & sanctitatem admirabantur omnes. Prætereo consulto reliqua; neque enim ea commemorare necesse est, quæ sunt universi Orbis terrarum judicio, ac testimonio comprobata. Quod reliquum est, Te rogo, obtestorque, EMINENTISSIME PRINCEPS, *ut Antiquitates Sacras, sicut adhuc fecisti, tueare, atque defendas. Vale.*



BLA-



BLASIUS UGOLINUS LECTORI.

TAnta hæc, quæ in hoc Volumine continentur, opuſcula referta ſunt doctrina, atque eruditione, ut non minorem quam ea, quæ in ſuperioribus Tomis comprehenduntur, aſſeramus *Philologiæ Sacræ* lucem allatura. Permagni Chriſtiani Lectoris putamus intereſſe non hæc ignorare monumenta, quæ innumera cum Veteris, tum Novi Teſtamenti difficilia atque obſcura loca mirum in modum illuſtrare poſſunt. Hoc unum præmonendum eſſe cenſuimus, quod *Johannes Buxtorfius*, cui omnia Hebraicæ literæ debent, in ſua *Synagoga Judaica* ea, quæ in maleferiatis quibuſdam fabulatoribus deprehenduntur, deliramenta omnia congeſſerit, quæ tantum abeſt, ut cordatioribus Judæis probata illa ſint, ut etiam, ſi literali ſenſu explicentur, magnopere * ab iis improbari atque irrideri certo ſciam. Quanti vero *Gemara* ipſa, unde

multa

* *Maimonides ad Sanhedrin Cap. XI.* 1. Et requiritur ut intelligas Sapientum verba ſequentia dividi in tres claſſes, quarum prima eſt eorum, qui, ſicuti e tractatibus vidi, credunt Sapientum verba juxta literalem ſenſum, & non admittunt ſenſum allegoricum, ac myſticum, omnia illa quæ fieri nequeunt apud illos ſunt neceſſaria, & vera. Verum illi hoc ſtatuunt, quia non intelligunt hanc ſcientiam, atque illi procul ſunt a vera ſapientia, & nulla in iis perfectio eſt, qua ſponte incitentur, neque invenerunt quemquam, qui ipſos excitaret, & propterea putarunt Sapientum ſcopum in verbis eorum non eſſe verum, & bonum præterquam id quod illi juxta opinionem ſuam ſtatuebant literali ſenſu. Et quamvis eorum verborum ſenſus literalis tam abſurdus ſit, ut ratio eum refutet, vel talis, ut ſi plebi referretur, illum miraretur, & diceret, quomodo fieri poteſt, ut quiſquam inveniatur, qui hæc vera credat? & quanto magis, qui hæc bona dicat? Sed hæc claſſis deploranda eſt propter meram ſuam ignorantiam, nam illi putant, quod honorant, & extollunt Sapientes; cum contra eos quam maxime vituperant. Nam quod vere Deus vivit, hæc claſſis Legis gloriam deſtruit, ejuſque ſplendorem obſcurat, & facit id, quod Legi divinæ omnino contrarium eſt, quia Deus de Lege perfecta dixit; *Deut. IV. 6.* אשר ישמעו את כל החקים ואמרו רק עם חכם ונבון הגוי הגדול הזה. Et hæc claſſis Sapientum verba tali ſenſu narrat, ut ſi eam audiret vel ipſa plebs diceret, omnino ignorantiſſima, & inſipida eſt hæc exigua gens. Ceterum maxima pars eorum, qui hoc ſtatuunt, ſunt דרשנים ſive *concionatores*, qui plebi declarant ea, quæ nec ipſi intelligunt, cujuſmodi potius ſilentio prætereunda fuiſſent, ſicuti ſcriptum eſt *Job. XIII. 5. atque utinam taceretis, ut putaremini eſſe Sapientes*; vel ut dicerent, nos non intelligimus Sapientum mentem in hoc caſu, neque expoſitionem illius; verum illi ſibi imaginantur, & plebi detegere volunt, quod falſo concipiunt, non quod Sapientes ſentiunt, & exponunt plebi emblemata e tractatu Berachot, & e capite Chelek, aliaque difficilia juxta literam. E ſecunda claſſe quoque multi ſunt, qui verba Sapientum vel legerunt, vel audierunt, & literaliter intellexerunt, & opinati ſunt Sapientes omnia juxta literam intellexiſſe, & propterea eos vituperant, atque ignominia afficiunt, defectum monſtrantes in iis quæ nullo laborant defectu, & Sapientes ſubſannant, dicentes quod omnium hominum ignorantiſſimi ſunt &c. *Paulo poſt*. Tertiæ autem claſſis pauciſſimi ſunt, ita ut ne quidem claſſis vocari poſſint, ſed ſicut dicitur de ſole, quod is ſit ſpecies, cum ſit unus ſol, & hi ſunt hujuſmodi, quibus de Sapientum gravitate conſtat, nec non de recta eorum verborum intelligentia, quibus res veras ſignificant, licet opiniones eorum in multis tractatibus diſperſæ ſint, & perfectiones ſuas demonſtrant, & veri-

tatem

multa hausit *Buxtorfius*, habenda sit, in Epistola ad R. *Josephum* discipulum suum, cel. *Maimonides*, qui unus pro omnibus nobis esse potest, clarissime testatur. *Cave* (inquit) *ne tempus tuum teras in expositione, & operosa consideratione* Gemaræ ; *ego enim in illis multum temporis perdidi, & parum utilitatis hausi*. Difficile dictu est, quantum IV. & V. Seculo Hebræi insanierint, qui si unas traditiones, quæ in *Mechilta*, *Misna*, *Tosaphtha*, *Siphra*, *Siphri*, *Pesiktha* continentur, collegissent, melius famæ suæ, melius *Philologiæ Sacræ* consuluissent. Præterea Cl. *Dassovius* errare scribit eos, qui si in *Buxtorfii Synagoga Judaica*, aliisque hujusmodi recentioribus libellis, multa ridicula, atque absurda legunt, statim illa Judæis omnibus impingunt, quamvis *Buxtorfius* non vivendi rationes Judæorum omnium describere intenderit, sed præcipue Germanorum hodiernorum, qui ad fæcem gentis Judaicæ referri debent. Nam Judæi Itali, Lusitani, atque ii, qui in Barbaria degunt, quantum ab his deliriis abhorreant, clarissime constabit ex *Leonis Mutinensis historia rituum Hebraicorum*, ex *Thesauro rituum Menasseh ben Israel*, & ex *Lancelloti Addisonii* libello Anglico, qui inscribitur, *the present state of the Jews in Barbaria*. Quæ quartum hoc consequentur volumina, *Geographiam Sacram* illustrabunt.

tatem assequuntur, unde constat, quod intellexerunt ea, quæ fieri nequeunt, & necessariam rerum existentiam, & quod sciverunt, quod Sapientes non protulerunt vanitates, sed quod & improprie, & mystice intelligi debet eorum sensus, & quod illi locuti sunt de quibusdam, quæ fieri nequeunt, ænigmatice, & parabolice, quia hic magnorum Sapientum modus loquendi est, & propterea quis inter maximos Sapientes incepit librum suum a dicto illo *Prov.* I. 3. להבין משל ומליצה דברי חכמים וחידותם. Et notum est iis, qui linguam Hebraicam intelligunt, quod חידה ænigma sit id cujus sensus occultus est non revelatus, sicut dicit R. Simson, *proponam vobis ænigmata &c.* Nam Sapientum verba in rebus profundis ænigmata sunt, & parabolæ, & quomodo accusemus eos, quod composuerint res suas, parabolice, easque cum rebus vulgaribus compararint quandoquidem videmus quod maximus Sapientum ænigmata sua conscripsit in Spiritu Sancto, nimirum Salomon in Proverbiis, & Canticis, & ex parte in Ecclesiasticis. Et sicut nobis difficilis est verborum illius sensus, eaque e literali sensu ad mysticum traducere, ut sensus bene conveniat, licet Scriptura Sancta sit, quandoquidem interpretantur Scripturæ locos, eosque e literali abducunt &c.

INDEX

Operum, quæ in hoc volumine continentur.



BONAVENTURA CORNELIUS BERTRAMUS

DE REPUBLICA HEBRÆORUM,

Commentario illustratus

O P E R A

CONSTANTINI L'EMPEREUR

A B O P P I J C K

NOBILISSIMO, ET AMPLISSIMO VIRO

D. G E R A R D O

A B

A E R N H E N,

Perpetuo Geldricæ Nobilitatis inter Præpotentes Ordines Generales Senatori, &c.

S. P.

Vir Nobilissime.

QUIS ſcopus hominibus in politiam quandam coeuntibus ſit præſtitutus, docte Philoſophi verba exprimunt Polit. l. 3. c. 6. Τὸ κοινῇ συμφέρον συνάγει, καθ᾽ ὅσον ἐπιβάλλει μέρος ἑκάστῳ τοῦ ζῆν καλῶς. μάλιστα μὲν οὖν τοῦτ᾽ ἐστι τέλος, καὶ κοινῇ πᾶσι, καὶ χωρὶς, *Communis utilitas congregat ipſos, prout iſtius utilitatis pars unicuique competit ad beate vivendum. Potiſſimus igitur hic eſt finis, cum publice omnibus, tum ſigillatim.* Quare eodem cap. ex ſcopo de bonitate rerum publicarum concludit, φανερὸν τοίνυν ὡς ὅσαι μὲν πολιτεῖαι τὸ κοινῇ συμφέρον σκοποῦσιν, αὗται μὲν ὀρθαὶ τυγχάνουσιν οὖσαι κατὰ τὸ ἁπλῶς δίκαιον. *Conſtat igitur quæcunque reſpublicæ commune commo-*

dum ſpectant , iſtas rectas eſſe abſoluto jure. Itaque ſi quis deinde ulterius optimam reipublicæ formam ab aliis diſcernere cupiat , ex illo ſcopo judicium fieri debere , docet Polit. lib. 7. ſub initium . Περὶ πολιτείας ἀρίστης τὸν μέλλοντα ποιήσασθαι τὴν προσήκουσαν ζήτησιν, ἀνάγκη διορίσασθαι πρῶτον, τίς αἱρετώτατος βίος. *De republica optima , qui inſtituet convenientem diſquiſitionem, eum primo definire oportet, quæ ſit maxime expetenda vita* . Quam hæc præclare a Philoſophorum principe & cohærenter dicta fuere ! Tot rerumpublicarum habemus deſcriptiones: ut quæ reliquis ſit præferenda noverimus , philoſophi veſtigia premamus . In agendis a ſcopo menſura deſumenda. Iſte hic in commodo publico & communi verſatur . Ergo hæc reſpublica cenſetur bona , quæ tota collimat intentaque eſt in utilitatem civium , quo felicem vitam degere queant . Optima proinde erit , quæ in vitam optimam adeoque maxime ambiendam omnia dirigit . Quis jam vel minimum dubitabit , quin reſpublica a Deo O. M. inſtituta inter Iſraelitas multis paraſangis alias antecedat ? In tot tantiſque de ſummo vitæ bono, ſive de optima vita diſputationibus in hac humanæ mentis cæcitate, is ſolus non tantum ejus rationem habet perſpectiſſimam , in eaque tradenda & edocenda errare potis non eſt; ſed ſolus quoque vias ac rationes in enumerato habet, quibus conſtituta reſpublica ſuum optimæ vitæ ſcopum aſſequi valeat , & adeptam felicitatem porro conſervare . Quocirca , ubi paſſim jam multa rebuſpublicis excudendis prela deſudare animadverterem , atque in patriam profecto Nob. Salmaſio (cujus ſtupenda eruditio cum humanitate certare videtur) vir honoratus Johannes Maire a N. & A. viri operibus excudendis vacaret; me operæ pretium eſſe facturum exiſtimabam, ſi denuo typis mandarem , quæ olim de politia divinitus inſtituta, oreque ipſius Dei legislatoris ſapientiſſimi præſcripta, conſcripſerat Cornelius Bertramus . Licet enim hiſce temporibus omnia iſtius divinæ Iſraelitarum reipublicæ inſtituta nos tenere, non aſſeramus; nihilominus id omnes pii fatebuntur (ſi modo recta trutina accurrate rem expendant) Chriſtianis in civili regimine eo collimandum, ut omnes Politiæ partes quamproxime ad illam a Deo inſtitutam accedant , quoad fieri commode poteſt. Multa occurrere non eo inficias , in quibus apud nos priſca illa Judæorum inſtituta ſervari & locum habere nequeant . Cujus cauſa & ratio in diverſa populi iſtius indole (qua iſte differt a noſtratibus) in ſeculorum diverſis moribus, in locorum conſtitutione diverſa , denique benedictionis divinæ modo alio atque alio eſt quærenda. Hæ, uti vocant , circumſtantiæ hominum indolis, temporis, loci ac regionis, differentiſque Dei providentiæ , ſæpe non admittunt, ut in illa republica fieri ſolita jam in uſum revocentur. Nihilo ſecius communis quædam eſt bonitas, juſtitia & æquitas , in omnibus juſtis inſtitutis & ordinationibus primas obtinens : quibus accedunt ſpecialia illam juſtitiam ad certas circumſtantias reſtringentia, atque ad varios caſus applicantia: Hæc non prohibent ,

quin

quin politiæ divinæ constitutiones si fuerint generales, cujusmodi nempe ab istis jam recensitis liberæ sunt, suum etiam inter Christianos locum tutentur. Neque specialia illa impedimentum afferunt, cur restrictis ad populum Judaicum legibus ac constitutionibus Christiani sese ἀναλόγως conformare non teneantur. Id retinendum ergo inter Christianos ex illa divina republica, quod vel generale est; vel si sit speciale in Israelitico populo & regione, eisdem circumstantiis nititur, quas inter nos deprehendimus; deinde in statutis illius populi specialibus, æquitas generalis & justitia, ad ea quæ Christianorum populis propria sunt accommodari debet: ut quamvis aliis circumstantiis vestita illic deprehendatur, nihilo secius apud nos analogice ad casus nostros conformata, compareat: Neque sane illa populi, loci, aliorumque diversitas in legibus politicis, magis nos illis in genere solvere potest; quam illa in legibus moralibus reipublicæ Israeliticæ restrictio ad varios casus illi speciales, Christianos absolvere potest a communi legis moralis observatione. Eadem utrobique conspicietur ratio: si absque illo, quod multorum mentes occupavit, præjudicio, comparatio debita instituatur. Proinde cum cynosura illa reipublicæ Israeliticæ viam Christianis in suis civitatibus illustrare debeat; merito accurata illius descriptio nobis ob oculos habenda, omnibusque communicanda. Qua in re viam omnibus facillimam præstitit commemoratus Bertramus suis de Politia Judaica libris. Hoc tramite ad lucidam istius Politiæ cognitionem facilius quis perveniet, quam ex aliis scriptoribus, hactenus editis. Nam aliorum unus linguæ Rabbinicæ non ita gnarus subsidia, quæ ad istiusmodi commentationem merito requiruntur, pariter non habuit; alter tantum ab aliis prætermissa *liberrima scriptione*, uti testatur ipse, *congerere* voluit, qui tamen præclare quamplurima nobis e tenebris eruit. Noster quæ maxime scitu necessaria autumavit, e sacris literis, Josepho, & Talmudistis ac Rabbinis, methodo facili, scripto consignavit. Est ille cujus in versione illa bibliorum gallica, quæ nunquam satis laudari potest, primæ fuerunt partes: cujus brevem narrationem habemus in Præf. Bertrami ad lucubrationes suas Franktallenses. Imo ipsum unum illarum Sciographiarum & Iconum in illis bibliis authorem & concinnatorem Ministri & Professores Genevenses in epistola iis præmissa agnoscunt. Sed quid virum istum multis commendem? vel solus hic libellus authoris dotes satis superque exaggerat; uti & prædictæ lucubrationes Franktall. Nemo sane dari potuit magis idoneus, qui e sacris literis & Hebræorum scriptis de republica Judaica scriberet: quoniam per multos annos in scriptis sacris vertendis & illustrandis ex Hebræorum doctorum lucubrationibus, desudaverat. Adde hominis industriam singularem in observandis & annotandis iis quę inter legendum occurrerent. Proinde nihil ferme ipsum fugere poterat, quod ad rem faceret, quam aliquando illustrandam animo conceperat. Huc oratio evadit, quandoquidem in iis totus fuit, unde istiusmodi haurire necesse est; ipsum aliis omnibus præferendum in isto scriptionis genere. Cęterum huic ipsius de republica Judaica commentationi aliquoties perlectæ, cum denuo edendam curarem, nonnulla addenda sub librorum calcem videbantur. Quibus partim, ut dies diem docet, nonnulla ab ipso dicta corrigerentur; partim minus plene enarrata expli-

carem; partim denique confirmarem & constabilirem dubia. Atque eo intendi animum, ut ex authoribus Hebræis minus tritis & Christiano lectori cognitis ac lectis annotationes plerasque concinnarem. Fateor quamplurima alia in promtu fuisse, quibus hic author illustrari potuisset; verum brevitati studendum fuit, ut concinne eodem volumine, eoque forma minima excuso annotationes compingerentur. Eo accedebat festinatio scriptionis: siquidem in cursu lectionum nostrarum inter operas typographicas hæ notæ fuerunt conscribendæ; quum eodem tempore gravissimæ orphanorum curæ meæ commissorum causæ mihi pertractandæ essent. Præterea quum in hoc libello quamplurima occurrant, e quibus sacræ literæ magis lucem mutuantur, quam e longis commentariis nonnunquam fieri assolet; æquum esse putavi, sub finem, indice locorum sacræ scripturæ brevissimo, lectori exhibere paginas, quibus scripturæ paragraphi vel ex professo explicantur; vel ea citantur ratione, ut ex adjunctis, attenta dictorum collatione, mire sæpius illustrentur. Id enim in hoc libello singulare est, ut vel sola citatione sæpissime locus S. S. explicetur: quia ritus ac mores aliaque pertractantur, unde paragraphorum S.S. intelligentia omnino dependet. Itaque ubi solummodo res istæ cum Sacræ Scripturæ locis conferuntur, statim eorum sensus elucescit. Et quod inprimis attendendum, ita elucescunt istiusmodi in Sacræ Scripturæ locis, qualia ab interpretibus prolixis negligi solent. Quod vel maxime hunc libellum commendat. Cæterum, vir Nobilissime, quis ullibi reperiri potest, ad quem justius hunc libellum dirigam, præter te hominum quotquot sunt humanissimum. Utique jam inde ex quo hunc etiam honorem fui adeptus, ut in Geldria N. tuæ innotescerem, identidem animo meo versare aliisque subinde enarrare non destiti, me in hominem incidisse, qui affabilitate, comitate, adeoque singulari humanitate sua vere hominem se esse demonstraret. Quum enim sub regimine tuo in Velavia annum ferme octavum in Theologica professione implevissem, & de gravi quodam negotio N. tuam Arenaci compellarem; quæ non humanitatis officia eo tempore ac deinceps perpetuo expertus sum? ut quandoque obstupuerim, virum tantis reipublicæ curis distractum blando aliorum alloquio & exquisitæ morum civilitati ac suavitati ita vacare posse, ut animos sibi devincire nemo quiret efficacius. Verum hoc est antiquæ & veræ ac præstantissimæ nobilitatis proprium, ut quo eminentior est dignitas, & sublimius fastigium, tanto facilius in civili conversatione sese demittat. Alii complures, nisi austeritate quadam vultus, taciturnitate vel pauciloquio, tardo incessu, gestibusque aliis ad superbiam compositis suam authoritatem augeant vel constabiliant; de suo fastigio multum discessurum arbitrantur. Quasi vero jam longo usu non constaret, hæc esse animi suæ humilitatis conscii τεκμήρια. quo enim quisque ex illustriori prosapia est oriundus; eo humaniorem se aliis exhibet. Quemadmodum ex Principibus aliisque in excelsissima dignitate constitutis liquet; quorum humanitas cum eminentia certare solet: ut quanto aliis majores sunt eminentiæ fastigio, tanto eosdem humanitate superent. Illustre itaque tuum genus hac tua virtu-

te


te multisque aliis heroicis factis indicas. Ut eo permotus inter nobiles Batavos primarius, ordinisque equestris, Dominus de Duvenvoorde te sibi generum asciverit. Quis enim tuam stirpem ignorat? Quæ non tantum inter alias Geldricas eminet; sed per multa quoque secula suorum majorum genuinam avitamque nobilitatem ad prisca tempora revocat. Quo fit ut cum præcedentibus seculis; tum hisce etiam temporibus, semper quamplurimi ex tua familia reipublicæ vel teneant gubernacula, vel antea ad clavum sederint. Idque quanta cum laude, & qua prærogativa, non solum in Geldria nemo ferme ignorat; sed Hagæ Comitis suprema regentium collegia quotidie loquuntur. In eorum summo, id est, Ordinum Generalium consessu, jam multos annos totius confœderati Belgii salutem ita procuras, ut cum cæteris Geldris, Nobil. Randwico ex antiqua & illustri Geldrica stirpe, aliisque similibus primum ordinem constituas. Quocirca si graves legationes obeundæ, quum ista gerenda sunt, unde præcipue nostra securitas dependet, tuam N. ad istam subeundam provinciam sollicitant: quia res feliciter gestæ semper parem operam & successum promittunt illis, qui earum satagunt. Cum novus orbis jam in occidente affulgeat, in arduo isto negotio, ubi de novis regnis acquirendis, & politia ubique civili ac Ecclesiastica cum instituenda, tum constabilienda agitur; in A. tuam omnium oculi sunt intenti: cujus judicio in politicis longa & multimoda experientia subacto, omnia commodissime expediri posse autumant. Ideoque ad istos conventus, nisi quum alia fungeris legatione, plerumque aut semper talibus negotiis delegari soles. Proinde nihil dubitandum, quin summo politico de politicis libellum consecrare debuerim: qui cum in Geldria jam olim in comitiis publicis, & deputatorum collegio per aliquot annos; tum hisce temporibus in consessu Ordinum Generalium, tam gubernandi ac regendi singularem peritiam ad stuporem usque ostendit; quam earum virtutum in se exemplar exhibuit, quas summus legislator in Israelitica politia hic descripta, a politicis exigebat. Inter quos erat inprimis reverentia summi Numinis; & munerum ac donorum contemtus: illam assidua inter occupationes alias maxime necessarias pietate, cum ferventi zelo nunquam non exprimis: ut sæpius mecum vitæ istius tramitem animo volvens, dubitaverim, an quisquam qui hujus mundi & politici regiminis curæ valedixisset, totumque se sanctis meditationibus dedisset, plura piæ mentis ederet testimonia, quam in continuo Dei cultu cum publico, tum privato, tua vita suppeditat. Et quantopere largitiones illas & munera oderis, quibus tamen quamplurimi inhiare solent, exempla dedisti clarissima. Eaque me haud latent; sed ista nonnisi cum aliorum offendiculo variis de causis palam fieri & enarrari ordine, vix possent. Porro & aliud mihi fidem fecit, hunc libellum a te serena fronte iri susceptum. Id lubentes suscipimus, quo delectamur: eo autem delectamur quod perspectum ac cognitum habemus; cuique in juventute nostra (qua ætate animus omnibus curis solutus & vacuus, rei objectæ voluptatem limpidius percipit) bonas horas tribuimus. Unde profluit, ut qui literarum studia ante maturam ætatem pertractavere, eorum conversatione qui literis incubuerunt deinde in reliqua vita afficiantur: & si quid istius generis in manum de-

deveniat, ament atque deosculentur. Tanto ardore Excellentia tua literas in juventute excoluit, ut cum ex Academiis domesticis quicquid inde haurire potuit depromserit; tum ulterius contendens, in Germania nostra non solum reformatorum, sed etiam Romano-Catholicorum Lycea perlustraverit. Quo eruditionis studio omnimodæ scientiæ thesaurum sibi comparavit, atque insuper amoris igniculi exarsere in omnes literarum amantes, eorumque lucubrationes. Nullus itaque dubito, vir Amplissime, quin pro innata tibi humanitate, literarum amore & peritia, hoc munusculum literarium (munera licet aversans) tanto affectu acceptes; quanta tui admiratione mihi cogitatio offerendi subiit: neque minus gratum habiturus sis, quam gratitudinis debitæ publicum dare pignus, mihi gestivit animus. Nullum in hac opella mea capto emolumentum, præterquam in commentando, eorum commodum, qui hæc diligunt studia; in dedicando autem, mei testificationem animi: quo uti dotes tuas demiror, pariter *debita earum recordatione* favorem A. tuæ pascere & nutrire aveo. (Quem tanto semper majoris feci; quanto paucorum peritorum & bonorum, atque illustrium judicium, unde ille promanat, pluris semper faciendum duxi, quam innumeræ cæterorum multitudinis.) Enimvero, ut cætera præteream, minime nos decet, qui continue edendis libris occupamur, quos heroibus quibusdam inscribere tritus a priscis temporibus mos imperat; ut eorum virtutes silentio prætereamus, ad quorum exemplar omnes se componere, vitamq; suam instituere debent. Quod licet præcipue mihi inpræsentiarum propositum non fuerit; committere tamen minime debui, quin eorum saltem mentionem aliquam injicerem quæ mentem meam identidem occupant; atque apud alios frequenter ad ea obstupescens referre soleo. Quidni publico scripto consignarem, quod ore profiteri veritas & affectus jubet? Neque mihi persuadere possum, cum alii ficta sibi ascribi & verbis exaggerari gestiant, id animo adversari tuo, si ex veris tuis dotibus & virtutibus ac factis paucissima attingam: & quidem stylo adeo simplici; verbis adeo humilibus, *ut ni vis boni in* ipsis *inesset, hæc ista exstinguerent*. Quis unquam repertus qui, sua sibi reddi & retribui, dedignaretur? Aliud non facio: quum multa debeantur, exiguum quid in medium profero & tuo quasi altari impono. Quemadmodum Ethnici passim suis heroibus, quos post mortem ἀποθεῶσαι miris modis efferebant, satisfactum existimabant, si ἀπαρχὰς *primitias* nonnullas offerrent; non secus hisce pauculis ex amplissimo thesauro tuo decerpendis me existimabo defunctum: non quidem tuis respondentem meritis; sed A. tuæ benigno fretum judicio. Cui tam facile hoc tempore me satisfacere, non ignoro; quam tuæ præstantiæ difficile esse omni ex parte ullo tempore respondere, certissime scio. Cæterum, Vir nobilissime, quum omnem de te sermonem supergressus, verba tuis laudibus condigna non accipias, animum eo erumpere conantem, qua hactenus soles humanitate amplectere: neque minus benigno favore ad eum descendas, quam ipse tuarum virtutum admiratione ad A. tuam ascendere cogitur. Eodemq; vultu mea legas scripta, quo sæpius admisisti verba. Ita fiet ut voti mei compos, nihil exoptem ulterius; nisi perennem incolumitatem: quam Pater Dñi N. J.C. porrò conferat, oro,

N. & Amplitudini tuæ, cujus permanere cliens humillimus gestio,
C. l'EMPEREUR ab Oppijck.

Lugd. Bat. an. partæ salutis 1641.

BONA-



BONAVENT. CORN. BERTRAMUS

DE

REPUBLICA

ET

POLITIA JUDAICA.

CAPUT PRIMUM.

De prima origine Judaicæ politiæ cum Ecclesiasticæ tum civilis.



EGUM omnium bonarum, sive sint scriptæ, sive non scriptæ, duplex est scopus. Aut enim hominis erga Deum pietatem respiciunt, aut hominum inter se officia describunt. Hinc duplex nascitur politiæ genus, quarum unam quæ ad pietatem refertur, divinam: alteram quæ hominum inter se officia continet, humanam, merito vocemus. Nos tamen ex communi loquendi more illam quidem Ecclesiasticam, istam vero Civilem appellabimus. Cæterum una cum homine condito leges illas cœpisse fatendum est, animo videlicet illius ad imaginem Opificis ipsius conditi, insculptas. Quum enim neque intelligentiæ lux ullis tenebris obscurata esset, neque voluntatem ulla ἀταξία invasisset, immo quædam admirabilis esset hominis cum ipso Deo convenientia, efficitur hominem hoc fuisse ipso creationis beneficio adeptum, ut & quod Opifici deberet, & quod hominis cujusvis in alterum officium esset, sua sponte perspiceret, & quo illum intellectus deduceret, eo quoque tota voluntas ferretur. Jam tum tamen opus fuisse præterea externa divinæ voluntatis declaratione ex eo apparet, quod Dominus, etiam ante peccatum, Legem de arboris illius usu interdicto, adhibita quoque gravissima minimeque vana commi-natione, sancivit: quæ Lex, nimirum ejus quam homo Deo debebat observantiæ testimonium externum esset. nec aliam tum Legem latam fuisse legimus. Postea vero invectis in hominis mentem tenebris, & penitus aversa a Deo hominis voluntate, manserunt tamen in homine συντήρησις καὶ συνείδησις· quarum illa est quoddam κοινῶν ἐννοιῶν veluti penu, ab ista vero cogitationes, hominem (ut inquit [1] Apostolus) excusantes vel accusantes, regi oportuit. Sed illa usque adeo depravata est, ut ista lux olim limpidissima, partim sit in densissimas tenebras conversa, partim ubi etiam aliquid perspicere sibi videtur quo discrimen inter fas & nefas, inter honestum & turpe constituit, nunquam nos tamen ad veram usque Dei vel nostri ipsius notitiam deducat, nec in alium usum, [2] Apostolo teste, sint in nobis illius relictæ quædam reliquiæ, quam ut simus ἀναπολόγητοι. Itaque conscientiam quoque, utpote quæ ab illo cæco duce regatur, aberrare in plurimis necesse est: ut illam affectuum ἀταξίαν plane nostris nunquam viribus perdomitam prætermittam. Dubium ergo non est quin æternus ille λόγος φιλάνθρωπος jam tum partim arcano sui Spiritus afflatu, partim etiam externis alloquutionibus, quarum exempla Moses non pauca suppeditat, homines quomodo intus & foris coli vellet, & quæ alii aliis officia deberent, perspicue docue-

[1] Rom. 2. 15.

[2] Rom. 1. 10.

docuerit. Quas Leges qui primi a Deo acceperunt, suis etiam nepotibus veluti per manus tradebant. Harum rerum restimonia nobis subministrat vetus mundi historia usque ad Legem in Sinai monte & aliis deserti regionibus perlatam, sicuti nobis est a Mose divinissime ex ipsius Dei mandato perscripta. Vetustissima vero hujusmodi Legum duo præsertim monumenta nobis ante Diluvium traduntur, nempe sacrificandi mos, & animalium mundorum & immundorum discrimen: quod utrumque ad Ecclesiasticam externam politiam spectat. Quum enim Abel fide sacrificasse ab [3] Apostolo dicatur, necesse est Dei verbum expressum præivisse: quum vera fides non alio feratur. *a* Discrimen autem animalium mundorum & immundorum, id est, quæ mactare fas aut nefas esset, non aliunde quam ex ipsius Dei voce intelligi potuit: & quum [4] Noachi sacrificium hac observata Lege factum, Deo dicatur placuisse, rursum efficitur præivisse illius mandatum, quum nulla unquam ἐθελοθρησκεία Deo placuerit. Sed age hæc omnia pluribus, & quidem initio ab Ecclesiastica politia facto, explicemus.

[3] Heb. 11. 4.

[4] Gen. 8. 20. &c.

NOTÆ AD CAPUT PRIMUM.

a Annot. Discrimen animalium) *Dei verbum hanc constituisse differentiam, ne Judæi quidem negant. Unde Salomon Jarchi, qui passim priscorum sententiam exprimit, è verbis Gen. 7. 2. concludit,* למדנו שלמד נוח תורה discimus, Noachum didicisse Legem. *Itaque, Deum ante Mosem docuisse Legem, statuit. Porro de ipso animalium mundorum ab immundis discrimine non eadem sentiunt Judæorum magistri. Nonnulli, istam munditiem & impuritatem in ipsa bestiarum natura consistere arbitrantur. Alii istam distinctionem a Dei voluntate arcessunt: qua has bestias, cum ad cibum hominum, tum ad sacrificia, licitas fecit, alias vero interdixit, ne isti usui adhiberentur, id est, ne in alterutro eorum usus esset. Abrabaniel, priorem sententiam sequutus, ait de Noacho;* מתוך חכמתו ידע והבדיל טהור מטמא שהוא כפי טבעם והנה צוה לקחת רבים מהטהורים לפי שהיה עתיד להתיר להם אכילתם וגם שמהם יקריב קורבן. Ex profunda sua sapientia noverat & discernebat mundum ab immundo, quod *discrimen* erat secundum naturam ipsorum. Ecce plura ex mundis accipere præcepit Deus: quia illis permissurus erat eorum esum; quia quoque Noach ex iis sacrificium oblaturus erat. *Quibus verbis manifeste puritatem & impuritatem internam dispescit ab externa Dei ordinatione, qua eorundem usum discrevit. At Solomon Jarchi totum discrimen in edulii atque sacrificii ratione constituit: quoniam & ob futuram ejusmodi distinctionem, pecudes mundas & immundas tum vocatas fuisse censet. Verba ipsius hæc sunt, ad vocem* טהורה *mundam:* העתידה להיות טהורה לישראל quæ futura erat munda Israelitis *&c. Nonnulli ex antiquis illam impuritatem alio referebant: sicuti liquido apparet Cod.* Sanhedrin, *cap.* 11. *fol.* 108. *pag.* 2. *ubi* mundæ *exponuntur,* אותם שלא נעברה בהן עבירה cum quibus commissum non esset flagitium. *Et,* flagitium non commisisse, *exponit Glossator,* לא נזקקו אלא לבן זוגם non coivisse nisi cum aliis ejusdem speciei. *Verumenimvero ita habendum; jam tum fuisse mundorum & immundorum discrimen, quia Dei verba distinctionem jam notam indicant: sed non aliud, quam sacrificiorum respectu, quia nondum ulla animalia in cibum permissa erant; & quum permitterentur, indiscriminatim permissa. Gen.* 9. 3. *Non aliter Rabbi Alschech commemoratum Gen.* 7. 2. *discrimen accipit,* להקריב קרבן היה צריך יהיו מן הבהמה הטהורה ועוף הטהור יותר משנים שנים. Ad oblationem offerendam opus erat ex pecude munda & ave munda pluribus quam binis. *Istam distinctionem merito illic nonnisi in sacris considerat.*

CAPUT SECUNDUM.

Politia Ecclesiastica Patrum ab orbe condito.

IN Ecclesiastica Patrum politia primum de personis, postea de loco, deinde de tempore, quarto de rebus, quinto de ritibus, tum circa personas, tum circa res, agendum est.

Atque quod ad personas attinet, in genere primum sunt considerandæ, ita ut totum Ecclesiæ corpus dispiciamus: deinde & speciatim, ita ut illius corporis partes distinguamus.

Quod igitur ad totum Ecclesiæ corpus spectat, ex ipso Dei [1] verbo constat Adamum & Hevam a Deo abalienatos, & postea illi conciliatos, ab ipso Deo in Ecclesiæ cœtum lectos fuisse. Ita enim post lapsum senserunt ex Dei increpatione se primam naturæ lucem & justitiam amisisse, ut rursus ex Dei promissione intellexerint se ab eo in suos recipi, & vitam sibi reddi.

Corporis istius partes duæ fuerunt: una ejus quæ moderando & docendo cœtui præfuit, altera ejus quæ monenti & docenti parere debuit. Nam in ea increpatione qua Dominus [2] Adamum & Hevam perstrinxit, Adamum ipsum gubernandæ reliquæ Ecclesiæ præficit, vel ipsam Hevam alloquens.

Adami seu præfecti Ecclesiæ moderandæ duplex fuisse videtur officium: unum Prophetiæ, alterum Sacerdotii.

Adamus igitur pro jure suo, quod etiam ipsi Dominus confirmavit & auxit, sæpius iteravit & exposuit uxori increpationem & promissionem sibi factam, item & li-

[1] Gen. 3. 14.

[2] Gen. 3. 16. 1. Cor. 14. 34 1. Tim. 2. 11.

beris ſuis, eoſque genuinum Dei cultum docuit: [3] atque ita prophetam egit, ut & fuit. Sacerdotio functum fuiſſe dubium non eſt tum in recipiendis atque offerendis ſacrificiis, tum etiam in declarandis, hoc eſt, in declarando ſuo reliquorumque hominum reatu & pœna, quæ ita deſignarentur ipſis ſacrificiis, ut etiam illis adumbraretur præcipuum illud ſacrificium Seminis venturi.

[3] Gen. 2. 23.

Quidam ex priſcis Hebræorum interpretibus non inepte prorſus conficiunt ex eo quod quarti Gen. 3. & 4. verſ. dicitur Cainum & Habelem adduxiſſe (ita enim proprie ſonat verbum Hebræum) ſua ſacrificia, ſacrificia ea ad patrem Adamum adducta, ut ille ea Domino offerret, ad eum videlicet locum quem ei rei deſtinaverat ex Dei præſcripto Adamus.

Locum enim certum fuiſſe dubium non eſt (cum omnia ordine fieri jam tum oportuerit) ad quem ad Sacra peragenda conveniretur, & ad quem ſacrificia ipſa vel adferrentur vel adducerentur: ubi etiam coram Deus ſuum adverſus ſuos animum teſtatus fuerit. Ibi videlicet Cainus liquido & certo intellexit ſe ſuumque ſacrificium Deo non probari; contra, fratrem ejuſque ſacrificium Deo gratiſſimum.

Inde factum eſt ut qui Dei oraculum ſciſcitarentur, ad certum aliquem locum convenirent, ut confirmatur ex Gen. 25. 22. ubi vel ipſe Deus introducitur ipſi Rebeccæ reſpondens, vel certe ejus ſocer Abrahamus, tum temporis Eccleſiæ Dei ſacerdos & propheta.

Quia ergo in eo loco luculentiorem ſui præſentiam Deus exhibebat, quum inde fugaretur Cainus, [4] fugatus dicitur יי מלפני i. ab ad præſentiam Domini.

[4] Gen. 4. 14. & 16.

Ad eum locum erectum fuiſſe altare veriſimile eſt, cui victimæ imponerentur.

Quod ad tempus attinet, jam inde ab orbe condito præſtitutus fuiſſe videtur dies Septimus ſeu Sabbathi frequentadis cœtibus ſacræque quieti: ut colligi poteſt eo quod de ejuſmodi quiete diſerte pronuntiat Moſes ante Legem datam ad montem Sinain. Exod. 16. 5. 26. & 27. Adde quod ejuſcemodi dies, ejuſque ratio & uſus notiſſimus fuit priſcis ipſis patribus.

Præterea quod Moſes dicit Gene. 2. 3. Dominum benedixiſſe diei ſeptimo, eumque ſanctificaſſe, eo ſpectat ut ſignificet Deum non ſolum magnificaſſe & ſingulari laude extuliſſe diem ſeptimum, verum etiam ad ſpecialem cultum elegiſſe, ſeparaſſe, & dedicaſſe.

Quod ad res ſpectat, Patrum ſacrificia fuerunt alia Expiatoria, alia Euchariſtica.

Sacrificia Expiatoria an Legem ad montem Sinain da tam, ſola fuerunt Holocauſta. Euchariſtica fuerunt quadruplicia, Primitiæ, Decimæ, Proſperitates & Vota.

Expiatorium illud unicum ſacrificium, videlicet holocauſtum, Patribus uſitatum fuiſſe apparet ex Gen. 8. 20. & 22. 2. 3. 7. & 13. imo & Exod. 10. 25. & 18. 12. & 20. 24. & 24. 5. poſteriorum enim iſtarum hiſtoriarum temporibus Moſi nihildum præſcripſerat Deus de Holocauſtis eorumque ritibus.

Ex Euchariſticis uſitatas fuiſſe Primitias conſtat ex Gen. 4. 4. Decimas ex Geneſ. 14. 20. & 28. 22. Proſperitates ex Gen. 31. 54. & Exod. 20. 24. & 24. 5. (quæ enim duobus poſterioribus locis vel præſcripta vel geſta dicuntur, acciderunt antequam lata eſſet lex de ſacrificiis Proſperitatum, quæ exſtat in Levitico) & Exod. 18. 12. ex interpretatione Aben-Hezræ. Vota ex Gen. 28. 20. & 31. 13.

Perſonarum ritus vel fuerunt earum adhuc viventium, vel jam mortuarum.

Ritus qui circa perſonas viventes obſervatus eſt, primus & præcipuus eſt puritas ſeu ſanctificatio, non ſolum interior, ſed & exterior.

Exteriorem prorſus arguit illud Gen. 35. 2. quod quidem poſtea ſub Lege effecit נדוי. Eandem illam aliquo modo repræſentat [5] diſtinctio illa totius generis humani quæ extitit tempore Enoſſi in filios Dei & in filios hominum: idque probat illa poſtea ſubſequuta Dei irritatio adverſus ſuam Eccleſiam, eo quod ſuorum filii commixti filiabus hominum, hoc eſt, profanorum, qui ex Caini poſteris erant, eorum perditis moribus & vitiis ſe contaminaſſent, & ex illis ſobolem ſuſtuliſſent ad audaciſſima quæque facinora projectiſſimam.

[5] Gen. 4. 26. & 6. 2.

Diſertiſſime vero puritatem hanc & ſanctitatem arguit Excommunicatio, unus etiam ex illis ritibus qui circa perſonas obſervati ſunt.

Excommunicatio duplex jam tum fuiſſe videtur: Excommunicatio ſimplex, & Anathema.

Excommunicationis ſimplicis formula exſtare videtur Geneſ. 17. 14. *a* Et excindetur anima illa ex populis ſuis, quod idem eſſe videtur atque ſi diceretur: Ejuſcemodi homo amplius non cenſebitur in populo Dei.

Populi enim nomine intelligitur aggregatio plurium hominum qui iiſdem legibus divinis & humanis reguntur.

Praxis iſtius excommunicationis extitit in Caino. Gen. 4. 14. & 16.

Chanochus septimus homo ab Adamo, cum Caini posteros in pejus ruere videret, & Dei filios seu populum in dies magis ac magis ab antiqua puritate desciscere, Anathema illud solenne suæ ætatis hominibus proposuit, quod exstat Judæ vers. 14. & 15. Illa vero verba solenne Anathema præ se tulisse arguit quod scribit Paulus 1. Cor. 16. 22. Anathema Maran-atha. Nam duæ illæ voces Maran atha. i. Dominus noster venit, videntur omnino petitæ ex illa prophetia, & postea ex illius formulæ verbis Excommunicatio ipsa ex Hebræorum more appellata. Quod vero Dominus noster, non autem nude & absque pronomine, Dominus, sicut apud Judam κύριος, scribitur, fit ex idiotismo linguæ Aramicæ, qui accedit ad idiotismum linguæ Hebraicæ. Aramæi enim, præsertim Syri, pro κύριος dicunt, מרן, id est, Dominus noster, ubi Hebræi dicunt, ארני, id est, Domini mei, abundante utrobique pronomine tam Græcis quam Latinis.

Quinetiam ex Rabbinis quidam interpretantur summum genus excommunicationis quod illi vocant שמתה vel שמתא, quasi sit השם אתא, id est, Dominus ipse venit. Quod si hæc interpretatio valeat, alia quam vulgo afferunt, Ibi mors, allusio quædam erit post genuinam illam compositionem inventa, ut quamplurima hujuscemodi exstant apud Romanos Jurisconsultos. Est enim hæc excommunicatio adjudicatio quædam ad mortem æternam, & justum Dei judicium. Atque huc videtur spectare quod [6] Joannes dicit de peccato ad mortem. Vide & infra, ubi agetur de Ecclesiastica Judæorum politia ad montem Sinain præscripta.

Ritus qui circa mortuos observatus est, fuit sepeliendi atque humandi cura, & sepulchri sanctitas & religio.

Humandi præceptum aliquo modo adumbratur verbis illis Dei ad Adamum, Gen. 3. 19. Quoad revertaris ad terram; nam ex ea sumtus es. Quia pulvis es tu, etiam ad pulverem reverteris.

Pura humandi cura & sepulchri jus atque sanctitas exstat, Gen. 23.

Rituum qui circa res observati sunt, ille unus exstat quo distinguuntur animantia in munda & immunda, de quo Gen. 7. 2. & 8. & 8. 20.

Delectus ille animantium mundorum, sacrificia duntaxat spectasse videtur.

Alia quædam præterea ab istis in Ecclesiastica hac Patrum politia contigerunt, quæ operæ pretium videtur percurrere antequam ad Civilem Patrum politiam descendamus.

Prætermittendum enim nullo modo videtur quod Moses [7] tam diligenter persequitur genealogiam Adami, per Sethum & certos quosdam ex ejus posteris selectos. Illud vero eo spectare omnino videtur ut sciamus quam bene & feliciter suam Ecclesiam Deus continuarit, & regendam curaverit.

Cum ergo jam per ætatem non liceret Adamo Ecclesiæ regendæ attendere, præfectus illi est Sethus. Setho eadem de caussa successit Enossus, Enosso Kænan, Kænani Mahaleel, Mahaleeli Jeredus, Jeredo Chanochus, Chanocho Methuschelachus, Methuschelacho Lamechus, Lamecho Noachus, qui & dicitur [8] Præco justitiæ, & Præco ipsius Christi.

Cum vero ille per longissimum tempus surdis cecinisset, præsertim per illos centum viginti annos quibus arcam construxit, tandem mandata accepit a Deo, ut in arcam ipse ingrederetur una cum sua familia & variis animantium speciebus: ut ibi in tuto esset, interea dum reliqua quæ exstabant, extremo exitio devoveret penitusque deleret.

Noachus ex arca egressus ad pristinos ritus divini cultus redit, eosque apud suos omnes nondum dispersos exercuit *b* per centum & decem annos: in quod tempus incidit dispersio posterorum Noachi.

Facta illa dispersione verisimile omnino est unumquemque in sua familia Principem seu Regulum, & Sacerdotem fuisse, atque inde has dignitates ad Primogenitos gentis seu familiæ pervenisse: ita ut primariæ familiæ primogenitus eas semper obtineret, aliarum vero familiarum primogeniti tum ad Rempublicam administrandam, tum ad Sacra peragenda adhiberentur.

Primogenitos solitos adhiberi ad Sacrificia apparet non solum ex Hebræorum [9] commentariis, sed & ex eo quod in Lege Dominus profitetur se Levitas ad suum cultum assumere & sibi dicare tanquam λυτρὸν Primogenitorum reliquorum ex Israelitis. Hoc enim non tantum ad Israelitarum primogenitos ab Angelo Exterminatore in Ægypto prætermissos referendum est, verum etiam ita intelligendum videtur quasi Dominus significaret non solum ex Lege quam tunc dictabat, vel certe refricabat, primogenitos suos esse, suisque Sacris faciendis præficiendos, sed jamdudum hoc in suo populo & quaque ejus familia usitatum fuisse.

[9] In Exod. 19. 22. & 24. 5. ubi Onkelos Juvenes disserte exponit Primogenitos: Aben-Hezr. Num. 16. 1.

Noa-

Noachus ita ſuos inſtituit, ut cultum divinum ſibi a Majoribus traditum, & a Deo confirmatum addito novo quodam Iridis Sacramento, eos docuerit: ſed non omnes eum purum retinuerunt. Chaldæi enim admixta ſuorum Regum idolomania eum indigniſſime corruperunt : fœdius vero ipſi Chananæi, qui ad idolomaniam, Magiam & perditiſſimos quoſque mores adjunxerunt. Certe uſque ad Abrahami [10] tempora non ſolum in Ægypto perſeveravit aliquis Dei timor, (ubi tamen mox depravatam fuiſſe veram ſapientiam, ac religionem fœdiſſimis ſuperſtitionibus contaminatam ex omnibus hiſtoriis conſtat) ſed & in Palæſtina : imo & in media Chananæa [11] ad Salemum erat Melchitſedechus Dei altiſſimi Sacerdos idem & ipſe Rex. Addam etiam tempore Moſis [12] illuxiſſe alibi quam in poſteris Jacobi veræ religionis aliqua veſtigia, nimirum Pethore urbe ſita ad Euphratem in Meſopotamia. Ibi videlicet commoratus dicitur Bilham Prophetiæ dono illuſtris: ſed qui cum lucro pellectus Prophetiam in perniciem populi Dei convertere conatus eſſet, & ejus rei gratia Deum ſæpius tentaſſet, peſſimumque conſilium tandem Moabitis ſuggeſſiſſet, merito a Joſua [13] Divinus dicitur, & malitiæ ſuæ meritas pœnas dedit.

[10] Gen. 12. 17.
[11] Gen. 20. 3. & 14. 18.
[12] Num. 22. 5. &c. Deu. 23. 4.
[13] Jos. 13. 22.

Dum Chaldæi ſuorum Regum idolomanias [14] ad genuinum Dei cultum adjungunt, Dominus miſertus Abrahami eum ex mediis illis idololatriis evocat eumque patrem Seminis promiſſi fore pronuntiat, & cum eo fœdus ſolenne percutit.

[14] Gen. 12. &c.

Abrahamus ubi terram Chananæam ſibi diſignatam & deſtinatam ingreſſus fuiſſet, & tuto ad genuinum Dei cultum redire poſſet, eum ita aggreditur, ut ipſe domi Sacerdos familiæ ſuæ eſſet, & pro diverſis ſuæ peregrinationis manſionibus varia illius Divini cultus, quem frequentabat, Sacraria ſeu altaria erexerit, apud quæ Dei nomen invocaverit, id eſt, (ſi quis velit) univerſum Dei cultum celebraverit, qui nomine orationis & invocationis nominis Dei venit, ut & adorationis, Gen. 22. 5.

Quum vero Abrahamus ad Quercetum ſeu Roboretum Mamræ conſediſſet, ibi Sacrarium & altare quoddam ordinariis familiæ ſuæ cœtibus deſtinavit.

Abrahamum ſacrificaſſe apparet ex Gen. 15. 9. & 22. 2. 7. 9. & 13.

Abrahamum docuiſſe apparet ex Gen. 18. 19. atque adeo prophetam fuiſſe ex Geneſ. 20. 7.

Quinimo Abrahamus hoc honore a Deo affectus eſt, ut novas & maxime diſertas ab eo promiſſiones audierit, tum de ſe ſuiſque æternum in Dei populum retinendis, tum de Meſſia ejus ſemine, futuraque Dei benedictione in ejus gratiam & nomen, earumque ſolenne & diſertum ſigillum & Sacramentum, nimirum Circunciſionem acceperit.

Abrahami omnes filios non ita veriſimile eſt patris educationem & inſtitutionem contemſiſſe, quin aliquam paternæ religionis obſervationem uſurpaverint : ſed de illa apud Iſmaelem & Keturæ filios non ita conſtat, atque de Iſaaci in ea perſeverantia.

Iſaacus igitur, ſicut & pater Abrahamus, [15] Sacerdos familiæ ſuæ fuit, [16] Sacriſque operatus eſt ipſe, atque ſuos docuit.

Uterque ex Iſaaci filiis videtur in patris religione perſeveraſſe, ſed Eſavus non ita pure.

At Jacobus ita genuinum Dei cultum in ſua familia reſtituit, ut ſuos omnia [17] idola eorumque inſignia quæ ex Meſopotamia aſportaverant, abjicere juſſerit. Ergo & domi [18] Sacerdos ſuis fuit, ſacrificavitque ſaltem Proſperitates, ſuoſque docuit: atque varia [19] pro variis ſuis habitationibus altaria erexit.

[15] Gen. 26. 24.
[16] Gen. 27. 26.
[17] Gen. 35. 2.
[18] Gen. 31. 45. & 46. 1
[19] Gen. 35. 2.

NOTÆ AD CAPUT SECUNDUM.

a Annot. Excindetur anima e populis ſuis) *Phraſin hanc exponentes in quatuor ſententias ferme abeunt Hebræi. Prima eſt; mortem immaturam deſignari, quam Deus citra humani magiſtratus officium irrogat. Eamque præter alias complures annotat Abrabaniel, quum de exterminio iſto fuſiſſime diſputat, Comment. ad Num.* 15. 22. קצור ימי החוטא ומיתתו קודם קצו בעולם הזה והוא עצמו ענין המיתה בידי שמים. Decurtatio dierum ipſius peccatoris & mors ante terminum naturalem in hoc mundo : quæ ipſiſſima mors eſt, opera cœli, *id eſt*, *Dei*, illata. *Terminus iſte cenſetur annus ſexageſimus; nonnullis quinquageſimus, vel quinquageſimus ſecundus;* עתו שהיה ראוי לו כפי טבעו tempus ejus quod ipſi quadrabat ſecundum propriam naturam. *Atque hæc ſententia ulterius diviſionem admittit in varia membra. Secunda Hebræorum ſententia, eorum eſt, qui exiſtimant,* כל כרת הוא ערירי שימות בלי בנים omne exterminium eo conſiſtere, ut quis ἄτεκνος, illiberis, *id eſt*, ſine liberis moriatur. *Puta, ut vel nunquam habuerit, vel quos procreaverat, moriantur ante patrem. Nam, ſicut ait Aben Hezra, dum hanc ſententiam dubius proponit ad dictum Geneſ. locum* 17. 14. מי שיש לו בנים כאלו הוא חי ושמו לא יכרת qui liberos relinquit, eſt, ac ſi viveret, neque ejus nomen excinditur, *Tertia Hebræorum, ad mortem æternam aſſurgit : eamque Maimonides, cum ſuis in caput ultimum* Sanhedrin *commentariis, tum libro Maddah, pluribus explicat. Verum ſumma hæc eſt;* הכרת, exterminium, eſſe, שתאבד הנפש ולא תהיה חיה וקיימת quod peribit anima, neque amplius vivet, aut ſubſiſtet. *Hanc merito alii reiiciunt. Ultima eſt Abrabanielis : quam cum alia conjungit. Id enim obſervari velim in hac ſententiarum enumeratione, me diverſitatem tantummodo ſpectare; neque iſtas opiniones proponere, quæ diverſorum ſententias conjungunt, vel in eadem novum modum exhibent. Quod itaque Abrabaniel de morte immatura præmittit, jam explicatum fuit. Videamus, quid de anima ſentiat, quæ in iſta Dei comminatione commemoratur. Ad Chriſtianos propius accedit quam Maimonides ſiquidem improborum animas non tantum ſuperſtites manere aſſerit, ſed pœnas etiam poſt mortem luere in gehenna. Hæc ſunt ejus verba :* הנפש תכרת מאותו צרור החיים העליון ולא קבל זיו השכינה שהוא העונג והשכר הנפשיי

הנפשיי אבל איך זה׃ לנפש העדר גמור והפסד מוחלט כי הוא עצם רוחני קיים בעצמו בלתי נפסד בטבעו׳ אך הכרת הוא עונש וצער גדול לנפש תקבל בו הפחות והיתר ואחרי קבול העונש תשוב לקבל הערוך והעונג וכמ״ש אם יכרת ועוד יחליף ויונקתו לא תחדל. Anima excindetur ab isto fasciculo vitæ supremo, neque splendorem divinitatis obtinebit, id est, voluptatem & mercedem animæ. Sed hic non est animæ defectus consummatus, & interitus absolutus. Ipsa enim est substantia spiritualis, in se subsistens, minime natura sua corruptibilis. Verum exterminium est pœna & dolor magnus animæ. Quæ in eo minus & majus suscipit. Et post exantlatam pœnam denuo delicias & voluptatem obtinebit. Idque secundum illud dictum, (Job. 14. 7.) Si excindatur, repullulabit; & tener ramus ejus non deficiet. *Quæ hic de istiusmodi hominum salute subjungit, nostrates non admittunt. Theologi nostri, ut plurimum, ejectionem e cœtu ecclesiæ ac fidelium ista phrasi designari, autumant. Pauciores supplicium capitale huc revocant. Ego in hac varietate, eorum sententiam minime absurdam sentio, qui, mortem præmaturam indicari, arbitrantur: quandoquidem cum excindendi vox isti, non vero sterilitati, optime quadrat; tum infantiæ eorum qui in ecclesia Judaica nascebantur, majores illas pœnas convenire & competere, clementia Dei prohibere videtur. Consule, si vacat, quæ hac de re, præter Cl. Seldenum, totius Angliæ decus, & doct. Amamam, aliosque, commentatus fuit vir longe doctissimus Henricus Ainsworth ad c. 15. Numer. vers. 30. & 31. Neque omittendum, exterminium minus esse supplicio capitali Exod. 11. 34. versu rite intellecto: Deique esse opus, non hominum, Levit. 17. 10. ac Levit. 20. 6. & confer diligenter v. 4. cum. 5.*

b Annot. Per centum & decem annos.) *Si nativitatem τοῦ Peleg attendas; tantum deprehendes annos a diluvio centum & unum. Eo tempore nomen illi a dispersione & divisione impositum fuisse, Moses narrat. Gen. 10. 20. Quare dispersio posterorum Noachi incidit in annum a diluvio centesimum primum. Quod ætas patriarcharum ostendit. Sem genuit Arpachschadum biennio post diluvium. Qui anno ætatis tricesimoquinto procreavit Schelachum. Hic anno trigesimo genuit Eberum. Ex quo, ætatis anno trigesimo-quarto natus Peleg. Hos annos si conjungas, invenies unum supra centum. Quorsum igitur author noster novem addidit? Fieri potest, ut notis numeralibus annos expresserit. Puta 101. Ex quibus transposita nota postrema prosluxerit numerus 110. Novi quidem, ab aliis nonnullis observari solitum, Pelegi patrem prophetico spiritu indidisse filio nomen ab illa dispersione, quæ postea demum futura esset: quod diebus ipsius, non tempore nativitatis, evenisse dicatur, quodque, ubi nasceretur, nondum adeo copiosa Noachi proles fuisse videatur, ut tot familiarum per varias regiones distinctis habitationibus sufficeret. Verum, si prius admittas, non magis Pelegi diebus, quam multorum aliorum patriarcharum tempore, terra per istas familias distincta fuit. Quid igitur in Pelego proprium & singulare, quod nomini occasionem præbuerit, nisi dies primi ætatis ipsius designentur? Ad posterius quod attinet, nihil cap. Genes. 10. in familiarum (unde postea integræ nationes dimanarunt) dispersione dicitur, quod plures homines exigeret, quam nato primum Pelego esse potuerint. Expendatur benedictionis divinæ ἐνέργημα, Gen. 9. 1. adeoque cum vegeta, tum annosa illa istorum hominum senectus. Neque, si hoc admitteretur, quod illi volunt, eo Bertramus noster respexerit. Quid enim novem anni ad illam, quam urgent, hominum multitudinem conferre queant? Quocirca in numeralibus notis exprimendis, errorem ab eo commissum existimo qui primæ editioni præfuit, & annos 101. id est, unum supra centum, authorem a diluvio ad dispersionem computasse. Licet altera illa opinio, longe plures intercessisse annos, in* Bereschit rabba *adscribatur doctori Josæ filio* Chalpetæ; *cujus verba hæc ibi commemorantur:* נביא גדול היה עבר הש צ״א לשם המאורע/ Propheta magnus erat Eber, qui protulerit *filii nomen (quod antecedentia ostendunt esse repetendum)* secundum nomen eventus; *scilicet, sequuturi.*

CAPUT TERTIUM.

Politia civilis Patrum ab orbe condito.

CIVILIS politiæ qua Patres usi sunt, duplex tempus considerandum est. Prius est quod præcessit ætatem Nimrodi: posterius est quod illam subsequutum est.

Civilis politiæ administratio ante Nimrodum penes eos fuit, penes quos erat & Ecclesiasticæ. Nam veteribus ordinarium & quasi perpetuum fuit, ut qui Reges essent, iidem etiam Sacerdotio fungerentur. Hinc efficitur istam priorem politiam Monarchicam fuisse.

Politiæ, quæ Nimrodi ætate invaluit, duplex fuit administratio, Privata & Publica.

Privata fuit penes Patresfamilias & eorum Primogenitos. Siquidem cum ex historiis Sacris, tum ex prophanis constat veteres illos patresfamilias in liberos & servos vitæ necisque potestatem habuisse, ita ut illos castigare etiam severius pro rei merito potuerint. Imo & in reliquos qui censebantur familiæ eorum, qualis erat uxor & nurus. Ergo patresfamilias domi sua suosque ad justitiæ regulam componebant, & de criminibus intra familiam vel adversus familiam admissis cognoscebant, pœnasque statuebant & exequendas curabant.

Publica duplex fuit: Monarchica seu Regia, & Democratica.

Utraque suos Seniores seu Senatores habuit, qui in Monarchica seu Regia politia aliquando Regis servi vocantur, ut Genes. 20. 8. & 40. 2. & 41. 10. 37. & 38. & 45. 16. & 50. 7. aliquando etiam Seniores seu Senatores, ut Gen. 50. 7. In Democratica semper dicuntur Seniores, ut Jos. 9. 11.

Commune fuit utrique politiæ cognoscere de rebus publicis, item de contractibus inter diversas familias initis, & de delictis atque criminibus extra familiam admissis. Ita tamen ut res leviores per Regem & Senatores confici potuerint: graviores autem ita per Regem & Senatores constituerentur, ut omnino ad populum referrentur, ut apparet ex Gen. 23. & 34. & Jos. 9. 11. Adde etiam Gen. 29. 22. Nam

nuptia-

nuptiarum ritus publici juris fuisse videtur, ut & sepulchri: utrumque enim sanctum & religiosum est.

Quibus legibus & a quo institutis hæ politiæ administratæ fuerunt, non plane constat, si illas exceperis quæ exstant initio capitis noni [1] Geneseos. Sed verisimile videtur primos Patres ex verbi Dei interpretatione atque ex ipsis communibus notionibus & præsenti necessitate civiles leges statuisse (inter quas pono Nuptiarum ritus, Leviratìonis jus, & Adulterii pœnam) quæ postea a quibusdam eorum posteris auctæ, & suis locis ac temporibus accommodatæ fuerunt, ab aliis corruptæ & omnino perversæ.

[1] Gen. 9. 5.

Inde factum est ut quum Abrahamus & Isaacus pro se & suis fœdus iniissent cum indigenis Chananæis, familiæ suæ præfuerint, & ei ex suis Legibus jus dixerint, non ex impurissimis Chananæorum institutis.

Jacobus majorum suorum fœdere comprehensus eodem illo jure in media Chananæa usus est: item & ejus filii ut constat ex levirationis jure & adulterii pœna, quæ Jehuda ejus filius in sua familia locum habere voluit.

Atque hæc Patrum politia in Chananæorum agro sive privata sive publica, Monarchica seu Regia fuisse videtur.

CAPUT QUARTUM.

Hebræorum politia Ecclesiastica in Ægypto, & in deserto usque ad Legem latam ad Sinain.

UBI Jacobus ejusque posteri ex Chananæa concessissent in Ægyptum incertum est politiane eadem usi ibi fuerint tum civili tum Ecclesiastica, qua usi fuerant in Chananæa. Aliquos certe avitæ religionis ritus retinuisse verisimile est. Circumcisionem enim observarunt, precesque suas ad Deum dirigere edocti sunt ab ipso Jacobo ejusque filiis: quibus mortuis, paucis illis ritibus a quibusdam ex illo populo adjunctum fuisse Ægyptiacorum deorum cultum aliquem verisimile est ex Josuæ 24. 14. & Jechez. 23. 3. Dominus profecto populum suum ex Ægypto educturus, suumque genuinum cultum plenius instauraturus, primum Israelitas revocat ad illos religionis ritus qui apud eorum majores invaluerant: eoque pertinet quod Mosi Dominus ipse præscripsit desertum montis Sinais ad Sacra illic sibi repræsentanda, quod & Moses ipse sæpius Pharaoni repetiit. Eodem etiam spectat, quod colligitur ex Exd. 18. 7. 12. & 15. & 33. 7. (quibus locis possis adjungere cap. 16. 10. & 34.) nimirum fuisse vel tabernaculum ipsius Mosis, tanquam castrorum Prætorium, vel certe quoddam aliud, primum in castris, deinde deportatum extra castra, quod ante alterius illius solennis constructionem vocaretur Tabernaculum conventus: primum quod Dominus cum Mose conventurus erat: deinde quod reliquus populus & ad Sacra & ad jus atque adeo ad consilium ineundum eo cosflueret. Aharon ergo Exod. 16. 10. videtur populum admonere ut eo ad Domini præsentiam se sistat: item & Moses jubens Aharonem urnam implere collecta manna, eamque reponere ibi ante testimonium.

Videtur & eo deductus Iithro, ut ibi illa omnia prodigia audiret, quæ Deus in gratiam populi sui ediderat, ibique Dominum laudaret & verum Deum agnosceret, illique holocausta & sacrificia (id est, pacifica ut interpretatur Aben-Hezra) offerret. Videntur & eo confluxisse ad Iithronem ipse Aaron & Seniores Israel, ut convivarentur coram Domino, quod & diserte exprimitur. [1]

Videtur etiam ibidem sedisse pro tribunali ipse Moses, ut jus diceret; unde subjicit populum eo ad se venire scìscitatum ipsum Dominum.

[1] Exod. 18. 7. 8. 9. 10. 11. & 12.

Ex superioribus satis apparet Ecclesiam cogi solitam ad eum locum de quo supra, ut Deum coleret, & scìscitaretur: illique sacra faceret, sacrificiaque offerret, non solum holocausta, sed & pacifica.

Populum ad illud tabernaculum etiam ex suo cujusque tentorio adorasse, constat ex Exod. 33. 10.

Mosem initio, id est, ante consecratum Aharonem apud populum sacerdotio functum, certum est, suosque ad eam rem administros habuisse non solum Josuam, sed & certos [2] juvenes ex familiis quibusque delectos, quos arbitrantur Hebræi fuisse primoge-

[2] Exod. 19. 22. & 24. 4. 5. 6. 7. & 8.

mogenitos: imo & sacerdotes quosdam fuisse in populo præter Mosem ex illo fortasse primogenitorum ordine. Quin etiam Moses de Dei voluntate [z] respondit, prophetaque fuit, Aharon præterea & Maria.

[z] Exo. 7. 1. & 15. 20. Num. 12. 2.

CAPUT QUINTUM.

Hebræorum politia civilis in Ægypto, & usque ad Legem latam in monte Sinai.

HEBRÆOS politiam civilem aliquam habuisse in Ægypto apparet: ex eo quod Moses in Ægyptum profecturus mandata habet a Domino, ut Seniores ipsos adeat: sicut & eos interpretatur Aben-Hezra Exo. 4. 29. ubi definit הזקנים Seniores quos aggregarunt Moses & Aharon, eos qui in consilium adhibiti fuerant in ætate & ætate, id est, anterioribus seculis.

In illo Seniorum cœtu fuerunt quidam שוטרים Præfecti (Gallice *Prevosts*) ex ipsis Hebræorum popularibus, ut apparet ex Exod. 5. 14. &c.

שוטרים seu Præfecti istiusmodi videntur fuisse *a* rerum judicandarum peritiores & consultiores reliquis Senioribus, & earundem judicatarum executores: ita ut essent maximæ authoritatis apud ipsum populum, unde & Pharaonis publicani & exactores iis usi sunt dirigendis Israelitarum operibus.

De numero horum Seniorum & Præfectorum non ita constat: sed si conjectura valere potest, videntur [a] Septuaginta fuisse, quasi Septuagenarius Seniorum numerus quem Deus in Lege sancivit, non tam ab eo tum institutus quam continuatus fuerit: sicut & alia quamplurima apud Patres usitata Deus ad montem Sinain potius confirmavit quam innovavit. Septuagenarii autem istius numeri origo petita videtur ab eo quod tam diserte & crebro in Sacris literis repetitur Septuaginta animas ingressas fuisse in Ægyptum: ita ut subductis quamplurimis rationibus, quas alii cuidam libro reservamus, dissimulare amplius & diutius non possim mihi videri censum illum qui in Septuaginta illis animabus tanquam Septuaginta Hebræorum gentibus, a Mose proponitur, vel ab ipso earum parente Jacobo sub postrema vitæ tempora actum fuisse, vel certe statim post illius mortem ab ejus filiis, ut vel eo solo manifestius aliquando liqueret de implemento promissionis Dei sæpius Hebræorum majoribus repetitæ de immensa posterorum Abrahami sobole & multitudine: unde & quibus potuerunt nominibus censum illum celebrarunt & nobilitarunt. Hinc igitur & animas illas tam accurate enumeratas fuisse, & tam crebro commemoratas existimo: imo ex illarum familiis præcipuos populi Hebræorum moderatores sumtos fuisse, qui Septuaginta illas gentes Hebræorum posteris in omnes mundi ætates repræsentarent. Et vero cum ab istis tanquam stirpibus omnes familiæ per singulas tribus postea propagatæ sint, merito ab unaquaque earum familia unus aliquis in hunc numerum ad Rempublicam Judaicam administrandam cooptatus dicatur, quod & aliquo modo apparet ex commentario Aben Hezræ quem paulo ante citavimus. Atque quod Dominus Exod. 24. 1. jubet Septuaginta ex Senioribus Israelis ad se una cum Mose accedere, neque exprimit quomodo Moses eos eligat, videatur de re nota agere: quod & ex eo satis arguitur, quod illi Septuaginta vers. 11. ejusdem capitis noto quodam nomine & proprio appellantur אצילי בני ישראל Magnates seu optimates filiorum Israel. Ita enim omnes interpretes Hebræi exponunt vocem illam אצילי per גדולי. Huc denique eodem prorsus modo accommodari potest quod Dominus Septuagenarium hunc numerum plane confirmaturus his verbis utitur, Num. 11. 16. Aggrega mihi Septuaginta viros ex Senioribus Israel, quos nosti quod ipsi (sint videlicet, vel fuerint jamdudum) Seniores populi & præfecti ejus: quasi ad hoc Seniorum & Judicum munus evehat eos qui aliquando eo functi fuerant.

[a] Num. 11. 16. &c.

Politiam hanc multum fuisse imminutam tyrannide posteriorum Pharaonum verisimile est: unde Judiciorum saltem publicorum administratio ademta illis fuerit.

Atque illa prior Hebræorum politia in Ægypto Aristocratica fuisse videtur, vel certe mixta ex Aristocratica & Democratica. Posterior Tyrannica fuit regum Ægypti adversus eos. Privatam autem alteram in Ægypto continuatam verisimile est.

Cum Hebræi ex Ægypto excessissent, videntur Seniores quibus tyrannis Pharaonum, judiciorum publicorum cognitionem ademerat, ita ut illis amplius non nisi pri-

va-

vatim, imo clam, de rebus quibusdam deliberare liceret, castrensibus atque adeo domesticis rebus impediti a judicio abstinuisse.

Jus igitur a Mose dicebatur, rerumque summa præscribebatur, quæ postea per Seniores & Præfectos populo significabatur.

Atque intermedii istius temporis politia instar Regiæ fuit, sed sub Domino: cum Moses nihil nisi ex ore Domini responderet.

Hic vero jam Civilem politiam Ecclesiasticæ præponimus, quod recens rerum commemoratarum tractatio id postularet.

NOTÆ AD CAPUT QUINTUM.

a Annot. Rerum judicandarum peritiores) שוטרים *judicasse, vix credo; sed, judicata mandasse exequutioni, & populum ad obsequium coegisse. Idcirco passim in sacris literis a senioribus & judicibus distinguuntur: ut Deut.* 16. 18. Jos. 8. 33. *ac alibi. Itaque Rabbi Moses de Cozi recte observat ad Deuter.* 16. . . שפטים הם הריינים הפסקים את הריץ ושוטרים הם הרודים את העם אחר מצותם במקל ורצועה. Judices sunt senatores qui decidunt caussam: at apparitores sunt qui regunt populum, ex illorum præscripto, baculo & loro. *Igitur* שוטרים *sunt ministri magistratuum, quibus sola rerum judicatarum & mandatarum exequutio demandata est.* Officiales *vocantur etiam in Jure Romano. Item* executores *in Digestis & Codice sæpius memorati, non immerito dicerentur: nam magistratus sententiam exequuntur. Quos Græci* ἐκβιβαστὰς *dicunt passim; ut ab* exigendo *judicato*, πράκτορας, (*ut Luc.* 12. 58.) exactores; *& a* cogendo *Aquila & Theodotio non semel in versione Græca veteris testamenti vocaverunt* ἐκβιαστὰς, *quasi dicas*, coactores. *In veteri testamento late sese diffundebat eorum munus, ut non tantum ad caussas in judicio decisas spectaret, sed magistratus nomine alia isti officiales populo intimarent, ut videre est Deuter.* 20. 4. *& seq. nec non Jos.* 1. 10. 11. *&* 3. 2. 3.

CAPUT SEXTUM.

Civilis politia apud montem Sinain usque ad ingressum in Chananæam.

QUum ergo causarum & judiciorum multitudine Moses obrueretur, sequutus Ithronis consilium, quod populo etiam probavit, delegit ex populo quosdam Chiliarchos, id est, qui præessent mille familiis, Centuriones qui centum, Quinquagenarios qui quinquaginta, Decuriones qui decem, & de earum causis minoribus & levioribus cognoscerent.

Plures fuisse Chiliadas in eadem tribu constat ex Jud. 6. 15. & Mich. 5. 1. & 1. Paralip. 12. 20. Et quia Hebræos nostros reliquosque viros doctos admodum occupatos & impeditos video in declaranda istarum Chiliadum, Centuriarum, Pentecostyum, & Decuriarum distributione, visum est hic obiter explicare quænam sit nostra de illis sententia. Ergo ex Josuæ cap. 7. liqueat populum Hebræum distributum primum fuisse in tredecim tribus: tribus illas in Septuaginta gentes, quas Hebræi animas vocant sæpius quam משפחוה quod vulgo exponunt familias: Septuaginta istas gentes in familias, quas Hebræi fere appellant בתים, id est, domos, aliquando גברים, id est, viros seu capita: domos illas in גברים, id est, viros seu capita. Capita vero seu viros hic appellamus qui patresfamilias sint, filiosque, & quam Latini familiam appellant, habent. Chiliarchos, Centuriones, Quinquagenarios, & Decuriones, ut jam subindicavi, non per gentes quæ duntaxat Septuaginta erant, designatos puto: nec per eos qui proprie dicuntur גברים, id est, viri seu capita, quum immenso fere numero futuri essent: sed per בתים, id est, domos seu familias.

Eos Moses appellat passim in suis libris, Capita patrum, Capita tribuum, Principes, Capita millium, & Vocatos cœtus.

In illis præcipui fuerunt tredecim summi principes tredecim tribuum. Unde & illa nomina aliquando vel hi soli habent.

Inde etiam factum est ut hi aliquando soli ad cognitionem aliquam delegarentur. 31. 28. & 34. 17. & Jos. 22. 14.

His Judicibus Moses adjunxit suos Præfectos, vel certe eos ex eorum numero designavit, ut videtur innuere institutio [1] Septuaginta Seniorum.

[1] Num. 11. 16. &c.

Cum vero nec sic quidem majoribus & difficilioribus causis dirimendis Moses sufficeret, Dominum exorat ut adjutores habeat. Dominus igitur Mosi præcipit ut Septuaginta viros deligat ex his Senioribus Israel, quos Seniores populi esse novisset ejusque præfectos, eosque ad Tabernaculi ostium deducat, ut illis Mosis spiritum communicet. Hoc exequitur Moses. Ergo Senatus istiusmodi ut constitit ex Senioribus & Præfectis magis probatis (quippe qui videntur illi fuisse qui jam hoc munus obje-

obierant in Ægypto, ut supra conjecimus) & ad Mosis provinciam levandam comparatis, videtur de gravioribus judiciis cognovisse & de Reipubl. summa ita statuisse, ut haberet etiam suos Præfectos, imo & summum caput ipsum Mosem.

Horum numerum præcisum faciunt quidam Septuaginta duorum, quasi seni descripti fuissent ex duodecim tribubus: ex quibus tamen Moses duos reliquerit in castris, quod Dominus septuaginta duntaxat adduci jussisset. Alii faciunt Septuaginta unius: fortasse quod Judicum numerus impar esse debeat. Atque huic numero vulgo Hebræi subscribunt, qui suum Synhedrion vocant de nomine Septuaginta unius. Hi vero numeri satis commode hoc modo conciliari possunt. Cum enim Dominus diserte Septuaginta ad se aggregari jubeat, verisimile est primum Septuaginta duntaxat fuisse: quibus Moses ad cœtum moderandum additus Septuagesimum primum effecerit: summus vero Sacerdos de jure responsurus, Septuagesimum secundum.

Numerus Septuaginta duorum etiam ex Numerorum 26. sic initus dici potest, ut primum subductis ex numero familiarum iis quæ a primis patribus denominantur, & in earum locum substitutis familiis quæ ab illis præcipuis stirpibus deductæ sunt: ut verbi gratia, expuncto Partsitarum nomine, & in eorum locum substitutis Chetsronitis & Chamulitis, ex duodecim tribubus reliquas supputemus quæ erunt quinquaginta & una: deinde ex Num. 3. 18. item & Exod. 6. 17. octo Levitarum familias seu gentes, ut illæ locis illis accuratissime describuntur, ita ut jam assurgant Hebræorum familiæ seu gentes numero quinquaginta novem: quibus additi dicantur tredecim summi principes 13. tribuum.

59
13
———
72

Et vero census ille 26. Num. niti videatur numero illo septuagenario qui præscribitur Gen. 46. Nam & eadem fere sunt utrobique familiarum seu gentium capita: & si quæ in Numerorum censu omissa sunt, & illis alia substituta, illud inde factum est quod capitum illorum familiæ & cladibus quæ in deserto contigerant, prorsus deletæ essent, & ad retinendum septuagenarium numerum, aliæ illæ subjectæ sint. Quinimo & Num. 26. 46. in illius rei vestigia Moses meminisse videatur Serachæ filiæ Aseris. Sed quia census ille 26. Num. actus est *a* post lectos istos judices, & maximas clades in populo editas: & fortasse ejuscemodi difficultates in ipsorum capitum & familiarum restitutione occurrant quas facile non sit expedire & dissolvere, satius videatur, omisso hoc numero Septuaginta duorum, vel propter illas rationes, quas superiore capite & sub istius initium commemoravimus, alterum numerum, nempe Septuagenarium amplecti atque recurrere ad Gen. 46.[1] quo loco melius ac certius numerus ille constabit. Sic igitur inde numerus hic Septuagenarius iniri potest, ut loco Jacobi & duodecim filiorum ejus assumantur tredecim summi principes tredecim tribuum, deinde ex unaquaque nepotum ipsius Jacobi illic denominatorum familia aliquis unus desumtus dicatur. In locum Dinæ filiæ Jacobi, & Serachæ filiæ Aseris substituti dici possunt aliqui ex posteris aliorum capitum: vel certe duæ illæ per se caput fecisse duarum familiarum quæ sint vel ab ipsis in rei ipsius memoriam, vel ab ipsarum maritis denominatæ, sicut filiabus [2] Tselophchad accidisse oportet: utpote quæ in paternam hæreditatem deficientibus fratribus successerint. Porro ad supplendnm numerum horum capitum, his qui moriebantur absque posteris verisimile est substitutos semper fuisse aliquos ex proximis.

[1] Gen. 46. 8. &c.

[2] Num. 27. 1. &c.

Ergo ut ad rem redeamus, de causis levioribus cognoscebant primum Chiliarchi, Centuriones, Quinquagenarii, & Decuriones una cum suis Præfectis, quisque in sua Chiliade, Centuria, Pentecosti seu Quingnagenaria, & Decuria: deinde siquid gravioris negotii suboriretur, res tota ad Septuaginta eorumque Præfectos referebatur.

Hi ut plurimum præsente Mose de rebus decernebant. Imo & ipse Moses aliquando solus de rebus gravissimis ex Dei responsis statuebat.

Peculiares isti Senatorum cœtus, cum Chiliarchorum, Centurionum, Quiquagenariorum & Decurionum una cum suis Præfectis, tum ipsorum Septuaginta Seniorum vocantur proprie עדה id est, Cœtus statis horis & locis aggregari solitus: atque etiam הזקנים id est, Seniores: imo & שופטים Judices. Hic ergo duplicem עדה seu הזקנים & שופטים constituimus Septuaginta videlicet, deinde & Chiliarchorum, Centurionum, Quinquagenariorum, & Decurionum. Atque sic Aben-Hezra, Num. 16. 25. putat ipsos Septuaginta nomine Seniorum intelligi, item & nomine כל העדה, id est, Universi cœtus, Num. 27. 21. quod disertius exprimit R. Schelomoh. Sic certe

nomen

nomen עדה id eſt, Cœtus de Septuaginta Senioribus, vel de Chiliarchis, Centurionibus, &c. accipiendum videtur Num. 15, 24. &c. ut locum illum concilies cum Levit. 4. 13. Et certe ſacrificiorum diverſitas diverſam peccati ſpeciem arguit. Vide & infra ad cap. 8. ubi hiſtoriam expeditionis adverſus Beniamitas ſuſceptæ tractabimus. Chiliarchos, Centuriones, &c. de illis nominibus appellatos eſſe conſtat ex Nume. 25. 7. & 35. 12. &c. ac Joſuæ 20. 4. &c. & aliis locis. Univerſalis autem civium cœtus, id eſt, illi omnes qui ingrediebantur קהל יהוה. id eſt, agmen [3] Jehovæ, hoc eſt omnes illi qui ita jure populi Iſraelitici donati fuerant, ut in populo Dei cenſeri poſſent, ſimul aggregati vocabantur קהל, id eſt, agmen, aut etiam כל עדת ישראל, id eſt, univerſus cœtus Iſraelis, aliquando etiam ſimpliciter עדה, id eſt, cœtus: aliquando & כל עדה, id eſt, univerſus cœtus [4].

Cæterum quemadmodum iſti Senatorum cœtus vel ſeorſum aggregati, vel etiam ſimul, ſed abſentibus populi Iſraelitici omnibus civibus populum ipſum ſemper repræſentabant, ita & vocantur aliquando קהל, id eſt, agmen, & כל קהל ישראל, id eſt univerſum agmen Iſraelis, item & כל עדת ישראל, id eſt univerſus cœtus Iſrael, imo & כל העם Univerſus [5] populus. Vide infra ſub finem capitis 11.

Hæc autem politia eodem modo temperata videtur, quo dicitur Lacedæmonum illa perfectiſſima, ita ut Moſes Regiam quodammodo poteſtatem habuerit, ſub Dei tamen veri tunc & unici Iſraelitarum Regis, auſpiciis. Septuaginta vero Chiliarchi, Centuriones, Quinquagenarii, & Decuriones Ariſtocraticam: Cives autem qui קהל, id eſt, agmen conficiebant, Democraticam.

Leges ex quarum præſcripto jus dicebatur Judæis, fuſiſſime a Moſe deſcribuntur. Eas ſi quis digerere velit, commodiſſime præſtare illud poterit, ſi ſequatur decem ſumma ipſa præcepta, quæ reliquarum legum fontem vocare poſſis.

[3] Deu. 23. 3. & alias.

[4] Exo. 12. 6. & 3. & alias. Exo. 12. 19. & alias. Lev. 24. 14. & alias.

[5] 1. Chron. 13. 2. & 4. & 29. 1. 1. Reg. 8. 5. & 2. Chro. 5. 5. & 1. Chro. 13. 4.

NOTÆ AD CAPUT SEXTUM.

a Annot. Poſt lectos iſtos judices, & maximas clades.) *Hæc non impediunt, quominus ex numero familiarum, quarum Num. 26. fit mentio, ſeptuagenarius judicum numerus ineatur. Quamvis enim cenſus ille Num. 26. actus ſit, poſtquam lecti fuere* LXX. *judices, & poſt varias populi clades: num inde conſequitur, familias eaſdem (quæ ex nominibus patriarcharum, qui cum Jacobo in Ægyptum deſcenderunt, ferme nominantur) non fuiſſe, quæ ante fuerunt? Fateor, plurimos, ex Dei ſententia in peccatores lata, in deſerto obiiſſe: verum id fieri potuit, manentibus iiſdem gentibus ac familiis, quæ in poſteris continuantur. At, nonnullam in familiarum numero mutationem accidiſſe, inter initia commorationis Iſraelitarum in Ægypto, & recenſionem Num. 26. factam, comparatio capitis 46. Geneſ. cum dicto capite Num. evincit. Confer tantum capita familiarum in Benjaminis tribu: quæ cap. 46. Gen. ſunt decem, quum ex iis nonniſi familias ſeptem enumeret Moſes Num. 26. Quin etiam, quæ hoc capite recenſentur familiarum capita in Ephraimi & Menaſſis poſteris, non commemorantur Gen. 46. quia in Geneſi eorum imprimis ratio habetur, qui in Ægyptum deſcenderunt, non vero ibidem poſtea naſcebantur. At, ſi quæras, cur in familiarum recenſione nepotes Joſephi, imo pronepotes & abnepotes, familiarum authores habeantur; quod in aliis patriarchis non obſervatur: id conſiderandum, duos Joſephi filios, Ephraimum & Menaſſem, ut tribuum authores ſpectari, & Jacobi filios cenſeri; imo eorum liberos cenſeri filios Joſephi. Quapropter, ſicut in reliquis duodecim patriarchis familiæ demum a filiis, quandoque etiam nepotibus, denominantur, atque idcirco memorantur Num. 26. pariter nepotes, imo etiam pronepotes & abnepotes Joſephi: qui ut Ephraimo & Menaſſi, ſic etiam Joſepho, adſcribebantur Gen. 48. 5. 6. Quo loco placent Abrabanielis verba:* לך יהיו רוצה לומר לא יהיו במדרגת בני אלא כמדרגת בני בני כי הנה אפרים ומנשה יהיו כראובן ושמעון אבל שאר אחיהם יהיו במדרגת בני בנים. Tui erunt. Hoc vult; Non erunt in gradu filiorum meorum, ſed loco nepotum meorum. Nam ecce, Ephraim & Menaſſe, erunt ſicuti Ruben & Simeon: ſed reliqui eorum fratres, erunt loco nepotum. *Et paullo poſt:* גם בזה הועילה ברכת יעקב ליוסף שאפילו בני שלשים ליוסף היו ראשי משפחות ומכח זה המאמר. Etiam in eo profuit Jacobi benedictio Joſepho, quod etiam filii tertiæ generationis Joſephi, fuerint capita familiarum, idque vi dicti iſtius. *Deinde addit in* verſ. 6. לא בלבד נאמר על שאר בני יוסף כי אם על כל תולדותיהם. Non tantum dicitur de reliquis filiis Joſephi; ſed etiam de omnibus eorum poſteris. *Tandem ſubjicit,* ואולי שלזה נאמר וירא יוסף לאפרים בני שלשים כדי להודיע שמכח ברכת אביו זכה לזה כי אלה הן התולדות שהוליד אחריהם. Et fortaſſis ideo dicitur (*Gen.* 50. 23.) Et vidit Joſeph ab Ephraimo abnepotes: quo ſignificetur, vi benedictionis paternæ id obtinuiſſe: quum iſti ſint, quos poſtea generaret. *Omnia hæc illuſtrant, quæ de poſteris Joſephi diſputari poſſent: quod filii poſteriores capita familiarum habeantur.* Num. 26. *quum in aliis Jacobi poſteris iſta dignitas profectis cum Jacobo in Ægyptum tantummodo tribuatur, nec ad gradum extendatur ulteriorem. Porro quoniam author noſter de familiarum numero hic agit, quibus terra Chanaan diſtributa fuit; non inconcinne ex antiquis authoribus Talmudicis difficultates quædam huc pertinentes expediri per occaſionem poſſent. Verum adeant lectores Clar. Seldenum de ſucceſſione Hebræorum: ubi, cap. 19. & 20. fuſe materiam iſtam pertractat.*

CAPUT SEPTIMUM.

Politia Ecclesiastica apud montem Sinain usque ad ingressum in Chananæam.

POlitia Ecclesiastica quæ ad montem Sinain ab ipso Deo tradita est, habet Levitas ipsos in genere, & in illis Sacerdotes primum, deinde & reliquos Levitas.

In sacerdotibus erat Summus quidam.

Erant & Secundaris: omnes videlicet alii a summo Sacerdote.

In Secundariis duo maxime fuerunt illustres. Unus erat totius ordinis Levitici, atque adeo Principum cujusque familiæ Leviticæ caput quoddam, qui in Levitarum præcipuorum (quales erant Kehathitæ) provinciam intentus erat. Erat & hujus Legatus qui in inferiorum Levitarum provinciam & diligentiam inquirebat.

Summi sacerdotis erat semel in anno Adytum Sanctuarii ingredi, respondere de Dei voluntate indutum ipso Ephode. Atque ejuscemodi fuit Aharon.

Capitis & ducis Levitarum erat inspicere & inquirere in Levitarum diligentiam in obeundis muneribus, [1] sed præsertim Sacerdotum reliquorum & Kehathitarum, curare oleum Luminarium, suffitum aromatum, Mincham jugem, & oleum unctionis. Atque ejuscemodi fuit Eleazar vivente Aharone. Legati illius erat inspicere & inquirere in munus [2] Gersonitarum & Meraritarum. Ejuscemodi vero fuit Ithamar.

[1] Num. 3. 32. & 4. 16.

[2] Num. 4. 28. & 33.

Atque duo isti inter alios secundarios magis illustres ex hoc etiam eorum insigni munere, ita ad Ædis sacræ curationem cum summo ipso sacerdote conjunguntur, ut una cum eo Duces Ædis sacræ dicantur. Vide quæ infra cap. 15. notabimus, ad Josuæ tempora, item & cap. 18. sub initium.

Commune omnibus sacerdotibus officium erat docere, precari, & offerre, ac proinde sanctuarii vasa adornare & instruere.

Docendi munus vel nudam verbi Dei explicationem spectabat, vel conjunctam etiam cum Jurisdictione.

Jurisdictio vel nudas reprehensiones, vel eas conjunctas cum Legis Sanctione.

Legis Sanctio triplex ex legis ipsius interpretatione a veteribus Rabbinis derivata est, longe ante Legem Patribus probata, & postea ab Apostolis rata habita.

Prima est *a* נדוי Aversatio, Amolitio & Amandatio: quando videlicet Sacerdotes aliquem immundum tanquam abominandum aliquid & detestandum aversabantur, amoliebantur & amandabant ab hominum contubernio, atque adeo ab ipsius Tabernaculi aditu, ad tempus a Lege præscriptum. Quinetiam inde aliquis ultro ex hac Aversatione & Amolitione, quam lege ipsa sibi denuntiatam agnosceret, exulare debuit, ubi se immundum nosset, toto illo tempore quod a Lege præscribebatur.

Hujuscemodi autem erant omnes immundi ex Legis præscripto quoquo modo immundi, & ad quodcunque tempus, vel etiam lepra illa, de qua in Lege, infecti.

Secunda est חרם Devotio extremo cuidam exitio, Excommunicatio: quando videlicet aliquis excindi dicebatur ex populo suo, & in eo amplius non censeri (ut jam supra exposuimus) ex majore aliquo delicto, atque hoc puto esse *ἀποσυνάγωγον* fieri.

Tertia est שמתא vel שמתא Adjudicatio ad mortem æternam, Anathema: quando videlicet aliquis antea excommunicatus non resipiscebat, vel etiam sese adversus admonitiones obfirmabat, ut manifeste de ejus salute desperaretur, ut & jam supra attigimus.

Primæ illi speciei respondet quod in Ecclesiis nostris vocamus prohibitionem seu suspensionem a Sacramentis: secundæ Excommunicatio publice facta: tertiæ Anathema, cujus ut non ita semper nota est nobis ratio, usus est etiam rarissimus. Huic postremo Anathemati devotus est ab universa Ecclesia Imperator ille Romanus, Julianus Apostata: ita ut postea preces non pro eo, sed adversus eum conciperentur. atque hinc fit ut huic Anathematis generi devotus videatur a Paulo [3] Alexander ille faber ærarius: item & illi qui Galatarum Ecclesiam interturbabant [4].

Mediæ speciei exemplum exstat in Corinthio [5] illo incesto: item & in [6] Hymenæo & Phileto: item & in Imperatore Romano, Theodosio.

[3] 2. Tim. 4. 14.

[4] Gal. 5. 12.

[5] 1. Cor. 5. 3.

[6] 2. Tim. 2. 17. &c.

Primæ tribuo quod scribit Paulus 1. Corinth. 5. 9. item & 2. Thes. 3. 6. & quod vulgo in Canonibus Ecclesiasticis veteris Ecclesiæ dicitur *ἀφορισμός*.

Levitarum erat stante Tabernaculo videre nequis impurus aut etiam alio quovis modo indignus, in illud ingrederetur: item & Sacerdotibus adesse ad eos juvandos in aqua lignisque asportandis ad Tebernaculum, & in decimis recipiendis.

Ubi deportandum erat Tabernaculum, quæ esset.

Gersonitarum provincia, & onus, item & Kehatitharum, item & Meraritarum, susissime describitur Num. 3. 25. &c. item & 4. 4. &c.

Leges vero ex quarum præscripto hæc omnia gerebantur & administrabantur, exstant sparsæ per libros Mosis, ad Decem itidem præcepta revocandæ.

Denique hic locus postulare videretur ut aliquid de sacrificiorum Mosaicorum generibus & ritibus diceremus: sed quia illa non nisi pluribus pertractari possunt, ea in alium tractatum rejicimus.

NOTÆ AD CAPUT SEPTIMUM.

a *Quæ hoc loco de* נדוי חרם, *&* שמתא *dicuntur; puta, differentiam inter ista in gravitate consistere, secundum primo, & tertium secundo, esse gravius; ita intelligenda sunt, ut, quum excommunicationis gradus diversi appareant, istis nominibus non incommode distinguantur. Alioqui e vetustissimis magistrorum scriptis id constat,* נדוי *&* שמתא *generalia esse nomina, eaque* ἰσοδυνάμενα, *id est, ejusdem valoris. Quod radices quoque innuunt: quia* נדה, *unde* נדוי, rejicere, arcere, *&* שחת, *quantum ex Arabica lingua, ubi radix adhuc remanet*, despicere, *imo* vituperare, fœdum facere; *ut interpretatur magister Erpenius, ad Proverb. 56. lib. 1., a se editi:* لَا تُظْهِرِ الشَّمَاتَ بِأَخِيكَ Ne manifestes opprobrium fratris tui. *Hinc Talmudistæ suum* שמת *desumserunt: quo ignominiosam ejectionem e cœtu suo exprimere solent. Quamvis id ignoraverit Rabh, qui, de* שמתא *interrogatus quid esset, respondisse fertur Cod. Talm.* מועד קטן, *sive de diebus intermediis inter primum & octavum diem festum,* שם מיתה, ibi mors. *Samuel vero,* שממה יהיה vastationi erit. *Porro complura sunt loca Talmudica, unde non immerito concludas,* נדה *&* שמת *non differre. Legantur, quæ hac de re eruditissimus Seldenus observavit, lib. 4. cap. 8. de jure naturali & gentium. Nihilo-minus distinctio trium vocum, quam pluribus expressit Bertramus noster, a Talmudistis non rejicitur: quum ipsi hanc gradationem non uno loco admittant, cujus ille hic rationem explicat.* נדוי *a* חרם, *ut graviori, dispescit Maimonides in Thalmud Thora, cap. 7. §. 2.* ביצד הוא הנדוי אומר פלוני יהיה בשמתא והחרם אומר לו פלוני מוחרם וארור בו אלה בו שבועה בו נדוי. Quomodo se habet aversatio? Ait, (*qui excommunicat,*) Iste N. versabitur in aversatione. (*id est, aversabuntur ipsum.*) Et (*quomodo se habet*) anathema? Dicit ei, Iste N. devotus erit (*vel,* esto) & maledictus: in eo residebit execratio, in eodem adjuratio, in ipso aversatio. *An hoc posterius in eum quadrat, cui invito ceremonialis quædam impuritas accidit? Cujusmodi tamen sub* נדוי *fuisse, ostendi cod. Middoth, ad capitis 2. paragraphi 2. verba* שאני מנודה quia ego rejicior, *scilicet, per* נדוי, *sunt verba cujusdam secus in templo incedentis quam mos ferret, quia erat contaminatus. Atque* שמתא *gravissimam quandoque excommunicationem designare, non tantum ostendit istud epitheton* Adonai, *id est,* Dei, (*quo exaggerare rem Hebræi solent,*) *in Chaldaica paraphrasi: cujus nonnulla exempla clariss. & eruditiss. Buxtorfius in Lexico Talmudico congessit, (ut, Num. 21. 25.* ומחוהי ישראל בשמתא דיי. Et percussit eum Israel per schamatha Dei, *qua ratione, internecioni gravissimum anathema additum, Chaldæus innuisse videtur.) Sed etiam id confirmari Rabbi Salomonis glossa ad citatum antea locum e* Moed Katon, *non sine gravi caussa quis dixerit. Verba ejus aperta hæc sunt, ad illam comparationem Gemaræ, qua* Schamatha *contulerat cum* טיחא בתנור, adipe clibani: כשומן שטוחין את התנור ונבלע בתוכו שאין יוצא לעולם כלומר מכולכל מכולכל ומאן דמשמתינן ליה דלא נפקא (legendum) מיניה לעולם. Tanquam pinguedo, qua illinunt fornacem, in cujus medio absorbetur, quia in æternum non exit, quasi dicas; in totum consumitur is quem per schamatha devovemus, quia inde non evadit in æternum. *Atqui per* נדוי *&* חרם *qui rejecti fuere, recipi posse ostendit Maimonides, loco antea producto, sequenti illic paragrapho. Ergo* שמתא, *quamvis non ita frequenter, tamen subinde, gravissimam excommunicationem denotare, ex ista comparatione, & verbis Salomonis Jarchi, ubi, quod maxime horrendum est, enarrat, admodum est verisimile. Ulterius, expendamus leves quasdam caussas* נדוי, aversationis, *apud Maimonidem cap. 6. Talm. Thor.* quæ נדוי, aversatio, *post dies triginta, nisi pœnitentia interveniat, in* חרם, anathema, *mutatur. Sane, in istis omnibus locum habere nequit, quod Gemara, & Glossa marginalis, de studioso sapientiæ statuunt, cod. de Paschate, f. 52. col. 1. graviorem esse excommunicationem* schamatha, *quam sit flagellatio; ideoque eum ad hanc pœnam condemnari; non vero isto modo e cœtu proscribi. Num gravior est aversatio quævis, ob levem quoque culpam fieri solita, ipsa flagellatione studiosi legis divinæ? Et, quamvis* חרם, anathema, *late sumatur non raro; an illa formula horrenda, quam Cl. Buxtorfius ex manuscripto habet ad rad.* חרם *in Lexico Talmudico, alii competit, quam ultima excommunicatione* schamata *devoto? Quocirca, uti nec nostrum Bertramum, ita nec Eliam absolute rejicere queo, qui in hæc verba loquitur:* שלשה מיני חרמות הן נדוי חרם ושמתא ונדוי הוא הרחוק ואם לא היה שבהיו מחרימים אותו ואם לא היה שבהיו משמתים אותו. Tres erant species excommunicationis: aversatio, anathema, & extrema devotio. Aversatio, est ejectio. Quod si non convertatur, anathemate feriunt ipsum. Et, si nec tum resipiscat, eumdem devovent.

CAPUT OCTAVUM.

Politia civilis sub Josua.

Atque hic aggredimur Civilem Hebræorum politiam seorsum pertractare, eodem contextu Ecclesiasticam postea subjuncturi, & certe tempore quo Josuas bella adversus Chananæos gessit, durasse videtur ordo ille qui a Mose observatus fuerat.

Josuas igitur ita Mosis [1] provinciam obiit, ut per Præfectos præciperet populo curarent viatici quantum sufficeret ad Jordanem intra tres dies trajiciendum: deinde Rubenitas, Gaditas, mediosque Menassitas ad officium præstandum fratribus, (id est reliquis aliis tribubus) quale Mosi promiserant. Postea designavit speculatores ituros Jeri-

[1] Jos. 1. 10. &c.

Jerichuntem, præscripsit sacerdotibus & reliquo populo quid ad Jordanem faciendum esset, populum circumcidit, Sacerdotibus populoque ex Dei mandato præscripsit quomodo Jericho expugnanda esset. Ea expugnata speculatores misit adversus Hain, ex clade accepta, sorte (Deo monente) deprehendit quis in interdicto fuisset prævaricatus, eum ad peccati agnitionem interposito Dei nomine adduxit. Hain expugnavit, Deo altare ædificandum ad montem Hebalem, ibique holocausta & pacifica offerenda curavit, & Lege publice lecta coram omnibus, benedictiones & maledictiones pronuntiandas.

Quin etiam cum Gabaonitæ in Israelitarum castra venissent, dicuntur cum Josua inconsulto Domino fœdus iniisse, & eo authore summi principes cœtus, tredecim videlicet, vel certe ipsi Septuaginta fœderis jusjurandum concepisse, ex cujus jurisjurandi religione eos a populi furore ipse Josuas liberavit, lixasque ac calones ejuscemodi constituit, qui sacri altaris cultui totius cœtus nomine operam darent, lignaque & aquam in quotidianum rerum sacrarum usum subministrarent. Ex quo intelligitur cœtum illum ex præcipuis senioribus compositum nomine totius populi agere potuisse.

Josuas denique ex Mosis præscripto terram dispertitus est.

CAPUT NONUM.

Civilis politia Hebræorum jam missorum in possessionem Chananææ usque ad exilium Babylonicum: & primum quidem sub Judicibus.

Certum est Hebræos jam missos in possessionem terræ Chanaan, non solum ea observasse quorum usum una cum præceptis a Mose acceperant: sed & ea etiam quorum præcepta duntaxat habuerant: usum vero nullum propter deserti incommoditatem, ad praxim revocassent.

Præcepta quæ ad eam politiam spectare videntur, continentur Deut. *16.* vers. 18. 19. & 20. & totis cap. 17. 18. & 19. atque aliquot locis Exod. & Numerorum atque adeo ipsius Levitici.

Civilem ergo suam politiam ita exegerunt ad capita illa, ut unaquæque civitas suos haberet Seniores seu Senatum suum constantem ex Chiliarchis, Centurionibus, Quinquagenariis, Decurionibus & Præfectis.

Quot fuerint in unaquaque civitate Seniores non plane constat, nisi conjectura hæc valere debeat, tot fuisse, quot erant in quaque civitate Chiliarchi, Centuriones, Quinquagenarii & Decuriones.

Josephus lib. 4. Antiq. Jud. cap. *6.* septenarium numerum horum Judicum præscribit, quod fortasse sui temporis rationem habuerit.

a Talmudistæ quidam ut inferiora judicia in pecuniaria & capitalia dividunt, pecuniariis tres judices præficiunt, capitalibus viginti tres. Sed & de his infra fusius agemus.

Josephus ibidem, septenario illi Judicum numero duos ὑπηρέτας, id est, Præfectos quales definivimus, Levitas adscribit.

Et certe ex his quæ a Davide & Josaphato gesta sunt in restituendis judiciis, verisimile est Præfectos judicibus assedisse Levitas, sed de numero non ita constat, nisi ex illis Talmudistarum traditionibus dixerimus, videri fuisse tres Levitas, qui primum ita de causis pecuniariis cognoscerent, vel certe duos Levitas cum aliquo uno ex loci seu urbis Senioribus, qui inter alios emineret, ita ut στράτηγος seu Prætor diceretur: atque hi postea adjuncti viginti Senioribus de causis capitalibus statuerent.

Certe ex 4. capite libri Ruthæ versu 2. videntur plures Seniores fuisse quam septem, cum dicatur Boazus assumsisse decem ex Senioribus urbis Bethlehemæ qui de causa redemtionis & levirationis cognoscerent.

Prorsus est extra controversiam judices municipales cujusque civitatis, ut vocantur Seniores, fuisse Chiliarchos, Centuriones, Quinquagenarios & Decuriones, tot quot esse poterant in quaque civitate, ita ut ex illis etiam Levitæ quidam in Præfectos assumerentur, si modo in ea aliquot erant Levitæ: sin minus ex proxima urbe Levitis assignata advocabantur.

In qualibet tribu suum fuisse summum & præcipuum ducem satis constat, qui in sua civitate etiam ex Chiliarchis esset.

Summus præterea fuit in toto, & ex toto populo Senatus, qui constabat ex septuaginta Senioribus ita lectis ut ratio temporis ferre potuit. Nam ante secessionem decem

decem tribuum verisimile est lectos fuisse ex familiis illis Septuaginta illorum qui in Ægyptum ex Chananæa descenderant, & ex his quæ in earum locum substitutæ fuerant, ut suo loco diximus.

Quinetiam ut res postulavit, omnium tribuum patresfamilias ad solemnes conventus coierunt.

Ergo ut ad Josuæ tempora redeamus videtur optime Josuas ex Legis Mosaicæ præscripto constituisse judicia ex his quæ scribuntur Jos. 23. 2. & 24. 1. Ibi enim ubi de solemnibus conventibus agitur, primum omnes tribus Israelitarum, seu omnes Israelitæ, hoc est patresfamilias omnes omnium tribuum, qui vel civitatis jure donati fuerant, vel cives etiam erant, ponuntur : deinde Seniores, hoc est, Septuaginta: postea capita Israelis, hoc est, tredecim tribuum summi tredecim duces. Postremo Judices & Præfecti, hoc est, cujuslibet civitatis Judices ordinarii, qui ex Chiliarchis, Centurionibus, Quinquagenariis, Decurionibus & Præfectis cujuslibet civitatis constabant.

Post mortem Josuæ videtur durasse civilis ista politia, præsertim quo tempore Seniores illi superstites fuerunt, qui opera Dei in ipso deserto viderant, ex quorum numero fuisse videtur Phinees, cujus ætate gestum est bellum adversus Benjamitas.

Ergo ejus tempore dicuntur ita convenisse omnes Israelitarum tribus ad Mitspam, ut cives præcipui a suis Chiliarchis, Centurionibus &c. prius admoniti & aggregati ad קהל, id est, agmen seu universalem civium cœtum, bellum Benjamitis inferendum concluserint, illudque terminarint, itaque solenni jurejurando promiserint se Benjamitis filias non elocaturos.

Illi iidem omnes cives de restituenda tribu Benjamitica agunt.

At עדה, id est, Chiliarchi omnes, Centuriones, Quinquagenarii, Decuriones, & Præfecti, bellum adversus Jabesitas decernunt, & in eam expeditionem mittunt, 12000. milites. Seniores autem, id est, altera עדה, nimirum Septuaginta, inito bello illo, consilium dant de rapiendis virginibus Siloitarum.

Cœtu autem illo significari illos Septuaginta Seniores apparet ex eo, quod subjiciunt se pacaturos Siloitas, si quando apud se de illo raptu Siloitæ Benjamitas appellent.

Igitur totius illius historiæ, quod attinet ad hoc nostrum institutum, ea videtur series fuisse : Levita secundariæ suæ uxoris frusta duodecim ad omnes duodecim tribuum fines & regiones seu urbes mittit. Cujusque tribus atque adeo urbis Seniores seu Judices, hoc est, Chiliarchi, Centuriones, Quinquagenarii & Decuriones, consilium super hac re ad suos cives & contribules referunt. Ex composito universale consilium indicitur ad Mitspam, ad quod omnes tribus Israel quæ ibi vocantur anguli populi, id est, Satrapiæ & Tribus, &c. exceptis Jabesitis, se sistunt. Adsunt ergo Israelitarum satrapiæ, quæ tribus alias dicuntur, ad קהל, id est, agmen seu concionem universalem populi Dei ad 400000. In concione illa generali rem narrat Levita. Re audita populus decernit legationem ad omnes familias seu pagos Benjamitarum, ut sceleris authores dedant. Benjamitæ se potius ad bellum comparant. Israelitæ jusjurandum concipiunt de non elocandis filiabus apud Benjamitas, futurumque bellum ita disponunt, ut sorte Chiliarchum unum ex decem millibus selegant, centum ex mille, & decem ex centum, qui rei frumentariæ curam habeant. Consilium a Deo petunt Silunte, quæ tribus prima pugnatura esset. Respondet Dominus, tribum Jehudæ hoc præstituram. Bello finito populus rursum convenit apud Dominum: pœnitet eum jurisjurandi. Lustrato exercitu nullus ex Jabesitis Benjamitico bello interfuisse deprehenditur.

עדה, id est, Cœtus, hoc est, Chiliarchi, Centuriones, &c. adversus Jabesitas bellum decernit, & adversus eos 12000. virorum mittit. Redeunt illi victores, adducuntque puellas virgines ex Jabesitis 400. Sed cum hæ non sufficerent Benjamitis, populum adhuc magis pœnitet dissipatæ illius tribus. Eodem ipso tempore Septuaginta decernunt Siloiticarum virginum raptum. Verisimile enim non est Chiliarchos, Centuriones, &c. Siloitarum hoc decretum passos fuisse, si adfuissent.

Sub finem illius historiæ subjungitur hæc ita evenisse, quod nullus esset מלך, id est, rex quem revererentur Israelitæ, & ad quem confugerent, vel privatim, vel publice læsi. Regis autem nomine intelligi videtur Gubernator & dux quilibet: qualis fuerat Moses, qualis etiam fuerat Josuas, quales denique fuerunt Judices, qui postea excitati sunt. Atque eo sensu sumitur Deuter. 33. 5. Vult ergo Scriptura indicare non fuisse ullum aliquem ducem illis temporibus qui Hebræis omnibus imperaret, eosque in ordinem cogeret, & moneret officii, sicut Moses & Josuas fecerant, quemque Hebræi omnes audirent, & cui parerent : denique qui omnes tribus in of-

ficio

ficio contineret, ita ut vim publice illatam vindicaret; scortationesque & idololatrias puniret. Unde factum esset ut potius quæque tribus, imo & urbes quæque, quin etiam privati quique ubique multa patrarent dictu horrenda, quæ publice non vindicarentur.

Conciderat nimirum maxima ex parte facies illa elegantissima Sanctæ Reipublicæ, quæ emicuerat temporibus Mosis & Josuæ: ita tamen ut non prorsus exstincta esset. Remanserunt enim in unaquaque civitate sui judices & Seniores, nimirum Chiliarchi, Centuriones, &c. ut apparet ex Jud. 9. 6. ubi fit mentio כל-בעלי שכם וכל-בית מלוא omnium dominorum (Gallice *Seigneurs*) Sechemi & totius familiæ Miluntis, hoc est, principum civitatis qui eam regebant, & universi cœtus civium (ita enim interpretor בית מלוא) Sichemitarum, & ex capite 10. vers. 18. ubi dicitur universus populus, id est, omnes cives & capita familiarum ipsius Ghilhadis, una, & Principes Ghilhadis, quisque proximo suo, &c. Capite 11. 5. illi iidem principes dicuntur Seniores Ghilhadis. Sicut & cap. 8. 14. iidem videntur dici Principes & Seniores Succotharum. Atque hæc melius etiam constant ex Ruthæ 4.

Principes istiusmodi seu Seniores ita populo blandiebantur, ut multa officii sui prætermitterent: quod satis apparet ex tota historia Judicum, ex qua constat Dominum ita populi idololatriis offensum fuisse, ut populum sæpius admonuerit per Prophetas, deinde etiam correxerit per Chananæos.

Dum Chananæi Hebræis dominarentur, videntur duntaxat rerum summam, & summum quod vocant imperium, in Hebræos habuisse: ita ut Chananæi imperio summo seu potius tyrannico, & tributis essent contenti: politiam vero reliquam Hebræis relinquerent, tanquam municipale jus.

Cum Chananæorum tyrannide opprimerentur Hebræi, dicuntur ad Dominum clamasse, qui illis Judices excitaverit.

Judices istiusmodi quasi miraculo quodam a Deo ipso legebantur & excitabantur, ut populum in pristinam suam libertatem assererent, & quasi dictatores quidam Hebræorum essent, ita perpetui, ut præcipue de conservanda populi libertate cognoscerent & decernerent, eique quæ gerenda essent, præscriberent, ut Judicandi verbum interpretari videtur Josephus Antiq. Jud. 13. 2. & 3. Vide & infra cap. 13. ad tempora Jonathæ Maccabæi.

Tempore igitur belli, authoritate valebant maxime, ita ut post dimissos milites privati viverent, ut apparet ex bello adversus Jephtam ab Ephraimitis gesto: quod cum finitum esset, nusquam legimus Jephtam sibi jus ordinarium attribuisse in reliquum populum: quamvis ille tale aliquod jus sibi stipulari a suis popularibus visus fuisset. Imo etiam Gedeon cum populum liberasset, oblatam sibi potestatem Regiam repudiavit, & prædam ex populi manibus recepit. Quod autem de Achimelecho narratur, prorsus tyrannicum fuit, neque communi Israelitarum consensu comprobatum.

Nonnunquam etiam de politicis rebus consulebantur, quarum videlicet decisio difficilis esset. Unde populus dicitur accurrisse ad Deboram judicii ergo. Hinc fit ut judices dici potuerint per Antonomasiam, quod de gravioribus & difficilioribus rebus judicarent, & de rerum summa decernerent, tanquam summi & supremi magistratus, quique summum illud imperium quod Chananæi usurpassent, sibi assererent: saltem cum ipsis Septuaginta, quorum cœtum & actiones dirigebant.

In illis Judicibus, præsertim posterioribus, quamplurima semper desiderata sunt, ita ut res paulatim in pejus ruerent. Satis enim se suum fecisse officium putabant, si populum in pristinam libertatem assererent, de Judiciis parum solliciti fuerunt.

Cum igitur satis diu jacuissent judicia, restitui [1] cœperunt a Samuele. Dicitur enim domi suæ in Rama judicasse Israelem, imo & singulis annis circuisse Bethelem, Ghilgalem, & Mitspam, hoc est, Chananæam, quotannis obeundo tribus illis locis solemnes, immo & juridicos conventus indixisse atque habuisse, & illis locis judicia dictasse Israeli, atque Israelitarum cuique jus dixisse ac de jure respondisse.

[1] 1. Sam. 7. 15. &c.

Cum autem consenuisset Samuel, nec posset amplius judiciis exercendis eo modo quo cœperat, sufficere, id est, peragrandis illis regionibus, expertus illud summi esse laboris, filios suos duos ita judiciis præficit, ut una cum illis etiam jus redderet. Ipse igitur Samuel in Rama domi suæ manebat, ibi de judiciis responsurus illis, qui eum consulebant. Suos vero filios dicitur statuisse Beersebahi, ut ibi etiam jus dicerent. Videtur videlicet bipertito Judæam seu Chananæam distribuisse, ita ut causæ eorum qui habitabant a Dane ad montem Ephraimiticæ tribus usque, apud Ramam ad ipsum Samuelem referrentur. De aliis vero a monte Ephraimiticæ tribus ad Beersebahum ipsius filii cognoscerent.

Cæterum cum filii Samuelis judicia perverterent, corrupti sordidi ac turpis lucri cupi-

cupiditate, Seniores, id eſt, Chiliarchi, Centuriones, &c. hoc eſt, inferiores omnes judices, ad Samuelem convenerunt, rogaturi ut illis regem talem crearet, qualem habebant reliquæ gentes: poſtquam jam illi per ſenectutem non liceret munus judicis obire, ejuſque filii ejus viam non inſiſterent. Regem enim ſe poſtulare qui populi cauſas judicaret, ejuſque prælia moderaretur.

Samuel hanc rem ægerrime ferens ad Dominum retulit, qui Prophetam ſuum conſolatur, populumque ab hoc inſtituto dehortari jubet, propoſito Regis jure plane tyrannico.

Ubi vero populus pertinaciter obfirmaſſet ſe in petendo rege, Propheta ex Dei juſſu regem deſignat Saulem.

Atque ſuperioris temporis Judicum, duplex videtur fuiſſe politia: mixta videlicet illa quæ lege Moſaica delineatur, quamdiu ſui juris fuerunt ipſi Iſraelitæ: deinde Tyrannica, quamdiu Chananæis ſerviverunt, ita tamen ut Ariſtocraticum quoddam jus, non tamen prorſus liberum habuerint.

NOTÆ AD CAPUT NONUM.

a Annot. Talmudiſtæ &c.) *Id quidem verum eſt; uti codice* Sanhedrin *non ſemel occurrit. Unde eorum verba, cum alibi, tum c.* 1. §. 1. דיני ממונות בשלשה יהיו. Judicia pecuniaria a tribus peraguntur. *Et cap. eodem*, §. 4. דיני נפשות בעשרים ושלשה. Capitalia a tribus & viginti. *Sed non tam hic ſpectatur, quid a judicibus tractetur, quam de numero eorum inquiritur. Si itaque Talmudiſtas, quo noſter provocat, de tribus iſtis, & viginti tribus judicibus, admittere velis, conſulas tantum Maimonidem, cod.* Sanhedrin, *c.* 1. §. 3. *circa medium*: מעמידי' בכל עיר ועיר מישראל שיש בה ק"כ או יותר סנהדרי קטנה ויושבת בשער העיר שנ' והציגו בשער משפט וכמה יהיה מנינם כ"ג דיין והגדול בחכמה שבכולן ראש עליהם והשאר יושבין בעיגול כמו חצי גורן כדי שיהא הראש רואה את כולן *&* §. 4. עיר שאין בה ק"כ מעמידין בה שלשה דיינין שאין בית דין פחות משלשה כדי שיהא בהן רוב ומיעוט אם היתה ביניהם מחלוקת בדין מן הדינים. In unaquaque civitate Iſraelitarum, ubi CXX. vivunt, aut plures, conſtituunt ſynedrium parvum, cujus conſeſſus in porta civitatis: quia dicitur, (*Amoſ.* 5. 15.) Et conſtituite in porta judicium. At quantus erit eorum numerus? Viginti-trium judicum. Et præcellens ſapientia inter omnes, præficitur ipſis. Cæteri vero ſedent orbiculatim, inſtar horrei dimidiati, ut præſes omnes aſpiciat. *Deinde* §. 4. In qua vero civitate CXX. non ſunt, conſtituunt tres judices: quia ſenatus minor quam trium non reperitur: quo in iis major & minor numerus ſit, ſi inter eos controverſia incidat in quadam lite.

CAPUT DECIMUM.

Politia civilis Hebræorum ſub Regibus uſque ad ſeceſſionem decem tribuum.

QUum ſortito creatus fuiſſet Saul, & regno inauguratus a Samuele, fuerunt, qui detrectarent imperium Saulis. Inde factum eſt ut privatus aliquandiu vixerit, & prorogata fuerit adminiſtratio & authoritas Samuelis, primum in ductando exercitu per aliquod tempus, deinde in reſpondendo de jure iis qui ad ipſum ventitabant: unde diſerte dicitur Samuel judicaſſe Iſraelem omnibus diebus quibus vixit.

Saul enim quamdiu ſapuit, Samuelis conſilium & authoritatem ſequutus eſt, ſicut apparet ex bello adverſus Amalechitas geſto: poſtea vero Samuelis ipſius abdicationem denuntiantis voce irritatus, & a Deo derelictus, Samuelem, quantum in ſe fuit, & contemſit ipſe, & ab aliis contemni voluit: qui tamen Prophetarum collegia perrexit moderari, & nulli ad ſe advenienti, & de verbo Dei ſciſcitanti defuit. Quamobrem etiam illum populus mortuum publice luxit & ſepelivit.

Mortuo Saule ſciſſum fuit regnum, ita ut per duos annos Isboſchetus imperaverit reliquis tribubus a Jehuda, David vero ſoli tribui Jehudæ: atque tum maxime cœpiſſe videtur diſtinctio Hebræorum in Iſraelem & Jehudam. Tribus enim omnes præter Jehudam, quæ Isboſchethum ſequebantur, Iſrael dici cœperunt, ut apparet ex 1. Reg. 1. 35.

Quod enim ſcribitur 1. Sam. 11. 8. ex Iſrael trecenta millia recenſita fuiſſe, ex Jehuda triginta millia, illud ita exponendum eſt, ut quia tribus Jehudæ primas inter reliquas alias tribus obtineret, & Dei benedictio in ea maxime eluceſceret, ipſa etiam primo loco recenſetur, & ejus numerus ab aliarum cenſu eximeretur.

Quod vero ſcribitur 1. Sam. 1. 8. 16. univerſum Iſraelem atque adeo Jehudam amaſſe Davidem, ita explicandum videtur, ut dicamus omnes quidem Iſraelitas amaſſe Davidem, ſed præter cæteros, eos qui erant ex tribu Jehudæ.

Cum David omnia domi compoſuiſſet, non ſolum dicitur judicaſſe populum tempore belli, ſed & pacis. Atque ut ordine omnia faceret, hos conſtituit ſibi in [1] adminiſ-

[1] 2. Sam. 8. 15. &c.

miniſtranda Iſraelitarum Republica adminiſtros, nimirum Joabum Magiſtrum equitum, atque adeo totius exercitus: Benajam filium Jehojadahi, Præfectum Cheretæorum, & Pelethæorum, id eſt, cuſtodiæ regiæ, quæ ex veteranis ita appellatis conſtabat: filios ſuos præſertim grandiores legatos ſuos in exequendis mandatis regiis, quod Scriptura indicat cum illos appellat כהנים id eſt, publicos & primarios miniſtros, 2. Sam. 8. 18. & 1. Chron. 28. 17. primarios ad manum Regis: Joſaphatum filium Achiludis, a commentariis, id eſt, conſcribendis hiſtoriis: Serajan vero Scribam, id eſt, *a* deſcribendæ legis & explicandæ peritum: denique Tſadokum & Abiatharem (qui & Achimelechus & Abimelechus dicitur) Sacerdotes, ita ut ſemper ſummus ſacerdos a Davide agnoſceretur Abiathar, & tanquam ſummus Sacerdos curaret Jeroſolymis Arcam Domini, Tſadokus vero primarius inter reliquos omnes ſacerdotes conſtitutus præficeretur Tabernaculo Dei Gabaone, ſicque paulatim reſtitui inciperet dignitati, a qua ejus majores exciderant, & quam tandem recuperavit abdicato Abiathare: qua de re infra, ubi de Eccleſiaſtica politia diſſeremus, plenius a nobis dicetur. Poſt bellum autem civile Abſolomi filii, videtur David noluiſſe amplius filios legatos ſuos eſſe in exequendis mandatis regiis, ſed eorum loco habuiſſe Iram Jairiten: novum etiam creaſſe ſcribam Sciam: imo & Adoniramum tributis exigendis præfeciſſe.

David porro judicia municipalia penitus in ſuum priſtinum ordinem & uſum non niſi ſub poſtrema regni ſui tempora reſtituit, quod impeditus bellis & variis negotiis, contentus fuerit judiciis illis, quæ magna ex parte collapſa, parum conſtanter in ſingulis urbibus & tribubus perſeverarant, jam inde a Joſuæ temporibus: ita tamen ut ad eum graviores cauſæ, atque adeo provocationes referrentur, ut appareret ex 2. Samuel. 15. 2.

Tandem vero aliquando hanc etiam Reipub. partem [1] inſtauravit, ita ut numeratis Levitis vaga & incerta eorum munera cum in Sacra ſeu Eccleſiaſtica politia, tum in civili firma ſtatuerit.

[1] 1. Chron. 23. 4.

In civili politia dicitur ex Levitis deſtinaſſe Judices & Præfectos ſexies mille.

Ex Levitis Judices & Præfecti aſſumti ſunt hac ratione, ut primum eſſent ex Levitis quidam qui aſſeſſores eſſent Judicum ordinariorum & municipalium, qui Seniores dicebantur: qui & aliquando de plano (ut vulgo loquuntur) judicarent de rebus levioribus, quales erant pecuniariæ, vel ſoli, vel aſſumto uno aliquo ex loci ſeu urbis Senioribus: deinde ut eſſent etiam quidam alii, qui judicatas res exequerentur: vel certe quod veriſimilius eſt, qui aſſeſſores erant judicum ordinariorum, qui & ipſi de rebus pecuniariis cognoſcerent & judicarent, ipſamque rem judicatam exequerentur. Statuit igitur, ut Chenanjas ejuſque filii (ſeu poſteri) deſignarentur in [2] Judices & Præfectos ad opus externum, (id eſt, extra ſacra illa munera quæ in Æde Domini ſeu Tabernaculo ſacrificiis faciendis erant neceſſaria) ſuper Iſraele, id eſt, apud Iſraelitas qui habitabant cis Jordanem, exceptis tribubus Jehuda, Benjaminis, & Simeonis. Horum numerus non præſcribitur.

[2] 1. Chron. 26. 29.

Statuit etiam ut ex Hebronitis Haſabjas ejuſque fratres præeſſent Occidentali plagæ e latere (ſeu ad latus) Jordanis (hoc eſt, cis Jordanem) tum in negotio Domini, tum in ſervitio ſeu miniſterio & obſequio regis, Gall. *Pour le ſervice du Roy*, id eſt, in negotiis quæ ad regiam adminiſtrationem ſeu politiam civilem pertinebant, ut apparebit infra. Hæc autem Occidentalis plaga complexa eſt tribum Jehudæ, Benjaminis, & Simeonis: quæ tribus ex his quæ ſunt cis Jordanem, Occidentales ſunt: aliæ autem quæ Iſraeli tribuuntur, Septentrionales.

Haſabjas ejuſque fratres numerantur mille ſeptingenti.

Statuit etiam ut ex Hebronitis, Jeriæ, totius cognationis principis fratres ſeu proximi agnati; ad bis mille ſeptingentos, præeſſent Rubenitis, Gaditis, & mediæ tribui Menaſſitarum, ad quamlibet rem Dei, id eſt, Eccleſiaſticam, & ad rem Regis, id eſt, civilem.

Ex eadem ergo familia adhibiti ſunt ad regendam Eccleſiam, & ad politiam civilem gubernandam: ita tamen ut nulla eſſet utriuſque politiæ confuſio & permixtio: ut etiam apparebit ex his quæ a Joſaphato reſtituta ſunt. Videntur igitur & tum, ut jam inde a Joſuæ temporibus, fuiſſe conſeſſus quidam Eccleſiaſtici Levitarum ad Synagogas ſingulas ſingularum civitatum, vel certe ad urbes illas quæ Levitarum propriæ erant, ut infra cap. 15. pluribus demonſtrabimus.

Conſeſſus civiles in ſingulis civitatibus fuerunt.

Davide adhuc ſuperſtite Solomon unctus eſt in Regem bis, primum præſentibus paucis ex ſervis Davidis, deinde coram univerſo agmine & conventu Principum Iſrael, Principum videlicet Tribuum, Principum earum Turmarum quæ per vices

ſtatis

ſtatis ſuis temporibus Regi miniſtrabant, Chiliarchorum, Centurionum, Principum ſubſtantiæ & pecoris Regii, & filiorum, una cum Eunuchis (ſeu purpuratis) & fortibus, & ſtrenuis quibuſque viris aggregatis ad Jeroſolyma. Ibi quoque (ut infra plenius explicabimus) unctus eſt [1] Tſadokus in Sacerdotem ſummum: quaſi antea duntaxat primarius ſacerdos a Pontifice ſummo & prior ex ſecundariis magis illuſtribus fuiſſet, & præfectus Tabernaculo ſub Abiathare, qui Ephodem ſummi Sacerdotis geſtabat ad Arcam Jeroſolymis, & proinde Sacerdos ſummus erat. Atque hoc modo Abiathar paulatim exauthorari cœpit, quod ab Adonia ſtetiſſet, & agnoſci ad quem jus ſummi Sacerdotii pertineret. Ungi vero eum neceſſe erat, quia Pontificatus ſummi ſucceſſio in Eleazaris familia diu interturbata fuerat per poſteros Ithamaris qui eam ſibi arrogaverant.

[1] 1. Chron. 29. 22.
[2] 1. Reg.

Judiciorum hic ordo duraſſe videtur ſub Solomone.

Habuit vero Legatos duos Azariam & Zabudum Regi familiariſſimum, Elichorephum & Achiam Scribas, Joſaphatum a commentariis, Benajam militiæ magiſtrum, Adoniramum tributis exigendis præfectum, Achiſarem vero domus ſuæ procuratorem.

Habuit etiam Solomon duodecim præfectos annonæ domus ſuæ: ita ut eorum quilibet præfectus diceretur certæ alicui regioni Iſraelitarum, ex qua annonam ad regis aulam adveheret ſuo menſe.

Illis præerat Hazarias filius Nethanis.

Quod vero nulla fiat mentio Cerethæorum, & Pelethæorum a tempore Davidis, efficit ut credam illis a Davide admodum ſene ſubſtitutas illas turmas, quæ per vices ſingulis menſibus illi miniſtrarunt, de quibus jam ſupra, & fuſiſſime 1. Chron. 27. Atque hæ turmæ cuſtodiendo Regi præfectæ videntur in hiſtoria Joæ vocari כרי vel כרים id eſt, Arietes (voce certe non abludente a Cerethæorum nomine) & רצים id eſt, curſores.

Tempore Jarobhami judicia degenerare cœperunt præſertim diviſo imperio.

NOTÆ AD CAPUT DECIMUM.

a Annot. Deſcribendæ Legis & explicandæ peritum.) *Tales erant complures, uti ferme innumeri ſacrorum miniſtri. Hic unus, munus hoc ſuum potius in bello vel alio civili negotio obiiſſe videtur: quemadmodum omnes ſcribarum officium duplex faciunt; eccleſiaſticum, & politicum. Cujus politici duæ ſaltem fuere ſpecies. Una eorum, qui vel literis publicis ſcribendis, vel contractibus aliiſque actis ſcripto conſignandis, operam navabant. Horum mentio fit Eſteræ 3. 12. Ubi digniores & honoratiores eorum vocantur* סופרי המלך, ſcribæ regis: *qui literas regia authoritate ſcripſiſſe narrantur. Chaldæus vertit ibidem,* לבלרין דמלכא, notarii regis. *Nam, quos notarios vocamus, vocant in Talmud* לבלרין, *ut, quum de ſabbatho tradunt, eo tempore* לא יצא הלבלר בקלמוסו non prodibit notarius cum calamo ſuo: *puta, ad domos civium, ut eorum acta conſcribat. Tales in Eſteræ hiſtoria merito vulgi ſermone dicas* ſecretarios regis; *id eſt, qui a ſecretis vel ab epiſtolis; uti loquuntur elegantiores. Verum, Serajam fuiſſe talem, non exiſtimo; quia tales erant plures: at hoc officium videtur unius fuiſſe. Quemadmodum 2. Reg. 12. 11. & 2. Chron. 24. 11. Ita 2. Reg. 19. 2. Ezechias rex ſuum habet* סופר: *& Jehojakim ſimiliter Jer. 36. 12. cui in regis aula conclave aſſignatum erat. Quid ſi igitur ſecundam ſcribæ politici ſpeciem hic attendamus, & Serajæ munus cum eo conferatur, quod Jer. 52. 25. deſcribitur? Ibi præfectus regis Babyloniæ ex Jeruſalem cepiſſe dicitur cum aliis* פקיד על אנשי המלחמה præfectum militibus; *qualis tempore Davidis fuit Joab: &* סופר שר הצבא ſcribam principem exercitus, *cujus officium poſtea ſubjicitur,* המצביא את עם הארץ, qui congregat populum terræ: *ita enim Chaldæus vertit per* כנס, congregans; *ut* Rabbi *Kimchi hic etiam agnoſcit notionem* אסיפת החיל, congregandi multitudinem, *in libro Radicum; & 2. Reg. 25. 19. ubi eadem narrat author, annotat,* שעל פיו היו יוצאים העם לצבא ex cujus mandato procedebat populus ad bellum. (*Confer 1. Macch. 5. 42. ubi inferiores duces exercitus etiam γραμματεῖς, i.e.* סופרים, ſcribæ, *nuncupantur) Talis, ut credo, fuit & Seraja, quo de agit noſter: nempe, cujus munus erat, cum primariam regni pecuniam, tum milites ac propugnacula, in ſcripto ac enumerato habere, id eſt, primaria regni firmamenta; adeoque illam curare, iſtos conſcribere, horum conſervationis ſatagere. Quæ cum notio vocis admittit, tum loca producta arguunt, ſi conferas Eſaiam c. 33.18. Nam iſthinc confirmatur, quod de propugnaculis jam addidi. Verba ſunt:* איה סופר איה שוקל איה סיפר את המגדלות. Ubi eſt cenſor? Ubi eſt quæſitor? Ubi eſt qui recenſet turres? *Quo alludit Paulus, 1. Cor. 1. 20. ubi contra humanam ſapientiam gloriatur; quemadmodum Eſaias adverſus belli robora. Ad illa,* סופר את המגדלות, cenſor vel ſcriba turrium, *in hunc modum Salomon* Jarchi: גם הוא דבר מלכות ממונה על בתי המלכות כמה הם וכמה מגדלים צריך לעיר פלוני. Hoc etiam eſt negotium regni, *ſcilicet ejus*, qui præfectus eſt aulis, quot ſint, & quot turribus opus ſit alicui civitati, *ſcilicet, cognoſcens. Kimchi etiam, cum hic, tum in Radicibus explicandis,* שוקל expendens, *ad* כסף, pecuniam, *refert. Neque hactenus producta adverſantur iis quæ ultimo capite ſecundi Samuel. referuntur, de numerando populo univerſo: cujus executio graviter punita fuit, ſiquidem iſtud factum in Davide animum oſtendit de promiſſionibus divinis dubitantem. Hujuſmodi totius populi ad militiam idonei numeratio, illicita Davidi, non impedit, quominus apud ſcribam ſuum, id eſt,* יסופר *in numerato habeat juſti alicujus exercitus milites, locaque præſidiaria ad regnorum defenſionem diſpoſita.*

CAPUT UNDECIMUM.

De utraque politia in regno Jehudæ restituta.

JOsaphatus regno inauguratus, paulatim progressus est in restituenda politia cum Ecclesiastica tum Civili.

Ad hanc rem igitur se operæ pretium facturum existimavit, si primum Excelsa & lucos tolleret, ut paulo infra pertractabimus. Deinde mitteret ex Principibus suis quinque Benchailem, Abdiam, Zachariam, Nathanaelem, & Michæam, quibus adjungeret duos ex ordine Sacerdotum, & novem Levitas, eosque per omnes sui regni Jehudæ urbes mitteret: in eam videlicet gratiam, ut populum Dei Legem docerent [1].

[1] 2.Chron. 19. 1. &c.

Atque hinc factum est, ut cum longo post tempore admonitus a Propheta Chanani de culpa admissa, in ope ferenda Achabo, domi se continuisset, magis serio quam antea cogitarit de restituenda politia suorum. Jam ergo ipse suas urbes invisit, incipiens Beersebaho, & ad montem Ephraimiticæ tribus (in quo ejus pater Asa urbes aliquot ceperat) desinens: ut suos ad Dei cultum revocaret. Ad hoc confirmandum constituisse dicitur Judices in omnibus civitatibus munitis ad urbem & urbem, id est, ad singulas urbes, vel, pro urbe & urbe, id est, in præcipuis civitatibus judicia collocavit, ad quæ referrentur causæ minorum urbium, seu pagorum, & insularum.

Judices isti accipiendi sunt eo modo instituti quo fuerunt Jerosolymis, nimirum Ecclesiastici & Civiles: ita ut ex Senioribus cujusque urbis constituerint civilia judicia: & ad utrumque judicium adhibiti dicantur Levitæ in præfectos, eodem videlicet modo, quo eos ad id muneris designaverat David, ut apparet ex fine capitis.

Constituit etiam Judices Jerosolymis ex Levitis, & Sacerdotibus, & Capitibus patrum Israelis, partim ad judicium Domini, id est, Ecclesiasticum: partim etiam ad litem, id est, ad judicium civile.

Distinguuntur nimirum his verbis Judicia duo: Ecclesiasticum, & Civile. Civile ut constare videtur ex Capitibus patrum populi, videtur esse Synedrion Septuaginta Seniorum. In illis capitibus Patrum possumus ponere Sacerdotes & Levitas. Nam & institutio ipsorum Septuaginta suos habuit Præfectos, qui Levitæ erant. Sed hi Septuaginta non jam ex familiis illis septuaginta de quibus supra, desumti sunt, sed ex solis illis quæ erant sub ditione Josaphati: unde & tandem ex sola domo seu familia Davidis delecti sunt.

Quod dicuntur istiusmodi lecti Judices reversi Jerosolyma, hoc ita intelligi potest, ut relicta tribus suæ sortitione, *a* Judices illi Jerosolyma venerint commoratum: aut quod solerent convenire Jerosolyma, ubi Judicium ineundum erat. Ecclesiasticum tum constitisse verisimile est ex solis Sacerdotibus & Levitis.

b Summa fuerunt & suprema hæc duo judicia ad quæ referrentur difficiliores causæ, ut in Lege Dominus præceperat. Nam in exhortatione apud istiusmodi Judices proposita, Rex hoc satis confirmat, dum ait. Et judicabitis omnem litem quæ venerit de fratribus vestris qui habitant in urbibus suis inter sanguinem & sanguinem, inter legem & præceptum, statuta (ritus, ceremonias) & judicia, & admonebitis eos ne delinquant adversus Jehovam, ita ut sit ira super vos, & super fratres vestros: & sic facietis, & non delinquetis. Et ecce Amarjahus Sacerdos summus præerit vobis in omni re Jehovæ, & Zebadjahus filius Iischmaelis dux domus Jehudæ in omni re Regis (id est, civili:) & Præfecti ipsi Levitæ erunt coram vobis, id est, præsto vobis aderunt. Confortate (vos) & facite, & erit Jehova cum eo qui virum bonum se exhibuerit.

Utriusque judicii eadem videri possit materia, quod & fieri potuit, sed diverso respectu, Ecclesiastico videlicet & Civili, ut in eadem causa aliquid erat Ecclesiasticum, & aliquid Civile, ut in deposito negato, &c. Quinetiam aliquando de jure rogabatur summus Sacerdos, ut tandem de facto statueretur.

Denique ut ista judicia suprema fuerunt, Jerosolyma suum judicium municipale habuerunt, quod videtur fuisse penes ipsum Regem ejusque officiarios, vel potius penes ejus territorii Chiliarchos, Centuriones, &c. ita tamen ut tota jurisdictio utrique illi judicio submitteretur. Itaque ex his videtur rex iste magis quam ullus alius judex aut rex, accessisse ad genuinam Legis hac de re præscriptæ institutionem.

Videntur & ea de causa illi qui supremo judicio civili præfuerunt, esse qui apud posteriores reges dicti sunt שרים, id est, Principes, & חורים id est, Patritii.

Principes istos fuisse ex capitibus Patrum, atque ex judicibus ordinariis, constat ex supe-

superioribus, atque adeo ex his quæ in hac restitutione Josaphati dicta sunt, imo & ex Prophetarum crebris reprehensionibus, ad hos Principes ita conversis & compositis, ut omnino judicia spectent. Certe videntur hujus tanti imperii luculentissima extare exempla apud Jeremiam.

Primum exstat Jerem. 26. cap. ubi postquam Jeremias damnatus esset a Sacerdotibus & Prophetis (id est, a consessu Ecclesiastico, illisque qui Sacrarum literarum cognitionem & interpretationem profitebantur, quasi ad eos pertineret cognitio de doctrina: unde & qui a Jeremia dicuntur Prophetæ, a Jonatha paraphraste Scribæ exponuntur) & ab universo populo, id est, advocatis ordinariis populi judicibus seu Senioribus, Chiliarchis videlicet, Centurionibus, &c. qui universum ipsum populum repræsentabant, ut etiam vers. 9. universus populus ad Agmen seu concionem coactus dicitur, & vers. 17. mentio fit קהל id est, agminis seu concionis ipsius universalis: vel certe advocato ipso populo qui Jeremiam audierat, ut adversus eum testimonium ferret, & sententiæ adversus eum latæ subscriberet, eamque executioni mandaret: ut apparet ex calce capitis: idque cum nuntiatum fuisset principibus Jehudæ ad Regiam aggregatis, id est, consessui civili Septuaginta Seniorum, Principes istiusmodi ad Templum venerint: ubi sedisse dicuntur tanquam pro Tribunali ad portam novam Templi, & adhibito populo (eo videlicet modo quo jam diximus) Prophetam audivisse, & absolvisse, quasi etiam suo illo judicio Regem ipsum Jehojakimum damnarent, & corrigerent, qui Uriam Prophetam crudelissime trucidasset.

Secundum est cap. 36. ubi Baruchus scripto quod dictante Jeremia exceperat, recitato apud populum, advocatur in Regiam ad Principes istiusmodi, apud quos illud ipsum scriptum de integro legit. Lectum deponunt in cubiculo Scribæ, sciscitati quomodo scriptum fuisset, monent Baruchum ut delitescat una cum Propheta. Principes Regem adeunt. Scripti summam referunt. Rex ipse scriptum adferri jubet, & cum tres ejus paginas audivisset, cultro Scribæ scriptum proscindit, & cum a tribus solis rogaretur ne librum combureret, illum comburere non desiit: quasi illud idem reliquis Principibus non displiceret, qui eo etiam nomine ab ipso Propheta notantur, quod non exhorruerint, nedum vestes prosciderint, ad illius scripti lectionem.

Tertium exemplum exstat Jerem. 37. & 38. ubi dicitur obsessis Jerosolymis a Chaldæis Jeremias deprehensus a vigile quodam Jeria, ad portam Benjaminis tanquam transfuga, & adductus ad Principes istiusmodi, qui admodum adversus Prophetam excanduerint, & cæsum in carcerem teterrimum conjecerint. Clam Sedekias Jeremiam ex tetro illo carcere ad se advocat (ita Principes illos reverebatur) & eum in mitiorem custodiam relegat, ubi & in officio perseverat: unde fit ut illi iidem Principes a rege extorquere conentur sententiam mortis adversus Prophetam, id est, ut in ejus mortem rex consentiret, prætexentes quod populi animos frangeret, ejusque commodis non studeret. Respondet rex, Jeremiam in eorum manibus esse, neque illis Regem prævalere ulla in re: quasi fateatur se illis longe inferiorem esse: quod etiam satis ostendit, dum postea vereri se dicit, ne Principes illi inquirant in sermones quos ultro citroque habuisset cum Propheta: unde & mendacium comminiscitur, quasi etiam illis rationem redditurus esset eorum quæ ipse gessisset.

Ex his efficitur, judiciorum ita restitutorum ordinem ad tempora usque Babylonicæ captivitatis perdurasse.

Cæterum ista Regum politia in regno Jehudæ restituta, ita regia fuisse videtur, ut semper mixta censenda sit ex utraque alia politia, sed maxime ex Aristocratica. Aristocraticam potestatem viguisse tempore Regum, apparet maxime ex primo & tertio exemplo quod ex Jeremia depromsimus : item & Democraticæ aliquid apparet ex eo quod populus [1] Jonatham eximit ex patris judicio, in quod etiam populus ipse consenserat: item & ex eo quod recitatur. 1. Chron. 28. 1. Davidem coegisse Jerosolymam omnes Principes Israelis, Principes tribuum videlicet, Principes turmarum earum quæ Regi singulis mensibus ministrabant, Chiliarchos, Centuriones, Principes substantiæ & pecoris regii, una & filios, simul etiam Eunuchos, (seu purpuratos) & fortes, atque adeo strenuos quosque viros, ut illis filii sui Solomonis inaugurationem politiamque a se restitutam probaret. Hi vero ut populum universum repræsentarunt, vocantur etiam subsequente cap. 29. 1. קהל Agmen, quod nomen proprie in populi universi universalem cœtum competere diximus. Quod si quis excipiat, istos non ita aggregatos fuisse, ut sententiam rogarentur, sed ut regis constitutiones audirent, videtur saltem Rex eorum in illas consensum postulasse. Nam & 1. Chron. 13. 1. scribitur Davidem omnes suos Principes una cum Chiliarchis & Centurionibus ita aggregasse, ut eos sententiam rogaverit de reducenda Arca. Isti vero, ut & illi, כל

[1] 1. Sam 14. 38.&c.

קהל ישראל *universum agmen Israelis* dicuntur vers. 2. & 4. כל-קהל *universum agmen*, & כל-העם *universus populus*.

NOTÆ AD CAPUT UNDECIMUM.

a Annot. Judices illi Jerosolyma venerint.) *Nihil hic difficultatis est, unde ad alterutrum sit confugiendum, imo utrumque institutioni regis adversatur: quum jus in sua civitate dicere debuerint. Quare simpliciter vertendum, 2. Chron.* 19. 8. וישובו, postquam rediissent. *Sensus est: Quum Josaphat, ad reliquas civitates profectus, ut populum ad veram religionem reduceret, vers.* 4. (*quod per alios fecisse, e 2. Chron.* 17. 7. 8. *&* 9. *constare potest,*) *& judicia restauraret; ipse cum illis politicis & ecclesiasticis Jerosolymam rediisset; tum demum judices Jerosolymis constituit. Hoc modo illud* vau ו, *alibi usurpatur: uti Exod.* 16. 20. *Quod bene observat Rabbi Isaac Levita in libro Siach, Isaac. f.* 46. השמש עוד הואו כמקום מלה וכבר וירם הולעים ויבאש פירושו וכבר באש. Inservit etiam *vau*, ו, exprimendæ voci et-iam-ante, *ut Exod.* 16. Et produxit vermes, & fœtuit. Quod exponitur, Et jam ante fœtuerat. *Idem est, acsi dixisset, Postquam fœtuisset. Atque ab isto sensu non omnino abit, 2. Chron.* 19. *doctor Kimchi, ad verba,* Et reversi sunt: אותם שמנו השופטים בכל עיר במצותו. Isti qui constituerant judices in unaquaque civitate mandato illius. *Non refert reditum ad creatos judices sed qui comitabantur Josaphatum; licet Josaphatum non complectatur.*

b Annot. Suprema hæc duo judicia) *Recte duo fuisse asseverat: puta, ecclesiasticum, & civile. Nam, Deuter.* 17. *Deus ipse synedrium ecclesiasticum a politico distinctum instituerat. Conferatur vers.* 9. *cum* 12. *Ubi nomen,* judex, *pro* judicibus, *ex more linguæ frequenti, accipiendum, docet vox* sacerdos, *pro qua, in eadem lege, vers.* 9. *legimus,* sacerdotes. *Atque ita, imo etiam per voculam* או aut, *sacerdotes Levitæ a judicibus distinguuntur. Præsides quoque diversos fuisse, ex restaurata per Josaphatum politia, & hunc* omni negotio Dei, לכל דבר יהוה, illum vero לכל דבר המלך, omni negotio regis, *destinatum, ex 2. Chron.* 19. 11. *omnino liquet. Quin & duobus judicum generibus, vers.* 8. *puta sacerdotibus cum Levitis, & capitibus paternarum familiarum, subjiciuntur duo causarum diversa genera,* משפט יהוה, judicium Dei, *&* ריב, lis, *scilicet vulgaris: quibus illi consecrantur. Hieremiam addas licet: qui, cap.* 19. 1. *testes assumere jubetur ex senioribus populi, & senioribus sacerdotum. Quamvis Talmudici hac in re, ut alibi passim in recensendis suis moribus antiquis, corrupta tempora, & quid circa Christi tempora obtinuerit, magis respiciant, nihilo-minus codice* Joma *distinctionem propositam satis innuunt. Ibi, c.* 1. §. 5. *de sacerdote summo;* מסרוהו זקני בית דין לזקני כהונה Tradunt eum seniores senatus juridici, senioribus sacerdotalibus. *Quin etiam diversis locis distinctos fuisse, si traditiones Talmudicas cum diversis Scripturæ locis comparemus, non videtur negandum. Ezræ.* 10. 6. *&* 8. *quum convocandus esset populus vi & authoritate civili, conveniunt cum Ezra (ad politicam sive civilem dignitatem a Persarum rege evecto, c.* 7. 25.) *principes ac seniores in exedram filii Eljaschibi: qui, ut alii principes complures, ex Davide stirpem ducebat,* 1. *Chron.* 3. 24. *quare exedra principum dicebatur, Hier.* 35. 4. *Hoc autem in Hieremia conclave erat* ὑπερῷον. *Sed sanhedrin, quod posterioribus temporibus, imprimis Herodis tempore, pene ecclesiasticum erat,* לשכת גזית, in conclave lapidis cæsi, *conveniebat, ut passim tradunt Talmudici: secundum illud cod. Midd. cap.* 5. §. 3. לשכת הגזית בה היתה סנהדרין גדולה. In conclavi cæsi lapidis consessus magnus sedebat. *Hic consessus etiam politica tractabat; verum inprimis ecclesiastica: sicut etiam ferme ex sacerdotibus & Levitis constabat. (Maim. cod. Saned. c.* 2. §. 2. מצוה ליהיות בסנהדרין גדולה כהנים ולויים. Præcipitur, ut in consessu magno sint sacerdotes & Levitæ: *quibus deficientibus, etiam solos Israelitas, ut loquitur, assumere licebat. Et quamvis jam inde a captivitate Babylonica Sacerdotes & Levitæ magnam paulatim sibi authoritatem vindicarint; adeoque hinc factum videatur, ut semper Sacerdotes & Levitas potius in senatum adsciscerent; tamen inprimis hic senatus evasit ecclesiasticus, (quod hic intendimus,) postquam Herodes politicum suum imperium stabilire satagens crudelitate illa fuisset usus: de qua Josephus lib.* 15. *antiq. cap.* 11. *circa medium. Ipsos adversarios* ἀπέκτεινεν, ὥστε εἶναι μηδὲν ὑπόλοιπον ἐκ τῆς Ὑρκανοῦ συγγενείας, ἀλλὰ τὴν βασιλείαν αὐτεξούσιον αὐτῷ, μηδενὸς ὄντος ἐν ἀξιώματι ἐμποδὼν ἵστασθαι τοῖς παρανομουμένοις: interfecit, ut nihil esset reliquum ex Hyrcani cognatione, sed regnum plene subjaceret arbitratui ipsius, existente nemine in dignitate; qui impedimento esset ne prava committerentur. *Ubi attendenda sunt,* Nemine in dignitate *&c. Sublatis iis, qui politicam potestatem retinerent, & ipso invito, exercerent contra vim & scelera, jam umbra restabat veri regiminis politici: partim, quod jam plerique essent ecclesiastici; partim, omni illa potestate sublata, quæ Herodi posset esse impedimento. Tamen reliquiæ manserunt utriusque senatus, ecclesiastici & politici: absque eo enim si esset, quorsum illa distinctio seniorum populi a sacerdotibus & scribis? Matth.* 26. 3. *&* 59. *item* 27. 1.

CAPUT DUODECIMUM.

De civili politia Regum decem tribuum post secessionem a regno Jehudæ.

Politia civilis decem tribuum quamplurimum ad civilem regni Jehudæ accessit. Habuit enim caput ipsum Regem, deinde חורים, id est, Patritios (viros,) quos alias שרים, id est, Principes vocari diximus, qui ejus quoque regni Synedrion & summum Judicum consessum conficiebant. Hic consessus ad Regiam ut plurimum considebat, qualis erat Jizrehel tempore Achabi. Habuit & זקנים, Seniores, Chiliarchos videlicet, Centuriones &c. Uterque autem iste Magistratus ita vocatur apud Nechemiam. Populi etiam potestatem illud arguit, quod dicuntur testes adversus Nabothum subornati, testimonium suum coram populo edidisse. Mixta vero istiusmodi politia ita ex Regia potestate, Aristocratica & Democratica videtur, ut Tyrannica omnino fuerit, quemadmodum constat ex gestis Regum decem tribuum.

CAPUT DECIMUMTERTIUM.

Politia civilis Hebræorum post Jerusalem expugnatam a Nebukadnetsare.

Everso Regno & Sacerdotio, populoque in captivitatem abducto, satis intelligitur, una etiam politiam utramque concidisse. * Non enim ausim ex Susannæ historia quicquam certi statuere, quod ejus authoritas non ita idonea videatur. Nulla vero a Cyro vel Dario Medo imperii consorte, Cambyse, Dario filio Hystaspis, seu Assuero marito Esteræ, vel etiam a Xerxe facta est ejus omnino restituendæ copia, sed duntaxat ab ipso Dario Artaxerxe Longimano, Sacerdoti Hezræ [1] facta est potestas aliquas ejus partes instaurandi. Hezras igitur ex ea potestate ita Hebræorum politiam civilem constituit, ut illa Regis loco haberet פחה, id est, Præsidem provincialem, [2] qui quidem sub ipsius Monarchæ Persæ auspiciis Judæam regebat, & ab ipso in eam mittebatur, ut apparet ex historia & occasione missi Zerubbabelis, 3. Hez. 4. & ex Nechem. 5. 14.

Secundo loco habuit שרים, id est, Principes, qui sæpius vocantur חורים, id est, Patritii, aliquando etiam שרי אבות, id est, Principes Patrum seu familiarum, [3] effeceruntque hi Synedrion Septuaginta.

Tertio loco suos Judices ordinarios, Chiliarchos, Centuriones, &c. qui non solum dicti sunt זקנים, id est, Seniores, sed etiam סגנים, id est, Secundarii seu subalterni quidam Magistratus, seu Judices. [4]

Quarto loco habuit Civium omnium cœtum & judicium. Cœtus istiusmodi vocatur קהלת גדולה, id est, *Agmen seu Aggregatio magna*. [5]

Quatuor horum ordinum disertissime meminit Nechemias 5. capite suæ historiæ vers. 7. Tradit enim, se Præsidem disceptasse de Hebræorum quorundam inhumanitate & crudelitate adversus suos fratres apud החורים, id est, Patritios viros, & apud הסגנים, id est, Secundarios seu subalternos & ordinarios Magistratus: deinde ubi cum illis de re qua de agebatur, transigere non potuisset, illis opposuisse, קהלת גדולה, id est, Agmen seu Aggregationem magnam, in qua rem totam componeret.

Trium posteriorum meminit Hezras 10. 8. ubi de dissolvendis illegitimis connubiis agitur. Utitur autem illic nomine שרים, id est, Principum, זקנים, id est, Seniorum, & קהל, id est, Aggregationis reducum ex captivitate: item & vers. 14. sub iisdem fere nominibus, nisi quod ad זקני עיר ועיר Seniores cujusque urbis, adiicitur ושופטיה, id est, & judices ejus, vel per exegesin, ut iidem omnino fuerunt Judices qui Seniores, *a* vel ut etiam indicetur שוטרים, id est, Præfecti. Illis enim Judicibus suos adfuisse Præfectos ex Levitis, dubium non est. Quot vero istiusmodi præfecti Judicibus illis assignati fuerint, non ita constat, paucos enim admodum Levitas tum reduces fuisse apparebit, ex his quæ tradimus cap. 18. ita ut vix ipsi suis ordinariis muneribus in Templo capessendis & exequendis suffecerint.

Huic sane tempori accommodari possit quod de eorum præfectorum numero Josephum notare diximus supra cap. 9. duos nimirum ex Levitis septem Judicibus assedisse. Atque hoc aliquo modo conficiatur ex Nechem. 11. 16. ubi duo duntaxat Levitæ Schabbetais & Jozabad præfuisse dicuntur operi externo Ædis Dei, ex capitibus Patrum, si opus istud externum, Ædis Dei idem esse velis, quod opus illud externum super Israelem, 1. Chron. 26. 29. hoc est, de judiciis accipias, ut illud exposuimus supra cap. 10. Vide & infra cap. 18. Septenarius etiam ille numerus Judicum ordinariorum, hoc est, Chiliarchorum, Centurionum, &c. quem idem ille Josephus præscribit, huic tempori tribui possit: si spectes familiarum Judaicarum atque adeo omnium eorum Judæorum ex captivitate Babylonis redeuntium numerum, & negotia quibus eos distineri necesse erat. Denique si unquam locum habuit politia illa magistratuum & judicum quam Talmudistæ nostri tradunt, profecto ad hujus temporis progressum referenda est. Tradunt videlicet, Supremum Hebræorum Senatum, nimirum Septuaginta, gladii seu morte plectendi potestatem, quam habebant in causis majoribus, (quales erant, de Tribu, de summo Sacerdote, de Pseudopropheta, & de Majestate) Viginti tribus viris capitalibus, qui דיני נפשות, id est, judicia Capitalia tractabant, communicasse: septem viros judices ממונות, id est, pecuniarum & bonorum in singulis urbibus constitutos; quorum tres (fortasse duo Levitæ Præfecti, & unus ex loci Judicibus) judicia instituerent, quinque de prima pro-

[1] Hez. 7. 25.

[2] Nech. 5. 14. & 15.

[3] Hez. 9. 2. Nech. 4. 14. Hez. 8. 29.

[4] Hez. 10. 8. & 14. Nech. 4. 14. & 5. 7. & 17.

[5] Nech. 5. 7. Hez. 10. vers. 8. & 14.

* Susannæ historiam esse tam certam, ut insanire prorsus videatur, qui post tot testimonia cum vetera, tum recentiora de hac historia dubitaverit: Legat lector Joan. Mor. Natal. Alex. & Gasparis Sanctii præfat. in Danielem.

provocatione cognoscerent, septem de secunda decernerent: præterea decem Judices rerum venalium, quasi Ædiles creatos fuisse, quorum unus ex sacerdotali genere esset: quinetiam receptos arbitros tres, quorum uterque litigator unum eligebat, electi duo tertium optabant. Atque de his fusissime in Talmud ad tractatum de Synedriis, & apud Maymonem in lib. De perplexis.

Sub auspiciis Ducis seu Præsidis provincialis, erat Jerosolymis Secundarius quidam præfectus seu legatus ipsius Præsidis, ex tribu Benjaminis, ut videtur, & colligi potest ex Nechem. 11. 9. Ibi enim dum enumerantur Beniamitæ, una etiam Secundarius iste nominatur, cui urbis custodia commissa esset. Atque hic videtur is esse qui 2. Macc. 3. 4. vocatur προςάτης τȣ̃ ἱερȣ̃ Præfectus Templi: & apud Josephum Antiqu. Jud. 14. 11. ὑποςρατηγὸς ἐν Ἱεροσολύμοις, suppræfectus Jerosolymorum.

Benjamitam fuisse, verisimile etiam est ex eo, quod cives Jerosolymitani maxima ex parte Benjamitæ enumerantur a Nechemia, ut etiam illius urbis major pars erat tribus Benjamiticæ.

Præsides provinciales valuisse maxima authoritate, atque adeo summum imperium habuisse, apparet ex his quæ gessit Nechemias. Authoritatem vero summam habuisse Nechemiam, illud postremum ejus factum maxime arguit, quo gloriatur se aliquem ex posteris Jojadahi filii Eljaschibi summi Sacerdotis exilio multasse, quod duxisset in uxorem filiam Sanballathi Horonitæ. Imperium etiam summum, quod reliquos ex Judæis qui uxores alienigenas duxissent, objurgaverit, excommunicandos, cædendos verberibus, & depilandos in summam ignominiam præceperit.

Josephus Antiq. Jud. cap. 11. 7. ita superiorem illam historiam attingit, ut dicat, Jerosolymorum Seniores (id est, Magistratus præcipuos, atque adeo Synedrion ipsum) statuisse atque præcepisse Manassi fratri summi Sacerdotis Jaddi, ut a se amandaret & repudiaret conjugem alienigenam, id est, Samaritanam, filiam Sanballathi Cutthæi seu Samaritani, Satrapæ instituti Samaritanæ genti a Dario: vel ab altari arceretur: quod & factum est ab ejus fratre Jaddo: quem ait succensuisse populo eo nomine, (si credendum est Basiliensi editioni ipsius Josephi) quanvis etiam Seniorum decretum ipse sit exequutus.

Ex utraque hujus historiæ descriptione constat, Nechemiam Hebræorum reducum Magistratus, ita ad hujus criminis (nuper ab Hezra atque ab ipso reliquo populo solenni plebiscito & decreto condemnati) agnitionem & detestationem stupefactos excitasse, at etiam coegerit Magistratum ipsum sententiam quam debuit, ferre, eamque per ipsum summum Sacerdotem exequi.

An Manasses istiusmodi proprie frater germanus fuerit Jaddi, non ita asseveravero, sed malim agnatum fuisse.

Præsides provinciales hac valuisse authoritate, verisimile est, quamdiu ita ut diximus a Monarchis Persicis Judææ præfecti fuerunt.

Mortuo autem Nechemia, nullus talis a Monarchis Persicis Præses provincialis constitutus dicitur, imo nec ullus alius Judææ præfectus est a Monarcha Persico, sed videntur Persæ acquievisse in spectata fide & probitate Jaddi summi Sacerdotis, (sicut & aliquando in Hezram Sacerdotem tale quid contulerant) ut apparet ex Jaddi responso ad Alexandrum: quasi jam Persæ suum imperium a Græcis prostratum, liberaliter potius quam imperiose retinere contenderent. Fieri tamen potuit ut Jaddus reliquique Judæi duces aliquem ex tribu Jehudæ delegerint, qui primas in Summo Synedrio obtineret, sed nomine tenus potius quam re ipsa: cum omnia a summis Pontificibus penderent. Atque fortasse eo spectat quod vulgo de eorum ducum serie circumfertur sub nomine Philonis.

Ergo quod spectat ad Judæorum politiam expugnatis Jerosolymis, Tyrannica omnino fuit sub Monarchis Babylonicis, imo & aliquo modo, licet non ita prorsus, sub initium Monarchiæ Persicæ. Nam quamvis Hebræi a Cyro & Dario Medo imperii consorte Præsidem aliquem provincialem ex stirpe Regia obtinuissent, ut colligi potest ex his quæ scribuntur Hezræ 1. 8. & 5. 14. 15. & 16. collatis cum his quæ notantur Hezræ. 2. 2. & 3. 8. & 4. 3. & 5. 2. Senioresque aliquos seu primates haberent ex suis, qui populi negotia administrarent, annuasque aliquas pensiones, tamen judiciorum suorum restitutionem non nisi a Longimano impetrarunt.

Mitto quod Persis triplex illud tributum de quo Hezras 4. 13. persolverint: & quod fere sub Dario Hystaspis, opera Hamanis deleti fuerint.

Tempore Longimani, Darii Nothi, & Artaxerxis Mnemonis seu Magni, ita restituta fuit pristina Hebræorum politia, ut aliquid habuisse videatur Regni, Aristocratiæ, & Democratiæ: non tamen ea libertate quæ sub Judicibus & Regibus viguerat

rat. Nam triplex illud tributum [1] exceptis solis Ministris Templi, Persis quotannis pensitarunt, quo summum illorum in se imperium testarentur & agnoscerent.

Artaxerxes Ochus per Vagosem hanc tributorum tyrannidem admodum auxit. [2] Nec enim illa sola tributa ordinaria exegit, sed & nova sacrificiis in Templo offerendis imposuit: imo & immunitatem tributorum quæ Templi Ministris a Longimano concessa fuerat, pensionesque quas ille idem ad Templi usum largitus fuerat, sustulit. Atque hoc videtur illud esse quod historici notant, eum cepisse ἀποδασμόν. Atque hæc Tyrannis per septem annos durasse dicitur. Reliquo ergo tempore Hebræorum politia ad mediam illam rediit, quæ viguerat sub Longimano & reliquis, nisi quod mortuo Nechemia nullum alium missum Præsidem provincialem legimus.

Alexander magnus [3] ubi Asiam & Ciliciam domuisset, Tyrumque expugnasset, eique indignabundo & Judæis infensissimo ac infestissimo, occurrisset Jaddus Sacerdotalibus vestibus indutus, una etiam reliqui Sacerdotes, imo & alii omnes qui ad Reipubl. administrationem provecti fuerant, αὐτονομίαν concessit Judæis non solum Judæam incolentibus, sed & dispersis per Babyloniam & Mediam, imo & illis qui sub ejus auspiciis militatum proficiscerentur: deinde etiam septimo quoque anno immunitatem a tributis. Atque tum Judæorum Respub. fere rediit ad mixtam illam politiam, illud enim tantum deesse videbatur, quod Ducis imperium & potestas in unum aliquem ex familia Davidis derivatum non esset, sed in summum Sacerdotem confluxisset, Jaddum videlicet: quem omnino crediderim ex Nechemiæ [a quo in eam dignitatem promotus fuerat] consilio, Principum, Judicum subalternorum, atque adeo consessus Ecclesiastici ordinem retinuisse, atque in altissima pace vixisse, quoad Ptolemæus Lagi filius dolo Jerosolyma ingressus fuisset [4]. Sed ne tum quidem αὐτονομίαν Ptolomæus Jerosolymitanis ademisse legitur, sed duntaxat durius eos accepisse, & acerbioribus paulo auspiciis vindicias imperii in Jerosolymitanos sibi asseruisse. Certe illud adjicitur, Ptolomæum Judæorum quamplurimos ex montano Judææ tractu & Jerosolymorum vicinia, Samariaque, & Garizin, in Ægyptum deportasse: sed & hoc subjungitur, Ptolomæum ubi eorum religionem in servando jurejurando ex recentibus exemplis perpendisset, ex illis permultos ad suarum arcium præsidia collocasse, parique cum Macedonibus civitatis Alexandriæ jure donasse, exacto ab illis jurejurando, eos sibi suisque posteris datam fidem servaturos: atque ex ea Regis liberalitate quamplurimos alios ex Judæa in Ægyptum concessisse, una etiam territorii feracitate pellectos. Hæc vero humanitas efficit, ut credam, non prorsus abalienato animo fuisse Ptolomæum istum erga Judæos etiam Jerosolymitanos, illisque αὐτονομίαν suam concessisse. Josephus ejusdem libri 12. Antiquit. Jud. cap. 2. vers. 64. ubi agit de Judæis Ægyptum incolentibus, meminit τῶν ἡγεμένων αὐτοὺς, id est, eorum qui illis præerant, & τοῦ ἱερέως, id est, Sacerdotis, & τῶν τοῦ πολιτεύματος προεστηκότων, id est, eorum qui illorum politiam administrabant, quod demonstrat, Judæos Ægyptiacos suam utranque politiam ibi constitutam jam tum habuisse, quod quidem non uno aut altero anno sub Ptolomæo Philadelpho componi potuit, sed jamdiu ab ejus patre factum aut fieri concessum oportuit. Atque quod dicitur de æqualitate juris civitatis Alexandriæ Macedonum & Judæorum, religionem & politiam spectavit. Dubium enim non est, Macedones suis superstitionibus & legibus politicis (quæ prorsus alienæ erant ab Ægyptiacis) vixisse, iisque usos fuisse in Ægypto. Quinetiam Josephus Ant. Jud. 14. 13. confirmat ex Strabone, Alexandriæ atque in aliis urbibus Ægyptiacæ ditionis, qualis est Cyrenaica & Heliopolitana, Judæos jam inde a priscis temporibus habuisse ἐθνάρχην, id est, principem aliquem suæ gentis, seu Magistratum, qui suæ gentis negotia administraret, & judicia moderaretur, atque contractus & edicta curaret (id est, contractuum & edictorum observationem:) quasi etiam esset Magistratus ejus politiæ, quæ per se esset perfecta, & a nullo pendens.

Hæc certe efficiunt, ut statuam, Judæos Jerosolymitanos suam αὐτονομίαν obtinuisse a Ptolomæo Lagi, Ptolomæo Philadelpho, (qui & plusquam centum millia Judæorum in captivitatem redactorum, a Persis sua pecunia redemit, & ad suos remisit) Evergete, Philopatore, quantumvis illis per aliquot dies infensissimo, & Epiphane (quoad Jerosolymitani Regibus Syriæ cessissent:) quamvis quinque illis Ægypti Regibus semper tributarii fuerint: ita ut Antiochus Magnus jus illorum tributorum eo confirmarit, quod Judæam in dotem Epiphani dederit. Antiochum Magnum quintum Syriæ regem non solum αὐτονομίαν qualem concesserat Longimanus, Jerosolymitanis concessisse narrat Josephus Antiq. Jud. 12. 3. sed Judæis omnibus per suam ditionem dispersis, ita ut omnes eorumque filios antea servos, liberos esse jusserit, & Judæos Antiochenos pari cum Antiochenis ipsis indigenis jure donaverit: cum antea Seleucus Nicanor Judæis in eas urbes quas exstruxerat translatis, Jus & municipalem ordinem

dun-

[1] Hez. 7. 24.

[2] Ant. Jud. 11. 7.

[3] Ant. Jud. 11. 2.

[4] Josephus Ant. Jud. 12. 1.

duntaxat cum Græcis æqualem tribuisset. Αὐτονομία hæc magnificentissime describitur posterioris Maccabæorum 3. ubi maxime laudatur Seleucus Philopator rex Asiæ, id est, Syriæ, filius major natu Antiochi Magni, ob patris liberalitatem a se in Jerosolymitanos eorumque Templum perpetuatam: licet ab ea aliquando ipsum Seleucum avocare tentasset Appollonius ejus Satrapa in Cœlesyria & Phœnice, dolo & artibus Simonis cujusdam Benjamitæ, cui Templi præsidium demandatum fuerat.

Mortuo Seleuco concidere & jacere cœpit ea αὐτονομία. Nam cum Jason Oniæ summi Sacerdotis frater ingenti pecuniæ vi summum Sacerdotium ab Antiocho Epiphane emisset [1], pro Legibus divinis paulatim Græcorum instituta substituit; imo & idem audacius & impudentius fecit Menelaus adversus utrumque fratrem, atque universam gentem Hebræorum, & tandem ad eam rem nactus est sibi legatum Lysimachum, per omnia cognatum: unde & justo Dei judicio Antiochus Epiphanes octavo sui regni anno Judæorum αὐτονομίαν, & mixtam fere superiorum temporum politiam, omnino abrogavit.

Abrogatam Dei Legem apud suos paulatim restituerunt Judæorum illi ex Sacerdotali genere, quos vulgo Hebræi Chasmonæos appellant, nostri vero Maccabæos. Mathathias [2] ubi ejus rei specimen aliquod edidisset, a potiore populi Judaici parte ad eam rem Princeps instituitur. Patris successor fuit ex ejus designatione Judas filius. Qui ubi adversus Appollonium Antiochi Satrapam suæ fortitudinis periculum fecisset, audissetque Antiochum bellum propediem redintegraturum, ad Mitspam Judæos solenni ritu jejunaturos, & Deum deprecaturos convocat [3]: ibique priscæ proculdubio politiæ vestigia sequutus constituit qui populum tempore belli præcipue regerent, videlicet Chiliarchos, Centuriones, Quinquagenarios, & Decuriones; atque tandem devicto Gorgia & Lysia, Jerosolyma Templumque ipsum repurgavit [4], illudque ac omnia in eo Dei cultui devota & dicata, rursum Deo consecravit. Atque ad eam rem usus dicitur opera Sacerdotum crimine vacuorum, & studiosorum Legis. In his autem summum Sacerdotem ipse probasse videtur Oniam seu Menelaum [5]. ita ut Judas tantum Dux & Princeps populi fuerit, non etiam summus Sacerdos: quantumvis hoc asserat Josephus [6]: qui vult, Alcimum summum alium Sacerdotem superiori illi malis artibus suffectum interiisse vivente adhuc Juda Maccabæo, indeque populum Judæ summum Sacerdotium obtulisse & assignasse, ac eo per triennium functum fuisse: *b* contra fidem historiæ quæ traditur in libris Macca. Fieri certe potest, ut summum Sacerdotium Judæ a populo oblatum, & ab eo repudiatum fuerit.

Ubi Judas fœdus iniisset cum Romanis [7], multaque prælia cum Syriæ regibus, eorumque ducibus feliciter commisisset, tandem a Bacchide Demetrii Syriæ regis duce vincitur, & ab ejus militibus interficitur.

Eo mortuo ejus frater Jonathas inducitur ab amicis, & meliore Judæorum parte, ad suscipiendam Rei Judaicæ administrationem, & populi principatum [8]. Ille de more primorum illorum Judicum seu gubernatorum Reipub. Judaicæ, dicitur judicasse populum in urbe Machma, in qua habitabat, (id est, ut Josephus [9] interpretatur, populo quæ gerenda essent præscripsisse) & improbis atque impiis quibusque de medio sublatis gentem suam repurgasse. Nec tamen in his omnibus summo Sacerdotio functus dicitur, quoad illi oblatum fuisset una etiam & regni & imperii summi insigne & symbolum ab Alexandro [10], qui se venditabat filium Antiochi Epiphanis. Is autem Epiphanes hoc ipsum jus eligendi summi Sacerdotis jam antea sibi vendicaverat, itemque ejus successor & frater Demetrius. Ergo in festo Tabernaculorum Jonathas summo Sacerdotio fungitur: itaque in eum unum confluere cœperunt summum Sacerdotium & Summum Gentis Judaicæ imperium, ad antiquos fines tandem ab eo extensum, & pristinæ libertati omnino restitutum. Atque hæc Jonathas non solum ab Alexandro obtinuit, qui se filium Antiochi Epiphanis jactabat, & proinde legitimum Syriæ regem: sed & Demetrius frater Antiochi Epiphanis qui regnum illud usurpabat, plura illi pollicitus est, si ejus partes sequeretur: imo & Demetrius istius Demetrii filius [11], cum rerum Syriacarum solus potiretur, non solum Judæorum αὐτονομίαν, sed & αὐτεξουσίαν omnibus modis auxit & amplificavit. [12] Judæis enim Judææ fines assignavit, tres præfecturas, Aphærema, Lyddan, & Ramathen, de Samaria ad Judæam additas: omniaque pertinentia ad eos omnes qui Jerosolymis sacrificarent, idque pro Regiis vectigalibus, quæ Rex antea ab ipsis annua de fructibus tam terræ quam arborum percipiebat: alia item quæ Syriæ regibus persolvebantur, tam decimas quam tributa illis debita, atque etiam Salinas & Coronas quæ illis pendebantur: atque hæc ita perpetua esse Demetrius iste voluit, ut disertissimum ejus rei monumentum in celebri loco Templi reponendum curaverit. Duntaxat hoc excepit, ut præsidium quod Syri in Arce Jerosolymitana habebant, Jona-

thæ

[1] 2. Macc. 4.

[2] 1. Macc. 2. Ant. Jud. 12. 8.

[3] 1. Macc. 3. Ant. Jud. 12. 9.

[4] 1. Macc. 4.

[5] Ant. Jud. 12. 15. vers. 2. & 3.

[6] Ant. Jud. 17. vers. 21. 1. Macc. 9. 56.

[7] 1. Macc. 8. Joseph. Ant. Jud. 12. 17. & 18.

[8] 1. Macc. 9. & 10.

[9] Ant. Jud. 13. 2. & 3.

[10] 1. Macc. 10. Ant. Jud. 13. 5.

[11] 1. Macc. 10. 67.

[12] 1. Macc. 11. 19. 34.

thæ inde ejicere adhuc non liceret. Quinetiam superiora illa Jonathas ab Antiocho Sedete Alexandri illius superioris filio, & ab ejus curatore Tryphone obtinuit. Imo Jonathas ut melius αὐτονομίαν & αὐτεξουσίαν Judæis restitutam sartam tectam retinere posset, legatos Romam & Lacedæmona misit, qui fœdus cum Romanis & Lacedæmoniis redintegrarent. Restitutam autem fuisse veterem Judæorum politiam sub Jonatha, liquet ex eo, quod Legati istiusmodi Romanis diserte significarunt, se missos a Jonatha summo Sacerdote, & Gente Judæorum: item & ex ipsa literarum inscriptione, quas per eosdem Legatos Spartam ad renovandum fœdus misit: quæ his verbis concepta est [1]: Ἰωνάθαν ἀρχιερεὺς ϗ ἡ γερουσία τοῦ ἔθνους, ϗ ὁ λοιπὸς δῆμος τῶν Ἰουδαίων, Σπαρτιάταις τοῖς ἀδελφοῖς χαίρειν· & apud Josephum Antiq. Jud. 13. cap. 9. vers. 25. Ἀρχιερεὺς Ἰωνάθης τοῦ ἔθνους τῶν Ἰουδαίων, ϗ ἡ γερουσία, ϗ τὸ κοινὸν τῶν Ἰουδαίων, Λακεδαιμονίων ἐφόροις, ϗ γερουσίᾳ, ϗ δήμῳ, τοῖς ἀδελφοῖς χαίρειν. Hæc manifeste arguunt quæ fuerit tum forma Reipub. Judaicæ, & quomodo ad superiorem illam mixtam politiam redierint. Nam inprimis Jonathas inducitur tanquam princeps, deinde Senatus, (quæ vox Judices superiores & inferiores continet) postremo populus ipse. Atque ut his vocibus fucum Romanis & Lacedæmoniis factum non fuisse constet, 1. Macc. 12. 35. dicitur Jonathan ad concionem convocasse τοὺς πρεσβυτέρους τοῦ λαοῦ, id est, Seniores populi, ut de exædificandis in Judæa propugnaculis ageret, mœnibusque Jerosolymitanis, & excitando altissimo muro inter Arcem & urbem, ut hoc pacto excluderent præsidium Syrorum a commerciis urbis, tandemque ad commeatus penuriam adducerent. Quos vero author lib. Maccabæorum vocat πρεσβυτέρους τοῦ λαοῦ, id est, Seniores populi, Josephus λαὸν ἅπαντα, id est, populum universum: ita ut vel illis nominibus veniant omnes cives qui proprie populus vocatur, vel γερουσία, id est, Senatus, ille videlicet superior, qui quum populum repræsentet, vocetur populus ipse. Hoc certe notandum videtur, politiam prioris istius temporis Maccabæorum, aliquid amplius habuisse Democratiæ, aut Aristocratiæ, quam Regni.

[1] 1. Macc. 12. 6.

Continuatam fuisse hanc politiam apud Judæos, primum illud demonstrat, quod Simon ejus frater, accepto nuntio de fratre captivo apud Tryphonem, non ante exercitus ductandi provinciam & Reipub. administrandæ subiit, quam convocatus populus eum ducem in locum fratris substituisset [2]: deinde quod Demetrius rescribit Simoni in hæc verba [3]: Σίμωνι ἀρχιερεῖ, ϗ πρεσβυτέροις, ϗ ἔθνει Ἰουδαίων χαίρειν· tertio loco & illud, [4] Σπαρτιατῶν ἄρχοντες, ϗ ἡ πόλις, Σίμωνι ἱερεῖ μεγάλῳ, ϗ τοῖς πρεσβυτέροις ϗ τοῖς ἱερεῦσι ϗ τῷ λοιπῷ δήμῳ τῶν Ἰουδαίων, ἀδελφοῖς χαίρειν· postremo quod exstat in solenni & augustissimo illo plebiscito, quod in gratiam Simonis conceptum est [5]: Ἐπὶ συναγωγῆς μεγάλης ἱερέων ϗ λαοῦ, ϗ ἀρχόντων ἔθνους ϗ τῶν πρεσβυτέρων τῆς χώρας. quamvis hujus Simonis Majestas longe amplior designetur & prædicetur quam superiorum ejus fratrum: ut apparet ex eo quod in tabulis & instrumentis publicis, annorum supputatio iniri cœperit, ἐπὶ Σίμωνος ἀρχιερέως μεγάλου ϗ στρατηγοῦ ϗ ἡγουμένου, vel, ut vult Josephus, εὐεργέτου Ἰουδαίων ϗ ἐθνάρχου: deinde quod ex communi consensu Judæorum & Sacerdotum designatus dicatur [6] ἡγούμενος ϗ ἀρχιερεὺς εἰς τὸν αἰῶνα, & στρατηγὸς cum summo imperio in utramque politiam, & Simon recepisse quod illi offerebatur, & libenter suscepisse ἀρχιερατεύειν, ϗ εἶναι στρατηγὸν, ϗ ἐθνάρχην τῶν Ἰουδαίων ϗ ἱερέων, ϗ προστατῆσαι πάντων. Et certe non solum superiora illa quæ ejus frater Jonathas obtinuerat a regibus Syriæ, consequutus est: sed hoc illius principatui tribuitur, quod sublatum fuit ab Israele jugum Gentium [7]: & recepta tandem fuerit Arx illa in qua erat præsidium Syrorum, quam a pollutionibus repurgarit, & solenniter admodum suis restituerit. Atque in hac mixta politia, Regni aliquid emicuit amplius quam Aristocratiæ aut Democratiæ, ut paulatim ejus posteri commonstrarunt. Hyrcanus enim patri succedens, suo quidem principatus initio αὐτεξουσίαν, non tamen αὐτονομίαν suæ Gentis amisit: sed paucis post diebus ita excussit Antiochi Pii tyrannidem, ut quam latissime fines suos amplificaverit [8].

[2] 1. Macc. 13. 2.
[3] Vers. 36.
[4] 1. Macc. 14. 20.
[5] 1. Macc. 14. 28. Ant. Jud. 13. 11.
[6] 1. Macc. 14. 41. & 42.
[7] 1. Macc. 13. 41.
[8] Ant. Jud. 13. 16. & 17.

Mortuo Hyrcano Aristobulus ejus filius natu major [9] principatum in Regnum evexit, seque & diademate & Regio nomine ornavit: ita tamen ut jam tyrannidis aliquid Maccabæi ipsi admiscerent veteri illi Judæorum politiæ, quam & ipsi adversus Judæorum tyrannos vindicaverant. Ituræam certe ita adjunxit Judæorum regno, ut Ituræos minis coegerit ad omnes ceremonias Judaicas, una cum ipsa Circumcisione admittendas.

[9] Ant. Jud. 13. 19.

Mortuo Aristobulo ejus frater Alexander [10] Rex etiam dictus, Judaici imperii fines ad summum evexit. Tyrannidem omnino resipuit ejus regnum: ut maxime suspectum sit, an superior illa Judæorum politia tum libera fuerit, an vero ad ejus arbitrium & nutum inclinaverit.

[10] Ant. Jud. 20. & 21. & 22. & 23

Alexandra uxor marito successit: ita tamen ut Hyrcanum natu majorem ex filiis sum-

summum Sacerdotem designaret, Pharisæos autem consortes administrationis Regiæ haberet. Atque tum in Judæorum politia obtinuisse videtur Aristocratia: vel certe Oligarchia: nam ea politia Tyrannidem admixtam habuit.

[1] Ant. Jud. 13, 24. 20.

Matre gravius laborante, Aristobulus ejus filius natu minor [1] ita capiendis castellis inhiavit, ut intra quindecim dies viginti duo loca ceperit. Unde Judæorum πρεσβύτεροι, id est, Seniores, & Hyrcanus ejus filius natu major Reginam admonent, ut sibi prospiciat. Atque hujuscemodi Seniorum mentio satis designat, non prorsus tunc corruisse Judæorum Rempublicam.

[2] Ant. Jud. 14. 1.

Mortua matre Aristobulus [2] ita cum fratre Hyrcano pactus est, adhibito etiam solenni sacramento, ut ipse Sacerdos summus & Rex esset: Hyrcanus vero deposito Sacerdotio summo privatam vitam ageret. Sed artibus Antipatri res eo tandem devenit, ut cum Aristobulus Sacerdotium summum, & Regnum tenuisset per tres annos & sex menses, Judæi libertatem amiserint, eosque Pompejus Romanis subjecerit: factaque fuerit (ut verbis Josephi utar) Jerusalem Romanis tributaria, & Regnum quod antea datum fuerat (tanquam singularis aliquis honos iis qui erant ex genere Sacerdotali) virorum popularium & plebejorum (id est, virorum illorum qui populi suffragiis atque adeo plebis ipsius regebantur, quales erant Romani) evaserit. Pompejus tamen imperium universum & Jurisdictionem ademisse Judæis non videtur. Nam & Antipater dicitur ex Hyrcani mandato frumentum reliquaque necessaria Scauro Romano, militanti adversus Arabes, subministrasse [3]. Hyrcanus igitur ita fuit Sacerdos summus, ut Judæi suis legibus adhuc uterentur, & viverent, summusque eorum Sacerdos aliquid imperii haberet.

[3] Ant. Jud. c. 9.

Cæterum in hac tanta rerum mutatione, Judæi Romanis tributa pependerunt, quæ olim Ægyptiis & Syris repræsentaverant, atque adeo posterioribus Persarum Monarchis: ita ut etiam tunc Hebræorum politia potissimum Aristocratica, Romanorum tyrannidem experta fuerit.

[4] Ant. Jud. c. 10.

Gabinius Romanus [4] devicto Alexandro Aristobuli filio, politiam illam Aristocraticam, aliquantulum antea labefactatam, Romanorum Tyrannidi penitus subjecit. Nam Hyrcanum Jerosolyma reductum Templo præfecit, & gentem Judaicam in quinque Curias distinxit, & cuique Curiæ suum Synedrion assignavit. Synedri igitur Jerosolymitani Jerosolymitano territorio jus dicebant, Gadareni Gadareno, Amathuntæi Amathuntæo, Jerichuntini Jerichuntino, & Samphoræi (ex Sephora seu Samphora urbe Galilææ) Samphoræo: ut non jam unius imperio, sed ex Optimatum decreto res eorum administrari legitime possent.

[5] Ant. Jud. c. 15. & 16.
[6] Cap. 17.
[7] Cap. 18.

Cum hæc Judæorum Aristocratia per aliquod tempus durasset, Hyrcanus [5] paulatim ad aliquem gradum pristinæ dignitatis rediit, ita ut rursum & Sacerdos summus, & ἐθνάρχης gentis Judæorum [6] diceretur, quasi Judæa [7] non tam Romanorum provincia esset quam socia, Romanique non tam ἡγεμόνες & πρόμαχοι, quam σύμμαχοι haberentur. Cæterum quia Hyrcanus judicio paulo segniore videbatur, C. Julius Cæsar Judææ ἐπίτροπον καὶ προστάτην, id est, Procuratorem (seu Tutorem, & Curatorem) atque Patronum Antipatrum designavit. Antipater eamdem ob causam Phaselum filium suum natu majorem Hyrcano propius adjunxit, qui dux seu præfectus Jerosolymorum & locorum circumjacentium esset: Galilæam commisit eodem titulo Herodi alteri ex filiis. Atque ut apparet ex actis rescriptis ejusdem Cæsaris, Hyrcanus non solum Sacerdos summus, sed & ἐθνάρχης fuit, eodem prorsus jure & iisdem privilegiis, quibus ejus majores: utpote cui permissum fuerit non tantum decimas, sed & ab Joppensibus vectigalia & tributa alia exigere.

Hyrcanus igitur tanquam summus Princeps gentis Judaicæ, præfectum sub se habuit Antipatrum, ejusque filios, ita ut contentus fuerit Judæos domi regere: cætera vero omnia Antipatro ejusque filiis permiserit. Quod effecit ut οἱ ἐν τέλει, id est, qui magistratum gerebant apud Judæos, & qui erant πρῶτοι, id est, Primarii seu Primates & optimates, ea de re apud Hyrcanum conquesti sint, quasi Antipater ejusque filii Tyrannidem in Judæos affectarent: præsertim arrepta inde occasione, quod Herodes contra patrias Hebræorum Leges & Synedrii jus, quamplurima in Galilæa perpetrasset: quorum etiam nomine aliquanto post apud summum Synedrion Jerosolymam est evocatus.

Porro Josephus his de rebus agens, docet, illis temporibus durasse jus Synedrii illius apud Judæos summi quod Jerosolymis sedebat, ejusque amplitudinem una cum gentis principatu sub Hyrcano plane restitutam, ita ut satis constet, Judæorum politiam maxime fuisse Aristocraticam, & tamen aliquid Tyrannidis Romanæ & Herodianæ habuisse. Quinetiam tandem eo res rediit, ut non amplius Judæorum res Hyrcanus tractaret: nec eorum Optimates quicquam, aut certe quam minimum in suis

rebus

rebus administrationis habuerint, etiam ex ipsius Hyrcani consensu [1], qui suo testimonio apud Antonium confirmavit, Antipatri filios melius Judæorum genti præesse quam Judæos ipsos. Unde & uterque ex Antipatri filiis ab Antonio designatus est Tetrarcha, & Aristocratia in Judæorum Repub. admodum imminuta est, ita ut Tyrannis jam obtineret: & tamen duo illi Antipatri filii, Judæos ipsorum Legibus & Judiciis regerent.

[1] Ant. Jud. c. 23.

Antigono [2] autem Aristobuli Hyrcani fratris filio postea novis rebus studente, adeo ut patruum ad Parthos & Babylonios relegarit, Judæorum Respub. tandem tota Herodi in Regnum cessit: ita ut Tyrannide crescente, Judæorum politia admodum imminuta ægre se sustentaret. Nam Herodes Synedrii summi omnes Judices, excepto uno aut altero, interficiendos curavit, reliquosque omnes qui aliqua auctoritate valebant, vel alicujus dignitatis gradum obtinebant: ita ut quos vellet, illis sufficeret.

[2] Ant. Jud. c. 24.

Quinetiam hic improbus Tyrannus infantium Bethlechemitarum cæde Tyrannidem suam nobilitavit.

Certe quod antiquum amicum Hyrcanum ex Synedrii authoritate morte multasse dicitur, ejus Tyrannidem ita confirmat, ut tamen non prorsus ab eo abolita appareat veteris illius Judæorum politiæ forma.

Tandem vero Herode teterrimo tyranno morte sublato, ejus regnum, rescisso ipsius testamento in Tetrarchias ab Augusto Cæsare distractum est, Archelao Judææ Tetrarcha constituto: qui & ipse cum impotenter dominaretur, inde extrusus est, Judææque Tetrarchia in Provinciam redacta, Syriæque attributa fuit.

Hanc Judaici regni in Tetrarchias distractionem consequuta est necessario Synedriorum nova distinctio, unoquoque Tetrarcha procul dubio suam seorsim jurisdictionem tuente. Quam occasionem avide arripuisse Pilatum videmus, cum Christum tanquam Galilæum (haud in eo profecto Jerosolymitanis Judæis gratificans) ad Herodem Galilææ Tetrarcham (quem tamen Lucas Regem nominat) Christum remitteret.

Cœterum Judæa sic ab Augusto Imperatore Romano adjuncta est provinciæ Syriæ, ut proprium haberet a Cæsare Procuratorem seu Præsidem (quasi medium aliquem locum teneret inter Provinciam & liberam omnino regionem) nec ei a Prætore Syriæ jus diceretur. Quæ ut melius intelligantur, tenendum videtur, Judæos suam αὐτονομίαν a Romanis semper obtinuisse, ut apparet ex Antiq. Jud. 14. 19. ubi plura leges apud Rufinum, quam vulgo habeantur in nostris exemplaribus & Græcis, & Latinis, item & capite 13. item libro 16. 12. item & lib. 19. 5. ubi etiam ipse Augustus meminit disertissime juris istiusmodi, quod Cæsar Hyrcano concesserat.

In ea αὐτονομίᾳ, ut pendebat a Dei Mosisque institutione, primum locum obtinebat politia Ecclesiastica, de qua alio loco: secundum politia Civilis.

In politia Civili erant personæ, quæ Magistratum obibant.

In illis (ut jam attigimus) erant primum Septuaginta, seu Synedrion, cui præfuisse videtur Sacerdos summus: erant deinde Judices ordinarii, Chiliarchi videlicet, Centuriones, &c. postremo erat populus ipse qui non semel apud Procuratores & Præsides Romanos scita sua proposuit.

Erant præterea & horum Ministri (quos videlicet שטרים, id est, præfectos, vocavimus, ex Josepho, nomen illud ita interpretante) quibus Magistratus illi utebantur in suis Judiciis, ut apparet in multis locis novi Testamenti.

Erant & Leges Mosis ex quarum præscripto de rebus propositis judicabatur.

Quod ad Synedrion attinet ejusque Judices, non semel eorum fit mentio in novo Testamento, cujus historiæ in hæc tempora inciderunt, nec non etiam apud Josephum, apud quem Synedri vocari videntur πρὔχοντες, id est, Primates & primas in populo obtinentes. In novo Testamento vocantur ἄρχοντες, id est, Principes, Luc. 23. 13. & 35. ἄρχοντες τῦ λαῦ, Principes populi, Act. 4. 8. & Luc. 24. 20. πρεσβύτεροι, Seniores, Matt. 27. 12. & 41. & c. 28. 12. & Mar. 15. 1. πρεσβύτεροι τῦ λαῦ, Seniores populi Matth. 27. 1. πρεσβυτέριον τῦ λαῦ, Senatus populi, Luc. 22. 66. γερυσία τῶν υἱῶν Ἰσραὴλ, Senatus filiorum Israel, Actorum 5. 21. πρῶτοι τῦ λαῦ, Primores populi, Luc. 19. 47.

Ordinarii Judæorum Judices videntur illi esse, c qui [3] στρατηγοὶ τῦ ἱερῦ, Prætores seu Magistratus Templi vocantur. Porro quia quamplurimi erant, Scriptura [4] aliquando plurali numero exprimit hujuscemodi Magistratum: quia vero vel unius alicujus authoritas ad prehensionem sufficiebat, vel etiam unus aliquis Chiliarchus summus erat, usurpatur quoque hujus Magistratus nomen singulari numero. Denique & illud usitatum est, corpus plurium qui eundem Magistratum gerunt, singulari numero exprimi.

[3] Luc. 22. 52.
[4] Act. 4. 1

Templi nomen adjungitur, vel quod eorum Jurisdictio in Templo exerceretur, vel

ex Templi, i. religionis judaicæ legibus, inter eos, qui eodem Templo, id est, iisdem Sacris utebantur: vel ad discrimen Jurisdictionis Procuratoris seu Præsidis Romani Imperatoris, quæ extendi videbatur ad eos, quos Præses ipse in seditione interceperat, vel etiam publice nocentes: vel ad extraneos, qui vel aliquid petebant a Judæis, vel cum quibus Judæi, aut alii extranei, aliquid controversi habebant: aut etiam ad Publicanos publicaque vectigalia, aliaque ejuscemodi.

Judicum istiusmodi ὑπηρέται id est, Ministri, Judæi omnino fuerunt, ut aliquo modo liquet ex locis aliquot novi Testamenti, præsertim ex Joan. 7. 46. imo etiam Levitæ, ut ex superioribus constare potest, & ex Joan. 1. 19.

Quæ vero Jerosolymis in Templo fiebant, illa in Synagogis in aliis Judaicæ provinciæ urbibus exercebantur a Judicibus ordinariis, ita ut majores & difficiliores causæ, aut etiam minorum appellationes Jerosolyma referrentur.

Jam autem subindicavimus, Judæorum jurisdictionem, & judicia duntaxat inter ipsos Judæos, qui nude & mere Judæi erant, non etiam cives Romani, locum habuisse.

Quousque progressa fuerit Judæorum jurisdictio, non ita certo constat.

Judæos, ut & reliquos Provinciales, habuisse minimam coercitionem, hoc est, apud eos ictus verberum quadraginta uno minus, in usu fuisse prorsus verum est.

Eos gladii seu morte plectendi potestatem habuisse videri potest, primum ex eo quod αὐτονομίαν suam semper retinuerint, ex cujus institutis & præscripto longe aliis de causis capitis pœna infligitur, quam ex Romanorum jure. Atque & hoc & illud [1] Adulteræ historia confirmat. Ibi enim dicuntur Scribæ & Pharisæi Judæorum (quasi præcipui eorum Judices) Christo Mosis Legem de adultera proposuisse una cum ipsa adultera, quam eo nomine mortis ream esse contendebant.

Eam autem Christus ad Pilatum non relegat, sed ipse mortis sententiam adversus eam pronuntiat, ac scribas & Pharisæos ad illam lapidandam provocat: deinde prorsus absolvere videtur. Quæ nunquam facturi videntur fuisse Judæi, atque adeo nec Christus, ni Judæi aliquam habuissent gladii seu morte plectendi potestatem. Huic accedit quod Lysias Antoniani præsidii Tribunus, tam accurate se excusat apud [2] Felicem Præsidem, quod Paulum Judæis eripuerit, quia videlicet nosset eum civem Romanum. Quinetiam huc pertinet quod Tertullus Judæorum Orator audacter admodum pronuntiat apud Felicem, Judæos prehendisse Paulum, & voluisse eum ex sua Lege judicare, imo & queritur, Lysiam Tribunum Judæis Paulum per vim eripuisse.

Nec fortasse prorsus extra rem est quod [3] Paulus etiam gloriari audet apud Festum præsidem & Agrippam Regem, se suffragium tulisse, cum Christi discipuli morte multarentur & interficerentur.

[1] Joan. 8. 1. &c.

[2] Act. 23. 27.

[3] Act. 26. 10.

Ad hæc quoque facit quod Antiquit. Jud. 20. 8. scribitur, Ananum Sacerdotem (& proinde rigidiorem in judiciis) mortuo Festo Præside, antequam Albinus in ejus locum substitutus in Judæam venisset, coegisse Synedrion, ad quod permultos vocasset, & inter alios Jacobum fratrem Domini, quos transgressæ Legis accusatos lapidandos exhibuerit: atque cum horum apud Albinum accusaretur, non dici in eo Romanorum aut Præsidis imperium imminuisse, quod tam multos morti adjudicasset, sed duntaxat in eo quod Synedrion inconsulto Præside coegisset: quasi videlicet illa gens admodum suspecta esset studii rerum novarum, cogique non potuerit Synedrion inconsulto Præside, ut tum videret ne quid detrimenti caperent Romani.

Huc etiam accommodari potest quod scribitur Joan. 18. 31. ubi Pilatus Judæis respondet, ut Christum accipiant, & ex sua Lege eum judicent. Quod vero illi excipiunt, sibi non licere interficere quenquam, ita exponi potest, quasi Judæi mendaces de suo jure decedere velint, ut locum aliquem relinquerent prophetiæ Christi, quam ille sæpius iteraverat de suæ mortis genere, quod etiam ipse Evangelista innuit; ita ut etiam illi lapidationem, qua vulgo utebantur in suis judiciis, interfectionem esse negent. Ex his ergo confici videretur, saltem lapidationis supplicium permissum fuisse Judæis, eorumque Judicibus.

Porro videri mirum non debet, quod Romani hujuscemodi αὐτονομίαν Judæis concesserint, quæ etiam aliquid gladii haberet: quum inter ipsas provincias populi Romani quædam ita liberæ fuerint, ut magistratus Romani jurisdictione solverentur. Ejuscemodi fuit Atheniensium territorium, item & Lycia in Cilicia, quæ suum habuit Concilium, suum Lyciarcham, aliosque sui Concilii magistratus, qui ex patriis legibus judicia communiter redderent. Quinetiam Cyrenaica regio ejuscemodi primum fuit.

Cæterum ad hæc omnia respondent qui negant Judæos gladii seu morte plectendi potestatem habuisse, Judæos quamplurima ausos semper fuisse per tumultum & seditio-

tionem, ex judicio quod zeloſum vocant: atque ex eo genere eſſe quod de morte Stephani traditur, [1] & de Pauli lapidatione ad Lyſtra.

[1] Act. 7. 51 & 14. 19.

d Media igitur quædam via inita videtur, ut videlicet Judæi in ſuis Judicum conſeſſibus etiam de cauſis capitalibus cognoſcerent, mortiſque ſententiam adverſus reum pronuntiarent, quem poſtea Præſidi, aut ejus Tribuno ex ſua ſententia puniendum offerrent: præſertim ſi reus alii mortis generi adjudicatus eſſet quam lapidationi. In ea enim hoc uſurpaſſe videntur, ut inconſulto Præſide ejuſque Tribuno, juberent teſtes convictum reum lapidibus obruere, quod illud eorum Lege diſerte exprimeretur.

Quamvis autem Judæi αὐτονομίαν ſuam habuerint, tamen quia Romani Imperatoris intereſſe videbatur, ne, qui præcipuum Judæorum magiſtratum moderabatur, parum ſtudioſus illius eſſet, penes Præſides Judææ eſſe voluit Sacerdotes ſummos exauthorare, illiſque alios ſubſtituere, quod Tyrannide & avaritia non caruit. Unde politiam iſtiuſmodi majore ex parte Tyrannicam fuiſſe conſtat. Eo etiam aliquo modo ſpectat quod Sacerdotalium veſtium cuſtodiam retinuerint Præſides, vel certe ex eorum decreto Tribuni quibus præſidium & cuſtodia arcis Antoniæ demandata fuerat: quoad Vitellius eas cuſtodiendas Judæorum Sacerdotibus tradidiſſet.

Atque hæc politia ſub Præſidibus ſeu Procuratoribus Cæſarum duravit, quoad Claudius Imperator adjeciſſet Regno Agrippæ majoris Judæam & Samariam: ita ut tum Judæorum Reſp. nonnihil mitius habuerit quam ſub Romanorum Præſidibus: nec tamen, ut apparet ex Act. 12. propterea omnino a Tyrannide liberata fuerit, quamvis beneficiis quamplurimis ab ipſo Agrippa affecti fuerint Judæi.

Mortuo Agrippa majore Judæorum Reſpub. rurſum ad Præſidum ſeu Procuratorum Cæſaris adminiſtrationem rediit [2], iiſdem prorſus legibus quibus ante Agrippam, imo & magnificentioribus initio imperii Claudii Cæſaris, ut conſtat ex eo quod Claudius Imperator Judæorum gentem tam magnificis titulis ornatam donat veſtium Sacerdotalium cuſtodia. His enim verbis ad Judæos ſcribit.

[2] Ant. Jud. 20. 1.

Claudius Cæſar Germanicus, Tribunitiæ poteſtatis quinquies Conſul ordinarius, quater Imperator, decies pater Patriæ: Jeroſolymorum Principibus, Curiæ populoque Judæorum & cunctæ genti Salutem. Sed longe illam magnificentiam non multo poſt elevavit, cum in Herodem quartum, Agrippæ majoris fratrem, Regem Chalcidis, Templi ſacrorumque Theſaurorum poteſtatem, & ordinandorum Sacerdotum ſummorum jus contulit, atque hoc privilegium prorogavit Agrippæ minori, Agrippæ majoris filio, poſtquam eum Chalcidis regem creaſſet.

Atque hæc politia majore ex parte Tyrannica, ſi Romanos & Herodem ſpectes, Ariſtocratica tamen plurimum & Democratica, duravit quoad Ariſtocratia & Democratia prorſus apud eos obtinuiſſet, imo vero in Oligarchiam & Ochlocratiam degeneraſſent, ab anno videlicet duodecimo Neronis ad ſecundum uſque Veſpaſiani, nimirum per ſex annos, quo tempore ita concidit illa Reſp. cum urbe totaque gente, ut nunquam inſtaurari potuerit.

NOTÆ AD CAPUT DECIMUMTERTIUM.

a Annot. Vel ut etiam indicentur שוטרים.) *Paſſim authorem ipſum accuratius diſtinguere velim inter* ſeniores, זקנים, judices, שופטים, *&* officiales, שוטרים. *Non quidem negaverim, ſeniores, non ſolum in ſupremo ſenatu, ubi & de politicis negotiis ſtatuebatur; ſed quandoque in minoribus etiam civitatibus, judices deſignare: ubi tamen conjunguntur, diſtincta munia reſpiciunt. Confer cum Ez.* 10. 14. *Deut.* 1. 15. *& Num.* 11. 16. *Nimis itaque hic judices cum ſenioribus, vel cum officialibus, ut iiſdem, conjunguntur. Seniores & judices ita differunt, ut hi cauſas, lites ac controverſias, deciderent; illi reliqua politiæ conſervationem ſpectantia curarent. Quemadmodum præterea hoc evincit diſtinctio iſtorum in deſerto: de illis narratur Num.* 11. 16. *de his Exod.* 18. 21. *quum hi illis longe plures recenſeantur. Locus eſt inſignis ad diſtinctionis magiſtratuum confirmationem. Joſ.* 23. 2. Convocavit Joſua omnem Iſraelem, ſeniores ejus, & capita ejus, & judices ejus, & officiales ejus. *Eadem habes cap.* 24. 1. *Quænam fuerint illa* capita, *explicatur* 2. *Chron.* 5. 2. *puta duodecim tribuum principes, qui ad concordiam & ordinem ſervandum omnibus Iſraelitarum familiis in ſingulis tribubus præerant: licet eorum poteſtas congregatorum ſeniorum conſeſſu minor fuiſſe videatur, quod reſpectu ſenatus ſupremi præcipue intelligendum.*

b Contra fidem hiſtoriæ Macc.) *contra Judæorum hiſtoriam in libro Abrahami ben David, cui nomen* Hackabala, *& libro Jouchaſin alterius Abrahami. Ille, ſ.* 27. *Mathatiam patrem Judæ ſummum quidem ſacerdotem agnoſcit, ſed Judam regem ſive imperatorem nominat.* מרד מתתיה בן יוחנן כ״ג הוא הנקרא חשמונאי באנטיוכוס מלך יון ועמד הוא ובניו על משנה מלך יון המולך בירושל׳ והרגו הו ואת כל חילו ומלך חשמונאי שנה אחת ומת ואחריו יהודה בנו הגבור הגדול מבניו מלך שש שנים ומת. Rebellavit Mathatias, filius Joannis, ſacerdos magnus (is qui Haſmonæus vocatur) contra Antiochum regem Græciæ: atque cum ipſe, tum filii ejus inſurrexerunt contra ſatrapam regis Græciæ imperantis Hieroſolymis, eumque cum toto exercitu occiderunt: ita imperavit Haſmonæus per unum annum, obiitque. Poſt eum Judas filius, ſtrenuus ille, fortiſſimus filiorum, imperavit annos ſex, & obiit. *In tota illa hiſtoria patrem quidem pontificem M. fuiſſe narrat, & rerum moderatorem; ſed de pontificatu filii altum ſilentium. Pariter Abraham Zacuthus in Jouchaſin, fol.* 138. *ſub finem, de utroque:* הרגם מתתיה כהן גדול ובניו חשמונים ועשו שלום עם הרומיים ואחר כך הרג יהודה ומלך יונתן אחיו. Occidit eos, (ſcilicet ab Antiocho miſſos) Mathatia ſacerdos magnus, ejuſque filii Haſmonæi, atque cum Romanis

foedus

fœdus iniere. Postea occisus fuit Judas, cui in imperio successit Jonathan frater. *Quum adeo ad istiusmodi titulos advertant Judæi, cur hic in patris adscribitur; non vero in filii historia: si Judas filius etiam summi pontificis titulo gaudebat? Idem liquet ex historia Maccabæorum, imo ipso Josepho, uti Bertramus hic observat. Quid igitur sibi Josephus alibi voluit, quum Judam pontificem faceret? Sane, siquis Josephum diligenter cum aliis historicis conferat, non semel deprehendet authorem præstantissimum vitio scribarum fœde corruptum, quod viri docti passim observant, ut inter alios Cl. Casaubonus, exerc. adversus Baronium. Ad hæc, quis non fateatur, posterioribus temporibus in summis pontificibus creandis perturbate multa fuisse acta, neglecto ordine in sacris muneribus minime negligendo? quod alibi in pontificibus circa finem reipublicæ Judaicæ ostendi. Quid si ergo obtrusum fuisse Judæ pontificatum dicamus: quem bello impeditus belliquе motibus, administrare non voluerit; ideoque nec solemniter suscipere ausus? Josephi verba amplius non innuunt. Quod e libr. 12. cap. 17. Bertramus indicat, ita expono:* Ἀρχιερωσύνην ὁ λαὸς τῷ Ἰούδᾳ δίδωσι. Pontificatum populus Judæ tradit, *id est, offert. Imo verba ultima istius libri,* τὴν ἀρχιερωσύνην ἔτος τρίτον κατεχών, *de Juda,* quum pontificatum annos tres retinuisset, *hoc ostendunt, Judam licet administrare munus commodum sibi non existimaret, ita tamen id rejicere noluisse, ut alius crearetur. Quomodo, quod a populo datum erat, apud se veluti reliquit; licet id nec solenniter assumsisset, nec exercuisset.*

c Qui στρατηγοὶ τοῦ ἱεροῦ vocantur.) *Quam violentum hoc est, judices, qui passim populum judicabant, vocari templi prætores vel præfectos.* Cod. Schekalim, *c. 5. & apud Maimonidem, de instrumentis sanctuarii, c. 7. multa de officiis, in templi, & eorum, qui magno numero veluti exercitus quidam eo conveniebant, cura præstandis, recensentur: quibus quindecim primarii vacabant; aliosque complures sibi subjectos habebant, iisque administris utebantur. Maimodes:* חמשה עשר ממונין היו במקדש וכן ממנים לעילם על כל דבר מחמשה עשר דברים אלו ממונה אחר ואלו חן אחד על הזמנים ב׳על נעילת שערים ג׳על השומרים Quindecim præfecti erant sanctuario. (*id est, templo.*) Atque sic jugiter præficiunt unicuique ex quindecim istis negotiis unum præfectum. Sunt autem hi: Unus præerat temporibus: (*id est, tempora sacrificiorum &c. indicabat;*) secundus templi foribus claudendis (*& aperiendis;*) tertius in custodes dominabatur. *De quibus custodibus idcirco ait Pilatus, Matth. 27. sub finem;* Ἔχετε κουστωδίαν, Habetis custodiam. *Reliquos deinde enumerat ordine dicto loco Maimonides. Numquis dubitabit, de his potius loqui Ev. Lucam in Evangelio, c. 22. eosque nuncupare* στρατηγοὺς τοῦ ἱεροῦ *duces* vel præfectos templi *sive* sanctuarii; *quam ut judices populi ordinarios intelligat?*

d Media quædam via) *Verisimilis hæc sententia est, Judæos morte plectendi potestatem non habuisse: nimirum, post annum Christi tricesimum. Hoc indicant varia loca Talmudica, quibus ante templi secundi vastationem, anno quadragesimo, synedrium Jerosolymis alio demigrasse ferunt: quum judicia criminalia & capitalia inprimis, erepta fuissent. Ex eo factum, ut in* Jouchasin, *& Tsemach David, eorum authores Judæi, id ipsum aperte agnoscant. Expendamus unum atque alterum locum: non quod omnia probemus; sed quo in eorum verbis id reperiamus quo de in præsentia agitur,* Codice Aboda zara, *c. 1. f. 8. col. 2. sub finem, hæc leguntur, quæ brevitatis causa contraxi, quoniam inferuntur illis nihil ad rem facientia.* מולא חרב הבית גלתה סנהדרין ארבעים שנה וישבה לה בחנויות למאי הלכתה לומר שלא דנו דיני קנסות אמר רב נחמן בר יצחק לא תימא דיני קנסות אלא שלא דנו דיני נפשות מאי טעמא כיון דחזו דנפשי להו רוצחים ולא יכלי למידן אמרו מוטב נגלי ממקום למקום כי הכי דלא ליחייב דכתוב ועשית על פי הדבר אשר יגידו לך מן המקום ההוא מלמד שהמקום גורם Quadraginta annis, ante quam ædes vastaretur, migravit sanhedrin, & consedit in tabernis. Quorsum ista traditio (*patris Ismaelis?*) Ut indicaret, non decidisse causas criminales. Ait Magister Nachman, filius Isaaci; Ne dicas causas criminales, sed, non decidisse causas capitales. Quæ ratio? Quum viderent, quod animas occiderent, &, se non posse judicia exercere, dicebant, præstat migremus de loco in locum, ne rei fiamus. Nam scribitur, (*Deut.* 17. 10.) *Deinde facies ex præstituto illius sententiæ quam indicaverint tibi e loco illo.* Docet, locum astringere *scilicet judices: ut, si illic non sint, judicia capitalia exercere non teneantur. Verba ista plana sunt*, quum viderent, se non posse judicia capitalia exercere. *Quod autem hic dicitur, de loco in locum; id Codice* Rosch hasschana, *ubi eadem narrantur, magis distincte exprimitur, f. 31. circa medium:* גלתה סנהדרין מגזרא מלשכת הגזית לחנות ומחנות לירושלים ומיר׳ ליבנה ומיבנה לאושה ומא״ לשפרעם ומשפרעם לבית שערים ומבית ש׳ לצפרי ומצ׳ לטברא Migravit sanhedrin omnino ab exedra cæsi lapidis (*ubi olim circa templum erat*) ad tabernam; a tabernis (*nam alii legunt* חניות) in ipsam civitatem Hierusalem; inde Jabnam; Jabna Ousan: Ousa Schaphream; inde Bethschearaim; hinc Tzipporim; tandem Tiberiadem. *Itaque, quum vetusti Judæi id agnoscant, illam supremam potestatem sibi tunc ademtam fuisse, eo inclino, ut nulla vis istis verbis inferatur, Joh.* 18. 31. Nobis non licet interimere quenquam: *quorum simplicissimus sensus est, gladii potestatem ipsis ademtam fuisse. Quam sententiam pluribus confirmare possem; & alterius argumentis respondere: verum hoc loco sufficiet, uno atque altero verbo primariis rationibus satisfacere. Non hoc de nihilo esse arbitrantur, quod pronuntians veluti sententiam, dicat Servator Joh.* 8. 7. Qui vestrum sine peccato est, primus lapidem in illam jaciat. *At, Christum judicis partes a se rejecisse, ipsius verba ostendunt, Luc.* 12. 14. Quis me vobis judicem *aut partitorem* præfecit? *Quod vero Judæis, si insontes fuissent, lapidatio concessa videatur; isthic Christi scopus expendendus. Quia hypocrisi sua ipsum decipere & capere conabantur, vers. 6. ideo responso suo ostendit, se occulta ipsorum habere perspecta: q. d. per me licet, ut ex lege Dei de ipsa supplicium sumatis, si vos eo vacatis crimine: at conscientia vos arguet, itaque non est quod de supplicio isto cogitetis. Quocirca, si sensum respicias, Christus id potius prohibet: quemadmodum etiam v. 11. se condemnare ipsam negat. Conditione innocentiæ ab ipsis non præstita, nihil absolute de pœna adulteræ statuitur. Quæcunque alia proferuntur, nihil præter sententiam de reatu sontis evincunt. Nam, quicquid rabie quadam factum, huc non pertinet. Quod vero, Antiq. Jud. l. 20. c. 8, Ananus tantum de convocato synedrio injussu præsidis accusaretur, non de sumto per consessum istum supplicio, potius nostram sententiam confirmat: nam, si nequidem ad eam rem cogere senatum permittebatur; quanto magis sine authoritate præsidis per eum occidere nefas?*

CAP.

CAPUT DECIMUM QUARTUM.

Politia civilis Judæorum, per alias provincias dispersorum.

IN Synagogis provincialibus non pari ubique modo judicia exercebantur. Nam in Ægypto ubi Judæi Alexandrini & Cyrenenses suum habebant ἐθνάρχην, reliquosque Magistratus, ejusque ordines quales erant in Judæa, judicia eodem prorsus modo exercebantur quo in Judæa, ita ut summum imperium in Judæos esset penes eorum ἐθνάρχην, ut fusius exposuimus superiore capite: ubi de Ptolomæi Lagi & Philadelphi temporibus egimus.

Antiochenos Judæos eodem jure usos quo utebantur Alexandrini tempore Augusti, imo etiam tempore Vespasiani & Titi, confirmatur ex lib. Antiq. Jud. 12. 3.

Sardibus, quæ fuit aliquando Regia Lydiæ, Judæi etiam loca habuerunt, in quibus negotia & judicia inter se exercerent, ut liquet ex Antiq. Jud. 14. 19. apud Rufinum.

In Synagogis aliarum provinciarum non ita tractata videntur judicia Civilia, sed potius ad tribunal publicum tum Judicum municipalium loci, tum etiam Judicum Romanorum, ut constat ex Act. 14. 5. & 18. 12. 13. 14. 15. 16. & 19. 39.

Atque hactenus de civili Judæorum politia: nunc ad Ecclesiasticam redimus.

CAPUT DECIMUMQUINTUM.

Politia Ecclesiastica in Chananæa.

QUum Josuas tam fideliter & accurate Dei mandata sequutus dicatur, dubium non est, quin etiam Politiam Ecclesiasticam a Deo præscriptam, qua potuit fidelitate & diligentia conservaverit, præsertim adjutus, imo & quasi manu ductus ad eam rem ab Eleazare.

Eleazar autem antequam populus ex deserto excederet, patri Aharoni succedens, videtur sibi in Principem Levitarum substituisse filium suum Phineesum: ut apparere aliquo modo potest ex eo, quod Phineesus ex mediis Judicibus Israeliticis, quos Moses alloquebatur, prorumpens, tam intrepide [1] Zambrim & Cozbin transverberaverit; & ex ea promissione quam Dominus actioni illi tam magnanimæ subjecit: deinde ex legatione [2] quam obiit apud Rubenitas, Gaditas, & Menassitas trans-jordanenses. Denique ex eo quod 1. Paral. 9. 20. dicitur Præfectus fuisse Koritis: cujusmodi præfecturam dictum est Eleazarem habuisse, dum Aharone adhuc superstite Principem Levitarum ageret.

[1] Num.25. 8. 9. &c.

[2] Jos. 22. 14. &c.

Ubi terram Chananæam ingressi fuissent Israelitæ, & Tabernaculum statuissent Silunte, terraque divisa fuisset inter reliquas tribus a Levitica, Josuas ex Dei præscripto urbes refugii designat.

Deinde illas aliasque Sacerdotibus & Levitis aliis assignat.

In omnibus urbibus in quibus habitarunt Levitæ, verisimile est eos consessum quendam habuisse, ad quem referrentur causæ Ecclesiasticæ: docuisse certe verum est non solum in illis urbibus, sed & in aliis, in quibus etiam verisimile est fuisse loca quædam destinata precibus solennibus, cœtibus sacris, audiendo Dei verbo, & sacrificiis quibusdam faciendis ex genere Prosperitatum. Et fortasse hinc effluxerunt quæ postea vocata sunt Excelsa, (nisi malis ea ex Chananæorum reliquiis conservata.) Verisimile enim est, loca illa fuisse in editiore civitatis situ, vel ad civitatem ipsam. Imo & ista videntur fuisse Synagogarum initia.

Hæc aliquo modo confirmantur ex Jud. 6. 11. 17. & 20. & 13. 19. & 1. Sam. 9. 12. & 10. 5. & 10. & 16. 2. ut paulo infra fusius ista explicabimus.

Constitutis & destinatis urbibus in quibus Levitæ habitarent, non ita illis usuveniebat ad deportandum Tabernaculum convenire. Ergo per aliquot annos dicitur substitisse Silunte.

Quo tempore Tabernaculum substitit Silunte, Eleazari in Sacerdotio summo successit [3] Phineesus, ipsi Phineeso Abischuas, ipsi Abischuæ Bukkis, ipsi Bukki Huzzis, huic Elis ex alia familia, nimirum ex familia Ithamaris.

[3] Ant.Jud. 5. 12. 6. 1. Chron.6.4. &c.

Quo-

Quomodo Elis *a* Sacerdos summus evaserit, non scribitur: sed illud ex eo factum conjici potest, quod cum a Domino designatus fuisset populi Judex, visus etiam fuit perturbatissimis illis temporibus ad Sacerdotium summum evectus: præsertim cum inter Sacerdotes instructissimus haberetur ab omnibus rebus necessariis ad Reipub. administrationem. Quomodo reliqui Levitæ officium suum fecerint, non plane constat.

Certe ut apparet ex historia Sacra, Elis etiam ipse, maxime ubi in Judicem & Sacerdotem summum evasisset, parum sollicitus fuit de restituenda Hebræorum politia tum Ecclesiastica tum Civili, intentus fortasse populi libertati: quo effectum est, ut etiam domesticos filiorum errores non ita, ut ejus dignitas & munus ferebat, curaverit. Ergo tandem supervenit Samuel propheta simul & Judex, qui non solum populum in libertatem asseruit, sed & politiam utramque restituit. De civili jam actum est: ecclesiasticam eodem modo restituere cœpit. Quum enim initio illo quo prophetare cœpit, verbum Domini rarissimum fuisse dicatur, & aliquot post annis quamplurimi Prophetæ sub Saulis inaugurationem commemorentur, videtur ipse primus & excellentissimus Propheta prophetiæ donum atque Prophetarum numerum nobilitasse, ut Sacerdotibus summis, admodum in suo munere desidiosis, ac Dei verbo labascenti & pene sepulto, succurreret. Igitur Prophetarum collegia instituit, dum Levitarum consessus constituit, non uno loco, sed quamplurimis, id est, omnibus illis locis ubi cœtus publici a Levitis celebrari consueverant, ita ut tum Scholæ publicæ frequentari maxime cœperint. Atque de his susius disseremus, ubi agemus de politia Ecclesiastica decem tribuum. De cæteris quæ in Ecclesiastica politia evenerunt quo tempore Tabernaculum substitit Silunte, non ita constat.

Silunte Tabernaculum translatum est [1] Nobam, sed quo tempore, non liquet. Conjici potest illud incidisse in desolationem Arcæ captæ. Inde translatum est Gabaonem, ut apparet ex 2. Chro. 1. 3. quo tempore videlicet Doeg Idumæus est populatus igni & ferro urbem Nobam. Inde postremo translatum est in Jerosolyma, ut diserte traditur 2. Chron. 5. 5.

Arca sæpius deportata est [2], quoties videlicet facti sunt celebres quidam conventus, aut prælium commissum est, ut apparet ex illis formulis, Coram Domino, vel, ad Dominum. quæ fere intelligendæ sunt vel de Arca, ut Josuæ 24. 1. Jud. 2. 5. & 11. 11. & 20. 1. & 1. Sam. 6. 20. & 10. 17. & 18. & 11. 15. & disertissime 1. Sam. 14. 36. ex vers. 18. vel de Tabernaculo, ut 1. Sam. 21. 7. Deportata igitur est ad bellum quod tempore Elis susceptum est adversus Palæstinos, & ibi ab hostibus capta. Arca capta per septem menses apud Palæstinos mansit. A Palæstinis remissa apud Bethsamitas substitit per aliquot dies. Postea Kirjathjeharimis per annos viginti, in domo Abinadabi, in qua illius custos fuisse dicitur Eleazar ejus filius, eaque gratia solenniter consecratus. Postea eadem illa mansit apud Obedomi per tres menses.

In illis Tabernaculi deportationibus, Achitobus nepos avo Eli in Sacerdotio summo successit, huic Achias, isti Achimelechus, nisi forte idem sit Achias qui Achimelechus.

Post cladem admissam a Doeg ad urbem Nobam, Sacerdotium summum vagum fuisse videtur. Abiatharem filium Achimelechi unctum, aut alio aliquo modo solenniter promotum fuisse in Sacerdotem summum, probari non potest: & tamen eum Sacerdotio summo functum fuisse, verum efficitur ex eo, quod accinctus Ephode Sacerdotis summi de rebus futuris responderit: & in ejus exauthorati locum suffectus Tsadokus dicatur. Denique ex eo, quod Sacerdotis summi filius dicitur, atque adeo solus superstes ex ea familia in qua Sacerdotium summum per annos aliquot perseveraverat. Atque ut aliquis Sacerdotio summo initiaretur, *c* unctionem necessariam non fuisse, solum [3] vestium amictum suffecisse, Hebræi nostri contendunt, ubi successio non fuisset interturbata: quod & volunt aliquo modo apparere ex Eleazaris initiatione. Tsadokum autem (qui Abiathari adjungitur tanquam alter Sacerdos summus) non ante unctum fuisse in Sacerdotem summum constat, quam secundo [4] Salomon Regno inauguratus esset. Perturbatis igitur illis temporibus, Abiathar pro Sacerdote summo habitus est, qui etiam ad Arcam Jerosolymis consisteret. Tsadokus [5] autem pro primario inter Secundarios, atque adeo inter omnes qui ad Tabernaculum Gabaone ministrabant, ut etiam a Davide Aharonicæ familiæ præfectus fuerit: & tandem Abiathare exauthorato, a Salomone in summum Sacerdotem evaserit.

Arca tandem deducta est a Davide [6] in arcem Jerosolymitanam, sed longe alio cum apparatu quam cum quo ex domo Abinadabi deducta fuerat.

Jam

[1] 1. Sam. 21. 2. &c.

[2] 1. Sam. 4. 4. & 14. 3. & 18. & 2. Sam. 11. 11.

[3] Num. 20 26. & 28.

[4] 1. Chron. 29. 22.

[5] 1. Chron. 27. 17.

[6] 1. Chron. 15. 1. &c.

Jam ergo tum incepit David Levitas in ordinem cogere. Posteros enim Aharonis reliquosque Levitas ad se convocasse dicitur, atque ex illis selegisse.

Abiatharem summum Sacerdotem & Tsadokum primarium ex Secundariis,	de more Arcam involuturos suis aulæis, eamque exportaturos ex Adyto, in quo erat, & impositurus Levitis, illamque postea ex istorum humeris recepturos, & in suum Adytum abdituros.

Ex Levitis.

Urielem Hasaiam Joelem Schemaiam Elielem Haminadabum	Principem &	Kehatitarum, Meraritarum, Gersonitarum, Elisaphanitarum, Hebronitarum, Huzzielitarum,

qui Arcam suis humeris gestarent.

Hos ergo ad hanc rem se sanctificare & comparare jussit: fusiusque illis exposuit, superiorem Arcæ reductionem pessime cessisse, quod ex Mosis ritu facta non fuisset. Imo ut etiam ad hanc nihil deesset, illis mandavit ut inter se de Cantoribus ad eam Arcæ reductionem necessariis dispicerent. Illi igitur constituunt,

Ex Gersonitis, Asaphum Berechiæ, Ex Kehatitis, Hamanem Joelis, Ex Meraritis, Ethanem Kusajæ,	Cymbalistas.

Ex horum fratribus minoribus natu.

Zachariam, Hazielem, Semiramothum, Jechielem, Hunnim, Eliabum, Mahasiam, & Benajam,	Nablistas.
Mattithjam, Eliphlehum, Miknejahum, Hobed-edomum, Jehielem, qui & Hazazias, vel Haziel,	Cytharistas.

Cenanjam Principem Levitarum בנבואה, id est, in Prophetia, id est, qui præscriberet prophetias quas canerent alii Cantores: vel, in elevatione vocis: hoc est, Supremum Musicum, qui Musicæ tonos apud reliquos moderaretur: vel qui voce præiret.

Berechiam & Elkanam	Janitores anteriores ad Arcam, qui scilicet monerent ce quis propius ad eam accederet.

Ex Sacerdotibus

Schebanjam Josaphatum, Nathaneelem, Hamasæum, Zachariam, Benajam, & Eliezerem,	Tibicines ante arcam.

Ex Levitis,

Hobed-edomum & Jechijam	Janitores posteriores.

Ubi Arca reposita fuisset apud Davidem, visum est Davidi rerum Ecclesiasticarum politiam accuratius prosequi.

Igitur ad Arcæ ministerium designavit viros ex Levitis sexaginta & octo, & in illis.

Asaphum	Cymbalistam:
Zachariam, Semiramothum, Jechielem; Eliabum, & Benajam,	Nablistas: &
Mattithjam, Jehielem, Hobed-edomum, & Jehielem, qui & Hazazias vel Haziel,	Cytharistas:
Hobed-edomum filium Jedithunis cum filiis, & Chosam, ex Meraritis, & reliquos ad reliqua ministeria circa Arcam.	Janitores:

Ex Sacerdotibus,

Benajam & Jachazielem,	Tibicines:

Abiatharem, ministrantem apud Arcam.

Ad ministerium Tabernaculi, quod erat in Excelso ad Gabaonem, destinatus est

Tsadokus ejusque fratres ex genere Sacerdotali,	ad offerendum juge sacrificium.
Heman, Jeduthun, & alii suis nominibus designati,	Tibicines, Cymbalistæ, & ad reliqua instrumenta Musica.
Filii Jeduthun	Janitores.

Festis vero solennioribus etiam ad ipsum Tabernaculum astabat Asaphus ipse ad dextram Hemanis fratris, consistente Ethane seu Jeduthune ad Hemanis sinistram: sic,

Ethan, Heman, Asaphus: reliquis Levitis officium suum facientibus.

David confisus promissioni Nathanis de templo ædificando ab ejus filio, postquam illi optime successisset in componendis muneribus [1] Ecclesiasticis cum ad Arcam tum ad Tabernaculum Dei Gabaone, illi præsertim moribundo visum est de illis agere, quæ necessaria erant Templo constructo eo modo, quem filio præscripserat, & delineaverat.

[1] 1. Chr. 23. 1. &c.

Ad eam rem facilius conficiendam, censum egit Levitarum, quos recensuit ad 38000.

Ex illis constituit 24000. ad opus Ædis Domini, id est, ad obeunda illa munera quæ Ædis sacræ maxime propria videbantur, de quibus v. Chro. 23. 28. & 29.

Quater mille Janitores

Quater mille Cantores:

Et sexies mille Judices & Præfectos.

Opus Ædis Domini curabant	Sacerdotes,	Summus, Secundarii magis illustres, Principes rerum Sacrarum, seu Templi, Administri eorum ad rem sacram, & Quæstores rerum sacrarum.

Ex secundariis magis illustribus prior proprie vocatur נגיד בית האלהים, id est, Dux Ædis Dei, posterior פקיד, id est, Legatus, ille in reliquos Sacerdotes, Principes tribus Levis inquirebat, in Kahatitas, eorumque munus & diligentiam: hic in Gersonitas & Meraritas. Vide supra cap. 7. & paulo infra sub finem istius capitis.

Summum Sacerdotium cessit Abiathari. Primarium in Secundariis duobus [1], Tsadoko: ita tamen ut iste Silunte esset ad Tabernaculum, ille vero Jerosolymis ad Arcam.

[1] 1.Chron. 27. 17.

Abiathar igitur (qui & Achimelechus & Abimelechus dicitur) summus semper Sacerdos a Davide agnitus est, & Ephode sacro, ministerioque ad Arcam Jerosolymis consistentem donatus est. Tsadokus autem prior fuit ex secundariis magis illustribus, & ministerio primario ad Dei Tabernaculum quod Gabaone restabat, præfectus: quasi etiam sic paulatim pristinæ majorum dignitati, hoc est, summo Sacerdotio restitui inciperet. Atque ejus rei præludia quædam exstiterant vivente etiam Davide, cum Tsadokus in Sacerdotem (summum videlicet) unctus est. Vide & paulo supra in civili politia.

Sacerdotum Principum Templi, Administrorum rei sacræ, Cantorum, & Janitorum,	Munus descriptum 1. Chron.	c. 24. 5. v. 20. c. 25. 6. c. 26. 1.	sorte in 24. vices distributum est.

Vices Sacerdotum.

1 Jojaribus	13 Chuppais
2 Jedahjas	14 Jeschebeabus
3 Harimus	15 Bilgas
4 Sehorimus	16 Immer
5 Malchijas	17 Chezir
6 Mijamin	18 Happitsethus
7 Hakkotsus	19 Pethachjas
8 Abijas	20 Jechezkel
9 Jeschuas	21 Jachin
10 Schecanjas	22 Gamul
11 Eljaschibus	23 Delajahuus
12 Jakimus	24 Mahazjahus.

Præter has vices Sacerdotum erat summus Sacerdos: erant & Secundarii duo maxime illustres, de quibus supra.

Ad Sabbatha singula desinebant vicissitudinariæ istiusmodi functiones, ita ut abeuntes alii exciperent ad primum diem Hebdomadis insequentis, ut apparet ex 2. Reg. 11. 5. &c. Atque hoc in aliis etiam subsequentibus vicibus obtinuisse videtur.

Vices Administrorum.

1 Schelomitus 2 Chaziel 3 Haram	Schimhitæ primores.	Lahdanitæ seu Libnitæ.
4 Jachatus 5 Zinas 6 Berihas & Jehusus	Schimhitæ posteri.	Gerschonitæ.

7 Jechdejas Gersonita	Amramitæ		Kahatitæ.
8 Jischijas Elihezrita	Amramitæ		Kahatitæ.
9 Jachathus Jitsharita	Amramitæ		Kahatitæ.
10 Jerijas	Hebronitæ		Kahatitæ.
11 Amarjas	Hebronitæ		Kahatitæ.
12 Jachaziel	Hebronitæ		Kahatitæ.
13 Jekamhamus	Hebronitæ		Kahatitæ.
14 Schamir	Huzielitæ		Kahatitæ.
15 Zacharias	Huzielitæ		Kahatitæ.
16 Jahazias filius	Jahuzitæ		Meraritę.
17 Schohamus	Jahuzitæ		Meraritę.
18 Zaccur	Jahuzitæ		Meraritę.
19 Hibris	Jahuzitæ		Meraritę.
20 Eleazar & eo mortuo filii Kisi	Machlitæ		Meraritę.
21 Jerachmeel	Machlitæ		Meraritę.
22 Machlis	Musitæ		Meraritę.
23 Hedher	Musitæ		Meraritę.
24 Jerimothus	Musitæ		Meraritę.

Vices Cantorum.

1 Josephus, fratres ejus & filii 12.	Asaphi.
2 Ghedaljas, fratres ejus & filii 12.	Jeduthunis.
3 Zaccur, fratres & filii ejus 12.	As.
4 Iitsris, fratres & filii ejus 12.	Jed.
5 Nethanias, fratres & filii ejus 12.	As.
6 Bukkijas, fratres & filii ejus 12.	Hemanis.
7 Jesareelas, fratres ejus & filii 12.	As.
8 Jeschahiahus, fratres & filii ejus 12.	Jed.
9 Methanjas, fratres & filii ejus 12.	Hem.
10 Schimhis, fratres & filii ejus 12.	Hem.
11 Hazareel, fratres & filii ejus 12.	Hem.
12 Chaschabjas, fratres & filii ejus 12.	Jed
13 Schubael, fratres & filii ejus 12.	Hem.
14 Mattithjas, fratres & filii ejus 12.	Jed.
15 Jeremothus, fratres & filii ejus 12.	Hem.
16 Chananjas, fratres & filii ejus 12.	Hem.
17 Josbekaschas, fratres & filii ejus 12.	Hem.
18 Chananis, fratres & filii ejus 12.	Hem.
19 Mollothis fratres & filii ejus 12.	Hem.
20 Elijathas, fratres & filii ejus 12.	
21 Hothir, fratres & filii ejus 12.	
22 Ghiddalthis, fratres & filii ejus 12.	
23 Machaziothus, fratres & filii ejus 12.	Hem.

Vices Janitorum.

Et quod ad Janitorum vices & sortes attinet, postremi omnium recensiti sunt Janitores, eorumque vices & sortes per stationes seu loca portarum quas custodituri erant, designatæ sunt.

Ex familia Zachariæ filii majoris natu Mesellemiæ Asaphitæ & Koritæ, quatuor ad Aquilonem per diem destinati fuerunt. Ex reliquis vero ejusdem Mesellemiæ filiis, sex ad Orientem.

Ex Hobed- edomo Jeduthunita & Merarita, & quadam filiorum parte quatuor ad Meridiem.

Ex altera bini ad duo consessuum loca.

Ex Schuppim & Chosa Meraritis, quatuor ad Occidentem ad viam, eorumque duo *d* ad Parbarem: vel, ut alii volunt, eorumque bini erant ab Parbarem.

Horum quidam nominatim ad viginti quatuor designati sunt.

Ex Mesellemitis, Asaphitis & Koritis.	Ex Obed. edomitis, qui & Jeduthunitæ & Meraritæ erant.
	8 Schemahias,
1 Zacharias,	9 Jehozabad,
2 Jedihael,	10 Joachus,
3 Zebadjas,	11 Sathar,
4 Jethaniel,	12 Nethaneel,
5 Helamus,	13 Hammiel,
6 Jechochanan,	14 Jissachar,
7 Eljehohenais.	15 Pehullathis.

Ex Semathiæ superioris primogeniti Obed filiis edomi filiis.	Ex Chositis Meraritis.
16 Hothin,	21 Schimris,
17 Rephoel,	22 Chilkijas,
18 Hobel-elzadabus,	23 Tebaljas,
19 Elibus,	24 Zacharias.
20 Semachias.	

Hi vero ita nominatim designantur, quod inter suos fratres maxime illustres essent, & fortasse secundis sortitionibus præessent, ut colligi aliquo modo potest ex 2. Chron. 26. 12.

Quod vero ad quæstores rerum Sacrarum attinet, Thesaurorum Sacrorum duo fuerunt genera. Quidam enim erant Primitiarum & Decimarum. Alii aliarum rerum Deo sacrarum aut etiam [1] consecratarum. Ejuscemodi videntur fuisse Vota, eorumque redemtiones, item & Primogenitorum, Sicli Sanctuarii, denique omnia illa quæ in pecuniam redacta Templo offerebantur. Nam pecuniæ pro [2] Peccato & pro Delicto, Sacerdotibus afferebantur, ut ex illis sacrificia pro Peccato & Delicto offerrentur.

[1] 2. Reg. 12.4. aut 5.

[2] 2. Reg. 12.16. aut 17.

Ex Thesauro posterioris generis depromebantur quæ erant necessaria ad Sacrificium juge, Sacrificia Sabbathorum, Neomeniarum, & Festorum solennium, Aromata, Unguenta, Similam, Libamina vini & olei, Thus, & panes Propositionis.

Ex Thesauro prioris generis dabantur Sacerdotibus & Levitis suæ portiones.

Tertius quidam fuit Thesaurus ante Templum constructum, nimirum Anathematum extraordinariorum.

Achias qui & Jechiel ex Lahdane seu Libni ex Gersono primogenito Levis, præfuit his omnibus Thesauris.

Duo ejus filii Zetamus & Joel, ejus Legati fuerunt ad Thesauros posterioris generis. Diserte enim traditur, eos fuisse præfectos Thesauris Ædis Jehovæ, pro Hamramitis, (seu ut necessaria suppeditarent Hamramitis) Iitsharitis, Chebronitis, & Huzielitis, qui majore ex parte præfecti fuerunt illis rebus parandis & componendis, quæ comparabantur ex tributis Thesaurorum posterioris generis. Hamramitæ qui hic intelliguntur, fuerunt Sacerdotes quibus incumbebant sacrificia facienda, eorumque Libamina, item & Aromata, & Unguenta: ita tamen, ut & in his adornandis administros quosdam habuerint ex reliquis Hamramitis Levitis. Jitsharitæ videntur ex 1. Chron. 9. 32. panes propositionis adornasse. Chebronitas & Uzielitas hæc etiam aliquo modo tractasse verisimile est, vel similam mincharum & placentularum, libamina atque thus ipsum, res frigendas & torrendas, ex 1. Chron. 23. 28. quum & ipsi numerentur inter administros, 1. Chron. 24. 23. & 23. 19.

Sebuel ex Gersono primogenito Mosis, fuit Legatus Achiæ seu Jechielis ad Thesauros prioris generis: ita ut ejus fuisse videatur Sacerdotibus & Levitis suas assignare partes.

Schelomithus ex Eliezere filio minore natu Mosis, fuit Legatus Achiæ seu Jechielis ad Thesauros Anathematum extraordinariorum, ad Templi constructionem devotorum.

Quia vero Jechiel his omnibus superior fuit, anathemata ista ei commissa dicuntur 1. Chron. 29. 8.

Præter Levitas ad Tabernaculi munera adhibebantur Gabaonitæ reliqui ex clade Saulis, qui cum pauciores essent quam qui sufficerent ad Ædis sacræ ministerium, adhibiti sunt ad illud præter eos quidam a Davide, ut hoc diserte exprimitur Hezræ 8. 20. & postea a Solomone, quo nomine & servi Solomonis appellantur, qui

omnes

omnes cum reliqui Gabaonitæ, tum illi qui a Davide & a Solomone traditi fuerant, Nethinæi dicti sunt, quasi deditītii seu ascriptitii.

Eorum munus erat curare advehenda ligna ad Ædis sacræ ministerium necessaria, atque adeo ea advehere, item & aquam.

Levitarum qui alia munera extra Templum obibant; hoc est, ad Judicia adhibebantur, quidam Judicia civilia, ordinariis judiciis videlicet illis adjuncti, de quibus supra, quidam Ecclesiastica tractabant.

Qui ad Ecclesiastica judicia adhibebantur, erant vel Jerosolymis, vel in aliis urbibus Levitarum, & præcipue in illis, quæ dicuntur refugii.

Jerosolymis præcipue, & in aliis illis urbibus Judicium Ecclesiasticum non solum constabat ex præcipuis Sacerdotibus, si qui ibi aderant, aut si non aderant, ex præcipuis Levitis, sed (ut apparet ex Jerem. *26.*) etiam ex prophetis: qui erant cum ex ipsis Sacerdotibus, tum etiam ex Levitis, imo & ex aliquibus ex ipso populo.

Prophetæ non solum extraordinarii erant, sed & ordinarii : qui videlicet in Scripturis per se vel cum præceptoribus in scholis promoverant, qui & Scribæ & Legisperiti eo nomine paulo post hæc tempora dicti sunt. Vide & infra cap. *16.*

Atque hæc politia durasse videtur tempore Solomonis, quam tamen non ita semper eodem modo curaverit. Ejus temporibus Tsadokus prorsus & solus summo Sacerdotior estitutus est, abdicato Abiathare qui ab Adonia steterat, domumque relegato, ut ibi privatus viveret. Unde fit ut ille Abiathar qui Sacerdos adjungitur Tsadoko *e* in Solomonis historia, alius ab illo videatur, & præfectus ministerio Tabernaculi ad Gabaonem, usque ad conditum templum, tanquam prior ex duobus secundariis magis insignibus fuerit, interea dum Tsadokus apud Arcam Jerosolymis consisteret. Vide & supra in civili politia cap. 10.

Roboami tempore res divisi regni atque adeo Jeroboami malitia ferre non potuerunt, ut hæc magnificentia eadem esset, duravit tamen ut potuit : unde Abias rex exprobrat decem tribubus quod tota illa ratio politiæ Ecclesiasticæ apud eas esset sublata, quæ Jerosolymis adhuc vigeret.

Porro hic prætereundum non est, non solum ex Regni divisione & decem tribuum secessione perturbatum fuisse politiæ Ecclesiasticæ ut & Civilis cursum in regno Jehudæ, sed & ex idololatriis: quæ a Solomone primum invectæ, a permultis ejus posteris subinde revocatæ, & frequentatæ sunt : a paucis abolitæ, atque adeo genuinus Dei cultus restitutus. In hoc vero inter paucos illos Ezechias & Josias maxime excelluerunt, quod præter restitutam Ecclesiasticam politiam, non modo propositis edictis Excelsorum abusum abrogarunt (quod & pii alii Reges ante eos eadem via tentaverant) sed & ea penitus deleverunt, postquam illis populus omnino abutebatur.

Josaphatus autem politiam utramque, quæ ejus tempore aliquantulum conciderat, pristino nitori restituit: atque ut ad eam rem viam sterneret, ex Sacerdotum genere duos, Elischamam & Jehoramum, ex Levitis Semejam, Nethanjam, Zebadjam, Hasaelem, Semiramothum, Jehonathanem, Adonijam, Tobijam : & Tob-adonijam, cum quibusdam ex suis Proceribus misit per regni sui urbes, a quibus Lex doceretur. Deinde & ipse suos invisit omnes, & apud eos judicia cum Ecclesiastica tum Civilia restituit, eo quo diximus modo supra cap. 11. inde igitur repetenda erunt quæ huc pertinent.

Tempore Athaliæ cultus sacer prorsus concidisset, nisi Jojadahus summus Pontifex in ea tempora incidisset: qui Joam regno inauguravit: quique cum ante inaugurationem Joæ, tum etiam post adjutus & admonitus a Joa, Templum & Templi ministros pristino statui, qui tempore Jorami, Ochoziæ, atque adeo ipsius Athaliæ admodum perturbatus fuerat, restituit [1].

Hoc duntaxat Joas innovavit, ut, quia a Levitis impetrare non potuerat, ut ex [2] pecuniis, quas illi recipiebant ex Siclo census, ex redemtione votorum conceptorum de personis, atque ex spontaneis oblationibus, (quæ certe ad Thesauros prioris generis pertinebant) ruinas Templi instaurarent, sicut & a Deo ipso Siclus census & spontaneæ oblationes ad Tabernaculi constructionem adhibitæ fuerant) ut, inquam, in arcam quandam ad operculum ea gratia perforatum pecuniæ illius generis conjicerentur, & inde illæ a Sacerdote summo, vel ex secundariis primario, & Regis scriba assumerentur, atque e vestigio ad illas Templi ruinas instaurandas insumerentur. Cum vero opus istiusmodi absolutum fuisset; rursus genuinus earum usus revocatus est.

Tempore Uziæ seu Azariæ Regis optime constitutam fuisse politiæ Ecclesiasticæ disciplinam, arguit factum [3] illud Azariæ summi Sacerdotis: qui (tam præsenti animo)

[1] 2. Reg. 12. 4. &c.

[2] 2.Chron. 24. 4. &c.

[3] 2.Chron. 26. 19.&c.

mo) cum octoginta aliis Sacerdotibus Regem illum Azariam seu Aziam ab ipsius Sanctuarii aditu, & suffitu ad illius altare faciendo, revocavit.

Ezechias regno inauguratus [1] Sacerdotes & Levitas convocat, & apud eos agit de repurgando Templo, & politia Ecclesiastica redintegranda ex Davidis præscripto.

Quod & præstitit quantum potuit [2] accuratissime.

Hoc tamen non fuit in politia ab Ezechia restituta, quod David instituerat de Quæstore Thesauri, ex quo suppeditabatur quod necessarium erat ad sacrificia ordinaria Ædis sacræ, Juge videlicet, Sabbathorum, Neomeniarum, &c. Nam Rex illa voluit de suo suppeditari.

Fuerunt certe Thesauri ab eo restituti non solum Primitiarum & Decimarum, sed & rerum consecratarum Deo: verum alio modo distributi, nimirum Sacerdotibus & reliquis Levitis solis in eorum usum.

Illi autem vel Jerosolymitani erant, vel incolæ aliarum urbium Judaici regni, vel etiam insularum & suburbiorum.

Congerendis & cumulandis illis Thesauris præerat Cenanias Levita, ejusque Legatus erat minor ejus natu frater, Schimhis.

Distribuendis illis apud omnes Levitas Jerosolymitanos subpræfecti erant Jechiel, Hazarjahus, Machatus, Hasael, Jerimothu, Jozabad, Eliel, Jismachias, Machathus & Benajas.

Distribuendis vero apud alios omnes tam Levitas, quam Jerosolymitanos, præerat Kores filius Jimnæ Levita & Janitor Orientalis, quasi etiam jam tunc Janitores præessent asservandis Templi thesauris.

Hujus subpræfecti fuerunt in urbibus Jehudæ Hedhen, Minjamin, Jesuas, Semahjas, Amarjas, & Sechanjas.

Quæstores istiusmodi (vel certe alii) præfuerunt accensendis familiis Sacerdotum atque Levitarum omnium tam Jerosolymitanorum quam aliorum: ita ut mares primum omnes numerarentur qui tertium annum superarent.

Deinde ab iis recenserentur qui nati erant viginti annos, secundum eorum munera & provincias.

Tertio etiam ab iis recenserentur omnes eorum pueri (parvuli,) eorumque uxores, & filii & filiæ, ita ut eorum fide & prudentia, qui ex Levitarum familiis erant, ad res Sacras edendas admitterentur.

Quinetiam Sacerdotibus maribus qui operi rustico operam dabant in suburbiis urbium quæ Sacerdotibus assignatæ fuerant, illi iidem portiones suas distribuebant: atque adeo omnibus iis qui ex genealogia in Levitas accensebantur. Hæc vero ita repetita 2. Chron. 31. 19. respicere videntur Levitas & Sacerdotes qui propter vitium aliquod, munus Leviticum obire non poterant.

Hujus ætate admissa sunt quædam adversus ceremonias Ecclesiasticas: ut quod Levitæ victimas [3] excoriarint, ut & postea evenit tempore Josiæ (cum illud Sacerdotum esset, ex Levit. 1. 6.) quod ab universo populo celebratum sit Pascha mense secundo [4]: quod Levitæ Paschales agnos eorum qui immundi ad festum confluxerant, immolarunt: quod & immundi de illis agnis ederint: sed quæ omnia idoneas habeant excusationes.

Tempore Josiæ res Ecclesiasticæ admodum perturbatæ paulatim restitutæ sunt. Quum enim repurgasset Jehudam, Jerosolyma, & tribum Menassis, Ephraimi, Simeonis & Naphtalis: & delubra omnia, lucos, idolaque sustulisset: convertit se ad Templi ruinas sarciendas: atque ad eam rem mittit ad Chilkiam Sacerdotem summum tres ex suis proceribus, qui una cum ipso Chilkia pecuniam, ex Judæis omnibus collectam ab ipsis Levitis, dent Levitis qui operi Templi præerant, ut illud artificibus ipsis postea in manum traderent.

Præfecti illi duo numerantur, Jachatus & Hobadjas, Levitæ ex Meraritis. Illis videntur adjuncti duo, Zacharias & Meschulamus ex Kehatitis, qui opus urgerent: ita ut ex Levitis qui intelligentia valerent ad Cantica adhiberentur, & super onera, (seu super advectores, id est, ad ea inspicienda & observanda quæ in Templum advehebantur ad illud instaurandum) & ut exactores essent cujuslibet operis quod tum in templi instauratione fiebat: quinetiam ex Levitis erant Scribæ, Præfecti & Janitores. Hoc non solum referri potest ad propositum ipsum instaurationis: sed & eo ut dicatur Josias adhibuisse Levitas ad judicia Ecclesiastica & Civilia: & Scribarum nomen Legisperitum significet.

Dum hæc accuratissime fiunt, reperitur liber Legis a Chilkia, & Regi affertur, 2. Reg. 22. 8. qui consulta Prophetissa Holda, coegit Jerosolyma Seniores Jehudæ & Jerosolymorum, id est, Synedrion summum, una & Chiliarchos, Centuriones, atque

[1] 2.Chron. 29.3.&c.

[2] Vers. 2. &c. 31. 2.

[3] 2.Chr.29. 34. 2.Chr. 35. 11.

[4] 2.Chr.30. 2. &c.

atque ipse postea & omnis vir Jehudæ, & omnes cives Jerosolymitani, Sacerdotes, Levitæ, & Prophetæ, (id est, Scribæ seu Legisperiti, ut exponit Jonathas) & universus populus a minimo ad maximum usque ascenderunt in Templum. Ibi perlecta Dei Lege, Rex fœdus cum Deo de ea implenda renovat. Et statim præcipit Chilkiæ Sacerdoti summo & Sacerdotibus Secundariis, (id est, duobus aliis præcipuis, vel etiam reliquis aliis) & Janitoribus, ut Templum repurgent.

Ubi Josias progressus fuisset in instaurando Dei cultu, restituendos curavit Levitas suis vicibus & functionibus.

[1] 2.Chron. 35. 8.

Tres nominantur נגידי בית האלהים, id est, duces Templi [1], Chilkias, Zacharias & Jechiel. Chilkias est Sacerdos summus. Zacharias videtur esse prior ex Secundariis magis illustribus, ille videlicet qui proprie dicitur נגיד בית חאלהים Dux Templi: qui erat ex posteris Eleazaris, & præerat reliquis Sacerdotibus, Principibus tribus Levis, atque adeo ipsis Kehatitis.

Jechiel videtur esse posterior ex Secundariis magis illustribus, qui proprie פקיד, id est, Legatus aut Subpræfectus dicitur: qui primus erat ex progenie Ithamaris, & præfectus Gersonitis & Meraritis.

Sex nominantur Levitarum principes, Chananias, Semahjas, Nathaneel ejusque fratres, Chaschabia, Jehiel, & Jozabad.

Initio regni Eljakimi (qui & Joakimus) confirmati a Nebuchadnetsare, vel etiam mensibus aliquot post eum inauguratum a Pharaone Nechone, Sacerdotes, id est, Sacerdos summus & Secundarii atque reliqui alii, una etiam & ipsi Prophetæ, id est, ut interpretatur Jonathas, Scribæ, hoc est, Legisperiti, qui videlicet Legis interpretationem & cognitionem profitebantur, vel qui saltem se pro talibus venditabant, sive essent Levitæ, sive ex alia tribu, una & ipse populus, id est, Judices & Seniores populi, (si velis) Jeremiam morti adjudicant, sed Synedrion summum eum liberat, ut supra attigimus.

[2] Jerem. 29.

Anno primo Tsedekiæ Tsephanjas [2] filius Mahasiæ (principis postremæ vicis Sacerdotum, & proinde ex posteris Eleazaris) idemque Sacerdos & Propheta, ut se jactabat, eum habet honorem ab alio quodam Pseudopropheta, ut dicatur substitutus in locum Jojadahi Sacerdotis (qui vel nuper demortuus fuerat, vel certe in captivitatem deductus) ut tanquam præfectus Templi conjiceret in carcerem & compedem omnem virum insanum & prophetantem.

Atque hic videtur illud ipsum *f* munus obiisse quod Zacharias ille de quo supra, ita ut reliquis sacerdotibus præesset eosque moderaretur: unde & eorum mentio in epigraphe epistolæ quam ille Pseudopropheta Schemahja Nechelamita ad eum Tsephanjam scribit.

Ejus ipsius fit mentio Jerem. 21. 1. item & Paschuris filii Malchiæ Principis quintæ vicis Sacerdotum, & proinde ex posteris Eleazaris. Cap. 20. 1. Jeremias meminit Paschuris filii Immeris Principis decimæ sextæ vicis Sacerdotum, & proinde postremæ ex posteris Ithamaris, qui dicitur פקיד נגיד, id est, Legatus dux in Templo, hoc est, ita dux ut posterior esset ex Secundariis, & postremus ex tribus Templi ducibus.

Anno nono Tsedekiæ Nebuzardan deportasse dicitur summum Sacerdotem & Tsephaniam Secundarium, ex tribus videlicet Templi ducibus, hoc est, præcipuum inter duos Secundarios, ex stirpe Eleazaris: & tres custodes liminum.

NOTÆ AD CAPUT DECIMUMQUINTUM.

a Annot. Sacerdos summus evaserit) *Id authore Deo factum videtur, ex* 1. *Sam.* 2. 30. *Quum enim summus esset sacerdos ex Ithamaris prosapia, cujus posteri semper communi sacerdotio functi sunt,* (1. *Chron.* 24. 4. *seqq.*) *& ipsius familiæ se dedisse Deus dicat, quod obedientia non præstita, se ablaturum pronuntiat: omnibus patet, Dei jussu summum sacerdotium in eum ex Eleazari familia translatum, & deinde alio devolvendum fuisse. Conferantur hæc Dei verba;* Dixeram quidem, Domus tua ut domus patris tui indesinenter ibunt coram me usque in seculum: at nunc, dictum Jehovæ, absit mihi. *Ita Deus Phineeso promiserat, Num.* 25. 13. Erit ei ac semini ejus post eum fœdere sacerdotium perpetuum: *attamen postea ad Ithamaris familiam in Eli fuit translatum. Caussa, cur ad Eli dignitas pervenerit, fuit proculdubio aliorum inobedientia: quam licet non exprimat scriptura, cum ex illius temporis historia tum, ex ordine consueto, quem Deus in suis beneficiis auferendis servare assolet, non est obscura. Sæpe quidem in divinis promissionibus conditio obedientiæ non exprimitur, quum de temporalibus bonis agitur: nihilo secius tacite innuitur. Quod satis exempla constabiliunt; & generales istæ sententiæ, quas in Jerem. legere est, c.* 18. 7. 8. 9. 10. *Ubi utrumque casum Deus proponit, obedientiæ & pertinaciæ: atque illo casu, non obstantibus minis, se clementem; hoc vero, non obstante conditionali bonorum promissione, alium se futurum asserit. ne quis ita secum reputet, propositam felicitatem vel miseriam piis & improbis pariter obventuram. Quæ in disputationibus adversus Judæos observanda. Siquidem illi in promissionibus terræ Chanaan & beata-*

titate illic perfruenda, suæ pertinaciæ fundamenta quærunt: acsi, quum illis bonis non fruantur, Messiam adhuc exspectare debeant. Cum tamen illa temporalia nonnisi cum conditione sub Messiæ adventum promissa fuerint. Quod vel ex ipso libro Nizahon *probari potest*: *ubi author Rabbi Lipman sect. 26. ait* : כל תנאים שהתנה הן רעות הן טובו׳ כולם על תנאי הוא גוזר אותם Omnia pacta, quibus paciscitur (*Deus*) cum adversa, tum prospera; omnia ista sub conditione decernit. *Temporalia illa beneficia, Judæis promissa plerumque veluti figuras ac typos eo modo enarrari, quasi pleraque non nisi spiritualiter intelligenda sint, non ignoro. At simplicius est quod antea dixi: &, qui secus sentiunt, magnas difficultates sæpius experientur. Si hoc admittere velimus, ut a verborum proprietate recedere liceat, sine rationibus in ipso contextu repertis, vel locis parallelis id exigentibus; quæso, quam omnia reddentur dubia? Sed de his in controversiis Judaicis: jam eo redeamus, unde diverterat oratio: Ad locum 1. Sam. 2. 30. notat Abrabaniel ex alterius expositione:* נתתי כהונה לאלעזר בנו של ארון ולפי שבימי פילגש בגבעה שפקרו ישראל ברוב המצות וגרם להם זה פנחס ושאר הכהנים שלא היו מעיר אל עיר כראוי להוכיחם לכן נטלתי כהונה גדולה מהם ונתתיה אל בני איתמר שנים ושבעים שנה ועכשיו שקלקלו בני עלי חלילה לי Dederam sacerdotium Eleazaro filio Aaronis. At, quia diebus concubinæ, Gibeæ horrenda passæ, quum desciscerent Israelitæ adversus pleraque præcepta, hujus ipsius causa fuerunt Phinees & sacerdotes reliqui, quia non obibant singulas civitates, ut ipsos reprehenderent; idcirco abstuli sacerdotium summum ab ipsis, atque in filios Ithamaris devolvi ad annos septuaginta duos. Verum jam ubi inhoneste se gesserunt filii Eli, absit mihi. *Quod Phincesum accusat, locum in historia sacra ostendi velim, unde, quod commemorat peccatum, ei adscribi possit. Filios ejus, aliosque, sui in monendo officii non sategisse, uti par fuerat, morum depravatione, quæ isto tempore invaluit, omnino est verisimile. Quod vero divinarum minarum executionem concernit, ea apud hunc Abrabanielem confirmatur ex 1. Reg.* 2. 27. Ejecit Salomo Abiatharem ne esset sacerdos Jehovæ, ut impleret verbum Jehovæ. *Hoc verbum jam e 1. Sam. 2. 30. prolatum fuit. Nam Abiathar erat ex familia Eli. Jam satis constat, quid de sacerdotii ista translatione ab una ad alteram familiam statuendum: quod examinandum erat. Cæterum si quis scire aveat, quid alii Judei causæ proferant, cur Eli sacerdotium acceperit, consulat literarum decus* Clarissi. *Seldenum, c. 2. & 3. l. 1. de successione in pontificatum: ubi complura ad hanc rem facientia. Et, quia de sacerdotibus in istis libris ex Hebræorum scriptis accurate disserit, multa alioqui notanda in his quæ sequuntur, ubi de ipsis agitur, lubens prætermittam.*

b Quo tempore, non liquet) *De tabernaculi & arcæ translatione, olim quæ dicenda videbantur, proposui in Præfatione* C. Middoth, *fol.* *** 1. *Ideoque hic non repeto.*

c Unctionem necessariam non fuisse) *At consulas velim* Clariss. *Seldenum, l. 2. de succ. in pontificatum, c. 9. unde secus judicabis, si omnia expendas.*

d Ad Parbar) *De his legere est in Notis meis ad* Middoth, *p. 5. & seq. quæ hic alias omnino exponenda fuissent. Itaque ne actum agam, eo lectorem remitto.*

e In Salomonis historia alius ab illo) *Noster v. 4. c. 4. 1. Reg. intendit: ubi Abiathar cum Sadoko in pontificatu conjungitur; cum tamen ad prædium suum relegatus dicatur jam antea, c. 2. 26. Itaque Kimchi, ac alii quidam, istum cum Sadoko hic conjunctum Abiatharem, alium ac diversum ab illo, qui fuit relegatus, faciunt. Atqui nunquam id ex sacris literis vel minimo indicio eruetur. Proinde cum Rabbi Levi ben Gerson, & Abrabaniele, eatenus sentio, ut eandem esse personam existimem. Verum hac de causa sacerdotem, scilicet magnum, 1. Reg. 4. nuncupari autumo, quod licet postea sacerdotio amplius non fungeretur, regni Salomonis initio tamen eo munere functus esset: (nec amplius hic 1. Reg. 4. 4. expresse dicitur, quam Salomonis tempore sacerdotem fuisse.) deinde, quod ex præcedenti functione dignitatis aliquid postea quoque retineret. Unde & nomen retinuit: sicut apud nos etiam fieri experimur, ut officiorum nomina post impletum administrati muneris spatium remaneant, quo etiam illud Luc. 3. 2. de Anna & Caiapha summis sacerdotibus revocari queat; nisi unus fuerit* סגן כהנ׳ princeps sacerdotum secundarius. *Commemorati vero, Hebræorum magistri aliam assignant nominis causam:* היה זה אביתר עצמו הנזכר כי עם היותו מגורש מהכהונה הגדולה הנה היה מוכן לעבוד בעת כצורך כשימצא צדוק בלתי ראוי לעבודה כי אחר שאביתר שמש ימים רבים בכהונה גדולה היה בלתי אפשר שתסור ממנו כל ימיו Erat hic Abjathar ipsissimus antea (c. 2.) memoratus. Etenim licet dejectus fuisset sacerdotio summo, ecce idoneus erat ad ministrandum tempore necessitatis, quum deprehenderetur Tsadok minime capax ministerii. Nam, quandoquidem Abjathar functus fuerat annos complures sacerdotio summo, fieri non potuit, ut hoc ab eo removeretur per omnem ipsius vitam. *Verba 1. Reg. 2. 27. manifestiora sunt, quam ut istam causam retenti nominis admittant: quandoquidem exercitium istius muneris cum expressa exauctoratione consistere nequit.*

f Munus obiisse, quod Zecharja) *Licet ab alio impio ejus authoritas admodum axaggeretur, Jer. 29. sub finem; non tamen summum sacerdotem fuisse istum Tsephanjam, docet sacerdotum series accuratissime delineata a* Clariss. *Seldeno, l. 1. c. 5. de succ. in pontificatum; locum adeant lectores: nam scitu dignissima illic reperiuntur.*

* *

CAPUT DECIMUMSEXTUM.

De politia Ecclesiastica decem tribuum.

POlitia Ecclesiastica apud decem tribus longe perturbatior fuit quam Civilis, propter Idololatriam quam invexerunt ipsi Reges: ne videlicet populus alioqui religiosus (aut certe superstitiosus) Jerosolyma rediret, & tandem ad reges Jehudæ deflecteret. Ea tamen utcunque bipertito dividi potest, in Piam videlicet, & Idololatricam. Idololatrica (ut Satan simia Dei est) ad genuinæ illius exemplar ficta est: nisi quod morosam in mores inquisitionem nullam habuit. Habuerunt autem ad sua idola præcipua Sacerdotes, qui & כוהנים, id est, Sacerdotes vocabantur, apud decem tribus æque atque apud Regnum Jehudæ. Habebant & כמרים, id est, Atratos & Pullatos homines ad superstitionem magis honestandam, qui Levitis ex adverso responderent.

Pia duos duntaxat ordines habuit apud decem tribus, Prophetarum videlicet & Seniorum. Sacerdotibus enim Aharonicis aliisque Levitis non licuit illic munus suum obire.

Prophetæ alii erant muneri ipsi prophetico obeundo præfecti, alii discipuli tantum, qui ea de causa Hebraica phrasi Filii Prophetarum vocantur. Rursum inter Prophetas illos videtur unus aliquis supereminuisse tanquam προεστὼς: quales fuerunt Elias & Elisæus, qui loca omnia obibant, ubi erant & scholæ & Ecclesiæ.

Propheticum munus situm fuit vel in docendo, vel in regendis Ecclesiæ actionibus.

Docendi munus duplex fuit, in Schola videlicet & in Ecclesia.

In Scholis Prophetarum discipuli aliquando sedere [1] dicebantur coram ipsis Prophetis, aliquando vero stare coram Domino.

[1] 2. Reg. 6. 1.

Sedere dicebantur quando Prophetarum lectionibus operam dabant, unde & Scholæ seu Academiæ Hebraice dicuntur ישיביה, id est, Sessiones.

Stare vero coram Domino, quando vel ex ipsis Scholis seu Prophetarum collegiis, vel etiam ex universa Piorum Ecclesia, Prophetarum discipuli mittebantur ad obeundum Prophetiæ ministerium: præeuntibus videlicet precibus & manuum impositione, quasi ita Domino sisterentur, & ab illo vocationis suæ mandata acciperent, & proinde merito se a Deo missos dicere possent, vocationemque suam adversus quaslibet calumnias, & hominum contumaciam asserere, ut Elias & Elisæus faciunt [2]. Atque ex hac phrasi & consuetudine Aben-Hezra acutissime explicat quod Jonas dicitur fugisse מלפני יי, id est, Ab ad præsentiam Domini, id est, a loco in quo Prophetæ mittendi ad Prophetiæ ministerium Deo sistebantur, & in quo Deus luculentiorem sui præsentiam exhibebat. Hoc enim phrasis eujuscemodi indicare videtur. Vide & supra cap. 2.

[2] 1. Reg. 17. 1. & 18. 15. & 2. Reg. 3. 14

Seniores erant qui in mores & vitam Piorum virorum qui Piis Ecclesiis illius Regni nomen dabant, inquirebant, & reprehensionibus censurisque Ecclesiasticis animadvertebant.

Horum Seniorum & reliquæ Ecclesiæ cœtus & actiones moderabantur Prophetæ [3]: ita ut ad Prophetæ domum aliquando Seniores convenirent.

[3] 2. Reg. 6. 32.

Prophetæ eorumque exercitia in urbibus celebrioribus erant.

Porro politiæ hujus utraque forma omnino desiit, imo & civilis illa de qua supra cap. 12. ubi decem Tribus ab Assyriis deportatæ fuerunt. Neque unquam earum ulla in earum Tribuum ditione instaurata est, nisi sub Jerosolymitanorum auspiciis.

CAPUT DECIMUMSEPTIMUM.

Politia Ecclesiastica in captivitate Babylonica.

JAm inde a tertio anno Jehojakimi, in quo Nebuchadnetsar cœpit Judæos in Chaldæam deportare, Judæi in Babylonia aliquem Seniorum cœtum habuerunt, item & Prothetas, tum veros tum falsos, quos audiebant, ut apparet ex Jeremiæ 29. 25. & Jechez. 8. 1. sed quam perturbata ibi fuerint omnia, testantur historiæ Sacræ, Ieremias, Jechezkel & Daniel.

CAPUT DECIMUMOCTAVUM.

Politia Ecclesiastica post reditum ex captivitate Babylonica.

QUum facta fuisset potestas Judæis redeundi in patriam, tandem ex omnibus Sacerdotum vicibus & ordinibus quinque reperti sunt.

Ex Tsadoki posteris	Summus Sacerdos Jesuas.	
	Dux Templi secundus Serajas & inter alios secundarios Sacerdotes primarius,	& alii, 822.

Ex Charimi principis vicis tertiæ 1017
Ex Malchiæ principis quintæ, quæ tribuitur Paschuri, viro in illa familia percelebri, ut apparet ex 1. Chron. *9.* 12. 1247
Ex Jesuæ principis nonæ, quæ tribuitur Jedahiæ, 973

Atque hi sunt ex posteris Eleazaris.

Ex posteris Immeris principis decimæ sextæ vicis Sacerdotum & postremæ ex Ithamare 1052. quibus præerat unus פקיד,

id est, Legatus, Zabdiel, qui vel eo nomine dicitur פקיד, quod Ithamaritis præesset, vel quod Legatus fuerit Serajæ ducis Templi ad Ithamaritas & reliquos Levitas, ita ut postremus fuerit ex tribus Templi ducibus.

Atque hi omnes patres, seu capita familiarum appellantur.

Ex his delecti fuerunt Principes Sacerdotum, id est, [ut Hebræi interpretantur, & verum esse videtur ex Hezræ *6.* 18.] vicum dudum a Davide institutarum Principes viginti duo, qui nominatim designantur Nechem. 12. ita ut etiam nominetur ibi quidam Abias, ex cujus vice credam fuisse Zachariam patrem Joannis Baptistæ.

Ex Levitis filiis Jesuæ & Kadmielis, filiorum Hadaviæ 74
Ex Cantoribus filiis Asaphi 148
Ex Janitoribus seu Janitorum filiis 138
Ex his quidam adhibiti sunt ad opus ipsius Templi, quidam vero ad opus externum.

Illorum ergo quidam fuerunt. { Administri rei sacræ, Cantores, Janitores, & Quæstores.

Administri rei Sacræ in posteriore Templo tot initio fuisse quot in superiore fuerant, verisimile non est, saltem Hezræ & Nechemiæ temporibus: vices tamen aliquot eos habuisse certissimum est ex Hez. *6.* 18. per quas vacarunt quibusdam ex illis muneribus & provinciis, quibus illi rei Sacræ administri a Davide præfecti fuerant, ut apparet ex 1. Chron. *6.* Quia ergo ipsorum administrorum numerus ordinariis eorum muneribus non sufficiebat, ad ea assumti sunt ex Janitoribus.

Ex illis ergo præcipui quatuor præerant cubiculis & Thesauris Templi.

Ita ut ex illis aliquis præficeretur vasis ministerii, hoc est, vestibus, tapetibus, & reliquis id genus, quorum maximus erat usus in Sanctuario, quæ non solum dicuntur כלי עבודה, id est, vasa seu arma cultus (Divini videlicet,) sed & בגדי שרד, id est, vestes ministerii.

Alii ex eodem ipso numero præficerentur vasis, vasis inquam sanctificatis (seu sanctificari solitis,) qualia erant instrumenta aurea, argentea, ænea, ferrea, &c. deinde & similæ, vino, oleo, thuri, & aromatis.

Unus Mattithjas primogenitus Sallumi primarii inter Janitores quatuor præerat operi sartaginum.

Filii Kehathitarum præerant parandis panibus propositionis.

Ad reliqua alia munera propria administrorum rei Sacræ, illi pauci qui ex Levitis aliis restabant, adhibiti sunt.

Janitores quatuor erant præcipui ad quatuor mundi plagas, quos verisimile est ita suo muneri prospexisse, ut quam potuerint accuratissime suorum vices descripserint, & conformarint ad eas quæ a Davide & Solomone institutæ fuerant.

Quotuor etiam illi in circuitu Templi commorabantur, quod præcipuam custodiendi Templi provinciam subjissent, nimirum cubiculorum & Thesaurorum Templi.

Hi etiam quotidie sub ipsum diei diluculum Templi fores aperiebant.

Quatuor illi præcipui numerantur, Sallumus, Akkubus, Talmon & Achiman.

Cantorum tres videntur fuisse ordines præcipui, ut ab ipso Davide instituti fuerant.

Ad dextram.	Ad medium.	Ad sinistram.
Mattanias ex filiis Esaphi, cui hoc etiam incumbebat ut reliquis in cantu præiret, eosque moderaretur.	Balbukjas ex fratribus Mattanjæ, vel quia erat ex posteris Hemanis fratris Asaphi, vel quia erat ex ipsismet fratribus Mattanjæ, quod nulli tum Jerosolymis essent Hemanitæ.	Habdas ex posteris Jedithunis.

Dubium non est quin ex his constitutæ fuerint vices, & quantum fieri potuit vicibus superioribus olim a Davide institutis accommodatæ. Ex filiis Asaphi cantoribus erant qui inspiciebant in opus [1] Templi.

[1] Nech. 11. 12.

Quæstores fuisse verisimile est alios ab iis quatuor qui præcipui erant inter Janitores, ut ex his apparet quæ ad postrema tempora Nechemiæ evenerunt. Superiores illi quatuor præerant cubiculis in quibus reposita erant vasa Templi, & Thesauris posterioris generis, hi vero thesauris prioris generis.

Nethinæi una & filii servorum Solomonis quamplurimi fuerunt, iisdem prorsus muneribus destinati quibus in Templo Solomonis.

His omnibus Levitis ut & eorum majoribus distributæ fuerunt suæ urbes & pagi. Unde Nechem. 11. describuntur qui ex his, Jerosolymis manserunt, qui vero extra Jerosolyma mansisse censendi sint.

Levitarum qui Jerosolymis manserunt caput & dux præcipuus vel potius præfectus sub Sacerdotum auspiciis, fuit Huzzis ex Asaphitis, nisi quis velit hoc intelligendum & restringendum ad Cantores quorum dux fuerit istiusmodi Huzzis.

Nethinæos omnes verisimile est (hoc etiam satis diserte declarante Nechemia) habitasse Jerosolymis ad Arcem Hophelis. Illis duo præfecti dicuntur, Tsichas & Gispas.

Atque hic ordo præsertim Cantorum & Janitorum perseveravit tempore Joakimi & Eljaschibi summorum Sacerdotum, ita ut illis pauci Levitæ adjuncti essent: quinimo usque ad tempora summi Sacerdotis Jaddi duravit ordo de quo supra, non solum Levitarum, Administrorum paucorum, Cantorum & Janitorum, sed & Sacerdotum, nisi quod ex tempore Joakimi apparet ita cœpisse restitui sub Jesua Sacerdotum vices, ut nunquam desiisse videantur, sicut nec aliorum Levitarum.

Tempore Nechemiæ quidam [2] Eliasibus, vel ipse summus sacerdos, vel certe ex genere Sacerdotali, quæstor fuit Thesaurorum prioris generis, & posterioris.

[2] Nech. 13. 4.

Cæterum cum Nechemias comperisset Eliachibum [3] non bene functum officio in demenso Levitis omnibus repræsentando, novos quosdam instituit Quæstores, præsertim Thesaurorum posterioris generis, nimirum Selemjam Sacerdotem, Tsadokum Scribam, & Pedajam Levitam, & eorum Legatum Chananem filium Zaccuris filii Mattaniæ: ita ut horum esset, fratribus suis Levitis suum demensum dispertiri.

[3] Nech. 13.

Nech. 11. 24. traditur Petachjam filium Mesezabeelis ex posteris Zerachi filii Jehudæ fuisse ad manum Regis in omni re ad populum, hoc est, ut apparet ex ipso contextus filo, destinatum fuisse a Rege seu Monarcha Persarum, ut subministraret quæ erant necessaria ad ea Templo suppeditanda quæ populus præbere debebat, ad quæ etiam præstanda Rex ipse seu Monarcha Persarum Artaxerxes Longimanus se obstrinxerat, Hez. 6. 8. & 9. & 7. 20.

Nechem. 11. 16. dicuntur Schabbethai, & Josabad præfecti operi externo Ædis Dei (seu sacræ) ex capitibus patrum: idque Jerosolymis, ubi habitabant. Sic enim duo illi soli eo versu nominantur. Quod siquis his annumerare velit Semahjam, de quo superiore versu, non admodum repugnabo. Opus vero istiusmodi externum Ædis Dei non male de judiciis & Leviticis Præfectis eorumque numero in ea Judæorum reducum paucitate supra cap. 13. explicari posse diximus, ut & opus externum super Israelem jam cap. 10. exposuimus: sed si quis Opus externum pro Æde Dei, interpretari malit opera ea, quæ extra Templum facta ad Templi usum aut refectionem pertinebant, non admodum repugnabo, vel propter illud, לבית האלהים, Ædis [vel pro Aede] Dei.

Quam bene sarta tecta conservata fuerit hæc politia ab Jaddo usque ad Jonatham Maccabæum, non ita constat, nisi quod αὐτονομίαν Judæis concessam fuisse legimus a Regibus Ægypti & Syriæ, usque ad Antiochum Epiphanem, a quo Jason (qui & & Jesus dicitur) Oniæ summi Sacerdotis adhuc superstitis frater, ingenti pecuniæ vi summum fratris adhuc viventis Sacerdotium emit, & pro legibus divinis paulatim Græcorum instituta substituit: quod etiam Menelaus tertius frater adversus utrumque fratrem audacius & impudentius ausus est, tandemque ad eam rem sibi nactus est Legatum Lysimachum per omnia cognatum; unde & octavo Antiochi Epiphanis anno tota Judæorum αὐτονομία justo Dei judicio concidit.

Politia istiusmodi ita prostrata, paulatim restitui cœpit a Mathathja, aliquanto amplius a Juda, omnino a Jonatha & Simone ejus fratre, ut apparet ex eorum gestis & titulis. Hoc certe interesse videatur, quod in Jonatha summum Sacerdotium translatum dicatur [4] a posteris Tsadoki in posteros Jojaribi, authoris primæ vicis, quæ ex posteris Eleazaris fuit; nisi Jojaribum istiusmodi illum esse velis, de quo Nech. 12. 6.

[4] 1. Par. 24. 7.

Ita autem restituta durasse videtur usque ad tempora Herodis primi, qui Ananelum ex obscuro admodum Babyloniorum Sacerdotum genere, pro Asmonæis substituit, & summum Sacerdotium ita fœdavit, ut exauthoratis subinde qui eo fungerentur, indignissimos quosque pro libidine sufficeret: quod etiam alii Judææ reges & Toparchæ ausi sunt, imo & Romani Procuratores, quæstui nimirum attentiores: & postea, ex Romanorum privilegio, Chalcidis reges. Ad hanc ordinis violationem accessit longe post illa altera cujus meminit Josephus Ant. Jud. 20. *6.* qua factum est ut Sacerdotes primarii (vel certe qui erant ex genere Aharonis) Sacerdotes alios (vel certe Levitas) decimarum jure privarent. Accessit & altera, qua Agrippa minor ex Synedrii sententia Levitis Cantoribus concessit æque ac Sacerdotibus aliis, lineam vestem gestare.

Ad has corruptiones quamplurimas alias accessisse verisimile est: sed & apparet ex Sacris literis & prophanis historiis, præcipua quæque Politiæ Ecclesiasticæ fundamenta sarta tecta conservata fuisse.

Habuerunt enim Jerosolymis seu ordinem aliquem Sacerdotum [1], Genus Sacerdotale, *γένος ἀρχιερατικὸν*, inter quos unus aliquis summus [2] Sacerdos superemineret, reliqui suas vices obirent: qui etiam *ἀρχιερεῖς* dicti sunt, *a* vel respectu Levitarum qui apud Josephum & Sacros novi Testamenti scriptores aliquando *ἱερεῖς* dici videntur: vel quod in Chronicorum historiis [3] Sacerdotes omnes Principes rerum Sacrarum & (domus) Dei vocantur.

Habuerunt & Levitarum quemdam ordinem, qui aliquando [4] Levitæ, aliquando etiam *ἱερεῖς* dici videntur.

Habuerunt & ex indigenis suos Prophetas, quos *γραμματεῖς*, id est, Scribas [5], & *νομοδιδασκάλους*, id est, *b* Legisperitos appellarunt, qui una cum Sacerdotum ordine de doctrina cognoscebant, & una cum populi Senioribus in mores inquirebant, & jurisdictionem Ecclesiasticam publice exercebant.

Habuerunt & ex Judæis exteris [6] Synagogas quasdam seu collegia, in quibus illi ita docerentur, ut postea docendis Judæis suis popularibus præficerentur.

Extra Jerosolyma, sive in Judæa ipsa, sive in aliis regionibus, Judæi Synagogas quasdam habuerunt, in quibus ut potuerunt suæ religioni operam dederunt. Quia ergo extra Jerosolyma sacrificare non licuit, etiam perturbatissimis temporibus, (nisi quod Judæi Ægyptiaci abusi testimonio Jesajæ [7], & Templum aliquando *c* ausi sunt exædificare, & in eo sacrificare) ad Synagogas illas duntaxat conveniebat populus, ad preces solennes, ad audiendam Legem & Prophetas eorumque interpretationem, item ad audienda Legis Mosaicæ Judicia cum Civilia tum Ecclesiastica.

Hæ Synagogæ omnino responderunt cœtibus Ecclesiasticis Levitarum & Prophetarum, qui extra Jerosolyma primis temporibus a Josua & Samuele instituti fuerant, ex Legis præscripto.

Levitarum igitur & Prophetarum locum subierunt in illis Synagogis Archisynagogi, qui in eadem Synagoga plures fuerunt, ut apparet ex Act. 13. 15. & 18. 8. & 17. ubi duo Archisynagogi Crispus & Sosthenes ejusdem Synagogæ Corinthiacæ nominantur. Atque hinc factum est, ut hi Archisynagogi singulis diebus festis non solum preces conciperent, Legemque & Prophetas legerent, sed & illis interpretationem adjicerent, aliique qui ad id illis idonei videbantur: unde fortasse & illa de Prophetarum interpretatione postea in Ecclesiam a Paulo [8] invehuntur. Nam qui Prophetæ primum dicti sunt, & postea Scribæ & Legisperiti, postremo in Synagogis Archisynagogi sunt appellati: unde verisimile est, Archisynagogos illos Seniorum ordines qui in mores inquirerent, moderatos fuisse. Nam & in illis sui etiam *ὑπηρέται* fuerunt [9]

In Synagogis Judaicæ provinciæ & Syriæ Damascenæ quæ Judææ a Judæis adscribebatur, minores causæ Ecclesiasticæ tractabantur: majores & difficiliores, aut etiam minorum appellationes Jerosolyma referebantur, ut apparet ex Act. 9. 1.

In aliis aliarum provinciarum Synagogis quæ tractabantur, terminata videntur: ita tamen ut per literas sese mutuo omnes consulerent & admonerent, ut apparet ex Act. 28. 21.

[1] Act. 4. 6.
[2] Luc. 1. 5.
[3] 1. Chron. 24. 5.
[4] Joan. 1. 19.
[5] Matt. 2. 4.
[6] Act. 6. 9 & 24. 12.
[7] Esa. 19. 19.
[8] Act. 13. 15. 1. Cor. 14. 28.
[9] Luc. 4. 20.

NOTÆ AD CAPUT DECIMUMOCTAVUM.

a Annot. Vel respectu Levitarum) *Neutrum hic probo: non enim omnes sacerdotes, ut utrobique in hac divisione supponitur, vocantur ἀρχιερεῖς: sed vel sacerdotes summi; vel capita classium viginti-quatuor, in quas a Davide sacerdotes distributi erant*, 1. *Chron.* 24. *Ita habendum. Summus sacerdos unus tantum erat uno tempore*. Jo. 28. 13. *at ἀρχιερεῖς, de quibus in Evangelio, plures erant, Luc.* 22. 66. *&* 24. 20. *Neque tamen hoc de omnibus vulgaribus sacerdotibus accipi potest, quod in historia passionis de iis legimus:* quum

quum omnes ἀρχιερεῖς *consilium iniisse dicantur, Matth. 27. 1. atqui omnes vulgares sacerdotes viginti-quatuor classium ibi comparere non poterant. Deinde isti* ἀρχιερεῖς *in synedrio Hierosolymitano cum potestate gubernabant populum: quod non erat omnium; sed tantum* τῶν שרי הכהנים principum sacerdotum: *quos Evangelistæ,* ἀρχιερεῖς, *verbotenus reddunt; qui singuli suis classibus præerant; unde & nomen habent: ut etiam, quod in synedrio summo hac de caussa considerent. Verba Salomonis Jarchi adscribere, de illo vulgarium & primariorum discrimine, erit operæ pretium. Sic ad verba 2. Chron. 36. 14.* שרי הכהנים : לא כהנים הדיוטות למחות אלא שרי הכהנים שהיכולת בידם למחות. Non est sacerdotum vulgarium prohibere, sed principum sacerdotum, (ἀρχιερέων,) in quorum manu potentia ad prohibendum. *Quocirca,* ἀρχιερεῖς *capita classium fuisse concludo: quoniam de summis id accipi nequit, quum unus tantum fuerit; neque de communibus sacerdotibus, quum hi omnes in concilio Hierosolymitano non fuerint, neque potestate in Evangelio descripta præditi. Quibus addo, nomen ipsum satis superque rem demonstrare: quid enim* ἀρχιερεῖς, *quam* principes sacerdotum, *sunt? Non sane sacerdotes communes; a quibus sua* ἀρχῇ, principalitate, *discriminantur. Imo locus e Chronicis, ab authore nostro productus, de principibus singularum classium sacerdotum agit.*

b Legisperitos appellarunt) *Antea de politicis scribis egimus; jam de ecclesiasticis agit Bertramus, nec non de* νομοδιδασκάλοις. *Si sacras literas simpliciter sequamur, de istis ita sentiendum arbitror. Hos scribas, quum ex Levitis sæpius & sacerdotibus desumerentur, quorum erat, legem proponere ac docere, id muneris habuisse, ut populum in lege Dei instituerent: quocirca eosdem quoque* νομοδιδασκάλους *dictos; ita tamen, ut in senatu cum aliis controversias tractarent. At* νομικοὶ legales; *toti in lege occupabantur, ut aliis negotiis non vacarent quicunque istius conditionis essent: quod & nomen indicat. Istorum singula confirmare, non foret difficile. E Levitis fuisse, constat ex collatione Deut. 17. 9. & 2. Chron. 19. 8. cum Matth. 26. 3. 57. 59. Ex sacerdotibus electos, constat ex Esdr. 7. 11. Jer. 8. 8. cum 10. unde etiam liquet in lege docenda occupatos fuisse; (quin etiam scribenda & legenda, Esd. 7. 10. Jer. 36. 6. cum 32. Psal. 45. 2.) quod Levitarum erat, & sacerdotum, 2. Chron. 17. 8. 9. ac alibi. Eosdem dictos fuisse* νομοδιδασκάλους, *docet comparatio Matth. 9. 3. cum Luc. 5. 17. 21. In senatu etiam sententiam dixisse, prima loca edocent.* Νομικοὺς *ab illis distinctos fuisse, ostendunt ipsorum verba, Luc. 11. 45. si conferas vers. 44. Quod magis confirmat ritus Judæorum, quem Cl. Camero in Myrothecio ad Luc. 11. 52. exhibet, ubi de clave scientiæ ipsos alloquitur Christus: quod clavis cum pugillaribus fuerit doctorum insigne qui in scholis docebant. De hisce, quæ addi possent, consulat lector, quæ facundus Scultetus, Exerc. Evang. l. 1. c. 54. & mortalium maximus Scaliger, Elench. trihær. cap. 11. scripto mandarunt.*

c Ausi sunt ædificare) *Authore* חוניו, Onia, *qui hoc a Ptolomæo Philometore obtinuerat, ut Alexandriæ templum ædificare liceret. Quam historiam, ex Josepho, & aliis, legere est in Meor Enajim Rabbi Azariæ, c. 21. sub initium; & in* Tsemach David; *sed plenius apud Cl. Seldenum de success. in pontif. li. 1. c. 8. Quod vero Esaiæ testimonium attinet, quo ille abutebatur, eruditissimus Jacobus Capellus, in historia sacra ad annum 3837. succincte & distincte mentem prophetæ de lingua Cananæa & altari in Ægypto, his verbis ennarrat.* Quasi dicat, Abjecto idololatrico paganismi stylo, addiscent eo sermone uti, qui pietatem deceat; & vitulos labiorum, ac spirituales hostias, vero Deo offerent. *Itaque nihil ibi propheta de templo proprie dicto; uti Onias confingebat: quum Deus solam Jerusalem eo destinasset.*

CAPUT DECIMUMNONUM.

De schismatis, apostasiis & sectis, quæ apud Hebræos exortæ sunt.

DEnique locus hic omnino postulat, ut de schismatis, apostasiis & sectis, quæ apud Hebræos emerserunt, agamus. Secessio igitur decem tribuum primum apud illos schisma creasse videtur, quod tandem in manifestam apostasiam desiit.

Gravius certe peccarunt Samaritani, id est, populi illi qui ab Assyrio in Samariam ad coloniam deducendam deportati sunt. Nam non solum genuinum Dei cultum suarum superstitionum & idololatriarum ritibus conspurcarunt, sed & quibus potuerunt calumniis, insidiis & pessimis artibus, Judæos ex captivitate Babylonica reduces impedierunt, quominus Urbem Templumque ipsum instaurarent.

Quibus nominibus Hebræorum Rabbini asserunt, Judæis illis reducibus visum fuisse, solenni Excommunicatione (vel, si velis, Anathemate) Samaritanorum consortio suis interdicere. Ejus excommunicationis seu anathematis ritus & fragmenta quædam exstant in comment. R. Simehonis in Nechemian, paulo post explicatum versum 68. cap. 7.

Inimicitias istas atque excommunicationem auxit, quod cum Nechemias Manassem ex genere summorum Sacerdotum, eundemque Sanballathi Horonitæ, Samaritanæ gentis Satrapæ generum, ab Altari Sacrisque arcendum procurasset, (ut supra cap. 13. fusius exposuimus) & Sanballathus Manassis illius socer *a* ab Alexandro Magno obtinuisset jus Templi & Sacerdotii apud montem Garizinorum erigendi, Manasses iste Templi illius supremus Pontifex, Apostatas quos poterat ex ipsis Jerosolymitanis ad se pellexerit. Atque hæc omnia efficiunt, ut non prorsus absurda videantur quæ de diversis *b* Samaritarum hæresibus tradit Epiphanius. Quod vero ad Judæorum hæreses seu sectas attinet, *c* quatuor illas duntaxat hic sumus perstricturi quæ ante eversam Jerosolymam apud ipsos Judæos viguerunt. In illis primus locus Essæis seu Essenis merito tribuitur. Illos enim esse puto qui 1. Macch. 7. 13. Assidæi appellantur, Judæorumque primi & præcipui dicuntur.

Essæos seu Essenos Assidæos esse arguit, quod apud Josephum filium Gorionis Hebraice

braice ſcribentem, qui Eſſæi ſeu Eſſeni dicuntur ab aliis, & præſertim a Joſepho Græce eaſdem hiſtorias deſcribente חסידים, *Chaſidim*, id eſt, Benigni ſeu Pii appellantur. Nam quod lib. 5. cap. 23. dici videntur השנים quaſi Variantes, illud ſectæ non tribuo, ſed ad ſententiam refero: quæ ſic vertenda videtur ex ſignificatione vocis שונה, id eſt, Detrectans, ad Prov. 24. 21. Sed nec detrectantes (iſtiuſmodi juſjurandum Herodiſque dominationem & imperium) qui ex Chaſidæis (erant,) propter Menachemum detrectantem (eadem illa videlicet,) qui (erat) ex Chaſidæis, &c. Quod ſi ſectæ tribuendum ſit, Oſſenos eo nomine intelligam, in quos & Eſſenorum nonnullos degeneraſſe ſtatim ſubjiciemus.

Et vero ſi a חסיד, id eſt, Benignus, Pius, Eſſæum deducere velis, non eſt quod mireris ד poſtremam dictionis literam ex frequenti uſu ab Hebræorum plebe detritam fuiſſe, quum Syri Antiocheni vulgo חסי Benignum pro Hebraico חסיד uſurpent. Porro Eſſæorum ſeu Eſſenorum dogmata fuſiſſime proſequitur Joſephus Antiq. Jud. 18. 2. & Belli Jud. lib. 2. cap. 7. ex quo capite ſatis apparet, Eſſenos *d* quoſdam degeneraſſe in Oſſenos, ſi, quæ ibi de altero Eſſæorum collegio traduntur, conſerantur cum his quæ de Oſſenorum dogmatis & regione ſcribunt Epiphanius lib. 1. tom. 1. cap. 19. item & Plinius naturalis hiſtoriæ lib. 5. cap. 17.

Saddukæorum dogmata & originem *e* (a Tſadduko quodam videlicet) tradunt Epiphanius ejuſdem illius lib. cap. 14. & Joſephus illis iiſdem locis quæ ſupra notavimus. Quibus & de Phariſæis eorumque placitis agit, ut ea etiam tractat Epiphanius ejuſdem illius libri cap. 16. ubi & appoſitiſſime eorum nomen a Separando deducit, quod videlicet ſpontanea quadam & ſuperflua religione, & ficta vitæ morumque ſanctitate a reliquis ſe ſepararent: quaſi etiam eo modo ſe eximios & præſtantiſſimos Judæorum omnium oſtentarent. Nam Chaldaicum פריש (a quo eſſe factum Phariſæi nomen vel illud indicat, quod Hebræorum Rabbini Phariſæos פרושים vocant ex participio Hebraico omnino illi Chaldaico antiſtropho) & Separatum & Eximium ſignificat, unde & Paulus gloriari videtur Act. 26. 5. ſe Phariſæum vixiſſe juxta exquiſitiſſimam Judæorum ſectam. Hanc etymi rationem aliquo modo confirmat Chaldæus Paraphraſtes Jonathas in Hamos 2. 12. qui ex alludendi more quem habet uſitatiſſimum in ſuis paraphraſticis metaphraſibus, את־הנזירים, id eſt, Nazaræos a Propheta dictos, Doctores Hebræorum interpretatur. Dubium autem non eſt, Jonatham eo loci reſpexiſſe ad ea pietatis exercitia quæ ejus ætate in maximo erant pretio & uſu, qualis erat Phariſaiſmus: & ſuo tempori Prophetæ doctrinam accommodaſſe: & proinde innuere voluiſſe, Phariſæos perpetuos quoſdam eſſe Nazaræos, id eſt, ab inſtitutis vulgi ſeparatos & in Lege occupatos, (ut explicat ibi Rabb. Schol.) unde & authoritatem illam docendi ſibi arrogarint, quæ etiam eos una cum ſimulata illa vitæ ſanctitate omnibus maxime eximios & illuſtres reddiderit.

f Quarta Hebræorum ſecta, quæ Zelotarum dicitur, a Juda Gaulonita & Sadducho Phariſæo cœpiſſe videtur, ex his quæ notat Joſephus Ant. Jud. 18. 1. & 2. ubi etiam pluribus de eorum dogmatis, item & Belli Jud. lib. 2. 7. quo loco Judas ille Gaulonita appellari videtur Simon Galilæus, niſi forte duos illos, Judam & Sadduchum, tempore initæ deſcriptionis ſub Cyrenio vel Quirino primum exortos fuiſſe dixeris: deinde Copinio ſeu Coponio deſcriptionem illam abſolvente, Simonem illum Galilæum ſuperveniſſe, qui in Galilæa præcipue Zelotarum placita diſſeminaret. Eorum progreſſum atque etymi rationem, quod videlicet meliorum inſtitutorum Judaicæ diſciplinæ æmuli eſſent, habes lib. ſeptimo Joſephi de bello Judaico cap. 28. & 4. cap. 5. atque adeo reliquis libris & capitibus ſubſequentibus. Hæc vero ſecta omnium ſuperiorum, Judæis ipſis omnibus, nedum authoribus & aſſeclis, perniciosiſſima fuit: ut quæ Judæorum omnium excidium totiuſque Reipublicæ Judaicæ proſtrationem non modo accelerarit, ſed & eam tam miſeram & calamitoſam effecerit.

NOTÆ AD CAPUT DECIMUMNONUM.

a Annot. Ab Alexandro Magno) *Quoniam in Hebræorum ſcriptis diverſitas ſententiarum reperitur, ne quis hic titubet, conſiderandum eſt, pleroſque hanc templi ſtructuram ad Alexandri tempora referre. Ita Rabbi Abraham in* Kabala, *f.* 26. *col.* 4. *commentatur* בבא המלך אלכסנדר אל ארץ ישראל סר אל משמעתו סנבלט החורני וראשי הכותים ושאלו ממנו שיבנו הכהנים חתניו וכל אשר הושיבו נשים נכריות ולא אבו לשלחן בית המקדש אחר בהר גריזין וצוה המלך לעשות כן ובנו את הבית : Quum rex Alexander terram Iſraeliticam ingrederetur, adiit ipſum, eo audito, Sanballat Choronita cum primariis Cuthæorum: qui ab eo petierunt, ut exſtruerent ſacerdotes generi Sanballati, omneſque qui domum duxerant uxores alienigenas, quas dimittere recuſarent, ædem ſanctuarii aliam in monte Garizim. Quod quum rex ita faciendum præcepiſſet, ædem conſtruxerunt. *Ita in* Jouchaſin, *f.* 14. *p.* 2. *Quidam contra ſentire videntur, jam ædificatum fuiſſe Alexandri tempore templum iſtud: quod defendi poſſet ex Talmud. Cod.* Joma *&* Taanith. *De hac ſententia Rabbi Azarias in* Meor Enajim, *f.* 69. *p.* 2. אפס על דבר הבמה שהוקמה

שהוקמה מאת הכותיים כהר גריזי' לפי מה שהובא במסכת יומא פ' בא לו ובמגלת תענית פט נראה כי בימי אלכסנדרוס מוקדון היתה כבר בנויה מני קדם. Enimvero, quod attinet excelsum a Cuthæis erectum in monte Gerizzim, secundum ea quæ proferuntur codice Joma, c. Venit sibi, & volumine Taanith, c. 9. videtur, diebus Alexandri Macedonis jam pridem ædificatum fuisse. *Respicit in Jomæ, quod de Cuthæis narratur, f. 69. p. 1. quasi jam tum cultum suum habuissent.*

b Samaritarum hæresibus) *Judæos fateor odio inveterato multa Samaritanis impegisse crimina, quorum rei non essent: attamen in religione diversimode aberrasse Samariæ incolas, quis negare audeat? Id enim constat e 2. Reg. 17. cum Dei cultu ibi viguisse idololatriam diversissimam. Tandem, abjecta idololatria manifesta, Pentateucho Mosis adhæsere: quamvis in sectas diversas abirent. Qua de re passim magnus Scaliger, Cunæus de rep. Jud. Morinus in Exerc. eccl. Ego in notis ad Ben. Alii. Ut, quæ huc spectant, exequar, instituti ratio non permittit. Unum hic de columba adjiciam: columbæ, quam in monte repererint, cultus a Talmudistis insimulari Samaritanos. Quod si verum sit, non contemno Rabbi Azariæ sententiam in* Meor Enajim, *f. 90. quam, ubi prolixe ex Diodoro Siculo, & aliis, de Semiramide a columbis in infantia enutrita, his verbis exprimit:* ובגלל כל הדברים האלה קרוב בעיני לראמין שהכותיים אשר הושיב מלך אשור ובבל בשומרון לאות ולעד על הכנעם באהבה אל מלכם ההוא אשר אית תלו יונה חבבו אותה והקימוה ליראתם בראש הר גריזים אשר עם שכם ראש ממלכת שומרון בימים ההם. Et propter hæc omnia videtur mihi credendum, Cuthæos, quos rex Assyriæ & Babyloniæ collocavit in Samaria; in signum & testimonium, quod ex amore se submitterent isti regi suo, cujus tesseræ insigne erat columba, eam dilexisse, atque in venerationem constituisse in cacumine montis Gerizzim, qui Schichemo adjacet metropoli in regno Samaritano istis diebus. *Semiramidem Babylonem condidisse, putat Justinus: Et Azarias, tesseram Babylonis permansisse columbam, loco citato observat. Proinde in Prophetis aliquando per* יונה, columbam, *designari Babyloniam, ex aliis notat. Exempli gratia, Jerem. 25. vers. ult. ubi tandem sequitur,* מפני חרון היונה propter iram columbæ, *totius dicti sensus erit,* כל מלך ועמו ברח ועזב משכנו מפני חרון הבבליים. Quivis rex cum populo suo fugit, & deserit tentorium suum, ob iram Babyloniorum.

c Quatuor illas duntaxat) *Hoc calculo excludit Herodianos. An bene; tum demum judicabimus, ubi eorum indolem & mentem habuerimus perspectam. Scio, quid alii de istis censeant: & quidem viri magni. Tutius e sacris conjecturam faciemus. Conferri velim hæc duo loca, Matth. 16. 6. Marc. 8. 15. illic legimus,* Cavete a fermento Pharisæorum & Sadducæorum; *hic vero, in eadem historia,* Cavete a fermento Pharisæorum, & fermento Herodis. *Per fermentum designari doctrinam, docetur Matth. 16. 12. Ergo eadem Sadducæorum & Herodis doctrina. Hinc colligere est, quare in illa Judæorum republica tam fœdus error foveri potuerit, neque angelos esse, neque mortuorum resurrectionem: quod nimirum Herodis authoritate Sadducæi jam invaluissent. Num igitur Sadducæi & Herodiani plane iidem censendi? Minime; licet Herodis partibus mordicus adhæsissent. Utrisque, tum Sadducæis; tum Pharisæis, favisse videntur: illis, quod domini sententiam in religione defenderent; his vero, ob arctam societatem, quam satis indicant Matthæus c. 22. & Marc. 12. Ubi de censu summo magistratui pendendo quum ageretur, in subsidium adhibitos videmus. Quocirca non multum forte aberrabit, qui, istos fuisse homines aulicos, (unde Syrus vertit Matth. 22. & Marc. 12. 12.* דבית הרודס domestici Herodis) *regi suo olim addictissimos, inprimis in re nummaria, dixerit: qui in instituto suo perrexerint sub Romanis, a quibus Herodes in regno confirmatus fuerat. Hi, ut annotat Persii vetus interpres,* diem natalem Herodis observabant, ut etiam sabbatha: quo die lucernas accensas & violis coronatas in fenesteris ponebant. *Vide Drus. de trib. sect. li. 1. c. 3. & Casaub. adversus Baron. exerc. 1. n. 3. Judæos fuisse, ostendunt & ea quæ passim de iis in Evangelio leguntur: proinde credidisse, Herodem esse Messiam, quem omnes e tribu Juda expectabant, nemo, si sedulo attendat, credet; quantum quidem judicare possum: etiamsi a viris magnis præcipitanter nimis assertum fuerit. E dictis liquet, quintum numerum inter sectas non constituisse Herodianos.*

d Essenorum nonnullos degenerasse) *Potius magno Scaligero assentior in Elench. trihær. ubi quam plurima de sectis Hebræorum, p. 128.* Ossenorum nominis origo eadem est cum Essenorum nomine. Sola pronuntiatione differunt, ut de Nasaræis & Nazoræis diximus. *Porro, de Hasidæis, & Essenis qui sunt iidem cum Essæis, ita habendum. Hasidæi olim dicebantur, qui σύνημα,* corpus, *quoddam piorum constituebant, totos se divino cultui consecrantium. 1. Mac. 2. 42. Quorum sexaginta interfecit propudium mortalium Alcimus, pontifex M. 1. Macc. 7. 16. Post illa tempora societas quædam hominum a simili notione dici cœpit Esseni: priores a* חסיר, benignus; *posteriores a Syriaco* חסיא pius: *unde Græcum* ὅσιος, sanctus. *At quia duæ terminationes usitatæ,* αῖος *ex Syriaco, &* ηνός *e Græco: hinc dicuntur Essæi, & Esseni. Quid crediderint, quique vixerint, passim a viris doctis, pluribus expositum fuit. Priora tantum apposui, quia in istis vocibus enarrandis non raro aberratum fuit. De re ipsa consulas Scaligerum, Drusium, & Scultetum: quorum illi distincte de tribus sectis scripserunt; postremus multa quoque observavit li. 1. Exerc. Evang. Adde Petitum, lect. var. l. 2. c. 7. ubi Esseni contra Scaligerum defenduntur, eos solem non adorasse. quod caput lectu dignissimum. Adeas etiam librum, Jouchasin, ubi folio toto 139. author prolixe de tribus sectis.*

e A Tsaduko quodam) *Satis de Sadducæorum dogmatibus scripto consignarunt viri docti: & de hæreseos ipsorum origine nonnihil observarunt Christiani. Eam tamen plenius, sed breviter, exequar ex Hebræorum Abrabanielis & Maimonidæ commentariis in* Pirke Aboth. *Textus ipse occasionem hæreseos ostendit:* אנטיגנוס איש שוכוהה אומר אל תהיו כעבדים המשמשין את הרב על מנת לקבל פרס אלא היו כעבדים המשמשין את הרב שלא על מנת לקבל פרס ויהא מורא שמים עליכם. Antigonus Schochæus dicere solebat, Ne sitis servorum instar, qui domino suo ministrant, ea conditione, ut mercedem recipiant; sed estote sicut servi domino ministrantes absque conditione recipiendi mercedem: verum reverentia Dei vobis incumbat. *Hinc Antigoni discipulus Zadok, & condiscipulus Baithos, hausisse videntur errorem suum, vel potius spontaneam hæresin: ut nec angelum, nec ullum spiritum, id est, sive hominis, sive angeli, agnoscerent; adeoque nec resurrectionem: uti legimus Actor. 23. 8. Nam, si nulla est speranda merces, cui bono resurrectio? Si etiam spiritus hominis post mortem remaneret, merces daretur saltem animæ superstiti: quod negasse videbatur præceptor Antigonus. Animæ autem & angeli, ob similitudinem, eandem esse rationem existimabant. Verum enimvero Antigoni Schochæi mens longe alia fuit. Ipsius enim verba duas admittunt commodas expositiones.* הדרך הראשון הוא שפרס יאמר תמיד על הגמול הגשמי בעולם הזה ולא יאמר בשום צד על הגמול הנפשי אמנם השכר נאמר פעם על הגמול הגשמי ופעמים רבות יאמר על הגמול הנפשיי. Prima exponendi ratio est, (*ut observat Abrabaniel,*) quod Peras, semper dicatur de compensatione corporali in hoc mundo, non vero dicatur ullo modo de præmio spirituali; at merces dicatur quandoque de mercede corporali, & sæpe dicatur de præmio spirituali. *Itaque in eo Sadok a præceptoris mente divertit, quod omnem negari mercedem diceret: quum suos tantum adhortatus fuisset, ne tam intuitu hujus, quam futuræ vitæ, bonis operibus studerent. Atque id confirmari potest verbis R. Abrahami in* Kabala. *Verba exstant f. 27. p. 1.* צדוק וביתוס שאלוהו על דבר זה והשיב להׄ תשוב״ שעל פרס עולם זה אינו בטוח אלא על העול׳ הבא. Sadok & Baithos super hac re ipsum interrogabant, deditque responsum, de præmio seculi hujus se non concipere fiduciam; sed de futuro seculo. *Inter alias rationes hanc affert Abrabaniel:* שהטובות הגשמיות שייעדה התורה עליהם אינם שכר המצות האמתי אבל הם פירות מהשכר האמתי ההוא וקרן השכר שמור לו לאדם לעולם הבא. quod bona corporalia, quæ lex addicit, non sint vera præceptorum merces; verum sint fructus veræ illius mercedis: & sors istius mercedis homini servetur in futuro seculo. *Alteram expositionem deinde*

subji-

ſubjicit, Antigonum noſtram in benefaciendo diligentiam acuere voluiſſe ex intuitu beneficiorum quæ accepimus; non vero eorum quæ accepturi ſumus האהבה והעבודה יתבר׳ ראויה ומחוייבת עלינו בבחינת החסרים שקבלנו ממנו יתבר׳ בבריאתו ובמציאות שנתן לנו ובשמירה׳ מהפגעים הטבעיי׳ והמקריים תמיד ובמה שהוציאנו ממצרים ונתן לנו הורתו ויתר החסרים שעשה לאבותינו ולנו בשנוי המנהג הטבעי׳ בעבורנו. Amor & cultus Laudandi conveniens eſt, & a nobis debetur, reſpectu benignitatum, quas ab ipſo laudando accepimus, creatione ipſius, & per eſſentiam nobis collatam; uti & conſervationem a caſibus naturalibus & accidentalibus perpetuam: ejus etiam reſpectu, quod eduxerit nos ex Ægypto, dederitque nobis legem ſuam; & reliquorum beneficiorum, quæ contulit majoribus noſtris, & nobis, immutando conſuetum naturæ ordinem noſtri cauſa. *Sic e verbis Antigoni male acceptis Sadducæorum errorem traxiſſe originem videmus.*

f Quarta ſecta, quæ Zelotarum) *Ipſum Joſephum quartam ex his claſſem facere, novi. Res ipſa tamen ſuadet, ex ipſis etiam Joſephi verbis, ut quum de ſententiarum diverſitate agitur, tres tantum Judæorum ordines inter ſe diverſos conſtituamus, ipſoſque Zelotas ad Phariſæos revocemus. Ad hunc modum Joſephus, lib.* 18. *antiqu. c.* 2. Τὰ μὲν λοιπὰ πάντα γνώμῃ τῶν Φαρισαίων ὁμολογοῦσι, δυσκίνητος δὲ τοῦ ἐλευθέρου ἔρως ἐστὶν αὐτοῖς, μόνον ἡγεμόνα καὶ δεσπότην τὸν Θεὸν ὑπειληφόσι. Cætera quidem omnia ſententiæ Phariſæorum aſſentiuntur; at immobilis libertatis amor iis ineſt, ſolum principem & dominum exiſtimantibus ipſum Deum. *De bell. Jud. li.* 2. *c.* 12. *trium tantum numerum ſcripto conſignat. Abraham etiam Zachout, quum de Juda Galilæo agit, narrat, fol.* 139. *p.* 1. *circa medium, omnia tentaſſe ipſum & experimenta ſumſiſſe trium ſectarum; ſed tandem Phariſæis adhæſiſſe: idque ex Gerionide.* אחר כך חזר למנהג הפרושים. Poſtea rediit ad ſectam Phariſæorum. *Ex illis de Zelotis, quorum Judas erat caput, judicium fieri poteſt, Phariſæos ferme fuiſſe, aut plane iſtorum ſententiis acquieviſse. Quod authorem iſtius ſententiæ concernit, Judam Galilæum (qui & Judas Gaulonites dictus, ut docet comparatio cap.* 1. *&* 2. *antiqu. Joſephi, lib.* 18. *) eum nullo modo poſse eundem cenſeri cum Simone Galilæo fatebitur, quicunque producta ex Joſepho verba contulerit cum aliis, quæ apud eundem de Simone Galilæo leguntur l.* 2. *de bell.* Jud. *c.* 7. *ſub initium, ſecundum Gelenii diſtinctionem. in qua verſione legitur* Simon; *non vero Judas; ut male in edit. Græc. Baſilienſi, in folio, cap.* 12. Ἦν οὗτος σοφιστὴς ἰδίας αἱρέσεως, οὐδὲν τοῖς ἄλλοις προσεοικώς. Erat hic ſophiſta *propriæ hæreſeos, nulla* re aliis ſimilis. *Ergo non erat Judas ille, qui, uno excepto, cætera Phariſæus erat: ut colligere eſt e verbis prioribus de aſſeclis vel ſequacibus ipſius. Uterque tamen in libertate propugnanda idem ſentiebat. Porro, qui accipere conveniat Gamalielis dictum de* Juda *Galilæo, Actor.* 5. 37. *docte explicatum invenies in Exercit. Caſauboni adverſus Baronium, Exerc.* 2. *Num.* 18. *Referre omnia, non fert libelli hujus ratio; ſumma eſt: Judam motus iſtos excitaſſe, poſtquam Archelaus relegatus fuiſſet & Judæa in provinciæ formam redacta: quum procurator Judææ Coponius eſſet; & poſterior cenſus inſtitueretur, alius ab eo qui Luc.* 2. *refertur: niſi illum hucuſque duraſſe, aut, ante hoc tempus nondum abſolutum fuiſſe, dicamus; quod Cl. Bertamo non diſplicet. Theudam vero, cujus ante Judam meminit Gamaliel, in Actis, alium eſſe exiſtimat ab eo, quem* Joſephus *li.* 20. *c.* 11. *recenſet: &, duos Theudas fuiſse, exemplis illuſtrat.*



CAROLI SIGONII
DE
REPUBLICA
HEBRÆORUM
LIBRI VII.
CUM JOHANNIS NICOLAI NOTIS.



SERENISSIMO AC CELSISSIMO

PRINCIPI AC DOMINO

D. LUDOVICO HEBERARDO

Duci Wortenbergiæ & Tecciæ, Comiti Montisbelgardi, Dynastæ Heidenheimii, &c. &c.

PRINCIPI AC DOMINO MEO CLEMENTISSIMO.

Serenissime ac Celsissime Princeps
Domine clementissime

VEREBAR initio, *Serenissime Princeps*, ne in imprudentiæ me crimen inducerem, si *Te*, *Celsissime Dux*, compellarem, & *Sigonium de Republica Hebræorum* annotationibus uberioribus auctum sub *Serenissimi Nominis Tui* auspiciis in lucem emitterem; Sed tamen ut id auderem *Nomen Celsissimum* operi huic præscribere, variæ causæ me instigarunt. Nam hujus instituti primam causam *Clementiam* Serenitatis Tuæ maximam, & ex ea natam in animo meo admirationem pono, cui immensus favor erga eruditos accedit: Hinc *Tuæ Serenitatis* Clementiæ aura, ceu cœlitus erecto signo quodam, me in meo proposito confirmavit, tacita quadam consensione, hoc quicquid est libri, ad Justitiæ ac Sapientiæ *Tuæ* tribunal subjectissima devotione sistere, ut & animum meum bono publico, qua licet, devotissimum ostenderem & rei cognitionem, ac bonas una literas judicio patrocinioque *Optimi Maximi Principis* committerem & commendarem. Lubens autem fateor, tantum ponde-

ris non inesse levidensibus meis scriptis, ut *Clementiæ Tuæ* oculis aspiciantur; attamen si non omnia grata erunt *Serenitati Tuæ*, quædam tamen delectabunt. Agit enim liber de *Republica Hebræorum*, cujus leges & modum regendi ipse Deus præscripsit, & juxta ideam hujus omnis Respublica feliciter instituenda. Accipe igitur, *Serenissime Princeps*, vilem obscurumque hunc laborem a me subjectissimo ac devotissimo Tuo Cliente, & paulisper instar doni pendere patere in Famæ templo. Non enim ut verum donum, sed ut illius obsidem & velut sponsoriam tabellam dedico, qua devotionem fidemque *Serenitati Tuæ* debitam ita transcribo, ut maneam *Tuæ Celsitudini* devotissimus servus. Interea pro Heroici animi ac ingenii Tui, *Serenissime Princeps*, magnitudine veniam haud gravate clementer concedes audaciæ meæ, quod hæc vilia & nullius momenti scruta *Serenitati Tuæ*, fasces Imperii tenenti, humillima subjectione porrigam; quippe sub hujus terrestris solis radiis Umbra mea illustrabitur. Sub hoc regimine, *Celsissime Dux*, Musæ meæ hactenus infelices Herculem Ducem atque protectorem nanciscentur. Si igitur voti mei compos factus fuero, mihi & studiis meis bene erit, & precibus ardentibus Deum Ter Optimum Maximum flagitabo, & intimis suspiriis implorabo, velit *Tuæ Serenitati* & *Serenissimæ* Conjugi omni ex parte benedicere, domi forisque consilia ita dirigere, ut vergant in gloriam Dei & emolumentum Reipubl. Concedat ille altissimus Deus Principi Patri Patriæ Serenissimo Nestoreos vel Platonicos annos, ut in terra sit justitiæ tribunal, consilii oraculum, prudentiæ delubrum, humanitatis penu, mansuetudinis sacrarium, fortitudinis sedes & virtutum thesaurus; tunc Subjecti sub regimine ejus contra omnes adversitates tuti vitam agent. Hoc votum pium exaudiat Deus & incrementum addat, quod ex intimo pectoris scrinio profert

Serenitatis Tuæ Celsissimæ

Subjectissimus Servus

Dabam Gissæ d. 18. Jan. MDCCI.

JO. NICOLAI.

PRÆ-



PRÆFATIO
BENEVOLE LECTOR.

S*istimus Tibi* Carolum Sigonium *magnum Gentis suæ Italicæ lumen: pauci enim oppido erant, qui isthoc Seculo seria eruditionis aut Reipublicæ literariæ cura trahebantur, ut omnes potius Majorum vestigia non tantum negligere, sed etiam contemnere viderentur, id quod sine gravissimo animi dolore* Sigonius *noster expendere nunquam poterat: Sancto itaque quasi Sacramento sese Musis mancipans, in id operam sedulus dedit, ut si quid maculæ gens sua otio contraxerat, ipse industria sua, quantum fieri posset, iterum elueret, quo factum, ut Viri doctissimi in maximo ipsum pretio habuerint*. Fasti ipsius Capitolini: Liber de Nominibus Romanorum: de scriptoribus Historiæ Romanæ Judicium: Chronologia in Livii historiam: Historiarum de Regno Italiæ Libri 20. Notitia utraque tum Orientis, tum Occidentis: Historiarum de Occidentali Imperio Libri 20. Fasti Consulares ac Triumphi: de Antiquo Jure Civium Romanorum, Italiæ, Provinciarum, &c. lib. 9. Comm. in Sulpitii Severi Libros Historicos: Historia de Rebus Bononiensibus Lib. 8. de Vita Andreæ Auriæ lib. 2. cum orationibus aliquot, contra Gruchium de Comitiis Romanis: Emendationes & dispp. adversus Franc. Robortellum: Lib. de Dialogo ad Jo. Moronum, Cardinalem: de Lege Curiata Magistratuum ac Imperatorum, & eorum Jure: de Episcopis Bononiensibus lib. 5. Pro Consolatione Ciceronis, Orationes 2. & cum Expositione Fragmentorum ejusdem Consolationis. Fragmenta Ciceronis collecta & Scholiis illustrata: Emendationum lib. 2. de Republ. Atheniensium eorumque ac Lacedæmoniorum Temporibus lib. 5. & hi de Republ. Hebræorum lib. 7. *magnam ipsi apud Viros Magnos famam pepererunt, ut aliis* optimus Antiquitatis Autor, *aliis* excellentis doctrinæ ac accuratissimæ industriæ Vir *sit laudatus, & ipsa Mutinensis Academia suum habeat ex hoc Viro splendorem: inter quos tamen hi de Republ. Hebræorum libri, cum primis, quod matura jam tum ipsius ætate conscripti videantur, infimis accenseri haud poterunt: Et quamvis haud inviti largiamur, Autorem nostrum suis urgeri erroribus, attamen & hoc ingenue fatemur, quod ea, quæ forsitan in errore hærent & obscuris errorum tenebris involuta, lucem in annotationibus his duplo fere auctioribus captura sint. Luci itaque altera vice* Sigonium *damus, spe certissima freti, fore ut nisi omnibus B. L. desideriis fieri satis potuerit, industriam saltem & sanctum juvandæ Reipubl. literariæ desiderium probaremus. Lectorem etiam benevolum certiorem facimus, quod brevi abhinc tempore* Cunæus *annotationibus illustratus lucem visurus sit, ubi ea, quæ forsitan hic omissa, pluribus demonstrabuntur. Vale itaque & his fruere. Dabam Gissæ die* 18. *Jan.* MDCCI.

VIRO

VIRO CLARISSIMO
JOHANNI NICOLAI
S. P. D.
JOHANNES ERNESTUS GERHARDUS
Th. D. & P. P.

Diu est, quod de re literaria bene mereri cœpisti, translatis non solum in linguam nostram variis exterorum libris, sed revocatis etiam ab interitu haud paucis, quibus alias Germaniæ nostræ forte carendum fuisset. Multa enim Anglorum scripta quod Nostri in vernacula legere possunt, id Tibi debent. In aliis autem nobis servandis quid præstiteris, vel solus Sigonius testis est, qui Tua cura jampridem in Germaniam introductus, eadem obstetricante nunc rursus ornatior prodit. Dum enim brevi tempore bibliopolia fere omnia effugit, certe argumento id est acceptum fuisse Eruditis donum, quo eos prima editione locupletaras. Nec dubium est, quin gratiam haud minorem apud Belgas initurus sis, dum nitido ipsorum stanno eundem ipsis exhibes. Quidni enim & manum veneremur, quæ chara nobis monumenta exhibet? Sique perversi Judæi χαρτοφυςακὴ Christianis in pretio est, vix sine injuria nostrorum studium flocci pendemus, quod in literatura hac promovenda occupatur. Macte itaque laude Tua, Nicolai Clarissime, & rem literariam, industria Tua augere perge, Sigonioque absoluto Cunæum etiam propediem nobis restitue. Scrib. Gissæ Hassorum XIV. Cal. Decemb. A. N. C. CIↃ. IↃ. CIC.

AMPLISSIME
D. JO: NICOLAI
FAUTOR, ET AMICE PLURIMUM HONORANDE.

Varia fuere, quæ in admirationem, amoremque indolis tuæ non vulgaris me rapuerunt. Primum quidem illustria illa documenta, quibus testificatus fuisti abundanter ingenii tui virtutem, in literis apprime versatam. Deinde & hoc insigne mihi visum fuit, quod, cum iniquitas fortunæ studium istud tuum, quod in tractandis literis collocasti hactenus, interrumpere, meritorumque tuorum magnitudini officere velle videatur, tamen te literarum æstimatorem, assertoremque ostendas, nilque tibi vel amabilius, vel optatius, vel antiquius reputetur, quam, ut antiquitatis, egregiæque literaturæ monumenta lustrando, utilitatis multorum rationem habeas inusitatam. Non dicam de multis aliis, quæ in causa sunt, ut res tuæ in præcipua apud me positæ sint æstimatione. Quid quod? nemo est, quin magna ista & singularia prædicet. Nemo est, qui nesciat, multum splendoris tibi literas, multasque illarum cultores debere gratias. Quot exstare fecisti scripta, tot in literarum studiosos contulisti beneficia, tot etiam laudum tuarum expressa radiant decora, atque monumenta. Auderem hortari ad plura, nisi sciam, jam dum inflammatum te esse ad majora adhuc sustinenda. Quid vero reliquum erit, quo argumentum quoddam mei

in Te

in Te amoris, vel potius officii exponam? Confido, non ingratas Tibi fore gratulationes, precationesque. De ampla igitur tot laboribus parta gloria gratulor, precorque Deum, ut diu Te florere faciat rebusque porro tuis prosperos dare velit successus in Nominis sui sanctissimi honorem magnum, literarum vero incrementum excellens. Vale. Dabam Gissæ e Musæo. d. XVIII. Cal. Decemb. A. Chr. MDCXCIX.

Amplitud. T.

Studiosissimus

M. GREGORIUS DANIEL GERNAND
Græc. ling. Prof. Publ. & Ecclesiast.

VIRO CLARISSIMO, D. JO. NICOLAI, EX ANIMO GRATULATUR D. JO. HENRICUS MAJUS,

Sacrarum Literarum in Academ. Gissensi Profess. Publ.

SI scripta tua, quæ hucusque magna satis cum copia ad Rei literariæ augmentum pariter, ac emolumentum publici juris fecisti, prolixe commendare nunc instituerem, plus temporis otiique, quam mihi inter quotidianos, eosdemque multiplices & pene infinitos labores reliquum est, haud immerito concedi postularem. Sed quia vino vendibili, quod ajunt, minime opus est suspensa hedera, & opus ipsum artificem commendet maxime sufficientissimeque, detrahere potius quam addere aliquid laudibus tuis videri possem, si magno verborum apparatu notam satis omnibus eruditionem tuam haud vulgarem, in præsens deprædicarem. Sufficit abunde ad famam Clarissimi Nominis Tui, quod viri inter Batavos doctissimi labores tuos dignos judicent, qui nitidissime prodeant & argenteis typis exscribantur. Cernunt illi, pro suo acumine, indefessum tuum in recondita abstrusaque literatura studium: æstimant multam lectionem autorum non proletariorum: amant styli facilitatem & perspicuitatem.

Quid adjici his ad laudes tuas & Operis hujusce novi commendationem possit, non video; quare vitio mihi non vertes, quod parcissime attingam tua in humaniores, Græcas Hebraicasque literas merita, cum de iis satis superque aliunde jam constet. Vale, &, si plura a me fortassis pro tuo jure & consuetudine nostra postulaveris, promtum paratumque semper me habebis.

NOBILISSIMO

D. JOHANNI NICOLAI,

POLYHISTORI CELEBERRIMO,

SIGONII ANTIQUITATES CUM SUIS ADDITIONIBUS EDENTI

S. P.

IMMANUEL WEBERUS,

Jur. Utr. D. Prof. P. Giessens.

HABENT ut homines, & cæteræ res mortalium, sic quoque bonæ literæ sua fata, suasque variant per periodos, & modo in summum culmen evehuntur, modo abjectæ jacent, alga quavis habitæ viliores. Ne procedam longius, patria nobis testis sit, & quidem omni ea exceptione major. Nam Seculis remotioribus omni eruditione nostri adeo destituebantur, ut Germanum ad literas tractandas omnino velut ineptum stupidumque prorsus cultiores Gentes censuerint; sed eluit hanc maculam Natio satis feliciter, ex quo non ita magnum intra temporis spatium tot excellentia ingenia produxit, quæ novorum inventorum solidiorisque doctrinæ palmam, cæteris quibusvis si non eripuere, dubiam certe reddiderunt atque ambiguam. Quid novo hoc, quod ingressi sumus, seculo Musis elegantioribus apud nos sperandum sit, ego quidem audacter pronuntiare non ausim; quod si tamen ex insolito illo, qui multis in scholis, Regiis etiam, juventuti obrepit, torpore omen capiendum est, nescio certe, annon exilium, aut a reditu veteris barbariei vis & miseria magna immineat, quod & boni multi mecum metuunt, & anxie conqueruntur. Haud dubie igitur laude digni sunt illi, qui malo obicem ponere, & lapsantibus rebus succurrere student, ut vel imminens avertatur, vel, si certa fatorum lege Patriæ præferenda est, calamitas tamen in remotiores annos aliamque hominum progeniem differatur. Et horum in numerum tu quoque, *Celeberrime Vir*, jure meritoque referendus venis, qui, postquam cum excellentissimis, quos ætas nostra fert, viris familiaritatem contraxisti, Bibliothecasque optimas scrutatus es, & eum in finem terras alio sub sole calentes adiisti, editis in lucem tot ingenii monumentis monstrasti satis te non degenerem Germaniæ filium esse, nec eorum de vitio trahere quidquam, qui honorem Nationis obsolescere vel intercidere secum patiuntur. Nihil nunc dicam de reliquis tuis scriptis, quibus apud orbem eruditum nomen jam diu consecutus es: nihil de iis, quæ summis vigiliis adhuc paras, & ultimam limam propediem experientur; sed hac vice non possum non, quin de *Sigonio*, quem cum doctissimis tuis Accessionibus in Belgio recudi & proxime ad nos allatum iri audio, tibi gratuler, bonumque factum, & Doctis omnibus ut utile sic gratum perquam futurum te prædicem. Novi enim tuam in antiquitate quavis pervestiganda solertiam dexteritatemque, quibus paucos habes pares, unde licet tua illa ad Sigonium nondum viderim, nulla tamen dubitandi causa est, quin præclara ea, & bonis omnibus acceptissima fore existimem. Perge ita, *Vir Nobilissime*, & ad similem industriam alios plures, etiam hic Giessæ, excita; ne & nostra Academia quæ celebritate nulli antea cessit, nostra ætate ex nostrorum socordia labem aliquam contrahat, quam abstergere difficile, non impedire, quam possis, piaculo utique esset futurum. Ohe certe, si quidem inde aliquem tibi accedere posse fructum putaveris honestorum conatuum fautorem constantem, saltem præconem & adprobatorem certissimum experiere, qui lautiorem meritisque tuis parem fortunam ex animo adprecor. Giessæ D. XII. Januar. A. MDCCI.



I. N. J.

CAROLI SIGONII
LIBRI VII.
DE
REPUBLICA HEBRÆORUM.

LIB. I. CAP. I.

Qui de forma Reipub. inscribitur.

ROPOSITUM est mihi hoc loco, veterem Hebræorum Remp. a Deo antiquitus institutam, atque intimis penetralibus sacrarum literarum inclusam investigare, atque inventam quoquo modo in lucem posterorum memoriæ prodere. Res est enim, ut omnes fatentur, cum per se ad cognoscendum præclara, tum ad sacros libros intelligendos usque adeo opportuna, ut jure mirari quisque possit, veterum adhuc neminem in hoc genere lucubrationis elaborasse, quos constat magno atque excellenti ingenio, doctrinaque fuisse, atque incredibili quodam divinarum rerum exponendarum studio exarsisse. Utinam autem hoc & ipse aliquanto ante vidissem! neque enim aliunde prima probandæ operæ atque industriæ meæ rudimenta sumsissem. Quod quidem & temporum ordinem ineunti, & propriæ salutis rationem habenti fuit magnopere faciendum. Verum voluntati Dei obtemperare oportuit: qui occulto, credo, consilio graviores fortasse annos meos tractationi omnium sanctissimæ reservavit: quodque adolescens studio ad scribendum incitato non cogitavi, quem ille sibi populum delegisset, quamque ejus remp. lege data instituisset, jam grandem natu, viribus in dies magis ad lucubrandum elanguescentibus ostendere voluit. Est enim mihi, ut dixi, consilium, his libris Hebraicorum sacrorum, sacerdotumque descriptionem, consiliorum, judiciorum, & magistratuum rationem, totamque pacis bellique disciplinam ex sacris literarum monumentis erutam aperire. Feci hoc idem olim juvenis in Atheniensibus, & Romanis, ut eorum leges, instituta, civitatem, & remp. variis eorum voluminibus abditam palam facerem: verum, ut nunc sentio, conatu aliquanto ad scriptionis commendationem insigniore: quod illorum commentarii, ut majorem verborum ad scribendum facultatem suppeditarunt, sic firmiora ad conjiciendam ex tanto temporum intervallo antiquitatem adjumenta subministrarunt. Adde quod res hæ minora quoque orationis ornamenta ferunt. Neque enim ele-

elegantia verborum, ut illæ, sed sanctitate mysteriorum hominibus commendatæ sunt. Quin etiam in ipsis veteris Latini interpretis, ut oportet, vestigiis insistenti ea sæpe adhibenda dicendi genera sunt, quæ elegantes & eruditæ fortasse multorum aures aspernari merito possint. Verum in re magna, ac maxime necessaria, quencunque conatum opinor esse laudandum, &, si facultas fortasse desit perficiendi, non improbandam tamen esse voluntatem experiendi. Quam ob rem accedamus ad rem, Deo ipso in nostrum auxilium invocato, qui per Prophetam dixit: *Beati, qui scrutantur testimonia mea, & in toto corde exquirunt me.* Neque enim aliud est testimonium Dei, quam Christus ipse, filius ejus, qui totius Hebraicæ historiæ finis est. Ad quem omnia legis mandata, omnia prophetarum vaticinia, omnia Hebræorum acta per arcana quædam mysteria referuntur. Hic est enim Moyses, qui verum hominibus Deum, veramque illius legem ostendit. Hic est Josue, qui devictis adversariis cœlestem eis Chananæam distribuit. Hic est David, qui cœlestem Hierusalem a Deo sibi ab initio destinatam ædificavit. Hic est Salomon, qui cœleste templum, templum inquam, non manufactum, eidem credentibus præparavit. Hic est demum re ille, qui Judæos & proselytos ejus æque in cœlo compotes reip. fecit, cujus adumbrata imago a Deo Moysi in terris tradita fuit. Ut enim in hac terrestri rep. David rex cum XII. principibus tribuum Israelitarum populum judicavit: sic in illa cœlesti Jesus rex cum XII. Apostolis populum fidelium judicabit. Quoniam autem sic sermonem hunc disposuimus, ut duas ejus partes, Religionem, Civitatemque fecerimus: placet, antequam ad eas explanandas veniamus, rei illustrandæ caussa, vetustam Hebræorum originem demonstrare, ac legis traditæ, reipublicæ institutæ, & urbis illi imperio destinatæ in universum historiam enarrare, lectore harum antiquitatum admonito, utilem admodum frugiferamque operam suscepturum, si prius, quam se ad hæc cognoscenda contulerit, aliquam ex sacris historiis actionum Hebraicarum haustam animo notionem habuerit. Cui officio nos quoque pro virili nostra servivimus in eo commentario, in quo sacram B. Sulpicii Severi historiam explicuimus.

CAPUT PRIMUM.

De populo Hebræorum.

QUoniam vero hic populus primum Hebræorum, deinde Israelitarum, tum Judæorum nomen tulit, ac varias sibi subinde sedes & formas ascivit, sane res poscit, ut ante omnia, quis ac qualis extiterit, & unde has ille mutationes acceperit, videamus.

Primum igitur omnium satis constat, quatuor a principio hominum quasi stirpes, aut propagines extitisse; quas scriptura sacra γενέσεις, id est generationes, appellat: unam vero a primo homine Adam usque ad Noe, alteram a Noe ad Abraham, tertiam ab Abraham ad Davidem regem, quartam a Davide ad eum, de quo diximus, Christum pertinuisse; ac secunda quidem ætate Hebræos, tertia Israelitas, quarta vero Judæos emersisse. Hebræi vero gens fuit omnium, de quibus literis sit proditum, antiquissima, cum Assyriam, quæ regio in primis scriptis gentilium celebratur, secunda ætate tenuerit. Cum autem in prioribus stirpibus alii natura duce Deum unum ac verum, alii vero simulacra falsorum deorum coluerint, Hebræi progenies eorum fuere, qui ultro Deum cognoverunt, ac cognitum adorarunt. Itaque succedente tempore eosdem sic Deus dilexit, ut non solum eis se præcipue patefecerit, sed ad extremum ex eis quoque filium suum Jesum Christum nasci ad salutem generis humani voluerit. Quæ omnia pluribus sacrorum librorum voluminibus explicata nos hic breviter complectemur.

Adam igitur, qui ut primus homo a Deo creatus primus Deum creatorem suum perspexit, sic primus mandato Dei violato, se cum tota hominum posteritate pessundedit, tres præcipue filios habuit, Cain, Abel, & Seth. Ex quibus Cain fratri Abeli vitam ademit, ac prorsus a Deo defecit, & progeniem ex se impiam propagavit, quæ Deos plures & falsos ascivit: & propterea scriptura illius rationem non habuit, ut quæ ad unam Christi Salvatoris progeniem ex piorum genere proditurам incumberet. Seth vero in paterna Dei cognitione ferme cum sua progenie perstitit: & ob id Scriptura eam usque ad extremum recensuit, tanquam eam, cui se Deus indicaturus, & unde salutem perditis hominibus esset missurus. Fuit vero ejus posteritas talis: Seth, Enos, Cainas, Malaleel, Jared, Enoch, Mathusala, Lamech, & Noe.

Hu-

Hujus vero ætate cum pii homines, nempe ex progenie Seth, cum filiabus impiorum, nimirum eorum qui a Cain originem ducebant connubia contraxissent, [1] ac malitiam in terras invectam cumulavissent, Deus nefario facto illorum accensus genus humanum ulcisci constituit; [2] ac diluvio aquarum super universas terras immisso [3] omnes utriusque sexus homines perdidit, [4] uno Noe, [5] viro justo, cum familia ejus excepto, qui in arca [6] jussu Dei a se constructa servatus est. [7] Reliquit autem Noe tres filios, Sem, Cham, & Japhet. Ut autem progenies Sem in patrio Dei cultu, quanquam non universa, perseveravit; sic soboles [8] Cham & Japhet prorsus ab eo defecit. Quare [9] scriptura posteritatis Sem tantummodo meminit; [10] quæ secunda ætate floruit: nempe Sem; Arphaxad, Sale, Heber, Phaleg, Reu, Sarug, qui desciscens a Deo primus dicitur Deorum simulacra fecisse [11], Nachor, & Thare, qui pariter in patris avique suscepta impietate mansere. [12] Hæc vero progenies prima Hebræorum nomen gessit, siquidem post diluvium, cum arca in montibus Armeniæ [13] constitisset, Noe, ac filii ejus Sem, Cham, & Japhet in Oriente habitaverunt, ea vero regio fuit ratione illorum cis Tigrim amnem, magna ex parte post Assyria nominata. Sem autem genuit Arphaxad, qui Tigrim transivit, & in Chaldæa consedit, ut S. Hieronymus etiam confirmavit. Itaque sunt qui putent, eos qui cum Arphaxad trajecere, nempe filios, & nepotes ejus, primum Hebræos dictos [14] esse, quod ultra flumen venissent; nam apud Hebræos Heber significare ultra, unde illud est Geneseos decimo, *Sem pater fuit omnium filiorum Heber*, id est omnium qui ultra flumen venerunt; inde posteri quoque Cham & Japhet alias adire terras statuerunt [15], cumque in Chaldæam tempore Heber, qui fuit filius Sale, nepos Arphaxad, concessissent, & campos Senaar [16] tenuissent, antequam inde cederent, auctore Nebrod [17] Cham nepote, gloriæ caussa [18] statuerunt urbem cum turri condere, quæ altitudine sua cœlum attingeret. Erat adhuc, ut inquit scriptura, terra unius labii, [19] id est una tantum lingua omnes utebantur, quam ab Adami ore hauserant. Deus autem fœdam eorum audaciam aversatus, linguarum diversitatem immisit, ut alter alterius intelligere mandata non posset. Itaque cum ex gloria quam affectabant, confusionem nacti fuissent, quæ babel [20] dicitur; & turris, & urbs, & regio inde Babel, Babylonis, & Babyloniæ nomen invenit. Heber autem, quod expers consilii ædificandæ turris fuerat, veterem sermonem retinuit, quo Hebræi ex posteritate Sem usi fuerant. Quare S. Augustinus in libris de Civitate Dei, Hebræos prorsus ab ipso Heber dictos fuisse asseruit. Abraham certe, qui sextus ab Heber fuit, capite XIV. Hebræus vocatur. Inde divisis inter se terris Heber in Chaldæa & Oriente remansit. Japhetis vero posteritas occidentem occupavit; Cham autem, quæ intermedia sita sunt. Atque hæc quidem Hebræorum non minus vera, quam vetus, origo, & prima gentis incunabula celebrantur primis decem capitibus Genesis explicata.

Cum porro Thare filius Nachor, abnepos Phaleg, adhuc in Chaldæa vitam traduceret, & in Ur urbe [21] agens eos Deos coleret, quorum simulacra Sarug avus suus instituisset, venit inde cum filio Abraham, & Lot nepote in Mesopotomiam, regionem inter Tigrim & Euphratem fluvios sitam, & sedes in urbe Charris [22] posuit.

Ab hoc porro tempore Hebræorum cum prisca, tum sancta historia incipit. Quæ Abraham [23] præcipuum & gentium & rerum gerendarum auctorem est consecuta. Thare enim vita functo Abraham a Deo monitus, & promissis ingentibus, excitus cum Lot, fratris filio, inde Euphratem, Jordanemque trajecit, & in terram Chanaam venit, quæ postea Judææ nomen accepit, & oppidum Sichem tenuit in ea parte, quæ postea Samaria nominata est. Promissa vero Dei Abrahæ facta, ac sæpius repetita hæc fuerunt: *Vade in terram quam tibi monstravero* (monstravit autem Chananæam) *ibi faciam te in gentem magnam, & benedicam te, & magnificabo nomen tuum, & eris benedictus, & benedicam benedicentibus te, & maledicam maledicentibus te, atque in te benedicentur omnes cognationes terræ*. Tria vero promissa fuerunt; terra Chananæa quam posteri ejus cum imperio & gloria possiderent; gens Israelitarum secundum carnem; & omnes gentes secundum fidem: quod ad Jesum Christum ab illo multis post seculis oriturum omnes constantissime referunt, qui dicitur filius Abraham. Post autem querenti Abrahæ, quod filiorum compos factus non fuisset, & servum suum heredem habiturus esset (nam uxor ejus Sara sterilis erat) dixit Deus: *Suspice cœlum, & numera stellas, si potes: sic erit semen tuum*. Et alio loco iterans idem promissum ait, se multiplicaturum semen ejus, sicut arenas maris. Suscepit inde ex Agar [24] ancilla filium Ismael, ex Sara vero conjuge Isaac, ex quibus duo populi prodierunt, Ismaelitæ, qui a Deo defecerunt; & Hebræi, qui in avita religione manserunt. Isaac inde duos filios genuit, Esau, qui & Edom, [25] & Jacob, qui

a Deo

a Deo Iſrael appellatus [26] eſt. Ab Edom Idumæi populi, a Deo averſi manarunt; ab Iſraele Iſraelitæ, qui veterem Dei notitiam conſervarunt. De quibus nobis præcipue diſſerendum eſt.

NOTÆ AD CAPUT PRIMUM.

[1] *Connubia contraxiſſent.*) Hic locus varias controverſias inter Patres movit, & recte autor noſter cum *Matth. Cheſneux pag. 30. cap. 4. ætati prim. infant. lib. 1. Chronol.* inquit. Cum libidine victi filii Dei, filias hominum concupiviſſent i. e. Cum poſteri Seth & Enos in quorum familiis Deus colebatur, impiorum Cainitarum filias ſibi in uxores aſſumſiſſent, ex eo commercio propagati ſunt homines ſtupendæ magnitudinis. Adamum ipſum in Teſtamento prohibuiſſe fingunt Conjugium cum filiabus Caini non ineundum, verba *Clariſſ. D. Hottingeri* hæc ſunt: *Liturg. Eccleſ. pag. m. 217. & 226. Cum morti vicinus eſſet Adam, vocavit ad ſe Schetum & Enochum Teſtamentoque præcepit illis, ne ſe immiſcerent cum ſemine Caini homicidæ.* Arabs *Patricides* teſte *Hotting. refert*: mandatum fuiſſe per ſanguinem *Abelis*, ne quiſquam de monte illo ubi Adam ſepultus deſcenderet & cuiquam permitterent filiorum, ut ad filias *Caini* maledicti migrarent. Idque repetitum cenſet ab *Enoſcho.* confer: *Selden. de Synedr. Hebræorum lib. 1. cap. 11. p. 457.* Falſa autem eſt opinio *Sulpitii Severi* & aliorum qui per filios Dei Angelos intelligunt, ad quæ verba *Vorſtius pag. 8. annotat*: Vetus Hebræorum opinio, inquit, quam & plurimi Chriſtianorum & Doctorum Eccleſiæ amplexi fuerunt, Angelos e cœlo delapſos rem habuiſſe cum fœminis. Sed & Angelorum illorum quidam certis nominibus inſigniuntur a *Rabbinis*. Textus Hebræus habet בני אלהים quod interpretes Græci verterunt υἱοὶ τοῦ Θεοῦ & Latinus ſimiliter; Aſt vertendum potius filii magnatum & quod ſequitur בנות הארם id non vertendum ut Græcus & Latinus habet θυγατέρας τῶν ἀνθρώπων filiæ hominum ſed filiæ plebejorum. Hinc conſtat eſſe quoſdam, qui nomine בני אלהים intelligant Angelos: Unde *Pirke Eliez. c. 22. R.* inquit *Viderunt Angeli & exciderunt e cœlo loco ſuo ſancto, filias Caini ambulantes in nuditate carnis & fucantes oculos ſuos inſtar ſcortorum, atque vagati ſunt poſt illas, atque ſumſerunt ex iis mulieres vel uxores.* *Syris* placet *Patricidis* ſententia: בני אלהא כתב אלהא אבר אלוהים רומא על בני שית והנוך אנוך Bene allohe: ſcriptura, habet Elohim i. e. Dei, quod dignitatem & Excellentiam notat filiorum Schethi, qui tales ſunt. *Arabs* ſimpliciter: per filios אלהים Dei explicat filios אלאר אלאה בנו שירן Schethi. Atque ſic appellantur quia in cultu Dei permanſerunt, qui deſciverant filii hominum, *confer. Vorſtius in lib. Pirke Eliez. pag. 182.* Ridiculus quoque eſt *Paulus de S. Maria Burgenſis Archi-Epiſcopus & Regis Hiſpaniarum quondam Cancellarius* converſus Judæus qui נפילים dæmones fuiſſe fabulatur, ſic dictos quod de cœlo ceciderint. Probare autem id annititur loco *Eſa.* XIV. 12. Verum ibi non de caſu Angelorum, ſed de ruina Regis Babylon: Prophetam agere textus συνάφεια ſatis probat. Hunc errorem videtur hauſiſſe ex ſcriptis Rabbinorum. Nam ut alios ſicco ſilentii pede tranſeam. *R. Salomon Jarchi ad Num.* XIII. 33. נפילים eſſe dicit ענקים מבני שמחזאי ועזאל שנפלו מן השמי בימי דור אנוש: i. e. Enakæos ex filiis Schamchaſi & Uſiel, qui ceciderunt de cœlo in diebus generationis hominis. Targum Jonathan pro voce hac habet שמחזאי ועזאל quæ nomina ſunt Angelorum, ſi Judæis credendum qui de cœlis ceciderunt. Alii נפילים ita explicant, quod ſint defectores a Religione Apoſtatæ; Notum enim vocem hanc unde dicti interdum de transfugis intelligi, (deſcendit enim a rad. נפל deficere;) quemadmodum & Angelus refuga qui alias apoſtata *D. Hieronym. ad cap.* IV. *epiſt. ad Epheſ.* dicitur, unde τῷ נפל נפלים Helleniſtæ reddunt ἐπίπτειν ut οἱ ἐπιπεσόντες vel ἐπίπτοντες dicantur, neque ſine cauſa notant veteres τοὺς ὑπερασπιστὰς μετὰ κακίας h. e. qui robuſtiſſimæ improbitatis ſunt, gigantes a ſcriptura dici. *Symmachus* vocat θεομάχους quo nomine a *Poetis* *Gigantes* ſeu *Titanes* dicuntur: quos eo tempore præ cæteris robuſte impios fuiſſe conſtat. Neque mirum Apoſtolum huc reſpexiſſe, improbitatem maximam hominum deteſtantem ſcil. *Gigantes* fuiſſe *Apoſtatas*, quod tamen vix eſſe poterit, dicendum quippe נפילים non נפלים ut videre eſt 2. *Reg.* XXV. 11. Sed dicuntur נפלים quod irruant, dejiciant, violenterque opprimant. *Vid. Lu. Tom. 3. Jenenſ. Lat. fol.* 83. non quidem de magnitudine corporis, ſed pro ingenio ſuo malitioſo omne jus regerent. *Vid. Antiquit. Dieter. bibl. fol. m.* 100. *Clar. Bochart. Phaleg. cap.* x. *pag. m.* 43. *Albert. Vogt. miſcell. bibl. hept. prim. pag. m.* 9. 10. *ſeq.* Ex his omnibus lectori benevolo ſatis clarum, quod per filios Dei minime Angeli intelligantur, & turpiter errare eos & mentis vix compotes, qui ſtatuunt Angelos deſcendiſſe ad filias hominum, quia Angeli ſunt ſubſtantia ſimplex quibus congreſſus non convenit. *Conſ. qq. Hotting. in hiſtor. Oriental. cap.* VIII. *pag.* 235.

[2] *Diluvio aquarum ſuper univerſas terras immiſſo.*) Deus mundum univerſali diluvio puniturus, pro miſericordia ſemen aliquod reſervat, ſelecta ad eam rem pii familia Noæ. Qui decima die menſis ſecundi *i. e. April.* 12. (ut putat Cappellus) triduo poſt æquinoctium vernum animalia in arcam mittit. Pluviæ cæperunt die XVII. *ſecundi menſis, Aprilis* 19. Pluit dies 40. *diebus vero* 110. *novi aquarum fontes undique ebullierunt.* Igitur aquæ invaluerunt *dies centum quinquaginta*, uſque ad ſeptimi menſis *diem decimum ſeptimum*. Pluviæ deſierunt *die* 29. *Maii*: novæ ſcaturigines ebullire ceſſarunt *Septembris* 16. Itaque ab *Aprilis* 19. creverunt aquæ & *Septembris* demum 16. decreſcere cœperunt, & quæ alia. Vid. *part. 1. Chron. Cathol. Edward. Simſon. fol. m.* 7. confer. *annal. ſacr. & prof. Auguſt. Tornielli prim. ætat. fol.* 97. 98. Diluvium hoc Ethnicis innotuit. Præter *Beroſum Chaldæum & Nicolaum Damaſcen.* alii duo ſcriptores, *Hieronymus*, qui antiquitates Phœnicum ſcripſit & Mnaſeus, Joſepho laudantur, qui omnes barbaricæ hiſtoriæ ſcriptores, hujus Cataclyſmi mentionem feciſſe affirmat. *conſ. lib. 1. antiq. cap. 4. Torniell. annal. ſacr. fol.* 101. *anno mundi* 1656. *Euſeb. præparat. Evangel. cap. 4. lib. 9.* Abydeni hiſtorici teſtimonium ſubjungit: apud quem Siſithrus rex commemoratur, qui ubi a Saturno didiciſſet magnam vim aquarum die XV. Dæſii menſis futuram, in Armeniam navigio confugiebat, & ceſſante pluvia, emiſit aves, ut per eas ſciret, ſicubi terra exſtaret: quæ cum omnia pelagi facie tegerentur, ad Siſithrum reverſæ ſunt. *Idem Cyrillus Alexandrin. lib. 1. contr. Julian. Alexand. Polyhiſt.* Ἀρδάτου δὲ τελευτήσαντος, τὸν υἱὸν αὐτοῦ Ξείσουθρον βασιλεῦσαι. vid. pag. 160. Falſa igitur fingunt. Siſithrus enim Noe non fuit, ſed regum aliquis poſteriorum, ad quem perperam illud, quod de Noe fama conſervaverat. Confer. *Chriſtian. Schottan. in bibliothec. hiſtor. Sacr. prim. mundi fol. m.* 160. *Edward. Simſon. Chron. Cathol. part. 1. fol.* 8. Ad alterum quod *Xiſutrum* appellitent iterum falſum. *Xiſuthrum Apollodorus* vocat Ἀμέμψινον χαλδαῖον ἐκ Λαράγχων. Apud *Cyrillum lib. 1. adverſus Julian.* locus hic tangitur. Quam ſententiam *Iſaacus Voſſius* de Chaldæorum iſtis ante diluvium regibus refert in *diſputat. de ætat. mundi*, verba hæc ſunt: *Unde autem conflatæ ſunt immenſæ illæ annorum myriades, quas antiqui autores memorant & hujus quoque rei breviter cauſam expediamus. Sciendum itaque Chaldæis veteribus cognitiſſimam fuiſſe diluvii hiſtoriam, uti docent celebria illa Beroſi & Abydeni fragmenta, verum etiam eos majorem, quam aliæ gentes habuiſſe notitiam eorum, quæ ante diluvium contigiſſent. Nec ſane aliter fieri potuit, cum non tantum familiares fuerint primis Patriarchis, ſed etiam cognatione junctiſſimi &c. Diluvii haud levem habuiſſe notitiam ſatis ex Beroſo manifeſtum, cum non tantum Noe meminerint, quem Oannem vocant, ſed & conjugis & liberorum & co-*

lum

lumbæ & navigii, quo salvi enatarunt, claram fecerint mentionem, sed vero de iis, quæ ante diluvium evenere, unum tantum illud cognovisse videntur, totidem fuisse ætates quod a Moyse memorantur. Uti enim Noe decimus est ab Adamo, ita quoque Xisuthrus, quo regnante diluvium supervenisse scribunt. Hactenus *Vossius* bene. At non placet dicere Oannem esse Noe. Quid enim? Si *Noe* est *Xisuthrus* non est *Oannes*. Nec si *Xisuthrus* de *Semo* debet exponi, *Noe* erit *Oannes*. Nam *Xisuthrus* fuit *Otiartæ* non *Oannæ* filius. Τεκμήριον luculentissimum personæ *Noe* fuit conservatio in arca. Non potuerunt illum nosse, nisi illi conservationem attribuerent: cum eam conservationem ad aliam personam retulerint, constat. confer: *Andr. Willet. comment. anglic. script. in Genes. cap.* 8. *fol. m.* 78. *quæst.* 4. *Plato* non obscuram hujus diluvii significationem dedit, qui in Timæo sacerdotem quendam Ægyptium inducit ex sacris Ægyptiorum libris referentem Soloni, ante particularia diluvia Græcis nota & celebrata, fuisse antiquitus maximam quandam inundationem terræque vastationem, de his quamplurima scripsit Vir clara doctrin. perspic. *Edward. Simson. Angl. Chron. Cathol. par.* 1. *anno mund.* 2244. *ante Christ.* 1759. *Jacob.* 77. *fol.* 27. & *A. M.* 2492. *ante Christum* 1511. *fol. m.* 36. ex his patet apud gentes fuisse illustrem memoriam diluvii. Vid. *Lucian. de Dea Syria*. Præter hoc ex Abydeno & Polyhistore aves esse emissas ad explorandam terrarum siccitatem, videmus. Noe nomen apud Gentes periisse ne mireris; Deucalion ex altero diluvio notus est, ignorantia autem tantæ vetustatis, confudit nomina, quia nec rem ipsam accurate distinguere poterant. *Eupolemus* librum composuit de Judæis Assyriæ, e quo apud *Eusebium lib.* 9. *προπαρασκ. cap.* 17. Alexander adducit τοὺς διασωθέντας ἐκ τοῦ κατακλυσμοῦ condidisse Babylona. Celeberrima diluvii & arcæ fama quoque apud Gentiles fuit teste Josepho. *confer. sup. autor.*

3 *Omnes utriusque sexus homines perdidit.*) Quidam putant Syriam solam subjectam diluvio fuisse, inter quos est *Alexand. Polyhistor. in libr. de Jud.* Quidam diluvium Noe non universale statuunt, sed terræ Judæorum, & rationes eorum hæ sunt 1. Filii Dei vocantur qui diluvium commeruere, postquam commixi fuere filiabus hominum & progenuere gigantes. Resp. Ubi dicitur filiis Dei eorumque posteritati soli invectum esse diluvium; tantum Sp. S. dicit malitiam publicatam fuisse, ubi filii Dei obliti sui suique generis coiisse cum filiabus hominum. Dicitur enim universam carnem corrupisse viam, nihil hic de conversione videtur ut *Lyranus* & *Bellarm. lib.* 4. *de Christ.* opinantur, *in fine vitæ pœnitentiam egisse*. In faciem igitur contradicit Præadamita Spiritui Dei. Spiritus Dei universam carnem dicit deletam. Præadamita solos Dei filios. Ut autem formulam hanc loquendi universalem obscuret, dicit, ea verba: *quod figmentum hominis malum esset*, ad Judæos pertinere, tanquam corruptum genus. Sed quæso a quo Judæi dicti? omnes fatentur a Juda filio Jacob, ubi igitur fuerunt Judæi ante Cataclysmum, de quibus nemo unquam inaudivit? Cur Deus dicit, hominem a se creatum universe, cum unicam gentem intelligeret? An solum Adamum Judæum & Judæos sobolem illius Deus condidit? Gentiles igitur unde? An ut fungi e terræ madore? Fontes abyssi magnæ nil quam mare Palæstinum notant; sed nugæ hæ. Moses dicit omnes abyssi magnæ fontes. Abyssus magna non potest aliud quid sonare, quam *Gen.* 1. 2. ibi terram omnem tegebat. Operti vero sunt montes excelsi omnes sub universo cœlo, intelligi debent de montibus excelsis Palæstinorum. Quasi universum cœlum sit solius Judææ. Atqui & hoc conatur defendere *Deut.* 2. 25. *qui habitant sub omni cœlo*. Sed quam male hoc cum aliis verbis dicti loci cohæreat patet. Terror judaici populi non exiit ultra oceanum Atlanticum. Si igitur terror Judæorum non penetravit ultra Indos & Garamantas aut glacialem Oceanum, fuit tantum in vicinia. Vicinia ista fuitne sub an ultra & extra cœlum terræ sanctæ? Si extra id fuit, tuta fuit a Cataclysmo, quod nescio, quomodo ex loco Deuter. probetur. *Confer. Christian. Schottan. biblioth. histor. Sacr. fol.* 170. *seqq.* Argumentatur porro. Probabile non est, ut totus mundus inundatione corruptus fuerit. Ad hoc enim efficiendum, multa debuissent concurrere miracula. Cum enim universæ orbis aquæ non sufficiant, ad obruendam tam alte terram. R. Si rem factam Spiritus S. dicat, consequentiis infirmari & rejici nequit. 2. Non sufficere omnes universi orbis aquas dicis? Atqui initio aquæ faciem terrarum alte obruere poterant. 3. Quid opus erat mergere illas terras, ubi nec olim fuere homines, ac ne nunc quidem sunt? Stultum est putare ante diluvium adeo multiplicatum fuisse genus humanum, ut omnes terræ angulos pervaserit. Quam tarda & segnis tunc fuerit humana natura in producendis hominibus ex eo nobis constat, quod Noachus demum nonus ab Adamo fuerit. Verum R. ante diluvium non fuisse segnem humanam naturam. *Vid. Gregor. Hornius & Schottan. fol.* 120. 4. Diluvium non delendo humano generi soli sed omnibus animalibus destinatum fuisse. Quod autem diluvium fuerit universale ita docemus 1. Scriptura omnes sub toto cœlo montes tectos stetisse narrat. 2. Omnia animalia in sicco deleta, ideo oportuit cum Noe in arca conservari τὰ λείψανα. 3. Temporum seu horarum quatuor vicissitudines illo anno cessarunt. Quod fieri non potuit circa terras quæ eminuerunt. Ubi hiemis frigus & aeris temperies & æstatis calor necessaria fuere: ut foverentur alerenturque gignentia. 4. diluvium aquarum comparatur cum interitu mundi per ignem in universalitate totum orbem complectente. *Vid. Petr.* 2. *epist. cap.* 3: 5. 6. 7. *conf. And. Willet. explanation and solution of doubfull questions and places. fol. m.* 76.

4 *Uno Noe.*) Græci Christiani credunt, plures quam octo homines in arca servatos esse, nimirum cum filiabus Noe & generos. *Constantinus Manasses*:

> Τῷ Νῶε δὲ συνέπλεον υἱοὶ καὶ θυγατέρες
> Γυνὴ γυναῖκες τῶν υἱῶν, νυμφίοι θυγατέρων.

Sed *Petrus* 1. *epist.* 3. octo tantum fuisse definit. Uxori Noe & nuribus quæ fuerint nomina silet scriptura, & adhuc lis inter autores. Nam uxorem Noe *Gnostici hæretici Noriam* appellitabant: *Epiphanius* contra eos disputans, *Hæres.* 26. *Barthenam* nuncupatam contendit. Vid. *Andr. Willet. explanat. and solut. of doubful. quæst. fol. m.* 70. *cap.* 7. *quæst.* 4. *Augus. Torniell. annal. sacr. fol.* 96. At *Berosus Annianus* eandem *Tyream* magnam vocat, reliquas, autem tres, *Pandoram*, *Noellam* & *Noeglam* quæ nugæ sunt: uti quod nuribus nomina facit *Pandora*, *Noella* & *Noeglia*. *Pandora Græcum nomen est*, inquit *Hornius* & *Deucalionis* mater. Pergit idem *Hornius* Alii *Sibyllas*, quæ Chaldæis *Sambethæ*, pro his habent. *Erythrea lib.* 3. profitetur se *Noachi* nurum esse.

> Τῷ μὲν ἐγὼ νύμφη, ἀφ᾽ αἵματος αὐτοῦ ἐτέχθην.

Eadem *lib.* 1. in diluvio & arca cum *Noach* se fuisse dicit. Sed sublesta istorum carminum fides est, non minus, quam scriptorum *Mercurii Trismegisti* & vel ex parte suppositia, vel admodum interpolata sunt. Id quod a Patribus factum putant convincendis ethnicis.

5 *Viro justo.*) Nullus in orbe hominum justus in conspectu Dei dici potest, ut *Psalmista Psal.* 130. 3. dicit. Neque in respectu perfectionis, qua Sancti regnum Dei impetrare solent: *ut Apost. Phil.* 3. 12. Neque 3. perfectio aliqua est, nec quisquam ita perfectus invenitur, ut hac in vita immunis a peccatis vivat, quam perfectionem finxerunt *Pelagiani. Eccles.* 7. 20. 4. Neque quis perfectus dicendus qui mandata arripit, imo plus quam mandatum efficit. Sed Noa dictus perfectus in respectu aliorum, & ideo additum in generatione sua, vel, ut *Torniell. annal. sac. fol.* 86. *n.* 3. quod totis viribus ad veram vitæ perfectionem tendere nitebatur. confer. *Andr. Willet. explanat. & solutio. dub. quæst. fol.* 64. *cap.* 6. *quæst.* XIII. *Augustin. in lib. de perfect. institut. cont. Cœlest.* dicit: *Ingredi sine macula non absurde dicitur, non qui jam perfectus, sed qui ad ipsam perfectionem irreprehensibiliter currit.* Noe justus inventus, ast nonne uxor & filii? Probabile quidem est, uxorem ac liberos suos cum uxoribus fuisse probitate insignes, ac propterea solos cum patre ipsorum Noe, diluvio non fuisse deletos: Nihilominus ex

Gen.

Gen. 6. 1. legitur : *Ingredere tu; te enim vidi justum*; & videtur potius indicari, solum Noe ob ejus justitiam, meruisse a diluvio præservari : domum vero suam, ad solationem capitis, & ad faciliorem hominum reparationem, secum fuisse servatam. Quanquam non absurdum etiam videri possit arbitrari, conjugem ipsius Noe & filios & uxores eorum : respectu quidem Noe, non fuisse justos, & ideo de solo Noe dicit, *Te vidi justum* : Sed in comparatione aliorum fuisse bonos, vel saltem non malos, aut certe nullum ipsorum adeo perversum, sicut erant cæteri : *Judæi* vero multi non adeo favent laudibus Noe. Testatur *R. Salom. Jarc.* illud quod habetur *Gen. 6. 9.* (ubi incipit sectio secunda legis) *Noe vir justus atque perfectus fuit in suis generationibus*, ab aliis Magistris exponi לשבח in laudem Noe summam : Quandoquidem si fuit in generatione justorum, præ illis justus fuit. Ab aliis לגנאי in diminutionem & ignominiam לפירושו היה צדיק ואילו היה בדורו של אברהם לא היה נחשב לכלום *in sua generatione justum fuisse, at si fuisset in ætate Abraham, nullius pretii habendum fuisse*. *Mercerus* recte notat; id potius laudem ejus augere, quod inter corruptissimos homines fuerit integer, seculi malitia non afflatus. Quod Deus ipsum solum justum appellet, dicit *R. Salom.* id fieri, *quia Deus coram Noe alloquatur*, & quæ aliæ cavillationes, quibus virum justum maculare conantur.

6 *In Arca.*) Hebræi vocant תבה navigii genus absque remis & velis, arcæ in modum constructum tectumque LXX. κιβωτὸν vocant. *Josephus* λάρνακα : *Chaldæi* תיבותא unde θιβωτὰ in *Clemente Stromat. l.5.* Hujusmodi navigia vel ex ligno fiebant, ut *arca Noe*, vel ex papyro ut scirpea illa ratis, quæ Mosen infantulum vexit. Hanc LXX. θίβιν appellant, haud obscuro vestigio vocabuli Hebraici. Videndus *Suidas Lexico Hesychii*, θῖβα, πόλις βοιωτίας καὶ κιβώτων recte proprie κιβώτιον : ab eo *Thebæ* dictæ sunt. *Cadmus* enim *Thebarum* conditor a navicula, qua vectus in Europam trajecit, nomen urbi imposuit. Ut *Josephus* arcam λάρνακα, ita etiam *Lucianus* appellat, *quam pluvio tempore Deucalion conscendit*; Glossæ veteres, λάρναξ *arca*, *riscus*. Pro θίβιν *Cyprii* dicunt θίβωνις. *Aben-Ezras* ושם תיבה ולא ספינה כי איננה על צורת אניה ואין לו משוטי. *Nomen ejus* הבה *non* ספינה *quia non habuit formam navis, nec remos*. Nam navem veram Phœnices non vocabant תיבה. Cadmi navis non potuit formam arcæ habere, nec esse quadrata, ut illa iners moles, quam ex voluntate Dei fabricatus est Noe. Nam Noe agitare & gubernare cursum suæ navis non debuit, sed eam committere providentiæ Dei. Non potuisset Cadmus ejusmodi genere navigii, quod habuit Noe, navigare in Græciam; *Varro* scribit *Æoles Bœotios Thebas* vocare colles, quam vocem Sabini quoque a Pelasgis accepere. *Thebæ* igitur *Bœotiæ* a positu & loco nomen habuerunt. *Grotio* placet navis genus fuisse usitatum. *Id* (inquit) *antiquissimum navium constratarum nomen ex similitudine* (arcæ) *ad quam factæ erant*. At naves nunquam apud Hebræos hoc vocabulo dictæ sunt. *Græci* etiam inter λάρνακα & ναῦν sive πλοῖον distinguunt. *Simonides* quidem de *Danae navigante* : λάρνακι ἐν δαιδαλέᾳ. At est Poetica ὑπερβολή, ad quam exigi non debet distincta rerum veritas. Non fuit navis, quia gubernationi inepta, quamvis, *Mercerus* putet *vocem* תבה *notare cymbam, quia extra aquarum usum nempe hic & Ex. 3. non invenitur*. Certum est non aliam ejus esse notionem quam κιβωτῦ & λαρνάκος apud Græcos.

7 *Reliquit Noa tres filios, Sem, Cam, Japhet.*) Hic inter doctos controversia agitur an ita ut ponuntur, sint geniti ? Judæi e quibus est *R. Eliezar* autumant uno partu tres hos progenitos fuisse, neque juvat *R. Eliezarem*, quod *Noa* 500. annorum *Sem*, *Cham*, & *Japhet* dicatur genuisse *Gen. 5. 32.* successivam generationem intelligit. *Walton in apparatu biblico fol. m.* 8. Japhetum Semo præponit, cui e Judæis calculum addunt *R. Mose Gerundensis*, *R. Salomon*, *R. Levi ben Gerson*, *R. Aben-Esra*, *Autor. Bereschit Rabba*, *Tostatus*, *Lyra*, &c. Hi omnes præcipue *Waltonus* eo laborant, ut suam sententiam *Gen.* 10. 21. probent, ubi dicitur: אחי יפת הגדול frater Japheti Majoris. Alii vocem הגדול Sillukatam in generandi casu exponendam ex eo probant, quia cum præcedente יפת per ministrum Merca syntactice jungitur, ita ut duæ voces in sensu יפת הגדול cohæreant. Similiter vox אחי non Tipcha subdistinctivum minorem, sed ministrum Tipchæ, Merca sibi vendicaret h. m. אחי יפת הגדול frater Japheti, major. Idem habent LXX. Et versio Germanica Sem aber Japhets des grossern Bruder conf. *Jac. Raupp. bibl. portat. Exeg. syn. c.* 10. *Gen. p.* 59. Ex eodem capite probant ob Genealogiam, Semi enim est postrema & Japheti prima. Sed ad argumentum : Fatendum usum Accentuum in legitima Scripturæ interpretatione esse magnum. Nulla ratione *Ludovico Capello*, *Briamo Waltono* aures substringuntur, qui pro judicio suo notas Accentuum textui Hebræo *Masorethas Tiberienses* appinxisse contendunt, & pro arbitrio cujusvis mutandas, ubi visum fuerit. Neque tamen vim accentuationi inferre illi sunt putandi, qui textum ita exponunt, ut vocem יפת non ad sequentem, sed ad præcedentem referant. Solet interdum scriptura, quæ Syntactice cohærent, accentibus distinctis disjungere, ut tamen conjuncta esse non desinant. Quod ex *Gen.* 30. 1. 14. 15. 16. *Jos.* 2. 19. 6. 2. *Jerem.* 1. 14. *Ezech.* 28. 7. Similiter, quæ ministrum aliquem habent appositum, non statim Syntactice cohærent, sed disjuncta manent interdum. Distinguendum igitur est inter conjunctionem sensualem & verbalem. Etiamsi concederem vocem הגדול cum voce יפת per ministrum Merca in sensu connecti ; darem voces has ita exponendas, ne vox יפת ad præcedentem, a qua per subdistinctivum minorem Silluck distinguitur, rapiatur, sed ad sequentem, cum qua per ministrum Merca conjungitur referatur. confer. & plura vid. ap. *plur. Reverend* D. Calovium *Chron. Bibl. sacr. sect.* 11. *q.* 5. Ad autoritatem LXX. respondeo cum *pl. Reverendo viro Deutschman.* §. 9. *disp. Philolog.* Exemplar illud nullis accentibus instructum fuisse, vide *plur. Rev.* D. Calov, *Crit. Sacr.* Gerhard. *Exeg. LL. Loc.* 1. *sect.* 2. *cap.* 24. Progredior ad Genealogiam ubi variæ inveniuntur opiniones, audiamus igitur *Walton. in apparatu biblico fol.* 8. differentem : Deus itaque Semum prætulit, ut doceret, in electione sua se non habere respectum personæ, nec ætatis, nec eundem esse ordinem gratiæ, qui naturæ. Perperam itaque ordo doctrinæ cum naturæ & generationis confunditur. Placuit igitur Spir. S. ordine retrogrado progredi, a postremo incipit, in maximo desinit. vid. Calov. *Chronol. d. l.* Wolffg. Frantz. *Schol. Sacrif. disp.* 8. 59. *pag.* 194. Falsa igitur opinio multorum, qui Semo locum ultimum in generatione tribuunt. Sit igitur argumentum hoc modo : *Quem ordinem filiorum Noachi Spiritus San. in sede propria, (ubi scil. ut geniti recensentur nempe Gen. 5. 32. 6. 10. quemadmodum ICti ubi de jure dotium ff. lib. 23. tit. 3. pag. 789. seqq. &c. disputant, ad propriam materiæ sedem, titulis inscriptam confugiunt) Ita quoque in Scriptura primo attendendus textus est, non ratione phraseos (sed propriæ sedis.) in aliis Scripturæ locis. (non in Gen. tantum cap. 9. 18. 10. 1. sed in Chronicis 1. Par. 1. 4. in quibus Sem primo loco ponitur. Ubi non ut generantes introducit (hic enim Gen. 10. inverso ordine recenseri ultro fatendum.) Eo ordine filii Noachi sunt geniti.* Unde enim nisi ex divina revelatione generatio petenda. Non solet Scriptura facile alio, nisi eo, quo geniti sunt ordine recensere filios, qui ex legitimo matrimonio sunt nati, vid. Gen. 12. 21. 25. 13. 35. 23. 36. 10. 14. & aliis in locis quamplurimis. *Atqui Spiritus S. ordinem filiorum Noachi in sede propria* (*Gen.* 5. 32. & 6. 10.) & in aliis locis (*Gen.* 9. 18. 1. *Par.* 1. 4.) *ubi non ut generantes introducit constanter observat E. eo ordine filii Noachi geniti sunt dicendi.* Chesneux *in Chronico suo sacro* hæc habet verba : *Sem Noachi filius natu major anno mundi* 1556. *patris sui* 500. *in lucem editus*, cui contradicit Christian. Matth. S. S. *Theol. D. in Academ. Soran. Profess. in histor. Patriarch. cap.* 1. *pag.* 144. *ordin.* 12. sic inquiens ; *Sem est duodecimus & ultimus Patriarcha antidiluvianus, & p.* 145. §. 4. nascebatur *anno* 1558. *ab orbe condito*. 871. *anno ætat. Mathusalah.* 684. *Lamech.* 502. *ætat. Noah.* 98. *ante diluvium*. 2390. *ante Christum natum*. Sed hoc argumentum non tam firmum ut ei primogenituram auferre debeamus. Concludo igitur verbis *Viri Reverend.* D. Johann. *Deutschman* ita argumentantis : *Quicunque filiorum Noachi, Jus primogenituræ* (quod in tribus consistebat. 1. Quod prin-

ceps

ceps fratrum esset. 2. Quod duplicem hæreditatem acciperet. 3. Quod Sacerdotio fungeretur. vid. Genes. 23. 29. 32. 23. Deut. 21. 17. 1. Par. 6. 1.) *in ipsa nativitate obtinuit*. Hic observandum: quod jus primogenituræ Jacobus Patriarcha habuerit, nec tamen primogenitus Isaaci. Sic Joseph Ruben & alii. Sic Abraham. Non ergo ad Primogenituram, habere jus primogenituræ, sufficiebat, sed ut a nativitate jus illud obtentum esset requirebatur. Hinc illa inter naturæ & juris primogenitum distinctio. Juris primogenitus aliquis esse potuit, qui tamen naturæ primogenitus non esset, ut *Dietericus & Matthæi in antiq. bibl. Num.* 13. *fol.* 232. *Histor. Patriarch. cap.* 1. *ordin.* 12. *pag. m.* 136. (& posterior in hæc enim prorumpit verba: Non legendum in casu dativo, sed genitivo,) ejusmodi putant, Semum fuisse. Is demum naturæ primogenitus est, qui Jus primogenituræ in ipsa nativitate consequebatur. Hinc hodienum Princeps primogenitum successione privare non potest, nisi leges & consuetudinem sua solius auctoritate abrogandi habeat potestatem. Præferendum primogenitum esse jure non gentium duntaxat, sed divino etiam elegantissime ostendit Bodinus 5. *de republ. c.* 2. *& lib.* 9. *cap.* 5. ubi pulchre primogeniti filium patruo (quod definitur in Aurea Bulla *Carol.* 4. *c.* 7. quoad dignitates Electorales in Imperio) sicut & eum qui antequam adeptus sit pater imperium natus est, posterioribus præferri docet. vid. *Hot. ll. qu.* 2. 3. & Mynsing. *cent.* 3. *observ.* 23. latissime Tiraquell. *tr. de jur. primogenit. q.* 40. & alii. *In vita* conservavit & exercuit & benedictionem primogenituræ accepit (quæ solennis & quasi testamentaria erat.) Qua fiebat die festum haberi solebat, ut ex *Lipman. ad Genes.* 26. 5. 4. notat *Reverend.* Calov. *pag.* 1051. Quadruplicem prædictus summe laudatus vir observat benedictionem. 1. *In Oeconomia*. 2. *In Politica*. 3. *In Ecclesia* 4. *Quæ favorem Dei concernit*. Atqui Sem fuit talis. Ergo. Neque ulterius probatione opus; confitentur & ipsi Hebræi Semum natu majorem fuisse, ut clarissimis verbis legi poterit in *Jalkut* ad dictum locum Gen. 9. imo solum Semi nomen argumento esse poterit Juris Primogenituræ in ipsa nativitate obtenti. Exercuisse etiam jus primogenituræ Semum constat. Patri Noacho in Sacerdotio successit, postmodum ordinario sacrificandi jure defungebatur. vid. Frantz. *Schol. sacrif. disput.* 8. *pag.* 193. conf. *Clariss. & Exc.* Joh. Frischmuth *dissert. de prim.* §. 11. Eandem sententiam quoque fovent e Patribus *Autor librorum Recognit*. Clem. *l.* 1. Ambros. *l. de Noach* Epiphan. *lib.* 1. *de hæres.* 4. August. *lib.* 16. *de Civitat. Dei*, E Judæis *R. David Kimchi*. *R. Abarbanel & ex parte R. Manasse ben Israel q.* 21. *in Genes. Pagninus*, *Vatablus*, *Cajetanus*, *Cornel. a Lapide*, *Calovius*. *Frantzius* & alii quamplurimi.

[8] *Cham & Japhet prorsus defecerunt*.) Quæ verba e Sacra Scriptura contrarium probare videntur. Negare quidem non possum Chamum illuso patre prorsus defecisse; aliam tamen sententiam de Japheto hauriendam esse autumo. Legitur enim Genes. 9. 5. 27. יפת אלהים ליפת LXX. πλατύναι ὁ Θεὸς τῷ Ἰάφεθ *Dilatet Deus Japhet*. Consecratio sane amplissima, quæ hoc promittit, tam late posteros ejus regnaturos, ut non sua modo orbis hæreditaria parte se contineant, sed & ad aliorum regiones imperium suum proferant. Vi vocis nomen Japhet, juxta quorundam sententiam significare & idem esse putatur. Condecoret Deus Japhetum, ac si a radice יפה esset. Qui Tremellium secuti reddunt; Alliciet Deus Japhetum, ut habet D. Christ. Matth. *in histor. Patriarch. ord.* 11. *cap.* 1. *pag. m.* 134. Sensum quidem non male exprimunt, Deum allecturum esse Japhetum ad tentoria Semi, sed vocis dispositionem sibi habent contrariam. Est enim hic verbum in Hiph. in qua forma, illa significatio alliciendi nullibi reperitur, quin si illa interpretatio obtinere posset, hic esse deberet 3. person. Fut in Pihel יפתה At hic est יפת pro יפתה. Recte versio Germanica reddidit: Gott breite Japhet aus. Uterque Paraphrasta *dilatet Deus Japhet*: quibus significatur benedictio politica h. e. multiplicet & dilatet prosapiam, ut in magnam gentem excrescat, sicut etiam Deus benedicit *Ismaeli Gen.* 17. Sed membrum posterius dupliciter explicatur; 1. Ut sensus sit: Quamvis Japhet sit dilatandus, in multitudine gentium ab eo descendentium, tamen non habitabit in eo per verum & specialem cultum Deus, sed in Semo, a cujus posteris factum est tabernaculum tempore Mosis: Alio modo, ut referatur ad ipsum Japhet, ut sensus sit; Posteros Japheti tandem aliquando habitaturos in tentoriis Semi: conf. Christ. Matth. D. *in histor. Patriarch. cap.* 1. *ordin. pag. m.* 135. scilicet quod multitudo gentium a Japhet descendentium ingressura sit veram Ecclesiam; cum contra plurimis Judæorum ex Semo descendentium cæcitas contingeret. Vox יפת rectissime habetur pro subjecto, ut sensus sit: Deum latissimam regionem Japheto concessurum, eumque seu ipsius posteros suo tempore veræ Ecclesiæ, quæ in V. T. erat in tentoriis Semi esse inferendos: sive id intelligatur de omni Ecclesia V. & N. T. semper enim soboles Japheti contulit se ad tentoria Semi. Duo igitur prædicit, 1. Quod Japhetus ad Ecclesiam veram sit adducendus, 2. Quod tam Regione quam posteritatis multitudine sit amplificandus.

[9] *Scriptura posteritatis Sem tantummodo meminit*.) Sem erat centum annorum, cum genuit *Arphaxad*, biennio post diluvium. *Genes.* 11. 10. Videri tamen posset fuisse CII. Siquidem *Gen.* 5. 32. legas. Et fuit Noe quingentorum. *Torniell. in annal. Sacr. fol.* 92. *an. mund.* 1559. refert anno quingentesimo secundo genuisse Semum. *Genes. cap.* 11. 10. Verum enim cum diximus, Sem centum fuisse annorum, quando genuit Arphaxad biennio post diluvium, potest ad literam verum esse, si ponamus ipsum non natu majorem fuisse, sed secundo loco genitum. Cum enim *Gen.* 5. dicitur Noa quingentorum annorum quando genuit *Sem*, *Cham* & *Japhet*, non intelligendum, ut *R. Eliezer German.* putavit, omnes simul uno anno natos fuisse, sed quod eo anno cœperit eos gignere. Et ita *Japhet* primum esse statuunt. Ast *Semum primo natum* fuisse *S. August. lib.* 16. *de Civit. Dei. Christian. Schottan. bibl. Sacr. histor. de secund. mund. ætat. fol. m.* 42. quippe natus est anno Noe 500. *Isaac Abarban. R. David. Kmichi*. Semi igitur posteritas fuit. 1. Arphaxad biennium post diluvium est. *Torniell. annal. sac. fol.* 114. *Edward Simson. Chron. cathol. Gerhard. Joh. Voss. Isag. Chron. pag.* 48. Hic *Græca exemplaria* inter *Arphaxad* & *Sale* interjiciunt *Cainan*, quem nec *Hebræi* nec *Samaritani* agnoscunt. Dicunt enim *Arphaxad anno* 135. genuisse Καϊνάν. Variæ hic sunt sententiæ. *Torniell. in annal. Eccles. secund. mund. ætat. fol.* 119. *n.* 2. dicit: Ponimus hic generationem *Cainan*, quia licet nec in *Hebraica* lectione nec *Latina vulgata*, nec in *Chaldaica paraphrasi*, nec apud *Josephum* habeatur, habetur tamen in textu LXX. *interpretum*. Qui Hebræorum sententiam aliorumque amplectuntur, asserunt nullo modo generationem Cainan ponendam esse vid. *Gerhard. Joh. Voss. in Isagog. Chronol. cap.* 2. *pag. m.* 48. In hac sententia quoque sunt *Beroald. Beza*. *Capell. Beroald.* quidem *lib.* 11. *Chron. sui* diserte docet Lucam locum hunc & alios citasse, quemadmodum eos habet Hebraica veritas, ast postea librariorum incuria factum esse vitium consentiente viro *clar. Capello* dicente: se credere Kainanem supposititium, fretum 1. *authoritate omnium*, quotquot exstant *Codicum Hebræorum*, *paraphrasew Chaldaicarum & Chronologiarum a Judæis scriptarum*. 2. *Authoritate vulgatæ editionis* quam *Concilium Tridentin.* pro authentica jubet haberi. 3. *Authoritate Eusebii & Theophyli*. 4. *Josephi historici epilogism.* 5. *Berosi Chaldæi* LXX. testimonio antiquioris. 6. *Epiphanii* suffragio *in hæres. Melchisedek*. Sic *clar. Beza. in not. ad cap.* 3. *Luc.* Ante nomen *Arphaxad* legitur *Cainan*, quod non dubitavi expungere, sequutus authoritatem *Mosis Gen.* 11. 12. *Pererius comment. in Genes. lib.* 16. 11. *disp.* conf. *Gerhard. Johann. Voss. Chron. cap.* 2. *pag. m.* 40. *Abulens. Eugubin. Cajet. Cornel. Jansen. episc. Gandaven. Sixt. Senens. Genebrard. Cornel. a lapid. Dionys. Petav.* affirmantes: Nullum unquam fuisse inter homines *Cainanem*, qui *Arphaxad* quidem filius, *Salei* autem pater exstiterit. Quibus vero Græcorum placet opinio, non diffitentur, omitti in Hebræo & Chaldæo contextu: sed ajunt, parum efficaciæ esse argumenta negantia. Nec enim si quis non dicat, eo verum non est. Plus valere affirmantia. At legi in LXX. interpret. legi etiam in *B. Luca*: cujus nobis sacrosancta esse debeat auctoritas. *Torniell. in annal. suis sacris fol.* 119. *ann.*

ann. 38. *secund. mund. ætat, Jacobum Naclantum* profert, qui in *libro* quem Scripturæ sacræ medullam denominat, putat, Lucam non propria authoritate sed LXX. generationem Cainæ posuisse, & idcirco *Cajetan. in* 3. *Luc. Jansenius. cap.* 14. *suæ concord. Genebrard, in Chronol.* Lucam excusare conantur, dicentes ipsum sequi voluisse LXX. quæ versio tunc temporis fere in omnium manibus, & hanc ob causam Lucam a communi opinione recedere noluisse, ne turbaret Ecclesiam ut refert mente aliorum *Gerhard. Johan. Voss. Isag. Chronol. pag. m.* 49. Sunt quidem alii quamplurimi, qui chronologiam hanc conciliare conantur, sed pauci rem non tetigerunt. *Torniell.* supra *cit. loc.* simpliciter sensum Lucæ esse retinendum affirmat ratione hac, qua LXX. translatio teste *Euseb. lib.* 6. *histor. Eccles. cap.* 23. sit pura. *Origenes* idem dicit: *Id pro vero in divinis Scripturis habendum esse, quod* LXX. *interpretes transtulerunt, cum & Apostolica id firmatum sit auctoritate, & longo Ecclesiæ usu approbatum.* Hanc igitur generationem, quam Lucas ex LXX. recenset, Græci & Latini pariter acceperunt, præsertim *Euseb. non longe ab exordio sui Chronic. & Augustin. lib.* 16. *de Civit. Dei cap.* 3. *S. Epiphan. sub finem sui Ancoratus sub nomine Cena* dicens: *Arphaxad genuit Cena: Cena, Sala: Sala, Heber:* Alii asserunt Mosi generationem Cainan notam fuisse, licet non expresse posuerit. Similiter Mosen non ignorasse Cainan: sed præteriisse eum, quia vellet numerare per decadas; Sed quærunt, si eum præterierit Moses, unde cognorint LXX. unde item Lucas? De hoc respondent alii, LXX. non tantum fuisse paraphrastas, quam interpretes. Verum eam generationem aut ignoravit, aut notam habuit. Ignorasse nemo dicat. Notam igitur habuit. Si habuit notam reticuit prudens, aut per imprudentiam. At neutro modo. De imprudentia blasphemum dicere, prudens non omisit, 1. quia ipsi fuit propositum texere chronologiam. 2. Quia majorum Christi neminem in sacra scriptura reticeri conveniens fuit. 3. Quia nec in Paralipomenis habetur. Adde; non agnoscit *Onkelos*, non *Berosus*, nec *Eupolemus*, ut concedit *Salianus*. Sic argumentantur rigidiores. Quicquid est a LXX. positum, id adjici debet Chronologiæ Mosis. Atqui Cainan. Igitur. Hic majorem negamus, quia interpretes fuerunt labiles, non gubernati a Spiritu S. Minor a multis negatur. Nam objiciunt hic inconstantem lectionem in Cainanis generatione & ævo, quam vide apud *Clar. Usserium dissertat. de Cainane.* Quod LXX. Interpretes attinet, falsum, quod Lucas authoritate LXX. Cainanis generationem in genealogia Christi posuerit, quippe in versione illorum nunquam Cainanem inventum fuisse testatur *Hieronym. in tradit. Hebr. in Genes.* qui omnem dissonantiam lectionis, quæ est in libro Geneseos inter Codices Hebræos & LXX. curiose pervestigasse & annotasse, dissonantiam vero hanc, quæ est circa generationem Cainan, ne verbo quidem attigisse dicitur. Ex quibus colligitur non extitisse generationem illam in libris LXX. quos tunc habuit *Hieronym.* confert. *Gerhard. Joan. Vossius. Isagog. chronolog. pag. m.* 70. *cap.* 2. 2. Apparet, Josephum, qui fere sequi solet LXX. Interpretes *lib.* 1. *antiq.* generationem Cainan minime commemorasse; *nec ab Epiph. hæres.* 65 imo neque nunc in omnibus codd. Græcis legitur. 1. *Paral. cap.* 1. *conf. Gerh. Joan. Voss. Isag. Chronol. cap.* 2. *p. m.* 50. *Balduino Wall. comment. in Luc. pag. m.* 583. *seq.* Ubi quamplurima habentur. Censeo igitur *Cainan* nec *Mosi* nec LXX. *Interpretibus* notum, nec *Lucæ*; sed per errorem librarii in LXX. & *Lucam* irrepsisse. Id inde colligo, quod neque in omnibus, qui supersunt codd. habeatur. In antiquissimo ut *referunt autores antiquissimi* non reperitur. *vid. Vossius dict. loc.* Narrat *Cl. Usserius* vidisse se librum Lucæ Græco-Latinum, antiquissimis membranis, literis majusculis, sine spiritibus & accentibus descriptum: ubi in Græco: τῷ φαλεκ, τῷ εβερ, τῷ Σαλα, τῷ Αρφαξαδ, τῷ Σημ. Codicem illum quatuor Evangeliorum & Actorum Apostolorum historias complectentem, ex Græcia olim in *Galliam* perductum, in monasterio *S. Irenæi in suburbio Lugdunensi* esse repositum, ibique oriente civili bello, *anno* 1562. repertum a *Theodor. Beza*, *anno* 1582. publicæ Cantabrigiensis Academiæ bibliothecæ esse donatum. *Vid. Wall. in Luc. Sphanhem. & alii quampl. clar. Joh. Hen. Hotting. thesaur. Philolog. pag.* 176. *Smegm. Oriental. pag.* 260. *Sixtin. Amama Antibar. bibl. pag. m.* 255.

[10] Prima enim ætas ab Adamo usque ad egressionem ex arca numeratur, & in Semo secunda incipit & in posteris ejus continuatur usque ad Abraham vid. Schottan. *biblioth. hist. sac. fol. m.* 1. *de secunda mundi ætate* conf. Gerhard. Joh. Voss. *Chronolog. sacr. Isagog. p. m.* 45.

[11] *Sarug qui desciscens a Deo.* Natus anno patris sui XXXII. vel ut *Torniell. annal. sac. anno secund. mund. ætat.* 194. *ab orbe cond.* 1850. Phalegi. 62. Eberi 76. Sale. 126. Arphaxad 161. Semi 261. Noe 761. post diluvium 163. *conf. Gerh. Joann Voss. Isag. Chronol. cap.* 5. *pag. m.* 56. Matrem *Philo Jud. antiq. Judaic. bibl. lib.* 1. *pag. m.* 4. refert *Melcham*, *filiam Ruth* fuisse, quæ in hæc, cum dies partus adesset, prorupisse verba dicitur: *Ex isto nascetur in quarta generatione, qui ponat habitationem super excelsa, & perfectus vocabitur, & immaculatus, & pater gentium erit, & non dissolvetur testamentum ejus & semen ejus in seculum multiplicabitur.* Ipsius Sarug temporibus cœptam esse Idololatriam scribit *Sanctus Epiphanius in libr. contr. hæres.* & *Suidas in verb. Abraham.* Cujus quidem opinionis duo esse fundamenta arbitror. Primum a numero generationis. Sicuti enim *Enoch* ab *Adam* septimus fuit, quo vivente, invaluit malitia. Teste *Johan. Selden. de Diis Syr. proleg. pag. m.* 28. 43. *Joseph. lib.* 1. *antiq. cap.* 4. Ita & a *Noe* septimus fuit *Sarug*, cujus tempore idolomania incrementum sumsit. Alterum videtur esse ex *Gen.* 31. 53. Ubi *Laban* jurat per falsum Numen *Abrahami*, *Nachoris & Thare*. Cum Nachor jam idolum coluerit, vero simile illis visum fuit, cœpisse falsorum Numinum cultum tempore *Sarugi*, avi *Thare*. *Eustathius de Sarug* ita: Ἐν δὲ τοῖς χρόνοις Σερὰχ οἱ υἱοὶ Νῶε εἰδωλολατρεῖν ἤρξαντο ϗ κακίαν πᾶσαν μετέρχεσθαι ϗ οἰκοδομεῖν πόλεις ϗ Βασιλεῖς καθιστᾶν ϗ πολιαρχεῖν ϗ ἁρπάζειν ϗ αἰχμαλωτίζειν. Initium igitur Idololatriæ non male refertur ad Serug. In ista autem εἰδωλομανίᾳ pictura fuit statuaria antiquior. Nondum vero in simulacris & signis sculptilibus de lapide vel ligno vel argento vel auro imagines coluerant. *Eutychius Alexandr.* originem primæ Idololatriæ evolvens sic scribit ex versione *Cl. Pocokii*: Cujus (*Sarug*) temporibus coluerunt homines idola, unoquoque quod sibi alluberet, colente & adorante. Eadem verba a *Cl. Dn. Joh. Henr. Hottinger. in Smegm. Oriental. lib.* 1. *de usu lingg. Oriental. in Theol. hist. pag. m.* 275. *seq.* citantur. *Christian. Schottan. biblioth. histor. Sacr. de secund. mund. ætat. fol. m.* 157. *Torniell. annal. sacr. & profan. fol.* 122. *& fol.* 149. *ann.* 341. *secund. mund. ætat. ab orbe condit.* 1997. *vid. Hotting. Thesaur. Philolog. lib.* 1. *cap.* 1. *de relig. pag. m.* 55. 56.

[12] *Nachor & Thare qui pariter.*) Non solum tempore Sarugi, sed & Nachoris & Thare idololatriam in usu fuisse historiæ testantur sacræ. vid. *Torniell. annal. fol.* 122. Sic etiam Orientales *Schalsch. hak. pag.* 64. *Philo jud. in antiquit. bibl. lib.* 1. *fol. m.* 5. hæc refert: *Tunc cœperunt hi, qui habitabant in terra, inspicere in astra, & inchoaverunt ex his imaginari & divinationes facere, & filios & filias per ignem trajicere*, *Maim. Schalsch. hak. p.* 8. In Midrasch bereschith legimus; Thærachum Idololatram; quin & fabrum statuarum fuisse. conf. *clar. Hottinger. lib.* 1. *de usu ling. Oriental. cap.* 8. *pag. m.* 292. Eutychius hanc recensens historiam, ita scribit: Diebus *Thare* multiplicati sunt Gigantes, *Fuitque Aad filius Aram filii Sem. filii Noe.* Tum vero Eutychius *Aad* mentionem facit, sequitur impostorem sceleratissimum Muhammedem, qui omnia mendaciis suis falsis conspurcare conatur, impudentissime de Ebero differens: Eum in tempora incidisse, quibus Idololatria inter homines sumserit maxima incrementa, maxime se opposuisse Regi Ebero συγχρόνῳ homini prorsus εἰδωλομανῇ, cui (præter exemplum & authoritatem ullius scriptoris) consuetudini suæ & inepto Paronomasiarum studio morem gerens nomen *Ad* imponere voluit. Hanc fabulam locis distinctis *Surata* 7. *pag.* 89. Surat. 11. *pag.* 121. proponit, verba citata vide *in histor. Oriental. clar. D. Joh. Henr. Hotting. lib.* 1. *cap.* 3. *pag. m.* 41. 42. *seq. Christ. Schottan. biblioth. histor. sac. fol. m.* 161. *ætat. secund. mund. Joh. Henr. Hotting. Smeg. Oriental. lib.* 1. *pag. m.* 279. Ejus etiam tempore accidit terræ motus insignis, vehemens;

eum

cum nullus antea terræ motus fuisset, idque quod ubi multiplicati essent Idololatræ, qui filios filiasque suas Dæmonibus immolarent, immitteret in ipsos ventum procellosum, essetque turbo, qui Idola omnia confringeret, eorumque delubra dirueret, adeo, ut pulveris tumulis obruerentur, qui etiamnum existunt. *vid. prædict. histor. pag.* 44. *Epiphanius* quatuor in mundo genera hæreseon ab Adamo usque Noe exstitisse existimat: nempe barbarismum, Scythismum, Hellenismum, Judaismum. Barbarismum vocat, qui dominatum tenuit ab Adam ad Noe. *Barbarismus autem dictus est, quod ejus temporis homines sine Duce vitam agerent & consensu, cum unusquisque sibi incederet & lex esset juxta arbitrii sui præpositionem*. Scythismus inde a diluvio usque ad ædificationem turris & porro ad ætatem Ragau vel Rehu protendebatur. De Phalec & Ragu dicit: *Qui cum ad partes Europæ secessissent Scythiæ parti & eorum annis adjudicati sunt, ab ætate Thiras & ultra, a quo Thraces originem ducunt*. Hic locus procul dubio corruptus, quod & vidit *Petavius*. Nam *Phalec* & *Ragau* temporibus, Scythismum finire debuit & evidenter definit. Quid igitur facit hic Thiras Thracum Pater? *Petavius* mutat *in Thare*, sed subsistere non potest. *Thare* enim natus est sub gentilismo, nec fuit pater Thracum. Ἑλληνισμοῦ *paganismi* fundamenta sub *Sarug* jacta esse narrat in idololatria sine simulacris, sub *Thare* eum esse completum, quo tempore simulacra coli cœpta sunt. *Τρίτη, ἑλληνισμὸς ἀπὸ τῶν χρόνων τοῦ Σερὼχ ἐναρξάμενος διὰ τοι τῆς εἰδωλολατρείας. Tertia secta, Paganismus a temporibus Sarug initio sumto, per idololatriam*. Cumque ea tempestate quisque incederet juxta aliquam superstitionem, ad civiliorem usum ad certas leges ritusque. Cum hominum gentes cœpissent idola erigere, quibus se composuerunt, Deos faciebant, coloribus initio exprimentes & effigiantes, quos olim in honore habuerant tyrannos, aut præstigiatores, quique in vita aliquid memoria dignum fecissent robore aut corporis vigore. *Patricid. Hist. sacr. pag.* 12. *Elmak. histor. suæ. pag.* 28. *& ex his clar. Hottinger. histor. orient. lib.* 1. *cap.* 3. *de Muhammed. genealog. pag. m.* 41. *Hotting. Smeg. Oriental. lib.* 1. *pag. m.* 276. *Augustin. Torniell. ann. sacr. & prof. ann. ætat. mund. secund.* 341. *condit.* 1997. *fol. m.* 148. 149. Postea vero a *Thare*, patris *Abrahami* tempore per statuas errore idololatriæ inducto, majores suos simulacris honorantes, quique ante eos mortem objerant effigiantes per artem figlinam primum, deinde qualibet arte imitante industriam; architecti quidem lapidibus politis, argenti cusores & auri fusores in propria materia, ita & fabri ac cæteri. *Serugi* igitur ætate Idololatria cœpit, cum ritibus quibusdam & solennibus. Idola erant imagines pictæ. Inde ætate *Tharæ* statuis Idolomaniam auxerunt, item initiis sive sacramentis. vid. *Andr. Willet. the explanat. and solution of doubfull quæstionis and places cap.* 11. *quæst.* 24. *Genes. fol. m.* 114.

[13] *Cum arca in montibus Armeniæ.*) Armenos clariss. Bochart. Phaleg. dicit Phryges esse genere. Strabo multo aliter: Armeniorum, Syrorum & Arabum gentes multum præ se ferunt cognationis sermone, vita, corporum forma, maxime ubi vicini sunt. Verisimile quoque est: Armenos partim ex Syris, partim ex Phrygibus coaluisse, & ex gentis utriusque linguam tertiam conflavisse. Quidam Armeniam ab Aram deductam volunt, ut Athanasius Kircherus *in tract. de arca Noe fol.* 227. *Cornel. a Lapid. in Genes. cap.* 8. 4. Quod si Etymon spectes Hebræum Aram & Armenia significat altam, excelsam. Est enim Armenia omnium partium orbis celsissima. Convenientior Etymologia Armeniæ, ex הר monte מני Minni regione sc. montana, quam cum Ararat conjungit Propheta Jerem. 51. 27. ubi ut & *Mich.* 7. 12. habet הרמני *Armeniam*. *Myniadem κατ' ἐξοχὴν* montem, in quo arca quievit Noachi appellat *Damascenus apud Joseph. l.* 1. *conf. Phaleg. Bochart. & Walton.* Est super *Mynadem ingens in Armenia mons Baris dictus*. Quid autem *Baris* sit? docti scribunt, Armenicam vocem esse, verum enim vocem Arabicam esse puto, cum aliis viris doctis a ברש quod est prodire, in conspectum evasit, cum latuisset, deductam, quo nihil magis emphatice de eo, qui primum ex arca ἀνέβη εἰς τὴν γῆν. Epiphan. *lib.* 1. *contra hæreseos* quem citat Dieter. *antiquit. bibl. fol. m.* 107. ait arcam subsedisse ἐν τῷ λύβαρ in monte, *Lubar*, *Loubar* quid autem sit nondum inter eruditos expeditum. Junius *ad Genes. c.* 8. ob descensum ita vocat. Josephus *lib.* 1. *ἀρχ. c.* 4. a situ, forte etiam ab eventu. Nam *lubar*, sive *Lubaris* sermone Armenio est ἀποβατικὸν sive ἀποβατήριον ut Josephus ipse testis, est locus editissimus, e quo descenditur. Fullerus *Miscell. l.* 2. *c.* 2. Epiphanium duobus modis castigandum inquit, vel *Dubaris* legendum; vel טור בירה. Verba ejus hæc sunt: Cæterum de nomine *Loubar*, quod apud *Epiphan.* legitur, alia mihi conjectura in mentem venit. Testatur Joseph. Scalig. Æthiopes Abassenos prædicare se generis sui primordia ab antiquis Chaldæis & Assyriis ducere. Quare etiam Armeniæ similis sit oportet. Geographi unanimiter confitentur tres hasce gentes confines esse. Atqui Abassenorum antiquo Idiomate Mons דבר nominatur. Hinc *Doubar* ab accolis Armeniis vocatum fuisse tractum illum egregie montosum, in quo consedit arca, non est fidei prorsus absonum. Hæc prior; ast ut de altera castigatione paucula quoque audiamus, qua dicit טור & בירה quorum illud montem hoc palatium denotat. Hinc verbum *βάρις* (ut autor est Hieron.) ἐπιχώριον Palæstinæ, quod domum declarat ex omni parte conclusam, & in modum turrium ædificatam. Cujus formam, quia veterum naves haberent, *βάρεις* appellatæ fuerunt. Arca vero Noæ ingens ac plane miranda *βάρις* merito haberi debet. Quapropter *τυβάρις* vel plenius *τυρβάρις* aut mons templi, aut mons navigii, quod ad eum appulsa sit arca *Noe*, exponitur. Sed miratur clar. Hottinger. cur *βάρις* a בירה deducat *Fullerus*, cum vocis hujus originem debeamus Josepho. Duæ autem sunt sententiæ de speciali Armeniæ loco, quo substitit arca; una Hieronymi, qui stetisse vult circa Armeniam, ad radices Tauri montis: altera & receptior, quæ montes *Cardyæos* appellat, Carduchos, cui consentit *Berosus Chaldæus* in montibus Gordiæis, Arabs vocat *Karud*. *Curtius* quoque meminit montium, quos *Cordæos* vocat. Vid. *Joh. Mandev. itin. c.* 54. *Dieter. antiquitat. bibl. ad Gen.* 7. 1. *fol. m.* 108. Athanas. Kircher. *in Arca Noe cap.* 4. *fol.* 184. 185. *lib.* 3. Plerorumque autem sententia est, arcam substitisse, ubi & urbem Noachidæ exstruxerint. *Patricid. pag.* 10. *Arabs* ut videre est in *Hott. p. m.* 251. 252. *lib. de usu ling. Orient. in Theol. Hist.* ita loquitur; Et substitit navis mense septimo, die mensis 17. qui mensis Elul dicitur & Thout, in monte Ararat, qui & mons Ghouda vocatur in Monzal, terra Diar-Rebia in urbe Phorda, &c. His ita positis certum est, *Carduchos* ad Tigrim habitasse, non quidem ad fontes, sed in Armeniæ confiniis, & ab his non distingui *Cordyæos* vel *Gordiæos*. His igitur Epiphanius (licet Fullerus discrepet) accedit, ita ut non generali tantum nomine montanam exprimat regionem, sed specialem arcæ quiescenti assignat sedem, quæ ex diversis respectibus diversa sortita fuit nomina. Nam ab urbe, ibi a superstitibus exstructa. 1. Themanim vocatur 2. vel a portu. Sunt iterum alii, qui putant, Ararat esse Caucasum altissimum montem, qui Indiam & Scythiam dirimit. In hoc monte expendendo dum versatur Goropius Becanus. 1. *Hisp. pag.* 7. tam confidenter progreditur, quasi is ipsus cum Noa fuerit egressus. Quicquid ita sit de montis jugo, in quo resedit arca, omnium tamen sententia fere, in monte Ararat resedisse arcam, de quo Haithonus memorat *l. de Tartar. cap.* 9. *p.* 424. Scil. illum propter abundantiam nivium, tam hieme quam æstate inaccessibilem. Sed iterum hic quæstio oriri posset quomodo quieverit supra dorsum montis Ararat; aut Ararat fuit altissimus, quod negatur, cum multo altiores dentur. confer. Athan. Kircher. in mundo subterran. Ratio igitur dictitat & indubitanter colligitur, complures in orbe montes, Ararat monte altiores tum temporis aquis denudatos fuisse, quando arca in montibus Armeniæ requievit. Verum cum hæc sacro Textui repugnare videantur, jam quomodo concordanda sint illa, exponam: Cum itaque arca Mense septimo & cacumina montium mense decimo apparuisse dicantur. Ad difficultatem mitigandam, dicendum erit, tunc temporis altissimorum montium vertices denudatos quidem fuisse, sed cum in incognitis locis terræ constituerentur, Mosen de iis, quos videre poterat locutum fuisse, & ita de arca sufficiant.

[14] *He-*

[14] *Hebræos, quod ultra flumen.*) Duæ sunt potissimum opiniones, quæ agitantur inter eruditos 1. qui defendunt ab Hebero dictos esse haud rejiciendi viri magni. Inter quos hi denominati *Joseph. antiquit. lib. 1. cap. 6. Euseb. præparat. Evangel. lib. 7. cap. 2. S. Augustin. de civitat. Dei lib. 16. cap. 3. & lib. 18. c. 39. Calvinus in Genes. 10. 21. Andr. Willet. quæst. bibl. c. 10. Gen. Diodat. Pererius in Gen. Mercerus August. Steuch. in Gen. 14. Genebrard. Chronol. lib. 1. p. 33. Franc. Jun. orat. de ling. Hebr. Cornel. a Lapid. Joach. Lud. Reimer. de republ. Hebr. August. Pfeiffer. introduct. in orient. p. m. 4. qui sequentes adducit rationes: 1. quia terminatio* י. *ordinarie sit gentilitia & patronymica. 2. Quod Hebræi expresse dicantur* בני עבר *Genes. 10. 21. & cum ellipsi* עבר *Num. 24. & qui plures. Idem sentiunt Buxtorff. dissert. 3. §. 27. ad §. 48. Samuel Bochart. phaleg. lib. 2. cap. 14. Hotting. thesaur. philolog. p. 4. & 5. Patricid. Arab. quem citat. clar. Hottinger. Smegmat. oriental. lib. 1. cap. 8. de usu Lingg. Oriental. in Theol. pag. 261. 262. Elmac. p. 14. Shalsch. hakk pag. 803. Aben Ezra ad Exod. 1. 16. Kimchi rad.* עברי *Abarbanel. in leg. fol. 51. Barthol. Meyer. Phil. sac. part. 2. pag. 271. seq.* Secunda sententia est eorum qui hoc verbum ab עבר transire vel trajicere deducunt, inter quos *Theodoretus in Genes. qu. 60. Chrysostom. in Genes. homil. 35. Arias Montan. in Canaan. c. 9. Scaliger l. 3. epist. fol. 446. Selden. de Diis Syr. pag. 13. Br. Walton. proleg. 3. n. 12. Erpen. Or. de ling. Hebr. Bechai, Rambam, Raschi, Paulus Burgensis, Munsterus Gram. Chald. Forster. dict. Hebr. fol. 565. Hieronym. in Es. 19. 18. Augustin. de civit. Dei lib. 16. R. Nehem. in Beresch. Rabba parasch. 41. R. Aben Esra* dicunt ab Eber, qui a trajiciendo vocatus, denominari, cui consentit *Aben Esra in comm. ad c. 21. Exod. 5. 2. R. Solomon. in comment. ad cap. 14. Gen. 5. 13.* Idem volunt Græcæ Ecclesiæ lumina, *Origenes & Chrysostom. tom. 1. homil. 19. in c. 24. Numer. Ludov. Vives in not. ad August. lib. 16. de Civit. Dei cap. 3. & multi alii.* Pro hac sententia stabilienda militant argumenta, quæ videnda, *in Walton. apparat. bibl. fol. 229. Capel. Chronolog.* Unicum ut addam: Hebræam appellationem nos nec gentis nec linguæ imputamus *Hebero* filio *Sale*. Qui contrarium statuunt ita argumentantur.

Qui in familia linguam primam retinente præfuit, cum linguæ dividerentur, ab eo proprium nomen, propria jam facta lingua accepit.

Atqui is fuit Eber sive Heber, E.

R. Non fuit necesse, ut ab eo lingua illa vocaretur, potuit enim aliud nomen, εἰς διάκρισιν, nancisci, ut quod Adamica, Noachica, Semica &c. appellaretur, aut etiam si non ab homine aliquo, ab aliquo alio eventu, aut discrimine, quemadmodum appellationum variæ causæ solent esse. Nec esse, cur ab Eber dici debuit, cum in Semi & Noe & Arphaxad & Sale familiis non minus, quam in Eberi familia conservata fuerit. Et illis majoribus potius debeatur honos, quam Eber, qui ex iis ortus est. At ab illis aliter appellatæ gentes originem habent, ab Eber Hebræi solent derivari apud Interpretes! Hic dico id errore fieri. Nam Eber non progenuit Hebræos, qui ab Abraham orti sunt. Josephi testimonium, qui ab Ebero Hebræos deducere conatur, veritati haud conveniens, cui multi Interpretum vestigia præbent: sed inquirimus in rei veritatem, non sententias Interpretum. Illud etiam objicitur, videri hac ratione, linguam sanctam resedisse in gente profana, nempe Cananæa, eamque fuisse extra supplicium, cum soboles Dei & Semi supplicio ita involvatur & culpæ vanæ molitionis. Hoc ita non esse satis patet, nunc ostendamus argumentis, Hebræum nomen aliunde esse, *Theodoretus*: Ἐγὼ δὲ οἶμαι Ἑβραίους ὀνομασθῆναι ἐκ τοῦ τὸν πατριάρχην Ἀβραὰμ ἀπὸ τῆς Χαλδαίων χώρας εἰς τὴν Παλαιστίνην τὸν Εὐφράτην ποταμὸν διαβάντα, Ἑβρὰ γὰρ τῇ Σύρων φωνῇ ὁ περάτης ὀνομάζεται· εἰ δὲ ἐκ τοῦ Ἕβερ Ἑβραῖοι καλοῦνται, οὐ μόνους ἐχρῆν τούτους οὕτω προσαγορεύεσθαι, πολλὰ γὰρ ἔθνη ἐκ τοῦ Ἕβερ κατάγει τὸ γένος. καὶ ἵνα τοὺς ἄλλους πάντας παρῶ, ἐκ τούτου εἰσὶν Ἰσμαηλῖται καὶ οἱ ἀπὸ τῆς Χεττούρας καὶ Ἰδουμαῖοι καὶ Ἀμαληκῖται καὶ οἱ Μωαβῖται καὶ Ἀμμονῖται καὶ οἱ τὰς χώρας οἰκοῦντες ἐκ γὰρ τοῦ Ναχὼρ καὶ τοῦ Λάβαν τὸ γένος κατάγουσιν. ἀλλ' οὐδεὶς τούτων τῇ Ἑβραΐδι κέχρηται φωνῇ. οὕτω δὲ καὶ αὐτὸς ὁ Ἀβραὰμ ἐκαλεῖτο. Καὶ μάρτυς ἡ θεία γραφή· μετὰ γὰρ τὴν τοῦ Λὼτ αἰχμαλωσίαν, ἐλθών τις, φησίν, ἀνήγγειλε τῷ Ἀβραὰμ τῷ περάτῃ, τοῦτο δὲ παρὰ τῷ Ἑβραίῳ κείμενον εὗρον Ἑβρί. &c. Duo argumenta habet; unum, quo adversam sententiam destruit. Si Heber linguæ & genti dedisset nomen, etiam alii ejus posteri, hoc sui parentis vocati. Nam multæ gentes ab eo propagatæ sunt. Non legimus de ullo posterorum hanc appellationem, præterquam de solo *Abrahamo*. Alterum e locis Scripturæ Sacræ, quo docet ex eo originem huic populo & sermoni venisse, quod *Abraham* eorum parens *Transeuphratensis* origine, in Cananæam advenisset. Primus locus est *Gen. 14. 13.* Sic *Rasi* τὸ עברי exponit שבא מעבר הנהר *Inquilinus erat Abraham, qui e Mesopotamia, Euphrate trajecto, Dei jussu, se contulerat in Cananæam, ideo indigenis dictus est* עברי, περάτης. Alter locus est in *cap. 39.* Ubi *Joseph* bis appellatur עברי *v. 14. & 17. in Græco* est παῖς ἑβραῖος. Locus, quem adversæ sententiæ homines maxime pro se facere putant, exstat *Gen. 10. 21. Sem pater omnium Hebræorum*. Quid autem est בני עבר. Non debent intelligi, ut volunt vulgo posteri *Eber* filii *Sale*, quia non tantum eorum pater est *Sem*: vanaque est ratio exemtionis, quam dicit *Augustinus*: sed est pater omnium, qui trans Euphratem habitarunt. Ita Asia, flumine Euphrate, dividebatur, & qui ad ortum habitabant, *Cananæis, Ægyptiis & Arabibus* dicebantur *Transeuphratenses* i. e. בני עבר quemadmodum *Deut. 30. 13.* de regione transmarina dicitur. Ita *Gen. 50. 10. & Reg. 4. 24.* & hæc sententia probabilior ex argumentis adhuc pluribus stabiliri posset, verum hæc sufficiant hoc loco. De hac opinione vid. *Gerhard. Joan. Vossius Isagog. Chronolog. cap. 7. pag. 62.*

[15] *Alias adire terras statuerunt.*) Hic quæstio moveri posset, an casu, an consilio inter filios Noe facta sit divisio. Casu hoc accidit inquit *Cl. Drusius*, non deliberato consilio. Nam cum alius alium non intelligeret, qui potuissent de orbis divisione inter se deliberare? Putat *Josephus* omnes omnino mortales, postquam e montibus Armeniæ in campestria processissent, mox in campum Sennaar se contulisse. Nos putamus factum ita esse, ut Semi posteritas circa *Noe* manserit, quia maximus erat natu, *Japhet & Cham* alio concessisse. *Noe* igitur cum *Semi* posteris *orientalem Asiam*, ultra *Euphratem & Tigrim* tenuit. Ab iis alio versus *Austrum & Septentrionem Chami & Japeti* posteri se contulerunt: quælibet familia quo Deus & casus ferebant. Quod vero *Noe* ipse partitionem terræ fecerit, *Pseudoberosus* fabulatur: Verba ejus hæc sunt: *Divisit ipse Noe terram, servatis antiquis nominibus, in partes tres Asiam, Europam, Africam: & has filiis vectus navi circum littora ostendit, in regna dispertitur, principes & colonos designat atque conscribit.* Et hæc opinio ita invaluit, ut Philastrius hæresin esse pronunciet aliter sentire. Sic enim scribit hæresi 70. *Sunt quidam heretici, qui de divisione orbis terræ & portione habitationis recte non sentiant: disputantes, quod Græci cœperunt aut Ægyptii aut Persæ describere orbem universum terræ, non beatus Noe filiis suis tribus post diluvium diviserit, dederit, ac definierit & partierit ordine.* Sed recte de ipso *Bellarminus* observat, multa a Philastrio inter hæreses numerari, quæ vere hæreses non sunt. Partitionem illam Eusebius & Epiphanius asserunt: Sed diversimode. Nam sortium non meminit Eusebius, quas *Epiphanius* narrat. Deinde addit locum, ubi sortitio facta, ut legi poterit *in hæres. Manichæor.* Opinionis hujus originem puto, quod *Rhinocorura* disterminent inter antiquas portiones *Sem & Cham* & quæ alia quæ in *Epiphan.* evolvenda.

[16] *Campos Sennaar.*) Scilicet regio fuit illa, qua Babel exstructa Singaram urbem montemque & Singarenam regionem exteri scriptores noverunt. Singara urbs a Nubiensi describitur sexta parte Climatis quarti; *Vigesimo primo supra Mausel milliario jacet secus ripam Tigridis urbs Balad, jacet autem ad ripam occidentalem, ut etiam Mausel. Ab ipsa ad urbem* שנער *Sengiar habentur 27. m. passuum. Porro* שנער *sita est in deserto ab occidentali parte urbis Balad, ad radicem montis cujusdam.* Singara igitur ista non attingit Tigrim: cum inter ejus territorium & Tigrim situm sit Territorium. *Balad Singara* ista in Mesopotamia sed septentrionalior *Mosal & Ninive. Singara Singaræ* apud *Ammianum*, ut *Sin-*

gara

gara Singarorum apud *Athanasium in epist. πρὸς τοὺς τὸν μονήρη βίον ἀσκοῦντας*. Sed hæc regio, non videtur Mosis esse *Sennaar*. Non fuit שנער sed שנגר. Quamvis levis sit illa *μεταβολὴ* literarum. At fuit in superiori Mesopotamia, quæ erat portio Aram, cum Sinear hæc fuerit portio Chus, cujus filio cessit. Sola enim affinitas vocabuli non docet affinitatem rei & loci. In campo sitam esse dicit Moses. Quærebant enim ut dicit Aben-Ezras *locum aptum ad condendam urbem, donec invenerunt hunc campum*. Et hæc regio nullos habuit montes. Situm hunc diligenter perquisivit clar. *Bochart. Phaleg.* quem vide. conf. *Plin. lib. 5. c. 26. Ptolom. lib. 5. cap.* 18. plur. vid. *in biblioth. histor. sacr. Schottani fol. m. 64. seqq. secund. mund. ætat.*

[17] *Auctore Nebrod.*) Clariss. Bochart *Geograph. S. L. 1. c.* 10. contradicit *Nimrodem* fuisse autorem ita scribens: Nimrod etiam ex illorum non videtur fuisse numero, qui Turrim exstruxerunt, sive tum puer fuerit, aut nondum natus. Alioqui cladem communem non evasisset, atque illi cum cæteris alio esset migrandum. Nec diceretur Gen. 10. 10, Principium Regni fuisse Babylon, qua nondum exstructa Conditores vi θεηλάτῳ dissipati sunt. Puto igitur post illam cladem terram Sinear aliquot annis jacuisse desolatam recenti memoria tantæ dissipationis omnes homines absterrente ab illa invadenda. Donec Nimrod homo pervicax eo se conferre ausus est, cum Chusæorum magna copia, ut opus dudum interruptum continuaret, & perduceret ad umbilicum. Vicina est hæc sententia isti Cajetani cui contrarium placet, qui Nimrodum non condendæ Babylonis, sed ejus jam conditæ primum regnatorem fuisse asserit. Item Isaaci Vossii sententia de ætate mundi pag. 257. Quis credat, inquientis, Turris Babylonicæ constructionem, confusionem linguarum ac dispersionem gentium, factam esse vix uno post diluvium elapso seculo? Ex sacris literis? manifeste hoc tempus colligitur, inde enim nomen inditum Phalegio. Atqui tum forsan nec dum tertius Noacho natus erat hæres. Huic difficultati, ut nonnulli occurrerent, miram commenti sunt methodum, ad multiplicandum brevi spatio genus humanum. Primos namque post diluvium Patriarchas, tam fœcundos fuisse dicunt, ut anno ætatis duodecimo, vel etiam prius, liberis gignendis operam dederint. Sed ut ut sit, sane ridicula hæc ratio. Ast ut ad Bocharti contradictionem alias viri longe doctissimi respondeam, gratis dicuntur, quod Nimrodus, Chami Nepos, Chusi filius sub Turris exstructionem puer adhuc fuerit, aut nondum natus, rationes igitur ut ut speciosæ claudicare. Libere concedit exstructionem Turris incidere in tempora Phalegi, cui nasci obtigit anno 101. post diluvium. Jam quis credat, propagationem humani generis tam tardos habuisse progressus, ut intra seculi spatium aliquis demum oscularetur Nepotem? Quod si hoc velimus admittere, in nimias primorum hominum fertilitatem coarctabimus angustias, & opus stupendæ magnitudinis paucorum absolvemus manibus, cum tamen Josephus & Athanas. Kircher. in Oedipo suo Ægypt. pag. 20. ingentem numerum fuisse testantur. Cajetani sententia a Pererio refutata. Quamavis vero verba illa איש אל־רעהו ויאמר certum hujus consilii autorem dissuadeant potius, atque unanimiter illos nulla prævia cohortatione ab alio facta, hoc opus aggressos fuisse probent; Nimrodum tamen hujus operis principem fuisse innuunt illa verba, cum potens venator dicatur, suadet etiam vox הבה quæ h. l. est excitantis. Quid vero per Venatorem robustum intelligatur explicat Athanas. Kircher. *in tractat. de arc. Noe fol.* 230. ita inquiens: Ipse cœpit esse potens in terra, & erat robustus venator coram Domino: ut proinde, qui sextus filiorum Chus fuerat, primus inter sex filios ob corporis robur & maximam in rebus aggrediendis audaciam potens in terra nominetur, quæ pulchre sane per Venatorem significantur; Erat enim uti Josephus tradit, homo crudelis, sanguinarius cædisque hominum per potentiam, violentiamque avidissimus, & insidiosus hominum oppressor; Feras enim venando, i. e. homines astu & insidiis partim, partim per vim cepit. Coram Domino i. e. sine timore Dei, & uti apud Job. habetur: In furorem erupit coram Domino. Et quemadmodum Augustinus de eo dicit: Quid autem est Venator, nisi animalium terrigenorum deceptor, oppressor, & exstinctor. erigebat enim cum suis populis turrim coram Domino, per quam impia significatur superbia, quamvis Cajetanus & R. Eliezar contrarium statuant, illum scil. feras in sacrificium Deo obtulisse: sed superbum Tyrannum fuisse certe ostendi poterit; adducam quosdam: Sic Josephus *lib. 1. antiquit. Jud. c.* 5. dicit: Ad superbiam autem Deique contemtum excitabat eos Nabrodes, nepos Chamæ, filii Noæ, vita audax & manu promtus, docens, non Deo, sed propriæ virtuti præsentem felicitatem debere. Item *Beros. lib.* 4. Itaque Nymbrotum creavit Babyloniæ Saturnum primum, ut ibi primum ædificaret cum coloniis suis. conf. *August. lib. 16. de Civitate Dei c.* 4. *Luther. Com. in Genes.* Item *Christ. Matth. in Thesa. Histor. pag.* 10. *Georg. Horn. in Histor. Philo lib. 2. pag. 67. Kipping. antiq. Rom. lib. 1. cap. 6. de Theol. Gentil pag. m.* 156. & iterum *Berosus lib.* 4. tradit; Nimrodum filio Jove Belo assumto, venisse cum suæ factionis hominibus in campum Sinear, ibique designasse urbem, & insolitæ magnitudinis turrim fundasse, anno nimirum salutis ex aquis CI. deduxisseque turrim ad altitudinem magnitudinemque montium in signum ac monumentum, quod primus in orbe terrarum sit populus Babylonicus & Regnum Regnorum dici debeat. vid. *Antiq. Dieter. ad Dan.* 11. 13. *fol.* 686. 687.

[18] *Gloriæ causa.*) Non fuit consilium ut viam ad cœlum sibi pararent. Erat enim apud ipsos recens diluvii memoria, quo sciebant arcam quindecim cubitis sublatam supra celsissimos montes, cœlo nihilo fuisse propiorem. *Clar. Bochart. phaleg.* neque ut *Joseph.* æxistimat ob timorem inundationis generalis, quia cognitum habebant, Deum mundum aquis non destructurum esse. vid. *Andr. Willet. explanat. and solution. doubtfull questions. chap. 11. quæst. 5. fol. 108. Schott. biblioth. sacr. hist. fol. m. 71. de ætat. secund. mund.* Neque propter Ignem. Sed ut *Hugo* dicit: *Factum esse cupiditate regnandi.* cui *Torniell. annal. sacr. fol. m.* 125. *ann. mund.* 1931. consentit. Hanc quoque rationem fuisse non plane nego: scil. Voluisse Nimrod diuturnis hujusce operibus populi discessionem ad alias longiores terras procrastinare vid. *Andr. Willet. d. l. & Torniel. annal. sacr. Christ. Schottan. biblioth. hist. sacr. fol. 73. de secund. mund. ætat. Clariss. Bochart. Phaleg. seu descript. terr. sanct.*

[19] *Unius Labii*) Quæ verba intelligenda de Noachi posteris post diluvium dicta: toto tamen tempore antediluviano unicam inter Adami posteros linguam viguisse facile probatur. Cum enim ab una stirpe totum genus humanum ortum habeat, primique parentes unicam a Deo infusam linguam habuerint, hanc unicam posteros docuisse negari non potest, cum liberi non nisi a majoribus linguam acceperint. vid. *Maim. More Nevoch. p. 3. c.* 50. & patres teste *Corn. a Lapid. comment.* in hunc locum *fol. m.* 142. Hebræam fuisse dicunt. *S. August. lib. 16. de Civit. Dei, c. 11. Orig.* Chrysost. Diodor. Hieron. excepto Theodoreto, qui Syriacam præfert, cui ex recentioribus accedunt Georg. Amira Episcopus Antioch. & Joh. Caspar. Myricæus, qui refutati a M. Majero & Athanas. Kircher. Œdip. Ægypt. Tom. 2. Goropius Becanus ut profert. *Cornel. a Lapid. comment. in Genes. c. 11. fol. m. 142. & Magnif. D. Calovius in bibl. illustratis fol. m.* 270. vult Cimbricam primam fuisse mundi linguam, sive Flandricam, ab eaque omnia nomina S. Scripturæ puta Adæ, Evæ, Cain, Abel deducit. Adam inquit dicitur quasi haddam. i. e. odium aggeris. Adam igitur idem est, quod agger invidiæ fluctibus objectus. Eva dicitur quasi Euvat i. e. seculi vas, quia in Eva omnium seculorum conceptum fuit principium. Plerique unanimi voce Hebræam primam fuisse asserunt, & R. Salom. hunc locum de lingua sancta exponit. Item Chaldæi Jonath. & Targ. Hierosol. de lingua Hebræa textum exposuerunt. Cui consentiunt plurimi doctorum virorum, Schickard. Cruciger. Becmannus de origine ling. Lat. Glassius *Grammat. c. 1. 18. pag.* 770. *Conf. Flac. D. Calov. in bibl. illust. fol.* 127. 272. ubi plura legenda. *Walton. apparat. bibl. pag. m.* 210. Sunt autem qui subtilius, quam solidius distinguunt la-

labium a verbis, quasi hæc sermonem significent, illud modum proferendi: ut sensus sit, non modo eandem omnibus fuisse linguam, sed & eandem phrasin aut pronuntiationem etiam quæ in eadem lingua sæpe variat. Unicam fuisse linguam, antequam conderetur, turris babylonica etiam Ethnici agnoscunt. Abydenus apud Eusebium & Cyrillum inquit: cum vero ad id tempus homines unius linguæ fuissent, linguam & diversam ipsis a diis esse immissam. Et apud Joseph. Sybill. cum homines unius linguæ &c. Quin brutis etiam fabulantur linguam illam fuisse communem; ut & homines cum brutis & bruta cum hominibus inter se conferre possent. Vide hac de re locum Platon. in Polit. & Philonem lib. de confusione linguar. qui dicit: Narratur olim omnium animantium, omnium terrestrium, aquatilium & volucrium eandem vocem fuisse. Sed hæ nugæ sunt, potius cum viris doctissimis & Rabbinis concludo Hebræam fuisse. Test. *Eucher. super Gen. cap.* 11. *Andr. Willet. comment. in Gen. fol.* 110. *c.* 11. *quæst.* 13. *August. Pfeiffer. introd. in orient p.* 7. *Buxtorff. diss.* 1. *Mayer Phil. p.* 2. *p. m.* 278. *seq. Walther. præf. Hebr. Gram. Dn. Sennert. diss. de ling. Hebr. clar. Bochart Phaleg. lib.* 1. *cap.* 15. *pag.* 57. *Br. Walton. prol.* 3. *n.* 3. *Christian. Scottan. biblioth. hist. Sacr.* 84. 85. *de secund. mund. ætat. clar. Joh. Henr. Hotting. smegm. orient. lib.* 1. *cap.* 3. *de usu lingg. Orient. p. m.* 33. *Abulens. in Gen. q.* 1. & 2. *Hieron. Oleast. in c.* 10. *Santi Pagnin. in initio lib. Isag. ad sacr. lit. Pererii comment. in Genes. Bellarm. l.* 2. *de verbo Dei. c.* 1. *Torniell. annal. sacr. fol. m.* 128. *anno mund.* 1931. & qui plures autores.

[20] *Babel.*) A Mose *Gen.* 11. 9. Babylon ut omnes consentiunt dicitur. Babylonem Bodinus & Sabellicus gravi errore eandem cum Susis faciunt Susianæ metropoli ad fluvium Eulæum. Non minus hallucinatur autor anonymus apud Suidam, qui nova metamorphosi Ninivem transformat in Babylonem de Semiramide sic agens: Περιέθηκε δὲ καὶ τείχη πρώτη τῇ Νινευὶ, μετονομάσασα ταύτην Βαβυλῶνα prima etiam Niniven cinxit mœnibus quam mutato nomine vocavit Babylonem. Aliis Babylon ut supra dixi est Bagdad, in quorum numero est Arabs. Sed Bagdad cum Babylone perperam confundi, situs manifeste docet. Babylon ad Euphratem erat, Bagdad ad Tigrim est sita: sed potius Seleucia vid. *Bochart. Phaleg. lib.* 1. *c.* 8. *p. m.* 37. Ideo vocatur Babel quia ibi בלבל bilbel i. e. confudit Dominus sermonem totius terræ. Sic Arab. in Gigeio הבלבלת אלאלסן linguæ confusæ fuerunt. *vide. antiquit. Dieter. bibl. fol. m.* 118. 687. *Cornel. a Lapid. in Comment. ad Genes. cap.* 11. *fol. m.* 144. Itaque Babel non est vox composita ex Ba & bel ut putavit Aben Ezra, cui consentit Beroaldus *lib.* 13. *Chronolog. Sacr. pag. m.* 123. sed nec a Belo deducta, conf. *Vir. Clar. Bochart Phaleg. pag. m.* 70. *cap.* 15. Ceterum quoniam in Babylonis mentionem incidam, non alienum foret, quæ de ejus urbe pulchritudine ac venustate literis & memoriæ prodita sunt hic inserere: Nec enim pensiles modo horti, sed & urbis ipsa mœnia omnium in se ora & oculos converterunt: usque adeo ut inter septem mirabilia orbis opera numerentur. Verum ad alia quæ hujus instituti propria sunt festinans, satis habebo locos, unde hujus rei cognitio peti possit, indicasse. Igitur qui amplitudinem urbis nosse desiderabit, sumat in manus *Herodot. Diodor. Sicul. lib.* 11. *Strabon l.* 16. *Propert. lib.* 3. *eleg.* 9. *Plin. l.* 6. *cap.* 26. *Curtium lib.* 5. Solinum in Polyhistore. Neminem illi patientur a suis discendi epulis non satiatum discedere: Tantum admonebo, inter eos scriptores de murorum & turrium altitudine, & ambitus spatio, non omnino convenire. Omnium quidem in unum consentiens fert opinio, inclytæ illius urbis murum latercuio coctili, bitumine, arenæ vice interstrato, interlitum fuisse, ejusque spatium XXXII. pedum latitudinem amplexum: ita ut quadrigæ inter se occurrentes sine periculo commearent. Verum secundum Curtium, altitudo muri quinquaginta cubitorum eminebat spatio: Turres denis pedibus, quam murus altiores erant. Totius operis ambitus CCCLXVIII. stadia complectebatur. At secundum Plinii opinionem Babylon sexaginta millia passuum muris amplectebatur, ducenos pedes altis, quinquagenos latis, in singulos pedes ternis digitis, mensura ampliore quam Romana. Cujus vestigiis insistens Solinus urbem sexaginta millia passuum circuitu patuisse scribit, murisque circumdatam, quorum altitudo CC. pedes detinebat, latitudo L. in singulos pedes ternis digitis, ultra quam mensura Romana erat, altioribus. Herodotus vero σαδίους περιόδου τῆς πόλιος, ὀγδώκοντα καὶ τετρακοσίους, τεῖχος δὲ πεντήκοντα πηχέων βασιληίων τὸ εὖρος, ὕψος δὲ διηκοσίων πηχέων fuisse scribit. Ctesias autem Diodoro teste, τεῖχος σαδίων τριακοσίων ἑξήκοντα fuisse scripserat. Murum etiam, ut idem Diodor. memorat, Ctesias scripserat fuisse, πεντήκοντα ὀργυιῶν. Recentiores alii, πηχῶν πεντήκοντα, Strabo aliter. Quos locos in concordiam adducere difficile, cum in ea re sententiis & scriptis veterum auctorum constet, ut tamen Clitarcho, qui τριακοσίων ἑξήκοντα καὶ πέντε σαδίων statuit. Curtius crediderim in notis numerorum vitium esse, & ita legendum, Totius operis ambitus 363. stadia complectitur. Eoque nos, ipsemet Curtius velut manu ducit. Subdit enim singulorum stadiorum structuram singulis diebus perfectam esse, memoriæ proditum est. Quæ verba indicant numerum stadiorum, dierum quibus annus constat, numerum æquasse. Similiter apud Strabonem τριακοσίων ἑξήκοντα πέντε σαδίων lubens emendaverim, ejusque auctoritate emendandum censuerim, quod in Curtii Codicibus legitur. Turres denis pedibus quam murus altiores sunt, & totidem cubitos pedum loco substituendos. A Curtio & Strabone Solinus aberrat. Herodotus totidem cubitos quot Plinius pedes enumerat. Mirifice congruerent omnia, si pro pedibus cubitos apud Plinium legeremus. Sufficiant hæc paucula.

[21] *Ur Chaldæorum.*) Ur Abrahæ patriam fuisse testatur Athanas. Kircher. *in tract. de arca Noe fol.* 201. Fuit ergo Ur teste Beroaldo *lib.* 3. *Chronol. pag. m.* 127. una ex Mesopotamiæ urbibus; alio nomine dicta Camirine, teste Eupolemo apud Euseb. *lib.* 9. *præparat. Evangel.* 4. Porro Chasdim Chaldæi dicunt. Dicitur Ur ab igne teste Christian. Matth. *hist. Patriarch. ordin.* 8. *p.* 164. Athanas. Kircher. *de Arca Noe fol.* 212. Hugone Brougthono *Anglo in concent. S. Scriptur. pag. m.* 15. Cornel. a Lapid. *fol.* 148. *Comment. ad Genes. cap.* 11. Notandum autem Ur hic significare ignem, quod scil. in hac urbe coleretur ignis. Hinc etiam Esdræ *c.* 9. 7. pro Ur quod est in Hebræo vertitur per ignem: Deus qui elegisti Abraham & eduxisti eum de igne (hebr. de Ur) Chaldæorum. Ubi plane cognoscitur Esdram ad hunc alludere locum. 2. Potest etiam ibi fumi appellative, ut tribulationem notet, scil. Abrahamum multas tolerasse afflictiones a Chaldæis, eo quod nollet adorare ignem teste Joseph. *August. lib.* 16. *Civit.* 13. Potest deinde etiam fumi proprie teste Christian. Matthia *p.* 167. *histor. Patriarch.* Indicat S. Scriptura cum hanc eductionem magnam & admirabilem celebrat, nec mirum est ejus non meminisse *Josephum. Philonem*, & Paul. *Hebr.* 11. uti objicit *Pererius*, quia illi tantum fere referunt ea, quæ habentur in S. Scriptura, Moses igitur, quia compendio omnia, tam Adami, quam aliorum usque ad Abrahami vocationem perstringit, tacuit gesta. Fabulæ autem multæ recensentur ab Hebræis de Abrahamo, quod scil. injectus fuerit in ignem, vivus tamen evaserit, sed hæc judicio recto relinquo.

[22] *Charris urbe.*) Abrahamum Idololatram fuisse contra Cornel. a Lapide statuendum esse judico, consentientibus Viris Doctissimis Athanasio Kirchero *tract. de Arca Noe fol.* 212. Christian. Matth. *Histor. Patriarch. pag. m.* 172. *Jos.* 24. & *aliis.* Charri autem vocata est a prædicto Matthia Haran 110. milliaribus a Jerusalem versus Aquilonem sita. conf. Beroald. *lib.* 3. *Chronol. pag. m.* 128. Græci & Romani Scriptores Carrhas vocant, Crassi clade nobile oppidum ad fluvium cognominem, siquidem Stephano credimus, Κάῤῥαι, inquit, πόλις μεσοποταμίας ἀπὸ Κάῤῥα ποταμοῦ Συρίας. Charrhæ urbs Mesopotamiæ a Charrha Syriæ fluvio. Idem alibi ex quadrati Parthicis Βόγχναι, ἔθνος τοῖς Καῤῥηνοῖς παρακείμενον, μέσον Εὐφράτου καὶ Κύρου ποταμοῦ. Bonchnæ gens Carrhenis adjacens inter Euphratem & Cyrum fluvium, tam urbi quam fluvio nomen

a Cha.

a Charan fratre Abrahæ accepit; Itaque Arabes hodie Charam vocant. Chareni autem dicti qui Religionem Sabæorum coluerunt. Unde Ahmedus quidam libro suo de religione Sabæorum titulum fecit: de negotio rituum Charanæorum Chaldæorum qui Sabæorum nomine vulgo noti sunt. Sunt autem Charræi incolæ urbis Charræ de qua Pomponius Mela de situ orbis *lib.* 3. *pag.* 209. Joach. Vadianus, Plinius juxta Sabæos Carræos esse scribit ad Bedanatha oppidum: Puto a Charris illos dictos, quorum & Stephanus meminit in Arabia. Charra enim etiam dicitur in singulari teste Hermolao. Sunt qui Carna apud Dionysium legere volunt, *lib.* 15. Aliæ sunt in Mesopotamia Carræ (Scriptura Haran vocat *Genes.* 2. 32. Padan. *Gen.* 17. 6. Charran. *Actor.* 7.) Ahmed Arabs *in histor. Tamerlan. pag.* 51. Sic regionem totam vocat KURDAM, quæ inter Euphratem & Tigridem sita est. Carrænorum nomine qui intelligendi? Syri seu Chaldæi authores non exprimunt. Hoc certum est, Sabæos tempore Abrahami Charan seu Charran Mesopotamiæ incolas fuisse. Huc facit memorabilis historia, cujus ex Abu Joseph Aschæo meminit Muhammed ben Isaac peculiari lib. de Zabæorum sacris scripto Arabico, quam historiam verbotenus habere & videre potes *in Histor. Oriental. lib.* 1. *cap.* 8. *pag. m.* 253. *Clar. Dn. Hotting. de religione Sabæorum Nabat & Arab. Beidavius comment. in Alkoran. pag.* 53. scribit eos esse populum medium inter Christianos & Magulæos. Dicunt fundamentum eorum Religionis esse religionem Noachi. Alii dicunt esse Αγγελολάτρας alii ἀστρολάτρας Quod si Arabicum fuerit a צבא exivit. vid. *Hotting. pag.* 256. *in Histor. Oriental. Hotting. pag. m.* 266. 267. 268. *seqq.*

[23] *Abraham.*) Primo dicto אברם Abram sine ה quod significat patrem sublimem, excelsum ab אב pater & רם excelsus. Et notatur eo quod Abram 1. pater sit futurus populi Judaici, qui a Mose grandis vocatur Deut. 4. v. 7. deinde dictus אברהם Abraham. Cum enim Deus circumcisionem institueret, fœdusque cum Abrahamo iniret, nomen ejus immutavit illumque Abrahamum appellavit inserta litera ה quod idem est, atque Pater multitudinis, sive pater multarum gentium, quæ litera ה ex nomine המון h. e. multitudo, desumta est, & hanc etymologiam ipse Deus innuit *Genes.* 17. 4. quando dicit; Eris in Patrem multarum gentium *v.* 5. non vocaberis amplius Abram sed Abraham. Quam promissionem Apostolus ad *Rom.* 4. *v.* 12. ad Judæos & Gentes accommodat. De hac benedict. plura qui desiderat, evolvat. *Cornel. a Lapid. in Genes. cap.* 12. *fol.* 151. *D. Abraham Calov. bibl. illustrat. fol.* 278. *Jalkut. Commentar. Rabbin.* in hunc locum, cui optime consentit Thom. Maurois en *trait. de la Gloire de nostre Sauveur. pag. m.* 40. *sic scribens: C' estoit la costume entre les Juifs d' imposer les noms aux enfans en la circoncision, le peuple ayant voulu imiter, ce qui s' estoit passe en la circoncision de leur Pere le quel changeant de nom, d' Abram fust nomme d' Abraham &c. p.* 42. *or comme Dieu faisant a Abram une nouvelle promesse, d' une grande & numereuse posterite, lui donna le nom d' Abraham, qui signifie Pere d' une moltitude des nations, &c.*

[24] *Ex Agar suscepit Ismael.*) De Ismaele & posterorum ejus indole, moribus, fortuna *Gen.* 16. agitur, scil. quod futurus sit ferus, intractabilis, aut juxta Chaldaicam paraphrasin, Onager. *confer. Cornel. a Lapid. comment. ad Gen.* 16. *fol.* 171. *seq. vid. Jalkut* in hunc locum *fol. m.* 22. *col.* 1. 2. *seq.* Cur autem vocetur Ismael, in Pirk Eliez. c. 32. hoc datur responsum. Quia sanctus benedictus exauditurus est vocem gemitus, ob illud, quod Ismaelitæ patraturi sunt in terra Chanaan, novissimo dierum, hinc vocatur nomen ejus Ismael, prout dicitur & audiet Deus & respondebit eis *Psal.* 55. 11. Ab hoc igitur Ismaelitæ dicuntur, cujus posteritas Arabiam occupavit, unde ἰσμαῆλα Arabiæ parvæ regio & incolæ Ismaelitæ; *Schindl. in Lexic.* suo Pentaglotto. Mentio etiam fit Ismaelitæ. 1. *Paral.* 2. 17. 2. *Sam.* 17. 25. Hugo Grotius in notis corrigendam vocem esse existimat, una olim litera mutata, positum esse ישמעאלי, nullam vero admittimus in hac correctionem, cum Mariana *in not. paral. l. c.* etiam velit iterum incolatu Israelitam, non autem genere fuisse, Arabice populi Ismaelis אמה אשמאעיל Johannes Leo Africanus in descriptione Africæ *lib.* 1. *de orig. Muhammed.* refert velle quosdam ab Arabibus tantum Schachinos atque Hillelos, Arabiæ desertæ incolas ab Ismaele derivatos, reliquos aliunde. Notandum autem hoc loco, priores duos populos, quos Schachinos appellamus, atque Hillelos Arabes esse Arabiæ desertæ qui & originem ab Ismaele Abrahami filio se traxisse opinantur. Quos vero nomine Machil vocant, hos Arabiam felicem habere ortumque ducere a Saba. Hos Muhammedici iis posthabere volunt. *conf. plur. Histor. Orient. lib.* 1. *c.* 1. *Hotting. pag. m.* 6. de nominibus Muhammedanorum. Interim cum Arabes, teste Beroaldo *in Chron. sac. pag.* 136. ortum debeant Ismaeli, inde factum ut Arabes & Ismaelitæ συνώνυμως apud Scriptores ponantur. Hinc *Gen.* 37. 25. 27. pro Hebr. ישמעאלים Onkelos Chaldæ. paraphr. habet ערבאי Arabs אעראב & Persa ערבן. & proinde Ismaelem Arabicæ linguæ autorem faciunt. *vid. l' Empereur not. ad itin. Benjam.* Imo in Rabbinorum scriptis vel solo nomine Ismaelis universum denotari Muhammedanorum consluvium testatur R. Jachia *comment. in c.* 2. *Daniel.* Dicuntur quoque Nomades i. e. pascuales a jugi transitu de pascuis in pascua, & Scenitæ i. e. tentoriales ab usu tabernaculorum. Targum Hierosol. vocat סרקיין Saracenos. Erat συνοδία sive ut nunc vocant Caravana e variis Arabum populis juxta Hugon. Grotium in hunc locum כרואן Caravani, sunt mercatores per Orientem iter facientes. *Wern. in prov. pers. fol.* 33. *Abarban. in Perusch. super. leg. fol.* 103. *col.* 1. Dicuntur autem Saraceni vel a Saraca Arabiæ Regione vel a prædandi consuetudine; Sarak Chaldæis & Syris furari significat, habitationem vagam in deserto, sine lare, sine fixis sedibus ferarum instar, cum subjectionis omnis impatientia & cunctarum familiarum nationum hostili incursione. Verum altiore sensu prædici quoque videtur Mahometis Israelitæ & Arabum sectatorum ejus feritas bellandi studium odiumque implacabile in Christianos. Sed Saraceni dicti Sarah quod ab omnibus ejectum est a *Sarak* furari *vid. Pock. in specim. Arab. p.* 2. 3. *Cl. D. Hott. in Hist. Orient. cap.* 1. *lib.* 1. *pag.* 10. 11. *de nomin. Muhammed.* Denique vocantur הגרים Agareni vel Agræi, quorum mentio fit in Psalm. 83. 7. Chaldæus vertit Hungari, unde Judæi hodierni Hungaros vocant Agaros. Aben Ezra in comment. in hunc locum הם ההגוריאים שילדה הגר מבעל אחר. Sunt isti Hagaræni quos genuit Hagar ex viro alio. Cum autem eodem versu Israelitis opponantur Hagerini aliquam differentiam esse manifestum est. Neque est, quod ab Hagare matre derivemus; obstat enim canon Hebræorum: Familia matris מתפחת אם אינה מתפחה non est familia. Et licet Scaliger ex ipso Arabico deducere velit, qui vocantur Elhagiari vel Elmagarini, tamen ab Hagare ita denominari vix ex Arabismo demonstrari potest. Notum enim quod omnes sine discrimine Mohagerin appellari cœperint Muhammedis tempore illi; qui solum potius vertere, quam instituta semel accepta deserere maluerunt, & Elmagarini electi i. e. religionis causa exulantes. *conf. Hotting. pag.* 9. *Histor. Oriental. lib.* 1. *c.* 1. *de Muhammed.* Sunt igitur Ismaelitæ nihil aliud, quam Mahometi gens scelerata, & Zachut in Sepher Juchasin *fol.* 145. pro iisdem habet. Fidem quod attinet, ut brevibus tangam, describitur *in libro Cosri fol.* 12. *Ludov. Croc. in comment. ad M. Ficin. Christoph. Besold. in consider. Leg. & Budovvez. circul. Horol. Solar. & Lunar. pag.* 156.

[25] *Esau qui & Edom.*) Esavus vocatus est ideo, qui cum nasceretur fuit נעשה factus & perfectus pilis tanquam multorum annorum puer, juxta *Schindler. in Lexic. Pentaglott.* 1401. *Cornel. a Lapid. comment. in hunc locum fol.* 220. *Dieter. antiquitat. ex Num.* 13. *v.* 17. *fol. m.* 233. *Jalkut chadasch. fol.* 109. 3. עשו נקרא Esavus vocatur sus, cui חזיר נימטור קליפה consentit *Dieter. antiquit. fol. m.* 233. cujus verba hæc sunt: Sicuti autem luserunt docti quidam viri in voce Nimrod, qui fortis Venator dicitur q. d. Nimbrodt / Nembrodt / quasi pauperibus panem e faucibus eripuerit. *conf. Joach. Zehner. adagia Sacra pag. m.* 6. De Esavo tres lacrymas emittente scribunt Judæi *in Jalkut chadasch fol.* 115. שלש דמעות הוריד

הורדיר עשו אחת מימינו ואחרת משמאלו ואחרת נסתלקה בתוך עינו והיא האכלתם לחם דמעה ותשקימו בר מעורת Eſavus tres lachrymas emiſit , unam a dextra ſua , alteram a ſiniſtra ſua , & tertia fuit in oculo ſublata & hoc eſt *Pſal.* 80. *v. 6.* Cibaſti eos pane lachrymarum , & potaſti eos lachrymis . אמרו ישראל עשו הרשע על ידי שדוריד שלש דמעות נתמלא עליו רחמים אנו שר מעותינו תריךן ביום ובלילה כלחם על אחת כמה שנאמ׳ היתה לי דמעתי לחם יומם ולילה וגו׳ Dixerunt Iſraelitæ , Eſavus , impius propterea quod emiſit tres lachrymas , repletus fuit miſericordia , nobis ſunt lachrymæ perpetuæ & noctu inſtar panis quemadmodum dicitur *Pſalm.* 42. Mentiuntur & blaſpheme dicunt Judæi , animam Eſavi in Chriſtum migraſſe , quod aſſerit Abarbanel Rab. impudentiſſimus *fol.* 55. *col.* 3. *circ. fin. comment. in Eſai.* 34. הנה חכמי האמרת קבלו שנפש עשו נתגלגלה בנפש ישו ולכן היה במדברות דיש שאה והים איש דבוב ומדון לחכמי הפרושים i. e. Ecce ſapientes veritatis i. e. Cabbaliſtæ, tradiderunt animam Eſavi migraſſe in animam Jeſu, cumque hac de cauſa frequenter fuiſſe in deſertis , virum agreſtem, contentioſum & inimicum ſapientum Phariſæorum , quæ verba etiam citata reperiuntur in diſputat. Philolog. *Clariſ. Dn. M. Matth. Frider. Bekii. Facult. Philoſ. Jenenſ. Adjunct. meritiſſ. diſp.* 2. §. 5. de Nomine Edom contra Iſaacum Abarbenelem Judæum . Et forte (pergit) (ישוע Jeſua) propterea eſt nominatus , quod ejus nominis literæ eædem eſſent, quæ ſunt nominis עשיו Eſau plene ſcripti . Quare ob hanc cauſam omnes etiam aſſeclas ejus & ſectatores Idumæos vocari , par eſt ; cum (Jeſus) Eſavus, Eſavus vero Edom. Arabes & Maumed. in Alcoran עיסיו Jeſum vocant, dicuntque eſſe אענמי אסם nomen barbarum notante Levino Wernero *in compend. Muhammedam fol.* 2. forſan alluſerunt ad Eſavum per *παραλληλισμὸν* inter Eſavum & Jeſum notante *Hottingero Hiſtor. Oriental. lib.* 1. *cap.* 3. *pag.* 157. Plura qui deſiderat evolvat ſupra citatam diſputationem. Additur qui & Edom de quo etiam pauca . Omnibus notum, quænam fuerit terra Edom vel Idumæa apud paginas ſacras Veteris Teſtameti: at non eadem paginis Novi Teſtamenti , etſi nomen retinuerit vetus , illa diſtinctive tunc nuncupata *Ἰδουμαία μεγάλη;* Idumæa magna & Idumæa minor *l. nova Joſeph. de bell. Judaic. lib.* 4. *c.* 30. *Ligtfoot. hor. Talmud. pag.* 578. Unde vero vox Edom originem trahat a plurimis hoc redditur reſponſum , quod ſcilicet a Jacobo Patriarcha fratre ſuo illi impoſitum fuerit teſte Iſa-bar Ali Syro quem citat clariſſimus *D. Johann. Henric. Hottinger. in Smegmat. Oriental. lib.* 2. *c.* 3. *pag. m.* 53. cujus verba in Latinum verſa ſermonem, hæc ſunt : huncque ſenſum nobis largiuntur : Edom ſignificat terram rufam . Sed & Eſau a fratre ſuo Jacobo propter voracitatem appellatus fuit Edom. Sunt qui dicunt eſſe Romam, vel Romanos vocari Edomæos . Alii volunt eſſe Darmſoko , vel ob cibi colorem a colluſoribus adoleſcentibus per ludibrium eſt Adomus vocatus . *Joſeph.* 2. *fol.* 36. *conf. Dieter. antiquit. bibl. fol. m.* 234. *Cornel. a Lapid. in hunc locum fol.* 221. *ſeq.* Hinc urbs, quam Eſavus in monte Seir exſtruxit , & inter Arabiam petræam, Judæam, & mare internum porrecta eſt, tota regio Idumæa, finitima Judææ , Arabiæ & Ægypto , Edom nuncupata eſt . *Joſeph. de bell. judaic. lib.* 2. *c.* 1. Regionem Idumææ duplicem recenſet Gobolitin & Amalecitin, & quarum altera ad Aquilonem Chananitidis, trans Jordanem juxta Damaſcum; Altera ad Auſtrum ejuſdem Chananææ inter mare mortuum & rubrum juxta Cadesbarne jacet . Eſt autem Idumæa altis aſperiſque incluſa montibus, vaſtas etiam cingens ſolitudines , deſcribente *Cluverio in introd. Geograph. univerſi p.* 587. Fuit gens ferox & ad arma promta . Judæi autem per בני ארום Chriſtianos & מלכות ארום Imperium Romanum intelligunt , ut ſcrib.t Abarbanel in Prophet. Obad. אומת ארום שהם כללות הנוצרים שהתחלתם ויסודם רומי יתעוררו לעלות לכבש את ירושלם מפני ששם כל קדושת דתם וקבר אלהיהם i. e. Natio Edom quæ eſt univerſalitas Chriſtianorum, quorum principium & fundamentum eſt Romæ, excitabitur , ut adſcendat ad ſubigendum Hieroſolymam , eo quod ibi omnis ſanctificatio legis eorum & ſepulcrum Jeſu Dei ipſorum . Aben-Ezra Commentarium *in Geneſ.* 27. 40. cauſam exponit , quare Chriſtiani dicantur Idumæi : הוו אנשים מתי מספר שהאמינו באיש ששמוהו אלה וכאשר האמינה רומי בימי קומטנטין שחדש כל הדת ושם עם דגלו צורת האיש ההוא ולא היו בעולם שישמרו התורה החדשה חוץ מארומיים מעטים על כן נקראה רומי מלכות ארום i. e. Fuerunt homines pauci qui crediderunt in virum quem ſtatuerunt Deum . Cum Roma fidem illam recepit ſub Conſtantino qui totam legem renovavit & impoſuit vexillo ſuo imaginem iſtius viri , non fuerunt in mundo , qui reciperent illam legem novam , præterquam pauci ex Idumæis. Ideo Imperium Romanum dicitur Edom. Quod quare Romani & Chriſtiani per Edom prohetiis intelligantur , exponit Abarbanel. *commentar. in Eſai. c.* 34. *fol.* 55. *c.* 3. Verba latine reddita hæc ſunt : Æquum eſt, ut Chriſtiani vocentur filii Edom & Eſavi ſemen, quia Prophetæ nomina indere ſolent populis a factis eorum : & paulo poſt. Inhabitatur Roma & tota Italia a filiis Edom, in qua regnant Reges ipſorum & ſequuntur mores ipſorum & decreta Eſavi , leges & ſtatuta ejus , quæ fecerunt ut ipſe . De Edomæis quoque Aben Eſra in *Eſai. c.* 63. commentatur . Edom eſt regnum Romanum & Conſtantinopolitanum: Vocanturque Edomæi , quia ingreſſi ſunt legem Edom : Vocatur autem hæc lex juxta nomen Edom . Verum enim vero hæc quæ adducta ſunt a Rabbinis , ſententiam ita confirmare videntur , ut labi non poſſit . Abarbanelis opinionem quod attinet, illa ab *Anton. Hulſio Theol. Jud. pag.* 137. *a Clariſſ. Dn. Beckio diſput. de Edom.* §. 5. *diſp.* 1. refutata & falſitas ad oculum monſtrata hoc Sillogiſmo. §. 9. diſp. allato:

Si Romani Edomi nomine appellantur ; ita appellantur 1. vel ratione terræ, quod Italia cum Idumæa eadem ſit terra , vel 2. ratione populi, quod Romani ex Idumæis fuerint oriundi , vel denique ratione doctrinæ & religionis quam utrique habeant communem.

Atqui non hoc, non iſto, neque etiam illo modo Romani Edomi nomine appellari poſſunt,

Ergo Romani Edomi nomine non appellantur.

Quæ omnia quam eleganter dicta diſputatione explicantur. §. 10. 11. 12. 13. *ſeqq.* alterum quod adducit Chriſtianos eſſe ex *diſput.* 2. *de voce Edom.* §. 12. 13. falſum eſſe evincitur. §. 19. 20. plura evolvantur in dictis diſp. Videt igitur benevol. Lector quam ineptiſſime Rabbini agant , quibus hic ſubſiſto , plura forſan alio loco.

[26] *Qui a Deo Iſrael appellatur.*) Jacobus Patriarcha Victor nomen hoc honorificum , ceu brabejon , a Deo accepit ; nam qui prius a ſupplantatione fratris Eſavi יעכב Jacobus dictus , poſtea a ſecundo duello quod cum filio Dei , magno illo Fœderis Angelo inibat ; ut adverſus pericula quæ metuebat , confirmaretur , & victoria , quam de Angelo ille deportabat ישראל , novo nomine & quaſi heroico fuit vocatus . Variæ autem ſunt nominis expoſitiones. S. Hieronym. exponit, quaſi dicas ישר אל Jeſchar-el i. e. rectus Dei , ſed obſtat quod ſcribatur hoc verbum per ש, Iſrael autem per ש , Muhammed in Alcoran, אשראיל Iſrael voce Hebræa retenta , aſt Mahumedis obſcura . Keſſæus , quem citat *Dn. Hottinger. in hiſt. Oriental. pag. m.* 53. in vitis Patrum hæc adducit verba : Jacobus Syria egreſſus noctu meabat & interdiu delitebat , vocatur autem Iſrael, i. e. noctu ad Socerum ſuum Labanem proficiſcens & ad domicilium ejus proveniens . Ergo Arabica vox eſt Iſrael, ſi fides habenda Keſſæo : Rectius Beidavi : ad fontes Hebræos, refert, ſed male explicat, qui dicit , ſignificationem Hebræam eſſe Electum S. ſervum Dei . Fruſtra ſunt qui interpretantur , quod adverſus Angelum ſteterit ut Joſephus *lib.* 1. *antiquit. Ambroſius. cap.* 1. *in epiſt. ad Coloſſ.* eumque ſecutus *Iba-Iſa in Lexic. Syr. Arab. ut alii , ut Philo , Nazianzen. Auguſtin. lib.* 16. *de Civitate Dei. cap.* 39. *& lib.* 17. *cap.* 13. *pag.* 970. *Didymus lib.* 2. *de Spirit. Sanct. apud Hieron. tom.* 9. deducere volunt איש ראה אל homo videns Deum. Sed hic cum *Hieronymo quæſt. in Geneſ. pag.* 100. reſpondendum. Quamvis illi grandis authoritatis ſint & eloquentiæ, & ipſorum umbra nos opprimat, qui

Iſrael

Iſrael virum ſive mentem videntem Deum tranſtulerunt, nos authoritate Scripturæ magis, quam cujuslibet eloquentia ſingularis nitimur: Et iterum *Hieronym. in Eſaiam* 44. hac de origine judicat. Proprie, inquit, juxtra Hebræos, & literarum fidem Iſrael rectus Dei dicitur. Vir autem videns Deum, non in elementis, ſed in ſono vocis eſt. Prius quod attinet, ut Glaſſ. verbis utar *Gram. Sacr. lib.* 4. *tr.* 3. nomen deducit a ישר rectus, ſed in Hebræa Iſraelis voce punctum non in dextro ſed ſiniſtro cornu ש. ponitur. Poſterius quod attinet, reſpicit ad ſonum Is, quod cum Hebræo איש fere convenit, cui ראה vidit, videtur addi, ut cum אל ſit vir videns Deum. Recte igitur dicit in elementis non adeſſe, ſcribitur enim Iſrael ſine א. Rectius originem ab שרה אל quod ſignificat Principem eſſe, inſtar Principis ſe gerere. Iſrael ſic erit qui Dominabitur Deo. Syrus, Iſrael quod ex litera formativa י. plurimorum nominum propriorum & שר princeps & אל Deus; quaſi dicas princeps ſeu Victor Dei, *Gen.* 35. 10. *confer. B. Dilher. Ecclog. ſacr. dict.* 5. §. 10. *pag. m.* 150. ita *Cornel. a Lapid. Commentar. in Geneſ. cap.* 32. *fol.* 262. *Sixtin. Amam. Antibarbar. bibl. cap.* 32. *p.* 269. *Druſ. ad Sulpit. pag.* 66. Septuaginta Symmachus. *Dieter. antiquit. bibl. fol. m.* 235. hæc ſunt quæ ad caput primum addere volui.

CAPUT SECUNDUM.

De Populo Iſraelitarum & XII. tribubus eorum.

CÆterum ipſum Iſraelem Deus in primis dilexit, eique promiſſa avo Abrahæ facta redintegravit. Ille vero genuit [1] filios duodecim, nempe ex Lia uxore ſex, Ruben, Simeon, Levi, Juda, Iſſaſchar, & Zabulon, inde ex ancilla Bala duos, Dan, & Nephtalim, tum ex altera ancilla Zelpha totidem, Gad, & Aſer, poſtremo ex ſecunda conjuge Rachele Joſeph, & Benjamin. Fratres inde decem Joſephum, quod [2] patri carus in primis eſſet, & ſapientiæ laude præſtaret, invidia depravati ipſo inſciente patre [3] mercatoribus Ægyptiis vendiderunt. Illi vero eum Putiphari curatori regio [4] tradiderunt. Joſeph autem propter egregiam ſomniorum interpretationem [5] regi cognitus primum, deinde [6] ſummis honoribus cultus, ab eodem annonæ curandæ cum [7] ſumma auctoritate præfectus eſt, quo tempore per ſeptem annos terra ipſo præmonente extrema inopia rei frumentariæ laboravit. Qua compulſus Jacob filios decem in Ægyptum ad frumentum coemendum miſit, quod ibi Joſephi prudentia in multos annos congeſtum ad levandas Ægyptiorum anguſtias diceretur. Eos vero Joſeph agnitos, neque ab eis agnitus varie primum illuſit, deinde, ubi ſe patefecit, metu trepidantes fraternam in gratiam amoremque recepit: atque, ut ad ſe patrem cum familia univerſa deducerent, imperavit. Nam penuriam per multos adhuc annos terras eſſe conflictaturam. Hac igitur occaſione Jacob terram Chananæam, in qua vixerat peregrinus, reliquit, & cum ſeptuaginta capitibus [8] ex familia in Ægyptum ſe contulit, ubi magno honore, a Joſepho filio exceptus aliquot annos egit, ac demum moriens duos Joſephi filios Manaſſem & Ephraim adoptavit, ac duodecim filiis ſuis adjunxit, & ſolenni benedictione affecit. Illo inde ex humanis rebus exemto Joſeph principatum familiæ geſſit, ac poſt aliquot annos & ipſe naturæ conceſſit, relictis in Ægypto undecim fratribus, & duobus filiis, qui ſubinde, ut Deus promiſerat, ingentem ac numeroſam nepotum ſobolem procrearunt, quæ a Jacob, qui Iſrael dicebatur, [9] Iſraelitarum nomen accepit. Hic autem populus, ubi ſuccrevit, diviſus eſt in partes tredecim, quas tribus vocarunt, prout XIII. principes generis fuerunt, Ruben, Simeon, Levi, Judas, Iſſaſchar, Zabulon, Dan, Nephtalim, Gad, Aſer, Benjamin, Manaſſes, & Ephraim, qui iidem tribubus nomen impoſuerunt. Cum autem Joſepho morte extincto Iſraelitæ in Ægypto a rege novo [10] indigna ſervitute atque intolerabili premerentur, Deus illorum miſericordia motus, ut promiſſa ſuperiora præſtaret, [11] Moyſi, Levi pronepoti, [12] oves in ſolitudine Arabiæ paſcenti, [13] ex ardenti rubo ſe obtulit, præcipiens, ut eos ex Ægypto educeret, & in terram Chananæam, quam illis antiquitus ſedem propriam ac perpetuam deſtinaſſet, adduceret, nam ſe illi affuturum, atque aſſidue auxilium allaturum. Ita Moyſes divinis præceptis obediens, fratre Aaron adjuvante, regem Ægypti omni ope exitum inhibentem [14] variis plagis affectum eluſit, ac ſexcenta hominum millia ex Ægypto eduxit. Inde rubro mari [15] ope Dei trajecto, cum perſequentium Ægyptiorum manus evaſiſſet, per ſolitudinem Arabiæ longo inſtituto itinere tranſit, atque ibi, ita volente Deo, populum, licet reluctantem atque invitum, annos quadraginta retinuit. Ibi primo anno Deus Moyſi iterum ſe oſtendit, atque homini ad ſe in montem Horeb ſolitudinis Sinai advocato [16] legem inciſam duabus lapideis tabulis dedit [17], eamque in poſterum ab Iſraelitis ſervandam eſſe preſcripſit. Ea vero univerſam reipublicę rationem, qua uti eos vellet, continuit. Moyſes autem omnia populo a Deo mandata denuntiavit, iſque ſe dicto audientem fore, ſpopondit. Inde anno XL. in campis

Moab prope Jordanem amnem eam latius repetivit, atque in volumen redegit, quod Deuteronomium dixit. Ac paullo post moriens ducatum Israelitarum Josue Nave filio ex tribu Ephraim tradidit. Is demum, Jordane trajecto, terram Chananęam obtinuit, ac reges ejus XXXI. devicit, atque armis regionem ferme totam ab Amorrhęis, Chananęis, Gergesęis, Hettęis, Hevęis, Jebusęis, & Pherezęis habitatam subegit. Quo facto Dei jussu illam duodecim tribubus partim arbitrio, [18] partim sorte divisit. Regio trans Jordanem, quam Moyses armis pepererat, atque Rubenitis, Gaditis, & dimidię parti Manassensium distribuerat, eisdem est confirmata. Inde Judę, Ephraim, & alteri parti Manassis regionis pars inter Jordanem & mare est assignata. Reliquam inde ęquis portionibus divisam septem quę reliquę erant tribus in sortem conjecerunt, Simeon, Benjamin, Dan, Issaschar, Zabulon, Nephtalim, & Aser, ita ut Juda vicina Arabię loca, Nephtalim & Aser a contraria parte Syrię finitima obtinuerint, ac longitudo provincię a Dan urbe ad Bersabee pervaserit, quarum illa Syriam, hęc Arabiam attigit. Tribus autem Levi, quę tertiadecima erat, jussu Dei ab hac sortitione summota est. Neque enim eis pars ulla terrę est data, sed sacerdotia, primitię, decimę, oblationes, & victimę attributę, pręterea [19] sex Refugii civitates, [20] quarum una erat in tribu Nephtalim, altera in Ephraim, tertia in Juda, reliquæ trans Jordanem in Ruben, Gad, & Manasse, in quas confugere posse Deus reos [21] cædis non voluntariæ sanxit, [22] atque his alias inde in omnibus novem dispersas tribubus adjecerunt, ita ut XLVIII. civitates incolerent una cum suburbanis earum locis, quibus jumenta sustinere propria possent. Hæc in Libro Josue. Quare Levitæ tribum propriam non confecerunt, sed ei tribui adscripti sunt, in cujus finibus habitarunt. Unde Numerorum primo scriptum est: *Tribum Levi noli numerare, nec pones summam eorum cum filiis Israel*; & XVII. Judicum: *Fuit puer ex Bethleem Juda, ex cognatione populi Judæ, & Levites, & habitavit ibi, egressusque de civitate Bethleem peregrinari voluit, ubicunque sibi commodum reperisset. Cum venisset in montem Ephraim, & declinasset parumper in domum Micha, interrogatus est ab eo, unde venisset, qui respondit, Levita sum de Bethleem Juda, & vado, ut habitem, ubi potero*. Fuit porro lege cautum, ne [23] puella hęres nuberet, nisi viro, ex eadem tribu & cognatione, ut Numerorum ultimo in Hebraica veritate: *Omnis filia quæ possederit hęreditatem ex tribubus filiorum Israel, erit in uxorem uni ex cognatione tribus patris sui, ut possideant filii Israel unusquisque hęreditatem patrum suorum*. Quamobrem sacris placet Evangelii expositoribus, quoniam Maria virgo hęres esset, Joseph viro ex eadem tribu & cognatione nupsisse, ac propterea S. Matthæum, & S. Lucam, cum Mariæ progenitores afferre deberent, Joseph majores, tanquam eosdem, exposuisse. Ab hac tamen lege Levitæ excepti sunt, his enim cum cæteris omnibus jus connubii jam inde ab initio fuit. Unde scriptum est XIX. Judicum: *Vir Levites habitans in monte Ephraim accepit uxorem de Bethleem Juda*. Et Jojada pontifex ex tribu Levi in matrimonio habuit Jesabeth sororem Ochoziæ regis Judæ, XXII. secundi Paralip. Quo factum, ut S. Elisabeth, quæ erat de filiabus Aaron, teste S. Luca, id est ex genere Levitico, cognata esse potuerit Mariæ [24] virginis, quæ erat ex tribu Juda; neque necesse sit dicere, Mariam ex tribu Levi fuisse, quod S. Augustinus & S. Gregorius Nazianzenus scripsere, sic enim futurum erat, ut Christus non ex Juda, & sanguine Davidis, sed ex Levi carnis originem traheret, contra omnia sacrorum voluminum testimonia.

Hæ vero tribus omnes, postquam sedes firmas in Chananæa locarunt, republica, quam Deus præscripserat, instituta, primum Judicibus paruerunt, deinde Regibus, Sauli Benjamitæ, & Davidi Judæo, qui sedem Hierosolymis urbe Judæ posuit, ac Salomoni Davidis filio, qui templum Hierosoymis condidit. Quo tempore regnum Israelitarum gloria inter mortales excelluit, prout Deus aliquando spoponderat eventurum. Atque hæ tribus sunt, quarum nos sumus remp. descripturi.

NOTÆ AD CAPUT SECUNDUM.

[1] *Filios duodecim.*) Hi duodecim Tribus Israelitarum constituebant juxta numerum filiorum Jacobi, uti ex XLIX. *cap. Genes.* clarissime constat, ubi hæc leguntur verba: dis sind die Zwelf stämme/ *the twelve Tribes that is heads and authors of the twelve Tribes* (or Kinnecs) *that came of Israel*. Vid. *Henry Ainsworts sol. m.* 170. *edit. Londin. in Genes.* Prima illarum fuit Tribus *Ruben*, a primogenito filio Jacobi dicta, quæ non crevit, quia maculator fuit lecti paterni. Per incestum quippe dormivit *Ruben* cum Bala concubina patris sui, uti habetur *Gen.* 25. quæ erat vera uxor Patris, non tamen præcipua in honore. Secunda Tribus fuit Simeonis, a qua ferme omnes Pharisæi descenderunt. Tertia Tribus *Levi*, a qua Sacerdotes sumti. Et quia Sacerdotes & Pharisæi futuri erant primarii auctores, qui suis consiliis iniquis & falsis persuasionibus Christi mortem procurarent, ideo *Jacob* pater illorum in

eos

eos sic prophetaverat, ut habetur *Gen.* 49. Simeon & Levi fratres vasa iniquitatis bellantia in consilium eorum non veniat anima mea.

[2] *Quod patri carus.*) Vid. *Gen.* 37. 3. ubi redditur ratio cur pater Josephum impense dilexerit, nempe, qui in senectute natus erat, uti patet ex *cap.* 44. *Gen.* 20. & Angl. reddit *because he was the sonne of old age, borne when his father was old.* Chaldæus Interpres ad Josephum retulit, quod patri sapiens filius fuerit. Alii autem dicunt: Nonne Benjamin filius senectutis erat? Quia *Jacobus* in Spiritu prophetico prævidit, quod Josephus clavum imperii sit tenturus, quam ob rem tenerrimo amore prosequebatur eum præ omnibus filiis suis. *Pircke Elies.* 38. Hunc amorem testatus signis externis, cum confici curaverit illi tunicam variis coloribus ornatam, qua filiæ Regiæ indutæ erant. vid. *Ainsworth. cit. l.*

[3] *Mercatoribus Ægyptiis.*] Hic Sigonius noster errorem commisit, quo statuit Ægyptios fuisse mercatores, cum tamen Scriptura eos appellet *Midianitas*. Anglica versio vocat illos *Wayfaring company of Ismael*, cui Græcus adstipulatur, & *Chaldæus* eos vocat *a troupe of Arabians* cumulum Arabum. *vers.* 28. Dicuntur *Midianitæ*; ita commixti populi erant, habitantes in regione seu terra, quam *Chaldæus Arabiam* nuncupat, quod significat mixtum populum vid. *Gen.* 10. 7. conf. *Henry Ainsworth. comment. in Gen. fol. m.* 44. *edit. Londin.* Nomen habebant a *Midian. Abrahami* filio ex *Keturah Gen.* 25. 2. qui habitabat in terra *Ismaelitarum*, quapropter duobus vocitantur nominibus. Sic in *Jud.* 8. 22. 24. 26. Alias sæpius nominatur *Chus*, quæ terra est *Arabia*. *Chus* & *Madian* ponuntur *Hab.* 3. 7. ut vocabula ἰσοδύναμα. Vid. *Boch. Phal. l.* 4. *c.* 2. *p. m.* 238. *edit. Franc.* Constat igitur *Chusæos* in illis locis habitasse, quæ supra Ægyptum ad rubri maris sinum intimum est, in parte *Arabiæ* petreæ & felicis. Unde colligere est, Chaldæos eosdem esse cum veterum *Scenitis & Saracenis* recentiorum. De Scenitis ita *Plin. l.* 5. *c.* 11. Ultra Pelusiacum Arabia est ad rubrum mare pertinens, & odoriferam illam ac divitem, & beatæ cognomine inclytam. Hæc & Scenitarum Arabum vocatur sterilis, præter quam ubi Syriæ confinia contingit. Saraceni a Scenitis hoc solum differunt, quod Scenitarum nomen sit vetustius; Consentientem habemus Ammian. *lib.* 22. Scenitas prætenditur Arabes, quos Saracenos nunc appellamus. Et *lib.* 23. Scenitas Arabes, quos Saracenos posteritas appellavit. Vid. *Bochart. Phaleg. lib.* 4. *c.* 2. *pag. m.* 241. *edit. Franc.* Mercatores hos *Hierosolymitana Paraphrasis* Saracenos סרקיין vocat, nec male; apparet enim ex *vers.* 28. promiscue usurpari *Ismaelitas* & *Midianitas* quos Chusæis accenseri probatur ex *Num.* 12. 1. *Heb.* 3. 7. Itaque *Midianitas* & *Saracenos Augustinus* pro iisdem habet. In his inquit in *Num.* 9. 20. locis dicitur eos prosecutus Israel, ubi Midianitæ habitant, qui nunc Saraceni appellantur. Utut enim *Chusæi* Midianitæ, Ismaelitæ fuerint diversi generis, tamen promiscue habitarunt, & in unam Saracenorum nationem coaluerunt.

[4] *Putiphari curatori Regio.*] Hic non est ille, cujus fit mentio, *Josephum* duxisse filiam, qui fuit Sacerdos & ita scribitur פוטיפרע, alterum nomen autem hoc modo פוטיפר LXX. confunderunt hæc nomina & pro uno habent, quod verisimile non putatur. Putiphar fuit Præfectus satellitum, de quo quidem Hebræi multa fabulantur; dicunt, fuisse Præfectum satellitum, habuisse conjugem, ex qua Assenath suscepisse. Sed postquam ad nefandum concubitum sollicitasset Josephum, divinitus castratum, ut de hac re plura legi poterunt in *Comment. Rabbin. Jalkut ad hunc locum. conf. Clar. D. Wagenseil. ex Gemar. pag. m.* 315. *Sotæ*, & postea munus suum cum sacerdotio commutasse ajunt. At unde probabunt? Forsan inde, quia Eunuchus? utpote quod notum, Eunuchis olim commissam fuisse custodiam Reginæ ejusque puellis, qui in Oriente & Africa fœminarum custodiæ apponebantur. Vid. *Tevenot. in Itiner. pag.* 45. quæ a *Wagenselio* citata hic adducam. *La plus part des Officiers du Grand Seigneur qui logent dans le Serrail sont Eunuques.* Videatur & *Curtius lib.* 4. his verbis proferens: *atque iter facienti, Spado ex captivis, qui Darii uxorem comitabatur, deficere eam nuntiat. Idem probatur Esther cap.* 4. Eoque respexisse videtur *Terentius Eunucho Act.* 1. *sc.* 2. cum ait: *Eunuchum dixit velle te: quia solæ utuntur his Reginæ*: Sane Persæ pueris virilitatem exsecabant, ac forma præstantissimos quosque mares castrabant, ut refert *Herodot. lib.* 6. *de Persis*, *Dio. Chrysost. orat.* 21. quæ de pulchritudine inscribitur. *Herod. lib.* 8. A Persis puerorum castrationem ortum ducere *Stephanus de urbibus* tradit, Σπάδα, inquiens, ὑδετέρως κώμη Περσικὴ ἐν ᾗ πρώτη Εὐνουχισμὸς γεγόνει ὅθεν Σπάδοι λέγονται. *Donatus in Eunuchum. Act.* 1. *sc.* 2. Eunuchos a Persis institutos putant ex captivis; a Babyloniis enim *Hellanicus* auctor est id habuisse. Ac plane ab *Assyriis* & *Medis* luxum hunc manasse non dubium est. Nam & Babyloniorum Regem Nabucadnezarem ex Judaica juventute quosdam; nec non & ex aliis gentibus, bello captos, in ipso ætatis flore, castrari curasse, *Joseph. lib.* 10. *antiquit. Judaic. cap.* 16. ostendit. *Hieronym. in cap.* 1. *Daniel.* scribit: *Hebræos arbitrari Danielem & Ananiam & Misaelem & Asariam fuisse Eunuchos* [.] Atque adeo omnium primam *Semiramidem* mares castrasse, *Ammianus Marcellin. lib.* 14. *auctor est*. Gynæceis addebantur. vid. *Vitruv. lib.* 1. *c.* 10. *Philostrat. lib.* 1. *de vita Apollonii. Heliodor. lib.* 9. *hist. Æthiop. Clemens Alexandrin. lib.* 3. *pædagog. cap.* 4. *Plato. lib.* 3. *de legib.* Ex his adductis clare demonstrari posset quod Putiphar ejusmodi fuerit. Verum enim vero *Sixtin. Amama in antibarbaris. bibl. pag. m.* 266. & *Corn. a Lapid. Comment. in Genes. cap.* 37. *fol.* 284. respondent: *Eunuchum* aliquando & *Aulicum* significare, seu *ministrum* & *Præfectum Regium*, & hoc nomen tandem in nomen dignitatis evasisse, unde Chaldæus *Gen.* 39. vertit רבא Princeps. In Hebræo שר הטבחים quod est Princeps mactationum teste *Dieter. antiquit. bibl. fol. m.* 121. *seq.* Cum Hebræis etiam teste *Buxtorffio Lexic. Heb. p. m.* 278. טבח mactare significet pro diversa punctatione, in Arabica lingua est mactare, coquere, hinc טבא coquus. 1. *Sam.* 9. 23. 24. duplici respectu autem potest dici. 1. *Ratione diversorum objectorum*, de facinorosis dictum non minus Arabibus, quam Hebræis. *vid. Buxtorff. p. m.* 279. *Lex. Hebr.* 2. *Ratione mactandorum* quæ in culina fiunt German. Kuchenmeister qualis Inspector etiam Romanis erat. Hæc vero sententia conveniens non videtur, sed optima ea, cum dicitur eum fuisse Principem in aula, quem nos *Mareschallum* vel *Capitaneum custodiæ Regis* nominamus, a cujus authoritate omnia pendent, quæ aguntur, & sine dubio intelligitur *Princeps Satellitum, aut rerum capitalium Præfectus*. Inde *Tigurini* vertunt ein Obrister. *Diodati Ital. Capitano delle Guardie*, ac prorsus similiter *Anglicana*: *An officier of Pharohs and Capitain of the guard. Genev. Prevost de l'hostel Præfectus Palatii.*

[5] *Propter egregiam Somniorum interpretationem.*] Somnia varia esse testatur *Peucerus in lib. quem inscripsit Divinationes*, scil. alia esse vatidica. *pag.* 100. præsagientia. *pag.* 256. alia θεόπεμπτα eventum certum prædicunt, vid. *pag.* 234. alia divina qualia fuerunt somnia Jacob: Joseph. Pharaonis: alia δαιμονιόπεμπτα. 235. *Diabolica*. 257. Physica. 234. 254. imo testes sunt ipsi Judæi quod non quævis somnia rejicienda, videatur hac de re decus Europæ quondam splendidissimum *Theod. Hakspan. LL. Orient. in Acad. Altors. Doctor in specimine suo Thalmud. cap.* 2. *pag. m.* 167. §. 60. Inde Ehtnici quosdam alebant, vocatos *Magos*, qui somnia ejusmodi explicarent. Horum diversæ fuerunt species, teste *Peucero in libr. de Divinationibus pag. m.* 144. scil. Lecanomantia, qua usi sunt Ægyptii, qua per lamias aquis injectas certisque characteribus notatas responsum dabatur. 2. Gastromantia, qua pictis responsa reddebantur. 3. Catoptromantia, qua ex nitidis specularis respondebatur. 4. Crystallomantia, & quæ alia; Diabolus hinc videns, magnum habiturum usum, ita illusit ejusmodi homines, ut ex statuis responsa daret, imo & in statuas pelleret. Quod hodie apud *Chinenses* in usu, teste *Athanas. Kirchero, China illustrat. fol. m.* 134. consentiente *Petr. Jarr. c.* qui *lib.* 5. *histor. Indic. Gallice editar. cap.* 51. ita scribit: *Il y a pareillement en chasque Royaume un lieu dedie au Diable la ou on luy va faire les plus solemnels sacrifices en une petite Isle. On appelle l' Idde Camassono; & ceux qui passent par la, redou*-

tent fort cet Idole, & de peur qu' il ne mette leurs navires a fond, ils luy offrent, quand' ils sont vis a vis de l' Isle, ou duriz (qu' ils jetent en la mer) ou de l' huile, ou d' autre chose qui ils portent : Audiamus etiam *Trigautium l. 1. c.* 8. Sinenses nonnulli Dæmones ipsos consulunt & familiares, ut vocant, Spiritus apud *Sinas* non pauci. Eorum Oracula infantum vocibus, aut etiam brutorum excipiuntur, vid. *plur. d. lib. fol.* 136. Hoc modo Josephus somnium non interpretatus est. Nec verisimile quod Judæi garriunt, Josephum per Angelum Gabrielem somnium exposuisse, ut habet *Aben Ezra in Sutha*, quem citat *Guilielmus Vorstius*, *in notis ad Mosen Maimon. de fundamentis legis*, *pag. m.* 17. Nec est quod *Pharaoh* plane nullam acceperit responsionem. Ægyptia quippe ejusmodi Magis impleta erat terra, & Diabolus Ethnicum hunc Regem illudere potuisset. Testantur Judæi *in Commentar. Rabbin. Jalkut.* in hunc locum accepisse quidem responsionem & explicationem, Pharaoni autem impulsu Dei nunquam placuisse, verba Latine ita sonant: *Et Pharao narravit illis somnium & nullus explicare potuit illi. Explicaverunt quidem, sed auribus* (tumentis) *non conveniens: Dixerunt: septem Vaccas pingues visas, denotare, Pharaonem septem filias geniturum. Tenues vero, Pharaonem illas iterum perditurum esse. Septem spicas fore septem Principatus, quos acquisiturus sit. Septem tenues & aridas denotare amissionem*. Verum cum hæc somnia fuerint divina, & a nullo incredulo Mago potuerint explicari, tandem ad Josephum in carcere catenis victum res delata, qui suggerente solo Deo arcanum hoc Pharaoni manifestavit. Existimaverat quidem Rex Josephum naturali sagacitate interpretari somnia posse, quam opinionem de se modeste movet, ac abditorum somniorum interpretationem expectandam esse a Deo solo docet; clare hic demonstratur unde Josephus & qua arte somnia interpretatus fuerit, plura videantur, *in antiquit. Dieter. ex Genes.* 41. *fol.* 127.

6 *Summis honoribus cultus*.) Ob somniorum interpretationem. Quam ob causam 1. peculiari nomine צפנת פענח vocat, quia honori Joseph quam maxime consulere voluisse, nullum est dubium. Nil enim eorum omittebat, quæ eo facerent. Recte id advertit R. *Moses Albilda in* עולת תמיד *ad h. l. f.* 99. *cap.* 1. declaraturus (Pharao) omnibus causam, ob quam extulisset (Josephum) tot modis, mutavit nomen ejus, appellavitque *Zophnath Pancach.* i. e. Revelatorem occultorum, uti transtulit Chaldæus, innuens eum, qui talia habeat, tanta ἐξοχῆ dignum esse conf. *Henry Ainsworth in cap.* 41. *Gen. fol. m.* 146. *edit. Londin. Mercer. pag.* 658. & *Rivet. Exercit.* 158. *in Gen. pag.* 787. Sententia itaque hæc omnium receptissima צפנת פענח significare *Arcanorum revelatorem* vel interpretem: Expressit eam *Onkelos*: וקרא פרעה שום יוסף גברא דטמירן גלין ליה & *vocavit Pharao nomen Joseph: Vir cui occulta revelantur.* Succinit *Pseudo Uzielides*: וקרא פרעה שמיה גברא דטמירן מפענח *Et vocavit Pharao nomen Josephi: Vir qui occulta propalat, manifestat*. Consentiunt Judæi omnes. *Philo Judæus de Joseph. & Joseph. lib.* 2. *Archæol.* calculum addunt. *In Bereschit rabba sect.* 90. docet Rabbini צפנת פענח idem esse, quod צפונות מופיע *occulta illustrans*, seu ut Rabbi *Chiskia* ait: צפונות מופיע בדעה *occulta illustrans scientia*, suffragantur *R. Salom. Jarchi*, *R. Bechai*, *R. Aben-Ezra*, *R. Levi Ben Gerson*, *R. Moses Albilda*, *R. Salom. Ben Melech* aliique. Quibus adjiciatur in cumulum auctor τῦ *Zennorenna fol.* 53. *cap.* 1. Und פרעה hies heissen Joseph צפנת פענח dis ist deutsch: Er saget alles was verborgen ist. Alias versiones sicco silentii pede transimus, quas prolixe adduxit vir plur. *Reverend. Pfeiffer: de Eccles. & re literaria optime meritus in dissertat. Witteberg. habita* 1669. *de cognomine Josephi*. Et ut paucis multa *Hildebrand. in antiq. MSC.* tres opiniones de hac voce profert, quarum prima per *Revelatorem occultorum explicat*, & putant Interpretes Josephum ideo sic dictum, quod *Pharaoni* futura prædixisset, arcana revelasset, totique Ægypto prudenti consilio prospexisset. Philo Judæus exposuit ὀνειροκριτικὴν i. e. somniorum interpretem, quanquam affirmet, apud Ægyptios hoc nomine Salvatorem mundi denotari *in lib. de nomine Hebr.* Atque hæc secunda est expositio, quam Vulgatus Interpres sequitur. Hic enim reddidit ita: Vocavit Pharao Josephum salvatorem mundi. Erat nimirum apud Ethnicos frequens, ut deos suos, *Jovem*, *Herculem* & alios ob ingentia beneficia Servatores vocarent, qui titulus postea non tantum Diis, sed & viris de Republ. bene meritis fuit concessus. Hinc *Tacit.* 15. *Annal.* scribit: *Milichium* fuisse σωτῆρα dictum, ideo, quod conjurationem Pisonianam Neroni detexisset. Ad eundem modum cum *Pharao* Josephum pro oraculo haberet, cumque *Josephus* prospectione frumenti de universa Ægypto præclare meritus esset, Rex illum צפנת פענח appellandum duxit. Videtur *Josephus* eo ipso in numerum deorum adscriptus, & per quandam ἀποθέωσιν divinis honoribus affectus. Unde Baron. Cornel. a Lapide & alii Scripturæ interpretes, quibus facem prætulit *Hieronym. quæst. Hebr. in Gen.* colligunt, Josephum ab Ægyptiis sub nomine Serapidis primarii Ægypt. Dei cultum fuisse. conf. *Witsii Ægypt.* Deinde in honoribus his oblatis non ultimum habebat locum quod Gubernator domus Pharaonis constitutus esset, ita, ut omnis teneretur mandatis prolatis obedientiam præstare vid. *Henry Ainsw. fol. m.* 146. *in Gen.* Accedebat denique ornatus, quod bysso indutus fuerit.

7 *Summa authoritate*.) Ut sine eo nihil ageretur in universa terra Ægyptiaca uti patet ex *vers.* 39. *Gen.* 41. ubi sæpe laudatus *Ainsworth.* addit ex Paraph. Chald. *at thy word shall all the people be armed. Joseph had authority over all the Prince of Ægypt, to bind them to his will.* Patet etiam autoritas inde, quod Rex *Pharao Josephum* toti Ægypto præfecerit, eique præmia insignia, aureum annulum, aureum torquem & candidam ex Serico vestem dederit, quin & in regio cultu positum per urbem circumduci fecerit, clamante præcone ABRECH. Sunt autem de hujus vocis origine discrepantes sententiæ. Alii inter quos est *Buxtorffius*, vir si quisquam alius, rerum Hebraicarum maxime peritus *lib.* 1. *thesaur. sui cap.* 17. Quin & *Drusius l.* 2. *quæst.* 71. existimant vocem *Abrech* esse Ægyptiacam, qua olim Ægyptii Regibus suis & Magnatibus bene precari consueverint, hujusmodi acclamationes apud Orientales, cum Rex fuit inthronizandus, creberrimæ fuerunt. Exemplum habemus 1. *Sam.* 10. 24. ubi *Saulo* in Regem uncto populus universus cum jubilo clamavit: *Vincat Rex*, Alii hanc vocem ab *Hebræis* derivant, & quidem a voce אב pater רך *Rech* tener, ut *Abrech* idem sit, quod pater tener. & *Junii* expositioni favet, quod *Gen.* 45. 8. ipse *Joseph* glorietur, se *Pharaonis* patrem factum, ut proinde *Joseph* pater Ægypti hac voce sit promulgatus eo sensu, quo adhuc viri Principes optime de Republ. meriti, patres patriæ vocantur. Ne quis autem miretur, cur addita sit vox רך vel *tener*, dicunt hoc ideo factum, quod Joseph tum temporis cum hic honor ei fuit exhibitus, juvenis & adhuc tenera ætate fuit, prout omnium primus exposuit *S. Hieronym. in quæst. super Gen.* quo sensu Joseph fuit dictus, quod mente senex, ætate puer esset. Sed quod salva magnorum virorum auctoritate dixerim, hæc expositio minus commoda videtur ob duas rationes 1. quod hoc modo nomen *Abrech* sine urgente causa in duas diversas voces divellatur. 2. Quod Joseph tum temporis nec puer nec adolescens, sed vir matura ætate nempe triginta annorum fuerit. Alii nomen *Abrech* non ab אב scil. a radice ברך h. e. benedixit, derivant, & hi rursus sunt in duplici differentia: alii enim quorum agmen duxit *Mercerus Abrech* Ægyptium putant idem fuisse, qui Hebræorum ברך h. e. Benedictus, ideoque censent, simili modo, quo populus Salvatori urbem intranti acclamavit: *Hosianna* &c. simili inquam modo fuisse *Josepho* acclamatum *Abrech.* Alii denique quorum sententiæ subscribimus nomen *Abrech* a radice quidem ברך, idque ex conjug. Hiph. in qua verbum hoc significat *genua flectere*, concinne derivant, ita quidem ut *Abrech* sit prima persona futur. in hac Conjug. Unde Vulgatus tantum interpres ita exposuit: clamasse præconem ante *Josephum Abrech* flectite genua. Sed & R. *Aben-Ezra* Hebræorum facile doctissimus scribit: *Omnis homo clamabat ante Josephum Abrech* h. e. in genua procumbam & adorabo eum. Uti plur. demonstravit *B. D. Hildebrand in MS. de antiq. Hebr.* Autoritatem etiam Josephi explicat

plicat *Henry Ainſworth. fol. m.* 148. *in Gen.* 43. 6. *The ruler, he that authority and power in his hand.*

[8] *Cum Septuaginta capitibus.*) Judæorum hypotheſis obſervanda. Nimirum ajunt *Geneſ.* 48. 27. aſſerere Scripturam omnes animas familiæ Jacobi, quæ venit in *Ægyptum*, fuiſſe 70. *numero*. Quia vero non plures, quæ ibi numerantur ſeorſim numerando & colligendo ſummam, non emergunt, niſi 69. Idcirco ad tollendam difficultatem perhibent, *Jochebed* antequam inſtitueretur in Ægyptum profectio, jam fuiſſe conceptam, itaque hujus quoque habitam rationem & ceu jus quoque *Civile Romanum* certis caſibus facere jubet, inter jam natos exiſtentes computatam eſſe eam quæ erat in utero. Atque ſic dubium de ſeptuagenario numero tollitur. In *Talmud quem citat. D. Wagenſeil. pag.* 262. *Sot.* legitur quaſi in itinere concepta, quod falſum illo loco evincitur. *Beroaldus in Chronic. ſacro. pag. m.* 129. & *Cornel. a Lapid. Comment. in Gen.* 46. ſeptuaginta quinque recenſent, quam conciliationem ibi invenire poterit benevolus Lector. Hebræi quidem putant, expleri poſſe numerum hoc modo, Jacobum ſexaginta ſex habuiſſe animas in familia ſua, his additum Joſephum & filios duos LXIX. efficere. Exſtaret tamen LXX. fuiſſe, tunc dicunt. Deum dixiſſe, ſe cum Jacobo in Ægyptum tranſiturum eſſe, & ita ſeptuagenarium numerum expletum fuiſſe. Alii aliter, de quibus pluribus diſſerit *Commentar. Rabbin. Jalkut* in hunc locum. Hanc vero quæſtionem, quia a viris doctiſſimis dilucidata, pluribus tangere inutile judico, videatur & evolvatur. *B. D. Calixtus Commentar. in Epiſt. ad Hebr.* ibi plurima lectu digniſſima reperiuntur.

[9] *Iſraelitarum nomen.*] A Jacobo originem traxit, qui ex glorioſa cum Deo pugna vocatus Iſrael & omnes poſteri Iſraelitæ. Vid. *Johan. Henr. Hotting. Theſaur. Philolog. lib.* 1. *c.* 1. *Sect.* 2. *pag. m.* 5. *edit. Tigur.* 1649. *Chriſtian. Wormii tract. de corrupt. antiq. Hebr. apud Tacit. & Martial. Veſtigiis edit. Haſn.* 693. *pag. m.* 20. 21. *lib.* 1.

[10] *A rege novo indigna ſervitute.*) Quis hoc loco Rex novus, qui Joſephum ignoraſſe dicitur, controverſum eſt; nec mirum in re antiquiſſima *cap.* 30. *Gemar. citant. D. Wagenſeil. in Sota pag. m.* 225. hæc habet: Et ſurrexit Rex novus ſuper Ægyptum qui Joſephum non noverat *Raf & Samuel*, hæc eadem reperta leguntur in *Erubim fol.* 53. At *Jelammedenu fol.* 53. Pharaonem cum Ægyptiis Judæos affligere volentibus adverſaretur ab iis fuiſſe depoſitum & per tres menſes vitam agere privatam coactum, reſtitutum autem deinde Regno, quod recepiſſet, ſe omnia facturum ex illorum ſententia. Ridiculum autem depingit *Petrus Valt. Mervell. d' Ægypt. conſ. D. Wagenſeil pag. m.* 230. *Sota*. Sed in diverſa hic abeunt. Alter de ſimpliciter novo intelligit: Alter ob innovata decreta Regem novum dici arbitratur. Qui ſimpliciter de novo intelligit, ita confirmatur, quia perſpicue novus vocatur. Qui vero innovationem Decretorum, hinc ſubſidium petit, quia non præcedit & mortuus eſt, ſcil. Anteceſſor, regnavitque iſte illius loco. Quod ſi vero poſteriore opinione ſtandum, quis erit ſenſus verborum; Quod Joſephum non noverat? Veriſimile eſt *Menochim* alterum fuiſſe gentis Judaicæ afflictorem, qui vocatur novus ſive ἕτερος βασιλεὺς. *Act.* 7. 18. quia erat novi ingenii, morum & conſuetudinis, gubernationis a Regibus præcedentibus, qui Joſephum noverant. Sic LXX. pro quo *Aquila & Theodotion* βασιλεὺς καινός, quæ permutatio non nova, nam in N. T. quæ *Marco* novæ linguæ vocantur, eas *Lucas Actor.* 2. 4. ἑτέρας appellat. Unde patet hallucinatio *Cajetani*, qui, quod hic ignotus Regi novo ex Idiotiſmo peculiari dicatur Joſephus, & ex *Eſai.* 4. *c.* 52. male intellecto cenſet iſtum Regem Aſſyrium, non Ægyptium genere eſſe, *Joachim. Zehner. in adag. ſacr. centur.* 4. *adag.* 9. *pag.* 586. ita ſentit: *Pharaonem* fuiſſe *Orum*, qui alio nomine *Buſiris* dicatur. Is enim præclaris Joſephi meritis injuria temporum obliteratis, genus Iſraeliticum duriſſimis laboribus vexabat. Sub *Menophi* cæpta Tyrannis per quatuor ſucceſſores, *Orum* ſive *Buſiridem*, *Cecropem Thermutim*, *Rhatorim* per annos LXIV. continuata in *Cenchre*, quem Tacitus *Boccherim* appellat, vidit exitum tragicum. Alii cum Euſebio putant fuiſſe *Mephrem*, quem quartum facit Regem ex *dynaſtia* 18. quæ eſt *Politanorum*; verum hæc explicata vide apud *Cornel. a Lapide in Commentar. ad Exod. cap.* 1. *fol. m.* 354. qui probabilius putat, *Amenophim* fuiſſe, quem quidam etiam *Memnonem* putant, de quibus vid. *Cornel. a Lapid. fol.* 354. Non vero Aſſyrus ut *Cajetan.* in *Eſaiæ caput.* LII. 4. Neque hic Rex poterat eſſe *Mephres* ut *Vincentius* putat. Nec Rex hic erat *Rameſſes* ut quidam autumant. Probabilior eſt ſententia, Regem hunc *Amemphim* fuiſſe, ita *Hieron. in Chron.* quidam vocant Memnon, vid. *Peter. Simler. Andr. Willet. cap.* 1. *in Exod. fol. m.* 8. *Diodat. annotat. in Exod.* qui plura adhuc adducit nomina. Cur autem dicatur novus? variæ ſunt opiniones. *Andr. Willet. & Diodati* d. l. putant, hanc ob cauſam vocari, quia ex nova familia originem traxerit. *Joſephus* quia novam methodum gubernandi Rempublicam introduxerit, ſeu ut *Paraphraſt. Chald. in Exodo autor. Paul. Fagi cap.* 1. Qui non ſervabat decretum Joſeph, ſed novas leges ac conſtitutiones faciebat, juxta illud: *Novus rex, nova lex*. Atque iſtam ſententiam quoque habet *Targum Hieroſolym. Simlerus*: qui beneficia a Joſepho toti Ægypto præſtita nihili habebat.

[11] *Moyſi, Levi pronepoti.*) Moſes ſane ὁ ὑδατογενὴς ſive *aquigena* ex natalibus quippe aquis extractus, aut habet nomen ſuum ex lingua Ægyptiaca ſive Coptica, & quidem ex Coptico ΜΩΣΟΥ (quod nomen in Pentat. Copto Vaticano, uti diſſerit *Gerhard. in diſſert. de ſepultura Moſis*; nec minus in Theſauro Copto, tum cum articulo III. tum abſque illo paſſim reperiri & *aquam* ſignificare, *Athanaſ. Kircher. in Prodrom. Copt. c.* 5. *pag.* 137. teſtatur) & 8ϲɴϲ quod ex aquis ſervatum dicit. Confirmant hanc Sententiam *Joſeph. l.* 2. *antiq. Judaic. c.* 5. *Clem. Alex. l.* 1. *Procop. & Raban.* Sunt tamen qui malunt nomen *Moyſis* deducere a radice משה *extraxit, eduxit*, id quod ipſum ſacram ſcripturam innuere *Exod.* 2. 10. putant, hanc παρήχησιν quippe addentem: *Vocabat nomen ejus extractum, quia dicebat, ex aquis extraxi eum*, quam ſententiam tuetur *Vogt. in Miſcell. Bibl.* Cui adſtipulantur *Forſter. Conc.* 6. *ſuper Exod. pag.* 38. *Lexic. Sanct. Gregorii Gregori tit. Moyſ. pag.* 65. Pater *Moſis* fuit *Amram* filius Caath, Levi filius, Jacobi nepos, ceu ex *Exod.* 6. 18. & 20. clarum eſt. Id etiam refert *Henry Ainſworth. in præfat. ad lib. Moſis* his verbis: *He was the ſonne of Amram, the ſonne of Kohath, the ſonne of Levi, the ſonne of Jacob, the ſonne of Jſaak, the ſonne of Abraham our Father in the ſeventh generation.* Erroneum igitur, quando Juſtinus Trogi Epitomator lib. 36. Hiſt. ſcribit, quod *Moyſis hujus*, qui populum Iſraeliticum ex Ægypto eduxit, *pater fuerit Joſephus*, ille nempe, qui a fratribus in Ægyptum fuerit venditus. Rectius Moyſis genealogiam Muhammedani tradunt, quando a *Levi* eandem deducunt, (ceu ex auctore *Tarich*, quem Wilhelm. Schickard. luci dedit, videre eſt.) Mater *Jochabed* eadem de familia *Amrami* & uxor & amita ceu d. l. *Onkelos* vertit אחת עמוהה ſeins Paters ſchweſter: LXX. vero θυγατέρα τοῦ ἀδελφοῦ τοῦ πατρὸς αὐτοῦ filiam fratris patris ſui & ita quoque Syrus ברת דדה Arabs habet עמותה quod Londinenſes exprimunt *materteram ſuam*, rectius *amitam ſuam*, videtur enim ſecutus *Chaldæum*, qui ita Hebræum דדתו reddidit. Probabile eſt, quod fuerit *Amrami* conſobrina, quod *Syro* & LXX. viſum, quam etiam ſententiam approbat *D. Chemnitius part.* 3. *LL. Th. p.* 551. Ac pulchre confirmat *Tarnov. l.* 1. *de Conjug. C.* 58. *pag.* 313.

[12] *Oves paſcenti.*) *Jethronis* uti conſtat ex *capit.* 3. *Exod.* qui etiam vocabatur *Hobab* & filius erat *Raguelis*, cujus mentio fit *Exod.* 2. 18. *Num.* 10. 29. *Judic.* 4.

[13] *Ex ardenti Rubo.*) *Seneh* rubus ille dicitur, in quo apparuit Deus *Moſi Exod.* 3. Inde *Habitator rubi. Deut.* 33. unde & mons *Sinai* dicitur. Ita in *Pirke R. Eliezer cap.* 41. dicit: *A principio mundi hic mons vocabatur Horeb: cum vero Deus appareret Moyſi in medio rubi, a nomine iſto dicebatur Sinai.* Quem *Bellonius lib.* 2. *obſervat. cap.* 61. & *ſeqq.* aliique deſcribunt, & rupes Seneh 1. *Sam.* 14. 4. Cujus generis fuerit iſte rubus; nemo, quem viderim, explicavit. Nam ut *Cynoſbaton* taceam, alius eſt *rubus Idæus*, fructu rubro *Himmebeer* vocant, alius *vulgaris*, qui mora fert nigra *Brombeer*: & hic vel major; vel & minor Χαμαίβατος ſive humirubus,

cujus

cujus mora Gallos rusticos vocare *Catharinas* ait *Ruellius*: posset quis opinari, adepta hoc nomen esse a monte *Catharinæ*; sic *Sinai* dicitur, quod Virginis Martyris corpus Alexandria ab Angelis eo delatum & ibi sepultum sit. *Philo lib.* 1. *de vit. Mos.* 1. exponit, quis ille rubus fuerit? *Frutex*, inquit, debilis, invalidus & ita aculeatus, ut manus solo contactu vulneret. 2. Quomodo in igne? integer, illæsus, quasi non esset ignis materia, sed ab ipsomet aleretur: non enim consumebatur ab ignis natura voraci, quin conservabatur potius, nihil adeo amittens, ut & splendesceret. Plura qui desiderat evolvat *Ursini Arboret. bibl. cap.* 26. *pag. m.* 347. *Henry Ainsworth. fol. m.* 9. *in Exod. edit. Londin.*

[14] *Variis plagis affectum.*) *Rhodomannus Palast.* 2. *v.* 25. egregio reddidit versu:

Αἵματι, καὶ βατράχοις καὶ σκνίπεσι καὶ κυνομυίαις
Τετραπόδων τε μόρῳ καὶ φλυκτίσιν, ἠδὲ χαλάζαις
Πυρσοβόλοις ἀκρίδων τε βαρῇ, σκοτίῃ τε, καὶ οἴτῳ
Πρωτογόνων ᾧ σπόρχε καὶ ἄγναμπτόν περ, ἄνακτα
Λαὸν ἀποστεῖλαι, καὶ ἀνικία δέσμα χαλάσσαι.

Et *Eugenius Episcop. Toletan. Opusc.* D. 3. per monosticha:

Plaga prior Nili lymphas in sanguine vertit;
Altera ranarum crepitum, tabemque creavit;
Tertia mordaces culices de pulvere movit;
Quarta dedit muscas ictu sonituque pavendas.
Quinta etiam morti damnans animantia cuncta.
Sexta putrescenti vesicas vulnere patrat.
Septima fulmineum murmur cum grandine vibrat.
Octava frugi nocuas frondique locustas.
Nona parat piceas tactu palpante tenebras.
Ultima, quæ decima potis primordia truncat.

Has decem plagas Hebræi literis decem comprehendunt, quarum quælibet verbum plagæ inchoat רצד עדש באחב qua re significare plagas volunt, quas his vocibus retulit *Henry Ainsworth. comment. in Exod.* 7. *fol. m.* 22.

Blood: Frogs: and Lice: a mixed swarme Murraine
that beasts annoyd.
Boyles: Haile: and Locusts: Darknesse thicke
And First-borne all destroyd.

De his plagis legi meretur *Dieteric. in antiquit. bibl. a fol.* 170. *usque* 180.

[15] *Inde rubro MARI.*) Mare, Suph, quod Græcis interpretibus *θάλασσα Ἐρυθρὰ* dicitur. *Num.* 33. 10. In hoc Ægyptii submersi. *Exod.* 15. non quod hæc vox Suph rubrum significet, licet id dicat *B. Hieron. ad Fabiol.* A verbo autem Suph quod deficere & finiri significat. Finis seu extremitas Suph dicitur, atque idcirco alga seu juncus Hebræis Suph, quod in extremitate fluminum seu marium crescat, dicitur. Hinc igitur Mare Suph denominatur, quia per circuitum ejus carices, & papyri nascantur, quasi dicas mare papyrosum. Id post Lyranum notavit *clar. Joh. Drusius difficil. loc. scr. sacr. in Exod. pag. m.* 186. 187. *cap.* 26. Scribit Strabo cui consentit *Plinius*; In mari rubro oleas florentesque frutices enasci. Hoc *Græci* semper fere appellant *Ἐρυθρὰν θάλασσαν*. Idem hoc nomen tribuitur mari huic apud *Herodotum*, *Aristotelem*. Quamquam nonnulli Græcorum (ut ex *Eratosthene* & aliis refert *Strabo*) a colore dictum mare rubrum putabant, alii tamen ab *Erythro* seu *Erythra* Rege sic dictum tradiderunt. *Suidas*: Mare rubrum non ex colore undæ appellatum est, ut opinantur aliqui, sed a viro quodam Erythra dicto, qui in locis illis principatum tenuit. *Pompon. Mela lib.* 3. 6. 7. Rubrum mare Græci sive quia ejus coloris est, sive quia ibi Erythras regnavit *θάλασσαν Ἐρυθρὰν* appellant. *Curt. lib.* 10. Ego cum *Edwardo Simsone Anglo erudito*, *Drusio*, *Fullero* & aliis non dubito, quin vera sit illorum sententia, qui Regem Erythram arbitrantur non alium, quam *Esavum Jacobi Patriarchæ fratrem* intelligi debere, quippe qui alio nomine *Edom* hoc est *Erythrus* ruber dictus sit; de cujus gloria & potentia vid. *Nicol. Fuller. miscell. lib.* 4. *cap.* 20. *Drus. ad difficil. loc. Scriptur. cap.* 26. *pag. m.* 187. *seq. Sixtin. Amama Antibarbar. bibl.* 2. *cap.* 10. *pag. m.* 286.

[16] *Solitudinis Sinai Advocato.*) Accedimus nunc ad illustrem montem Sinai. Vocatur hic mons סיני ab Hearæa voce סנה rubus, cujus frequens copia ibi fuisse dicitur. vid. *Cornel. a Lapid. Commentar. in Exod. cap.* 3. *fol.* 372. *D. Calov. in bibl. illustr. fol.* 328. *in V. T. Commentatores in libr. More Nevochim* (*part.* 1. *c.* 66. *apud Buxtorff. Lex.*) ita dictum putant: כי האבנים הנמצאים בו יצוייר עליהם הסנה quod lapides inventi in eo, figuratum in se habuerint rubum, LXX. exprimunt per *Σινᾶ*; sed in *Chronic. Alexandrino* ut *Gerard. Iohan. Voss. de Idololat. lib.* 1. *c.* 30. ubi de duodecim claris montibus agit, vocatur *Σινα ἐν Ἀραβίᾳ*. Et sine dubio hic mons est, quem *οἱ ἔξω* vocali mutata literisque trajectis Nysa dixerunt, in quo *Liber* pater educatus, narratur. *Unde Diodor. lib.* 3. & 4. ait deportatum *εἰς Νύσαν τῆς Ἀραβίας*. Ac præivit huic *Homerus in hymnis*:

Ἔστι δέ τις Νύσση, ὕπατον ὄρος ἀνθέον ὕλῃ
Τηλοῦ φοινίκης, σχεδὸν Αἰγύπτοιο ῥοάων.

Nysa jacet quædam, mons sylvis floridus altis
Phœnice procul, Ægypti stagnantis ad undas.

conf. *script. meum de Bacchanal. cap.* 1. Permutatur hoc nomen sæpe in Sacra Scriptura cum nomine חרב Horeb, quia bicipitis altitudinis esse creditur, ita, ut una pars Horeb, altera Sinai & consequenter ab hoc monte integra illa periodus מדבר סיני desertum Sinai *Exod.* 19. 1. *dicta sit.* conf. *Christoph. Heidman in descript. Palæst. cap.* 6. §. 81. 84. Equidem aliter sentit Carol. Sigonius hoc loco & plures alii cum eo putantes, Sina non montis nomen esse, sed deserti, in quo mons ille fuit, qui propterea mons dicatur, non per oppositionem, sed per additionem Genitivi rei diversæ, quasi mons deserti Sinai. Id quod Græce manifestius esset *τὸ ὄρος τοῦ Σινᾶ*, non *τὸ Σινᾶ*. Sed ei repugnat *Iosephus*: (*lib.* 3. *c.* 4.) repugnat *versio Græca* LXX. Interpretum, in qua *Exod.* 19. *τὸ ὄρος*, *τὸ Σινᾶ* legitur & *εἰς τὸν ὅρμον τοῦ Σινᾶ*: repugnat denique *Apostolus in epistol. ad Galat.* 4. 25. *Σινᾶ ὄρος ἐστὶν ἐν τῇ Ἀραβίᾳ. Sina mons est in Arabia.* His testimoniis quid clarius? ex quibus potius colligimus, quod, quando dicitur desertum Sinai, hoc fiat commodius illo sensu, scilicet desertum montis Sinai, aut desertum, in quo est mons Sinai. Est autem hic mons situs in Arabia Petræa, quæ medium inter *Phœniciam* & *Ægyptum* sive Arabicum sinum locum tenet. De hoc monte eleganter etiam scribit *Cornel. Iansen. Episcop. Iprens. in Academ. Lovan. Prof. comment. ad Exod. pag. m.* 211. *cap.* 3. inquiens: Horeb & Sinai unus & idem sunt mons sed collibus distincti, quorum ille a desolatione & siccitate *Horeb* seu *Choreb* dictus est, ille a *ruborum copia Sinai.* Unde nunc in *Horeb*, nunc in *Sinai* Lex data legitur. Dicitur mons Dei, sive quod vulgo crederetur in eo Numen habitare, & idcirco pastoribus esset inaccessus, ut vult Josephus, sive per anticipationem, a multis Dei revelationibus ibi exhibitis & operibus perpetratis. Vid. *Cornel. a Lapid. comment. ad Exod. c.* 3. *fol.* 372. Hinc factum, quod Judæi montem Sinai maximi habeant, & comparationem si instituere volebant inter viros excellentes, inter illos & montem faciebant. *Iosua Levita in præfat. libr. Halichot Olam*, quem librum latine adornavit *Constant. L'Empereur dicit*: Cum me aberrare vellet Deus a paterna domo & natali solo, tempus me in civitatem *Toletum* devolvit: ubi ecce mihi obvius fit, vir desiderabilis ex iis, qui gradu & virtutibus eminent, *Misnarum* peritus, prout e monte Sinai tradita sunt adeo ut de his dicere liceat, hic est ipse Sinai, de quibus plura vid. *apud Clar. D. Wagenseil. excerpt. Gemar. cap.* 2. *pag. m.* 494. *seq.*

[17] *Legem incisam duabus lapideis tabulis dedit.*) Tabulæ Mosis in monte sermone a Deo peracto traditæ venerabiles sunt, audent tamen Judæi, quibus initio datæ, suis nugis easdem deturpare. Datæ illæ in monte Sinai. *Exod.* 31. 18. & Legis promulgatio facta. *A. M.* 24. 53. *die* 50. a Paschate exitu ex Ægypto, unde & Pentecoste Græcis dicta est; in monte Sinai promulgata *Exod.* 19. *Galat.* 3. 19. ut homines coargueret peccati & ostenderet judicii divini sententiam adversus *Ἀνόμους* & trangressores, repetebatur jam multis retro seculis hominum mentibus inscripta, *Irenæus lib.* 10. *Ambros. de fuga seculi c.* 3. Sed ne excideret, lapideis inscripta tabulis. *I. Th. Freigius in Mosaicis.* Satis vero ex verbis Mosis constat, quando constiterint tabulæ. Satis ex verbis Mo-

Mosis constat, scil. sermonibus completis in monte Sinai. Manifestum porro Deum ipsum immediate exsculpsisse legem hanc duabus tabulis, nullo adhibito instrumento externo artificio humano sed divinitus scriptis literis, erantque tabulæ illæ opus Dei. Objiciat vero aliquis hic & dicat, libentissime concedendum de primis tabulis esse, sed quid de secundis? Num Dei, an vero Mosis? *Exod.* 34. 1. dicitur. Scribe tibi hæc verba: *Augustin. tom.* 4. *l.* 5. *c.* 15. sententiam hanc fovet. Priores tabulas Dei digito scriptas esse, posteriores vero, quæ in arca asservabantur, exaratas esse a Mose, satis ait, manifestant (dicta *Exod.* 34. 1. *Deut.* 10. 1.) Mosen in tabulis decem verba scripsisse non Deum. Sed satis manifesta sunt verba Scripturæ contra Augustinum. Excidi, inquit Moses, duas tabulas sicut priores, & scripsit, non igitur extat & scripsi. De materia tabularum aliquid novi proferunt *Rabbini*. Tradit *R. Salomon*, quod fuerint *de lapide Saphiro*, & quod Dominus ostenderit Mosi massam talis lapidis formatam de novo, virtute divina, de quo Moses dolavit duas tabulas. Sic dicatus fuisset Moses ex fragmentis tabularum prius fractarum, de quo negotio autem nihil Josephus, qui tamen ante R. Salomon vixit, habet, conf. *Lyra in Exod. Clar. Danhavverus in Decal. Sin. pag.* 5. De figura scriptionis R. Salom. hæc profert verba. Unica erat scriptura, quæ tamen legibilis erat, indifferenter ex una parte, sicut *& similiter* ex altera, quod erat mirabile: quia litera ex una parte figura ordine recto, in parte opposita apparet, ejus figura modo opposito. Vel potest dici absque miraculo tali, quod literæ erant duplices, ita ut præcepta essent sculpta ex una parte & similiter ex altera apud Lyram in hunc locum. De distributione iterum variæ sunt opiniones. Datur apud Lyram conspectus tabularum secundum Hebræos geminus: (1) Tabulæ primæ inscribuntur præcepta V, & secundæ totidem (2) juxta alios prima tabula continet tria præcepta priora, secunda vero septem posteriora. B. Augustinus. Priora tria præcepta hominem ordinant ad Deum, septem posteriora hominem ordinant ad proximum. Plura qui de his legere cupit, videat *D. Frantz. dissertat. de præcept. Decal. D. Danhawer. Decal. Sinait. disp.* 1. §. 10. alios. Hoc loco autem notandum, a Tabularum Mosaicarum dignitate gentes legum suarum dignitatem sumsisse, ut videre est in *Obelisco Pamphil. Vir. doctissimi Athanas. Kircheri fol.* 391. *Ludov. Pignor. Æliano l.* 2. *c.* 20. *Dempste. l.* 2. *cap.* 2.

[18] *Partim sorte.*) Id quod Deus antea per *Mosen* præceperat *Num.* 26. 54. Et occupabitis terram per *sortem* & sic factum esse recensetur *Jos.* 14. 2. 15. 1. & aliis locis, quos recenset vir plur. *Reverend. Martin. Mauritii in tractat. Philolog. de sortit. Hebr. edit. Basil.* 1691. *pag. m.* 404. *cap.* 29. Ex quibus patet sortitionum harum authoritas, quæ a Deo moderatore totius hujus actus originem trahebat, & peragebatur in loco a cultu divino, sacro & publico, coram ipso Deo, ceu urnæ præsente; attamen in loco Majestati ejus & singulari præsentiæ consecrato. Tum etiam ab Oraculi divini Urim & Thummim adhibito consilio, quo sortium jacturæ veritas firma & rata fiebat, religiosius de hac sortitione æstimandum. A personis quoque sacris rem sanctam administrantibus, celebris est actus. Modus sortitionis in hoc actu observatus a *Schindlero* describitur in *Lexic. Pentaglott.* voce גורל. Sorte Israelitis distributa fuit terra, juxta tribus, *Jos.* 18. Factæ fuerunt duodecim partes æquales ut quælibet tribus sive major sive minor reliquis, unam sive bonam, sive malam caperet. Baculi tribuum & baculi sortium ponebantur coram Eleazaro, Urim & Thummim induto. Hic una manu partium, altera tribuum baculos carpebat, atque ita, quæ pars cuilibet tribui assignanda esset inquirebatur. Quæ unde habeat *Schindlerus* me latet, nec ullus Hebræorum rem istam hoc modo describat. Factas enim partes terræ seu duodecim clare reclamat ipse sacer textus *Num.* 34. 13. Modum sortis projectionis ex Rabbinorum scriptis nobis exhibet præcitatus *Maurit.* in *tract. doctiss. c. l. pag.* 406. 407.

[19] *Sex refugii civitates.*) Loca quæ quondam in populo Judaico innocentiæ subveniebant, dicta sunt Hebræis ערי מקלט urbes receptus sive Refugii, Græcis φυγαδευτήρια, καταφύγαι dictæ. Sic Asylorum apud Scriptores sæpe fit mentio, de cujus etymologia videndi sunt *Mœbius* de *Asylis edit. Lips.* 1673. *D. Osiander in dissert. de Asyl. Hebr. edit. Tubing.* 1673. ערי מקלט urbes refugii dictæ a קלט quod Rabbinis est *excipere*, atque retinere quippiam. Vid. *Schindl. Lexic. fol.* 1619. Dicuntur etiam ערי המועדה *urbes conventus* Jos. 20. 9. quia ibi conveniebant omnes homicidæ involuntarii. LXX. appellant πόλεις τῶν φυγαδευτηρίων & simpliciter φυγαδευτήρια *Num.* 35. 20. & *Jos.* 20. 2. i. e. loca, quo rei & sontes confugiunt. Fuerunt autem civitates refugii vel asyli nihil aliud, quam loca inviolabilia, & consecrationis lege divina, tuta, ad quæ confugientes erant in salvo, nec summo piaculo inde avelli aut abduci poterant. Harum civitatum numerum describit sacra Scriptura, quod sex illarum fuerint, & quidem tres citra Jordanem 1. *Cades* in *Naphtali*, *Sichem* in *Ephraim*, *Hebron* in *Juda*. Trans Jordanem 1. *Bosor* in Ruben, 2. *Ramoth* in Galaad, 3. Gaulon in Manasse. Vid. *Osiandri dissert. pag.* 3. *seqq.* Hæ civitates æquali spatio ab invicem sese dissitæ erant, ita, ut æquale spatium a meridie ad *Hebron* & ab *Hebron* ad *Sichem*, a *Sichem* ad *Kadesch*, a *Kadesch* ad aquilonem esset. Viæ, quæ ad illas ducebant, complanatæ erant, ut nullum esset obstaculum, quod fugitivum homicidam impedire posset, juxta illud *Deut.* 19. 3. In bivio & trivio stipes erectus erat, in quo scriptus erat מקלט *Miklat*, ut fugientem dirigeret in eam viam, quæ ad civitatem refugii ducebat. vid. *Tract. de Hermis*. Ita etiam oportebat illas civitates non nimis parvas esse, ut deficerent victui necessaria; nec etiam nimis magnas, ne forte per frequentiam hominum eo confluentium, vindex sanguinis occisi urbem non observans intret, atque fugitivo insidias struat, sed urbes mediocres esse debebant. In loco, ubi aquarum copia erat, esse oportuit, sin, aliunde aquæ adducebantur. In loco erant ubi sæpius nundinæ habebantur quo eo facilius possent haberi cibaria & reliqua necessaria. Porro necessarium erat, ut in vicinia multi pagi essent ad arcendum adversarium, si forte stipatus exercitu veniens vi vellet urbem ingredi & occidere homicidam. Si civitas refugii destituebatur civibus, aliunde sacerdotes & Levitæ & Israelitæ arcessebantur. Nec licuit in ejusmodi civitate facere arma bellica, nec venatoria, nec retia, nec funes aut aliquid tale, ne forte הדם גואל vindex sanguinis sub prætextu aliquid emendi in urbem veniat, atque ita homicidam opprimat. Necesse quoque erat, cives urbis refugii homicidæ venienti parare aliquod artificium, quo vitæ necessaria sibi comparare possit. Ea de causa si homicida תלמיד Talmid i. e. unus e studiosis discipulis fuit רבו Rabo Præceptor ejus simul cum ipso exulare cogebatur. Quod si homicida Rabi erat, schola ejus in civitate refugii transferebatur. Pariter לגולה *Legoleh* i. e. fugienti homicidæ adhibebantur duo תלמידי חכמים viri sapientes quia adversarium sanguinis ultorem, si forte in itinere occurreret blandis verbis & admonitionibus arcerent, ne quid violentius & nondum causa discussa in homicidam conaretur. Hæc & alia plura ex *Paulo Fagio* adducit *Critic. Sac. Anglican. part.* 1. *fol.* 1125.

[20] *Sex refugii civitates.*) Non hic disquirimus de varia lectione numerorum civitatum confugii, quæ videnda *in Francis. Luc. Brugens. notat. in Jac. bibl. p. m.* 46. 47. *seqq.* Sed quid fuerint? Vocantur alio nomine ut *Paulus Fagius in Paraphras. Chald. in Num. cap.* 35. civitates evasionis vel salvationis, quod ad illas evaderet fugitivus homicida, atque ita salvaretur. Hebræi vocant *Are Milkat* sic dictæ, quod illic colligerentur, contraherentur ac congregarentur fugitivi; קלט Kalat enim colligere ac contrahere significat. Addit autor quod sex fuerint, & contrarium esse videtur Rabbinorum sententiis, qui omnes Levitarum urbes civitates refugii vocant, *vid. in Rotzeah c.* 8. *Maccoth. cap.* 11. *pag. m.* 113. *IV.* 13. *Johan. Ligtfoot. hor. Talmud. cap.* 96. *pag. m.* 164. Verum enim vero observandum, hanc esse distinctionem, sex has refugii urbes cuicunque in ea habitanti, reciperetne sese illuc eo fine, nec ne vitam servare, *vid. Lightfoot. hor. Talmud. centur. Geograph. Matth. præmiss. pag. m.* 165. cui calculum adjicit Johan. *Cocces. annot. ad duos titul. Talmud. Sanhed. & Maccoth.*

coth. pag. m. 113. Conditionem harum civitatum nobis declarat *Gemar. fol.* 10. *p.* 1. *Ad asyla non deligunt castella neque urbes magnas, sed oppida mediocria: constituuntur eadem non nisi locis aquosis, aut quo aqua deduci possit, nec nisi, ubi sit copia rerum venalium; nec nisi populosis. Si populus earum habitatoresque diminuantur, novi illuc ex Sacerdotibus, Levitis Israelitisque cæteris deducuntur. Non veneunt ibi arma aut venationis instrumenta ex sententia R. Nehemiæ; quod tamen Sapientes permittunt. In hoc tamen consentiunt, neque retia isthic expandi, neque restes fieri, uti ne pes vindicis eo accessum habeat.* Ne plures in ea sint percussores quam cives, nec desit Senatus *Maimonid. tr. c.* 7. Lata ne minus XXXII. ut est *in Bammid. rab. par.* 23. Tres a Mose constitutæ fuerunt ultra Jordanem. Tres aliæ a Josua in ipsa terra Canaan. Æquali spatio hæ dissitæ erant. Viæ ad has ducentes complanatæ erant, ne aliquod obstaculum esset, quod fugitivum homicidam impedire posset, juxta *Deut.* 19. In bivio aut trivio stipes erectus fuit, in quo scriptum מקלט Miklat, ut fugientem dirigeret in eam viam: quæ ad civitatem duceret. Opus etiam erat, ut multi pagi in vicinia essent ad arcendum adversarium, si forsan exercitu adventaret. *vid. plur. Paul. Fag. ad paraphras. Chald. Num.* 35. Hac de causa homicida illuc fugere debet ut vivat. Si homicida תלמיד Talmid. unus ex studiosis discipulis Rabo Præceptor ejus simul exulare cogebatur, sin vero ipse Præceptor, Schola in civitatem refugii transferebatur. Fugienti homicidæ addebantur duo vel tres *Thalmidæ Hachanim* i. e. sapientes, qui adversarium sanguinis ultorem in itinere blandis verbis abarcerent. Nullus etiam homicida impediri debebat sive *Schogeg* sive Mesid, sive casu, sive temere occidisset; plura videri poterunt apud predict. autores.

[21] *Cædis non voluntariæ.*) Non omnibus igitur, qui in has urbes se receperunt, tutum ac securum ibi erat perfugium, sed iis tantum qui præter voluntatem & fortuito aliquem occiderant. Græce ἀκουσίως involuntarie. In Græca *Codicum Complutens.* & *Regiorum* editione præter ἀκουσίως involuntarie, adjicitur ἄνευ προνοίας sine providentia. Nullus ergo huic aditus, nulla securitas concessa erat in his urbibus, nisi involuntariis homicidis. Excludebantur, qui adulterium, vel qui stuprum, furtum &c. commiserant; conferatur *Mœbii Asylologia sacra pag. m.* 27. 28. *edit. Lips.* 1673. Osiander. dissert. de Asyl. *pag. m.* 41. *seq.* ubi plura.

[22] *Atque his alias.*) Sunt qui hisce sex urbibus refugii adhuc tres alias addant, idque probare conantur ex *Deut.* 19. 8. uti legimus: Cum autem dilataverit addet tibi tres alias civitates. Ex his verbis *Tostat. quæst.* 8. *in cap.* 35. *Num. pag.* 322. ita colligit: Sciendum quod istarum novem civitatum tres primæ assignatæ sint ante transitum Jordanis, & aliæ sex assignandæ erant in terra Chanaan. De istis sex assignatæ sunt tres immediate, ut Judæi introierint in terram illam, de quibus *Jos.* 20. aliæ autem tres non fuerunt assignatæ, creditur tamen, quod fuerunt assignatæ tempore *Salomonis*, vel paulo ante, cum tunc *Judæi* pervenerint ad suam maximam potestatem. *Tostatum* sequitur *Cornel.* a *Lapide* in *Pentateuch. pag.* 917. Verum hanc sententiam ceu erroneam rejecit *D. Osiander in dessert. de Asyl.* §. 14. *pag m.* 19. *seq.* Alii ut nonnulli ex Rabbinis, & inprimis *Maimonid.* qui confidenter affirmat universas Levitarum urbes fuisse urbes refugii & nullam fuisse, quæ non gavisa sit hoc privilegio. Nam, inquit, & in lege dicitur: Ultra has dabitis quoque XLII. civitates, ut scil. omnes civitates sint XLII. civitates, ut scilicet omnes civitates sint XLVIII. Civitates, ita pares facit Scriptura universas simul sibi invicem quantum ad Refugii seu Asyli jus. Sententiam hanc ita exponit *Selden.* de *jur. Natur.* & *Gent. lib.* 4. *c.* 2. *pag.* 488. Faciunt autem illas urbes refugii duplicis generis. Alterum est illud notissimum, quod sex urbes Levitis assignatas complectitur, de quibus in sacris *Num.* 35. *Deut.* 19. & *Jos.* 20. fuse tractatur. Alterum reliquas XLII. Levitis assignatas (nam 48. habuerunt) continet. Verum hæc sententia teste sæpe laudato *D. Osiand.* in *dissert. de Asyl. pag.* 24. 25. *seq.* quia testimonio scripturæ destituitur, rejicitur. Dualis enim consequenter: Ultra has (civitates refugii) dabitis quoque XLII. civitates: Ergo asyla erunt. conf. *Mœb. Asylolog. pag.* 17.

[23] *Puella hæres.*) Recte hic monet Autor noster, quod hæres esse debeat i. e. non habeat fratrem, quia alias in partes divisa fuisset hæreditas. Recte itaque versio Anglicana: *That is heire of a possession*; & pater non filium habet, qui hæres sit, ut in casu *Zelophehad.* Sic hic nulla restrictio ad alias fœminas quam ad illas quæ hæreditatem possidebant. conf. *Henry Ainsworth. in Num. fol.* 206. Maria *hæres*; quia nullibi legitur Mariam fratrem habuisse; hinc etiam viro ex eadem tribu nubere debuit. Josephus erat ex tribu Judæ. E. Optime concludimus, Mariam etiam ex eadem fuisse. Ab hac *tamen lege* quia non habebant hæreditatem adeoque nulla metuenda confusio. Videtur autem acsi Autor statuat, hoc solis Levitis concessum esse, sed a veritate aberrat, cum omnibus idem liceret, nisi esset filia hæres. Nam 1. David, qui erat ex familia Judæ, Saulis Beniaminitæ filiam habuit in matrimonio. 2. Israelitæ obstrinxerunt se juramento, ne darent ex suis tribubus filiam alicui ex Benjaminitis. Si itaque non licuit ex alia tribu nubere, quare, ut se obstringerent, opus fuisset? 3. docetur in *Mischna sanhedr. cap.* 4. *sect.* 6. Nullum Israelitam potuisse esse membrum Synedrii Magni nisi qui filiam suam in matrimonium elocare possit Sacerdoti; adeoque patrem honoratiores filias suas dare potuisse Sacerdoti constat, quamvis tamen non dubitandum, quod sanctiores semper in eadem tribu manserint.

[24] *Elisabeth cognata Mariæ.*] Adversarii veteres *Marcionitæ* & *Docitæ* occasionem hinc sumserunt, Christum non fuisse verum hominem ex *Maria* virgine natum, rationemque addunt, quia Genealogia ad *Josephum*, non vero *Mariam* deducta. Ad dubii hujus solutionem respondent quidam, Matthæum opinioni receptæ Judæorum se accommodasse, ut demonstraret ex eorum hypothesi, Jesum esse e semine David vid. *Chrysostom. homil.* 3. *in Matth. tom.* 11. *Jansen. Comment. conc. Evangel. cap.* 6. Verum hæc responsio veritati consentanea non videtur 1. enim credibile non est, Spiritum Sanctum voluisse probare veram conclusionem per falsum medium. 2. Tantum abest, ut *Matthæus* reticeat hoc capite mysterium incarnationis; docet enim Mariam gravidam fuisse ex Spiritu Sancto. Accedit & hoc moris non fuisse, per fœminas genealogiam texere, teste *Augustino. lib.* 11. *de consens. Evangel. Chrysostom. homil.* 11. *Ambros. commentar. in Lucam lib.* 3. *Hieronym. in Matth. c.* 1. *Damasc. lib.* 4. *Orthodox. fidei cap.* 15. Sequitur igitur Matthæum Genealogiam Judæorum more texisse. Apud Judæos enim non reputabatur aliquis esse ex aliquo semine, nisi ratione patris sui. Hinc axioma Judaicum משפחת אם לא משפחת familia matris non familia. Catalogos ejusmodi enumeratos *vid. Num.* 1. *Paralip.* 1. Objicere autem quis hic posset, legem de ducendis uxoribus ex alia tribu non fuisse universalem. Unde *Augustin. q.* 47. dicit: Solebant fœminæ nubere de aliis tribubus ut videre est in *Saule*, qui de tribu Benjamin, & filiam Davidi de tribu Judæ dedit. vid. *Andr. Willet. comment. anglice script. in Levit. quest.* 18. *cap.* 21. *fol. m.* 531. *Frider. Spanhem. dub. Evangel. dub.* 14. *pag. m.* 98. *Daniel. Fessel. advers. bibl. part.* 2. *pag. m.* 346. *sub. num. Aron.* Urserunt olim contra Christianos *Porphyrius*, *Manichæus*, Faustus & alii, Mariam non è tribu Judæ, sed Levi fuisse, quia συγγενὴς Elisabethæ dicatur. Cum enim Elisabeth esset ex genere Aaronis sacerdotali, ideoque ex Levitica tribu, inde videri, Mariam etiam cognatam illius fuisse ex eadem tribu, non ex tribu Judæ & familia Davidis. Verum negatur consequens, quia Elisabetha ex tribu & familia Aaronis esse potuit genere paterno, & ex tribu Judæ genere materno, atque ita cognata Mariæ, non absolute, sed relate ad matrem suam. Sic statuunt *Vinarienses & Hollandici in not. ad Luc.* 1. 36. *Joh. Tarnov. Exerc. bibl. pag.* 53. *Frid. Spanhem. dub. Evangel.* 14. *part.* 1. *pag.* 71. *Guil. Esti. annot. ad Num.* 36. 7. *Luc. & Tremell. not. ad Luc. Wall. comment. in Luc. pag.* 522. *edit.* 4. Licebat enim Sacerdotibus

bus etiam ex aliis tribubus uxores ducere & filias ſuas elocare aliis, licet non contribulibus, eo quod in eo nec lex, nec cauſa legis periclitaretur, cum Sacerdotibus nullæ eſſent portiones, quæ ad hæredes transferrentur. *Levit.* 21. 13. *Andr. Willet. commentar. angl. in Levit. quæſt.* 18. *fol. m.* 68. ita etiam *Maimonid. Balduin. Willet. comment. in Luc.* 1. *pag. m.* 522. *not. bibl. Vinarienſ. ad Levit.* 21. 14. *Joh. Tarnov. d. l. pag.* 52. *Wolffgang. Frantz. de interpr. SS. p.* 34. 35. *Helvic. vind.* Loc. *V. T. pag.* 168. *Tremell. & Marlorat. annot. ad Luc.* 1. 36. *annot. in Matth.* 1. 16. *Spanhem. dub.* 14. *p.* 70. *par.* 1. Lex enim illa *Num.* 36. non longius extendenda, quam ad illas, quæ hæreditatem patris, nullo ſuperſtite fratre accipiebant. vid. *Wallæ. comment. in Luc. cap.* 1. *pag. m.* 523. *Daniel Feſſel. adverſ. bibl. part.* 2. *pag.* 346. *William. Atterfoll. commentarie upon the fourth book of Moſes cap.* 36. *fol.* 1261. Sunt tamen non pauci, qui ſtatuunt, Eliſabeth Zachariæ Sacerdotis uxorem, de tribu Levi ex ſtirpe Aaronis reſpectu utriuſque Parentis genus ſuum duxiſſe, ideoque dici, fuiſſe ex *filiabus Aaron*. Et addunt, quod vocabulum *συγγενὶς Luc.* 1. 36. de Eliſabeth non uſurpetur ſtricte, prout fit *Luc.* 1. 58. & aliis in locis, ſed late pro omnibus Judæis. *Rom.* 9. 3. *Marc.* 6. *v.* 4. Atque hoc reſpectu magna familiaritas interceſſit Mariæ cum Eliſabeth. conf. *Chemnit. harmon. Evangel. c.* 2. *Winkelman. comment. in Luc. c.* 1. *v.* 5. *p.* 11. *Flacius in Luc.* 1. *v.* 5. *Walther. harmon. bibl. in cap.* 36. *Cajetan. in Luc.* 1. *Balduni Wallæ. comment. in Luc. pag.* 522.

CAPUT TERTIUM.

De Populo Judæorum, Ephraimitarum, & Samaritarum.

1 SAlomone inde ex humanis rebus exemto tribus duæ, Juda & Benjamin, Roboam Salomonis filium regem ſequutæ regnum Judæorum conſtituerunt; aliæ decem, cum ad Jeroboam filium Nabath ex tribu Ephraim ſe contuliſſent, alterum regnum Ephraimitarum, ſive Iſrael condiderunt. Unde Hieremias VII. *Projeci omnes fratres veſtros, univerſum ſemen Ephraim*, id eſt decem tribus Iſrael, & Oſee ſæpe nominat Ephraim, & Judam pro Judæis, & Ephraimitis. Quoniam vero magna inter Judam & Benjamin conjunctio interceſſit, propterea ambæ pro una tantum tribu a ſcriptura acceptæ, atque uno Judæorum nomine nuncupatæ ſunt, ut poſtea demonſtrabitur, atque ita reſp. ad Judæos ſolos redacta eſt. Hoc divortio facto magnæ inde inter Judæos & Ephraimitas contentiones ac dira odia exarſerunt. Etenim Jeroboam decem tribus a cultu Dei ad [2] ſimulacra [3] veneranda avertit, ne populus ſuus ad Templum Hieroſolymorum quotannis ex lege conveniens aliqua ratione a ſe defectionem iniret. Quo ſcelere perpetrato [4] Levitæ urbes, quas in decem tribubus incolebant, reliquerunt, ſeque in tribum Judam & Benjamin contulerunt, atque ita ſacra ſibi a Deo commendata, viciniores templo Hieroſolymitano facti, diligentius coluerunt: quemadmodum XI. ſecundi Paralip. ſcriptum eſt. Contendere autem armis cum his ſæpe Judæi ac Galilæam regionem eorum, ex qua incolas [5] Teglatphulaſſar Aſſyriæ rex, Phacee regnante, dejecerat, atque in Aſſyriam tranſportarat, ipſi regnante Achazo ſibi vindicavere, XV. & XVI. quarti Regum. Neque ita multo poſt Ephraimitæ cæteri, qui ſe tanta impietate obſtrinxerant, Deo volente, bello ſubacti in Aſſyriam regnante Oſee a Salmanaſſare rege [6] translati ſunt.

Eorum vero vacuam regionem ſubinde homines de Babylone, Cutha, Ava, Emath, & Sepharvaim, eo traducti, expleverunt; qui cum urbem in tribu Ephraim, nomine Samariam, unde etiam regio ipſa [7] Samaria dicebatur, obtinerent, Samaritæ vocati ſunt. Hi vero cum patriam Deorum ſuperſtitionem tuentes paſſim [8] a leonibus vorarentur, edocti, id fieri, quod verum Deum Judæorum non colerent, nec legem ejus tenerent, accito ex Aſſyria permiſſu regis ſacerdote legem quidem Dei ſuſceperunt, ſed ſimul [9] cum vero Deo propriis etiam Deis cultum adhibuerunt. Quare de eis ita ſcriptum eſt XVII. quarti Regum: *Et cum Dominum colerent, diis quoque ſuis ſerviebant, juxta conſuetudinem gentium, de quibus tranſlati fuerant Samariam, uſque in præſentem diem morem ſequuntur antiquum, non timent Dominum, neque cuſtodiunt cæremonias ejus, atque judicia, & legem, & mandatum, quod præceperat Dominus filiis Jacob, quem cognominavit Iſrael, & percuſſerat cum eis pactum & mandaverat eis dicens: Nolite timere Deos alienos, & non adoretis eos, neque colatis eos & non immoletis eis, ſed Dominum Deum veſtrum, qui eduxit vos de terra Ægypti. Illi vero non audiverunt, ſed juxta conſuetudinem ſuam priſtinam perpetrabant. Fuerunt igitur gentes iſtæ timentes quidem Dominum, ſed nihilominus & idolis ſuis ſervientes, nam & filii eorum, & nepotes, ſicut fecerunt patres ſui, ita faciunt uſque in præſentem diem.*

Interjecto inde aliquot annorum intervallo Judæi quoque a Nabuchodonoſore Babyloniorum rege ſubacti, urbe Hieroſolymorum, temploque incenſo [10] in Babyloniam traducti remp. amiſerunt. Verum poſt annos LXX. Iſraelitis, ſive Ephraimitis in Aſſyria remanentibus in patriam redierunt, juxta illud Oſee primo: *Non addam ultra*

ultra misereri domui Israel, sed oblivione obliviscar eorum: & domui Juda miserebor, & salvabo eos in Domino Deo suo, ac mox Cyro rege Persarum copiam faciente, templum & urbem instaurare cœperunt. Verum, quod Judæorum in Samaritas odium stimulavit, ne tum opus perficere possent, [11] a Samaritis inhibiti sunt. Inde Dario rege Persarum rerum potiente non solum invitis illis consummaverunt, sed eos etiam Galilæam sibi in exilio ademtam reddere coegerunt, & remp. recuperare cœperunt, ut Josephus literis prodidit. Inde multis interpositis annis res ad Darium ultimum pervenit, quem Alexander Magnus devicit, quo regnante [12] Manasses frater Jaddi pontificis, cum ex lege alienigenam uxorem repudiare compelleretur, nempe Sanabalat Samaritæ, præfecti Darii regis filiam, ad socerum ipsum confugit, qui se illum pontificem effecturum promisit. Alexander autem victor mirificis Judæos honoribus extulit, [13] ac religionem eorum magnifecit. Sanabalat autem defectione ad Alexandrum inita, permissu ejus templum Hierosolymitano simile in monte Samariæ celsissimo, nomine Garizin, extruxit: atque ei Manassem ipsum generum pontificem declaratum præfecit. Hinc Samaritæ sublatis animis æquales jam se Judæis factos existimantes, progeniem se esse Joseph patris Ephraim, id est veros Ephraimitas, prædicarunt, & se pariter cum eis Dei cultores dixerunt: atque eos qui criminum aliquorum apud Judæos convicti ad se confugerent, excipere benigne consueverunt. Inde res Judæorum aliquot post annos ab Antiocho Epiphane Syriæ rege afflictæ, lex, & sacra eorum eversa sunt. Qua re animadversa Samaritæ perterriti se non Deum, sed Deos colere asseruerunt, nec se Israelitas, sed [14] Sidonios esse dixerunt, ac templum ipsum [15] Jovi Cretensi se dedicaturos esse professi sunt: atque ita præsentem armati regis iracundiam eluserunt. Ea vero tempestate perfuncti, inde ambo & Judæi, & Samaritani rursus opibus florere cœpere, ita ut armis aliquando inter se decertarent. Demum Samaritani a Joanne Hyrcano rege Judæorum subacti, & templo exuti Judæis subjecti sunt. Fuit autem illud semper [16] Judæis incommodi, quod in Galilæam provinciam suam euntes, atque inde redeuntes ferme per Samariam terram a sacris suis aversam transire cogebantur. Ad extremum autem uterque populus variis seditionibus agitatus Romanorum in potestatem concessit. Hæc ex libris Esdræ, & Josephi.

NOTÆ AD CAPUT TERTIUM.

1 *Salomone ex vita exemto.*) *Sulpitius Severus* Scriptor ille celeberrimus *lib.* 1. *c.* 72. Hoc regni schisma anno *imperii* ejus 40. *ætati* 60. a *Davide* 100. ante *Romam* conditam 250. ante *Alexandri Magni 666.* ante natum *Christum* mille fere annis contigisse vult. de qua desertione videatur *Joseph. antiquit. lib.* 8.

2 *Simulacra.*) Ter singulis annis populus adscendere debebat Hierosolymam tribus scil. illis magnis festis Exod, 23. 17. Quia autem pedibus eo proficiscebantur, & iter quibusdam nimis longum & molestum; hinc Jerobeam, ut populum eo magis magisque a cultu averteret, duo *simulacra* in duabus extremitatibus regni *Dan & Bethel* posuit, ne populus Hierosolymam religionis causa adscendens ab ipso desciseeret. Qualia autem illa fuerint, disquiritur inter doctos. *Monceus & Gaffarel* in *curiositatibus inauditis* putant, formam *Cherubinorum* habuisse, verum hanc sententiam ex asse refutavit clar. M. *Gregor. Michael in notis ad cit. autor. pag. m.* 80. edit. Hamburg. 1676. Alii vaccas seu vitulos fuisse asserunt, quod cum textu convenit, & facile ad imitationem Osiridis in Ægyto fecit. Alii in memoriam *Josephi*, qui pater erat *Ephraim* cujus filius erat Jerobeam 1. Reg. 12. 25. Qui bos dictus est, uti probat M. *Johann. Lehman* in *dissert. histor. de Serapide*, *prodiit Witteb.* 1666. §. 15. ut hac ratione ab omnibus coleretur. Qui eum ad imitationem Ægyptiorum fecisse asserunt, hanc reddunt rationem, quod *duos* posuerit, quia ab Ægyptiis duo colebantur boves alter *Memphi*, quæ erat Metropolis superioris Ægypti: alter *Heliopoli* quæ inferioris erat metropolis, ut sic acquireret sibi gratiam Ægyptiorum & auxilium ab iis expectaret, si forte bellum vel rebellio quædam vel alia necessitas id requireret. Verum probabilior sententia illorum est, qui dicunt, causam fuisse erectionis horum virulorum ut populum abduceret, ne Hierosolymam adscenderet vid. cit. *Michael. pag.* 82.

3 *Hierobeam decem tribus a cultu dei ad simulacra*) Triennio post adeptum Regnum cultus Dei perverti cœpit, cum Jerobeam duos vitulos aureos Israelitis adorandos in *Dan & Bethel* posuerit. 1. *Reg.* 12. 28. Illos vitulos Græci δαμάλεις vocant, h. e. juvencas. Ægyptii, apud quos Jeroboam diu vixerat, boves fœminas ante alia animalia colebant Isidi dicatas vid. *Kircher. Oedip. Ægypt. Selden. de Diis Syr. aliosque. Josephus antiquit. lib.* 8. duo delubra commemorat, in quibus Jerobeamus vitulos suos reposuerit. Duo ex auro capita vitulina fuerunt, ut *Franciscus Ribera* notavit. De his loquitur *Hoseas cap. X.* 5. Bethaven eam urbem dicit, quæ Bethel vocabatur, in qua nimirum erat altera vitularum, quas erexit Jerobeam Bethel. Bethaven per irrisionem vocatur ea urbs, quæ sedes Idololatriæ facta. confer. *B. Hieron. in cap.* 5. *Hos. Edwar. Simson. Chron. Cathol. fol.* 15. *part.* 3. *anno mund.* 3027. *ante Christum* 97.

4 *Levitæ urbes reliquerunt.*) Levitæ quibus competebat ministrare in templo, ubi cultus & vera religio erat, qui pii & sancti erant, horrendum hoc regiminis & Religionis schisma approbare non poterant, nec amplius fungi suo officio & ministerio in Templo Hierosolymitano. Relinquere ergo urbes suas & ad tribum Judæ, ubi tunc temporis vera religio exercebatur, confugere coacti sunt 2. *Chron.* 11. 13. *Ezech.* 14. 10. Et ita Jerobeam instituit alios sacerdotes. Cumque non posset habere ex tribu Levi, multo minus ex tribu & familia *Aaronis* ex infimis populi elegit Sacerdotes 1. *Reg.* 12.

5 *Tigalthpalasser.*) e Galilea *Tiglathpalassarem* incolas abegisse in servitutem ex scriptura patet; & cum non constet an incolas Galilææ Bethel superioris vel inferioris, & *Josephus* non determinet, asserimus, incolas superioris & inferioris *Galilææ* abduxisse eum. Hinc nonnulli putant, eum ob abductionem *Galilæorum* nomen *Tiglath* sortitum esse ut refert *Christian. Matthieri theatr. hist. p.* 57. Ex his patet, quod *Tiglathpalasser* tantum incolas abduxerit, *Salmanasser* autem totam regionem vastaverit.

Non

Non autem hic solliciti erimus an *Tiglathpalaſſer* tres tribus, *Salmanaſſer* ſeptem abduxerit, ut vult *Martin. Sanutus Torſellus. Secret. Fid. Cruc. lib.* 3. *p.* 1. *c.* 5. *pag.* 104. Qui continetur *in Tom.* 2. *Oriental. Hiſtor.* An vero quinque tribus a Tiglathpalaſſare & reliquæ quinque a Salmanaſſare abductæ ſint, ut contendit *Cornel. a Lapid.* in *lib. Reg. p.* 275. & 281. An denique duæ a Tiglathpalaſſare & octo a *Salmanaſſare*, ut *Johan. Baptiſta de Gramaye. Hiſt. Aſiat. p.* 136. ſtatuit. Sufficit nobis ſcire, quod bis facta ſit abductio, prima, tempore hoc, altera tempore *Salmanaſſaris*, qui vaſtationem omnigenam intulit regno. Cum enim ſacram ſcripturam evolvimus, apparet, Aſſyriis ſemper tributam eſſe crudelitatem ſic. 2. *Reg.* 15. 29. Tiglathpalaſſari luctuoſiſſima clades, qua affecerit Iſraelitas, dum cædibus ac ruinis graſſatus eſt, & Iſraelitarum partem in miſerrimam captivitatem adduxit. Idem *Tiglathpalaſſar* Syriam vaſtavit, Damaſcum cepit, Regemque *Rezin* oppreſſit.

6 *Tranſlati ſunt.*) Paulo poſt hanc vaſtationem *Salmanaſſer* Judæos in ſuam redegit poteſtatem & coloniis adimpletis terram funditus delevit. Hoc exinde patet, quod 2. *Reg.* 17. 3. Legitur vox עלה cum dicitur עליו עלה, quæ vox עלה quando conjungitur cum particula על ſemper hoſtilem incurſionem & belli illationem indicat, cum quis armata manu contra aliquem inſurgit, omnia vaſtat, crudeliſſime urbes diripit & incolas interficit, quam crudelitatem a *Salmanaſſare* in prima irruptione perpetratam eſſe inde patet, quod *Salmanaſſer* antequam penitus expugnaret *Iſraelitas* ac *Samariam*, crudeliter invaſit eam; & tandem in expugnatione urbis & abductione populi ſcil. decem tribuum ſævivit, quæ devaſtatio tempore *Hoſeæ* facta, ejusque regni initio, ut patet ex 2. *Reg.* 17. 3. Verum enim vero diſputatur, ubinam X. Iſtæ tribus remanſerint? Et variæ opiniones adducuntur. Audiamus cl. *Johann. Henric. Hottinger. in Exercitat. Anti Morinian. de Pentateuch. pag. m.* 7. ita differentem: Sed etiam paulo poſt rege pariter & grege decem tribuum regni Iſraelitici cujus Metropolis erat *Samaria*, a Deo turpiter deficiente, *Salmanaſſar* Aſſyriæ rex magnis copiis ipſam Samariam obſidione cinxiſſet, atque ex ea ſubjugata incolas in captivitatem abduxiſſet. Sed quorſum! Judæi fabulantur eos eſſe in regione longe diſſita, ultra fluvium, quem vocant ſabbaticum: in *Thiſbite* voce סבטיון cujus deſcriptionem reperies apud ſcriptores, tum Chriſtianos *Buxtorff. in Lexic. Chald. Talm. Rabbin.* R. סבט *Nicol. Fuller. Miſcell. Theol. lib.* 1. *c.* 9. *Paul. Fag. Paraphr. Chald. Deut. c.* 30. *Petr. Galat. lib. de arcan. Cath. Verit.* 11. *c.* 9. *Frider. Spanhem. dub. Evangel. p.* 3. *pag.* 580. *Francis. Jun. comm. in lib.* 4. *Eſd. c.* 13. 40. *Conſtantin. L'Empereur not. ad itinerar. R. Benjamin p.* 206. *Tum Judæos in Targ. Hier. Exod.* 34. *in Talm. Cod. Sanhed. Gemar. p.* 275. *Ex edit. Coch. R. Salom. Jarchi Comment. in cap. Eſ.* 27. conf. *Joh. Henric. Otthon. Lexic. Philol. pag. m.* 532. Ubi plurima. Dicunt hunc fluvium multos tota die hebdomad. ejicere lapides, die autem Sabbathi quieſcere: hinc neminem ad eam projectionem lapidum accedere poſſe: die autem Sabbati ipſis non licere iter facere, ibi adhuc Judæos ſuum habere regem & imperium, adeoque Meſſiam nondum veniſse volunt, ſed fruſtra. De hoc fluvio vid. *Joſeph. de bello Judaic. lib.* 7. *c.* 13. Alii partem ipſorum in Tartaria diſperſam eſſe putant, quod ibi omnibus retro ſeculis circumciſio aliique ritus Judæorum obſervati ſint, & ipſorum quoque lingua multa habeat communia cum lingua Hebræa. Alii eos in *Æthiopiam* deductos eſſe volunt, quia *Æthiopes* a multis ſeculis circumciſi fuerant, ut & *Arabes* partim; ſed incertum quo loco manſerint. *R. Manaſſe Ben Iſrael* qui ſcripſit ſpem Iſraelis, putat multos deductos eſſe in *Americam*, eos ibi habere Rempubl. indeque ſurgendum eſſe Meſſiam, quia ea primum detecta Hiſpanos obſervaſſe dicit eorum ſermonem fere eſſe Hebræum, eoſque circumciſionem varioſque alios ritus adhibuiſſe aſſerit; ſed quod multi populi varios ritus adeoque circumciſionem obſervaverint non mirum alicui videri poteſt nec debet, cum *Judæi* multi diſperſi per totum regnum Græcorum vixerint: quia etiam *ab Abrahamo & Joſepho*, qui in Ægypto habitabant, ritus hoſce accipere potuerint. Q. quid factum de tota terra? R. Multi ex gentilibus adducti ſunt 2. *Reg.* 17. 24. 2. Vix enim credibile eſt omnes & ſingulos eſſe translatos ut plane nulli remanſerint. Quamvis enim magnates & honoratiores ex populo tranſlati ſint, ex infima tamen ſorte populi nonnulli remanere potuerunt. Unde & tempore Chriſti ſæpius mentio fit XII. tribuum. Et Judæi ſemper amabant mercaturam & lucra; hinc peregrinabantur per totam terram adeo ut tempore Alexandri Magni in omnibus fere locis regni ſui Judæi ſint reperti, quamvis tamen totum eorum imperium ſit ablatum.

7 *Samaria.*) *Iſiodorus Samariam* deducit a voce שמר cuſtodivit, propterea, quod cum a *Salmanaſſare* reædificata eſſet, vigiliæ atque excubiæ ibi agerentur, poſitique cuſtodes eſſent, ne populus rediret. Verum certius deducitur a monte *Jemer*, ſub quo exſtructa fuit. Illi, qui deducto Iſraelitarum populo huic terræ ad colendum immiſſi ſunt *Samaritani* dicti. Verum quia nulla eos veri cultus divini cura tangebat, graviſſime afflixit eos Deus, leones feroces immiſit cum incolarum damno: Hinc ad mala iſta averruncanda Sacerdotem legis & rituum Patriæ peritum dari ſibi efflagitarunt quem etiam tandem precibus ab *Aſſyriæ* rege obtinuerunt. Videatur de his *Hottinger. Theſaur. Philol. lib.* 1. *c.* 1. *ſect.* 6. *pag. m.* 45. *Lightfoot diſquiſ. Chorograph. Joann. præmiſ. pag. m.* 434. Qui autem fuerint iſti Doctores varie inter Judæos diſquiritur, uti refert cl. *Hottinger. in Exercit. Anti-Morinian. pag.* 8. Hac occaſione prodiit Pentateuchus Samaritanus; cum autem hic variis erroribus refertus, parum aut nihil ab Idololatria aberant. vid. *Joh. Lightfoot Hor. Talmud. in Evangel. Matth. pag. m.* 328. *edit. Lipſ. Joh. Henric. Otho Lexic. Philol. pag.* 381. Cum neſcirent, quid adorarent. Hinc Judæi *Samaritanos*, quamvis illi non plane Ethnici fuerint, vid. *Centur. Chorograph. Matth. præmiſſ. pag.* 8. *Lightfoot. Et. pag.* 104. ubi fuſe de his agitur, attamen non majoris ſaltem pretii æſtimati ſunt ac integri & abſoluti Ethnici. *Hieroſ. Schekal. fol.* 46. 2. Et ex eo & aliis *Otho* in *Lexic. Phil. pag.* 582. Tanto itaque odio Judæi proſecuti ſunt Samaritanos, ut Judæo non fas fuerit cum Samaritano edere aut bibere *Joh.* 6. Dicere etiam aliquem Samaritanum peſſimo nomine vocabatur i. e. peſſimus nebulonum erat. *Joh.* 8. 48. Odii autem hujus cauſæ fuerunt, quod Samaritani judæorum rebus florentibus fratres ſeſe judæorum dicerent, rebus autem adverſis ſibi quicquam cum Judæis commune eſſe negabant. *Joſeph. antiq. lib.* 2.

8 *a Leonibus.*) Pro leonibus tamen *Joſephus lib.* 9. *Antiquit. c.* 14. *peſtem* habet, quæ inſtar *Leonis* omnes devoraverit: Chronici Samaritici author *ſterilitatem*, frugumque corruptionem immiſſam vult. Verum textui ſcripturæ repugnat, cum expreſſis verbis leonum fit mentio. Mirum itaque, quid Joſephum moverit, ut pro *leonibus* peſtem ſcriberet *lib. cit.* Ubi hanc ipſam hiſtoriam narrans inquit: *Peſtis ipſos invaſit, qua afflicti cum nullum malorum levamen excogitarent.* Et paulo poſt, *& a peſte ſtatim liberati ſunt.* Forſitan hæc Joſephus hauſit ex aliquo Judæorum hiſtorico, qui leonum in Samaritanos incurſum peſtem metaphorice vocaverit. Conſtat enim e ſcriptura ſacra Deum propter neglectum Numinis ſui cultum *Cuthæos* hac clade afflixiſſe. Cum enim in locum Iſraelitarum a *Salmanaſſare* abductorum e Babylonia in Judæam traducti fuiſſent, & in terra, quam ſpeciali jure Deus cultui ſuo conſecraverat, idola ſua colere pergerent, leones ſuſcitavit Deus, qui novos iſtos incolas miſere divexarent. A qua calamitate liberari non potuerunt, antequam unum e captivis Sacerdotibus eo remiſiſſet *Salmanaſſar*, a quo veri Dei colendi ritum utcunque edocerentur. In Capitulis *R. Eliezer cap.* 38. Res narratur, cujus verba Hebraica licet prolixa ſint, huc adſcribemus כשגלו ישראל ממקומן שומרון שלח המלך את עבדיו והושיב אותם שומרון להעלות מס למלכות מה עשה הקב"ה הישלח בו את האריות והיו הורגין בהבכסנא ויהי ונו' שלחו ואמרו למלך בבל אד וני מלך הארץ ששלחתני עליה אינה מקבלת אותנו כי כפארנו מעם מהרבה.

9 *Cum vero Deo propriis etiam Deis.*) Audiverunt quidem legem a Sacerdote, ſed nulla ejus habita ratione ſuos ſinguli ſculpſerunt & coluerunt deos, *Babylonii Succoth-Benoth*, *Cuthæi Nergalem*, *Chamatæi Aſchimam*, alii alios. De quibus videatur Johann. *Selden. in lib. de diis Syris.* conf. *Henric. Wegenhorſt. tract. de vero, veri Dei cultu & adoratione.*

Edit. Kilon. 1671. *Kircher Oedip. Ægypt.* Unde cum utrumque & divinum & idololatricum, inepte ac profane conjungerent cultum *ἄμικτα μιγνύειν Chrysost.* in *Joh. c.* 4. Dicuntur, uti testatur *Daniel Heins.* in *Aristarch. fol.* 881. Hinc R. *Levi* ad *caput.* 17. *l.* 2. *Reg.* 5. 31. Ad eundem fere sensum ait: *Verisimiliter statuo* [vertit cl. *Hottinger.*] *quod non auscultaverint gentes istæ voci Sacerdotis, sed equitaverint inter duas religiones, indeque manifestum est, quod non timuerint Deum. Si enim Deum timuissent, utique non cultum idololatricum exercuissent. Propterea etiam non reputantur Proselyti veri, quia Proselyti veri sunt eodem loco cum Israelitis, illi autem non in se receperunt præstare legem nisi cum additamento cultus deorum suorum.* Ex his constat, quod Samaritani diu vixerint ut neque falsæ in solidum addicti Religioni, neque etiam puram amplectentes toto corde; sed cum veri Dei cultu crassissimam conjunxerint idololatriam, conf. Hotting. Exercit. anti-Mor. pag. 14. seq. Cum Israelitæ e loco suo captivi abducti sunt, misit Rex Salmanasser servos suos, qui Samariæ habitarent, & tributum ei penderent. Quid fecit Deus sanctus benedictus? Immisit in illos leones, qui eos interfecerunt, ut habetur 2. Reg. 17. 25. Et fuit &c. *Tum illi miserunt, qui dicerent Regi Babyloniæ, Domine Rex noster, terra ista, in quam nos misisti, non recepit nos.* Pauci enim ex magno numero relicti sumus. Rex autem misit & convocavit omnes Seniores Israelis & dixit illis.

[10] *In Babyloniam.*) Hi tamen post annos LXXII. redierunt, *Ephraimitæ* vero nunquam redierunt. Fuerunt autem quatuor quasi captivitates seu deductiones Babylon. 1. tertio imperii *Joackim*. 2. Undecimo anno Joakim *Ezech.* 40. 2. *Reg.* 24. & 25. 3. Hierosolyma capta rege *Zedekia.* 2. *Chron.* 36. 4. Cum reliqui omnes abducti sunt *Jerem.* 52. 31.

[11] *a Samaritanis inhibiti.*] Judæi sub *Esdra* & *Nehemia* ex diuturna captivitate Babylonica reduces templum restaurare, sacra divina restituere conati sunt, approbantibus id Persarum decretis. Tunc enim teste Scriptura sacra & *Josepho lib. 9. antiq. c. ult. Cuthæi*, nam hac appellatione vocantur Samaritani, restaurationem templi a *Cyro* prius, postea a *Dario* concessam, ægerrime tulerunt; patet hoc ex anathemate, quo post tragædiam hanc percusserunt Judæi Samaritanos, descripto vitiose a *Morino exerc. 1. p.* 17. Recte vero a *cl. Buxtorff. de liter. Hebr. Th.* 49. & Satrapis Syriæ, ut ædificium templi ceptum sufflaminarent, vel penitus cohiberent variis rationibus suaserunt.

[12] *Manasse.*) Cum multi ob matrimonium contractum in Samaritanorum castra transfugarum instar & Apostatarum transirent, connubiorum commercia sub excommunicationis & ejectionis pœna prohibebantur. Inter hos etiam continebatur *Manasses* Pontificis *Jaddi* frater, is duxerat in matrimonium uxorem gentilem contra legem. Ergo vel pontificatum vel uxorem deserere debebat, uxorem autem dimittere nolens & desiderans Pontificatum, confugit ad socerum, a quo electus est Pontifex Samaritanorum. Hacque occasione templum *Ceutim* seu Samaritanum ædificatum est, *Joseph. lib.* 11. 8. *Gemar. Jom. c.* 8.

[13] *Judæos honoribus extulit.*) Jaddus Alexandro Judæis vehementer irato, quod requisiti, opem, commeatum, tributa Persis pendi solita denegassent; Darii amicitiam prætulissent, & jam infestis signis Jerosolymam petenti, processit obviam infulatus, una cum Sacerdotibus & populo candidato; Id agmen e longinquo videns Alexander religione tactus Pontificem adiit venerabundus, Deique nomen in tiara scriptum adoravit. Stupentibus ad rei novitatem comitibus, professus est, cum se honorem exhibuisse, quod in Dio Macedoniæ urbe hoc ipso habitu videndum se illi præbuerat & ad Persicam expeditionem hortans victoriam promiserat. vid. *Joseph. lib. 11. antiq. c.* 8. Dicunt *Talmudici* occursum Alexandri M. atque Simeonis justi fuisse Antipatride. *Babylon Joma. fol.* 69. 1. Orarunt *Cuthæi Alexandrum M.* ut destrueret templum. Venerunt quidam, atque rem patefecerunt Simoni justo. Quid ergo ille? Induit vestes Pontificias & velavit se velamine Pontificio & processerunt illi hinc atque isti illinc per totam noctem usque prodiret aurora. Cum luceret aurora dixit Alexander suis, quinam isti? Judæi, inquiunt, qui in te rebellarunt. Cum perventum esset Antipatrida ortus est Sol & ab his occursum est. Cum vidisset Alexander descendens e curru adoravit eum. Hanc historiam referens iisdem utitur verbis excepto nomine Simeonis. confer. *B. Gerhard. Harmon. Evangel. cap. CXCIII. fol. m.* 1896. *lin.* 2. *Alting. in orat. de Republ. Hebr. pag.* 287. *M. Ernest. Christoph. Pilips dissert. de Sacerdot. Majest.* §. 10. *Sabell. Ennead.* 4. *l.* 4. *Fulgosus l.* 1. *c.* 3. *Morneus de Verit. Relig. Christ. cap. XXI. Dieter. antiquit. bibl. fol.* 261. *ad Deut. XII.*

[14] *Sidonios.*) De his videatur fuse agens *cl. Bochart. Phaleg. lib. 4. c. 34. pag. m. 342. seq. edit. Francof.*

[15] *Jovi Cretensi.*] Hujus meminerunt *Minut. Felix in Octav. pag. m. 213. edit. Lug. Batav.* 1672. *Meurs. in doct. tract. de Creta. Callimach. Hym. in Jov. Serv. lib. 7. Æneid. Chrysost. in epist. Paul. ad Tit. c. 1. Hor. 3. Lucian de sacrif. fol. 74. Arnob. lib. 4. p.* 85.

[16] *Judæis incommodi.*) Erat Samaria inter Hierosol. & reliquas partes Judæ; adeoque qui adscendere volebant Hierosolyma necessario per *Samariam* ire debebant, atque tunc eorum pedes polluebantur: Hinc pulverem iniquum excutere debebant, seque mundare, antequam ad sacra peragenda sese accingerent. Docuerunt enim Rabbinorum Scholæ pulverem terræ Ethnicæ ex contactu inquinare, itaque maxime sibi cavent Judæi, ne etiam aliquid de pulvere terræ Ethnicæ apportetur cum oleribus. Vid. doctiss. *Joh. Lightfoot. hor. Talm. in Evang. Matth. cap. 10. p. m.* 331. 332.

CAPUT QUARTUM.

De lege Israelitis a Deo data.

EXpositis iis quæ ad populi, de quo acturi sumus, notitiam pertinebant, redeo ad legem huic populo a Deo latam, quæ rempublicam a nobis describendam continuit. Hæc igitur lex per Moysem a Deo data duo præcipue capita est complexa, vitam religiosam, & disciplinam civilem. Quarum ratio duobus potissimum jussis est comprehensa, cultu Dei, & charitate proximi, unde illud: *Diliges Deum tuum ex toto corde tuo, & proximum tuum, sicut teipsum.* Ea vero dilatata ad decem numerum pervenerunt: quorum [1] tria Deum attigerunt; ut unus Deus coleretur, ne in vanum nomen ejus appellaretur, & ut honos sabbathis haberetur, quod eo die ipse ab opere quievisset, sæpe autem hęc repetita sunt: *Nolite timere Deos alienos, & non adoretis eos & non immoletis eis, sed Dominum Deum vestrum, qui eduxit vos de terra Ægypti.* Septem vero proximum spectarunt, ut parentes honorarentur, ne cędes, furtum, atque adulterium fieret, ne falsum testimonium diceretur, neque uxor, neque res alterius cuperetur. Atque ea duabus lapideis tabulis sunt incisa. Hęc vero

decem

decem latius inde atque uberius explicata [2] ad quatuor tantum juſſa redacta ſunt : quorum duo Mandata & Præcepta, duo Juſtificationes & Judicia nominata ſunt, atque ut priora Deum, ſic poſteriora proximum attigerunt, multiſque partibus ſingula conſtiterunt. De quibus poſtea, & quid ſingula fuerint, & unde originem traxerint, dicam, ſi prius loca aliquot legis, in qua hæ voces, tanquam præcipuæ ejus partes, repetitæ ſunt, proferam, nam in hoc maxime & legis, & reip. hujus ratio continetur. Exodi xv. *Conſtituit Deus præcepta ac judicia, dicens : Si audieris vocem Dei tui, & obedieris mandatis ejus, cuſtodieriſque omnia præcepta ejus. XXI. Facite præcepta mea, & judicia cuſtodite. XXVI. Si in præceptis meis ambulaveritis, & mandata mea cuſtodieritis.* Et in extremo: *Hæc ſunt judicia, atque præcepta, & leges, quas dedit Dominus inter ſe & filios Iſrael in monte Sinai per manum Moyſi*. Inde in fine Numerorum: *Hæc ſunt mandata, atque Judicia, quæ mandavit Dominus per manum Moyſi ad filios Iſrael in campeſtribus Moab.* Quare Moyſes quarto Deuteronomii repetivit: *Mandavit mihi Dominus, ut docerem vos juſtificationes, & judicia.* Item: *Scitis, quod ego docuerim vos præcepta, atque juſtitiam, ſicut mandavit mihi Dominus Deus*. Poſtremo concludens: *Hæc eſt lex, quam propoſuit Moyſes coram filiis Iſrael, & hæc teſtimonia, & juſtificationes, atque judicia, quæ loquutus eſt ad filios Iſrael.* Et VI. *Hæc ſunt præcepta, juſtificationes, atque judicia, quæ mandavit Deus noſter, ut docerem vos*. Atque hæc quidem in Lege ita uſurpata ſunt. Inde vero qui poſt conſequuti ſunt, eodem etiam modo legem ſequentes loquuti ſunt, ut Joſue XXIV. *Propoſuit populo præcepta, & judicia.* Et ſecundo tertii Regum dixit David ad Salomonem: *Fac, ut cuſtodias Dei mandata, & juſtificationes, & judicia, & teſtimonia ſicut ſcriptum eſt in lege Moyſi.* Et XVII. quarti: *Cuſtodite præcepta, & juſtificationes, & omnem legem, quam mandavit nobis Deus*. Et XIX. ſecundi Paralip. *Joſaphat conſtituit judices ſacerdotes, qui judicarent lites de mandato, cæremoniis, juſtificationibus, & judiciis.* Et XXIV. *Percuſſit Joſias rex fœdus coram Domino, ut ambularet poſt eum, & cuſtodiret præcepta, & teſtimonia, & juſtificationes ejus in toto corde ſuo*. Jam vero David in Pſalmo CXVIII. repetit ſæpe, ſe obſervaſſe, aut præteriiſſe, aut doceri cupere, quæ in lege continentur, nempe mandata, præcepta, juſtificationes, judicia, & teſtimonia Dei, ut cum ait: *Tu mandaſti mandata omnia cuſtodiri nimis. Utinam dirigantur viæ meæ ad cuſtodiendas juſtificationes tuas. In via teſtimoniorum tuorum delectatus ſum. In juſtificationibus tuis meditabor. Teſtimonia tua meditatio mea eſt : & conſilium meum juſtificationes tuæ. Viam juſtificationum tuarum inſtrue me.* Et pſalmo XVII. *Quoniam omnia judicia ejus in conſpectu meo, & juſtitias ejus non repuli a me*, & CIV. *Ut cuſtodiant juſtificationes ejus, & legem ejus requirant*, & CXLVII. *Qui annuntiat verbum ſuum Jacob juſtitias, & judicia ſua Iſrael*, & Nehemiæ decimo: *Jurarunt, ut ambularent in lege Dei, ut facerent, & cuſtodirent univerſa mandata Domini Dei noſtri, & judicia ejus, & juſtificationes ejus*, & Ezechielis XLIV. *Juſtificationes meas juſtificabunt, & judicia mea judicabunt, & leges meas, & præcepta mea in omnibus diebus feſtis meis cuſtodient*.

Hæc ex pluribus Teſtamenti veteris locis pauca protuliſſe, ſufficiat. Nunc venio ad ſingularum harum vocum explicationem. Mandata, quæ Græcus interpres ἐντολὰς [3] vertit, verba fuiſſe videntur, quibus Deus juſſit, aut prohibuit aliquid fieri, quod præcipue ſe ipſum attingeret. Præcepta, quæ ille προστάγματα [4] vertit, quibus rationem, qua id fieret, ordinavit, nam in illa voce πρόσταγμα ordinatio quædam inſita eſt, unde pro ea aliquando Latinus interpres cæremonias edidit, neque enim ſolum juſſit Deus, ut ſe ſupra omnia colerent, ſed etiam ſui colendi ritum demonſtravit, nempe cum de tabernaculo, ſacrificiis, diebus feſtis, ſacerdotibus, & eorum officiis tradidit, atque hæc quidem duo ad Deum relata ſunt, Juſtificationes vero & Judicia ad proximum. Juſtificationes enim, quas Græci δικαιώματα [5] vertunt, juſſa fuerunt, quibus Deus docuit, quomodo de proximo ad abſolutionem judicare, & quos innocentes ac juſtos habere, & pronuntiare deberemus; juxta illud Pſalmi VII. *Judica me Domine ſecundum juſtitiam meam, & ſecundum innocentiam meam ſuper me*. Neque vero hæc [6] cœleſtis illa juſtificatio eſt, de qua poſt in Evangelio diſſeretur, ſed judicialis, atque terrena. Id ita eſſe probatur ex ipſo verbo δικαιῶ, quod iidem in ſacris literis uſurpavere pro juſtifico, id eſt [7] juſtum innocentemque pronuntio; ut Exodi XXIII. in ipſamet lege, ubi de Juſtificationibus agitur: *Non juſtificabis impium*, id eſt non abſolves, Græce οὐ δικαιώσεις. Unde Iſaias: *Væ, qui juſtificatis impium pro muneribus*. Et Levitici ſecundo: *Æquum judicium ſit civi, & advenæ :* Græce δικαιώσεις μία, id eſt pariter abſolve peregrinum, ac civem. Et Deuteronomii XXV. *Si fuerit controverſia inter homines, & ad judicandum venerint, & juſtificaverint juſtum, & condemnaverint impium*: Græce δικαιώσουσι, & Proverb. XVII. *Qui juſtificat impium, & con-*

& condemnat justum, abominabilis est uterque apud Deum. Et apud S. Matthæum XII. *Ex verbis tuis justificaberis, & in verbis tuis condemnaberis*. Judicia porro jussa fuerunt, quibus Deus ostendit, quemadmodum condemnationis sententiam ferre, & quos sontes, & injustos habere, ac pronuntiare oporteret, etenim [8] κρίνειν, id est judicare, usurparunt pro condemnare; ut XV. Genesis: *Gentem cui servituri sunt, ego judicabo*, & secundo Paralip. XXXVI. *Ammonitæ nos nituntur ejicere de possessione, quam tradidisti nobis Domine Deus noster, ergo non judicabis eos?* id est non condemnabis. S. Matthæus VI. *Nolite judicare, & non judicabimini*. S. Joannes quarto: *Non veni, ut judicem mundum, sed ut salvum faciam*, & VII. *Nunquid lex nostra judicat, nisi prius audierit ab ipso, & cognoverit, quid egerit?* Judicii porro in lege præscripti hoc sit exemplum: *Nocturnum furem occidito*: justificationis, *Diurnum dimittito*, item judicii, *Qui imprudens hominem occiderit, capite pœnas luet*: justificationis, *Qui imprudens, rite exul erit*. Testimonia vero, quorum sæpe supra est facta commemoratio, fuere verba, quibus Deus ipse testatus est, se eos, qui mandata, præcepta, justificationes, & judicia a se in lege tradita custodissent, bonis variis, sed ad hanc vitam spectantibus affecturum; qui vero secus, malis. Unde dixit Hieremias IX. *Non attendunt mandata tua, & testimonia tua, quæ testificatus es in eis*, & quarto Regum, XVII. *Abjecerunt legitima Dei, & pactum, quod pegigit cum patribus eorum, & testificationes, quibus contestatus est eos*. Eorum vero hoc sit exemplum, Exodi XIX. *Si audieritis vocem meam, & custodieritis pactum meum, eritis mihi in peculium de cunctis populis, mea enim est omnis terra, & vos eritis mihi in regnum sacerdotale, & gens sancta*. Et Deuteronomii XI. *Si custodieritis mandata mea, quæ ego præcipio vobis, & feceritis ea, ut diligatis Dominum Deum nostrum, & ambuletis in viis ejus adhærentes ei, disperdet Dominus gentes istas ante faciem vestram, & possidebitis eas, quæ majores & fortiotiores vobis sunt*. Inde multa alia bona pollicetur, & mala comminatur, quas vocat benedictiones, & maledictiones. In Evangelio porro eædem etiam voces eodem modo usurpatæ sunt a S. Luca capite primo: *Erant justi ambo ante Deum, incedentes in omnibus mandatis & justificationibus Domini sine querela*. Quippe significat, Zachariam & uxorem custodisse legem Domini, quoniam partes ejus quas præcipue coluerunt, Mandata, & Justificationes: quorum illa Deum, hæc proximum attingunt. Ac de summa quidem legis hæc dicta sint, quæ ita præponere libuit, quoniam ex his quatuor vocibus, tanquam ex summa legis, universa hæc nostra de rep. disputatio deducetur, redeo ad legis historiam.

Hæc igitur lex primum [9] duabus lapideis tabulis a Deo, deinde volumini scripto [10] a Moyse consignata est. Jussit autem Deus, ut secunda legislatio [11] a regibus legeretur, & cognosceretur, item a pontifice in solennitate Tabernaculorum populo traderetur. De primo scriptum est Deuteronomii XVII. *Rex postquam sederit in solio regni sui, describet Deuteronomium legis hujus in volumine accipiens exemplar a sacerdotibus Leviticæ tribus, & habebit secum, legetque illud omnibus diebus vitæ suæ, ut discat timere Dominum Deum suum, & custodire verba, & justificationes ejus, quæ in lege præcepta sunt*. De secundo XXXI. *Post septem annos anno Remissionis, in solemnitate Tabernaculorum, convenientibus cunctis ex Israel in loco quem elegerit Dominus, leges verba legis hujus coram omni Israel, audientibus eis, ut audientes discant, & timeant Dominum, & custodiant, impleantque omnes sermones legis hujus*. Profectis ergo Israelitis in Chananæam diu in hoc instituto perseveratum est. Inde sub regibus ejus obliterata memoria est. Quod cum Josaphat rex Judæ cognovisset, ut erat summa pietate ornatus, *misit de principibus, qui docerent in civitatibus Juda, & erudiebant populum*, ut XVII. secundi Paralipomenon scriptum est. Deinde vero res eo aut malitiæ, aut negligentiæ venit, ut volumen etiam legis scriptum e memoria Judæorum exciderit. Tum casu inventum in templo, dum instaurabatur, ab Helcia pontifice ad Josiam regem delatum est. Quod ut ille legit, *subito descissis vestibus dixit*: *Magna ira Domini accensa est adversus nos, quia non audierunt patres nostri verba libri hujus, ut facerent omne quod scriptum est nobis*. Unde librum populo recitari jussit, & se observaturum spopondit, sic enim XXIII. quarti Regum: *Percussit, fœdus coram Domino, ut ambularent post Dominum, & custodirent præcepta ejus, & testimonia, & justificationes in omni corde, & in tota anima sua, & suscitarent verba fœderis hujus, quæ scripta erant in libro illo, acquievitque populus pacto*. Inde paucis interjectis annis cum Judęi in Babyloniam traducerentur, Legis quoque volumen [12] evanuit. Reversis autem illis in patriam, Esdras scriba, & sacerdos eam aut amissam restituit, aut corruptam emendavit eo modo, quo nunc habemus. Unde ipse scripsit: *Esdra paravit cor suum, ut investigaret legem Domini, & faceret, & doceret in Israel præceptum, & Judicium*. Atque ab illo scribę, id est legis doctores, in rep. dimanarunt, ut postea ostendetur.

Hi

Hi deinde libri jussu Ptolomęi Philadelphi regis Ægypti per LXX. [13] interpretes Gręce conversi sunt. Post aliquot inde annos Antiochus Epiphanes, rex Syrię, coegit eos a lege hac Dei deficere, [14] & legem ipsam comburere. Locus est in principio Maccabęorum: *Scripsit omni regno suo, ut esset omnis populus unus, & relinqueret unusquisque legem suam, & multi ex Israel consenserunt servituti ejus, & sacrificaverunt idolis, coinquinaverunt sabbatum. Et misit rex libros per manum nuntiorum in Hierusalem, & in omnes civitates Judæ, ut sequerentur leges gentium terræ, & prohiberent holocausta, & sacrificia, & placationes fieri in templo Dei, & prohiberent celebrari sabbatum, & dies solennes, & jussit coinquinari sancta, & sanctum populum Israel: & jussit ædificari aras, & templa, & idola, & immolari carnes suillas, & pecora communia, & relinquere filios suos incircuncisos, & coinquinari animas eorum in omnibus immunditiis & abominationibus, ita ut oblivviscerentur legem, & immutarent omnes justificationes Dei; & quicunque non fecissent secundum verbum regis Antiochi, morerentur.* Et paulo post: *Per universas civitates Judæ in circuitu ædificaverunt aras, & ante januas domorum, & in plateis incendebant thura, & sacrificabant. Et libros legis Dei combusserunt igni, scindentes eos, & apud quencunque inveniebantur libri testamenti Domini, & quicunque observabant legem Domini, secundum edictum regis trucidabant eum.* Hoc malo paullo ultra biennium Judęa misere laboravit. Successit enim mox Judas Maccabęus, qui recepta urbe & legem & legis disciplinam in statum pristinum revocavit. Assamonęis inde posteris ejus regnantibus multę subinde hęreses emersere, ut Scribarum, Sadducęorum, & Pharisęorum. Qui ferme scribę, id est legis doctores fuerunt, qui legem varie interpretantes populum vanis erroribus imbuerunt. Quos subinde excepit Christus, qui prędicatione sua cum veritatem docuit, tum in primis inanem eorum doctrinam elusit, ac novam legem intulit, novoque testamento sedes hominibus se non in Chananæa, sed in cœlo daturum, qui vocibus suis paruissent, ostendit, denuntians, se venisse, non ut legem solveret, sed adimpleret. Recte. Nam cum lex exempli gratia homicidium vetuisset, ipse non solum occidere, sed etiam succensere fratri prohibuit: cum lex adulterium sustulisset, ipse non modo adulterium, sed etiam petulantem mulieris intuitum interdixit, adjiciens: *Nisi justitia vestra abundaverit plus quam justitia Pharisæorum, aut Scribarum, non intrabitis in regnum cœlorum.* Ac de lege quidem, quod ad propositum nostrum attinet, in universum hæc dicta sint.

NOTÆ AD CAPUT QUARTUM.

[1] *Tria.*) Culpat D. *Braun* vir alias celeberrimus in dictatis ad *Sigonium* Ms. & asserit, quod Autor noster male statuat & distinguat tabulas legis, prout primæ tribuat tria, secundæ septem præcepta. Dein ad *Lutheranos* & *Rom. Catholicos* se confert criminis illos accusans, quod male & absque fundamento hoc faciant, his rationibus 1. quod aliud sit primum præceptum: aliud secundum; in primo doceatur, quis sit colendus scil. verus Deus: in secundo vero præscribatur modus, quo sit colendus scil. non per imagines 2. quia aliquis peccare potest contra primum qui non peccet contra secundum, & contra secundum, qui non peccet contra primum & quæ alia sunt. Verum quis non videt, præceptum de *sculptilibus* non peculiare præceptum, sed explicationem primi præcepti esse. Nam qui Deum vere colit & timet, ille non sculptilia erigit, multo minus adorat, sed sibi cavet ab eis. Nec procedit illud, qui peccat contra primum, non peccat contra secundum, quia, qui unum transgreditur præceptum, omnia transgressus præcepta. Et qui ita præcepta dividunt, *primæ* tantum *tria*, secundæ *septem* præcepta tribuunt, præceptum de non concupiscenda domo habentes pro nono; de uxore vero, pro decimo. Quæ distinctio communi suffragio Ecclesiæ recepta & observata fuit. conf. *Dieter. instit. Catechet.* aliosque. *pag.* 78. Ita etiam erudite *Henry Ainsworth in cap.* 20. *Exod. fol.* 71. differit. Sunt quidam, inquit, qui secundum a primo distinctum putant præceptum; attamen etiam sunt, qui partem tantummodo primi præcepti arbitrantur. *Augustinus* in una tabula tantum *tria* præcepta fuisse statuit, eo, quod ordinant hominem ad Deum, in altera autem septem, quæ ordinantur ad proximum. Præterea *Hebræorum* sententia est, quamlibet tabulam *quinque* habuisse præcepta. *Bechai fol.* 94. *col.* 1. Ast, quia locus prolixior, Latina tantum verba proferemus: *Hujus rei causa fuerunt duæ tabulæ; quinque præcepta opposita quinque; tabula una respectu proprietatis misericordiæ, & tabula altera respectu proprietatis judicii, hæc continet itidem quinque præcepta negativa. Primum eorum est:* Non occides, conf. *R. Salom. Jarchi ad cap.* 6. *vers.* 5. *Cantic. Cantic.* His non tantum adstipulatur *Joseph. lib.* 3. *antiq. cap.* 4. Verum etiam *Philo Jud.* Bene itaque observandum Hæbræos in secandis decem præceptis inter sese diffidere. *R. Maimon. part.* 2. *c.* 33. *More Nevoch.* & *Comment. in Exod. R. Aben Ezra in cap.* 20. *Exod. R. Bechai* aliique hæc verba אנכי יהוה אלהיך. *Ego sum Dominus Deus tuus* primum præceptum constituunt. *R. Abarbanel* contra לא יהיה אלהים אחרים. *Non sint tibi dii alieni pro primo*: ista vero אנכי יהוה אלהיך pro præfatione præceptorum habet, minimeque præcepti vicem explere. *R. Aben Ezra* refert quosdam, *non sint tibi dii alieni primum, &, non facies sculptile, secundum fecisse.* His respondet, duo præcepta ejusdem esse argumenti, proinde non separanda, sed potius conjungenda & pro uno habenda. Addit quosdam sensisse, hæc, non concupisces domum proximi tui, noni; ista, non concupisces uxorem proximi tui, decimi præcepti numerum explere, ex hac ratione, quod Deus iterata vice dicat, non concupisces. Proinde in uno concupiscentiam, quæ in actum deducitur, in altero tantum concupiscentiam cordis damnari: vid. differt. *M. Christian. Walther diss. Philol. de duabus tabulis lapideis. edit. Reg. montan.* §. 13.

[2] *Ad quatuor.*) Mirifica hæc est distinctio. In toto decalogo unam habemus legem moralem quæ præcepta continet erga Deum & proximum. E. si autor referat hanc distinctionem ad legem tantum moralem, nulla apparet ratio, qua probari possit. Si vero per mandata intelligat primam tabulam, per justificationes autem secundam tabulam, per præcepta legem ceremonialem, per judicia autem legem forensem, aliquo modo potest concedi. Judæi colligunt esse in universum præcepta 611. alii 613. alii 615.

615. volunt. David redegit legem moralem præcipue ad 11. Præcepta Psam. 15. *Esaias* ad *6.* c. 33. 15. Mich. ad 3. c. 3. 6. 8. Esaias iterum ad duo. *c.* 56. Habacuk ad unum *c.* 2. 4.

[3] Ἐντολὴ.) est ea species legis quæ moralis vocatur, qua definitur, quid Deo, quid proximo debeamus. *Walton. comment. in Luc. ad cap.* 1. *pag. m.* 506. descendit a verbo *ἐντέλλομαι vid. Pasor. manual. Græc. pag.* 177. & notat autoritatem junctam præcepto. Hebr. verbum est צוה quod utrumque præcipere & permittere significat, convenit enim huic genere analogico, jam notum est nomine speciei analogicæ interdum ipsum genus designari; nihil itaque prohibet permissionem præceptum dici. *Sic.* 1. *Reg.* 5. Salomon rogat, Hiramum ut præcipiat cædi in Libano cedros h. e. ut permittat cædi. Observandum autem, *Præceptum* dici *dupliciter*: vel ut sit *juris*, vel ut pertineat ad *juris relaxationem*, si est juris vocatur Præceptum, si ad juris relaxationem, permissio moralis dicitur. Jam vero nullum est dubium quin hoc in loco non sit juris & significet præceptum, teste *H. Hammond. anglo in annot. ad epistol. Rom.* 8. *fol. m.* 476. cui consentit. *Anton. Gunther. Feitzius tr. de jur. cathol. pag. m.* 161. inquiens: *Est divinum præceptum sive mandatum morale a Deo constitutum*. Morale dicitur omne id quod ad mores pertinet; & ob hanc causam præceptum hoc eodem nomine insignitur. Tenendum autem præcepta moralia duplicem, ut ita loquar, bonitatem habere, intrinsecam unam, alteram extrinsecam. Bona sunt illa primo qua talia ex se & natura sua conformia imagini divinæ homini impressæ & notionibus boni & mali, honesti & turpis, insitis homini. Deinde bona etiam sunt illa, qua præcepta a Deo & ob authoritatem præcipientis. Sic v. g. *amare Deum* & proximum, & bonum ex se, & bonum, quia præceptum, unde etiam factum ut notiones illæ ubique gentium obtineant. Vocantur etiam præcepta indispensabilia, quæ sunt quæ Deus de se vult haberi. Vid. *Spanhem. dub. Evang. part.* 2. *pag. m.* 526. Hebræorum Magistri appellant præcepta filiorum Noachi, cujus illustriora capita vid. apud *Selden. lib.* 1. *de jure nat. & gent. cap.* 10. Quare *ab Isidoro lib.* 5. *origin. cap.* 4. *& in corp. Jur. Canon.* non male definitur; *Jus commune omnium nationum* & a *Thoma* præcepta communia, quia manifesta sunt apud omnes gentes, ut *Rabbini* ajunt, quibus nemo se subjicit, nisi qui universi Rectoris potestatem & imperium agnoscit. Quare vinculum hoc a Deo nexum dicitur esse indissolubile, unde ab Imperatore. §. 11. *Instit. de Jur. Natur. & Gent. & Civil.* §. *ult. de legit. agnat. tutel. immutabile vocatur*, adeo verba sunt *Grotii lib.* 1. *de jur. bell. & pac. cap.* 1. a Deo mutari non queat, videantur huc quæ *clar. Hottinger. lic.* 2. *cap.* 4. *clav. Philolog. pag. m.* 539. *seq.*

[4] Προστάγματα.) Ceremoniæ hæ tantum ad populum Judaicum spectabant; magna enim est differentia inter leges naturæ & leges ceremoniales, hæ abrogari, illæ nunquam poterunt. Dictis his accedit *Euseb. præpar. Evang. lib.* 1. *cap.* 3. cui titul. ὅτι Μωσέως νόμος μόνῳ τῷ Ἰουδαίων ἔθνει, καὶ τούτῳ τῆς οἰκείας γῆς οἰκοῦντι ἀποδέδοκται. Legem Mosis uni genti Judaicæ & quidem quamdiu propriam incolebat terram, destinatam fuisse. Probationem inde arcessit *Eusebius* ceremoniarum legalium observationem. v. g. votorum, decimarum, Festorum, Paschæ, Pentecostes, Tabernaculorum celebrationem restrictam fuisse ad locum, quem elegerat Deus, & præcepta hæc tantum illis convenire populis, qui Judæi vocentur. Vid. *Frid. Spanhem. dub. Evangel. dub. CXII. pag. m.* 550. *seq. part.* 3. Ut autem sciamus distinctionem præceptorum moralium & ceremonialium, aliquam hic dabimus: Ceremonialia externa tantum sunt & hypocritis etiam communia, non item moralia opera. Ceremonialia bona sunt, quia imperata & qua imperata. Non item moralia. Ceremonialia tantum imperata qua subsidiaria ad cultum spiritualem & qua tum typica tum pædagogica in ordine ad res spirituales, & ut *Maimonid.* ut *a cultu Idolorum avocarentur*. Hæ leges per Christum abrogatæ, tum de jure per complementum ceremoniarum exhibitum in sua morte, tum de facto per excidium loci & politiæ gentis, ubi & a qua ceremoniæ istæ erant observandæ. conf. *Johan. Selden. lib.* 1. *de Synedr. Hebr. cap.* 2. *pag. m.* 18.

[5] Δικαιώματα.) Synon. habet δικαιοσύνην. In Scriptura Sacra latissime patet. Observandum LXX. plus δικαιοσύνην non tantum reddere voces צדק & צדקה sed & quandoque voces אמונה vel אמת item מישרים item משפט item תם: sic ישר concretum LXX. vertunt δίκαιον. Sic *Targum* reddit במשפט juxta judicium. Interdum veritatem & fidelitatem, interdum bonitatem & misericordiam. Interdum per rectitudines. *I. Par. cap.* XXIX. *v.* 17. *conf. dub. Evang. Frid. Spanhem.* LXXXVII. *part.* 3. *p. m.* 433. ubi quam plurima habentur, denotat. *H. Hammond. in annot. ad ep. Rom. cap. VIII. Righteousness.* verba ejus hæc sunt δικαιώματα is any thing that God thought meet to appoint or command his people. *id est ejusmodi res, quam Deus justam habuit ad mandandam populo suo*, & per ordinationes, Decreta exponit: *Theophyl. typos, institutiones vocat*. Cæterum δικαιώματα apud Græcos proprie declarant, quæcunque profert aliquis ut jus suum tueatur: ut apud *Thucydidem. lib.* 1. Δικαιώματα μὲν οὖν τάδε πρὸς ὑμᾶς ἔχομεν ἱκανὰ κατὰ τοὺς τῶν Ἑλλήνων νόμους. *Demosthen.* [illegible]. vocat τὰ δίκαια: & *Terentius in Phormione* justa interpretatur. Sed Græci bibliorum interpretes hoc vocabulum postea ad totam legem Dei traduxerunt. Itaque vulgo solent vertere *Justificationes*. Quidam vertit instituta. *H. Hammond. Anglus. not. ad Revel. Johan. cap.* 19. δικαιώματα τοῦ νόμου ordinances of the Law. ordinanationes legis. Sed hoc vocabulo videtur significari consuetudo non perscripta, quæ usu potius, quam legis latoris authoritate invaluit, ut apparet ex illo *Cicer. loco ad Pison. Qui ejus civitatis, in qua in Principum numero vultis esse, non leges, non instituta, non mores, non jura noritis*. Δικαιώματα igitur מצוות præcepta, tam quæ vetant, quam quæ jubent, & latius patet quam ἐντολαί. *vid. Daniel. Heinsius Exerc. bibl.* Seu est *jus correctivum* ex cujus præscripto actiones injustæ corriguntur, sive ex contractibus læsio injusta ortum habeat sive ex delicto. conf. *Redan. comment. in lib. Maccab. fol. m.* 193.

[6] *Cœlestis illa justificatio.*) Recte quidem distinguit Autor inter justificationem cœlestem, qua justi sumus per Christum coram Deo: & *judicialem* & *forensem*, quæ fit coram hominibus; sed ostendit se non admodum versatum fuisse in Hebraicis, quia voces Hebraicæ promiscue sumuntur.

[7] *Justum & innocentem pronuntio.*) Quamvis autor Pontificius, egregie tamen explicat vocem justificare, quod nihil aliud significet, quam justum aliquem pronuntiare. * Quod notandum contra Adversarios, qui justificationem cum sanctificatione confundunt, namque explicant per infusionem justitiæ inhærentis, urgentque justificationem secundam, uti vocant, quia homo justitia inhærente justior & sanctior redditur; cum tamen verbum hoc nihil aliud potest, quam absolvere aliquem a peccato & justum pronuntiare. Vid. *Henrici Hopsner. tract. de justificat. hominis peccatoris coram Deo. Edit. Lips.* 1653.

[8] Κρίνειν) Hoc vocabulum varia in Sacra Scriptura denotat. Alioquoties *consensum* seu *suffragium* in aliqua re. Ita *S. Chrysostom. tom.* 4. *pag.* 435. *l.* 27. Ταῦτα τίθεται ψήφους καὶ τὰς κρίσεις. Consentit vel suffragatur huic rei. Ita *Xenoph.* κύρ. παιδ. *l.* 8. τοὺς μὴ ἑαυτὸν κρίνοντας ἐμίσει. Odio prosequebatur eum, qui victoriam illi non tribuebat. Sic. *Aristoteles lib.* 1. *de anima c.* 11. *Plato in Philebo. Epicurus* quando dicit κρίνει ἡδονήν, defendit, vel votum addit, placet, quod hoc sit summum bonum. Conf. etiam *H. Hammond. annot. in epist. ad Roman. cap. XIV. pag. m.* 501. Deinde etiam pro condemnare, accusare ponitur. Tenendum autem τὸ κρίνειν duplex esse, *unum* (ut ita loquar) *ethicum: alterum politicum & forense*, illud habet κρίσιν ad culpam, & consistit in improbatione facti, illud κρίσιν habet ad pœnam externam & politicam, & consistit in punitione facti; prout κρίνειν simplex, inter-

* *Sigonius* hic loquitur de justificatione forensi, adeoque verba realia verbaliter sunt exponenda; cujus rei veritas manifesto deducitur ex ipsis Scripturæ testimoniis ab ipso adductis, quæ de forensi justificatione sunt accipienda. Nihil igitur *Nicolai* ex *Sigonio* pro Calviniana sententia hic lucratur.

interdum respondet verbo שפט διακρίνειν δικάζειν, interdum verbis ענש & יסר simil. & significat ζημιοῦν, κολάζειν, ἐκδικεῖν. *Spanhem. dub. Evangel. part. 3. pag. m.* 535. 536. Hic secundo modo accipitur, prout condemnare denotat, & ut *Hesychius* loquitur, controversias & contentiones. Hebræus hoc loco iu Psalm. LI. 4. בשפטך in judicando te, ponit. Vox quippe שפט est judicare. Sic *Ezech. L.* 4. 1. *Corint.* 6. 1. *Ita apud Stob. pag.* 228. *Dematus Arcadicor.* 2. φόνε κρίσεις ἀπελύθη τῶ ἐγκλήματος. Hic κρίσεις non judicium nec condemnationem sed accusationem significat. Denique etiam pro condemnatione ponitur, vid. *Balduin. Wallæus comment. in Evang. Matth. cap. XII. pag. m.* 124. *& ad Matth. cap. VII.* ubi Christus dicit, nolite judicare. h. e. ne condemnemus proximum, sed lance æquitatis ut Hebræi loquuntur judicemus, unde illud; *judica quemvis lance meriti seu æquitatis. conf. clar. Johan. Drusius lib.* 1. *præter. pag. m.* 23. Cui consentit *H. Hammond. Anglus annotat. on S. Johan. cap. XVI. fol. m.* 316. verba ejus hæc sunt: in pleading against any for trespasse against his neighbour as in robbery and urging the law of Retaliation, to suffer as he hath done: and this is called למשפט περὶ κρίσεως concerning judgment. conf. plur. prædictum Anglum *Hammond. annot on S.Matth. c.*22. *fol.m.*112.*v.*23. *in epist. of the Romans fol. m.* 465. *cap.* 6. *v.* 6.*conf. cl. Joh.Drus. ad difficil. loc. Exod.* 32. *p.m.* 193.194.

9 *Duabus Lapideis tabulis.*) Tabulas has alii Saphirinas fuisse tradunt, alii marmoreas, ut videre est apud *clar. Buxtorff. S.* 20. Muhammedani quidam Smaragdinas fuisse volunt, quidam etiam ligneas. vid. *compend. Histor. de Christ. append.Theol. Levin. Warner, pag.* 47. Hebræi putant e Sapphiro fuisse teste *Cajetano Andr. Willet. comment. in Exod. fol. m.* 597. *c.*31. *quæst.*26. In Hebræo est אבן quod nomen nihil aliud quam lapides significat. Dicuntur lapideæ ad significandum cor lapideum Judæorum. 2. Ut recordemur, quid natura simus, scil. hebetes, stupidi & lapidei. 3. Ob discrimen legis Evangelii, quæ non inscripta est tabulis lapideis, sed cordibus hominum gratia Spiritus Sancti. 2. *Corinth.* 3. 2. 4. Deus his stabilitatem legis voluit significare. *vid. Lippom.*Vocantur etiam tabulæ testimonii, quod *Abarbanel* ita explicat: Vocat eas Moses tabulas testimonii, quia fuerunt testimonium legis, quæ Israeli data fuit in monte Sinai, qui audiverunt decem præcepta, sicut in tabulis fuerunt scripta. Duplici sensu scribit *Buxtorff. dissert. cit. S.* 23. possunt hæ tabulæ dici tabulæ testimonii. Primo respectu legis, quam in se scriptam continebant, quæ testimonium dicitur, quia continet attestationem voluntatis divinæ, qua testatum reliquit, quicquid voluit ab hominibus fieri: Secundo respectu Israelitarum, quia Tabulæ hæ visibiles & materiales, asservatæ & asservandæ, testimonium erant legis divinæ, illis in monte Sinai datæ & ab ipsis auditæ & acceptatæ. Hinc scribit *Abraham Seba Hispanus in Tzeror hammor sect.* תשא *quaternion.* 11. *fol.* 8. *col.* 3. Tabulas fecisse instar obligationis, vel chirographi, scripti subscripti & testibus subsignati, quod Deus eduxerit eos ex Aegypto, decem præcepta eis dederit & singula ab ipsis per *Ita* vel *Non* acceptata fuerint. *Aben Ezra* hoc sensu dicit instrumentum dotale. *Exod.*25. *v.* 16. *vid. biblioth. Sixt. Sinens. pag.* 56. *conf. Andr. Willet. comment. in Exod. cap.* 31. *quæst.* 25. *fol. m.* 597. *Oleast. Simler. Cajetan.* pluribus etiam de hac re egit *Anglus quidam in suis ex variis autoribus collectis annotation. in Exod. cap.* 26. *v.* 16.

10 *A Mose consignata.*) Tradunt Judæi, sua ipsius manu Mosen legem literis mandasse, cujus exemplo se insistere Judæi sibi persuadent. Imo refert *Maimonid. præfat. in Misch. p.* 1. *c.* 2. eum duodecim, pro numero tribuum Israelitarum scripsisse exemplaria. vid. *Dissert. cl. Buxtorff. de lit. Heb. S.* 45. *Escal. clyp. Conc. pag.* 613. Quomodo scriptum est in *lib. Cosr. pag.* 25. *vid. & El. Lev. Mashammas præfat. III.* Quomodo putas, inquit, *Mosen* librum legis Israelitis reliquisse? dicit *Cosri*: Sine dubio fuit liber simplex absque punctis & accentibus, quemadmodum videmus hodie esse librum legis. Quod autem de scriptione legis dicitur, nonnullam habet difficultatem, quomodo tam brevi tempore describi potuerit a *Mose*. At nihil obstat jam dudum scribi cœptam non solum legem & Deuteronomium, sed totos Moysis libros, ut res ipsæ contingebant vel dicebantur paulatim. Ideoque *Vatab. & Sa* interpretantur verba Mosis: *Scripsit ergo Moses legem hanc & tradidit eam Sacerdotibus*, pro plus quam perfecto scripserat. Idque profitetur *Josephus lib.* 4. *antiq. cap.* 8. *Verum*, inquit, *ne per ignorantiam meliorum natura vestra in deterius depravetur, Deo jubente, & leges conscripsi, & formam administrationis rerum tam publicarum quam privatarum.* Paulo ante mortem ait *Genebrardus ex Mischn. Hebr.* volumina Pentateuchi membranis tredecim exaravit, a primo ad ultimum usque Legis elementum. De quibus unum cuilibet duodecim tribuum servandum dedit, decimum tertium Levitis concessit. Illud inclusum fuit tabernaculo, deinde templo Salomonico. Postea ob magnam Regum impietatem ab Helcia Sacerdote repertum & ob antiquum scriptorem in maxima veneratione fuit; vid. *clar. Joh. Henr. Hotting. in Thesaur. Philolog. lib.* 2. *cap.* 3. *pag. m.* 547. *Saliani annal. Sacr. tom.* 2. *fol. m.* 271.

11 *A Regibus legeretur.* Non solum legere sed & ipsa manu describere oportuit, præter illam quam privatus descripserat, ut intelligat se ad legem obstrictiorem esse, quam privatum. Cuivis præceptum erat ut legem describeret, hac autem in re sedulo inculcant, in descriptione legis ad singula verba, ut sacrosancta, attendendum esse, sicuti autor *Beth Joseph in Sephe torah sect.* 276. *& Maimonid. Hilch. Sepher torah cap.* 10. monent: *Quotiescunque quis scribit vocem, oportet eum cogitare, se describere istam in nomine Dei sancti: & si contra faciat, erit scriptura profana.* Amplius dicunt Hebræi quod si antea legem descriptam non habuerit; postquam Rex factus, tenetur duos libros legis describere; alterum quem reponat in suo thesaurario, alterum vero quem jugiter secum habeat, sive egrediatur ad bellum, sive sedeat in judicio, sive sit in convivio, & nunquam a se removeat nisi noctu cum dormit, vel cum est in balneis, vel cum exonerat alvum, imo semper in eo legat cunctis diebus suis. Hanc descriptionem quidam metaphoricam putant, juvantque expositionem suam illo dicto Sapientis. *Proverb. III.* 4. *VII.* 3. *Misericordia & veritas te non deserant, circumda eas gutturi tuo, & describe in tabulis cordis tui.* Probabilius tamen est, Regem sive per se, sive per amanuensem aliquem, sibi Deuteronomium descripsisse: alioqui duriores erunt illæ phrases: *Et habebit secum &c.* Hinc nata videtur illa ceremonia, ut in constituendo, aut coronando Rege, liber legis ei in manu traderetur, ut constat factum a Jojada, cum inunxit Joas in Regem. 2. *Par.* 23. 11. Et hanc primariam debere esse in Republ. curam, ipsum naturæ lumen ostendit, cujus ductu *Aristoteles*. Πρῶτον ἡ Θείων ἐπιμέλεια, primum est curatio rerum divinarum. Ea vero ad Principem pertinet δεῖ γάρ, *ait Diog. Stoicus apud Stob.* τὸ ἄριστον ὑπὸ τῶ ἀρίστω τιμᾶσθαι, καὶ τὸ ἁγεμονοῦν ὑπὸ τῶ ἁγεμονοῦντος. *Decet enim quod optimum est ab optimo coli, & quod imperat ab imperante.* & alii qui leges & præcepta parænetica scripserunt, eam primam laudem in principe dicunt ut pietatem & religionem colat, & in subditis curet; Itaque inquit, *de Rege Philippo Justinus lib.* 8. *Diis proximus habetur, per quem Deorum majestas vindicata sit.* Illa autem descriptio teste *Paulo Fagio ad paraphras. Chald. cap.* 17. *Deut.* non a quovis exemplari, sed ex eo, quod coram Levitis & Sacerdotibus erat; errat & vix probabile videtur, quod *Sigon.* dicat, in festo Tabernaculorum a Pontifice populo traditam fuisse legem, cum in loco illo, quem citat nulla sit connexio. Sermo igitur in toto capite *Deut.* 31. de Josua non Pontifice Aarone habetur, quem Moses ante discessum exhortatur, cui etiam consentit Paraph. Chaldaic. *ubi Paul. Fagius monet ad verba: Leges legem hanc &c.* de Regibus hoc dici. *Tempore Regum in atrio mulierum, quod erat capacissimum, ex edito loco, hoc est ex suggestu ligneo, quem Hebræi* בימה *Bimah vocant, Rex ipse eam legit, non quidem universam, sed præcipua quædam ex Deuteronomio, dicit Maimonid. ut populus excitaretur. Porro solennis quoque mos erat, referentibus Hebræis ut cum Rex in atrio mulierum legem prælegeret atque promulgaret, Levitæ ad hoc ordinati, per urbem Hierosolymam tubis populum convocarent, totamque multitudinem ad auditionem legis excitarent.*

[12] *Evanuit.*) In hac sententia Rom. Catholici sunt * qui dicunt, legem combustam fuisse in destructione Templi, ut & *Judæi*, *advers. Hæres. l. 3. c. 7. Tertull. Clem. Alexandrin. Anglyt. de miracul. Hieronym.* aliique ex Patribus ut & *Muhammedani*, quos omnes refutavit *Rivetus in Synagog. ad S. S.* & *Catal. Orthodox.* item *Chamier*. Male autem statuunt legem esse combustam, 1. quia id dicunt, non autem probant. 2. Quia 2. *Chron.* 39. & 2. *Reg.* 24. legimus quidem de combustione templi, sed nihil de verbo Dei. 3. Extitit verbum Dei in ipsa captivitate, quia Daniel dicitur observasse. *Dan.* 9. Cum enim homines in exilium pulsi, semper secum sumere solent res pretiosas, credibile etiam est, multos pios & sanctos præ aliis rebus pretiosissimis Codicem servasse.

[13] *LXX. Interpret.*) Est sententia fere omnium hanc versionem esse factam tempore *Philadelphi*, qui Rex curiosissimus dicitur fuisse; habebatque Bibliothecam instructissimam. Cum autem audivisset de Sacro Codice, omnem impendebat operam, ut legem Judæorum, quæ cum Hebraice exarata esset, in Græcam transferretur linguam, quo ab ipso legi & intelligi possit, quia hæc lingua tum temporis per totam *Asiam* omnibus populis erat familiaris: itaque datis ad Eleazarum literis, petit, ut viros sibi mitteret sapientes, qui scripturam in linguam Græcam transferrent. Ex quavis itaque tribu Eleazar VI. electos misit ad Regem, qui simul sumti LXXII. sunt. Dicuntur LXX. Interpretes ad numerum rotundum vid. *plur. rever. Carpzov. ann. ad* בשפט המלך *Joseph. antiquit. lib. 12. c. 2. Phil. Jud. de vit. Mos. c. 2. Vales. in Euseb. ad Calc. lib. in epist. ad Hotting. in Philol. lib. 1. cap. 3.* Verum quæstio est jam an totam S. Scripturam interpretati sint, an vero partem saltem, scil. legem Mosis. Resp. Exstat quidem integer Codex Græcus sub nomine LXX. Interpretum, sed adhuc in quæstione est, utrum horum an aliorum sit. Credibile legem tantum esse versam, quia *Josephus* tantum de lege loquitur, & expresse dicit præfatione ad antiquitates, neque enim totam Scripturam accepit ille, sed solam legem tradiderunt ei Interpretes. *Justin. Martyr. Clem. Alexandrin. Joseph. Ben Gorion. Epiphan.* aliique putant, totum Vetus Testamentum esse versum. 1. Ob curiositatem *Ptolomæi* in procuranda Bibliotheca instructissima, cujus numerantur 30000. volumina ab aliis 500000. Sed Resp. Desideravit legem Mosis in qua audivit multa esse egregia ad formandam Rempubl. uti solebant populi ad exteros mittere legatos, ut leges describerent, unde & Romanorum lex XII. tabul. Obj. 2. Christum & Apostolos non tantum *Mosen* sed etiam Prophetas ex hac versione allegasse. Resp. Poterant reliqui libri ab alio esse versi vel ante vel post tempora *Ptolomæi*, quamvis id determinari non possit. Obj. 3. Ante tempora *Aquilæ Romano-Catholici* habebant illam versionem Græcam. Resp. Habuerunt plane aliam versionem, cum incredibile sit, eam, quæ vulgo LXXII. Interpr. nomine circumfertur esse genuinam propter innumeros errores, qui ejusmodi viris adscribi nequeunt. Judæi quidem putant, eam esse adornatam vel a *Chaldaica* vel ex *Syriaca* vel *Samaritana*, vel esse mixtam. Tempore *Alexandri Magni* jam extitisse versionem Græcam testantur *Clem. Alexandrin. Stromat. lib. 1. Euseb. præparat. Evangel.* Quidam putant in Insula Pharos exstructas LXXII. cellulas & quemlibet in aliqua reclusum fuisse, & quæ alia. Alii ex Judæis dicunt opus hoc fuisse V. hominum. Fabulam hanc de LXX. Senioribus ortum habuisse dicit *Heinsius* in *Aristarch. Sacr. c.* 10. ex loco *Exod.* 24. ubi mentio fit LXX. Seniorum. Nonnulli putant intra 72. dies hanc versionem adornatam & absolutam fuisse, quod *Hottingerus* impossibile putat, & si restringatur ad solos libros Mosis impossibile non est. Continet enim Pentateuch. 178. Capita, si singulis diebus 2$\frac{1}{2}$ versa fuerint, commode illud fieri potuit. Plura de his vid. apud. author. modo allegatos.

[14] *Legem ipsam comburere.*) Antiochus Judæis in potestatem suam redactis scripsit omni regno suo. Hinc sumsit *Sulpitius*: Ne Gentilibus quidem inquit, pepercerat, quos deserere inveteratas superstitiones & ad unum ritum deducere tentaverat, ita ut omnes populi in unum coalescerent quoad religionem & cultum divinum. Nam omnes Græcorum ritibus uti volebat. Hinc profanare sabbatha jussit & prohibuit observare illa. Quo autem scopum & finem obtineret legem ipsam comburere jussit. Similem excessum commisit *Joachim Rex Judæ*, de quo hæc habentur *Jerem.* 36. 23. Cum legisset tres pagellas vel quatuor, scidit scalpello. Ejusmodi etiam fuerunt *Edicta* Imperatoris *Diocletiani* hostis Christianorum infensissimi, uti refert *Euseb. lib. 8. hist. c. 3.* Per Imperatoris literas palam edictum fuit, ut deturbarentur Ecclesiæ soloque æquarentur & Scripturæ absumerentur igni. De tali iniquitate conqueruntur *Arnob. lib. 4. S. Augustin. tom. 7. cont. Crescon. Grammatic. lib. 3. cap. 27.* & *Prudent. hymn. de Flemeter. & Cheledon.* Dicens.

O Vetustatis silentis
Obsoleta oblivio!
Invidentur ista nobis,
Fama & ipsa exstinguitur
Chartulas blasphemus olim
Nam satelles abstulit:
Nec tenacibus libellis
Erudita secula
Ordinem, tempus, modumque
Passionis proditum
Dulcibus linguis per aures
Posterorum spargerent.

* *Non sit piger in legendo, ut rectus sit in judicando*; ajebat *Augustinus* in quendam maleferiatum Donatistam. Autores Catholicos non legit *Nicolai*; nam si legisset, haud indefinite sententiam suæ adversam illis attribuisset. Legem non fuisse penitus deperditam, nec prorsus defecisse in sanctæ Urbis, ac Templi miserando excidio Catholici non pauci opinantur validisque etiam argumentis probant, ut *Pererius* præfat. in Genes. *Serrarius* in proleg. 5. Et supra ceteros egregie *Bonfrerius* in Præloq. ad totam Scripturam sect. 8. ubi longe probabiliora argumenta profert iis, quæ hic adducit *Nicolai*.

CAPUT QUINTUM.

De forma reip. Israelitarum.

SEquitur, ut de forma reip. disseram, quam Deus aut superiore lege præscripsit, aut post induci neglecta lege permisit. Cæterum cum de forma reip. quæritur, nihil aliud quæritur, nisi penes quem principatum summa rerum fuerit constituta. Hæc vero apud Hebræos primum [1] penes optimates posita fuit, deinde penes reges. Quorum principatuum illum Aristocratiam, hoc Regnum Græci vocarunt. [2] Aristocratia fuit sub Moyse, Josue, Senioribus, & Judicibus; Regnum sub regibus.

De Aristocratia sub Moyse significavit Moyses XII. Deuteronomii, cum dixit: *Non facie-*

facietis in terra Chananæa, quæ nos hic facimus hodie, singuli quod sibi rectum videtur. Non enim usque in præsens tempus venistis ad requiem, & possessionem, quam Dominus Deus vester daturus est vobis. Ac multis quidem, iisque bonis, & prudentibus viris Moyses rem totam commisit, ut alii sacra, alii profana curarent. (Ex iis autem, qui operam rebus sacris dederunt, [3] unus fuit Pontifex, reliqui Sacerdotes, & Levitæ. Qui vero [4] profana administrarunt, [5] alii consultationibus, alii judiciis vacaverunt; nonnulli pacis, quidam belli studia coluerunt) omnes vero non ex arbitrio voluntatis, sed ex præscripto legis suo fungi munere, in primisque Judicia & Justificationes exercere constituit. Atque ita deinde tempore Josue & Judicum [6] in terra Chananæa, dispertitis possessionibus est servatum. Etenim ad Josue dixit Deus cap. primo: *Confortare, & esto robustus valde, ut custodias, & facias omnem legem quam præcepit tibi Moyses servus meus, nec declines ad dextram, vel ad sinistram, ut intelligas cuncta quæ agis.* Et post præcipienti illi respondere Israelitæ: *Omnia quæ præcepisti nobis, faciemus, & quocunque miseris, ibimus. Sicut obedivimus in cunctis Moysi, ita obediemus & tibi.* Inde Josue moriturus, advocatis Israelitis, eadem verba repetiit, quæ ad se Deus tradens imperium fecerat, de lege Dei custodienda, cap. XXXIII. promisitque populus se Dei præceptis obediturum.

[7] De Seniorum imperio significatur secundo Judicum: *Servierunt Israelitæ Domino cunctis diebus Josue, & Seniorum, qui post eum vixerunt, & noverunt omnia opera Domini quæ fecerat in Israel.* [8] Judicibus inde rerum potientibus eodem modo aristocratia fuit. Siquidem illi principatum administrantibus & lex, ut ante, valuit, & Deus ipse imperium tenuit. Hoc autem ita esse, probatur etiam ex Josepho, qui libro IV. Antiquitatum legem Dei ad hunc locum pertinentem explicuit, sic loquentem faciens Moysem: *Aristocratia, & vita, quæ ex ea degitur, res optima est, nec vos capiat desiderium alterius reip. sed hanc amate leges habentes dominas, ex iis omnia facientes: Satis enim est, ut Deus præsit. Quod si regis cupiditas vos incesserit, is ex eadem gente sit.*

Hanc vero aristocratiam, in qua lex potissimum cum Deo dominata est, [9] Regnum ipsum excepit. [10] Regnum autem appellarunt [11] imperium summum [12] unius hominis non ex lege, sed [13] ex arbitrio imperantis, quem a Samuele Judice postularunt his verbis XII. primi Regum: *Constitue nobis regem, ut judicet nos, ut universæ habent nationes.* Quod ut ille audivit, subito Deum, quid opus esset facto, consuluit, qui ita respondit: *Audi vocem populi in omnibus quæ loquuntur tibi, non enim te abjecerunt, sed me, ne regnem super eos,* & addit: *Verumtamen contestare eos, & prædic eis jus regis, qui regnaturus est super eos.* Significavit enim aperte, Judicibus rerum summam ex lege habentibus regnasse Deum super Hebræos, quia lex dominata esset, imperio vero ad regem gentium more translato, Deum non regnaturum, cum non penes legem, sed penes voluntatem unius hominis summa rerum esset futura, probe, etenim, ut optime dixit Aristoteles in Politicis, *Qui legem vult imperare, Deum vult imperare; qui regem, id est hominem, belluam: quid non semper ratione, sed plerunque cupiditate ducatur.* Hoc autem arbitrarium Regis imperium expressit Deus, cum addidit [14]: *Filios & filias, & prædia, & servos vobis auferet, & greges vestros addecimabit, & vos eritis ei servi: neque clamantes audiemini a Deo.* Unde dixit David [15] Psalmo II. *Ego constitutus sum rex a Deo super montem sanctum Sion. Dixit Dominus ad me: Postula a me, dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ. Reges eos in virga ferrea, & tanquam vas figuli confringes eos.* Hæc autem duo regis imperia, ejus inquam, [16] qui lege tenetur, & qui legibus est solutus, [17] Aristoteli quoque nota fuerunt: atque illud nullum proprium reip. genus facere, atque in omni rep. reperiri posse, hoc vero proprie regnum appellari, putavit, sic enim inquit: *Deinceps disputandum est de rege, qui ex lege rex dicitur, non est reip. species, quia in omnibus rebus publicis dux belli perpetuus esse potest, ut in democratia, & aristocratia, & multi creant unum Dominum administrationis. Plenum autem Regnum vocatur, quo cuncta rex sua voluntate gerit.* Hoc ergo modo Hebræi postquam sedes in terra Chananæa locarunt, primum [18] Judicibus paruerunt, qui ex lege præfuerunt, deinde more aliarum gentium Regibus, qui ex voluntate imperarunt, quorum primus Saul, secundus David fuit, a quo inde hæreditarium regnum inter Judæos evasit, donec res ad Sedeciam pervenit, qui a Nabucdonosore rege cum populo captivus in Babyloniam est abductus. Reversis vero in patriam post annos septuaginta Judæis, res iterum [19] ad optimatum statum est adducta, quo tempore, ut inquit Josephus libro XI. pontifices, qui pro tempore fuerunt, & sacerdotum, & judicum partes impleverunt, donec populo ab Antiocho servitute oppresso, Levitica Assamonæorum familia insurrexit, qui primum sub titulo Princi-

 pis,

pis, deinde [20] sub nomine Regis manentibus veteribus institutis rem Judæorum universam administrarunt. Quibus extinctis reges proselyti Ascalonitæ successere, qui rectius appellari tyranni potuissent; ex quibus [21] Herodes Magnus Antipatri filius, & Archelaus filius, & Agrippa nepos in Judæa, Herodes Antipa tetrarcha in Galilæa, ac subinde duo Herodes Agrippæ reges in Chalcidica potiti rerum sunt, qui [22] potestatem a Romanis Judæam illo tempore obtinentibus creandorum pro arbitrio pontificum acceperunt, inde pulsis demum Ascalonitis Romani subactæ Judææ magistratum & tributum imposuerunt: ac legibus eorum magna ex parte servatis regionis imperium & procurationem sibi vindicarunt: ac postremo rebellantibus eis urbem cum templo inflammaverunt, ac gentem prope totam profligaverunt.

Est porro illud quoque tenendum, rempub. Hebræorum quodammodo [23] tripartitam fuisse, una enim fuit, quæ universum populum, id est XII. tribus, complexa est; altera, quæ singulas singularum tribuum civitates. Primæ reip. sedes in ea collocata urbe fuit, quam Deus religionis caussa sibi ascivit, (quæ vero ea urbs fuerit, post dicetur) ibi enim summus magistratus, summus senatus, populus, judiciumque consedit. Fuit tamen interim aliquando interregnum, quod significatur in libro Judicum, cum scribitur: *Erat Israel sine regibus, & quisque faciebat quod rectum videbatur*, innuens, non tribus singulas, aut civitates suis principibus vacavisse, sed universam duodecim tribuum remp. summis præsidibus & tutoribus caruisse.

Secunda resp. præfectum unum habuit, qui Princeps tribus dictus est, itemque alios, qui familiarum Principes nominati sunt, qui tamen omnes summo principi, penes quem tota erat respublica, paruerunt.

Tertia vero hoc modo constituta fuit. Unaquæque civitas suum habuit senatum, qui de rebus ad ipsam præcipue pertinentibus decerneret, & caussas privatas, capitalesque cognosceret, & suos magistratus, qui senatum haberent, & judicia exercerent. Quamobrem Resp. Hebræorum populum habuit, senatum, judices, & magistratus, Unde apud Josue cap. XXIII. scriptum est: *Convocavit filios Israel, & Senatum eorum, & principes eorum, & judices eorum, & scribas eorum*. Arma etiam quæ publico populi nomine extra fines ferenda erant; a solo rege, & summo senatu decreta sunt, adjuvantibus singulis tribuum & familiarum principibus, & civitatibus, quemadmodum post suo loco probabitur.

NOTÆ AD CAPUT QUINTUM.

[1] *Penes optimates.*) Hoc est penes *Mosen & Seniores* & postea penes *Josuam* & judices, denique penes reges. A Mose ad Saulem fuit forma Aristocratica. Sauli demum temporibus regnum factum est.

[2] *Aristocratia fuit sub Mose, Josue & Senioribus.*) Hanc sententiam multi virorum doctorum tuentur, inter quos etiam numerandus *vir de republ. literaria bene meritus Besoldus. discurs. polit. de Aristocratia pag. m.* 37. inquiens: *In politia Israelis sub Senioribus & tribuum & familiarum singularum Principibus fuisse Aristocratia videtur, antequam regnum constitueretur, Josu.* 22. *v.* 14. *Judic.* 1. 2. *Levit.* 9. *vid. Arias Montan. in Josu. cap.* 22. *pag. m.* 560. Adde *Patrem Martin. Becan. in Analog. veter. Test. cap.* 16. *quæst.* 1. *Zepper. lib.* 3. *de legibus Mosaic. cap.* 6. *Cunæ. lib.* 1. *de Republ. Hebr. cap.* 12. ubi docet populum aliquando ad Comitia vocatum fuisse, sed consilii tantum capiendi causa. Hicque de *Bodino* miratur, quod inibi ante Reges nullam omnino Rempublicam fuisse dicit *lib.* 3. *de Republ. cap.* 7. *num.* 329. Quodque Respubl. Judæorum tempore Judicum non fuerit popularis, sed penes optimates summa resederit potestas, apparet, ex eo, quod *Josu.* 9. juravint Gibeonitis Prælati. Sed hæc omnia si accuratiori mentis indagine considerantur, haud robustum fuerit argumentum, quo demonstrari possit, Aristocratiam fuisse; contrarium potius elucere potest perspectis prius Rerumpubl. simplicium formis. Nemini autem incognitum, tres potissimum esse Rerumpublicarum formas. 1. *qua unus tantum imperat, vocatur Monarchia*. 2. *Quæ est penes paucos & est Aristocratia* 3. *quæ versatur circa multos & dicitur Democratia*. Israelitica gens, quamprimum e servitute Ægyptiaca dimissa peculiarem habuit Rempubl. *Res. publica enim ex multis societatibus inter se connexis constat, hic est talis. E.* Hanc igitur gebernari oportebat, si alias civili modo vivere vellent. Ut igitur peculiaris populus ita semper aliquid non commune omnibus habuit, quia Rempubl. hanc Deus maxima ex parte immediate gubernavit. Nunc ad requisita ejus, qui summam in Republica habet potestatem, deveniamus & consideremus, quot eorum sint. Non opus autem, ut longis ambagibus discurram, sed brevibus; *Virum Illustrem Herman. Conringium hujus Academiæ decus splendidissimum* adducam, qui differit, tria consideranda venire: Leges condere, bellum indicere, Magistratus judiciaque constituere. In Republica Hebræorum hæc omnia penes Deum fuisse, nullus est qui dubitet, uti etiam ex sacris constat. *conf. disputat. d. autor. pag.* 113. 114. §. 9. 10. *seqq.* Cum vero quæstio sit proposita, an Aristocratia sit, cum tam multi sint autores, qui ambabus, ut ajunt manibus apprehendunt, inter quos non solum supra citati, sed etiam *Petrus Galatin. Anglus. Joachimus Stephani, Calvinus. Danæus.* Hi omnes cum nostro sententiam defendunt. Quamvis autem hac in re *Josephum* præeuntem putent, tamen longe aliam fovisse sententiam ex scriptis ejus patet. Mihi igitur iterum *viri Magnifici D. Conringii* verba adducere lubet, inquientis: *Ultro fatemur nullam ex formis Rerumpubl. quas Aristoteles nobis descripsit Reipubl. Hebræorum illi quæ ante Reges fuit, satis convenire.* Omnes videlicet illæ formæ ita comparatæ, ut summa potestas sit penes homines. At in Republ. Hebræorum mansit penes Deum. Si igitur hoc perpendimus merito Monarchiam dicere debemus. Attamen si consideremus, quod sit Deus, abstinendum ab illo vocabulo videtur, fingendum ergo aliud, quod nobis offert *Josephus lib.* 1. *contra Appion.* quo vocat θεοκρατίαν. Mirandum sane quod statim sententiam mutet & Monarchiam & Aristocratiam dicat. vid. *Magnif. D. Conringium Academiæ hujus ocellum pag.* 137. §. 47. Hunc igitur secutus

Sigo-

Sigonius, nullam differentiam facit, ſed eandem Reipubl. formam fuiſſe uſque ad Reges, quod falſiſſimum. Accurate enim loquendo *Ariſtocratia eſt Reſpublica, ubi omnis ſumma poteſtas, ſive omnia Majeſtatis jura, quantacunque ab hominibus geri poſſunt ſunt penes paucos quoſdam*. Quare cum præcipua Majeſtatis jura in Republ. Hebræorum, ſive Moſis, ſive Joſue, ſive Regum ævo non fuerint penes plures, qui quidem non integram gentem conſtituerint, ſed pauci ex illa fuerint, illam ipſam Rempublicam accurate loquendo Ariſtocratiam non fuiſſe, omnino concedendum eſt. Quidam autem referunt ad ſtatum Monarchicum Ariſtocratico commixtum: vid. *theorm* 2. *Wilhelm. Schickard.* משפט המלך *pag. m.* 9. ad quæ verba *plur. reverend. Carpzov.* addit, quod quidam affirment, quidam negent, dari rempubl. mixtam. Placet igitur ſupra adducta ſententia *viri illuſtris Hermanni Conringi & clariſſ. Friſchmuth. de republ. literar. optime meriti* hanc ſententiam ex *Monarchic-Ariſtocratico* ſtatu mixtam; quem vide.

3 *Unus fuit Pontifex.*) Male hic Autor noſter diſtinguit inter Pontificem & Sacerdotes, cum hæ voces promiſcue ſumantur apud Autores Latinos, ut apud *Perſium Satyr.* 2. *v.* 69.

Dicite Pontifices in templo quid facit aurum.

diſtinctio tantum fuit inter Pontificem Maximum & reliquos Sacerdotes. Vid. *Quenſted. Antiq. bibl. pag.* 25. *ſeqq.*

4 *Profana adminiſtrarunt.*] In Codic. Sanhedr. l. 1. legimus, Synedrium Magnum conſtitiſſe ſeu compoſitum fuiſſe e tribus ordinibus, *Sacerdotibus, Levitis & primoribus Judæorum*, qui neque Sacerdotes erant neque Levitæ, ut ait *Caſaubon. Exercit.* 13. *Anti Baron. n.* 5. Munera & officia in templo non niſi a Sacerdotibus & Levitis peragebantur. Nihilominus etiam curam rerum profanarum habebant, cum eſſent membra Synedrii Magni. conf. *Quenſted. de magn. Synedr. pag.* 37. *Selden. de Syned.*

5 *Alii conſultationibus, alii Judiciis vacaverunt.*) Alienum a veritate dicit *Magnif. vir Hermann. Conring. de Republ. Hebræor. pag. m.* 131. duplicis generis fuiſſe judicia, alterum Eccleſiaſticum, alterum Forenſe apparet ex eo, quod cauſæ judicio illi ſubmittendæ nonniſi unius fuerint generis. Neque vero in ſacris literis ulla diverſi generis litium fit mentio. His *Johan. Selden. in lib.* 1. *de Synedr. Hebræorum pag. m.* 635. *ſeq.* aſſenſum præbet, verba illius, ut addam quædam, hæc ſunt: *Cauſarum ejuſmodi diſcrimen, ut ad illarum alias Sacræ, alias profanæ ſpectarent, nullibi comparet.* confer. *pag.* 64. *lib.* 1. Decepit viros eruditos, quod & Sacerdotes & judex ſigillatim nominentur. Verum judicis nomine intelliguntur *Suffetes*, qui apud Pœnos tum ut Conſules præeſſent ſupremumque ſic gererent Magiſtratum, tum de litibus & controverſiis omnimodis ut judices cognoſcerent. Adeoque judices etiam ſeu Suffetes illi juxta vetuſtum ex Oriente, illuc allatum morem, Seniores revera erant & dicebantur, ſicut & Romæ Conſules e Senatoribus ſelecti Senatorum etiam nomine, cui illud Conſulis velut innitebatur, gaudebant. *Suffetes Livio lib.* 28. *cap.* 37. plurale eſt. De Magone ad colloquium inquit, *Suffetes qui ſummus apud Pœnos eſt Magiſtratus, cum quæſtore elicuit.* Alibi. *lib.* 34. *cap.* 60. *Poſtero die, quum Suffetes ad jus dicendum conſediſſent.* Et viri docti nomen hoc ex Hebraico deductum volunt, שופטים Sophetim, quod Judices ſignificat. Sane ſi Sacra perſcrutentur biblia, regimen Judæorum ſub שופטים fuiſſe, nemo eſt qui neget, qui Jura populo dicerent. At vero nomen Sutes aliis eſt ſingulare, idque tam Africanis quam Romanis, non libenter quidem admitterem *Joſephi Scaligeri in Teſt. verb. Suſes* etymon illud a צופה Tzuffe ſeu Suffe quod *Speculator* eſt, *Ephorus, Epiſcopus, Epoptes*, ſeu ut Græci Interpretes. 1. *Sam.* 14. 16. 2. *Samuel.* 13. 34. *habent*, σκόπος *Speculator* tantundem denotans, i. e. in Senioribus ibi Princeps ſeu Præſes. Sequitur hic etiam *clar. Johan. Druſius. animadverſ. lib.* 2. *cap.* 24. *Suſe*, inquit, *Suſes, ut Mamre Mamres: Hauſe, Hauſes: Jamre, Jamres. Græci enim nominibus rei a, e, aut u deſinentibus addunt* s. Nihil certius. Sic ille. Hujus plural. צופים *Suffin*. Sed nemo non videt facillimum fuiſſe ex *Suffe* punico in Romanæ terminationis ratione *Suffes* fieri atque illinc etiam pro declinandi voces ſic terminatas more apud Latinos vario, in plurali Suffetes fieri ut ex *Magnes Magnetes*. Suffes autem שופט Suffet ſeu plurali שופטים Suphetim nimis incommode factum fuiſſet, prætermiſſo in vocabulo ſingulari Teth. Nam per *Signa* ea non exprimitur. Jam vero, ſingulare fuiſſe in caſu recto *Suffes vel Suſes*, teſtes ſunt *Seneca & Feſtus*. Ille *de Tranquillitate animæ cap.* 3. *Non vis niſi conſul, aut Prytanes, aut Ceryx, aut Suſes adminiſtrare Rempubl.* Feſtus autem *Suſes dictus Pœnorum magiſtratus*. Qualem poteſtatem habuerit, vidend. *Magnif. D. Conring. diſput. de Republ. Hebræor.* §.39. *pag. m.* 131.

6 *In terra Chananæa.*) Extra terram Canaan nulla lex ceremonialis obſervata fuit, ſicut in deſerto non niſi Sabbatum obſervatum eſſe legimus; unde & circumciſio per XL. Annos fuit dilata. Imo nullæ fere leges ſunt, quæ non expreſſe adjectam habeant obſervationem in terra Canaan.

7 *De Seniorum imperio.*) Per Seniores hic non intelligendi ſunt proprie Principes populi, ſed potius Principis Conſiliarii, cum fuerint a conſiliis Moſis tanquam regis. Calculum huic opinioni adjicit *Bonavent. Cornel. Bertram. de Republ. Judaic. cap.* 6. *pag.* 58. Et approbant hanc interpretationem *Rivetus comment.* in *loc. Exod. Tom.* 1. *oper. fol.* 1012. Dn. d. *Calovius* in *Bibl. illuſtrat.* ad eumdem loc. *fol.* 390. Ejuſmodi formam regiminis habemus adhuc in *Anglia & Polonia*, ubi quidem reges ſunt, ſed nihil abſque conſenſu *Parlamenti* agere poſſunt, ut ita hoc Regimen magis Ariſtocratiæ, quam Monarchiæ ſpeciem præferat.

8 *Judicibus inde.*) At vero cum LXX. a Moſe allecti eſſent, Moſes tamen potiſſimam authoritatem habuit. Pari ratione in Joſua videndum. *cap.* 1. & 23. quinimo etiam ex cæteris. Moſes quidem in Iſraele ceu Rex erat ut *Deut.* 23. legere eſt. Rectius igitur diceret, ſtatum Monarchicum uſque ad Reges proprie ſic dictos fuiſſe. Et hoc ſtatim initio mundi videndum. Adam a Deo Monarcha conſtitutus. Cumque Deus delegit ſibi populum peculiarem Iſraeliticum, ſingulare eſt, & inconvincibile argumentum, quod unum Moyſen præpoſuerit tantum, non plures: neque permiſit populo Principes ſibi eligere, vel ipſum regere, ſed vocato Moyſe & præmunita poteſtate deſuper juſſit eundem & ad Regem Ægypti & ad populum venire. Neque populus dedit legem ſuo Ductori, ſed Dux datus eſt a Deo, ut populo legem & Ducatum præberet. Neque Moyſi ſe excuſanti ab hoc onere quod linguæ non volubilis eſſet, ideo voluit dare collegam in Principatum, aut in populo conſtituere *Ariſtocratiam* aut conſilium Democratiæ, ſed adjunxit tantum fratrem Aaronem, non tanquam Collegam & comprincipem, ſed tanquam miniſtrum & executorem & interpretem legationis ſuæ. Imo iratus eſt Deus in Moyſen, quod tanquam non idoneus ſolus recuſaret hoc munus. *Exod.* 4. *v.* 13. quo loco mirabile, ut cum Deus utrumque poſſet inſtruere & *ariſtocratiam* conſtituere, tamen noluit, ſed ſubjecit voluntati Moſis voluntatem & executionem Aaronis & voluit unum tantum Moyſen primum, ſupremum & ſibi proximum eſſe. Fecit rurſus præſtantiæ monarchicæ probationem Deus, cum juſſit ei, non populo, ut eligeret LXX. viros de ſenibus Iſrael, quos ipſe noſceret ſenes eſſe magiſtros, quos duces ad oſtium tabernaculi duci juſſit. Sic *Exod.* 18. cum conſilio Jethronis conſtitueret Judices tribunos &c. ſoli ſibi ſubjectos teſtatur, & quæ alia ſunt. Judicum temporibus ſummam autoritatem pacis bellique non fuiſſe penes illos ex ſacra ſcriptura notum. *vid. Petr. Cunæ. lib.* 1. *de Republ. Hebr. cap.* 12. Et licet judices Principes populi dicantur, ut liquet ex *lib. Judic.* verſatur enim ſuprema poteſtas in componendis litibus, in puniendis criminibus. Judices uſque ad Samuelem dicti, quod penes eos eſſet ſumma authoritas jus dicendi & adminiſtrandi Rempubl. juxta legem a Moyſe poſitam: Diademate aut ſceptro non utebantur, nec hæreditarii erant, ſed partim authoritate prudentum hominum creabantur, partim a Deo excitabantur vocatione particulari ut *Judic.* 2. nec poteſtas eorum erat regia, ſed politica. Imo aliquando titulo Regis vocati, minus tamen recte & proprie. Si enim Judices Regio dignantur titulo, certe non niſi κατὰ νόμον Reges dixeris,

xeris, quales *Aristoteles Polit.* III. *cap. 16.* descripsit.

[9] *Regnum excepit.*) Cum ergo non nisi duæ sint Reipubl. species; aut *simplicem* aut mixtam sub Regibus Hebræorum fuisse, oportet, tertium non datur, ut notum ex Politicis. Mixtam non fuisse, *Bertram. de Republ. Hebr. c.* 11. 12. *& Schickard.* in השפט המלך c. 1. Th. 2. qui id asserere non dubitant, directe contradicimus, argumentantes: In quacunque Republic. unus tantum est imperans, isque solus summa potestate valet, nullosque socios in administratione admittit, illam mixtam dicere absurdum est. Atqui in Republ. Hebræor. tempore Regum, Rex solus imperabat nullosque socios, nisi per vim irrepserint, sive ex Optimatibus sive ex populo universo admittebat. Ergo. Minor ex praxi & exemplis Regum Hebr. constat. Et quamvis Reges Hebræorum in rebus gravioris momenti nonnunquam Optimatum, nonnunquam totius populi consensum requisiverint, illud tamen non infert protinus Rempubl. ipsorum fuisse mixtam, cum Reges illorum consensum non attenderint, tanquam normam, ad quam eorum voluntas alligata fuerit, sed tanquam consilia prudentum, quæ de quocunque negotio arduo explorare boni Principis est, vel etiam aliquando temporis necessitati aliquid concesserint, quæ sæpius jubet obliquare sinus, flexoque pertingere cursu, quo recto pervenire non potes, ut loquitur *Rohrensee in diss. de Republ. Hebr.* §. 5. Relinquitur itaque simplicem Reipublicæ prædictæ fuisse speciem. Cum ergo hæc iterum variet atque triplex sit sc. *Monarchica*, *Oligarchica* & *Democratica*, videndum, quænam ex his proprie huc spectet. Rejectis & remotis Reipubl. formis dicimus quod res est, tempore Regum veram stricte ac proprie dictam *Monarchiam* seu *Regnum* obtinuisse, cum accuratioribus Theologis, Philol. & Philosoph. nominatim *D. Wandal. de J. R. per tot.* Dn. *Frischmuth. in tract.* etiam *Voetii* judicio egregio, *de Rege eligendo & deponendo* per tot. Dn. *Rohrensee diss. de Republ. Heb.* §. 4. asserere non dubitamus. Insatis quippe erat, Rempubl. Judaicam aliquam *Monarchiam* & vere Regium Imperium accipere, ut in ea typus Regis Regnum Messiæ adimpleretur, Regnum appellarunt. Cum itaque Monarchia dividatur vel in *rectam*, quæ dicitur *Regnum*, vel *corruptam*, quæ *tyrannis* salutatur, vel *intermediam*, quæ *Dominatus* audit, non immerito hic quæritur, qualis intelligatur. Tyrannidem illam fuisse, omnes illi volunt, qui jus illud Regium 1. *Sam.* 8. iniquum & tyrannicum esse contendunt, ut sunt *Bodin. de Rep. l.* 1. *c.* 10. Ad *Contzen. lib.* 6. *Pol. c.* 2. *Althus. Polit. c.* 9. *n.* 5. *Cellar. lib.* 2. *Instit. Polit. c.* 2. *diss.* 21. *Sanctius*, *Cornel. a Lapid. Serar. Estius in h. l. Calvin. in h. l. Rivet. in explicat. decal. Exod.* 20. *Tossan. Jun. Piscat. Franz. de interpret. Scr. Sacr. Hutter. in Loc. Theol. de Magistr. Polit. n.* 46. Contra *Tyrannidem* non fuisse ex petitione populi, cui etiam nomen tyranni plane adversatur, liquet: Qualemcunque enim Regem populus petebat, illum & non alium a Deo etiam impetrabat; Atqui non tyrannum, sed Regem in ipsorum commodum petebant. Ergo. Major certa: quia enim rescripta secundum postulata & petita conformari debent, credibile non est, eos in perniciem suam tyrannum expetivisse. Minorem 1. *Sam.* 8. probamus, ubi dicitur, quod talem petierint Regem, qui eos judicet & pugnet pro ipsis. Jam vero jus dicere non est tyranni, sed boni Regis, & bellis, quatenus in se spectantur, nulla quoque tyrannis inest. Transimus notas & requisita Tyrannidis ab Aristot. lib. 3. Pol. 14. & 4. 10. tradita, Regno Hebr. attribui posse. Conf. Arnis. lib. 2. de jur. Majest. c. 1. Wandal. lib. 1. 4. seq. qui omne illud, quicquid ulterius in contrarium afferri solet, solide confutavit.

[10] *Regnum.*) Pertæsus populus hujus status Regem exoptat. Prius autem exponit Samuel, quid sit jus Regium 1. *Samuel.* 8. 11. Describit per משפט quo nomine quidam morem & consuetudinem intelligunt, quod sc. crebro hæc omnia sive jure, sive injuria contingant. Quæ videtur Sulpitii Severi sententia in sacra historia, ubi agit de Rep. ad Reges translata. *At Samuel*, inquit, *placide salubri oratione ab insana voluntate detorquere populum, dominationem regiam, & superba imperia exponere, libertatem extollere, servitutem detestari; postremo divinam eis iram denuntiare, siquidem homines mente corrupti Deum regem habentes, regem sibi ex hominibus flagitarent.* Ita Sulpitius. *Josephus* ait, Samuelem promisisse declaraturum se populo regem, si prius indicasset, quæ erant sub regibus ferenda, & in quantis incommoditatibus vivendum. *Abulens. quæst.* 20. *in fin. sup. c.* 8. ait non omnia, quæ hic a Samuele numerantur, posita esse quasi jura Regum; sed tanquam mala, quæ Reges, propter magnitudinem potestatis, in subditos poterant exercere. Aperte *Gregorius in c.* 10. *hujus, lib. sub. fin. At historiam*, inquit, *non præcipitur, sed ostenditur, quid acturi sint Reges reprobi, quid vitaturi sint boni. A regibus quidem defendendi sunt, non bonis propriis spoliandi &c. Cajetanus* vult hoc jus per nomen Regis determinari, ita ut infra scripta non sint juris simpliciter, sed juris Regis. Hoc est, erunt juris, quia Rex volet esse jus sive alioqui licita fuerint, sive illicita. Alii proprie jus sumunt, sed ad tempus necessitatis determinant, ut *Lyranus*, quem eo nomine impugnat *Abulensis* fortasse non recte. *quæst.* 20. *in c.* 8. Alii denique ut ait *Vatablus*, sine ulla restrictione volunt hæc omnia regibus esse licita, licet in iis solius Regis utilitas, & non populi quæri videatur, quod Gregor. Magn. jus tyrannorum appellavit. *Thomas* aliique Theolog. eum secuti duplex statuunt dominium, item duplicem servitutem. Aliqui præsunt in subditorum solam utilitatem, ut patres filiis. Aliqui in propriam duntaxat utilitatem. Tertium ex utroque mixtum etiam additur. Juris igitur vocabulo hoc loco appellatur id, quod affectum aliquem juris habere debeat i. e. non resistendi obligationem. vid. *Magnif. Herman. Conring. de republ. Hebr. pag. m.* 144. An vero hoc in loco Samuelis describantur jura Majestatis, an vero mores Tyrannorum, controvertitur. De vulgata Regum consuetudine h. l. exponunt. *Brentius*, *Osiander*, *Erasmus*, *Zepper. Molinæus*, *Buchananus*, *Gentilis*, *Molanus*, *Contzen*, *Bodinus quos omnes* apud *Casp. Klock. cap.* 1. *n.* 19. *pag.* 6. 7. remittimus benev. Lector. ad *Besoldum de jure Regio Samuel. Hug. Grot. de jure bell. & pac.* 1. 4. §. 3.

[11] *Summum Imperium.*) Genus regni his verbis exprimitur. Unde ita inferimus: In quacunque Republ. summa datur potestas, communisque subditorum utilitas, in ea vere ac proprie dictum Regnum dari necesse est. Atque in Republ. Hebr. tempore Regum &c. Ergo. Assumtum quoad 1. nempe *summam potestatem* probamus, quia extra omnem controversiæ aleam positum est, plenariam illam Majestatem quæ hactenus penes solum Deum extiterat, ad Reges Hebr. translatam fuisse, quod vel inde constat, quod non modo fuerint αὐτοκράτορες sive a nemine hominum, etiam ob gravissima ab ipsis commissa delicta judicari potuerint, verum etiam plane ἀνυπεύθυνοι non quidem in foro poli seu ordine ad Deum, cui omnino ὑπεύθυνοι erant, sed respectu hominum & in foro soli, ubi omnia pro lubitu agebant, tritumque illud admodum familiare ipsis erat: Sic volo, sic jubeo stat pro ratione voluntas. Conf. Wandal. l. 1. c. 6. l. 2. 1. seqq. Eadem præterea *jura Majestatis* 1. *Sam.* 8. Ab ipso Deo Regibus Hebr. concessa, qualia sunt jus *Armandiæ*, jura *Operarum*, *Angariarum*, Tributorum &c. aliaque, quæ solutissimæ potestatis axiomata sunt, satis superque confirmant.

[12] *Unius hominis.*) Excluduntur in Monarchia seu Regno plures, qui summas Imperii tenent. In quacunque itaque Monarchia universale & perpetuum datur unius imperium, illa Dominatus Monarchicus recte dicitur, Atqui in Monarchia Reg. Hebræorum &c. Minorem probamus. In quacunque Monarchia omnia in manum unius Regis ponuntur, eique omne jus non modo in subditos; sed etiam in eorum bona conceditur, isque adeo solus in omnes & in omnia Dominus est, in ea universale datur Dominium. Atqui in Monarch. Hebr. Reg. Ergo. Minor probatur ex 1. *Sam.* 9. 20. Ubi *Samuel* in Compendio quasi hoc universale dominium complexus est, dum omne quod optimum in Israel, Regi adscribit & post constitutionem ejus, dominium omne a se removens Regi in solidum vendicat. *c.* 12.

[13] *Ex arbitrio.*) Omnem Regem justum & legitimum lege teneri oportet, qui enim ex arbitrio, & non ex lege regnat, Tyrannidem exercet, & talis

lis Rex apud Judæos non fuit, quia Deus præscripserat leges & jura, quibus & ipse Rex subjectus erat. Nihilominus tamen fatemur, Reges successione majorem sibi arrogasse potestatem contra legem, quam Deus dederat. Exemplum hujus in *Salomone* conspicimus, qui contra legem Dei multas uxores & concubinas habuit, non tantum Judæas sed & Gentiles contra expressam legem Dei.

[14] 1. *Samuel*. 8.] Putat Autor hoc loco indigigitari jus Regis, in qua sententia fuerunt cl. *Salmas. Luther. Tom. 4. Oper. Germ. Jen. in Zachar. 2. Hieron. Weller. in annot. ad l. 1. Sam. c. 8. Gerhard. Tom. 6. Loc. Theol. de Magistr. Polit. §. 125. Dorsch. in cas. consc. 4. Hulsemann. in extens. Brev. c. 20. §. 12. Calov. in Bibl. illustr. Wandalin. lib. 1. de jur. Reg. Ziegler. exerc. 2. de jur. Majest. §. 35. Casaubon. Exercit. 16. contra Baron. Arnis. lib. 2. de jure Majest. c. 1. n. 4. Gregor. Tolosan. l. 5. de Republ. c. 3. n. 18. Barclay. lib. 2. de pot. Reg. aliique.* Verum & alii sunt, qui demonstrant ibi non describi jus Regis, sed Samuelem ostendere populo voluisse, quomodo Reges abuti soleant potestate sibi jussa & tribuant summum arbitrium, ut quicquid libet, faciant. Hunc abusum a Samuele ideo propositum fuisse asserunt, ut populum absterreret a postulando Rege. vid. *Schickard. de jur. Reg. c. 2. Theor. 7. p. 160. seq. edit. Lips.*

[15] *Psalm*. 2.) Hic ostendit Autor, se non fuisse Theologum, dum Psalmum de Davide intelligit, in quo luto hærent Sociniani aliique Antitrinitarii & hostes divinitatis Jesu Christi: sed permale, quia Psalmus hic de Davide, aut alia nuda creatura intelligi nequit, uti optime explicat *Henry Ainsworth. comment. in Psalm. 2. fol.* 4. Cum Autore nostro plures hujus opinionis fuerunt, ut *Hugo Grot.* cum aliis. Inter Judæos *R. Lipmann. in Nizzach. n.* 269. Ubi contra Christianos his verbis disputat. Hic Christiani contra Deum verba ejaculari solent, quod Deo filius sit, qui natus sit, & omnia de Nazareno interpretantur, sed error in manu eorum habetur. Totus enim Psalmus arguit, de ipso Davide intelligendum esse, quia dictum est (vers. 2.) adstiterunt Reges illorum & Principes convenerunt in unum adversus Dominum & Christum ejus. Dirumpamus vincula eorum &c. q. d. ad rebellandum regno ejus. Præterea ait: Ego autem constitui Regem meum in monte meo sancto Sion. Hic vero est David. Ecquando enim Nazarenus Sioni est dominatus? Lipmannus ducem habuit *R. Salomonem* ita scribentem: Doctores nostri exposuerunt significatum de Rege Messia, sed secundum sensum literalem, & ut Hæreticis respondeatur, de ipso Davide rectius explicatur. Succinit huic *R. David Kimchi* ita differens: Propius est vero, de se ipso Davidem dixisse; & qui alii sunt quos citatos vide apud Do. *Frischmuth. in dissert. ad h. l. Jen. habit.* 1676. Verum de Davide Psalmum intelligi non posse, rationes sequentes evincunt. 1. Regi, de quo in hoc Psalmo sermo est, promittuntur fines terræ. *David* autem non habuit imperium in fines terræ, sed tantum in populum Israeliticum & paucos Philystæos. 2. quia beati dicuntur qui ad hunc Regem confugiunt, quod de *Davide* dici nequit, quia ad Davidem non omnes confugiunt, vel quia verbum חסה semper ad Deum refertur. conf. cit. *Frischmuth.* qui de Messia explicat.

[16] *Qui lege tenetur & qui legibus est solutus.*) Contraria juxta se posita magis elucescunt. Videbimus igitur etiam quibus legibus fuerit obstrictus, quibus solutus. Omnibus sane legibus obstrictus est, quæ ab eo proficiscuntur, qui non solum major est Principe, sed in cujus Dominatu Principes sunt & omnes homines. Unde sequitur eos, quia homines sunt, legibus teneri divinis & naturalibus, quas *Cicero* non immerito *naturæ rationem* vocat. Nam aliter, ait *Augustin. ep. ad Bonifac.* servit quia homo, aliter, quia Rex. Omnibus enim notum Deum autorem legum esse teste *Hesiodo Poeta profano*. Quam uti homo non constituit, ita neque destruere debet, sed efficere, ut servetur, tam a se, quam a subjectis suis. vid. *Lampad. art. 3. cap. 21. de Republ. Germ. Cicer. 2. de leg. cap. 6. Et lib. 3. de Republ. Epictetus apud Arrianum lib. 1. cap. 13. sub fin.* cum monstrare vellet, Principem non aliis legibus subducere se posse, nisi iis, quibus sit major, hoc est, quas ipse vel alius homo sancivit, minime vero naturæ legibus, quas Deus ipse condidit, & Deorum vocat. De his intelligendum, quod *Libanius Sophista Imperatori Theodosio* dedit αὐτὸ γὰρ ἐστι βασιλέια τὸ μὴ πάντα τοῖς ἐπ' αὐτοῖς ἐξεῖναι. Illud ipsum est imperium, ut ne omnia iis, qui imperio præsunt liceant. De legibus naturæ nulla est controversia, neque de legibus, quibus superiores pactis conventis se submiserunt, quæ licet naturales aut divinæ non sint, attamen absque læsione conscientiæ velli non potuerunt, quoniam vinculo juris naturalis per pacta & obligationes tam arcte sunt connexæ, ut dissolvi nequeant. Exemplum habemus in Regibus Judæorum, de quibus hoc legimus præceptum apud *Josephum*: *Nihil agat Rex, nisi de Pontificis & Senatorum sententia.* Et hanc a populo isto stricte observatam testatur *Cunæus lib. 2. de Republ. Hebr. cap.* 9. Per leges autem politici intelligunt eas, ad quas sancte servandas Principes plerumque se vel expresse vel tacite obligant: ita ut etiam pœnas, fidem subjectis datam si fallant, incidant. Vocantur & *fundamentales*, quas Hebræorum Reges non agnoverunt, conf. *Joh. Mich. Rein. de polit. popul. sanct. sect. 11. de leg. lit. G.* & quas *Plinius* supra ipsum Principem elevat: *Non est Princeps*, ait, *supra leges, sed leges supra Principem.* Et hoc variis exemplis, quod hi qui contra has egerunt, depositos a Regno fuisse, demonstratur. conf. *Thucyd. de bello Pelopones. Bodin. 1. de Rebubl. cap. 8. pag.* 115. Id quod *Childericus ultimus Rex Galliæ familiæ Merovingiensis, & Carolus Crassus, Wenceslaus, Adolphus Imperatores, tum etiam Miezeslaus III. Polon. Rex experti sunt.* Item expertus *Christianus Rex Daniæ* quam historiam B. L. legat, apud Wolffgang. *Lazi. de migratione Gent. Meurs. lib. 3. histor. Dan.* Vide de hac quæst. *Henning. Arnis. lib. de potest. Princ. sp. inviol. cap. 1. Theodor. Reinking. lib. 1. class. 1. de regim. sec. cap.* 5.

[17] *Aristoteli.*) Distinguunt quidam inter Imperium Regis, quod non est ex lege & quod est ex voluntate Regis, sed male, quia omnes Reges justi & legitimi subjiciuntur legibus. Qui leges contemnunt Tyranni potius sunt, quam Reges. Sic Rex Angliæ a populo libere electus est, & populus leges ipsi præscripsit, quas se observaturum promittere debet. Ergo non ex voluntate propria & arbitrio gubernat. Sic Rex Lacedæmoniorum olim regebat populum juxta leges præscriptas, & Rex omnis qualiscunque sit adstringitur 1. ad legem moralem, quæ est naturæ ratio, ut loquitur *Cicero. Rom.* 2. 14. 2. Dantur etiam certæ leges a populo præscriptæ, juxta quas Respubl. gubernari debet, & ad quas Rex juramento adstringitur. 3. ille ultro potest ferre leges in se & suam familiam, ad quas sit adstrictus. Quod tamen attinet ad leges politicas & forenses, quas ipse fecerit illis, procul dubio est solutus. Sic Reges Judæorum subjecti fuerunt legi morali, ceremoniali & forensibus, quæ a Deo latæ erant, nec ullus habuit potestatem eas abrogandi, quamvis sæpissime legem transgressi sint, uti exemplo nobis est *Salomo*, qui duxit filiam Regis Ægypti: imo aliquando gravissime puniti sunt Reges, qui omnibus legibus se solvere voluerunt, ut patet ex Iacob. 11. Rege Angliæ.

[18] *Judicibus paruerunt.*) De quibus *Adrian. Houtuyn. de Monarch. Hebræor. cap. 4. pag. 66. seqq. edit. Lugd. Bat.* 1685. Status itaque sub judicibus incepit a *Josua*, quamvis hic proprie non fuerit judex, cum absolutam in populo habuerit potestatem; Judices vero non ita, sed solum fuerint Duces assumti ad bellandum, quando hostes acrius insurgebant. conf. *Fenardent. in cap. 1. Ruth in digressione quadam de judicibus. Reiner. Reinecc. in hist. Jul. de regno Israelit. Abulens. præfat. in lib. Jud. a quæst.* 9. ubi quid discriminis inter hunc Judicum statum & sequentem Regum interfuerit, late prosequuntur. Desiit vero hic status in Samuele; qui fuit ultimus populi Judex.

[19] *Ad Optimum Statum.*) Scil post Captivitatem Babylonicam; ubi notandæ periodi 1. sub Ducibus & Pontificibus. 2. sub Asmonæis & Regibus. 3. sub Herode Rege. Licet itaque Duces fuerint, attamen subjecti Persis, quamvis vixerint magna in libertate. vid. *Clod. dissert. An speranda judæorum conversio. pag.* 36. Hi postea per Antiochum miserri-

me

me sunt afflicti, sed tamen a servitute ista liberati per Asmonæos, qui erant ex tribu Levi & familia Sacerdotum, non tamen ex familia summorum sacerdotum. vid. *Joseph.* conf. *Mendoza in quatuor lib. Reg. annot.* 3. *proem. sect.* 10. *fol. m.* 85.

[20] *Sub nomine Regis.*) Fuerunt quasi Reges, quousque Romani regiam illis dignitatem ademerunt, relicta Pontificali: & reges alienigenæ esse ceperunt.

[21] *Herodes magnus.*) Hic cum esset alienigena, regnum Judæorum adulterina fraude quæsivit teste Ambros. ac tandem a Romanis impetravit, ut *Joseph. lib.* 14. *antiq. c.* 26. *Hegesipp. l.* 1. *c.* 30. *Eu-seb. lib.* 4. *c.* 6. & alii testantur. Et hic status semper fuit tributarius, donec Respubl. a Tito plane eversa fuerit.

[22] *Potestatem creandorum Pontificum.*) Hinc Judæi vehementer conquesti sunt de Tyrannide Romanorum, qui obtruderent ipsis Pontifices illegitimos, illique Pontificatum cederent, qui plus pecuniæ daret. Pontificatum quippe, ut ut ex lege perpetuus esse debuerit, sub ultimis tamen illis turbulentis & corruptis Reipublicæ Judaicæ temporibus venalem & ambulatorium factum fuisse vel ex *Jasonis* & *Menelai* exemplis 3. *Maccab. c.* 4. patet. Sed sibi hoc potius imputent Judæi, quod conqueri habeant. *Asmonæi* enim Pontificatum sibi tribuebant, licet non fuerint ex familia summorum Sacerdotum.

[23] *Tripartitum.*) Tripartitum tale Imperium ad hunc usque diem viget. e. g. in Belgio fœderato ubi 1. est status Generalis qui curat generalia harum Regionum. 2. Quælibet Provincia proprias habet suas leges propriisque Rectoribus paret. Et 3. uniuscujusque Provinciæ civitas rursus suas peculiares leges habet. Sic etiam Rex Angliæ tria quasi tenet Regna, *Angliæ*, *Scotiæ* & *Hyberniæ*, quæ singula sua habent Parlamenta & dividuntur in varios Comitatus, Regiones & urbes, quæ singulæ propriis gaudent & Legibus & Institutis.

CAPUT SEXTUM.

De cive Israelita, & Proselyto.

EXplicata Hebraicæ reip. forma, sequitur, ut qualis hujus reip. civis fuerit, demonstretur. Censuit igitur [1] Aristoteles, [2] varios pro varietate rerumpublicarum cives existere: qui vero [3] optimæ reip. civis esset, eum & consiliorum, & judiciorum compotem esse. Quæ definitio ad civem quoque accommodari Hebræum potest, ut is demum in eorum rep. civis fuerit, qui particeps consiliorum judiciorumque extiterit. Nam sacra non omnibus communia, sed propria Levitarum fuerunt. Est propterea illud etiam admonendum, Hebræorum populum [4] bipartitum fuisse, unum indigenarum, qui Græce αὐτόχθονες, alterum advenarum, qui προσήλυτοι dicti sunt, quo nomine Proselytorum usi sunt etiam, qui Latine sacras historias converterunt. Indigenæ fuere omnes, qui ab Israele genus, ut dixi, trahentes cum lege circumcisionem sumserunt; quam Deus Abrahæ mandaverat XVIII. Genesis, his verbis: *Infans octo dierum circumcidetur in vobis, masculus, cujus præputii caro circumcisa non fuerit, delebitur anima illius de populo suo, quia pactum meum irritum fecit.* [5] Proselyti fuere alienigenæ, qui ex gentibus procreati, sed [6] ab idolorum ad Dei cultum traducti [7] circumcisione donati sunt: quos Deus pro indigenis haberi mandavit Exodi XII. loquens de institutione Paschæ: *Quod si quis peregrinorum in vestram voluerit transire coloniam & facere Phase Domini, circumcidetur prius omne masculinum ejus, & sic rite celebrabit, eritque sicut indigena terræ. Si quis autem circumcisus non fuerit, non vescetur ex eo. Eadem lex erit indigenæ & colono qui peregrinatur apud vos.* Sic Latinus. At Græce aptius: *indigenæ, & proselyto, qui peregrinantur inter vos, qui obtulerit holocaustum, sive victimam, & ad ostium Tabernaculi Testimonii non adduxerit eam, ut offerat Domino, interibit de populo suo*; & secundo: *Æquum judicium sit civi, & advenæ*, id est proselyto. Quemadmodum autem gentiles circumcisi ad Judæos transirent, exstat exemplum Sichimitarum in Genesi tempore Jacob, item Achior, Judith XIV. *Achior videns virtutem, quam fecit Deus Israel, relicto gentilitatis ritu credidit Deo, & circumcidit carnem præputii sui, & appositus est ad populum Israel, & omnis successio generis ejus usque in hodiernum diem.* Johannes inde Hyrcanus rex Idumæos subactos ad circumcisionem accipiendam adegit. Quare [8] Herodes Idumæus proselytus fuit, non antiqua stirpe Judæus. Itaque ut ipse regnum Judæorum proselytus cœpit, sic pontificatum etiam proselytis tradidit. [9] Quantum vero studium poneretur a Judæis in eo, ut proselytos facerent, id est, ut gentiles circumciderent, docuit Christus alloquens eos Matth. XIII. *Vos circuitis mare, & aridam, ut faciatis unum proselytum, & cum fuerit factus facitis eum filium gehennæ duplo, quam vos.* Hinc secundo Paralip. XXX. *Hilaritate perfusa est omnis turba Juda tam sacerdotum & Levitarum, quam universæ frequentiæ, quæ venerat ex Israel, proselytorum quoque de terra Israel, & habitantium in Juda*; & Ezechielis XIV. *Homo de domo Israel, & de proselytis, quicunque advenæ fuerunt in Israel, si alienatus fuerit a me, & posuerit idola in corde suo*; & Actuum II. *Judæi, & Proselyti.*

NO-

NOTÆ AD CAPUT SEXTUM.

[1] *Ariſtoteles* .) Vide *lib.* 3. *Polit. c.* 1. ubi hæc profert verba : Cum civitas ſit civium multitudo , oportet haud dubie , ut primum omnium de cive diſſeramus : qui cum alius ſit in alia Reipubl. forma, tamen cives in univerſum , judicandi & deliberandi facultate cenſentur . Item cui deliberandi & judicandi in quaque civitate facultas adeſt, hunc civem eſſe definimus & civitatem, talium hominum multitudinem , cui copia ſuppetit earum rerum , quæ pertinent ad vitam degendam . Cives igitur non ſunt, quibus Magiſtratus & officia publica civitatis non communicantur.

[2] *Varios*.) Autori noſtro cum Ariſtotele contrarius eſt *Bodin. lib.* 1. *de Republi.* c. 6. quando Ariſtotelem reprehendit, quod cives ad Rempubl. elatos negat unius eſſe modi , 3. *Polit. c.* 1. & in optima Republ. virtute præditos, ſeu ut male interpretatur *Bodinus* , patritios magis eſſe cives dicit , quam promiſcuam & ſordidis opificiis depreſſam plebem, *lib.* 3. *Polit. c.* 3. Quod ipſe falſum eſſe contendit in Republ. *Helvetiorum* & Argentinenſium , ubi nobiles fere ab omnibus imperiis ſummoventur . Si Ariſtoteles in civitate abſolute , ſeu in quavis Republ. optimos quoſque magis cives vocaſſet eos, quos a beatitate ſordida & ſedentaria vita tam longe arcet, quam longe eoſdem tenet a virtute , fortaſſe aliquid contra Ariſtotelem dixiſſet , ſed quia Ariſtoteles tantum de optima Republ. quæ ex virtute conditur, loquitur, quorſum accerſitur inſtantia ex corrupta. Hoccine eſt corrigere virtutes ad normam vitiorum ? Nam quod ad cardinem negotii attinet , in ipſis Argentinenſium & Helvetiorum Rebuſpubl. alios magis eſſe cives fatentur, neceſſe eſt, alios minus. Quo enim felicitatem civitati propoſitam magis aſſequitur quiſque civium, eo propius ad perfectionem accedit, & in eo genere , quod certis gradibus diſtinguitur, primas tenet. Dubium vero non eſt, felicius in Republ. vivere eos , qui ad alternum imperium & honores admittuntur, quam qui a fructu Reipubl. prorſus excluduntur , ad ſervilem tantum obedientiam damnati, in primis ſi plebs abjecta ad ſe ſolum omne imperium rapiat, & ſummis quibuſcunque nata ingenia ſervili dominatione premat , quem ſtatum corruptam Democratiam vocat *Ariſtotel.* & Tyrannide non minus vitioſam . Per rerum autem naturam fieri non poteſt , ut eadem ſit civium ſeu ſubditorum natura in corrupta & integra Republ. cujus rationem inexpugnabilem adjicit *Ariſtotel.* 3. *Polit. c.* 1. &c. vid. *Arniſæ. cap.* 5. *de differ. civit. pag. m.* 431. Denique ita concludit : Quot ſunt gradus ſubjectionis, tot ab iis inferri civium varietates oportet, cum ſpecies mutentur, quoties mutatur differentia.

[3] *Optim. Reipubl.*) In hac Republ. nemo alius civis fieri poteſt , niſi qui eligere queat imperium & ſubjectionem ad vitam, ſecundum virtutem. vid. *Ariſtol.* 3. *Pol. c.* 8. *& lib. eod. c.* 3. *in fin. lib.* 7. *in pr.* Hinc recte *Sigon. lib.* 1. *antiq. jur. Civ. Rom. c.* 1. Varietatem civium Romanorum propoſiturus primo loco definit eum , quem optimo jure , ſeu optima lege , hoc eſt , plenum & perfectum civem conſtituit , id quod ex communi methodo , qua definiri & tractari convenit Analogas ſpecies ductu *Ariſtotel.* 3. *Polit. c.* 1. *&* 3. nobis hoc loco generali civium diviſione ſequendum eſt . Vide de his fuſe agentem *Arniſ. cap.* 5. *de differ. civ.*

[4] *Bipartitum*.) Populus Hebræorum non *bipartitus*, uti autor noſter vult, fuit, ſed potius *tripartitus*. Erant etenim ibi *indigenæ*, qui Græce vocabantur αὐτόχθονες i. e. tales , qui ex Iſraelitis in terra Sancta nati & educati ſunt, non eo modo ſumendo vocabulum, quo *Athenienſes* ſe jactabant αὐτόχθονες, nullas alias ſuorum cauſas agnoſcentes, ſed a ſe ipſis proveniſſe, & ante omnes alios homines extitiſſe , quæ fabula orta eſt ex eorum ambitione, quod omnibus imperare, nulli ſe ſubmittere voluerint. Iſraelitæ etiam dicti, qui aliunde ex *Aſia* , Africa aliiſque Regionibus tranſierant & religionem Judaicam complexi erant & hi *proſelyti* Juſtitiæ dicebantur . Erant denique etiam *Proſelyti* portæ. de quibus videri poſſunt *Godwin. Moſ. & Aaron. de Proſelyt.* cl. Alting. *de Proſelyt.* & D. Clodii differt. capit. huic annexa *de Proſelytis* .

[5] *Proſelyti*.) Hebraice vocantur גרים . *vid. Selden. de Synedriis Hebræorum lib.* 1. *c.* 3. *p.* 19. *ſeqq.* i. e. *Alting. diſſertat. Philolog. ſeptim.* §. 1. *pag. m.* 236. *Ludov. Michael. Crocius in notis ad Obadiam pag. m.* 41. 5. *lit. F.* peregrini vel advenæ , quæ vox ſi etymolog. ſpectes, generatim quoſvis peregrinos denotat, a גור peregrinari ſeu extra patriam vivere . In ſpecie autem tribuitur iis teſte Cœlio *Rhodigin. lection. antiq. lib.* 5. *cap.* 9. *fol. m.* 250. qui e gentibus vel Judaicam Religionem amplectebantur, vel in ſe ſuſcepta ſeptem Noachi præceptorum obſervatione inter Judæos habitabant . vid. *Selden. de Syned. Hebr. cap.* 3. *pag.* 21. *lib.* 1. Quod ſuæ diſſertationi præmittit R. Bechai in had hakkemach tit. ג. voc. גור *fol.* XIX. quem citat *Reverend. vir. Bened. Carpzo. in notis ad Schikardi* משפט המלך *cap.* 5. *pag. m.* 322. Verba autem hæc ſunt . Quicunque Iſraelitarum ex una urbe in alteram proficiſcitur is vocatur Ger. Sic qui a Gentibus amplectitur Judaicam religionem dicitur Ger. & quidem גר צדק proſelytus juſtitiæ . Similiter Gentilis qui ſuſceperit in ſe, quod nolit amplius idololatriam colere, veneritque ad habitandum inter nos, vocatur גר תושב proſelytus domicilii . vid. *Selden. pag.* 19. *de Synedriis Hebr. lib.* 1. Et ſunt teſte *Altingio* §. 10. qui peregrini gente ac religione inter Iſraelitas rerum potientes domicilium habent ; differunt enim גר בארץ peregrinus in terra ab אורח נטה ללין viatore qui deflectit ſolummodo ad pernoctandum . Confer *Jalkut chadaſch tit.* גרים *fol. LIII. col.* 3. *ſeqq. Buxtorff. Lex. Talmudic. fol.* 407. *ſeqq. Seldenus de jure naturæ & Gent. c.* 11. *& ſeq. pag. m.* 838. Quotuplices fuerint R. David. Kimchi in Radd. refert: כל גר שהזכירה תורה שהיא גר בארץ ישראל הוא שקבל עליו שלא לעבור עבודה זרה ויש מהם שנתגייר מכל ושנעיבר והורה הגר שהזכירה תורה על ענין המצורה i. e. Omnis peregrinus cujus mentionem facit lex , quod peregrinus ſit in terra Iſraelis , ille eſt , qui in ſe recepit, quod nolit colere idola . Eſt tamen inter eos, qui ab omnibus (gentilium ritibus) peregrinus factus eſt , quique Judæus evaſit . Atque iſte eſt, cujus mentionem facit Lex in negotio præceptorum . Prior ille agit aliquid a patriis moribus alienum , poſterior non ſolum idem. Plurimi autem ſtatuunt triplices fuiſſe inter quos eſt *clariſſ. Hottinger. lib.* 1. *theſ. Philolog. c.* 1. *ſect.* 3. *pag.* 18. *Leusdenius Philolog. Hebr. mixt. diſſ.* xxi. *quæſt.* 2. *p.* 143. *Seldenus de Synedriis Hebr. lib.* 1. *cap.* 3. *pag.* 21. *Alting. diſſertat.* 7. *Philolog.* §. 6. *pag. m.* 237. *plurimum Venerand. Benedict. Carpzov. in notis ad Schikardi* משפט המלך *pag.* 323. *cap.* 5. Ita in Jalkut tria conſtituuntur genera : שלשה גרים הם יש גר שנתגייר לשום אכילה השני להיות מתפרנם כעני השלישי שנתגייר לשמו של הק"בה Triplices ſunt peregrini, unus eſt qui peregrinus evaſit propter cibum, alter ut alatur , ceu pauper ; tertius propter nomen ſancti benedicti illius tit. גרים. cui conſentit. *Selden. de jure naturæ & Gent. lib.* 2. *cap.* 3. *& lib.* 7. *cap.* 6. Prioris generis in ſcriptura dicitur . 1. ſimpliciter גר. *Exod.* 22. 21. 2. Addito epitheto גר תושב. *Levit.* 25. 47. & juxta R. Moſen in Jad. Chazaka . *Hilch. Iſſur. bia. cap.* 14. גרי שקבל עליו שלא יעבור עבודה זרה ומולות עם שאר המצורת שנצטוו בני נוח ולא מל ולא טבל הרי זה מקבלין אותו והוא מחסידי אומות העולם Gentilis qui in ſe ſuſcepit non colere Idololatriam & tenere præcepta reliqua , quæ mandata ſunt filiis Noachi : quique nec circumciſus , nec baptizatus fuit : ecce hunc ſuſceperunt , uti quendam e piis gentibus mundi . 3. Per periphraſim *Exod.* 20. 10. *Deut.* 14. 21. Unde Rabbinis vocari ſolent גרי שער peregrini portæ. Plura qui legere deſiderat evolvat viri laudati notas ad Schikardi משפט המלך *Carpz. pag. m.* 323.

[6] *Ab Idolorum , ad Dei cultum &c.*) Proſelytorum religio poſitivam legem quidem non habet , ut vis conſcientiis fiat & imperetur fides ; habet tamen negativam , ut ab omni externa Idololatria ſejun-

sejuncta sit, idque sub pœna capitis. Kimch. in radic. גר אשר בשערך הוא הנכרי הגר בארץ ישראל שקבל עליו שלא לעבוד ע״ז Peregrinus in portis tuis est alienigena, qui commoratur in Israelitis, quique recepit, se non coliturum idola, cui consentit *Maimonides de Regibus cap.* 8. sic inquiens: Mulierem speciosam (quam quis ex captivitate duxit) quæ idololatriam suam deserere abnuit, post totos XII. menses, occidunt. Sic quoque cum urbe, quæ pacem poscit, non ineunt fœdus, antequam renunciaverint Idololatriæ ejus incolæ, perdiderintque omnia loca illi destinata. conf. *Crocius ad Obad. pag. m.* 42. Præter Idololatriam alia quoque observare oportebat septem scilicet præcepta Noachi, quæ Adamo tradita esse scribit *Maimonides in Hilch. de regib. & bell. cap.* 9. & ex eo *Ludov. Michael Crocius in annotatis ad Obadiam pag. m.* 42. Sed & addit, quod præcepta hæc, quæ recenset *Cosri part.* 3. *p.* 73. *R. Lipman. in Sepher. Nizzach. p.* 23. & 25. materialiter divina sint, non a Deo singulatim tradita, vel adeo antiqua, ut Adamo tribui possint, notante *Hornbeckio in convert. Jud. p.* 488. Quod autem stricte observari oportuerit hæc præcepta *Maim. de regib. c.* 8. satis demonstrat, dicens: Præcepit Moses Magister nost[e]r ex ore τῆς δυνάμεως, cogendos esse quosvis, venientes in mundum, ut recipiant præcepta, quæ Noachi filiis præcepta sunt; Quisquis vero non recipit observanda, necabitur. Recipiens autem ille est, qui peregrinus habitatione appellatur ubique. Non autem sufficit observatio qualis qualis sit, sed exacta, teste *Maimon. cap.* 19. qui unum ex illis transgreditur præceptis, gladio necabitur. Neque excusationem affert ignorantia juris, etsi veniam habeat ignorantia facti *cap.* 10. Sicut igitur nefas aliquid de istis præceptis omittere; ita quoque nefas aliquid addere, ut ex *Maimonide citat Jacob. Alting. differt. septim. p. m.* 241. §. 14. Scilicet nolunt, eos quicquam agere ex obligatione legis, quæ vel ipsis lata non fuit, vel non, nisi ab ipsismet lata & autoritatem habet. Accedit demum quod obligatio illa debeat esse religiosa teste *Maimonid. cap.* 8.

7 *Circumcisione donati.*) Cum nostro videtur *Joh. Seldenus in libro elegantissimo de Synedriis Hebræorum sola circumcisione Proselytos factos, lib.* 1. *cap.* 3. *pag. m.* 32. consentire, sed si consequentia consideramus, observandum, Seldenum dicto loco loqui ante receptionem legis, cum pag. statim sequente tria ad Proselytum adducit requisita, Circumcisionem, baptismum & Oblationem. *Magnif. Dn. Capzov. in annotationibus doctissimis ad. Schikard.* משפט המלך *pag. m.* 328. *cap.* 5. *Theor.* 17. dicit duo requiri potissimum ad Proselytum: Circumcisionem & baptismum, quo veluti generali canone R. Jacob ben Ascher suas Hilcoth gerim. auspicatur in Arba turim *parte* 2. *Jore deah. fol.* 65. *col.* 2. Proselytus qui ad suscipiendam Religionem Judaicam accedit, non prius pro Proselyto habetur, quam circumcisus & baptizatus fuerit. *Gemara Babylon. ad tit. Ceritboth. cap.* 2. *fol.* 9. idem affirmat: ut nobis idem denotat, quod ut patribus vestris s[e]u ut majoribus vestris. Quid vero Patres s. Majores vestri? Sane illi non intrarunt fœdus sine circumcisione ideoque nec Proselyti intrant in fœdus sine circumcisione. Plura apud *Joh. Selden. cap.* 3. *lib.* 1. *pag.* 35. *seqq. de Jure N. & Gent. lib.* 5. *c.* 15. R. Mardochæus dictus Jophe in Lebhush. Altereth Zahabh. Hilch. haggerim *num.* 268. *part.* 1. הגר הבא להתגייר וליכנס לקהל ישראל אינו גר עד שימול ויטבול Peregrinus qui venit, ut fiat Proselytus, & ingrediatur congregationem Israelis, non est proselytus, donec circumcidatur & lavetur. Ita *Talm. Jobtam. fol.* 47. 1. לעולם אין גר עד שימול ויטבול וכיון דלא טביל נכרי הילוני Numquam est proselytus, donec circumcisus & baptizatus est. Si autem non baptizatus fuerit, est alienus. Errat igitur Sigonius noster, cum sola circumcisione proselytos fieri affirmat, cum tamen nullo loco unum tantummodo requisitum ponatur. Qui duo ponunt, ut Magnif. Dn. Carpzov. dicto loco duo in unum contrahunt, sed omnia tria in unum contrahere, haud invenire licet. Communis ergo sententia est, tria esse requisita. vid. *Selden. de Synedr. Hebræorum. lib.* 1. *cap.* 3. *pag. m.* 38. *Ludov. Michael. Crocius in annotat. ad Obad. pag. m.* 42. *Jacob. Alting. differt. suarum differt.* 7. *pag. m.* 248. §. 24. nempe circumcisionem, Baptismum & Oblationem. De circumcisione dicit Altingius ex Rabbinis in Ægypto peractam fuisse, cum celebraretur Pascha, quod Seldenus supra citato loco verum & haud erroneum dicit: Circumcisionis usus, (verbis utor ejusdem,) erat in Ægypto, juxta quod dicitur *Exod.* 12. 48. Nemo incircumcisus comedet de Paschate. Atque simili modo per omnia postmodum secula, quoties Ethnicus seu gentilis voluerit intrare in fœdus seu in fœdus illud recipi, atque sub alis Majestatis divinæ colligi, jugumque legis in se suscipere, necesse fuit, ut circumcisio & baptismus adhiberetur præter sparsionem sacrificii. *Selden. pag.* 39. De baptismo, qui adhibitus fuit in deserto ante legem datam. Hinc factum quod Proselytus circumcisus & non baptizatus, baptizatus nec circumcisus, revera proselytus non sit, usque tum baptizatus fuerit tum circumcisus. *confer. Jacob. Alting. differt.* 7. *Philolog. pag. m.* 256. §. 33. plura qui desiderat de baptismo Proselytorum evolvat *Lightfoot. Hor. Talmud. Heb. in Matth.* 3. 6. *pag.* 40. *seqq. Alting. differtat. Philolog.* 7. §. 24. *seqq. pag. m.* 248. *Magnif. Carpzov. in annotat. ad* משפט המלך *Schikardi pag. m.* 329. *Observat. Georg. Ganz. in annot. Ethic. ad Hilch. deoth Maimon. pag.* 91. Sic *Lebusch Athereth. Zababh. num.* 257. *parte* 30. Proselytos fieri circumcisione & baptismate hodierno die, quippe cum sacrificia extra Hierosolymam plane prohibita: Priusquam autem Proselytus fiat, monet iterum autor *Lebusch. Athereth. Zababh. num.* 268. *parte*. 2. lege instituendos esse, sic dicens. Non facient quenquam Proselytum, nisi nota illi faciant legis fundamenta, nempe unitatem Dei & Idololatriam prohibitam. *conf. Alting. diss.* 7. §. 29. *pag. m.* 253. *seq.* notas faciunt quoque pænas, quas si transgreditur præcepta habiturus sit & xxx. Præceptis imbutis. Qui circumcidit eum מוהל Mohel appellatur vulgo ab arte & munere. Benedictionem vid. *in not. ad Schikardi jus Regium D. Carpzovii. pag.* 329.

8 *Herodes Idumæus proselytus fuit.*) Hic autores maxime laborant, quærentes, an Herodes fuerit alienigena, an vero Judæus. Inter has quæstiones utraque invenit defensores. Quidam intendunt prorsus fuisse alienigenam: Alii affirmant Judæum fuisse. Priorem sententiam qui tuentur his rationibus probare conantur, partim autoritatibus, partim rationibus. Autoritas varia adduci potest; sed hic iterum in diversas abeunt sententias. Quidam Ascalonitam putant, alii Idumæum, non tantum quod patre Antipatro in Idumæa capto natus, sed & quod Majores Idumæos habuerit. *confer Petrum Galatin. in opere de Veritate Religion. Cathol. lib.* 4. *cap.* 6. Sic communis sententia Patrum, alienigenam fuisse Herodem sive Ascalonitam s. Idumæum. In hac sententia sunt Origenes, Epiphanius, Cyrillus Alexandrinus, Augustinus & alii. Apud *Euseb. lib.* 8. *demonstrat. Evangel.* ἀλλόφυλος dicitur, quæ sententia Julio Africano, tum Josepho adscribenda, qui *lib.* 14. *antiquit. cap.* 11. Idumæum vocat. In hac sententia etiam sunt Nicephorus, Beda & ex recentioribus *Salmero. Tract.* 38. *Tom.* 3. *Baronius* §. 5. *appar. ad annal. Genebrard. lib.* 2. *Chron. ad annum mundi* 4091. *Montacutius Exercit.* 10. *Sect.* 1. Serarius prolixe contendit ἀλλόφυλον & Ascalonitam post proselytum circumcisum cum patre. Opusc. de Herode *cap.* 15. Petavius contra Idumæum statuit. Supra autem diximus quod rationibus quidam probare velint. Igitur ut videatur quænam rationes sint, paucis, & brevibus adducam. 1. Igitur Herodem fuisse ἀλλόφυλον hæc est, quod Herodes ab Antigono concionem habens Idumæus vocatur. *Joseph. lib.* 14. *cap.* 24. 2. Herodem gentibus magis favisse, quam Judæis. 3. Herodem varia spectacula instituisse. 4. Odio capitali in Judæos exarsisse. Ex quibus satis constare putant non Judæum, sed alienigenam fuisse. Contra sunt viri Doctissimi, statuentes, Judæum fuisse ut Scaliger & Casaubonus *in exercit. ad annal. Baron.* quibus accedit Augustinus Torniellus in annalibus ad annum Christi 4028. Sed hic iterum duæ diversæ sunt sententiæ: Alii Judæum & ex familia Jacobi esse: Alii gente Idumæum, attamen Judæis adscriptum. Prioris opinionis autor est Nicol. Damascenus ut videre est apud Josephum *lib.* 14. *antiq. cap.* 11. Herodem natales suos ducere a primatibus Judæorum, qui de captivitate Judaica redierant in Judæam. Rejicit hoc Josephus & dicit, in gratiam Regis Herodis Damascenum hoc dixisse. Damasce-

no

no autem consentit Augustinus Torniellus his rationibus. Si Herodes natione fuisset Idumæus, credibile illum pro ferocitate & audacia sua procul dubio Judæos ad ritus gentis suæ pertracturum fuisse. 2. More Judæorum vixisse, quod probatur dicto Augusti quod refert Macrobius Saturnal. *lib.* II. *cap.* 4. melius est esse porcum Herodis, quam filium. 3. Adde acta Zelum legis testantia. *vid. Joseph. lib.* 14. Antiq. cap. 38. & lib. I. περὶ ἁλώς. *c.* 13. 4. In exstruendo templo proprio motu acto, ubi Judæos ἄνδρας ὁμοφύλους vocat. 5. Pauperibus gratiam acquisivit apud Agrippam. 6. Probabile non est Judæorum Reges credituros fuisse Idumæam viro tam potenti, qualis erat Antipater. 7. Parum probabile Hyrcanum seu summum Pontificem neptim suam in matrimonium nondum Regi Herodi elocasse, si fuisset ἀλλόφυλος, quod prohibitum, & vereri oportuerit, ne seditionem moveret & quæ alia. Audiamus nunc & alias rationes priusquam ad supra citata respondeamus. Scaligeri & Casauboni opinio diversa ab hac opinione. *Scaliger. in animadvers. in Euseb. num. M.* DCCCCLXXXIII. contendit Herodem fuisse Idumæum & Idumæis proselytis prognatum, Idumæos autem jamdudum pro Judæis habitos, ex quo Joannes Hyrcanus illis permisit accepta circumcisione & ritibus Judaicis, Judæorum numero esse, secundum *Joseph. lib.* 14. *Antiquit. cap.* 17. Negari igitur non potest, veteres Proselytos non alienigenas vocari, sed potius ipsos Judæos. *Casaubonus exercit.* I. *ad apparat. Annal.* 3. pluribus probat Herodem non fuisse alienigenam cui consentit *Henr. Valesius annotat. in histor. Ecclesiast. Euseb. fol. m.* 12. 1. autoritate Strabonis a quo vocetur ἀνὴρ ἐπιχώριος. 2. Judæos dictos non tantum, qui nascebantur ab Abrahamo, sed & qui fiebant Judæi, Hebræis גרים Hellenistis προσήλυτοι & quæ alia quam plurima, quæ apud Casaub. dicto loco videri poterunt. Ut autem brevibus opiniones priores tanquam Herodem fuisse prorsus ἀλλόφυλον repetamus fundamenta levia sunt. 1. Fabulæ Judaicæ ab hominibus otiosis gratis confictæ & a Galatino dicto libro repetitæ. 2. Autoritates Patrum quod attinet, illæ ab unius Africani autoritate sunt suspensæ, cujus narratio vacillans. 3. Ex locis quibusdam Josephi male intellectis. Quod Herodes dicatur Idumæus, fatendum, quia ortum suum, non a Jacobo, sed Esavo duxit. Hinc igitur infero non fuisse gentilem. Quod Judæis non favisse dicatur, partim ἐκ τοῦ ἐν μέρει cum Judæis etiam sæpe faverit, partim inconsequens caussa non ἀλλοφυλισμός, sed partim Judæorum, a quibus ob δυσμένειαν sæpe erat lacessitus &c. Opiniones quod attinet has, falsas censeo extremas, veram mediam. Falsum plane Herodem fuisse alienigenam gentilem & ἀλλόφυλον, quod Baronius & Serarius affirmant. Falsum etiam Herodem fuisse Judæum γνησίως. Vera sententia, qua Jesephi Scaligeri & Casaubon. Idumæum fuisse origine, sed cujus Majores erant מתיהדים Ἰουδαϊζόμενοι. Fuit igitur Idumæus, sed religionis professione potius, quam religione Judæus, cujus Majores genti Judaicæ inserti erant & Judæis ab-Hyrcani tempore accensiti, non vero Judæum ex familia Jacobi. De Proselyti nomenclatione non anxie litigandum, modo constet Herodem non fuisse Judæum γνήσιον vel αὐτόχθονα Hebræorum sed ἔγγραπτον, qui habuerit majores προσηλύτους vel ἐπηλύτας. Προσήλυτος ergo Herodes potius quam ἀλλόφυλος & semper distingui poterit a Judæis, qui ἄνωθεν & ἀρχῆθεν tales erant & Jacobi sanguis. Sic Paulus se & alios Judæos ἄνωθεν, tales *Galat.* II. 15. vocat Ἰουδαίους φύσει natura Judæos contradistincte nimirum ad quosvis proselytos e gentibus. Certum ejusmodi Proselytorum Judæos vocatos fuisse ex *cap.* II. Actor. liquet. De Proselytis qui plura desiderat, evolvat dissertat Schlevogtii, ubi plura.

[9] *Quantum studium.*) Judæi libentissime Proselytos circumcidebant ob magnos quæstus, quos ab iis expectabant. Debebant enim servire solis Magistris, ut magnum inde accesserit ipsis commodum.

CAPUT SEPTIMUM.

De urbe reip. sede.

REgio porro, in qua hæc constituta respubl. fuit, magnæ pars Syriæ fuit, cujus longitudo a Syria Antiochena ad Ægyptum & Arabiam, latitudo a mari Syriaco ad Cœlen-Syriam, Arabiamque alteram prodiit. Hanc mediam ferme Jordanes fluvius secuit, qui (ut inquit Plinius) artus [1] e fonte Paneade, ubi primam convallium occasionem est nactus, in lacum se fundit, quem plerique Genesaram nominarunt: (in Evangelio vero stagnum [2] Genesareth, & mare Tiberiadis appellatur) inde velut invitus [3] Asphaltitem lacum (quod etiam mare mortuum dicitur) dirum natura petit: a quo postremo absorptus aquas laudatas pestilentibus miscet; universa regio antiquitus in sacris literis terra, ut dixi, Chanaan, sive Chananæa dicta est, tum cum Abraham jussu Dei huc ex Mesopotamia transiit, atque per ea tempora a septem populis habitata fuit, Amorrhæis, Chananæis, Gergesæis, Hettæis, Hevæis, Jebusæis, & Pherezæis, quibus etiam Philistæi sive Palæstini adjungi possunt. Inde posteri Israel, cum hanc armis occupavissent, terram Israel appellarunt, atque in XII. ut dixi, partes diviserunt, quas tribus vocarunt; trans Jordanem, Ruben, Gad, & Manasse; cis Jordanem, Juda, Benjamin, Simeon, Ephraim, Dan, Aser, Issachar, Zabulon, & Nephthalim. Decem inde tribubus a duabus avulsis, & post in Assyriam transportatis, partes hujus regionis hæ celebrari cis Jordanem cœperunt, Judæa, Samaria, Galilæa interiores, Palæstina vero maritima, Ituræa, Trachonitis, & Chalcidicia trans Jordanem. Judæa a tribu Judæ vocata ferme his insignita urbibus fuit, Hierusalem, Bethel, Hierico, Arimathia, Emmaus, sive Nicopoli, Bethleem, Hebron, Cariathiarim, & Eleutheropoli. Samaria ab urbe ejus nominis appellata, quam in monte Somer tribus Ephraim Amri rex condidit, hæc oppida habuit, Silo, Sichem, sive Sichar, & Samariam. Galilæa hoc nomine jam tum, cum Israelitæ trajecerunt, nuncupata, oppida amplexa est, Nazareth, Naim, Capharnaum, Bethsaidam, quæ post Julias, & Paneadem, quæ post Tiberias appellata est, eaque duplex fuit, superior ad mare Syriacum pertinens, & inferior ad mare Tibe-

riadis. Palæstinæ urbes celebratæ Geth, Gaza, Azotus, Accaron, & Ascalon. Inde prævalentibus Judæorum opibus tota regio [5] Judææ nomen invenit, quam post Christum etiam Palæstinam & Terram sanctam nominaverunt. Cum ergo, ut ad priora redeam, totius populi Israelitici una communis duodecim tribuum esset resp. statuendus etiam [6] locus fuit unus, quo omnes ex suis tribubus atque oppidis convenirent, ubi Deo sacrificia facerent, primitias offerrent, consilia in commune agitarent, judicia tractarent, & is demum sederet, qui summæ rerum sacrarum & profanarum præesset. Hunc vero Deus statuit esse illum, quem ipse invocando suo nomini delegisset, sic enim in lege loquutus est cap. XII. Deuteronomii: *Non facietis ita Domino Deo vestro, sed ad locum, quem elegerit Dominus Deus vester de cunctis tribubus vestris, ut ponat nomen suum ibi, & habitet in eo, venietis, & offeretis in eo holocausta & victimas vestras. Non poteris comedere in oppidis tuis decimam frumenti, & vini, & olei tui, sed coram Domino Deo tuo in eo loco, quem ipse elegerit*, & cap. XVII. *Si judicum sententiam in portis tuis videris variari, ascende ad locum, quem elegerit Dominus Deus tuus, ut ibi nomen ejus evoces*. Elegit autem eas urbes, in quibus Tabernaculum & Templum suum est constitutum, hæ vero fuere duæ, Silo in Samaria, & finibus Ephraim, deinde illa reprobata, Hierusalem in Judæa, ac tribus Judæ. De Silo hæc habemus testimonia. Cum Josue mandato Dei Tabernaculum cum Arca in Silo posuisset, ubi etiam sedem religionis & reip. collocavit. Unde illa sunt in illius historiæ capite XXII. *Congregati sunt omnes filii Israel in Silo, ibique fixerunt Tabernaculum Testimonii*; & XXII. *Convenerunt omnes in Silo, ut ascenderent, & dimicarent contra eos qui trans Jordanem erant*; & Judicum XXI. *Venerunt omnes ad domum Dei in Silo, & in conspectu ejus sedentes usque ad vesperum levaverunt vocem*; & paulo post: *Ecce solennitas Domini est in Silo anniversaria quæ sita est ad septentrionem urbis Bethel ad orientalem plagam viæ, quæ de Bethel tendit ad Sichimam*. Inde Deus rejecta Silo delegit Hierusalem, & [7] montem Sion in tribu Juda, eoque domum suam transferri cum tota rep. voluit, ac demum Silo quoque evertit; sic enim loquitur VII. apud Hieremiam: *Ite ad locum meum in Silo, ubi habitavit nomen meum a principio, & videte, quæ fecerim ei propter malitiam populi mei Israel*; & alibi: *Faciam domui huic in qua invocatum est nomen meum, sicut feci Silo*. Elegit autem Hierusalem tempore Davidis regis, is enim Jebusæos, quos Judas & Benjamin olim ejicere non potuerant, profligavit, atque ibi primus jubente Deo sedem posuit, arca in montem Sion translata. Qua de re scriptum est VI. secundi Paralip. ubi Deus ita loquitur: *A die, qua eduxi populum meum de terra Ægypti, non elegi civitatem de cunctis tribubus Israel, ut ædificaretur in ea domus nomini meo, neque elegi quempiam alium virum, ut esset dux in populo meo Israel, sed elegi Hierusalem, ut sit nomen meum in ea*; & quarto Regum XXI. *In templo hoc, & Hierusalem, quam elegi de cunctis tribubus Israel, ponam nomen meum in sempiternum*. Hinc Josephus legem hanc Dei sic concepit: *Sancta una urbs sit terræ Chananæorum in loco pulcherrimo, & virtute illustri, quem Deus illi elegerit, & templum unum in ea sit, & altare unum ex lapidibus non politis, in alia vero urbe neque templum, neque altare sit. Deus enim unus est, & unum Hebræorum genus, ter vero quotannis in eam ad templum ex finibus terræ conveniant, quam Hebræi possederunt, & Deo offerant ex eis quæ habent, & de futuris adhortentur, & convenientes inter se, & convivantes amici sint. Est enim honestum, non ignorare, se inter se contribules esse, & eorundem participes studiorum existere*. Itaque David huc alludens dixit psalmo LXXVII. *Et repulit tabernaculum Joseph, neque tribum Ephraim elegit, sed elegit tribum Judæ montem Sion, quem dilexit, & ædificavit instar Excelsorum sacrarium suum*: sive *sicut unicornium sacrificium suum*. Significat enim Deo non placuisse, ut templum ædificaretur in Silo in tribu Ephraim, & Tabernaculo Joseph patris Ephraim, qui illam terram extra sortem a patre acceperat, ut scriptum est XLVIII. Genesis, & post in ea urbe sepulturam acceperat, ut Josue XXIV. sed voluisse, ut exstrueretur in Hierusalem in tribu Judæ. Huc etiam, credo, pertinent verba illa Samaritanæ mulieris apud S. Joannem, quæ Christum ita allocuta est: *Patres nostri in monte hoc adoraverunt, & vos dicitis, quia Hierosolymis est locus, ubi adorare oportet*. Patres enim suos vocavit Ephraimitas, a quibus se manasse Samaritæ jactabant, eosque adorasse ait in monte Ephraim, de quo Josue XX. *Sichem in monte Ephraim*, nempe per eos annos, quibus domus Dei fuit in Silo; Judæos vero eam laudem sibi vindicare, & locum adorationis esse in Juda, non in Ephraim, quod esset in urbe Hierosolymitana, contendere. Hanc vero religionis & civitatis translationem in Hierusalem a Davide factam ipse etiam psalmo CXXI. cecinit, inquiens: *Hierusalem, quæ ædificatur, ut civitas, cujus participatio ejus in id ipsum. Illuc enim ascenderunt tribus, tribus Domini, testimonium Israel, ad confitendum nomini* Do-

Domini. *Quia illic ſederunt ſedes ſuper domum David*. Significat enim tribus, id eſt populum aſcendiſſe Hieruſalem, primum, ut laudarent Deum: deinde, ut poſcerent jus ſive a magiſtratibus, ſive a judicibus, tum cum a ſe ædificata, & in formam civitatis redacta eſt.

Cæterum [8] urbs Hieruſalem, ut latius, qualis fuerit, explicemus, primis temporibus Salem dicta fuit, & [9] regi Melchiſedec paruit, qui, ſacerdos cum eſſet, Abrahamo a bello redeunti, quod pro Lot captivo ſuſcepit, occurrit, ac panem & vinum obtulit, ut narratur XIV. Geneſis. Populus autem, qui illam incoluit, jam tum Jebuſæus dicebatur: quem Judas & Benjamin extrudere urbe non potuit uſque ad tempora Davidis. Itaque urbs in utraque tribu fuit, nam XV. Joſue ſcriptum eſt, Judam Jebuſæos incolas Hieruſalem exigere non potuiſſe, in vaticinio vero Moyſis Deuteronomii XXXIII. *Benjamin amantiſſimus Domini habitabit confidenter in eo*, *quaſi in thalamo tota die morabitur*, *& inter humeros illius requieſcet*; prædicitur, fore, ut Benjamin inter humeros Domini requieſcat, quod templum eſſet condendum in tribu ejus, & XVIII. Judicum additur, Benjamin non potuiſſe ejicere Jebuſæum habitatorem Hieruſalem, ſed inter eos ſedes poſuiſſe. Ex quibus intelligi poteſt, urbem Hieruſalem magnitudine ſua utrique tribui communicatam. Quocirca ſunt etiam, qui cenſeant, partem ipſius templi in tribu Benjaminis fuiſſe. Hæ certe duæ tribus propter vicinitatem & conjunctionem pro una tantum habitæ ſunt, quemadmodum poſt etiam in divortio tribuum factum eſt, cum Judas & Benjamin Roboamum ſequutæ unum Judæ nomen adeptæ ſunt. David autem ſpiritu divino inſtinctus (nam Deus illam ſibi, id eſt templo ſuo, ſedem delegerat) ubi primum regnum adeptus eſt Jebuſæos urbe exterminavit, atque ea exſtructa, murorum ambitum prolatavit: atque ibi arcem in uno colle montis Sion condidit, quæ urbem deſpectaret, ac munitam Civitatem David vocavit: atque eo domicilium ſuum cum Arca fœderis tranſtulit, poſt autem, cum in altero ejuſdem Sionis colle, [10] Moria vocato condere templum vellet, non probante Deo, eam gloriam filio Salomoni reliquit, qui regnum adeptus opus perfecit, atque in ejus præſidium arcem in tertio ejuſdem montis colle conſtruxit, teſte Joſepho V. Belli, & VII. Antiquitatum. Roboamo inde Salomonis filio regnante Siſac rex Ægyptiorum urbem cæpit, & theſauros regios aſportavit. Ezechia vero rerum potiente Sennacherib rex Aſſyriorum acri obſidione, ſed fruſtra, fatigavit. Inde Nabucdonoſor, rex Babyloniorum ſemel ſub rege Joacim, iterum ſub rege Joachim cæpit, ac tertio ſub Sedecia receptam evertit, atque una cum templo ſuccendit, populumque in Babyloniam captivum abduxit. Populo inde poſt LXX. annos in Judæam permiſſu Cyri Perſarum regis reverſo, templum per Zorobabelem, urbs per Neemiam, lex per Eſdram eſt reſtituta, arx quoque in tertio colle non longe a templo refecta. Mox ab Antiocho Epiphane Syriæ rege urbs direpta, lex cremata, templum profanatum eſt. Neque ita multo poſt omnibus his per Judam Aſſamonæum receptis, ac novo opere reſtitutis, florere opibus civitas cœpit, donec pravo duorum fratrum regum, Hyrcani & Ariſtobuli diſſidio Cn. Pompejus dux Romanus bellum in Syria gerens adductus ipſam occupavit, ac templo pepercit, quam paullo poſt Antigonus Ariſtobuli filius Parthorum ope recepit. Antigono vero Herodes Aſcalonita rex a Romanis declaratus C. Soſio Syriæ proconſule opem ferente ademit, ac tandiu poſteritas ejus tenuit, quoad in poteſtatem Judæorum beneficio Romanorum reverſa defecit. Quo tempore a Tito Cæſare Veſpaſiani Imp. filio rurſus in ditionem adducta, & cum templo ſolo æquata, atque combuſta eſt. Ad extremum Chriſtiana jam fide aſcita, per Hadrianum, ſed ſine templo, refecta, ab eo Ælia eſt nominata.

Atque hæc quidem ſunt, quæ in univerſum de rep. Hebræorum proponenda cenſuimus, ut his fundamentis jactis deinceps expeditius ad reliqua pergeremus.

NOTÆ AD CAPUT SEPTIMUM.

[1] *E fonte Paneade*.) Talmudici fontem Jordanis aſſignant *Panium* vel *Panenda*. *Joſeph. lib.* 15. *c.*13. *Antiquit.* Prope Panium, quod vocant, inquit, ſpelunca eſt in monte amœniſſima, eique ſubjecta in immenſum hians terræ devexitas, plena aquis ſtagnantibus. Ei mons magnus valde imminet, ſub ſpelunca autem ſcatent fontes Jordanis fluvii. vid. *lib.* 3. *c.* 35. & *lib.* 1. *c.* 16. *de bell. Jud. Talmud. Babyl. Bava Bathra fol.* 74. 2. Jordanes oritur e ſpelunca Paneadis. vid. *Joh. Lightfoot. cent. Chorograph. Matth. pag.* 122.

[2] *Geneſareth*.) Recte autor dicit, Jordanis fluvium in ſtagnum Geneſareth ſe fundere, cujus ſchema nobis exhibet celeber. *Joh. Lightfoot.* in *Chorograph. Marco præmiſſa pag. m.* 552. Regio autem *Genneſaretica* ita vocatur quaſi גני סרים *hortos Principum* diceres, quia Magnates ibi plurimos hortos & bona habuerunt. Locus erat amœniſſimus; hinc quidam putarunt inter quos celeb. *Heideggerus Exercit.* 4. 42. ibi fuiſſe Paradiſum, & nonnulli dicunt hominem creatum eſſe prope *Damaſcum*. Verum Reſp. ſi paradiſus fuit in Geneſareth, facile potuit Adam poſt creationem introduci in paradiſum. Legimus enim poſt creationem Adamum demum introductum eſſe in paradiſum. Probabilius eſt *Paradiſum ſitum eſſe in tractu quodam in Meſopotamia*. Audiamus de

hac

hac regione *Talmudicos*, qui summis laudibus eam extollunt. *Aruch* in גנסר: Dicunt Rabbini, quare vocatur Gennesar? גני סרים ob hortos Principum. Isti sunt Magnates, quibus eo loci erant horti. Plura qui desiderat evolvat cit. *Lightfoot. in Chorograph. Matth. pag.* 138. *edit. lip. Joh. Henri. Otton. Lexic. Philolog. Rabbin.*

[3] *Asphaltitem.*) Hoc mare Judaici Scriptores ubique vocant ים המלח, quod non tam proprie hic *Mare salsum* interpreteris, quam mare bituminosum. Quo sensu frequentissime apud eos occurrit מלח סדומית ad verbum *Sal Sodomiticus* ac proprie *bitumen*. Rem abjectioni atque execrationi devotam, quaque nullo modo est utendum, *Talmudici* abdicant *ad mare Sodomiticum.* vid. *Lightfoot p.* 15. Schema hujus exhibet cit. aut. *pag.* 529. Distabat Hierosolymis stadiis CCC. *Joseph. antiq. lib.* 15. 9. Longitudine extenditur DLXXX. stad. vid. de his *Ottonis Lexic. Philolog. pag. m.* 361. Vocatur etiam *mare mortuum*: In hoc nulli reperiuntur pisces aut alia animalia; & sunt, qui dicunt prope hoc mare reperiri poma aspectu egregia, intus autem nil præter ventum & pulvisculum animadvertere.

[4] *Chananæa.*) Ita vocata est a *Canaane* nepote *Noachi Gen.* 10. 11. Vocatur etiam terra promissionis, quia Abrahamo & posteris ejus promissa *Gen.* 16. Terra Hebræorum, Terra Sancta, quia Deus in ista terra habebat templum in quo peragebantur res sacræ. Terra Israelis a populo, Terra Juda a præcipua tribu, Palæstina a parte, hoc nomine dicta, quæ erat Ægypto proxima. Phœnicia sæpe dicta a LXX. Interpp. Tota vero terra ista habebat a Meridie Ægyptum, ab Oriente Arabiam, a Septentrione Syriam, ab Occidente mare mediterraneum. conf. Wilhel. Schick. משפט המלך *pag.* 284. *edit. Lips. & annot. plur. Rever. Carpzovii.*

[5] *Judææ nomen &c.*) Dicta terra Juda seu Judæa & gens ipsa Judæi, non ante solutam captivitatem Babylonicam, si vera tradit *Joseph. lib.* 2. *c.* 5. ait enim quo tempore populus Babylone in patriam remeabat, tunc primum regioni & genti nomen illud inditum esse, quia Judæ tribus jam olim ea loca occupaverat. Non negabo tunc primum Judæorum nomen impositum esse universæ genti, quæ ex captivitate rediit, quanquam multi in ea ex aliis quoque tribubus & universæ Palæstinæ nomen Judææ, quia potior in ea deinceps Tribus, & portio Judæ. At hujus Patriarchæ posteros Judæos appellatos esse jam olim Davidis tempore, ejusque funiculum Judæam, recte docere videtur *Epiphan. lib.* 1. *de sect. Epicur.* quia *lib.* 1. *Reg. cap.* 23. 3. dixerunt, qui erant cum David: Ecce nos hic in Judæa &c. Melius certe quam * Ambros., in *c.* 1. *epist. ad Rom.* ubi docere videtur Judæam a Juda Machabæo vocatam esse. *Judæi*, inquit, *ex tempore Judæ Machabæi dici cœperunt, qui in causa cladis restitit sacrilegiis Gentium, & fiducia Dei collegit populum & defendit genus suum.* Pejus *Prosper lib.* 5. *promiss. cap. ult.* putat vocem Judæus Latinam esse, compositam ex jus & Deus, itaque appellatum populum illum, quia jus vel legem Dei accepit. Vera etymologia Hebræa est, denominatique Judæi a Juda quarto Liæ & Jacobi filio Gen. 29. 38. Terra promissionis, quia a Deo Abrahamo & posteris promissa. Terra Sancta, quia Patriarcharum colonia, Prophetarum sedes, & quia Deum sanctissimum in carne natum excepit. *vid. Redan. comment. in lib. Machab. lib.* 1. *cap.* 1. 21. 22. *fol. m.* 222. *confer. M. Reimer. de polit. Hebr. sect.* 1.

[6] *Locus unus.*) Qui consecratus esse deberet, & ejusmodi locus erat Civitas Jerusalem, quæ postquam electa a Deo esset, locus erat, ubi Divina Majestas sedem habebat, & nomen sanctissimum Dei invocabatur, responsa per Urim & Thummim dabantur, omnis generis sacrificia Deo dabantur. vid. *Henry Ainsworth coment. in Deut.* 12. *fol. m.* 45.

[7] *Montem Sion.*) De ejus situ *Aben-Ezra* ad *Psalm.* 48. 2. ציון בצפון ירושלם Mons Sion est a latere Hierosolymæ Septentrionali, sic etiam LXX. Interpretes de hoc videri possunt. *Joh. Henr. Otto in Lexic. Philol. pag. m.* 606. & Johann. *Lightfoot. in Chorograph. Matth. præfixa. pag. m.* 43. 47. 48.

[8] *Urbs Hierusalem.*) Urbs hæc quæ *Tacito lib.* 5. *hist. cap* 2. & 8. famosa dicitur caputque gentis Judaicæ; *Plinio* vero *lib.* 5. *histor, natural. cap.* 14. *pag.* 101. longe clarissima urbium Orientis, non sacris tantum, verum etiam profanis scriptoribus digna visa fuit. Hanc urbem juxta quasvis circumstantias declararunt, *Cornel. Tacit. lib.* 5. *histor. Christian. Andrichom. Delphens. in descript. Jerusal. Johan. Baptist. Villalpand. in apparat. urb. Sanct. Henric. Bunting. in itiner. Script. Sacr.* Joan. *Ligthfoot. in Centur. Chorograph. Salmer. prolog.* 42. *Pineda cap.* 1. *Eccl. Joseph. lib.* 7. *de bello cap.* 18. *Serrar. cap.* 10. *Jud. qu.* 2. *Lorin. Act. cap.* 1. 4. Vocatur hæc urbs שלם & occurrit *Genes. cap.* 14. ubi Melchisedech Rex Salem vocatur. Atque hinc apertum satis est, vocem שלם *Genes.* 14. 18. nomen proprium esse æque ac מלכי־צדק. conf. *Salian. annal. Vet. Test. anno mund.* 2118. *fol. m.* 225. *tom.* 1. *n.* 26. *Albert. Voigt. miscell. bibl. pag. m.* 167. *Arabs* quidem cum LXX. & *Vulgat. Psalm.* 76. 3. cum præfixo ב appellative accipiunt *ἐν εἰρήνῃ* in pace: sed esse hic nomen urbis Hierosolymæ non obscure liquet. Per שלם igitur, intelligitur aut pars civitatis inferior, aut superior. Chaldæus Interpres vocem שלם transfert per ירושלם. Arabs per סולים, scribitur ירושלים vel absque interposita י. quinquies autem plene cum Jod a Masoreth. notatur. Jerem. 27. v. 18. *Sixt. Amama in antibarb. bibl. pag. m.* 746. existimat vetustius nomen esse Jerusalem sine Jod, quam Jeruschalaiim, cum sit derivatum a שלם & sine Jod scribatur *Græcis*, *Chaldæis*, *Syris*, *Arabibus*, *Hieronym.* posterioribus autem temporibus dici cæpisse ירושלים forsan quod urbs gemina esset, unde in libris sub vel circa captivitatem Babylonicam scriptis ita plene scribitur. Recte vero notat *Buxtorff. part.* 1. *de punct. antiq. pag.* 184. vocem Jeruschalem legi Jeruschalaiim e *Trachuth Aben Esra fol.* 138. *Si objiciens objicit, quomodo legamus literam quæ non sit scripta, respondetur, quare legamus* ירושלם *cum Jod quod non est in scripto cum in Scriptura tota tantum quinquies reperitur? Legimus* Jod *propter Chirek quod inter Lamed & Mem scriptum est. Ita traditione accepimus a Majoribus nostris.* Apposuerunt hoc Chirek ex *Aben Esræ* sententia *Esdras & Synagogæ* magnæ reliqui viri. Quod in antiquis relationibus Chaldaicis, Græcis, Latinis legitur ירושלם Ιερουσαλὴμ est ἀρχαϊσμὸς pro αι ut מצרים μεσρὴμ quæ permutatio frequens est juxta *Drusium de recta lectione linguæ sanctæ pag.* 51. *cap.* 31. & *Buxtorff. l. c. In Talmud. babylon. Mass. Taanith. fol.* 5. *Col.* 1. & *Salom. Jarch. in Gloss. Sanehedr.* duplicis Hierosolymæ fit mentio, superioris & inferioris. *Et Jalkut Chadasch fol.* 42. 2. non est domus Sanctuarii altior inferiori octodecim milliaribus & sunt signa tua memorialia e *Genes.* 28. 17. ו"זה שער & hæc est porta cœlorum. ו"זה continet numerum 18. Hæ ejusdem generis interpretationes tam veræ ac solidæ saltem e numeris elicitæ sunt quam eæ laudes plerumque falsæ, quæ e literis nominis alicujus varie ac varie transpositis (Anagramma vocant) summo aliquando labore quis extorsit, invitis interdum literis, quæ vituperium potius, quam laudem objiciunt, uti *Simon de Musis Profess. Parisiens. in var. Sac. pag.* 107. 1. recte scripsit. Fit etiam duplicis Hierosolymæ mentio in *Epist. ad Galat.* 4. 25. 26. Quidam de compositione nominis putant factam esse ex יבוס & שלם. quasi יבושלם ירושלם. *Tarnovius comment. in Thren. pag. m.* 29. inquit: *antea dicta est Salem eamque inhabitabat Jebus, seu Jebusæi, unde composito nomine appellabatur Jebusalem. Cum autem David eam occupasset suique regni metropolim & arcem constitueret, paululum nomen immutavit, ita ut jam sonet visionem pacis.* Sed permutationem hanc ignorat Lingua Sancta. Usitatum hoc nomen fuit tempore Josuæ & Judicum. Alii a verbo ירש hæreditavit, jure hæreditario possedit & nomine שלם quidam a רום & שלם ob editiorem situm urbis Jerusalem. Alii a ירה quod in Hiphil significat docuit & שלם quasi doctrina pacis. Plerique a ראה & שלם vel quod urbs hæc videri e longinquo potuerit, vel

quod

* Commentaria in Epist. ad Rom. quæ *Nicolai Ambrosii* nomine profert, inter Sanctissimi Doctoris genuina Opera non esse recensenda, inter viros eruditos satis superque constat. Vide *Præfat. PP. Benedict.* in postrema *Operum S. Ambrosii* edit.

quod pacem per Messiam restituendam visura sit: vel quod Deus pacis in ea habitaverit & visus sit. *Andr. Willet. Angl. ex Hebr. Doctoribus affert hanc rationem : Sem called it Salem , and Abraham jireth there the lord Will be seene . fol. m.* 139. *qu.* 17. Inde Græci hanc urbem Σόλυμα vocant, cujus mentionem facit *Josephus lib. antiquit. cap.* 21. Alii cum Stephano Byzantio a Solymis montibus nomen urbi impositum fuisse arbitrantur. Sed nondum lis composita, utrum per Solymos vel potius Solymorum montium incolas de quibus *Homer. & Cherilus* agunt, designentur Judæi an *Lycii* an *Pisidæ*. vid. *Justus Lipsius in annotat. ad Cornel. Tacit. pag.* 54. Ἱεροσόλυμα quod *Egesippus lib.* 7. *histor. Eccles. cap.* 111. ἀπὸ ἱεροῦ Σολύμων vult deductum eo quod Melchisedek ædificaverit templum. *Eusebius Pamphil. lib.* 9. *præparat. Sanctius* malunt a templo Salomonis. *Isidorus lib.* 15. *orig. cap.* 1. idem. *Lysimachus Alexand.* ἱερόσυλα dictum putat, quod fanis compilatis atque incensis Judæi ex Ægypto profugi illam condiderint. Sed rejectis his dicimus nomen esse Hebræum, quanquam corruptum ut Σόλυμα ex שלם & per שלים exprimunt. ירושלם vero per אורשלם de qua voce scribit *Isa bar. Ali Lexic. Syro Arabic. vertente D. Hottinger. in append. Gram. Chald. Syr. pag.* 174. *Urischalem est visio tranquillitatis & quietis; aut lux & pax*. Legunt etiam hoc modo Syr. Æthiopes & Arabes. confer. *Johan. Mejer. the prefat. of things related in the Gospels. fol.* 10.

9 *Regi Melchisedek.*) Varia hic inter autores est disquisitio. Quidam supra communem sortem evehunt, & dicunt Spiritum S. fuisse, quos vid. in *tr. M. Frider. Koerber. de Melchised. pag. m.* 12. *seq. Andr. Willet. Anglum explanat. and solution of doubtfull questions and places quæst.* 16. *fol. m.* 157. *in Gen.* Alii Angelum putant ut *Origen. & Dydym.* teste *Hieron. in epist. ad Evagr.* Quidam vero hominem fuisse statuunt, sed quinam fuerit, mire disconveniunt. *Targum Hierosol. R. Salom. Aben Ezra. Baal Hattur & plerique Hebræorum Semum* fuisse volunt, quem *Augustin. l.* 16. *de civit. Dei c.* 3. *Vincent. de Burgund. in spec. histor. l.* 1. *c.* 104. *Hyperi. in comment. ad cap.* 7. *Hebr. Salian. annal. Sac. fol.* 224. *tom.* 1. *Andr. Willet. supr. cit. loc. aliisque Noachi primogenitum vocant* : alii dicunt Melchisedecum primum muros exstruere incepisse. Et *pag.* 7. *Midrasch.* ait ; Eum sc. Semum fuisse Melchisedecum Regem Schalemi. vid. *Joh. Henr. Hott. Smeg. Orient. p. m.* 256. nec improbabilis videtur hæc opinio. *Hieron. in epist. ad Evag. & in lib. de Trad. Hebr. Salian. annal. sac. tom.* 1. *fol. m.* 224. *Andr. Willet. explanat. and solution of doubtfull questions and places in Genes. quæst.* 16. *fol. m.* 137. *Lyran. Tostat. in cap.* 14. *Gen. pag.* 56. *August. Torniell. in annal. V. T. ad ann. mund.* 2118. §. 19. *fol.* 184. *Eugubin. Villalpand. Genebrard. Rungio Gerbardo ad hunc locum. pag.* 315. 316. *Epiphan.* Quidam probare conantur, Sem *Melchisedeck* non fuisse, quia longo tempore ante hoc factum mortem obierat, sententiam etiam tuetur *Procopius*, contra quem scripsit *Salian. annal. sac. fol.* 224. *tom.* 1. & respondet *Andr. Willet. fol. m.* 138. *in Gen. Epiph.* corruptum LXX. exemplar secutum fuisse, quippe χ 600. pro φ 500. positum fuisse. Verum ex multis probat *vir clar. M. Frider. Koerber. in Melchised. pag. m.* 45. hanc Melchisedeci & Abrahami historiam factam circiter *annum mundi* 2118. ut *August. Torniell. in annal.* ad hunc annum *vel.* 2030. & 2034. Sem autem *anno orbis* 2158. obiisse testantur Chronologi. Licet igitur hæc sententia multos habeat patronos, non tamen omnibus arridet, & refelluntur ex loco Scripturæ, ubi legitur *Melchisedek* nec *patrem* nec *matrem* habuisse, quanquam quidam curiose inquirere volunt, patrem fuisse *Eraclam*, matrem *Asteriam*; Semum autem habuisse. Respondent *Nicolaus Lyran. & Abulens.* in Scriptura non tradi genealogiam Melchisedeci sub nomine hoc, sed tantum sub nomine Semi. conf. *Vir clar. Koerber. pag. m.* 47. 48.

10 *Moria*.) Judæi de hoc monte dicunt (1) fuisse primorum hominum altare *Eliez.* 34. 11. *Maimon. in Beth habbechir. c.* 2. *Juchas. fol.* 9. 1. *Midras Till. fol.* 41. 2. *Traditio ab omnibus recepta est, locum, ubi David condidit altare in area Araonæ, fuisse locum, ubi suum condidit Abrahamus, ubi suum Noah.* *vid.* Joan. *Lightfoot hor. Talm. cap.* 27. *pag. m.* 57. (2) Vicinum portæ Paradisi. *Eliez. c.* 20. (3) Locum sepulturæ Adam. conf. *Joh. Henr. Hotting. Smegma Oriental. lib.* 1. *p. m.* 330. *Andr.* Willet. *explanat. in cap.* 22. *quæst.* 4. *fol. m.* 200. In hoc monte exstruxit Salomon Templum Dei, qui juxta Villalpandi Topographiam orientali civitatis muro prope adjacebat. *Tumulus erat*, ait, *Joseph. lib.* 15. *antiq. c.* 14. *petricosus, arduus, a vertice sensim, versus orientale urbis latus resupinus*. Ad quam tribum mons hic pertinuerit, non constat apud omnes. Qui enim totam civitatem Jerusalem Benjamin tribuunt, etiam montem & templum eidem assignant, in quibus Adrichom. in Topographia Benjamin, *Chald. Paraphrast.* & plerique ejus loci interpretes, idem *Theodoretus* tribui Benjamin attribuunt. Alii hunc montem ad tribum Juda censent pertinere, ut qui templum Domini in monte Sion positum legant, ut 1. *Macchab.* 4. 37. Eodem modo locus templi, vocatur mons Sion ut notarunt *Villalpandus* & *Pineda* in loc. cit. Atqui montem Sion ipse David ad tribum Judæ pertinere dicit *Psalm.* 77. 68. ex quibus facile colligitur templum Domini ad tribum Judæ pertinere. Verum in his locis vel Sion pro Jerusalem universe ponitur, vel nomine Sionis notiore mons Moria ei contiguus minus eo nomine notus intelligitur. Alii ad utramque tribum pertinuisse asserunt. Certe *Lyran. in c.* 18. *Jos. in fine*. ait Jerusalem pro parte cecidisse in tribum Benjamin idque significatur *Josue* 15. & *Judic.* 1. 2. Sed observandum civitatem duplicem fuisse superiorem & inferiorem: illam dictam Jebus sitam in monte Sion ad tribum Juda, hanc ad tribum Benjamin pertinuisse. Masius quidem ad tribum Benjamin refert sicut & Pineda. Villalpandus vero vult medium montis Moriæ dividere Benjamin a Juda, & templum partim ad tribum Judæ, partim Benjamin pertinuisse. Communi autem sententia templum tribus Benjamin fuisse vid. *plur. Rev. Salian. annal. V. T. anno mund.* 3023. *tom.* 3. *fol.* 407. *seq.*



I. N. J.

CAROLI SIGONII DE REPUBLICA HEBRÆORUM

LIBER II.

Qui de locis sacris inscribitur.

CAPUT PRIMUM.

De Religione.



Xposita propositæ reip. forma, sane sequitur, ut partes ejus eo, quo instituimus ordine prosequamur. Quoniam autem Respubl. Hebræorum religiosa & civili vita, ut diximus, continetur, præcipue illud agemus, ut primum de Religione, deinde de Civitate loquamur. In hac vero divisione constituenda verba ipsa legis sectabimur, cujus hæ, ut dixi, partes fuere; Mandata, Præcepta, Justificationes, & Judicia: quorum Mandata & Præcepta ferme ad Religionem pertinuerunt, Justificationes vero & Judicia ad Civitatem. Quoniam vero Religio, id est Dei colendi ratio in lege præscripta, & sæpe post repetita, in quatuor item partes fuit divisa, in loca sacra, dies sacros, ritus sacros, & personas sacras (siquidem Deus certis se in locis coli voluit, & certis diebus præcipuum sibi honorem haberi, ac certis ritibus, & a certis personis) propterea illud quoque curabimus, ut deinceps sigillatim de his omnibus differamus.

CAPUT SECUNDUM.

De locis ſacris.

LOca ergo ſacra, id eſt terreſtria ipſa ſanctitatis domicilia, multa fuerunt. A principio enim Deus Tabernaculum, atque in eo Sanctum Sanctorum, Arcam, & Altaria ſibi inſtituit, deinde pro Tabernaculo Templum in urbe Hieroſolymorum conſtrui voluit. Interim vero paſſus eſt etiam ſibi ſacrificari extra Tabernaculum & Templum in collibus ſub opacis arboribus, quæ illi Excelſa dixerunt. Poſt autem injuſſu Dei templa alia duo, unum in Samaria, alterum in Ægypto ſunt condita. Quin etiam & in urbe Hieruſalem, & in provinciis quædam conventicula inſtituta ſunt, quas Synagogas vocarunt: quæ poſtea deletis templis ſolæ remanſerunt. Quæ cum ita ſint, ſatis apparet, ſi huic parti ſatisfacere cumulate velimus, neceſſe eſſe, ut hæc ſingula declaremus. Quamobrem a Tabernaculo exordiamur.

CAPUT TERTIUM.

De Tabernaculo, Sancto Sanctorum, Arca fœderis, altaribus, & ornamentis eorum.

CÆterum [1] Tabernaculum, quod etiam Sanctuarium dictum eſt, fuit hujuſmodi. Ædificium erat inſtar templi ex lignis confectum, quod per partes compingi, ac diſſolvi, ac quocunque deferri potuit, in quo locus erat ſanctior velo diſtinctus, [2] Sanctuarium Sanctuarii, ac Sancta Sanctorum appellatus, ibi vero [3] Arca Fœderis ſervabatur: [4] quæ [5] operculum habebat, Propitiatorium & Oraculum appellatum, [6] duobus Cherubin alas ſuperextendentibus inſignitum. Extra velum autem erat [7] menſa cum XII. panibus ſacris, qui dicebantur Propoſitionis. Præterea [8] candelabrum cum [9] lucernis ſeptem, & [10] labrum aureum, extra vero Tabernaculum cum labro æneo [11] altare æneum Holocauſti, ac præterea atrium, & [12] tentorium. Hæc vero omnia Deus Moyſi facienda præſcripſit, cum eſſet in monte Sinai, XXV. Exodi his verbis: *Facite mihi* Sanctuarium, *& habitabo in medio veſtri, juxta omnem ſimilitudinem Tabernaculi quod oſtendam tibi, & omnium vaſorum in cultum ejus: ſicque facietis illud*. Inde ſic orditur de Arca dicere, & ornamentis ejus: Arcam [13] *de lignis Setim compingite, & deaurabis eam auro mundiſſimo intus & foris, facieſque ſupra coronam auream per circuitum, & quatuor annulos aureos, quos pones per quatuor arcæ angulos, duo circuli ſint in latere uno, & duo in altero. Facies quoque* Vectes *de lignis Setim, & operies eos auro, induceſque per circulos qui ſunt in arcæ lateribus, ut portetur in eis, qui ſemper erunt in circulis, poneſque in Arca teſtificationem quam dabo tibi. Facies &* Propitiatorium *de auro mundiſſimo, duos quoque* Cherubin *aureos, & productiles facies ex utraque parte Oraculi. Cherub unus ſit in latere uno, & alter in altero, utrumque latus Propitiatorii tegant expandentes alas, & operientes Oraculum, reſpicienteſque ſe mutuo verſis vultibus in Propitiatorium, quo operienda eſt Arca, in qua pones Teſtimonium quod dabo tibi*. Quibus dictis inde pergit loqui de menſa & inſtrumentis ejus. *Facies &* Menſam *de lignis Setim, & inaurabis eam auro puriſſimo. Facieſque illi* Labrum *aureum per circuitum; & ipſi labro* Coronam *interraſilem, atque ſuper illam, alteram coronam aureolam. Parabis quoque* [14] Acetabula *&* Phialas, Thuribula *&* Cyathos, *in quibus offerenda ſunt libamina, ex auro puriſſimo. Et pones ſuper menſam* [15] Panes Propoſitionis *in conſpectu meo ſemper, facies &* Candelabrum *ductile de auro puriſſimo, haſtile ejus, calamos, ſcyphos & ſphærulas, ac lilia ex ipſo pendentia. Facies &* Lucernas *ſeptem, & pones eas ſuper candelabrum, ut luceant ex adverſo.* Emunctoria *quoque, & ubi, quæ emuncta ſunt, exſtinguantur, fiant auro puriſſimo.* His demonſtratis inde Tabernaculum de lignis Setim fieri præcepit, atque in eo partem unam ſanctiorem, quam Sanctum Sanctorum vocavit: & Tabernaculi ipſius formam, magnitudinem, ornatumque oſtendit. Quæ, quia longa oratione texuntur, recitare ſuperſedebimus, locum indicaſſe contenti. Quo ſermone abſoluto ita de Velo & Propitiatorio ſubdit: *Facies* [16] Velum *de hyacinto, & purpura, coccoque bis tincto, & byſſo retorta. Inſeretur autem velum per circulos, intra quod pones Arcam Teſtimonii, quo & Sanctuarium, & Sanctuarii Sanctuarium dividentur. Pones &* Propitiatorium *ſuper*

per Arcam Testimonii in Sancto Sanctorum, mensamque extra velum, & contra mensam candelabrum in latere Tabernaculi meridiano. Mensa enim stabit in parte Aquilonari. Inde de Tentorio, Altari Holocausti, & Atrio loquitur ita: *Facies &* Tentorium *in introitu Tabernaculi de hyacintho, & purpura, coccoque bis tincto, & bysso retorta. Facies &* Altare *de lignis Setim, & operies illud ære, faciesque in usus ejus lebetes ad suscipiendos cineres, & forcipes, atque fuscinulas, & ignium receptacula, omnia vasa ex ære, craticulamque in modum retis æneam. Facies &* Atrium *Tabernaculi cum columnis viginti.* Postremo de altari thymiamatis, labro æneo, oleo sacro, & thymiamate sic concludit: *Præcipe filiis Israel, ut offerant tibi* [17] Oleum *de arboribus olivarum purissimum, ut ardeat lucerna semper in Tabernaculo Testimonii extra velum, quod oppansum est Testimonio. Facies quoque* [18] Altare *ad adolendum thymiama de lignis Setim, vestiesque illud auro purissimo, ponesque altare contra velum, quod ante Arcam pendet Testimonii. Et adolebit incensum super eo Aaron suave fragrans. Facies &* Labrum *æneum* [19] *cum basi sua ad lavandum, ponesque illud inter Tabernaculum Testimonii & Altare. Sume tibi aromata myrrhæ, cinnamomi, calami, casiæ, olei, faciesque* [20] *unctionis* Oleum *sanctum, & unges ex eo Tabernaculum Testimonii, & Arcam Testamenti, & mensam cum basibus suis, & omnia sanctificabis. Sume quoque aromata, stacten, onycha, & galbanum boni odoris, & thus lucidissimum, faciesque* [21] Thymiama, *& pones coram Tabernaculo Testimonii, quo in loco apparebo tibi.* Hæc in Exodo a capite XXV. usque ad XXX. ita præcipiuntur. Sacrificia inde omnia ad Altare Holocausti [22] ad ostium Tabernaculi facienda mandavit Levitici XVII. *Homo quilibet de domo Israel, si occiderit bovem, aut ovem, sive capram in castris, vel extra castra, & non obtulerit ad ostium Tabernaculi oblationem Domino, sanguinis reus erit. Homo de domo Israel, & de advenis qui peregrinantur apud vos, qui obtulerit holocaustum, sive victimam, & ad ostium Tabernaculi non adduxerit eam, ut offeratur Domino, interibit de populo suo.* Hæc autem omnia subinde [23] perfecta sunt a Moyse, Israelitis cuncta quæ jussa erant, summo studio conferentibus, capite XXXVII. & XXXVIII. in quibus de altari aureo & æneo, nempe thymiamatis & holocausti, præcipue sic scriptum est: *Fecit & altare Thymiamatis de lignis Setim, vestivitque illud auro purissimo. Fecit & altare Holocausti de lignis Setim, operuitque illud laminis æneis; & in usus paravit ex ære vasa diversa, lebetes, forcipes, fuscinulas, uncinos, & ignium receptacula: craticulamque ejus in modum retis fecit æneam, & subter eam in altaris medio arulam fusis quatuor annulis per totidem reticuli summitates ad immittendos vectes ad portandum, quos & ipsos fecit de lignis Setim, & operuit laminis æneis induxitque in circulos, qui in lateribus altaris eminebant, ipsum autem altare non erat solidum, sed cavum ex tabulatis, & intus vacuum.* Inde cap. XL. sic concludit: *Fecit Moyses omnia quæ præceperat Dominus. Quippe mense primo anni secundi, prima die mensis collocatum est Tabernaculum, erexitque Moyses illud, & posuit tabulas, & bases, & vectes, statuitque columnas, & expandit tectum super Tabernaculum imposito desuper operimento. Posuit & Testimonium in Arca subditis infra vectibus, & Oraculum desuper, cumque intulisset Arcam in Tabernaculum, appendit ante eam velum. Posuit & mensam in Tabernaculo Testimonii ad plagam Septentrionalem extra velum, ordinatis coram Propositionis panibus. Posuit & candelabrum in Tabernaculo Testimonii e regione mensæ in parte Australi, locatis per ordinem lucernis. Posuit & Altare aureum sub tecto Testimonii contra velum, & adolevit super eo incensum aromatum. Posuit & Tentorium in introitu Testimonii, & Altare Holocausti, offerens in eo Holocaustum & sacrificia. Labrum quoque statuit inter Tabernaculum Testimonii, & altare, implens illud aqua. Laveruntque Moyses, & Aaron, & filii ejus manus suas, & pedes, cum ingrederentur tectum Fœderis, & accederent ad altare. Erexit & atrium per gyrum Tabernaculi & altaris, ducto in introitu ejus tentorio.* Quod autem scriptum est, Moysem posuisse Testimonium in arca, declarat magis Deuteronomii X. inquiens: *Reversusque de monte descendi; & posui tabulas in arcam quam feceram, quæ hucusque ibi sunt, sicut præcepit mihi Dominus.* Præter hæc fuit etiam [24] ignis perpetuus a Deo cœlitus ad incendenda Holocausta demissus, de quo loquitur Levitici VI. & nos infra loco idoneo differemus: *Ignis in altari semper ardebit, quem nutriet sacerdos subjiciens ligna mane per singulos dies, & imposito holocausto desuper adolebit adipes Pacificorum.* Cæterum Tabernaculum Testimonii, & Arca fœderis, sive Testimonii, sive Testamenti, dicta sunt, [25] quod in iis tabulæ legis asservarentur, in quibus continebatur Testimonium, [26] Testamentum, Pactum & Fœdus, quod percussisset [27] cum eis Deus. Ex quo fœdere populus Deo cultum exhibere, & Deus populum in tutelam acceptum tueri præcipua cura debebat. Nam XIX. Exodi dixit Deus: *Si audieritis vocem meam, & custodieritis pactum meum, eritis mihi in peculium de cunctis populis;* & Levitici 26. *Si in præceptis meis ambulaveritis, ponam taber-*

bernaculum meum in medio vestri, & non abjiciet vos anima mea: ambulabo inter vos, & ero Deus vester, vosque eritis populus meus.

Hæc de Tabernaculo, arca, mensa, altaribus, & ceteris scripta reperiuntur in lege, repetuntur vero etiam a S. Paulo IX. ad Hebræos: *Tabernaculum factum est primum, in quo erant candelabra, & mensa, & propositio panum, quæ dicitur Sancta, post velamentum autem secundum Tabernaculum, quod dicitur Sancta Sanctorum, aureum habens thuribulum, & arcam Testamenti circumtectam ex omni parte auro, in qua urna aurea habens manna, & virga Aaron, quæ fronduerat, & tabulæ Testamenti, superque eam erant Cherubin gloriæ obumbrantia Propitiatorium.* Declarat inde, ut hoc tabernaculum terrenum & manufactum [28] typus fuerit tabernaculi cœlestis & non manufacti, quod introivit Christus, qui novi testamenti fuit mediator. Nam & legem Christi postea quoque Testamentum vocarunt, quod in eo ipse testatus sit, se bona cœlestia & perpetua legis suæ cultoribus præbiturum. Declarantur etiam a S. Hieronymo epistola CXXVIII. *Legimus in Exodo tabernaculum, mensam, candelabrum, altare, columnas, tentoria, coccum, byssum, hyacinthum, purpuram, ex auro, argento, ære vasa diversa, tabernaculum divisum in tria, duodecim panes per singulas hebdomadas mensæ impositos, in candelabro septem lucernas, altare hostiis holocaustisque expositum, crateras, scyphos, thuribula, phialas, mortaria, paxillos, pelles rubras, pilos caprarum & ligna imputribilia. Tanta & talia offeruntur in Tabernaculo Dei, ut nullus desperet salutem, alius aurum suum, alius argumentum eloquii, alius vocem æris exhibet. Totus mundus in Tabernaculi describitur sacramento, primum & secundum vestibulum omnibus patet. Aqua enim & terra cunctis mortalibus datæ sunt. In Sanctis vero Sanctorum, quasi ad æthera, & in cœlum paucorum introitus & volatus est. Duodecim panes duodecim mensium significant circulum, septem lucernæ septem errantia astra demonstrant.* Hæc isti. Refero me ad historiam.

Hoc igitur, de quo dixi, Tabernaculum, quod ita constitutum erat ut quemadmodum scriptum est quarto Numerorum, [29] dissolvi in partes, & rursus compingi, ac quocunque liberet, perinde atque Arca, deferri posset; delatum est in terram Chananæam a Deo promissam, tum cum populus Josue duce Jordanem exsiccatum trajecit, sacerdotibus & Levitis hæc ipsa suis humeris perferentibus, atque in castris, [30] quæ in Galgalis sita fuerant, posita sunt. Quo eodem tempore urbis Hierichuntis, Levitis arcam circum muros ferentibus, mœnia prociderunt. Josue IV. & V. Inde victoria parta utraque perlata sunt in Silo oppidum tribus Ephraim, unde erat dux Josue, sic enim octavo decimo est proditum: *Congregati sunt omnes filii Israel [31] in Silo, ibique fixerunt Tabernaculum Testimonii.* Itaque post ad ostium Tabernaculi ibi positi [32] sortitio atque divisio terræ perfecta est, sic enim capite proximo: *Hæ sunt possessiones, quas sorte diviserunt Eleazar sacerdos, & Josue, & principes familiarum ac tribuum filiorum Israel, in Silo coram Domino ad ostium Tabernaculi Testimonii.* Hoc autem facto domus Dei, & sedes religionis in Silo est collocata, siquidem eo post [33] ter in anno [34] sacrificiorum causa convenire instituerunt, ut [35] in locum, quem sibi Deus propterea delegisset, prout in lege mandatum erat, Exodi XXXIV. *Ter in anno apparebit omne masculinum tuum in conspectu omnipotentis Domini Dei Israel. Cum enim tulero gentes a facie tua, & dilatavero terminos tuos, nullus insidiabitur terræ tuæ, ascendente te & apparente in conspectu Domini Dei tui ter in anno.* Atque ita per omne imperium Judicum manente Arca in Silo, eo quoque religionis caussa populi conventus est factus. Itaque XVIII. in interregno, quod fuit inter Sampsonem & Heli, scriptum est: *Mansit apud eos idolum Michæ omni tempore, quo fuit domus Dei in Silo*; & XX. *Qui surgentes venerunt in domum Dei, hoc est in Silo*; & sequenti: *Venerunt omnes ad domum Dei in Silo*; & paulo post: *Ecce solennitas Domini est in Silo anniversaria.* Mox autem, [36] cum Heli pontifex judicatum administraret in Israel, & bellum cum Philistæis parum prospere gereretur, [37] placuit [38] ad perterrefaciendos hostes [39] arcam ipsam ex Silo [40] in castra contra hostes adducere. Prœlio vero infelicissime edito Arca [41] in hostium potestatem concessit, & [42] filii Heli ceciderunt. Quo nuntio accepto Heli jam ætate confectus [43] mortuus corruit: ut refertur quarto primi Regum. *Afferamus ad nos*, inquiunt, *de Silo arcam fœderis Domini, & veniat in medium nostri, ut salvet nos de manu inimicorum nostrorum. Misit ergo populus in Silo, & tulerunt inde arcam fœderis Domini exercituum sedentis super Cherubin.* Inde addit: *Et commisso prœlio arca Dei capta est: duo quoque filii Heli mortui sunt.* His actis Arca a Philistæis in oppidum suum [44] Azotum delata est, [45] & in templo Dagon constituta. Quo facto simulacrum ipsum [46] Dagon [47] ad terram decidit, & Azotiorum populus [25] magna a Deo plaga percussus mori cœpit. Quare ex Azoto ad Gethæos translata est. Verum & ipsis ea de re pe-

stilentia pereuntibus ad Accaronenses traducta fuit. Quibus etiam intereuntibus placitum est post septem menses Arcam ad Israelitas remittere, atque ita [48] novo plaustro imposita [49] duabus vaccis devehenda commissa est; Vaccæ autem vitulorum quos domi reliquerant, prorsus oblitæ, nullo impellente [50] recta euntes ultro usque ad fines Philistæorum & Judæ pervenerunt : ibique a Judæis Bethsamitis in holocaustum Deo oblatæ sunt; pereuntes autem & ipsi Bethsamitæ, eo quod arcam Domini conspexissent, miserunt nuntios [51] Cariathiarim, cives ejus rogantes, ut Arcam reciperent, qui profecti eam ad se adduxerunt, & [52] domum Aminadab [53] in Gabaa oppidum Benjamin intulerunt, & Eleazarum filium ejus sanctificarunt, ut custodiret eam. V. VI. & VII. primi Regum. Inde Tabernaculum sine Arca, regnante Saule, delatum fuit in oppidum Nobe, tribus Benjamin, ubi erat Achimelec pontifex. XXI. primi Regum. Post autem ætate Davidis delatum fuit in Gabaon oppidum quoque Benjamin : ut primo secundi Paralip. *Tabernaculum fœderis Domini erat in Gabaon, quod fecit Moyses in solitudine*; & XVI. primi: *David constituit Sadoc sacerdotem, & fratres ejus sacerdotes coram Tabernaculo Domini in Excelso, quod erat in Gabaon, ut offerrent holocausta Domino super altare holocautomatis jugiter mane & vespere juxta omnia quæ scripta sunt in lege Domini, quam præcepit Israeli*; & XXI. *Tabernaculum Domini, quod fecerat Moyses in deserto, & altare holocaustorum erat ea tempestate in Gabaon*. David inde rex Arcam extulit e domo Aminadab, ut in Hierusalem, sive in Sion civitatem suam adduceret, verum ubi vidit Ozan, qui illam inter vehendum inclinantem sustinere conatus fuerat, [54] repentina morte correptum, ea re perculsus reposuit eam in ædibus Obed Edom Getthæi. Postquam autem audivit, Deum benedixisse Obed & omnia bona ejus, post tres menses novo Tabernaculo facto adduxit eam ex ædibus ejus in civitatem suam cum ingenti omnium gratulatione & plausu: & posuit in loco suo in medio Tabernaculi, quod ipse ei tetendit : Atque ita Tabernaculum quod fecerat Moyses, mansit in Gabaon tempore Salomonis, sic enim scriptum est secundo primi Paralipomenon: *Salomon abiit in Excelsum Gabaon, ubi erat Tabernaculum fœderis Domini, quod fecit Moyses. Arcam autem Dei adduxerat David de Cariathiarim in locum quem præparaverat ei, & ubi fixerat illi Tabernaculum, hoc est in Hierusalem*. Neque hujus Tabernaculi veteris post alia memoria in sacris literis usurpatur. Salomon inde perfecto templo, ac Sanctuario constituto, [56] Arcam cum Tabernaculo Davidis ex civitate David eo trajecit, & omnia vasa Sanctuarii quæ erant in Tabernaculo illo, siquidem scriptum est tertio Regum, & primo Paralipomenon : *Et intulerunt sacerdotes arcam fœderis Domini in locum suum in Oraculum Templi, in Sanctum Sanctorum, subter alas Cherubin. Siquidem Cherubin expandebant alas super locum arcæ, & protegebant arcam, & vectes ejus desuper. In Arca vero non erat aliud, nisi tabulæ lapideæ, quas posuerat in ea Moyses in Horeb, quando pepigit Dominus fœdus cum filiis Israel, cum egrederentur de terra Ægypti*. Fuit inde Arca cum tabernaculo Davidis in templo, quoad templum a Babyloniis est incensum, in qua rerum confusione Ignis perpetuus holocaustorum una cum tabernaculo, & arca, & altari incensi abscondita sunt. Res narratur a Judæis Hierosolymitanis in epistola missa ad Ægyptios, Maccabæorum secundo: *Cum in Persidem* (inquiunt) *ducerentur patres nostri, sacerdotes acceptum ignem de altari occulte absconderunt in valle, ubi erat puteus altus & siccus, & in eo contutati sunt eum, ita ut omnibus esset ignotus locus*; & post: *Eodem tempore Hieremias propheta jussit Tabernaculum, & arcam divino responso ad se facto comitari secum usque quo exiit in montem, in quo Moyses ascendit, & vidit Dei hæreditatem: & veniens ibi Hieremias invenit locum speluncæ, & tabernaculum, & arcam, & altare incensi intulit illuc, & ostium obstruxit, & accesserunt quidam qui sequebantur, ut notarent sibi locum, & non potuerunt invenire. Ut autem cognovit Hieremias, culpans illos dixit, quod ignotus erit locus, donec congreget Deus congregationem populi, & propitius fiat, & tunc Dominus ostendet hæc, & apparebit majestas Domini, & nubes erit, sicut & Moysi manifestabatur*. Reversi inde in patriam Judæi templum quidem secundum ædificarunt, sed neque ignem, neque arcam, neque tabernaculum invenerunt. De igne scriptum est in epistola Judæorum hoc modo : *Cum præteriissent anni multi, & placuit Deo, ut mitteretur Neemias, qui sacerdotes nepotes illorum qui absconderant, misit ad requirendum ignem, &, sicut narraverunt nobis, non invenerunt ignem, sed aquam crassam: & jussit eos haurire, & afferre sibi, & sacrificia quæ imposita erant, jussit aspergi aqua ipsa, & ligna, & quæ erant superposita. Utque hoc factum est, & tempus affuit quo sol refulsit, qui prius erat in nubilo, accensus est ignis magnus ita, ut omnes mirarentur. Consumto autem sacrificio, ex residua aqua Neemias jussit lapides perfundi. Quod ut factum est, ex eis flamma accensa est, sed & ex lumine quod refulsit ab altari, consumta est*. Talmudici vero asserunt, [57] neque Arcam, neque Tabernaculum inven-

inventa esse, verum pro iis in Sanctuario [58] lapidem positum esse tres digitos e terra eminentem, desuper thuribulum habentem. Reliqua vero vetera Tabernaculi ornamenta, altaria, mensæ, instrumenta refecta, ut res tulit, usque ad extrema Templi tempora remanserunt.

NOTÆ AD CAPUT TERTIUM.

[1] *Tabernaculum.*) Proprie est subitarium quoddam tectum seu domicilium frondibus aut stragulis opertum, vel ex lignis, aut pellibus confectum, ad vitandum solis ardores, tempestatesque imbrium ac frigoris injurias, quod modo huc, modo illuc transfertur. Et sic sumitur *Actor.* 18. 3. improprie pro *castris* atque ideo tabernaculum sedis Dei, seu est locus, in quo Deus aliquod suæ gloriosæ præsentiæ seu potentiæ testimonium illustre edit. 3. Significatione sumta ex eo quod Tabernaculum de loco in locum transfertur, ponitur pro templo illo portatili, quod Deus ab Israelitis in deserto degentibus, in tabernaculis exstrui jussit per Mosen. *Joseph. lib.* 3. Ἀρχ. *c.* 5. vocat *μεταφερόμενον*, *& ut Viri Excellent. Dn. Johann. Frischmuth. OO. LL. in Academ. Jenens. Profess. famigerat. verbis utar, ut esset quasi castrense tentorium, quod per partes solveretur & convasaretur, cum castra essent movenda. dissert. Philolog. de arca fœderis pag.* 4. §. 2. *cui consent. Anglus quidam Commentar. in annot. on the second book of Moses. cap.* 26. 1. *ita dicens: A Tabernacle that is a Tent, or moveable house for the ark, Table, Schewbread.* Audiamus quoque *Philonem Judæum*, qui *lib. de vita Mosis pag. m.* 459. dicit: *Templum, quod Deus præfiguraverat Mosi in loco purissimo erat exstruendum.* Quoniam autem adhuc in deserto errabant, nullam certam sedem habentibus, conveniebat templum ambulatorium, ut tam in itinere, quam in castris sacra facerent. Placuit igitur Tabernaculum erigi, cujus apparatum ex oraculis in monte Moses didicerat futuri ædificii contemplatus ideas incorporeas, ad quarum exemplar intelligibile oportebat designari sensibiles imagines. *confer. Antiquitat. Dieter. sacr. fol. m.* 200. His scriptis calculum addit *Antonio Brucioli commento nell' Esodo. cap.* 25. *fol. m.* 71. *Haveva il Signore dimostrato a Mosè l'esemplare di tutta l' opera, avendo habitato quaranta di, & quaranta notti col Signore nel monte; & questo acciochè non facesse cosa alcuna secondo il suo parere & arbitrio, acciochè sapessero che queste cose fossero accette al Signore.* & hoc fuit templum primum; variant enim nomina sacrarum rerum. Audiebat *Sanctuarium Exod.* 25. *Tabernaculum fœderis Exod.* 35. *Domus Dei Siloh. Jud.* 20. & quæ alia. Non vero pro lubito exstructum, sed artificiose, teste *Excell. Dn. Joh. Frischmuth. d. disp.*

[2] *Sanctuarium Sanctuarii.*) Intimum Tabernaculi penetrale seu adytus erat *Sanctum Sanctorum*, quod velum a Sancto dividebat. Hoc enim teste R. D. *Kimchio* fuit cortina, quæ arcæ erat tegumentum & Arcam & tentorium dividebat. Maximæ autem fuit cum pulchritudinis tum firmitudinis. Sic etenim in *Jalkut fol.* 102. legimus; *Rabbi Simeon Ben Gamalielis ait nomine Simeonis filii Sagen, veli densitas fuit quatuor digitorum,* LXXII. *filis erat contextum, & quodque filum* XXIV. *funiculis.* Quæ si vera sunt miraculum æstimandum magnum, dum patiente Christo velum hoc scissum. Hujus veli elegantissimam mysticam explicationem habes apud Henry *Ainsworth. comment. in Exod.* 27. *fol.* 106. *this was the speciall use of this veile, to debatte men from entring (yea or seeing) into the most holy place, or the Arke. Whereby (as Paul saith) the Holy Ghost signified this, that the wai into the Holies was not yet manifested, while as the first Tabernacle had standing Hebr.* 9. *That is the way into heaven was not by those legall services, but should be opened unto men by Christ, first entring there with his blood. Therefore also this veile signified the flesh of Christ.* &c.

[3] *Arca fœderis servabatur.*) Arca hebraice vocatur ארון alterumque vocabulum additur ברית, quod ad primum non unius mentis autores. *R. Bechai* qui a pl. Reverendo *Carpzovio in disputat. sub Præsid. Excell. Dn. Joh. Frischmuth. habita c.* 2. §. 1. ait: *Arcam sive* ארון *derivari* ex אור *quia lex quæ in illa continebatur dicatur Lux*, quæ opinio ceu falsa dicto loco rejicitur. *Santes Pagninus fol.* 140. *Lexici* cum aliis ab arboris quadam specie vocata ארן deducunt, cui suffragatur *Hieronym. Alii aliter. Buxtorff. in Lexico Hebræo-Chaldaico edit.* 4. *pag. m.* 48. ab ארה deducit, ubi prædictus autor monet potius ex Æthiopica sumendam esse radicem, consentientibus viris *LL. O. peritis.* Hinc recte arcam vocari ab Æthiopibus ארי collegit, quam radicem *Excell. Dn. Ludolfus in Lexico Æthiopico pag. m.* 264. posuit. Vox ארון autem tripliciter in Sacra Scriptura usurpatur. 1. Dicitur de celeberrima hac arca *Exod.* 25. 10. de qua *Anton. Brucioli commento nell' Esodo cap.* 25. eleganter dicit: *L'arca di Dio era nel santuario, il principale sacramento della presenza divina, la quale era tenuta come scabello de piedi suoi*, quæ ob hanc causam perfecta ut scil. signa testimonii in illa ponerentur, de quibus *Anglus quidam commentator* non male in hunc locum disserit: *When the Ark was made, commandment was given, that the Testimony should be put into it, by the Testimony it meant the twe tables of stone written with the finger of God, Exod.* 31. 18. *called the Testimony, because by them was testified Gods will concerning their duty.* 2. *de Regum Gazophylaciis* 3. *pro loculo in quo sepultus fuit Josephus a fratribus suis in Ægypto ubi* 70. *σορὸν habent* & h. l. *Targum Hierosolymitan.* Hebræum retinuit. vid. *Clariss. Frischmuth.* §. 5. 6. *dict. disputat.* Additur בריה quod varias iterum habet significationes. *Cornel. a Lapid. in cap.* 8. *ad Hebr.* a radice בתר divisit, deducit. *R. David Kimchi in libro radicum* ברית ad thema inusitatum ברת refert, quod est vel a ברה quod inter alia eligere denotat, vid. *Buxtorff. Lexic. Hebræo-Chaldaic. pag. m.* 88. 89. vel a ברא hoc est a cædendo quia animalia Veteres in fœderibus pangendis secabant, cui calculum adjicit *Dieteric. antiquit. bibl. fol. m.* 633. *ad cap.* 34. 18. *Jerem.* ad quæ verba annotat. *Brucioli: diviso il vitello per le parti del quale opposte di qua, & di la, passavano, & insieme giuravano, & votavansi, che venisse loro come al vitello, se rompessero il patto, dice adunque, io darò voi come il vitello, secondo la promessa, & prece vostra fatta nel fermare il patto*; confer *Guiliel. Stuk. in antiquit. Convival. lib.* 1. *c.* 30. *fol.* 108. qui dicit ברית appellari quasi כרית quod ineundis fœderibus victimæ cædebantur ac proinde sæpe construatur cum verbo כרת Carath. i. e. feriit. vid. eumdem in lib. *de sacrific. Gentil. fol. m.* 108. Alii vocabulum hebræum a בתר quod divisionem significat, deducere volunt, facta literarum *μετάθεσει* & sic dictum volunt fœdus a divisione in duas partes. Sunt etiam qui dicere volunt a ברה quod cibum capere significat ab epulis quæ adjungebantur. Nonnulli a ברר purgare, ut sincere fœdera haberi debeant. Verum enim vero ex his omnibus nulla melior videtur illa qua per sectionem explicatur quod *Excell. Dn. Joh. Frischmuth in disputat. Philolog. de arca fœderis c.* 2. §. 3. *p.* 12. affirmat ubi loca quædam ex *Coccejo comment. in. Hagg. fol.* 454. adducit. confer *Besold. dissert. polit. de fœdere pag. m.* 66. §. 4. Sic *Chaldæi* in fœderibus paciscendis taurum vel porcum dividebant & per medium transire solebant, cum parte in unum latus altera parte in alterum collocata: ea intercedente execratione: Ni fœdus servavero ipse sic dividar. *Waremund lib.* 2. *c.* 1. *n.* 135. Hinc in sacris sæpe legitur dissecare fœdus, quod non significat violare vel solvere fœdus ut vulgo errant, sed ferire fœdus *confer. Buxtorff. Lex. in radice* כרת *Frischmuth. cap.* 2. §. 2. *dissert. de arca fœderis pag.* 12. *Bochart. in Hieroz. cap.* 33. *lib.* 2. *edit. Francof. fol. m.* 326. Ubi & ex *Erasmi* adagiis simile quoddam tribuit *Homolottis* populis tanquam ex *Zenodoto*, quem prodidisse ait Homolottos populos, dissecto in minimas partes bove

ve fœdus jungere, sed uterque fallitur, cum ejusmodi populi nulli terrarum inveniantur. Errorem autem inde natum affert Bochart. quia pro *βῦς ὁ Μολοττῶν* i. e. bos Molossorum prave legitur Βῦς Ὀ'μολοτῶν, prior itaque lectio teste Suida verior & recipienda, quippe adagium hoc de iis, qui in multa negotia distrahuntur, dicitur. Huc quoque facit quod in *Toxari Lucianus* & ex eo prædictus Autor dicto loco habet. Non autem longe exspatiari licet in Histor. Gentilium, cum in sacris multa præsto sint exempla. Memorabile sane illud 1. *Samuel.* 11. 3. Luculenter id quoque demonstrat clarum exemplum Abrahami *Genes.* 15. 20. Ubi Abraham jubetur vitulum triennem, capram & arietem triennem per medium dissecare & fœdus cum Deo pangere. Non postponenda igitur judico verba *Brucioli commento nel Gen. f. m.* 17. dicentis: *Il costume del pattuire degli antichi era uccidere animali, & dividere in due parti, & disporle all' incontro l'una dell' altra, per le quali cerimonie si dichiarava segno di morte se alcuno alcuna volta havesse rotto il patto. Elesse adunque Iddio a tale cerimonia animali mondi atti a sacrificj, & maturi per età, perche niente imperfetto piace a Dio. E gli ucelli descendenti sopra i cadaveri significano i Re, & i popoli che havevano a perseguitare, & pigliare Israel, se non havessero interceduto i meriti de padri, cioe le divine promissioni fatte loro; conf. laudatiss. Dn. Frischmut. d. l.* ubi locum *R. Salomon.* ad hunc locum quadrantem adducit, verba hæc sunt: *Fœdus percutientibus mos est jumentum dividere & per partes diversas transire*, quibus proxime accedit versio *Anglicana*: *and divided them in the midst*, ad quæ verba quidam *Anglus* dicit: *The creatures were divided, and the parts so placed, that the parties covenating might pass betwixt them, the meaning Whereof was, that as part answered to part (for they were so to be laid, that the parts might be answerable to each other) so the minds of the Covenanters shuld be set in a mutual correspondence; and withal there was an implicite imprecation of the like dissection, to the party that brake the Covenant: but in this place was also prefigured the distresses, and distraction of Abrahams se seed.* Hinc Ethnici hunc ad se traxerunt morem, quod *Frischmuth. dicta dissertatione* & super *illustr. vaticin. Jerem.* 30. 31. 32. *de fœdere nov.* §. 7. *Bochart. Hieroz. lib. 2. cap. 33. fol. 325. Guilielm. Stuck. lib. 1. antiquit. Convival. cap. 30. fol. m.* 108. *seq.* Item *de Sacrificiis fol.* 108. *Dieter. Antiquitat. bibl. ad locum Jerem.* 34. 18. *fol. m.* 633. 634. *Johan. Rosin. cum not. Dempster. antiquit. Rom. lib.* 10. *c.* 2. *pag. m.* 734. *seq. edit. Lugdun. satis probant. Generaliter* sumtum vocabulum בּרית denotat quodvis testamentum, sive nudum sive cum certis cæremoniis vestitum. Nudum fœdus factum est Protoplastis, de quibus pluribus videri poterit *Magnif. Dn. D. Musæus Prof. Ienens. celeberrim.* Respondent. & Autore *Venerand. Sebastian. Gobel.* §. 7. *seqq.* cum cæremoniis videri potest *Auson. Pop. lib. de diff. verb. pag.* 86. & 137. Quidam distinguunt in Mosaicum & Apostol. cui consentit *Petrus Galatin. de arcan. Cathol. veritat. lib.* 4. *pag. m.* 175. *edit.* 1651. sic scribens; Confirmabit Messias pactum i. e. legem. Quamvis בּרית sit fœdus vel quandoque firmamentum, in plerisque tamen Scripturæ locis pro *lege* habetur. *Deut.* 29. Quidam referente *Galatino lib.* 7. *c.* 2. *fol. m.* 271. & 273. *cap.* 10. cabbalam inde deducere volunt, quod ibidem evolvi poterit, & hæc hoc loco sufficiant. Confer. *Christlib. Sagittar. D. Superint. Altenburg. olim Jenens.*

[4] *Arca fœderis.*) Hæc ponenda erat in Sancto Sanctorum juxta velum, quod erat inter hoc & Sanctum; auro obducta erat, supra habebat coronam auream circumquaque, ad utrumque latus duos annulos, quibus duo vectes inditi erant ad deportandum. Defuit sub templo secundo, loco ejus lapidem habuisse tribus digitis eminentem e terra ferunt Judæi. Et licet *Spencerus* arcæ religionem ex sacris Ægyptiorum cistis unice derivet, *de legib. Hebr. lib.* 3. *c.* 1. *diss.* 5. *sect.* 4. Attamen non necesse, ut illi calculum adjiciamus & a parte nostra stabit vir plur. Reverend. *Herman. Witsius*, qui hanc *Spenceri* opinionem in suis Miscell. *pag. m.* 429. satis discussit. Cum Spencero facit *Henry Ainsworth* comment. *in Exod. c.* 25. fol. 101. ita scribens: *Among the Gentiles there was an imitation of these things, when they carried the mysteries of their gods in coffers L. Apul. de Asin. aur. lib.* 11. & *Alb. Tibull. Et levis occultis conscia cista sacris.* Nos aliquid mysterii hic latere statuimus scil. quod visibile signum præsentiæ Dei in Christo sit, quare præcipuum omnium erat sanctorum, & ob hanc Tabernaculum erat factum. vid. *Ainsworth. fol.* 100.

[5] *Quæ operculum habebat Propitiatorium.*) Hebræi vocant כּפרת vid. *Buxtorff. Lexic. Hebræ. Chaldaic. pag. m.* 373. notandum autem, quod propitiatorium 1. fuerit arcæ operculum sive tabula operiens & tegens arcam, ut patet *v.* 20. unde paris cum arca erat longitudinis & latitudinis, hinc *LXX.* habent ἐπίθεμα superpositum, uti docet *Josep. l.* 3. *antiq.* 6. 2. Tabula facta non ex lignis Setim auro obductis uti erat arca, sed ex puro auro. *Italus* sæpe laudatus hæc habet. *Il propitiatorio sopra l'arca era una certa tavola d'oro a guisa di coperchio di Arca, della medesima longitudine che l' arca, dell' altitudine non si dice cosa alcuna.* Anglus vertit *a crown of gold That is, a golden plate or border compassing the Altar round about like battlements, as that about the Ark* & alio loco ubi vocat *crown of gold which commonly are round but this was a square erected border according to the figure of the Ark.* 3. Propitiatorium *LXX.* ἱλαστήριον reddiderunt de quibus vid. *Cornel. a Lapid. Commentar. Exod. cap.* 25. *fol.* 534. *conf. Philonem Judæum*, ut & disputationem *Excell. Dn. Frischmuth.* §. 4. 5. *pag. m.* 26. 27. *Fagium ad Targum Onkelos Exod.* 25. *Lu. vocat* Gnadenstuel.

[6] *Duobus Cherubin.*) Moses primum illorum fecit mentionem *Gen.* 3. *ultim.* ibique Angelos intelligere nullum est dubium *conf. Ludovic. de Dieu animadvers. in Genes. pag. m.* 12. cui consentiunt *Anglus* quidam & *Italus*. *Anglus in Genes. cap.* 3. *Cherubins Angels, so called (as some conceive) of knowledg; the fitter to be designed to that service, under that name, because the, sin of Adam and Eve was an ambitious desire and endeavour to equal God in Omniscience and universal knowledg.* Porro hic autor rationem ponit, cur pluralis dicto loco ponatur: Dum in hæc prorumpit verba: *For the word Cherubim is of the plural number, and if there were more then one Cherub, it is like there was more then one sword, &c. for. Angels are Gods Ministres.* Chamier grandes volucres per hos intelligit. *vid. Clariss. & Excell. Dn. Frischmuth. disput. de arca fœderis* §. 6. *pag.* 27. Unde vero deducatur etymon, laboriosi sunt quidam. Aliqui a כּרוב quæ herba (Græcæ κράμβη Arab. כּרבן) undiquaque rotunda præ se fert caput hominis, facie tamen caret. Quo *Rabini* significare voluerunt adorationem & cultum imaginum prohibitum. Verum si Cherubini ideo in arca positi, ne ulla imago fabricaretur, cur in velo texti & *Salomo* fieri curavit? Quidam ut *R. Kimchi* & alii derivant ex כּ similitudinis רביא rabia crevit, ut quasi crescentem denotare videatur, quibus additur Commentar. *Anglus on the second book of Moses cap.* 25. verba ejus hæc sunt. *The word Cherub, as some Hebrews conceive, is compounded of Che that is, as it were & Rabin that is a boy or a young man. Theodoretus qu. in Genes.* 40. & *Pererius in Genes. pag.* 230. Cherub quasi pugnans, כּ enim quasi & רב fortis est, cui consentire videtur *Anton. Brucioli commento nel Genes. cap.* 3. ubi Cherubini dicuntur ante fores horti Eden locati, verba ut afferam hæc sunt: *Et appare questo essere parlare figurato, significando il medesimo che fermissimamente fortificato il paradiso contro gli huomini. &c.* Alibi *Theodoretus & Philo* apud *Alcasarem*, inquit: *Cherub significat plenum Sapientia. conf. Dionys. cap.* 7. *cœlest. hierar. Origenes homil.* 5. & 11. *in Num. Augustin. in Psalm.* 17. & 98. *Johan. Reuchlin. in Caball. t.* 3. *pag.* 752. *Clar. Hackspan. disp. de Angel. num.* §. 3. *Syllog. dispp. pag. m.* 272. conf. *Cornel. a Lapid. Comment. in Exod. cap.* 25. *fol.* 539. *seqq. Pagni. Selneccerus* a Chaldæo deducere vult, ut sit puer formosus: cui accedunt Hebræorum multi ut ex *Jalkut fol.* 100. & *Rabbi Bechai fol.* 102. *col.* 3. *R. Abarbanel comment. in Pentateuch. fol.* 194. *Aben Ezra. R. Salom. ac Talmudistis* perspicitur. *vid. bibliothec. Sacr. Ravanell. edit. veter. fol.* 261. sub voce *Cherub* conf. plur. *Excell. D. Joh. Frischmuti dissertat. Philolog. pag. m.* 31. *de arca fœ-*

der.

der. §. 10. *Gregor. Michaelis præpos. Reg. Flensburg. & jam Swabstad. not. in Jacob. Gaffarell. Curiositez inoyes pag.* 85. *seqq.* Non opus autem ut cum *Francis. Monoajo in libro, cui titulus inscriptus Aaron purgatus, s. de vitulo aureo pag. m.* 39. *edit. ann.* 1675. dicente, loquar: Cherubinos Mosis formam vitulorum retulisse. Fateor quidem lubens varias sententias de formis Cherubinorum. *Philo l.* 5. *de vita Mosis* imagines volucrum fuisse non dubitat asserere, & ridiculi Judæi qui utriusque sexus putant, *ut R. Bechai*. Quidam ut *Ægyptii* ex rumore *Cerubinorum Sphingem finxerunt. Fagius in Pirke Avoth inquit*: Sunt qui ex Cabbalisticis libris referunt Leonis imaginem in flamma ignis sacrificia absumentis conspectam fuisse, & quæ alia. Recepta autem sententia, *formam humanam habuisse vid. Cornel. a Lapid. in Exod.* 25. *Menochius l.* 6. *de Republ. Judæor. c.* 2. *qu.* 9. *pag.* 430. *Paris.* 1648. *cons. Gregor. Michael. in not. ad Gaffarel. Curiositez inoyes. pag. m.* 93. *seqq.* Audiamus etiam *annotations on the second book of Moses cap.* 24. *ubi hæc leguntur: Cherubins were figures of appearing Angels, or glorius representations in humana shape, chiefly in the resemblance of beautiful youth, made with wings to signifie the expedition, which is used by Angels in obeying the will of God; &c.* plura qui desiderat, *evolvat* Cornel. *a Lapid. ad* Exod. 25. *fol.* 438. *seqq.*

7 *Mensa cum* 12. *Panibus.*) Refert *Villalpandus* geminam de his verbis sententiam. Unam eorum, qui putant Altare hic appellari Mensam, cujus sententiæ autor est *Hieron. cons. Walton. in apparat. bibl. fol.* 148. *edit. Francof.* altera qua mensa putatur. Hæc mensa teste *Cornel. a Lapid. comment. ad Exod. cap.* 25. *fol.* 541. facta erat ut exciperet XII. panes Deo proponendos, hinc hæc mensa erat ante Sancta Sanctorum, in Sancto juxta altare thymiamatis. Optime etiam exprimit *Anton. Brucioli nell'Exod. cap.* 25. *fol. m.* 72. *La mensa era di legni di Sitim quali Rabi Kimchi dice esser i più notabili cedri, ma coperta per tutto di lame d'oro & allo intorno suo era un fregio d'oro, l'altitudine del quale era d'un palmo, con certo decoro ornamento, & commoda specie in parte elevato sopra la tavola della mensa un palmo, altre parte similmente un palmo sotto la tavola & essendo la tavola della mensa similmente un palmo, seguita, che l'altitudine fosse di tre palmi in giro, a questo labro o ordigno della corona. E ne' quattro angoli della tavola stavano quattro piedi similmente dorati, da quali era alzata la mensa un braccio & mezzo; & quæ alia.* Non possum quin etiam adducam annotation. Anglican. ad hunc locum in hæc verba *the Table without, that is, the table of the shewbread: or twelve cakes or loaves (representing the twelve Tribes) shall be set on the out side of the vaile, not in the inside.* Non nisi unam in tabernaculo fuisse constat. At in templo plures fuisse constant *Paralip.* 2. *cap.* 4. Omnes tamen ejusdem mensuræ, quam habuit mensa in Tabernaculo. Mensam hanc Tabernaculi describit *Joseph. lib.* 3. *cap.* 7. *antiq. Jud.* ab ipso usu panum facierum appellatam *Levit.* 24. 5. Modum quod attinet *Joseph. lib.* 3. *antiq. cap.* 10. instar omnium nobis esse potest: *Ex publico præbetur panis non fermentatus ex farinæ assaronibus viginti quatuor*, (panes singuli octo habebant libras ut ex Josephi verbis colligit Ribera. *lib.* 2. *de templo cap.* 19.) *coquuntur ac bini pridie Sabbati; & Sabbato mane proponuntur in sacra mensa duobus ordinibus seni ex adverso sese recipientes: atque ita cum duabus lancibus thure pleni promanent usque in proxime sequens Sabbatum.* Falsam itaque sententiam *Hebr. apud Hieron. cap.* 1. *Malach.* arbitror, *quod panes propositionis Sacerdotes ipsi serere, ipsi demetere, ipsi molere, ipsi coquere deberent; vid. Petr. Redan. comment. in Maccab. lib.* 1. *cap.* 1. *vers.* 23. *fol.* 241. *n.* 161. plura habentur *in annal. V. T. Salian. an. m.* 2544. *fol.* 121. *vid. tom.* 2.

8 *Candelabrum.*) Hoc unum ex tribus, quæ in Sancto erant, ad dextram altaris thymiamatis positum, de quibus longa serie *Cornel. a Lapid. Comment. in Exod. c.* 25. *fol.* 543. Quam eleganter describat hoc candelabrum Italus sæpe laudatus, ex sequentibus patebit, cujus verba adducere non mihi temperare possum: Existant vero illa *commento nell' Esodo cap.* 24. *fol.* 72. *edit. Venet. Passo hora a descrivere il candeliere, di sette lucerne, & descrivesi che si debba fare non di opera di getto, ma di oro martellato, cioè disteso per forza di martello. E la faccia del candeliere, senza dubbio, era voltata verso la mensa della propositione, & per questo faceva lume & riluceva all' incontra della faccia sua & illuminava drittamente il diaphano verso la mensa della propositione; perchè il candeliere era locato in modo, che tutte le sette lucerne parimente risguardavano la mensa all' opposito suo. E di qui si ha, che le lucerne non erano in forma di lampade, perchè la lampada accesa nel mezzo parimente sparge il lume per tutto, ma di queste lucerne si commanda che habbino il becchuccio all' estrema parte, nel quale ardeva il lucigno, & per questo commandando che faccia lume, si commanda che i becchucci delle lucerne sieno verso quella faccia.* Hoc candelabrum & vasa omnia ejus constabant auri purissimi talento uno Exod. 47. v. 39. i. e. ut docet Joseph. lib. 3. antiq. c. 7. minis centum, seu, ut Leonardus Marius Exod. 25. n. 190. siclis aureis ter mille. Formam q. nobis tradit Joseph. verba ejus hæc sunt: Ex adverso mensæ propius meridianum parietem situm erat candelabrum ex auro fusili sed non solido, pondo minarum centum. Hoc pondus Hebræi cinchares, Græci talentum lingua sua nominant; eratque distinctum globulis, liliis, malis punicis, craterculis ex una basi in altum assurgentibus, in septem ramos diffisis, juxta numerum Solis & reliquarum planetarum. Exibat autem in septem capita ordine inter sese respondentia: quibus imponebantur septem lucernæ, secundum totidem planetarum numerum, respiciuntque ad Orientem & meridiem candelabro oblique posito. Verum, male Josephus, quod fusile opus fuisse dicit, refert, cum sacra Scriptura aperte doceat, ductile & malleo formatum fuisse. Salian. Annal: sacr. V. T. anno m. 2544. fol. 125. tom. 2. seq.

Candelabrum.) Hoc erat ex puro auro, non ex lignis *Sittim*. Vocatur *Exod.* 35. 14. candelabrum lucis h. e. candelabrum lucens, cujus lampades totum illustrabant atrium. Ita etiam dicitur *candelabrum purum Levit.* 24. 4. Quia aut ex puro auro factum, quod figurabat legem Dei. *Exod.* 25. 31. Aut, quia quotidie a Sacerdote purum reddebatur. *Ductile erat*, ideoque eo pretiosius; ex una massa cum omnibus ornamentis malleo deductum teste *Ainsworthio fol.* 103. *of one whole piece beaten wit the hammer.* Quæ ars veteribus nota fuit, imo etiam in usu fuisse apud Romanos, valde verisimile est. Habebat autem illud lampades septem ex ramis candelabri & stipite prodeuntes, quarum sex partes suas anteriores obvertebant lampadi mediæ sive occidentali ex stipite candelabri prodeunti, quæ lampas mediana partem anteriorem obvertebat Sancto Sanctorum. *Maim.* de *dom. elect. c.* 3. *Abarbanel. in Exod. fol.* 140. *col.* 4. *Raschi in Num. c.* 8. & *Jehud. Leon de templo pag.* 178. Hæc lampas mediana eleganter Christum adumbravit, & cum nunquam esset exstincta, ante excidium Hierosolymitanum annis XL. exstincta fuit, quod Hebræi veteres ut malum omen interitum Sacræ Reipubl. pronuntians interpretati sunt, siquidem lucerna illa mediana testimonium gratiæ divinæ templum inhabitantis vocabatur. vid. R. *David Kimchi* in 1. *Sam.* 3. & R. *Levi Gerson* in h. l. Deinde in candelabro poma granata cernebantur, quinque cum floribus, unum in apice stipitis, unum in parte ejus inferiori, & tria in medio stipite: ex quibus pomo-granatis rami candelabri egrediebantur. Præterea in cujuslibet rami superficie erat pomo-granatum, ut sic summatim pomo-granata undecim. Crateres quoque numerabantur supra infimum pomo-granatum tres, in parte infima stipitis crater unus, & in singulo ramo ex ramis illis candelabri crateres numerabantur tres, ut crateres summatim apparerent viginti duo. Ad elegantiam vero candelabri pertinebat, ut stipes inter pomo-granata & Crateres esset glaber, ita ut glabrities vel ad palmum vel ad duos palmos extenderetur, prout pomo-granata & crateres erant frequentes. *Maim. l.* 1. *c.* 3. Confectio candelabri ex auro erat vel aliis metallis. Quod si ex aliis conficeretur, non faciebant in illo crateres, pomo-granata & flores. Debebat autem, si esset aureum, confici juxta talenti pondus & totum esse ex laminis solidis, sed si ex aliis metallis conficeretur, neque pondus, neque laminæ solidæ attendebantur, quæ perforatæ esse poterant.

Maim.

Maim. l. 1. *c.* 3. Nec ſine cauſa additur, quod candelabrum ex puro auro deductum fuerit. Voluit enim Deus, ne illud fieret ex pluribus partibus, quia prohibuerat omnem mixturam in veſtibus, animalibus & arboribus, ſic quoque in hominibus ferre noluit, ut homines pii communionem haberent cum impiis. Igitur nullum eſt dubium, quin hic repræſentata fuerit perfecta ſimplicitas cultus divini. Myſtice igitur candelabrum ſignificabat *Legem*, in cujus luce populus ſervire ei debebat. *Pſalm.* 119. 105. *Prov.* 6. 23. 2. *Petr.* 1. 9. Crateres, pomo-granata & alia ornamenta varietatem rerum, quæ in ſcriptura traduntur, quarum quædam facile, quædam difficile intellectu ſunt. 2. Petr. 3. vid. de his plur. Ainsworth *fol.* 103. conf. celeber. *Witſius* qui in miſcell. alia myſtica recenſet *pag. m.* 419. *ſeq.*

[9] *Cum lucernis ſeptem.*) Hæ ſolutæ erant a candelabro, ut poſſent deſumi, oleum infundi, & ſi impuræ eſſent, iterum a Sacerdotibus purgari poſſent. Ille autem qui candelabrum purgaturus erat, Sacerdos ſorte ſecunda ad id genus officii eligebatur, de quo vid. Joh. *Lightfoot. de miniſterio templi. c.* 9.

[10] *Labrum.*) Æs attulerunt piæ mulieres, & ut nonnulli putant, præſentarunt ſpecula ſua, quia ſpecula ex chalybe vel ex ære politiſſimo habuiſſe hiſtorici teſtantur. Audiamus hac in re celeberr. *Hermann. Witſium. lib.* 2. *diſſert.* 1. *pag.* 406. *Miſcell. Sacr.* loquentem: *At hoc habebat* eximium, quod æs illud collectum eſſet e ſpeculis mulierum turmatim convenientium ad portam tentorii conventus. *Exod.* 38. 8. Illæ ergo mulieres pro more ſeculi habuerant ſua ſpecula ex fuſo ære nitidoque, quæ quid decorum indecorumque in facie eſſet indicabant, & ad quæ crines, vittas, & ſiquidem præterea habebant capitis ornatum, ſolebant componere. Specula iſta, quæ ſolius corporis munditiei promovendæ & fortaſſe vanitati muliebri inſervierant olim, lubenti animo nunc conferebant ad ſanctiorem uſum, ut ſacrum inde conficeretur labrum ad munditiem Sacerdotum Dei. *Now of the brazen looking-glaſſe of theſe religions women*, inquit Ainsworth. fol. 151. in Exod. 38. *Was te laver made: Who gave the inſtruments whereby they dreſt their bodies, to make the inſtrument wereby through ſaith the might ſanctiſie their ſoules.* Hoc labrum uſui erat Sacerdotibus, ut manus vel corpus inquinatum lavaturi aquam haberent in promtu. Id habebat ſuas tubas per quas aqua defluebat, & quidem aqua ex ſuperiori parte defluebat, quo notabant dona Spiritus S. qui ſæpe in Scriptura S. comparatur cum aqua, qui deſuper cœlitus dona & bona ſua in fideles & electos ſuos demittit.

[11] *Altare æneum.*] Tabernaculum ex divino mandato duobus exornatum erat altaribus, quorum alterum dicebatur מזבח מקטר קטרת altare ad adolendum thymiama *Exod.* 30. 1. Altare thymiamatis. Exod. 35. *Alterum* מזבח העלה *altare holocauſti. Exod.* 30. 28. 35. 15. 40. 6. 10. & *cap.* 29. 39. מזבח הנחשת *æneum altare*, qua voce utitur *Concil. Antiſiodorenſe. c.* 10. *T.* 2. *edit. Binii f.* 954. Invenitur etiam in *Salvian. l.* 3. & 6. Hujus brevem delineationem dabimus. Erat itaque *altare holocauſti* Tabernaculi pars idealiter Moſi divinitus monſtrata *Exod.* 25. 9. 27. 8. a *Bezeleele* ex lignis Schittim *Exod.* 27. 1. 38. 1. (vid. *Buxtorff. Exercit. de arca Fœder. c.* 4. *pag.* 48. Urſin. *arboret. Bibl. cap.* 22. *pag.* 313.) ære obductis *Exod.* 27. 2. unde & æreum dicitur. *Exod.* 39. 39. artificioſe exſtructa, altitudine trium cubitorum æquali cubitorum longitudine & latitudine; hinc quadrata, cornuta, igne ſacro Levit. 9. 24. (*Buxtorffii* diligentia prolixe delineato *Exercit.* 11. *a pag.* 228. *uſque* 266.) repleta, cancellis circundata, cava, variiſque inſtructa inſtrumentis & vaſis neceſſariis, ad ſacrificia potiſſimum, quorum ergo erat erecta πρώτως, δευτέρως ut eſſet refugii locus. Poſita ad vel ante oſtium tabernaculi in atrio, ut in liberiore aere verſaretur propter continuos ignes, fumum & favillas, quæ ex altari iſto egrediebantur, confer huc *celeber. Witſium in miſcell. Sacr. lib.* 2. *diſſert.* 1. *pag. m.* 404. *eleganter differentem.* (non tamen ita, ut Tabernaculum medium præciſe occuparet) formatumque erat ex tapetibus ocellatis ex Xylino internexo, ita quidem ut pellucidi eſſent plenique foraminibus, quo Iſraelitæ, aut quivis alii foris ſtantes cernere poſſent ea, quæ intus agebantur. Plura etiam atria fuiſſe ſæpe laudatus *Witſius* demonſtrat *pag. m.* 404. 405. Cognoſcimus itaque Deum juſſiſſe confici atrium, ubi populus quotidie convenire debeat ad offerenda ſacrificia & cultum divinum peragendum. Ita habitatio Domini dividebatur in *tres partes*. *Atrium externum* ſub dio erat & in conſpectu omnium. *Tabernaculum* ſeu *locus ſanctus*, qui illuſtrabatur luce ſeptem lampadum candelabri aurei & *Sanctum Sanctorum*, ubi nulla externa lux, & Deus ſuper Cherubim habitabat. Quod ſane myſterio non caret. Homo etenim verum Tabernaculum Dei eſt & conſiſtit ex tribus *corpore*, *anima* & *Spiritu.* 1. *Theſſ.* 5. 23. Corpus eſt inſtar atrii ſubdialis, ubi quivis actiones videre poteſt. Anima eſt inſtar Sancti, ubi Lampadibus verbi divini ratio humana & intellectus illuſtratur. Spiritus eſt Sanctum Sanctorum, ubi ſolum Deus habitat per fidem, quæ eſt inviſibilis, nec ab humana ratione comprehenſibilis. Et ita ex opinione Hebræorum Doctorum cor hominis reſpondet *Sancto Sanctorum.* uti *Ainsworth* ex Rabb. *Elia in Sepher. Reſhith* **Chocmaeh.** *tract. de Sanctit.* recenſet.

[12] *Tentorium.*) Hoc in lingua Hebraica dicitur אהל convenientiſſime a re. אהל *expanſionem ſeu extenſionem* ſignificat alicujus rei, mutabilis præprimis, quæ pro lubitu moveri & alıorſum transferri poteſt ſuperne, ſupra nos ut ſub ea habitetur. אהל habitaculum fuiſſe declarat appoſitum ישב *Gen.* 4. 20. 25. 27. שכן *Jud.* 8. 11. Mutabilitatem confirmat notus rei uſus & egregius *Eſaiæ* locus *cap.* 38. 12. Ubi ſanitati redditus *Hiskias* hæc ſuæ gratiarum actioni inſeruit: Habitatio mea transfertur & tranſportatur a me ſicut tentorium (אהל) paſtoris. *Extenſionem* adſtruit non ſolum uſus verbi אהל a Targumiſtis tranſlati per פרס extendit *Gen.* 13. 12. 18. Sed ipſe textus ſacer de אהל habens פרס Exod. 40. 19. (poſtremo adductus Exod. 33. 7. loquitur de illo Tabernaculo, quod Moſes ad tempus erexerat) cum de Tabernaculo Moſaico ſplendido agat, denominationis rationem ex parte prodit. Hoc habitaculum dictum etiam eſt אהל ob divinam inhabitationem, de qua *Exod.* 25. 8. ושכנתי בתוכם & habitato in medio illorum. *Chaldaice*: Et habitare, quieſcere faciam *Schinam* (de שכינה videri poſſunt *Coccej. ad ultim. Moſ.* §. 671. *pag.* 84. §. 1650. *p.* 473. *Coccej.* ad *Sanhedr. pag.* 157. *Fuller. Miſcell. l.* 1. *c.* 4. *pag.* 104. *Hackſpan. ad Nizzachon. pag.* 365. 373. *ſeq. Heinſ. Exercit. ſacr. p.* 137. 211. 234. *Hotting. Cipp. p.* 42. *Kipping antiq. lib.* 1. *c.* 11. *pag.* 250. *Wagenſeil. ad Sot. pag.* 83. *Wal. ad N.T. pag.* 803. 1108.) meam inter illos, ubi LXX. habent ὀφθήσομαι. *Anglus Ainsworth. dwelling place, of Gods dwelling.*

[13] *De lignis Setim.*] Omnes vocabulum Hebraicum retinuerunt. LXX. hoc lignum verterunt ἀσήπτινα quod non facile putreſceret. Hanc ſententiam quoque *Celeberrimi Viri Johan. Friſchmuth. c.* 3. *diſſert. Philol. de arca fœder.* §. 2. aliique habent dum ex *Hyeron. prælaudatus affert*: Ligna Sittim eſſe, quæ habeant ſimilitudinem Arboris quam ſpinam altam nos dicimus, & §. 3. Joſepho vocantur ἰσχυρὰ τὴν φύσιν καὶ σῆψιν οὐ παθεῖν δυνάμενα. *Carthuſianus* incombuſtibilia vocat. *conſ. Dieterici antiquit. bibl. fol. m.* 202. *Joh. Henr. Urſin. in ſuo Arboret. bibl. cap.* 3. *p. m.* 81. ligna lectiſſima Cedrorum, cui conſentit *Anton. Brucioli commento nell' Eſod. capit.* 25. *Lu.* ferenholz. Anglicana verſio legit *Shittim wood which is tougth to be a kind of Cedar that wil not rotbut Eſa.* 41. 19. *it is called the Shittah tree, as a diſtinct tree from the Cedar, yet Shooting up in hight, and growing in bulk to the ſtature of a Cedar tree, ha ving a leaf like a white thorn, and haply agre eing withit in laſting aud durableneſſ: for it is commended for lightnes, firmneſſ, fairneſſ, and for continuance, without putreſaction above all other timber, wich though it grow not in the wilderneſſ, might border upon it, or be brought by the Iſraelites out of Egypt: Whereoſ they might foreſee maniſold uſe, though not to this purpoſe.* Setta Hebraicum ait *Hieronymus in Eſaiam loc. cit.* eſt genus arboris naſcentis in Eremo, ſpinæ albæ habens ſimilitudinem, ut & Anglus quidam in hunc locum *Shittim wood was ſtore in the deſart of Arabia*: unde omnia ligna arcæ & tabernaculi facta ſunt inſtrumenta, quæ appel-

pellantur *Settim: Fagius in Paraph. Chaldaic. ad Exod.* 25. 5. discordes inquit sunt Hebræorum sententiæ super hoc ligno; *Alii Cedrum*, *alii piceam*, *alii Buxum* esse dicunt. Nec desunt qui sentiunt hoc genus ligni a filiis Israel ex Ægypto in desertum asportatum fuisse. Sic fabulatur *R. Salom. Cornel. a Lapid. dicit*: Probabilior est sententia *Aben Ezræ* qui conjicit hoc ligni genus circa montem Sinai crevisse, cui adstipulatur & autor *Hizzuni*, qui scribit in deserto Silvas fuisse, in quibus hoc lignum creverit, fuisseque lignum leve & pulchrum, ex quo & filii Israel sua tabernacula fecerunt, juxta illud. *Habitavit vero Israel in Sittim. Num.* 25. *Aquila & Symmachus* legunt *σιττιμ*. Ex recentioribus alii ut *Lemnius Herb. bibl.* Citrum sic dici opinatur. *cap.* 37. Alii *Laricem*, *ut Danæus tract.* 3. *Phys. Christia. c.* 76. Sed hæc omnia incerta, uti *Hieronym.* dicto loco demonstrat. *vid. Joh. Henric. Ursin. arboret. bibl. pag. m.* 315. Ab hac arbore locus dictus est Sittim. *Jos.* 2. 1. *& III.* 1. ubi ultima Israelitarum fuit mansio. Eundem locum Moses vocat *Abel Sittim Num.* 33. ex quibus colligitur *Sittah* non fuisse *Cedrum*, licet *Kimchius & alii* supra citati imo *Philo* ipse putant *l. de vita Mosis* 3. *p.* 316. neque 2. *Laricem* esse *Sittah* quod alii *Buxum* alii *Lentiscum*, alii *Piceam* forenholz interpretati sint, hoc fecit defectus nominis proprii. Videtur tamen cum *Ursino* hæc vera sententia, quod fuerit quoddam *Acaciæ* genus; rationes videntur hæ 1. a nomine שטה Arabibus significat longus fuit *ut Clar D. Hottinger.* notat: Inde *Rabbinis Sittah* linea; *Schindler. in Lexic. Pentaglott. dicit* שוטט *Schotet baculum seu stimulum esse, quo boves incitentur. vid. Bellon. lib.* 2. *observ. cap.* 66. 2. a Descriptione: Describitur ita. *Acacia* dicitur *Spina*, *quod tota arbor spinis horret*, *excepto caudice. Magnitudine excellit*, *tectis idonea cæditur*. Ejus *duo* sunt genera, *alia* candida, *alia* nigra; illa facile putrescit, hæc incorrupta manet. *conf. Prosper. Alpin. & Vesling. in eund. observ.* 4. *l.* 2. *c.* 56. *& cap.* 80. plura qui desiderat evolvat *Andr. Matthioli Comment. in l.* 1. *Dioscorid. cap.* 115. *fol.* 113. 114. *edit. Venet. anno* 1554.

[14] *Acetabula*, *Phialas*, *Thuribula & Cyathos*.) Codex regius hic sic vertit. *Facies scutellas ejus & cochlearia ejus & medios calamos ejus & cyathos ejus*. Chaldæus; *Facies acetabula & phialas & cyathos ejus*. LXX. *Facies catinos ejus*, *& mortariola*, *& libatoria & cyathos*. Est autem tanta versionum varietas, quia obscurum est, quid proprie sibi velint voces Hebraicæ, & difficile propterea scire, quis proprius fuerit vasorum illorum usus, teste *Cajetano* ita loquente: *Jugenue fateor*, *me nescire tum formas vasorum*, *tum officia*. Minime probabilis *Tostati* sententia videtur, qui putat, vasa hæc non in servitium mensæ facta, sed servata esse in usum Altaris. Quamobrem vocem Hebræam *Regharah*, cujus nulla cognoscitur origo aliqui vertant *acetabulum*, alii *scutellam*. Caphoth, aliqui phialas, alii mortariola. Resoroth, aliqui *thuribula*, alii *opercula*, aut *crateres*. Menakioth aliqui *Cyathos*, alii *libatoria* ut docet *Villalpandus tom.* 2. *part.* 7. *cap.* 57. *& Ribera lib.* 2. *de templo cap.* 22. Nec minus in usu, quam vocibus dissidium est. Omnium optime mihi videtur egisse *Villalpandus*, qui *acetabula & phialas* intelligit, *crateres aureos*, quibus singuli panes imponebantur, *vid. plur. de Phialis Joann. Drusius ad diffic. Loc. cap.* 39. *pag. m.* 374. 375. per mortariolum, vas concavum, quo thus panibus superpositum continebatur, per *thuribula*, *craterum opercula*, quibus panes a pulvere & muscis defendebantur, per *cyathos & libatoria* vasa, quibus vinum libabatur singulis sabbatis, cum panes in sanctum inferendi essent. Græca si consideranda vocabula, tunc *σπονδεῖα* Græcis significant vasa quibus vinum & oleum in sacrificiis fundebantur ut docet *Athenæus libro eodem*, *Apollodorus*, poculum esse ait, quod in fundum collocari *aut* firmari nequit, sed in os. Itaque poculi genus fuit *Græcis* & *Latinis* frequentissimum plerumque aureum, ut ostendit *Juvenal. Satyr.* 5.

Varro tenet Phialas tibi non committitur aurum.

Græcus tertio loco *θυΐσκας* & *Latinus* mortariolum vertit, unde *θύϊκος* vas in quod conjiciuntur suffimenta, & *θυΐσκη* quod thuribulum significare videtur, fuisseque illud quod purissimi incensi granis plenum, panibus imponebatur, vel operculum thuris, aut panum vel mortarium, in quo thus & alia aromata ad suffitum præparanda contundebantur, quem usum arbitratur mortarii fuisse *Leonardus Marius Exod.* 25. 20. Melius opinor, quam *Rabbini* apud *Villalpandum*, qui quod *Vulgatus* thuribula vertit, fuisse medios calamos putant, in summitate uniuscujusque positos, per quos aer excipiebatur, ne panes diutino situ lanuginem, aut mutuo contactu mucorem contraherent. Hujus sententiæ sunt, *Vatablus*, *Junius*, *Oleaster*, confer *And. Willet. Anglum sixfold commentarie upon Exod. They were such vessels as the table was covered with. fol.* 490. Anglus hic quoque verborum explicationem ita refert *The word keaarath or kegharath which signifieth a hollow dish or platter.* i. e. vox Keaarath significat *mensam cavatam. Junius* putat, formandis panibus inservire, quo panes omnes uno fiant. Sed verisimile non est, mensam hanc auream in conficiendis panibus usurpatam esse, cum hæc mensa e Tabernaculo nunquam mota fuerit. Hoc quidem probabile, Sacerdotes ipsos panes pinsuisse de illis, qui offerebantur. *Latinum translatorem* igitur prædictus carpit, sic inquiens: *But this is very improperly gathered*; *for in the Tabernacle there was no use for vineger.* i. e. *valde improprie dictum*, *quippe in Tabernaculo nullus erat aceti usus. f.* 490. Porro pergit, *Caphat signifieth an hollo wesel*, *like to the palme of the hand*, *which served for the incense*, hoc est *Caphat significat vas cavum instar palmæ manus*, *quod inservit incenso*, cui consentiunt *Junius Vatablus*, *Pelargus*. *Latinus* vertit *phialas*, poculum e quo libabatur vinum, quod oblatum erat, ut *Lyran. & Tostat. Rupertus* vero putat vitrum fuisse, sed hoc esse nequit; scripturæ enim contrariatur, *omnia aurea esse* inquit, & hoc vasculum non erat ut reciperet vinum, sed tabulæ panum propositionum inserviebat. Tertium quod attinet vocabulum *Kesoth*, quod Latinus per *Thuribula* vertit, sed teste *And. Willet. fol.* 490. scribente: *Kesoth not were thuribula incense cups* non erat vasculum illud, quo conderetur thus, sicuti hujus sententiæ sunt *Lyranus*, *Tostatus*. *R. Salomon* putat aureos cancellos positos intra panes, ne mucorem accipiant, huic sententiæ consentientes habeo *Vatablum & Montanum R. Jehudam scriptorem Hebræum* multa antiquitate, & hæc sententia probabilior videtur; idcirco etiam *Num.* 4. 7. vocantur *scutellæ tegminis*, quibus scilicet panes tegebantur. Ultimo loco examinandum venit *Menakioth*, quod a radice *nakah* i. e. mundare, originem trahit. *Junius* vocat *scopulas*. *Cajetanus* mundatoria. *Montanus* expurgatoria instrumenta. Non *Cyathi* i. e. pocula purgatoria ut *Tostatus & Lyranus* referunt. *Oleaster* putat, certa fuisse *opercula panum*, sed falso asserit, quoniam panes illi in Tabernaculo non tecti, sed aperte jacebant. Verosimilius igitur, opercula fuisse vasorum incendiorum, & hoc conjunctum videtur cum eo *Levit.* 47. Ita Vatablus & Lippom. sentiunt.

[15] *Panes propositionis*.) Vocantur etiam panes faciei, quare autem ita vocentur *R. Salomon* putat hanc rationem dari posse, quia ex utraque parte tosti erant, seu ut *Hebræi* arbitrantur, ita vocatos fuisse, quod instar lateris quadrati una parte faciem quasi repræsentarent. *Alii* ob hanc causam, quia certis in locis coquebantur & conspectui omnium exponebantur, ut omnes alii panes. *conf. Lyran. & Tostat. Cajetanus* existimat notatos fuisse characteribus duodecim filiorum Israel. Sed nomen hinc accepisse reor, quia semper & ubique in conspectu Dei erant, ut verba sequentia hoc clarius exponunt, & hæc est opinio LXX. & hæc opinio, reliquis rejectis, probabilis videtur. *conf. Andr. Willet. fol. m.* 471. *fol.* 596. *on the book of Levit. cap.* 24. *plura legenda sunt apud Redan. Hic etiam Wallæum videre licet.*

[16] *Velum*.) Tὸ *καταπέτασμα*. Quid per hoc nomen intelligatur, non satis apertum. *Episcopus Oriolamus* non aulæum aliquod expansum, aut cortinam existimat significari, sed cælaturas valde eminentes, quibus fores templi obtectæ & ornatæ: quia docet *Hieronym. epist.* 150. *q.* 8. *in Evangelio*: per velum templi moriente Christo, scissum, superliminare templi miræ magnitudinis significari, vel quod in Tabernaculo & templo foris positum fuerat

rat, & appellabatur exterius. Quod insinuare quoque videtur textus *Syrus*, qui ut observat *Adam. Contzen*, superficiem Januæ templi appellat. Secundo, quia ejusmodi cælaturæ 3. *Reg.* 6. 35. appellantur a LXX. *διαπεπετασμένα πέταλα*, *expansæ: laminæ*: additque ibi *codex Sixtinus*: & ædificavit *τὸ καταπέτασμα*, *velum atrii ipsius Ælam domus*, *quæ ad faciem templi*: quæ verba, ut observat *Flaminius*, absunt in *Complutensi & Vulgata*. Communis autem & procul dubio varior. sententia *velum* hic proprio sensu teste *Matth. cap.* 27. 51. *Luc.* 33. 45. pro aulæo lana aut bysso confecto sumi. Quod de *Græco* & *Latino* observat *Oriolamus*, nullius momenti est, quoniam nihil necesse verba illa ad velum referre, sed potius ad vasa, quæ ex metallo confecta minui aut atteri poterant, & tamen ad velum apte referri poterant, tum quia Hebræi apud *Adamum Contzen. Matth.* 29. 51. *q.* 1. densitatem veli sacri fuisse quatuor digitorum asserunt: quod satis ostendit nec materia infirmum fuisse, nec attenuationi ineptum: Falsum quoque verbum Græcum de solidis tantum dici, testibus *Henr. Stephan. in Lex. Græc. & Mario Nizolio in thesaur. ling. Latin.* Non vero unum tantum sunt, sed duo teste *Apostol. ad Heb. cap.* 9. 3. imo tria aulæa teste *Wallæo comment. ad N. T. pag.* 335. Primum, ut hic ostendit *Paulus*, secernebat a Sancto Sanctum Sanctorum, de quo *Exod.* 26. 31. cui consentit Scriptor elegantiss. *Anglus* in libro *inscripto annotations upon all the Books off the new Testament*, *nomen ei est Hammond. fol. m.* 264. verba ejus hæc sunt: *for of this it is certa inthat there were two veiles or high walls, the one that covered or enclosed the Sanctuary from the eyes and approach of the people, who were permitted to goe no farther, then the court of the jews, and only the Priests admitted into the Sanctuary. For thus the manner was, the θυμιατήριον or altar of incense wus within Sanctuary, and thither the Priests went daily and offered incense, the people mean while staging without, and praying every one privately by him self; But the people themself staid without, and might not enter or look in there, that veile, or Wall. And us the Sanctuary wus enclosed from the Sanctuary, and thiter none entred but the high Priest once a year, and so there was a second vaile.* Verum enim vero, obstare videtur quod ubique singularis positus sit pro plurali numero, sed facilis responsio, cum multa dentur exempla ubi enallage numeri ponitur, ut *Exod.* 8. 241. *Psalm.* 104. Sed quæstio hic oritur, quale fuerit velum Christo moriente quod scissum. *Hieronym. epist.* 150. *quæst.* 8. *Baron. Cyrillus ut refert Isaac. Casaubon. exercit.* 16. *ad annales. Baron. anni* XXXIX. *Num.* CXXVII. *fol. m.* 571. exterius fuisse putant; nec ut apparet, immerito. Id enim omnibus conspicuum majorem admirationem adferre, horroreque laicos etiam perfundere potuit magis manifeste, quam interius, solis visible sacerdotibus. Verum interius fuisse, opinio probabilior, quippe velum adyto oppansum *δεύτερον καταπέτασμα* vocat *Paulus ad Hebr.* 9. Cæterum ubi nude dicitur *καταπέτασμα*, omnino intelligendum erat illud, quod adyto oppansum. *Philo Judæus de vita Mosis*, distincte aulæum adyto oppansum vocat *καταπέτασμα*. alterum oppansum templo sacerdotali appellat *κάλυμμα*. Nam & *Mosi* distincte illud inferius vocatur פרכת *Exod.* 26. 33. istud exterius מסך. Vocem פרכת etiam LXX. vertunt *καταπέτασμα* *Exod.* 26. 33. 36. 33. At vocem מסך quam *Philo* transfert *κάλυμμα*, *ἐπίσπαστρον* *Exod.* 26. 36. 36. 33. Quare non dubito, quin *τὸ καταπέτασμα* intelligi debeat aulæum quo penetrale defendebatur. *Conf. Isaac. Casaub. exercit. ad annal. Baron. pag. m.* 581. *Petr. Redan. Commen. ad lib. Machabæorum. lib.* 1. *fol.* 248. *Hen. Hammond. Anglum Doctiss. in annotat. N. T. fol.* 264. *Andr. Willet. sixfold commentar. upon* Exodus. *chap.* 26. *fol.* 505. *commentary upon the Gospel of S. Mark. capit.* 15. *fol.* 1546. *George Petter. Balduin. Wallæ. comment; in N. Testam. pag. m.* 325. *edit. in* 410.

17 *Oleum.*) Inter varios usus oleum quoque usurpatur ad lumina. *Exod.* 25. 6. 27. 20. *Matth.* 25. 3. *Ursinus analect. volum.* 1. *l.* 5. *cap.* 42. 43. & *volum.* 2. *lib.* 1. *c.* 14. *Claud. Rangol. comment. ad libr. Reg. fol. m.* 1176. itaque præcipue præcipit Deus, ut oleum purissimum adferant Judæi. Certæ autem erant species olei. *Macrob.* 16. *Columella.* 10. *Cato.* 8. meminit: oleumquippe extrudi poterit ex *pomis*, *nucibus*; sed oleum hoc a Deo præscriptum ex *Olivis* esse debebat, cujus iterum tres species erant, 1. quod *sponte* fluebat ex Olivis, in Græco *τὸ λάον* quidem dictum putant, & inde proverbium: verba *oleo leviora* glat twie Oel. 2. Quoddam excussum & ultimo 3. quoddam erat expressum, de quo *Jobus cap.* 24. *v.* 11. vocabulo *Hizhis* utitur, similitudine sumta a Tyrannis, qui injuriis pauperes compellant, ut nulla mercede exprimant oleum. Primum genus constitutum erat lampadibus, alterum victimis, tertium cuilibet usui teste *Anglo Andr. Willet. commentar. on the book of Leviticus*, & iterum upon Exodus cap. 27. fol. m. 517. dicit: *three kinds were of oyle: first that, which flowed forth from the olive berrias of it selse without any forcing and strayning, which was the best of all: the second sort was that, which was beaten out of the olives with some beating instrument, the third kinde was that, which was made by grinding and crusthing them all to pieces. Tostatus qu.* 19. putat hanc esse opinionem, scil. Judæos non solum primi generis allaturos esse, verum etiam secundi. *Junius* existimat primum liquorem fuisse, nam, *primam undam superat ea quæ tudiculis solum extunditur. Pellicani* opinio probabilior videtur, asserentis tenuioris olei liquorem usurpatum fuisse in alendis lucernis; cum vero secunda species ejusmodi sit, itaque hoc usos fuisse Judæos. Causam finalem, cur adhibitæ lucernæ, Deus ipse addit, ut luceant *semper*. *Cajetanus* vult, ut indeficiens esset lumen candelabri tam die, quam nocte. *Tostatus* autem autumat vocem *jugiter* hic non *temporis continuationem*, sed *perpetuam ordinationem*, tamen interruptam, significare. *Piscator* per verbum *semper tempus stativum* intelligit, exemplo de sacrificio juge adducto, quod continuum sacrificium appellabatur, cum tamen mane & vesperi tantum fieret. *Ribera lib.* 2. *de tempor. cap.* 12. probare conatur *Levit.* 24. 3. scil. ut diluculo mane arderent. Sed *Cajetanus* notat, hic non tempus lucendi sed disponendi lucernas intelligi. Ita *Gallasius*, *Tostatus & Oleaster* cum Latino *Interprete* exponunt, sensum hunc esse: *Ut usque mane luceat*. Opinionem *Josephi* 2. *antiq. c.* 10. *Lyran. Cajetan. Lorin.* audiamus, qui putant quatuor lucernas noctu, & tres die luxisse, & hancob causam dictum hic esse, ut luceant *semper*, quibus calculum addit *Targum Jonathan* ob exercendum quotidie sacrificium, seu ut *Cajetanus*: *Propter officium aliquod nocturno tempore exercendum*. Verum harum adductarum opinionum nulla probabilior videtur, quam *Tostati*, *Oleast. Vatab.* Jun. *Andr. Willet.* & aliorum, expresse dicentium mane lucernas exstinctas fuisse. 1. *Sam.* 3. 2. Ita *Hesychius* mysticum quærit sensum in alendis lucernis, quod noctu tantum luxissent; *Usque mane accendamus*, in præsenti, videlicet, seculo: ita & *Beda*: *Cum nocte transacta seculi hujus mane futuri seculi inclaruerit*, &c. quibus accedit *Lyranus* qui *τὸ semper* exponit *in qualibet nocte*, conf. Andr. Willet. sixfold comment. upon Exod. fol. m. 506.

18 *Altare* ad adolendum *thymiama.*) *Duo* in Tabernaculo a Mose frabricato *altaria* fuisse, diverso inter se nomine, fine, loco & ornatu. Unum appellatum *altare thymiamatis*, *altare incensi*. *Luc.* 1. 11. *θυμιατήριον* seu thuribulum aureum. *cap.* 9. *epist. ad Hebr. v.* 4. Altare aureum. 3. *Reg.* 7. 48. Altare oraculi. Exstructum jussu Domini *Exod.* 30. 1. de lignis Setim ad adolendum thymiama. *Exod.* 30. 19. Alterum appellabatur *altare holocausti*. *Exod.* 38. exstructum ad omnes victimas, tam cruentas, quam incruentas & propterea collocatum extra tabernaculum in atrio. Differebat autem hoc altare ab altero longitudine & altitudine, quippe altare thymiamatis longum uno cubito erat; holocausti vero quinque: hoc auro obductum; alterum sanguine sacrificiorum aspergebatur, 2. holocausti altare craticulam in superficie habebat, teste Hieronymo, quo cineres per foramina cadere possent: hoc vero tectum. Cur vero dicatur aureum & non potius ligneum, cum revera ligneum fuerit? responsum hoc dari poterit, quia undique auro obtectum, quicquid oculis repræsentabat, auri fulgore radiabat. Arca autem, quamquam eodem contecta metallo, non

aurea,

aurea, sed auro vestita dicebatur, quia altare thymiamatis quotidie semel & iterum, arca nunquam oculis hauriri poterat. Potuit secundo altare thymiamatis aureum dici, quia craticulam habebat plane auream, ut docet *Benedictus Justinian. ad Hebr. 9. v.* 4. Hoc altare *Cajetan.* mensam vocat: *Junius* arcam: *Josephus foculum*, ubi incensa comburebantur. *Tostatus* putat, vascula fuisse in quibus conditæ essent prunæ ab altero altari incensorum gratia, & vocat: *vas receptorium carbonum & thymiamatis.* Verum veritati haud consentaneum dicit *Andr. Willet. sixfold Commentarie upon. Exod. chap.* 30. *fol.*566. Verba hæc sunt: *nei ther need id to be imagined, if there were any such censer upon the incense Altar. Non opus ut aliquod ignicularium statuamus altari incensorum impositum.* Magis probabile est, quod prunæ positæ essent in ipsum foculum, rationes hæ sunt: 1. quia nullius ignicularii mentio aliqua facta, quod omittendum haut erat. *Riber. lib.* 2. *cap.* 8. 2. *Joseph. lib.* 3. *de antiquit. cap.* 5. dicit *foculum corona cinctum* fuisse, quo prunas injectas servare posset. 3. *Apostolus Hebr.* 9. 4. vocat χρυσοῦν θυμιατήριον aureum ignicularium, cui consentit *Joseph. lib. 6. de bell. Judaic. cap.* 6. An vero in Sancto Sanctorum fuerit, varie disquiritur. *Augustin. quæst.* 173. *in Exod.* asserit in Sancto Sanctorum fuisse. *Arias Montan.* arbitratur, *Altare incensi fuisse intra adytum ante arcam ipsam.* Ita *Origen. hom.* 9. *in Levit.* Verum hoc falsum esse clare *Exod.* 40. 26. videndum. 2. *Levit.* 16. 12. conferatur *Joseph. lib.* 7. *c.* 1. inquiens: Medium inter utrumque locum obtinebat Altare illud aureum (scil. mensam & candelabrum) At omnibus diebus Sacerdotes introibant ad locum candelabri, nunquam ad locum, ubi arca reposita. Tertio, quia ad adolendum thymiama accedebant minores quoque Sacerdotes, qualem fuisse Baptistæ patrem probabilius est. At Sanctum Sanctorum excepto summo Pontifice intrare non licebat. *vid. Andr. Willet. comment. in Exod. Chap.* 30. *fol. m.* 567. *Diodati. annotations on the second book of Moses cap.* 30. *Petr. Redan. comment. in libr. Machab. lib.* 1. *cap.* 1. *vers.* 23. *fol. m.* 239. ita patet hoc altare non in Sancto Sanctorum, sed ubi Candelabrum & mensa steterint, fuisse. *Joseph. lib.* 8. *antiq. cap.* 2. *Theophylact. in Hebr.* 9. *Beda lib. de templo. cap.* 12. *Thom.* 1. 2. *quæst.* 102. *art.* 4. *ad* 6. *Comestor. histor. Exod. cap.* 67. *Lyran. Exod.* 3. *Cajetan. Lippom. Exod.* 30. *Paulus Brugensis Paulum* Apostolum cum *Mose* reconciliaturus, putat hanc esse mentem, dici hoc, *quoad dignitatis gradum, non respectu loci.* Quidam putant thuribulum aureum quo semel usus Summus Sacerdos in anno, fuisse: hujus sententiæ sunt *Thomas & Lyranus in cap.* 9. *ep. Hebræ.* Sed male distingui videtur ab altari Thuribulum teste *Joseph. lib.* 6. *cap.* 6. Esto tamen, diversa sint altare & thuribulum, certe thuribulum vel in Sancto Sanctorum fuit, aut non? quod fuerit, sacris literis aperte repugnat. Nam *Exod.* 2. 5. & 40. omnia recensentur quæ ad Tabernaculi usum fabrefacta etiam minutissima; de thuribulo tamen in Sanctum Sanctorum illato ne unum verbum. Imo *Levit.* 16. docemur thuribulum extra oraculum fuisse. Præterea si thuribulum cum arca servaretur, necessum foret Summum Pontificem ter intrare in Sanctum Sanctorum 1. ut thuribulum extraheret præparandum 2. ut præparatum inferret ritu solenni, 3. ut illud ad suum referret usum. Hinc evitando incommodo, quod excogitavit *Villalpandus*, vel nullo excogitavit fundamento: nempe a Pontifice unum in Sanctum Sanctorum singulis annis thuribulum illatum & ibi relictum, & aliud eductum anno sequenti inferendum cum prunis. Sed nihil in Mose legitur, & licet trinam ingressionem permittamus, nulla tamen comparatio; aperte enim constat Paulum non de templo Salomonis sed Mosis loqui. Asserunt quidam in templo secundo factum, altare incensi in Sancto Sanctorum fuisse, ast pessime. Probabilius est quod indicant *Ribera lib.* 2. *de templo. cap.* 8. *Azor. lib.* 6. *instit. moral. cap.* 46. *q.* 3. *Ludovicus Tena, Benedict. Justinian. Cornelius a Lapide, Tostatus. Andr. Willet. comment. upon Exodus fol.* 567. *Diodat. annotations on the second book of Mosis. cap.* 30. Apostolum non distinguere Altare thymiamatis a thuribulo, nec tamen asserere in Sancto Sanctorum fuisse, aut post velamentum secundum: tantum affirmare, Tabernaculum, quod post velamentum secundum erat, seu Sanctum Sanctorum, habuisse thuribulum & arcam, diverso tamen modo, thuribulum extra se usui suo destinatum, arcam vero intra. vid. *Angl. Andr. Willet. comment. in Exod. fol.* 567. *Diodati annotat. on the second book of Moses cap.* 30. *v.* 6. *inquiens. The Altar of incense was not placed in the holy of holies where the Mercy seat stood, for thither came onely te Heigh-Priest and but once a year, but in the place next unto it* (called the *holy place, and separated from it only by a Vail*) into which *inferiour Priests went daily to burne incense.*

[19] *Cum basi sua ad lavandum.*) Finis hic additur ob quem labrum fuit confectum scil. ob *lotiones.* De frequentissimis Judæorum lotionibus multa legenda prostant apud *Dn. D. Gejer. de luctu Hebr. c.* 21. *pag.* 384. *Buxtorff. dissert. Philolog. Theolog.* 8. *pag.* 397. *Lexic. Talmud. fol.* 1335. *Cameron. Oper. f.* 175. *Casaubon. Exercit. Anti-Baron.* 16. *p.* 431. 536. *Dieter. Antiq. Bibl. fol.* 341. *Lightfoot. Matt. p.* 46. *Hottinger. ju. Hebr. p.* 135. *Histor. Eccles. p.* 1. *p.* 8. 9. *pr.* 7. *p.* 421. *seqq. Sheringham Jom. Dn. D. Maj. diss. de lustrat.* aliosque. Nunc saltem lotio ex *labro* facta attendenda venit. Lavabant se inde *Sacerdotes. Sacerdotum* munus cum saltem *Aaroni* ejusque posteris fuerit demandatum, hinc his tantum injungit textus, *lavabunt Aaron & filii ejus ex eo.* Quæ verba demonstrant & Pontificem & inferiores ad ejusmodi lotionem fuisse obstrictos; confer *M. Gottfried Thymum. de labro æneo. pag.* 33. *seqq. edit. Cygn.* 1675. Quo autem hæc commode fiat, nullum dubium quin per epistomia effluxerit aqua. Nam textus Hebræus denominat & materiam, quæ fuit congrua ad *lotionem* & *subjectum* ex quo emittenda erat aqua. Moses phrasi sua רחצו ממנו *Exod.* 30. 19. 40. 31. quæ satis perspicue indicat Sacerdotes ex labro ipso manus & pedes abluisse, quod commodissime per *Siphones* factum. In rem *Leusch. Num.* 159. §. 7. his verbis: *Labrum non effundebat aquam continue, sed fuere in illo Siphones, foramina, & omnis Sacerdos, qui voluit sanctificare manus suas & pedes suos, aperuit Siphonem & sanctificavit.* conf. *Ed. Pocok. ad port. Mos. c.* 9. *p.* 371. Non itaque vino, lacte vel alia materia abluebant se, sed *aqua pura*, quæ juxta Rabbinorum testimonium apud *Hotting. jur. Heb. p.* 136. ad sanctificationem apta, sive ex fonte petatur, sive alveo; illicita vero redditur pernoctatione. Illa autem aqua erat commoda & pura, quæ non erat salsa, antea usurpata, ex qua Gallinæ non biberant, reliquæ bestiæ & feræ &c. *Buxtorff. dissert.* 8. §. 26. *pag.* 403. & *Pocok. ad port. Mos. c.* 9. *p.* 357. Cum itaque labrum *Mosaicum* portari debuerit, hinc arbitramur aquam commodam fuisse ingestam & infusam, quando alicubi erectum, uti cit. *Thymus de labro æneo* satis probavit.

[20] *Oleum unctionis.* Unguenta apud veteres nil aliud erant, quam flores contusi & liquefacti foliorum & radicum, referente *Carolo Paschal. lib.* 2. *cap.* 4. *pag. m.* 76. *de coronis.* Igitur quoque ad hoc unguentum certæ species aromatum adhibitæ sunt, ut refert Scriptura, ubi Deus dicit: *Sume tibi aromata præstantissima.* Et putat *Junius & Tremellius* per peculiares species hic intelligi Balsamum, verum veritati haud esse consentaneum accentuatio docet; Accuratius *Arabica versio* rem tangit hoc in loco ואנת פחד לך מן ראיש אלטבב i. e. *Tu autem sume tibi ex præcipuis aromatibus. Fagius in Onkel. in Comment.* interpretatur, *unguenta capitis & myrrhæ liberæ.* Species hujus unguenti prima מר mor *Onkelos* habet מירא. Syrus מורא *Oleaster* putat *balsamum* fuisse, sed falsum. *Mor* vero dicitur מרר *amarus fuit.* Est autem myrrha lacryma arboris, nondum satis exploratæ. *Theophrast. l.* 9. *c.* 4. *hist. Plant.* refert, thuris arbore minorem. Alii tamen terebintho similem tradunt. *Dioscorid. l.* 1. *c.* 67. Ægyptiæ spinæ similem *Plin. l.* 12. *c.* 15. vid. *Andr. Matthioli comment. in l.* 1. *Dioscorid. c.* 67. *f.* 61. 62. Mor undecim vicibus legi notat Marinus in S. Epitheta differentiam indicant: dicitur enim a Mose מר דרור. Mor deror myrrha libertatis, quæ vel sponte fluat, vel ab adulterio & corruptione sit pura & immunis, vel odoramentum suum libere dif-

fundat neque opus habeat igne, contusione aut artificio, ut odorem diffundat. conf. *Schickard.* משפט המלך *c.* 1. *Theor.* 4. *Diodati annotationes in Exodum* cap. 30. vertit: *that droppeth freely*, *Wich droppeth first most freely.* *Thalmudici* tamen quidam *Museum* interpretantur, quod ex animali libere concurrenti optimum colligatur. Rabbini Musak; Arabes Moseh vocant, a מסך masach miscuit. conf. *Rambam in Hal Kele-Hammikdasch. c.*1. *v.* 5. *Aben Esra in comment. ad Exod. c.* 30. *Cantic. V. v.* 5. & 14. legitur *Mor Ober*, myrrha transiens, quam digiti & labia stillare dicuntur: ubi *LXX. habent* σμύρναν πλήρη, *plenam*. Et apud *Ambros. Symmach.* πρωτεῖον, *Aquila* ἐπίλεκτον, quæ dat ἰωσδίκην, *late transeuntem*: *Vulgatus probatissimam & primam*: sicut argentum transiens dicitur, quod probatum est gut und gangbahr. *Tremell.* fliessende Marrhen. Altera species erat *Cinnamomum*. Verum quodnam sit? an a Cinnamo differat? an idem sit quod nostrum, Canella dictum? an in rerum natura exstet? Labyrinthus videtur. Videat cui vacat, *And. Matthioli comment. in lib.* 1. *Dioscor. cap.* 12. & 13. *fol.* 32. 33. 34. *Garsiam ab Horto lib.* 1. *arom. cap.* 15. *Jonston. lib.* 3. *histor. de Arbor. aromat. cap.* 4. Primus Cinnamomi in Arabia meminit *Herodotus l.* 3. qui certiorem Cinnamomi historiam prodidisse visi sunt, hæc habent: *varia esse genera; Mossyliticum, quod præstantissimum habetur, Casiæ, quæ Mossylitis dicitur, habere quandam similitudinem. Dioscor. l.* 1. *cap.* 13. *And. Matthiol. d. l.* Apud Sabæos, cum balsamo, Casia, Thure, Myrrha & Calamo crescere Cinnamomum auctor *Agatharchides cap.* 50. *in excerpt. apud Phot.* Cinnamomum hodiernum a Casia solo nomine & bonitate differre ait *Garsias*. Verum quod attinet biblicum Cinnamon, a Casia distinguitur. Specie tamen differre non est consequens. Si de *Plinii* Cinnamo, quod *Caryopon* vocavit, *Syriæ* indigenum, certi quid constaret, posset cogitari, succum ejus odoratum in unguentum sacrum Mosaicum venisse. Esto interim *Mosaicum Cinnamum*. *Canella* ab arboribus e *Zeilane* petita, & cum similibus Exoticis per *Nabathæos in Syriam* allata: e cujus radicibus vulneratis stillat concrescens stacte per se, & ex festucis arte aliud oleum odoratissimum extrahitur. Hoc puto esse Kinnemon-Bersem. Tertia species est calamus קנה בשם LXX. κάλαμον vocant calamum beneolentem. Huic παράδηλον est illud Jerem. 6. 20. *Quo mihi thus de Saba affertis?* & Kane Hattobh Calamum suaveolentem ubi LXX. κιννάμωμον vel κίνναμον, *Aquila & Symach*: κάλαμον habent. Quod thura de Saba veniant nemo est qui dubitet. Calamum autem de terra venire longinqua Propheta d. l. testatur. Certum igitur est Kane 1. pretiosum aroma esse, quod magno labore, magnisque sumtibus comparandum. 2. non ex Arabia Sabæa allatum, sed ut *Hieronym.* ex *India*: 3. distinctum a Kinnamon & Kidda 4. tam bonitate quam pretio differens. *Andr. Matthiol. comment. in lib.* 1. *Dioscorid. fol. m.* 38. *ex Theophrast. lib.* 9. *cap.* 7. refert, juncum odoratum in India nasci. Apud nos raro in usu, desiitque in usu esse. Conf. plur. *Ursinum in hort. aromat. lib.* 3. *cap.* 5. *pag. m.* 226. 227. *seq.* Superest quarta species קדה Casia. Syr. קציא *Pancir. partit. tit.* 11. *plantam odoratissimam fuisse ait.* de hac plurima *vid. in Hort. arom. Ursin. lib.* 3. *cap. V. pag.* 230. 231. *Andr. Willet. comment. in Exod. fol.* 575. *Diodat. annotations on the second book of Moses. Ursin. aromat. hort. lib.* 3. *cap.* 9. *pag. m.* 271.

[21] *Thymiama.*) Hoc ex quatuor componebatur speciebus, primam Hebræi vocabant Nataph quod gutta; verum non fluida, sed concreta, ut contusa in pulverem redigi posset. vid. *Andr. Willet. Angl. commentaire upon Exod. chap.* 30. *quæst.* 38. *vers.* 34. *Diodati annotations, on the second. book of Moses cap.* 30. *v.* 34. *Ursin. arboret. bibl. sive hort. aromat. cap.* 6. *lib.* 3. *pag. m.* 232. *R. David*, *Vatablus*, *Oleaster*, balsamum de arbore stillantem putant: quidam autumant, quod *storax liquida* sed incongrue. Aliqui *puram myrrham* fuisse explicant. *Genev. R. Salomon* putat speciem gummi fuisse, sed magnum discrimen inter gummi & stacten. Quidam Rabbinorum *balsamum* significari putaverunt: quos *Pagninus & Lu.* sequuntur. Sed major inquit *Bonfrerius ad Exod.* 30. *est Hieronymi ex LXX. Interpretum* auctoritas qui stacten verterunt. *LXX.* verterunt, ἄνθος σμύρνης, florem myrrhæ. *Diodati in annotat. on the second book of Moses* cap. 30. v. 34. inquit. *The Word in the Original signifieth a drop. some take it for balm. It is generally conceived to be a sweet gumhard enough to be beaten into ponder.* Altera species erat שחלת Schecheleth, quod *Oleaster a Schachal*, quod leonem molis ingentis significat, deducere vult. *R. David. & Papias* putant esse caulem herbæ cujusdam odoriferæ. *Genevens.* pro gummi claro accipiunt. *Vatablus* vocat *ungulam caballinam*, aut *aromaticum*, quod pro certa spica seu flore simili ungui ponit, cui consentiunt *LXX. & Vulgat.* qui per *Onycham* verterunt aut *Ungulam caballinam aut blattam Byzantiam*. Probabilior sententia videtur *Dioscorid. lib.* 2. *cap.* 20. *Lyran. Tostat. Pelarg. Andr. Willet. comment. upon Exod. chap.* 30. *Diodati bibl. anglic. illustr. cap.* 30. *Exod.* Cochleam colore unguis fuisse, quæ in India in lacubus inveniretur. Anglus supra citatus ita dicit: *But i preferre the opinion Wich is the most received; that take it for a certaine shell about the bignesse of the shell of purple fisch.* Sequitur חלבנה *Chelbenah LXX.* χαλβάνην *Vulgat. galbanum* retinent. Arabes apud *Schindler. lex. pentaglott.* vocant *Miah*, *storacem vel galbanum*: Idem *succum arboris sicut mel nigrum*: cum *chalab proprie lac* denotet; cui consentit *Lyranus*. *R. Salomon* putat herbulam nomine *seculam* esse. Sed origo vocis a cheleb, quod pinguedinem significat, deducitur; Hinc *Oleaster* cum *Diodato Gummi Syriæ* putant. *Latin. Galbanum* vocat, *vid. Dioscorid. lib.* 3. *cap.* 81. *Plin. lib.* 14. *cap.* 5. *lib.* 12. 25. *conf. Ursin. hort. aromat. lib.* 3. *cap.* 6. *pag. m.* 233. & 236. Quarta species est לבנה lebonah. *Latin. interpres* libanum habet. Dioscorid. lib. 1. cap. 83. dicit: in *Arabia crescere ad Aceris qualitatem* plur. leg. apud *Ursin. lib. cit. Andr.* Willet. *chap.* 30. *fol.* 578.

[22] *Ad ostium Tabernaculi.*) Victima rite lecta ante aram majorem sistenda erat, quod ibi præcipi intelligendum; ubi quisque jubetur victimam suam, quod passim fit in Sacris literis *Levit.* 1. 3. & 4. 4. 12. 6. 14. 23. 15. 14. 17. 4. 5. 9. ad ostium Tabernaculi ducere, quippe quo in loco ara illa major posita fuit. *Levit.* 1. 5. & 4. 7. & 17. 6. vid. *Ainsworth. comment. in Levit.* 1. *fol.* 5. Maluit autem Deus tabernaculi ostium, quam aram dicere, ne quod ad aras alibi positas immolabatur, rite immolatum censeretur. vid. *Outram. de sacrif. cap.* 15. *pag. m.* 105. Munus itaque omne, quod quidem stante Tentorio sacro ad aram ejus ad ostium positam, præstari debuit, post templum Jerosolymæ conditum ad aram ante fores ejus sitam obeundum erat teste *Ainsworthio comment. in Levit. c.* 17. *fol. m.* 98. ita scribente: *and so in the ages following, to the doore of the house or temple, that is, in the courtyard. And if the Tabernacle or Temple should haply be burnt (as it was by the Babylonians, 2. Reg.* 25. 9.) *yet was it lawfull to offer in the courtyard upon the altar, as Ezra did after their returne. Esr.* 3. 3. 4. 5. 6. Ita Hebræorum Doctores teste *Maimon.* in *Maas. hakorb. cap.* 19. *sect.* 15. Id quod significabat quod omnis cultus noster divinus per fidem in Christum & in Communione Ecclesiæ fieri debeat. Ita etiam ostium nos ducit ad Christum, per quem intramus in Sanctum. *Hebr.* 10. 20.

[23] *Perfecta sunt a Mose.*) Juxta typum, quem ostenderat Deus Moysi. Cum enim XL. diebus in monte *Sina* viva voce Mosi descripserat totius tabernaculi formam, tandem & exemplar, idem *Mosi* exhibuit, prout ipse *Moses* omni exceptione major testis affirmat. *Exod.* 25. 39. Juxta omnia prout ego videre faciam te structuram tabernaculi & structuram omnium vasorum ejus. vid. in h. loc. *D. Varen. pag.* 386. & denuo idem inculcat *v.* 40. *Vide & fac secundum exemplar, quod tibi in monte monstratum est.* Quod in his locis תבנית dicitur, id *Lucas Act.* 7. 44. τύπον vocat, qua voce Syrus in sua versione usus 1. *Petr.* 2. 21. & alibi sæpissime טופסן; hic vero דמותא conf. 1. *Petr.* 5. 3. 1. *Tim.* 4. 12. *Tit.* 2. 7. Et *Exod.* cap. 35. 10. dicitur, quod *mandaverit Deus & cap.* 39. 40. adstruitur Israelitas omnia fecisse, sicut præceperit Jehovah. Huic R. *Abarbanel*, remoto prius quem præmiserat sensu allegorico, literalem hunc esse non diffitetur,

tetur, quando in hæc prorumpit verba: *Videre fuit Deus benedictus Mosen in monte visione sensibili coram ipsius oculis structuram tabernaculi & structuram omnium vasorum ejus ac si ibi reipsa & in sensus incurrentia adessent. Factum est autem*, pergit, *ipsi hoc miraculum meo judicio ideo, ut structuram s. ideam totius operis perfecte conciperet, & sic etiam artificibus adhibendis ad illud rite mandare posset. Nam res Geometricæ, secundum suas dimensiones omnes, tum phantasiæ & imaginationi, tum sensuum apprehensioni exhibitæ longe melius concipiuntur quam nudis verbis propositæ & delineatæ.*

[24] *Ignis perpetuus.*] Nihil dubii est, quin ignis iste Sacrificus & suo modo sacer e cœlo primitus descenderit. Aperte id declarat textus in prima illa oblatione facta per *Mosen cap. 9. 24. Levit.* Et ecce egressus ignis a domino devoravit holocaustum & adipes, qui erant super altare. Græcus reddit *a Domino*. Et ille desuper de cœlo, uti postea *Salomonis* tempore accidit. 2. Chron. 7. 1. Aut ex *Tabernaculo* egrediebatur. Cujus rei rationem porro assignat *Philo de vit. Mos. lib.* 3. dicens: Hanc opinor ob causam ignis iste, qui in vulgari usu est tanquam contaminatus, ablegatus fuit ab Altari sanctissimo, & pro eo demissus cœlestis ex æthere, ut esset discrimen inter sancta profanaque, inter humana atque divina. Hic igitur ignis a Deo descendens nutriebatur in altari, uti Hebræi dicunt. Potuisset quidem Deus, eum semper in altari conservari, sed voluit, ut adhiberentur media ordinaria, ut & nos nostrum facimus. Rabbini de hoc igne sequentia tradunt. *Ignis qui a Deo egrediebatur tempore Mosis ardebat in altari æneo usque dum inferretur in æternam domum, scil. templum Salomonis ob promissionem, quia nomen Dei ibi manere debebat in æternum:* & *ignis in diebus Salomonis descendens ardebat in altari holocausti usque ad dies Manasses.* &c. Hic igitur non exstingui debebat juxta *Levit. cap. 6.* Quare Hebræorum Doctores referunt, quod ille, qui ignem exstinguat in altari, verberandus quia dictum, ignis non exstinguatur, licet etiam sit carbo, & quamvis de altari deciderit; is tamen, qui exstinguit, verberandus sit. vid. *Maimonid. de sacrif. jug. c. 2. s. 6.* Tale etiam quid de igne, (quem inter sacra habebant) quasi cœlitus veniente, finxisse legimus *Chaldæos, & Gentiles Ammian. Marcellin. lib.* 23. Feruntque si justum est credi, etiam ignem cœlitus lapsum apud se sempiternis foculis custodiri. Ita Elei, ut refert *Pausan. Eliac. lib.* 1. Vide de his pluribus differentes *Johan. Dought. analect. Sac. tom. 1. pag. m. 79. 80. Don Philip. Picinell. de i lumi riflessi in Levit. c. 6. fol. m. 101. edit. Milan. Beyer. annot. ad Selden. de diis Syr. Pausan. lib. 5. Lips. de Vestal. Vossius lib. 2. de Idol. Turneb. ad Plutarch. Serv. ad Æneid. 12. de la Cerd. in h. l.* Sed hoc falsum fuit, cum potius soliti fuerint eorum Sacerdotes accendere ignem. Sumebant oleum aliquod, quod alias facile accendi poterat, eoque altare inungebant & aspergebant, hoc radiis solaribus accendebatur, idem bitumen aliquod in mari asphalt. reperitur, quo similiter utebantur in altaribus suis. Illud autem silentio non præterire licet, quod Hebræi de igne super altare dicant, quod instar scalæ Angelorum fuerit, cujus subsidio adscendant, uti ex *Baal. Hattur.* in *Levit. 6.* clare patet. Hujus ignis variæ mysticæ significationes videri possunt apud *Henric. Ainsworth. comment. in Levit. 6. fol.* 33.

[25] *Quod in iis tabulæ legis.*) Tabernaculum testimonii sæpius vocatur in Scriptura Sacra, ut. *Num.* 1. 50. ubi habitaculum testimonii vocatur. Et *cap.* 10. 11. אהל העדת *tabernaculum testimonii Num.* 9. 15. Ubi Anglus legit: *the Tent of testimony*: & *Ainsworthius* addit: *and the house of testimonie meaning the most holy place in which was the Arke with the Tables of testimony or law in it.* Deque virgis, quæ in ipsum Sanctum Sanctorum positæ fuerunt, adstruitur illas fuisse illatas modo באהל מועד in tentorium conventus. *Num. 17. 4. Tent of congregation.* modo באהל העדת in *tabernaculum testimonii*. Appellatur *tabernaculum testimonii* vel propter arcam fœderis, quæ in tabernaculo fuit, e cujus summitate in medio duorum Cherubin Deus testificabatur, vel *propter legem divinam*, quæ Tabulis inscripta in arca fœderis fuit reposita & lex vocatur testimonium. *Exod.* 25. 16. 40. 20. 2. *Reg.* 11. 12. 2. *Paral.* 23. 11. Ob quam legem cum ea & *fœdus* dicatur in Sacra Scriptura. 1. *Reg.* 8. 21. 2. *Par.* 6. 11. quoque audit *tabernaculum fœderis*. Eadem fere profert Anglus doctissimus *Henry Ainsworth. in Comment. ad Exod. cap. 25. fol.* 101. Ad verba: *An thou shalt put into the Arke of Testimonie scil. the two Tables of stone, whereon the Law or ten commendements were written, which were a testimonie of the Covenant between God and the people, and should testifie against them, if they kept it not. Hereupon those tables are called the tables of Testimonie. Exod. 31. 18. and the are into which they were put the Arke of Testimonie Exod. 25. 22. Neither was there any thing in the Ark but they. 1. Reg. 8. 9. and the Tabernacle wherein the Arke was placed is called the. Tabernacle of Testimonie. Exod. 38. 21. Act. 7. 44.* Verum hic quædam monenda sunt, quoniam illorum autor noster mentionem non facit, & quidem de quæstione illa: an nihil præter *tabulas* in arca fuerit? *Ainsworthius* in supra citatis verbis cum aliis vult, nihil in ea fuisse, nisi duas Tabulas legis, innixus Regum Historia 1. *Reg.* 7. 9. Ubi tamen contrarium Autor Epistolæ ad Hebræos *v. 9.* 2. 3. 4. affirmat, qui ait, urnam Mannæ & virgam Aaronis inibi fuisse. Sane si præter Tabulas legis nihil interfuit, quod particulæ exclusivæ רק vis indicat, videtur stare non posse Apostoli adsertum. Hinc *Rabbi* Lusitanus in Colloquio Mittelburgensi Autori hujus epistolæ insultat, eumque velut rerum V. T. ignarum indignis modis exagitat. Argumenta quoque collegit *Abarbanel* comment. in 1. *Reg.* 8. quibus probare satagit, *Urnam Mannæ*, & *baculum Aaronis* in Arca nunquam fuisse. Verba ejus ex versione *Frischmuthii* hæc sunt. Dum dicunt in arca fuisse urnam Mannæ & Aaronis virgam, quod salva illorum autoritate dictum velim, veritati consentaneum haud est, quia Deus non præcepit, ut in Arcam cum Tabulis ponerent urnam & virgam &c. Quomodo igitur hic cum Apostoli loco conciliandus sit, variæ sunt doctorum opiniones. Quidam relativum ἐν ᾗ non ad propinquius nempe τὴν κιβωτὸν, sed ad remotius σκηνὴν referunt; ut ea omnia in interiori tabernaculi parte h. e. Sancto Sanctorum, non in Arca fuisse intelligantur. Verum dispositio verborum hoc vix admittit. Hinc sunt qui dicunt, etsi antiquioribus seculis in Arca non fuerint virga & urna mannæ, tamen posterioribus. Sic sentit *Theophyl. Chrysostom. Melch. Canus*, *Bellarminus*. Quidam *strictius* & *latius* Arcam sumunt, ita ut in lateribus illius fuerint uti *Glas. lib. 3. Philol. Sacr. tr. 3. can.* 10. Sunt alii, qui ב Hebræorum non per *in* tantum, sed etiam ut *prope*, *juxta* significet, interpretantur, ut *Estius*, *Augustin. Torniell. Gerhard: Quistorp.* & *Ludovic. de Dieu. animadvers. in Epist.* ad *Hebr. p.* 312. Verum neque hæc satisfaciunt illis, qui cum tabulis lapideis *Urnam & Virgam* intra Arcam fuisse volunt; Unde alio modo respondendum esset censet *Sanctius Comment.* ad *loc.* 1. *Reg.* 8. asserens: Omnino fuisse primum in Arca Virgam & Urnam, non quia pro illis destinatum fuisset augustum illud claustrum, sed quia, cum instabile esset tabernaculum, non satis videbantur alio in loco traduci posse commode. Postmodum autem, cum templum exstructum, duo illa monumenta extracta & sedibus suis reposita fuisse. Optime rem explicat *D. Koning in vindiciis Sacr. loc.* 114. *pag.* 709. *seq.* differens, maxime improbabile sibi videri ᾗ in uno eodemque loco aliam atque aliam sustinere significationem. Hinc suam sententiam aperit *pag.* 715. *Particulæ exclusivæ*, inquit, *ex mente nostra, interdum absolute excludunt, interdum accommode solum, nec prorsus universaliter. Sic in eodem Regum libro c. 12. 20. negatur quenquam secutum domum David* זולתי *excepta tribu* Juda לבדו *solum. Fortissima sane, eaque gemina exclusio est, & tamen v. 21. Illico tribus Benjam in additur. Sic hic duæ tantum Tabulæ fuere in arca, tanquam principaliora κειμήλια, propter quorum conservationem Arca potissimum erat fabrefacta, per occasionem vero urna etiam & virga superaddita.* Abarbanelis objectionem refutatam habebis in *differt. Frisch. de arca fœder. pag.* 40. 41.

[26] *Testamentum.*) Universa Scriptura in Vetus & Novum Testamentum, hoc est, in duo pacta dividitur; hinc quoties Vulgatus Interpres Testamen-

mentum reddidit in ipso fonte vox pacti habeatur. Testamentum autem Deus, qui Ecclesiæ suæ præsentissimus est, proprie non condit. Condit e contra Testamentum ille, cui moriendi necessitas incumbit, propter quam familiæ suæ non semper adesse potest. Ita Vetus & Nov. Testamentum rectius Dei pacta vocantur, quemadmodum etiam Salvator novi pacti mediator *Hebr.* 12. 24. vocatur. Interim tamen non negandum, quod vocabulum ברית LXX. reddiderint per Διαθήκην, quod a verbo Διατίθεμαι *constituere, legare, pacto addicere derivatur*. Factum etiam inde est, ut *Syri* pro קיובא Græcam illam vocem usurpent, & in suam civitatem receptam ריתיקי pactum & testamentum significare juberent. Quæ notio propria vocis æstimata fuit, ut Græcis etiam Ictis probaretur, uti ex *Strauchio* cognoscendum, qui asserit, *Basilic.*, ubi de Testamentis agitur περὶ Διαθηκῶν, habere. Et in *l.* 1. *ff.* Qui testamentum facere possunt, definiunt Διαθήκην hunc in modum: ἐπὶ δίκαια βούλησις. Quin veteres *Glossæ* verborum juris Græcæ habent: Διαθήκη ῥωμαϊκῶς ὀνομάζεται τεταμένη. Consimiliter eam suam fecerunt *Talmudistæ*, qui ריתיקי explicaturi dicunt esse שטר צואת שכיב מרע sive literas mandati vel testamenti decumbentis, quibus nempe, quid post mortem de bonis relictis suis fieri velit, significat. Unde in *Bava Bathra fol.* 152. *col.* 2. dicunt ריתיקי מבטלת ריתיקי testamentum (posterius) irritum facit testamentum (prius). Interpretes Scripturæ tamen torquet, quod vox Hebraica ברית nunquam testamentum notet, cujus alias ea natura est, ut morte testatoris confirmetur. Licet etiam LXX. eam Διαθήκη transtulerint; testamentariam tamen ordinationem cujus complementum & vigor a morte testatoris suspenditur, illi nuspiam intellexerunt, sed simpliciter *fœdus* vel *pactum*, quod proprie τὸ ברית significat. Atque inde in quæstionem venit, quomodo Apostolus ad *Hebr.* 8. potuerit *cap.* 9. 15. occasione hujus vocis ex natura Testamenti aliquid colligere & inferre, cum tamen τὸ ברית atque Διαθήκη neque Sacræ Scripturæ, neque LXX. interpretibus eo sensu usurpetur. Qui scrupulus tanti momenti visus est, ut Apostolum haud exactius ibi coram crassis auditoribus egisse dixerit *Hieronymus*; canone inde ejecerit Epistolæ ad Hebræos autorem *Erasmus* & *Cajetanus*; *Pauli* esse negarit *Calvinus* &c. Quin *Johannes Drusius* argumentatur: Apostolus a voce Græca Διαθήκη, qua & Syri utuntur, licet in Hellenistica lingua Διαθήκη idem sit cum συντήκη pactum, fœdus, quod Hebræi ברית vocant: Sed *Testamentum* nunquam. Sic *Philippus Codurcus* referente *Guisardo vindic. Test.* Ubi retulit Joh. Frischmuth. in dissert. de fœdere novo §. 11. qui ad ipsam objectionem §. 12. respondet, quod in morte *Messiæ* testamenti vim habuerit & testamentum denotare possit.

[27] *Cum eis Deus.*) Fœdus in rigore dictum inter Deum & homines proprie nullum est; nam egregie demonstrat *Aristoteles Ethic.* 5. συναλλάγματα vel proprie pacta inter æquales fieri; sed inter Deum & homines proportio nulla, æqualitas nulla, imo distantia infinita est; eo tamen non obstante, misericors Deus pro immensa φιλανθρωπίᾳ sua cum rebus a se creatis, præsertim cum miseris mortalibus per quendam quasi condescensum pacta ferire non dubitavit, hinc expresse *Gen.* 9. dicitur: Deum cum *Noacho* pactum iniisse legis de mundo per diluvium nunquam evertendo, & hujus pacti gratiosum signum in nubibus itidem constituisse. Vid. *Henr. Ainsworth. in Gen. c. 9. & Greg. Williams* teatise *the best Relig. edit. Londin.* 1636. *fol. m.* 15. *seq.* ex quo *Noachi* pacto regula Theologorum nata est: *Quoties in Sacris literis divina promissio habet additum signum, toties est pactum.* Hinc dicitur *Arca fœderis* & *tabulæ fœderis*, quod hæ tabulæ & illa arca essent signa divini fœderis cum hominibus initi; Interim non negamus, interdum nudas promissiones inter Deum & hominem ultro citroque factas sine addito signo pacta vocari, ut proinde regulam illam Theologorum non liceat simpliciter convertere. Dividitur autem Dei pactum cum hominibus initum in *Legale* & *Evangelicum*. Legale iterum est vel *absolutum* vel *mixtum*. Legale absolutum est primum illud pactum, quod cum homine Deus ad imaginem suam creato in statu innocentiæ pepigit. In quo pacto Deus cum primis hominibus temporariam & æternam felicitatem juxta ac immortalitatem suaviter promisit. Homo vicissim Deo divinæ legis observantiam præsertim quod de fructu unius in Paradiso arboris comedere nollet sancte promisit. Pactum hoc erat purum putum legale, quia nihil de Christo, nihil Evangelici habuit admixtum. Sed pactum legale mixtum est, quod Deus cum homine lapso, aut in gratiam recipiendo instauravit. Nam & sub hoc pacto homines observantiam legis divinæ promiserunt; sed primarium hujus pacti caput erat fides in Messiam, quæ quia huic pacto admixta fuit, cum antea non adesset, Theologi quidem pactum legale, sed mixtum vocant. Pacto Legali Evangelicum succedit, quod in Vetus & Novum dividitur. * Ubi notandus vulgaris error eorum, qui, cum Scriptura in Vetus & Novum Testamentum vel in duo pacta dispescitur, existimant, hoc perinde esse, ac si Scriptura in Legem & Evangelium dividatur. Sed hi errant, nam sub veteri illo pacto non lex tantum viguit, sed & Evangelii doctrina eademque fides in Christum (licet obscurius tradita) per quam hodie salvamur. Hinc eleganter *Hebr.* 10. meritum Christi sanguis æterni pacti dicitur. Porro pactum vetus in *nudum* & *vestitum* subdividi solet. Vestitum iterum in duo alia, *Abrahamicum* & *Mosaicum*. Pactum nudum describitur, quod nude sine cæremoniis sive solennitatibus fuit promulgatum. Tale fuit primum Evangelium post lapsum *Gen.* 3. Pactum vestitum est, quod variis cæremoniis fuit conditum, uti *Abrahamiticum*, ubi variæ dissectiones animalium adhibebantur, & circumcisio addebatur, & juramento solenni res promissæ confirmabantur. *Mosaicum* vestitum pactum erat, quod Deus post exitum ex Ægypto cum Israelitis in deserto pepigit mediante Mose. Sub hoc pacto tradita est lex tripartita 1. *Moralis* in Decalogo comprehensa. 2. *Cæremonialis* sacrorum ritus variosque typos N. T. complexa. 3. *Forensis* quæ in populo Dei Theocratia fuit fundata. Sed & in Mosaico hoc pacto splendidæ sunt & ob antiquitatem venerabiles cæremoniæ, quibus hoc pactum fuit sancitum. Nam 1. mons *Sinai* undique consecrabatur, densisque nubibus ac nebulis involvebatur, adeo ut totus fumigaret; audiebantur tonitrua &c. 2. Ad pedes montis altare erat exstructum more Principum. Principes enim in confinibus suarum regionum fœdera inire solebant. 3. Altare hoc super duodecim cippis vel columnis stabat. Hæ duodecim columnæ erant signa XII. tribuum Israelis teste *Henry Ainsworth. comment. in Exod. c.* 24. *fol. m.* 69. *edit. Londin.* Sed altare ipsum Deum repræsentabat, adeoque indicium hoc erat, Deum cum duodecim Tribubus Israelis jam conjunctum fœdus inire. 4. Moses sanguinem ex victimis eductum in duas partes dividebat, & hujus alteram partem super altare sparsit, perinde ac si ipse Deus sanguine conspergendus & ad fœderis observantiam obligandus esset, partem vero alteram lata lege super universum populum sparsit, hac formula: *Hic est sanguis fœderis quod nobiscum Dominus hodie pepigit.*

[28] *Typus fuit.*) De his pluribus egit celeber. *Witsius in Miscell. Sacr. lib.* 2. *dissertat.* 1. qui legi meretur. *Henric. Ainsworth. in Levit. Bauman. in analect. sacr.* Inprimis etiam *Botsacc. allegor.* ubi quamplurima lectu digna occurrunt.

[29] *Dissolvi in partes.*) Non mirum; cum enim Israelitæ tot itinera facere debebant, tantam ædificii molem compositam Levitæ portare non poterant. Ergo divisam per partes secum portabant.

[30] *Quæ in Galgalis sita.*) Galgal locus vicinus fuit Jordani ubi Josua jusserat duodecim lapides collocari, quos Israelitæ sumserant ex fundo Jordanis, cum aqua consisteret. Ibi Josua universum populum jusserat circumcidi & fœdus renovari, & ob hanc cau-

* Vulgarem errorem vocat *Nicolai*, quod ab ipso Christianæ Ecclesiæ exordio tritum fuerat ac familiare apud sanctos Ecclesiæ Patres; Unde merito ab ipso *Nicolai* excogitata scripturarum partitio exotica, ac nimis acuta a sacrarum literarum studiosis rejici debet.

causam, quia Deus peccata abstulerat, locus Gilgal vocatus. vid. Diodat. annot. *On the book* Joshua *cap.* 5. *v.* 9.

[31] *In Silo.*) Tabernaculum enim illud, quod ad colendum Deum in deserto factum est. *Exod.* 26. & per desertum portabatur a Levitis *Num.* 1. 50. postquam ventum est ad terram promissionis; in urbe *Silo* collocatum fuit. *Jos.* 18. 1. Hic tabernaculum primum fixerunt Israelitæ, iter per desertum emensi, & *Canaanem* ingressi, ubi etiam tempore *Judicum* mansit *Jud.* 18. 3. usque ad tempora Eli. 1. *Sam*; 1. 3. & porro. Nam quod *Abulensis* ad 1. *Sam.* 7. *q.* 18. & *Salian. an.* 2941. §. 7. putant, post mortem *Heli* tabernaculum fuisse translatum *Noben*, id repugnat claro textui 1. *Sam.* 14. 3. ubi *Abia* dicitur in ipsa *Silo* infulas sacerdotales gessisse. Incertum itaque est, quando fuerit translatum. Cur autem potius in *Silo*, quam aliis locis collocatum fuerit, merito quæritur. Verum prona est responsio; quia *Silo* erat Civitas de sorte *Ephraim* ex qua Tribu erat *Josua* Dux & Gubernator populi. Æquum autem fuit ut in eadem urbe & Principis Palatium & Numinis delubrum viseretur. Hanc responsionem præter alios reddit *Cajetan.* Par fuit, inquit, ut in sorte Principis locaretur divinus cultus. Ac si Principem inter cæteros populares divini cultus studiosissimum esse oporteret. Eandem ob causam mons *Sion* fuit biceps, in cujus uno jugo, quod dicebatur *Moria* fuit templum ut docet *Hieronym. in quæst. Hebraic. in Gen. ad c.* 22. In altero, quod dicebatur proprie *Sion*, fuit domus regia & civitas David, ut docet idem *Hieronym. in epist.* 27. *ad Eustoch. de Epitaph. Paulæ*. Et utrumque complectitur *Genebrard. in Psalm.* 68. *sub init*. In eodem igitur monte palatium erat ac delubrum, ne cultus divinus ac regius honor locis inter se dividerentur; sed alter ex alterius celebritate celebrior redderetur.

[32] *Sortitio atque divisio.*) Hanc sortitionem Deus mandaverat *Num.* 26. 54. Et occupabitis terram per sortem secundum familias vestras & *vers.* 55. Verum per sortem dividatur terra. *vers.* 56. Secundum os sortis. conf. *Num.* 34. 13. 36. 2. 3. Et sic factum esse deinceps recensetur *Jos.* 14. 2. 15. 17. 1. 14. 17. 21. 5. 6. 8. 10. 20. Inprimis hic notanda sunt. *cap.* 16. 1. 19. 1. 24. 21. 4. ubi dicitur ויצא & exivit (sors) Sicuti 19. 17. 32. 40. ubi יצא. *vers.* 10. & *cap.* 18. 11. ejus Synonymum ויעל & ascendit. *cap.* 18. 6. 8. 10. 11. ubi *Josua* ad filios Israel: Et vos scribite terram septem partibus & afferte mihi huc, & projiciam vobis sortem hic coram Domino Deo nostro &c. Et surrexerunt viri illi &c. Et misit illis *Josua* sortem in Siloh coram Deo & distribuit terram. conf. 19. 51. Licet igitur *Eleazar Summus Sacerdos*, Josua Dux, & XII. Principes tribuum a Deo ordinati essent, ut terram dividerent; attamen quo omnis lis & contentio absit, jussit Deus, ut sors mittatur. Modum sortitionis in hoc actu observatum describit *Schindlerus in Lexic. Pentaglott.* voce גורל. Sorte Israelitis distributa fuit terra juxta tribus. *Jos.* 18. *Factæ fuerunt duodecim partes æquales, ut quælibet tribus sive major sive minor reliquis, unam sive bonam sive malam caperet. Baculi tribuum & baculi sortium ponebantur coram Eleazaro, Urim & Thummim induto. Hic una manu partium, altera tribuum baculos carpebat, atque ita, quæ pars cuilibet tribui assignanda esset, inquirebatur*. Quæ unde habeat *Schindlerus*, me latet, nec ullus, ut mihi notum, Hebræorum rem istam hoc modo describit. Factas duodecim partes terræ pugnat cum sacro textu *Num.* 34. 13. & *Jos.* 14. 2. 3. Æquales deinde partes factas fuisse, valde dubito, quia partes factæ sunt novem & dimidia, secundum Tribus novem & dimidiam. Deinde claris verbis dicitur, divisionem terræ instituendam fuisse pro multitudine & proportione multarum tribuum, ut quo modo una tribus alteram excederet numero, sic partes quoque essent ampliores vel tenuiores. Deus deinde sortes ita gubernavit, ut tribui amplæ, ampla; minori, minor sors caderet. Nos itaque cum *Munstero* statuimus, sortem potius schedulis peractam fuisse. *Sors fiebat*, inquit, *secundum Hebræos hoc modo: Scribebantur in duodecim schedis duodecim nomina Tribuum Israel: & in aliis duodecim schedis duodecim termini terræ promissionis: & hæ duplices schedæ mittebantur & permiscebantur in scrinio: tollebantque singuli tribuum Principes duplicem schedam, & qui terræ terminum cum scheda suæ tribus illi obveniebat, is illi decernebatur tribui: & hoc est, quod textus Hebraicus per עַל פִּי גורל explicat*. Cum ergo hæc ex Hebræis desumta videantur, audiamus ipsos. Sic autem Talmudici in *Bab. Bathr. fol.* 122. 1. *Gemar. & Sal. Jarchi in Num.* 26. Nec divisa fuit terra nisi per sortem, uti dicitur: Veruntamen per sortem: neque enim divisa fuit nisi per Urim & Thummim, ut dicitur: juxta os sortis. Id quomodo fiebat? Eleazar induebat Urim & Thummim, & Josua cum toto Israel stabat coram eo (Eleazaro quem de singulis interrogabant) ante ipsum posita erat Urna, in qua erant nomina XII. tribuum schedis inscripta, & alia urna, in qua erant nomina XII. terminorum (terræ Canaan.) Tunc ille intendens in Spiritum S. (quid per Urim & Thummim esset responsurus) dicebat: Adscendet Sebulon & cum eo terminus Acho: tunc miscuit (aliquis, *Josua* vel Eleazar ipse, vel Princeps tribus alicujus) urnam tribuum, & manu immissa schedam trahens, eduxit Sebulon ex urna prima tribuum sc. iterum concussa urna terminorum & mixtis sortibus, ascendebat terminus Acho. Vide de his pluribus differentem plur. Rever. *Maurit. in tract. Phil. de Sortit. Hebr. pag. m.* 407. *seqq. Henric. Ainsworth. Comment. in Num.* 26. *fol. m.* 170. ubi fuse de his agitur.

[33] *Ter in anno.*) Scil. tempore Paschatis, Pentecostes & festo Tabernaculorum. Hujus apparitionis mentio fit *Exod.* 23. 14. 17. & 34. 22. *Deut.* 16. 16. Comparere itaque tenebantur perfecti mares & validi, qui pedibus ire ad locum cultus divini poterant. Excipiebantur hinc surdi, stulti, parvuli, genitalibus obturati, Androgyni, mulieres, servi, claudi, cæci, ægroti, senes, & qui pedibus adscendere non poterant, teste *Maimonid. in Chagigah. c.* 2. *sect.* 1. 3. cujus verba Anglice retulit *Henric. Ainsworth. comment. in Exod.* 23. *fol.* 94. sequentibus: *Women and servants are not bound to appeare; but all men are bound except the deafe, and the dumbe, and the foole, and the little child, and the blinde, and the lame, and the defiled, and the uncircumcised, and the old man, and the sicke, and the tender and weake, which are not able to goe up on their feet. All those elven are discharged, but all other men are bound to appeare. Such as are of neither sex, ad that are of both sexes, male and female are also discharged, and like wise they that are partly bound and partyl free men. Every chil that can hold his father by the hand, and goe up from* Jerusalem *(gates) to the mount of the Temple, his father is bound to cause him to goe up and appeare with him, that he may catechize in the Commendements.* i. e. *Mulieres & servi non tenentur comparere. At omnes obligati sunt exceptis surdis, stultis & parvulis, cæcis, claudis, ægrotis, mutis, incircumcisis, infectis, senibus, imbecillibus, qui non apti sunt pedibus adscendere. Hi undecim omnes non tenentur, ast omnes alii viri tenentur. Tales qui nullius sexus sunt, seu qui sunt Androgyni, mares & fœminæ, non obligantur similiter qui partim liberi, partim non. Quilibet infans, qui patrem manibus tenere potest & per plateas Hierosolymit. ad montem Templi adscendere potest, hujus pater obligatus est cum eo adscendere & comparere, ut instruat eum in Præceptis*. Confer. *Francisc. de Mendoz. comment. in* 1. *Samuel. fol. m.* 132. *tom.* 1. *edit. Colon.*

[34] *Sacrificiorum causa.*) Nullus comparebat sine sacrificio, quod vocabant *Sacrificium Comparitionis*, afferebant etiam oblationes pro *Chagiga* & oblationes pro gaudio, quas שלמי שמחה vocarunt. Ita Hebræorum Doctores dicunt, tria injuncta seu mandata fuisse Israelitis, 1. *apparitionem*. *Exod.* 23. 17. 2. *Festum. Deut.* 16. 15. 3. *gaudium*. *Deut.* 16. 14. in quovis trium Festorum. Qui igitur comparebat, tenebatur secum afferre *holocaustum*, aut ex avibus aut animalibus constans: & qui absque hoc in atrium Sanctuarii veniebat, non solum omittebat rem jussam sed etiam transgrediebatur prohibitionem, uti dictum: Non comparebis vacuus *Exod.* 23. Festum de quo in lege dictum est, ut offerat Pacifica in primo festi die, quando ad comparendum venit: & res omnibus nota est, quod nulla pacifica afferantur

tur nisi de bestiis. Et Gaudium de quo dictum in hoc festo, est, ut offerat plura pacifica, quam pacifica in festo: & hæc vocantur *pacifica lætitiæ & gaudii* in festo, uti dictum: Et immolabis hostias (pacificas) retributorias, comedesque ibi & epulaberis & gaudebis. *Deut.* 27. 7. Hinc ex *Maimonide in Chagigah. cap.* 2. *sect.* 1. & *cap.* 2. *sect.* 6. optime recenset *Henric. Ainsworth. comment. in Exod.* 23. *Who so commeth into the Court in the other dayes of the Feast, is not bound to bring a burnt-offering in his hand, every time that he assembleth: for that which is said, they shall not appeare before me empty, is not but for the root (or beginning) of the Feast onely, which is the first day, or in recompence for the first. But if he bring every time that he commet, they receive it of him, and offer it in the name of a Burnt-offering for Appearing: for this appearing hath no stinted measure.* Ex his sane constat, quod non primo tantum die festi sacrificandum sed etiam sequentibus diebus. Sciendum autem, non quemlibet Judæorum, præcipue a Tabernaculo longe dissitorum omni die potuisse sacrificium suum pro peccatis offerre propter nimiam distantiam. Ergo si legem transgressi peccatum commisissent paulo ante Pascha, tunc differebant usque ad tempus Paschatis, ut Deo suo offerrent in loco quem sibi elegerat; si vero peccassent post Pascha sacrificium suum distulerunt usque ad festum Pentecostes & sic deinceps.

35 *In locum quem sibi Deus delegisset.*) Constat in primis fuisse apud Hebræos unum tantum locum, quem Deus elegerit, ut in eo sibi sacrificia offerrentur, uti expressis verbis legitur *Deut.* 12. 4. 5. & 14. 23. 24. & 26. 2. ubi severe mandatur, ut nullum alium quærant locum ad sacrificandum. Audiamus primum locum: *Non facietis ita Domino Deo vestro: sed ad locum, quem elegerit Dominus Deus Vester de cunctis tribubus vestris, ut ponat nomen suum ibi, & habitet in eo, venietis & offeretis in loco illo holocausta.* Sic etiam in aliis citatis locis. Hic autem locus initio & tempore *Moysis* usque ad templum *Salomonis* fuit Tabernaculum. Quamdiu enim *Tentorium* illud, Arcæ sacræ receptaculum vel in medio populi cœtu erat (id quod in desertis contigit) vel quidem alio quovis in loco, ut in certa sede, positum erat, eo omnes victimæ ducendæ erant, ibique rite immolandæ. Huc pertinent Judæorum illa: Dum populus in desertis erat, lege cautum erat, nequis in Sacellis montanis immolaret, ita tamen, ut lex ista cessaret, cum ad Galgalem ventum esset; quippe quo in loco ut nulla erat Tentorio sacro fixa sive certa sedes, ita etiam populus universus varias in sedes segregabatur. At posito Schiloitico Sanctuario (quod parietibus lapideis exstructum erat, etiamsi quidem aulæis tectum) iterum valebat lex illa, quæ in desertis servanda erat. Nam hoc in loco Arca sacra fixam ac certam sedem habuit. Quo fit, ut Sanctuarium illud Dei domus passim appelletur. Vid. *Schilt. Hagibbor. c.* 57. & *Isaac. Abrab. & R. Levi Ben Gerson ad* 1. *Reg.* 3. 3. Jam arca ea Nobæ & Gibeone posita, ubi nullam certam sedem habuit, rursus in montanis Sacellis res divinæ rite fieri potuerunt; quo factum, ut *Samuel* temporibus his tali quodam in loco immolaret. Id quod Hebræis nunquam licuit post templum Jerosolymæ conditum, quia sedes certa arcæ erat. Hinc *Hugo Grot.* ad *Deut.* 12. Non offeretis victimas quibusvis in locis, sed in uno. Is locus fuit primum *Silo*, deinde Templum Hierosolymis. Cui adstipulatur *Ainsworth. in h. l. fol. m.* 45. *All other places were forbidden.* Unde *Lev.* 17. 3. capitale supplicium statuitur in eos, qui extra Tabernaculum immolaverint, quod etiam ipsi Hebræorum Doctores confirmant teste *Maimon. in Magnaseh. Hakorbanoth. c.* 18. *sec.* 3. *Qui extra atrium Sanctuarii mactat, licet non offerat, si præsumptuose hoc facit, excidii reus habetur: Si ex ignorantia, tenetur afferre sacrificium pro peccato appositum.* Quibus significatur, Deo serviendum in solo Christo, qui verum Tabernaculum est. Vid. *plur. Ainsworth. in Levit. fol.* 97. 98. Postea vero fuit Templum, quod *Salomon* ædificavit. 1. *Reg.* 6. 1. & quod *Zorobabel* reædificavit. 1. *Esdr.* 3. 8. Cum enim hoc templum Tabernaculo successerit, extra illud similiter atque extra Tabernaculum sacrificare non licebat, juxta illud Dei oraculum ad Salomonem: Elegi locum istum mihi in domum sacrificii. 2. *Paralip.* 7. 12. Quod nimirum nullus alius locus Sacrificiis destinaretur. Unde *Samaritani*, qui in monte *Garizim* templum condiderunt, ad quod sacrificaturi adscendebant, ut *Joseph. lib.* 11. *antiquit. c.* 7. & 8. testatur, hæretici censebantur.

36 *Cum Heli pontifex Judicatum administraret.*) Postquam Samsone mortuo imperium delatum ad Heli pontificem, filii ejus facerent quod luberet; & ob hoc totus populus pœnam Dei incurreret, ut prælium ineundum cum Philistæis, arca de Silo ablata & deducta fuit in castra, scil. ut Deum ceu præsidium colerent. Obtinuit etiam hæc consuetudo apud Gentes locum, ut nihil certius & efficacius rati, quam si deorum suorum, quorum præsidio confidebant, pignus aut monimentum aliquod in acie gestarent. vid. *Curt. lib.* 3. *Diodor. Sic. lib.* 2. *biblioth. cap.* 4. Constantino crux insigne erat vid. *Euseb. lib.* 2. *vit. Constant. cap.* 7. Occidentis Imperatores, maxime post Ottonem primum *Lanceam Domini* non solum pro imperii decore, sed etiam in difficillimis temporibus, pro certissimo præsidio, in bellis præ se tulerunt. *Oriflamme Francorum vexillum erat S. Dionysii. Judæi* igitur, ut prælium antea infeliciter gestum felicius eveniret, arcam Dei, loco signi, in castra ferri curant, sed re male gesta arca capitur. Scribit Pausanias in Arcadicis, Augustum Cæsarem, devicto Antonio & ejus partibus, in quibus Arcades fuerant, vetus Minervæ Aleæ signum, & simul apri Calydonii dentes ex Arcadia Romam asportasse. Plura exempla videri poterunt, apud *Claud. Rangol. commentar. in lib.* 1. *Reg. fol. m.* 595.

37 *Placuit.*) Scil. Majoribus natu de Israel, quibus delatum erat munus non solum rei Sacræ & politicæ, sed etiam bellicæ administrandæ. Nam ut bene *Tullius* in suo *Catone*: Non viribus, aut celeritate corporum res magnæ geruntur sed consilio & auctoritate quibus non modo non orbari, sed etiam augeri senectus solet. Imo *Plutarchus* dicere solebat, servari illas Respublicas, in quibus non tam arma juvenum vigerent, quam consilia senum maturescerent. Unde *Ovid. lib.* 5. *Fastor.* senectutem præferens juventuti, recte cecinit:

Martis opus juvenes animosaque bella gerebant,
Et pro Dis aderant in statione senes
Viribus illa minor, nec habendis utilis armis,
Consilio patriæ sæpe ferebat opem.

Confer. *Elias Reusnerus Stratagematograph. edit. Francof.* 1661. *pag.* 88. *seq.* Deliberatione itaque facta & proposita, *placuit* consilium omnibus; quare in hæc prorumpunt verba: *Afferamus*, &c.

38 *Ad perterrefaciendos hostes.*) Sacram Scripturam si evolvimus, sane ex illa cognoscimus, quod Philistæi valde timuerint, dicentes: Venit Deus in castra, & ingemuerint. *Væ nobis, quis nos salvabit de manu deorum istorum?* Timent, non *Hebræos*, sed eorum Deum in castra venientem. Ubi notandum Arcam fœderis a *Philistæis* vocari Deum. Nec mirum, cum ab ipsis Israelitis hoc nomine vocetur. Nam Moses arcam allocutus dicebat: *Surge Domine Num.* 10. 35. confer. *Exod.* 27. 21. 28. 30. 30. 8. *Jos.* 3. 11. 8. 6. Vid. *Francis. de Mendoz fol.* 186. *tom.* 2. Hunc Deum Hebræorum *Philistæi*, quamvis non vere sentirent de eo, formidabant, exclamantes: *Væ nobis!* quasi dicerent: Impares sunt nostri Dii, ut cum Deo Israelis congrediantur qui Ægyptiorum deos profligavit, ob quam rem timebant & male sibi ominabantur. Ex recordatione plagæ Ægyptiorum, timor consecutus est iste. Jam autem constat juxta *Sallustium de conjurat. Catilin.* Semper in prælio iis maximum esse periculum, quo maxime timent. Etenim *Thucydide* teste *lib.* 2. sine animi præsentia ars contra periculum nihil prodest. Timor enim memoriam excutit, & ars amittitur animo languefacto. Timor præterea, ait *Hircius lib. de bell. Alexandrin.* hominibus mentem consiliumque eripit & membra debilitat. Hinc *Israelitæ* omnem etiam dant operam, ut Philistæis hostibus suis terrorem injiciant, arbitrantes, se facile perterritos Philistæos in fugam versuros esse, auxilio divino illos terrentes, uti etiam ipsi confitentur: quis salvabit nos? Hoc stratagemate olim etiam usi Gentiles, dum

apud illos commentitia multorum deorum superstitio viguit, spectris & simulatione auxilii divini hostes nonnunquam territos fuisse legimus: sic nempe *Tellias* vates *Elæus* teste *Herodot. lib.* 8. & *Pausan. lib.* 10. sexcentos e Phocensibus præstantissimos gypso illevit: quos sub noctem dimissos, Thessalorum excubitores spectrum quoddam esse sunt arbitrati: mox totus exercitus adeo exhorruit, ut tribus millibus cæsorum atque scutorum Phocenses potiti sint. Sic eodem teste *Herodoto lib.* 1. Pisistratus ope *Megaclis Athenas* reductus, mulierem quandam *Phyam* nomine, statura ferme quatuor cubitorum formosissimam, *Minervæ* habitu instructam, curruique impositam, ante exercitum in urbem duxit, præmissis præconibus, qui *Palladem Pisistrato* præsentem favere assererent. *Liv. lib.* 4. & *Flor. lib.* 1. *cap.* 12. de *Fidenatibus* hæc tradunt. Sic *Falisci* & *Tarquinienses* ut ex *Taciti lib.* 14. *hist.* & vita *Julii Agricolæ* narrat *Frontinus lib.* 2. *cap.* 4. compluribus suorum in habitu Sacerdotum subornatis, faces & angues ferali habitu præferentibus aciem Romanorum turbarunt: Verum Gentilitate abrogata, hic quoque mos hostibus terrorem incutiendi, utpote vanus, obsolevit: nisi quod *Luitprandus* scribit *lib.* 4. *cap.* 12. Henricum Imperatorem præeunte lancea Dominica, cui artificiose clavi Christi crucifixi inserti erant, semper hostes suos terruisse & in fugam convertisse.

[39] *Arcam ipsam*.) Arcam itaque Dei in castra afferebant Israelitæ, existimantes, & ex absentia hujus calamitatem inductam fuisse; & ex ejusdem præsentia fore sine dubio propulsandam. In quam sententiam induci potuerunt, quia meminerant Arcæ præsentiam fuisse olim causam triumphorum; absentiam, ruinarum. Hoc patet: quia, cum aliquando Israelitæ contra Amalekitas & Chananæos infeliciter dimicarent, multis plagis percussi ac trucidati, statim hujus calamitatis causa fuisse absentia Arcæ significatur. *Num.* 14. 44. Illud autem colligitur ex bello contra *Midianitas* suscepto & feliciter peracto, ad quod Moses misit duodecim millia expeditorum, cum Phinees filio *Eleazari* Sacerdotis: Vasaque sancta addit textus, & tubas ad clangendum tradidit ei. *Num.* 31. 6. ubi Hebræi apud *Lyran. Vatabl. Abulens. Oleast.* & alios recentiores per vasa sacra Arcam fœderis intelligunt: ad cujus conspectum pugna feliciter gesta est, & victoria felicius reportata. Clarius id habetur ex eversione *Jericho*, cujus muri, Arca circumeunte, & felicem eventum auspicante labefacti ceciderunt. *Jos.* 6. 4. ut dubitandum non sit Arcam sua præsentia capiendæ urbi patrocinatam. Non minus illustre desumitur argumentum ex victoria, quam Saul, præsente Arca Domini de Philistæis reportavit 1. *Sam.* 14. 18. Facit etiam victoria illa, quam Joab tulit de *Ammonitis*. 2. *Sam.* 12. 26. Imo consuetudo illius temporis fuit, ut in difficillimis quibusque præliis Arca fœderis contra hostes admoveretur, quod *Athanas. in lib. de interpret. Psalmor. ad Marcellin.* expressit. *Si bellum*, inquit, *populo ingrueret*, *Arca*, *in qua erant tabulæ legis*, *ante omnes præcedebat*: *hoc sufficiebat illis pro quavis acie in subsidium*, *nisi in bajulis Arcæ*, *aut in populo aliquod scelus hæreret*. Quibus ex parte etiam *Spencer. de Leg. Hebr. diss. de Theocrat.* Jud. *pag. m.* 202. calculum addit, ubi tamen etiam quædam absona miscet.

[40] *In castra contra hostes*.) Arca fœderis ex urbe *Silo* in castra portatur, ut auxilium ferret laborantibus Hebræis contra hostes. Miseri profecto Israelitæ, qui divinam opem inquirentes, Arcam a suo loco extrahebant: hoc est, divinam opem a suo templo ablegabant. Sunt qui dicant, novam hic offensam interfuisse: cum deberent ire ad Arcam supplices, non autem Arcam inde extrahere arrogantes. Unde innuere videntur non licuisse Hebræis *Arcam* hinc ad prælium exportare. Id quod ut recte explicetur, nonnulla de *jure* & de *facto* inquirenda. Nam de *jure* quæritur: An licuerit Israelitis Arcam e Tabernaculo efferre? ad quam quæstionem respondetur, de lege ordinaria non licuisse. Nam Deus absolute præcepit. *Exod.* 40. 3. ut Arca in Tabernaculo Testimonii poneretur. Nec unquam in lege exprimitur potestas ordinaria, eam e Tabernaculo exportandi. Unde in deserto simul cum Tabernaculo Arca deferebatur, uti patet *Num.* 4. 24.

In terra autem promissionis simul cum Tabernaculo conquievit, ut colligitur ex *Jos.* 18. 1. ubi dicitur, fixum fuisse Tabernaculum in *Silo*, utique cum *Arca*: quæ hoc loco in *Silo* pariter fuisse significatur. Nihilominus licuisse ex interpretatione legis in casu necessitatis. Cum enim crederent Hebræi, nullum sibi præsidium contra Philistinos superesse, nisi quod ab Arca peteretur, pariter crediderunt, sibi licuisse, eam pro se tuendis in castra exportare. Et moveri potuerunt; quia, cum Tabernaculum in *Gilgal* esset, Deus præcepit, ut inde educeretur Arca & muros Jerichuntinos circumferretur ad urbem diruendam. *Jos.* 6. 4. Ex quo facto crediderunt Israelitæ in simili casu necessitatis licitam sibi fore Arcæ translationem. Ita *Abul. h. l. q.* 6. *Mas. in c. ult. Jos. n.* 1. & alii arbitrantur. 2. Etiam de jure quæritur: quomodo licuerit summo Sacerdoti ingredi Sanctuarium ad exportandam arcam, cum hic ingressus tantum *semel* in anno fieri licuisset? ut patet *Exod.* 30. 10. & *Levit.* 16. 2. Quibus calculum addunt alii Scriptores *Ribera lib.* 2. *de templ. c.* 8. *Villalpand. in cap.* 41. *Ezech. lib.* 4. *c.* 5. Stante itaque hac opinione nihilominus dixerim in hac re; quamvis ingressus publicus & solennis in Sancta Sanctorum non nisi semel in anno & cum sanguine Summo Pontifici licuerit: tamen ingressum privatum & secretum ad locum emundandum sæpius licuisse, ne locus ille sacerrimus aut perpetuo squallore obsitus, aut perpetuo miraculo expurgatus fuisse admittatur. Quia autem ingressus ad extrahendam arcam non fuit secretus sed publicus idcirco ad illum licite faciendum aliqua legis interpretatio requirebatur sci. in casu necessitatis. Possent hic plures quæstiones moveri 1. an Tabernaculum simul sit translatum? 2. an Summus Sacerdos cæremoniis usus sacris 3. An solus Pontifex ingressus fuerit ad auferendam Arcam? Verum de his fuse egit *Francis. Mendoz. Comment. ad* 1. *Sam. tom.* 2. *fol.* 173. 174. Nos addimus quæstionem etiam de *facto*. a quibus extracta fuerit Arca & in castra deportata? Explicari hæc quæstio potest ex *Num.* 4. 5. quem locum vide.

[41] *In hostium potestatem concessit*.) Quia sicut Arca legis non defendit legis transgressores; ita nec a transgressoribus legis patitur se defendi. Itaque tantum exitium perpessi sunt Israelitæ, cum Arcam amiserunt, ut non solum victi, non solum cæsi, sed etiam ad nihilum redacti dicerentur. Illa enim Arca, quæ populi illius & munimentum erat & ornamentum; tandem ad hostes translata populum reliquit & infirmum & informem.

[42] *Duo quoque filii Heli*.) Filii igitur *Heli*, qui filii Dei & filii Excelsi dici poterant, sicut homines moriuntur: Ut intelligant peccatores, neque loci, neque muneris sanctitatem sibi profuturam, si virtutum præsidio destituantur.

[43] *Mortuus corruit*.) Cum itaque miles totam actionem retulisset, & mentionem fecisset *arcæ*, quod illa ablata & capta sit a Philistæis, Heli de sella cecidit & fractis cervicibus mortuus est. Hisce verbis mortis circumstantiæ proponuntur. Duæ autem sunt præcipuæ, *casus* & *collisio*. Circa *casum* expendendus est in primis terminus *a quo*, *cecidit de sella*. Quam Abulensis existimat fuisse mutilam & ex omni latere rescissam, nullum proinde a tergo habentem fulcimentum, quo sedens inniteretur; nisi quis dicat, corruisse pariter & sellam & sessorem. Quod videtur significare *Petr. Blesens. epist.* 106. ita legens: *Sella eversa fractisque cervicibus expiravit*. Sed is literæ manifeste repugnat. De *sella* enim cecidit. Addit *Abulens.* secutus *Josephum*, sedem fuisse sublimem, qualis judicem & Pontificem decebat, & propterea ruinam ex illa aptam fuisse ad cervices conterendas. Accedit & hoc quod casus retrorsum factus, qui periculosior. Nec silentio prætereundus *terminus* in quem: Nempe ruit *juxta ostium*, quasi diceret textus: Cecidit retrorsum in saxa & marmora, ex quibus portarum limina construebantur; quibus facile erat, occiput illidi & infringi. Circa *collisionem* advertendum, eam non eodem modo in omnibus exemplaribus, significari. In *Hebræo*: *Fractum est os colli*. In *Chald. Fracta est cervix*. In *Complutens. Fracta est scapula*. *R. Samuel Marrochian. lib. de Advent. Mess. c.* 5. *ruptis cervicibus*. Ex quibus omnibus colligitur tam misera cervicis, scapulæ & totius dorsi confractio & collisio, ut statim expirarit,

rarit, præsertim in tanta senectute ac debilitate. Vid. *Francis. de Mendoza. fol. m.* 232. *c. l.*

[44] *Azotum in templum Dagon*.) Azotus quasi Asdodus aut ab Aza uxore conditoris appellata. Asdod antiquum nomen urbis quam posterior ætas *Palmim* dixit: autor Benjamin in Itinerario suo. Hæc urbs obsessa fuit olim a *Psammeticho rege Ægypti* annos inde triginta continuos. Proinde scribit *Herodot. lib.* 2. *ἄυτη δὲ ἡ ἄζωτος ἀπασέων πολίων ἐπὶ πλεῖστον χρόνον πολιορκεομένη ἀνέχε τῶ ἡμεῖς ἴδμεν*. In hac urbe templum Dagonis, Idoli Philistæorum, & ut *Schotan. histor. sacr. de præfectur. Regnoque Saul. fol. m.* 541. inquit: Hic Deus videtur unus esse ex filiis Urani. Alii ut & *Joseph. Scaliger* putant esse fabulosam illam Derceto, quæ e complexu Semiramin genuit. Cujus templum apud lacum quendam juxta oppidum Ascalonem fuit, & ipsa fuit statua facie muliebri, reliquo toto corpore piscem referebat, sed veritati haud conveniens. Dicunt quidam invenisse frumentum, quod Dagon dicitur: unde dagon quasi Σίτων & aratrum ζεὺς ἀρότριος dictus *Euseb. in lib. προπαρασκ. pag.* 23. 24. De hoc idolo legi *pot. Johan. Selden. de diis Syris*, *Gaffarelli Curiositez inouyes cum notis*, *Athanas. Kircher. in œdipo suo* ubi quamplurima reperiuntur.

[45] *In templo Dagon*.) *D. Basilius*. *Orat.* 3. *de peccato* significare videtur, *Philistinos* Arcam non in unum tantum templum, sed in plura intulisse: *Arcam*, inquit, *impiæ manus hinc & hinc transferebant, & pro locis sacris in fanis idolorum reponebant*. Et idem expressit *in proœmio ad libr. Ethicorum*, similique phrasi *Theodor. Procop.* & alii utuntur. Sed vel loquuntur figurate, plura pro uno usurpando, vel proprie de pluribus: quia, cum *Philistæi* Arcam per varias urbes circumducebant, eam fortasse in præcipuis earum urbium fanis collocabant. Sed quod attinet ad præsens templum, objicies, Templum *Dagonis* a *Simsone* destructum fuit, *Jud.* 16. 23. Non poterat igitur Arca Dei in illud importari. Resp. In primis, non recte colligi: quia, cum a morte *Simsonis* jam elapsi fuerint minimum XL. anni, quibus *Heli* judicavit Israelem, toto illo tempore potuit templum semel eversum iterum instaurari. Addimus hoc templum fuisse diversum ab illo, quod *Samson* labefecit. Nam illud erat in urbe *Gaza Jud.* 16. 12. hoc autem in urbe *Azoto*. Gaza vero & *Azotus* erant diversæ urbes. Ut *ex cap.* 6. & *Num.* 17. patet. Vid. *Selden. de diis Syr.* & *annot. Beyer. edit. Lips. p. m.* 285. Quo animo autem id fecerint, an ad colendam Arcam, an Deum suum venerandum merito disquiritur. Sunt qui putent, hoc totum in *Dagonis* gloriam & honorem factum. Ita *Joseph. lib.* 6. *Antiquit. Judaic. c.* 1. Arcam, inquit, *juxta Deum suum Dagon, tanquam trophæum aliquod posuerunt*. Idem sentire videtur *Basil.* in *Psal.* 77. 61. Arcam, inquit, cum cepissent alienigenæ, veluti trophæum quoddam Dagoni consecrarunt. Arca itaque velut *Donarium* in templo ad pedes Dagonis fuit collocata in signum victoriæ reportatæ. Nihilominus quidam sunt, qui in observantiam Arcæ hoc factum arbitrentur. Inter quos est *Augustin. lib.* 10. *de Civ. Dei cap.* 17. *Prosper. Aquitan. c.* 14. *Mendoza Comment. in h. l.* Ut ut neutra opinio rejici possit, attamen probabilior illa videtur, quod Arca tanquam trophæum posita fuerit in templum. Ethnici enim suos deos spoliis partis, honorabant, eaque in templorum valvis defigebant juxta illud *Virgil. lib.* 7. *Æneid.* & *Silii lib.* 2. *de bell. Puni.* Vid. de his *plur. tr. nostr. de Donariis*.

[46] *Dagon*.) Figura simulacri *Dagonis* a nonnullis humana fingebatur, quem, ut refert *Euseb. l.* 1. *de præpar. Evangel. c.* 7. *Dagonem*, seu ut apud eum lego, *Dagona* cœli ac terræ filium, aratri & frumenti inventorem & Jovem frumentarium appellabant. Nam *Dagon* teste *Marino* in *Arca Noe & Montano in sua Elencho* frumentum interpretantur: a radice דגן i. e. frumentum. Huic calculum adjicit *Beyer in annot. ad Selden. de diis Syr. pag.* 285. *edit. Lips.* his verbis: derivant vel a דגן *frumento*, ut fit, quod *Philo Biblius* ait Σιτῶν, quia invenisse potuerit, vel in messe prodesse creditus est: Græcorum *ζεὺς ἀρότριος Agriculturæ Præses*. Accedit cultus ejusdem, ut videtur, colligendus ex transmissis quinque muribus &c. pro quibus arcendis, ne frugibus nocerent, aureis coluisse verisimile est, de incolis in fertili solo & messium fœcundo. Quibus hæc non placent, derivant a דג *pisce* & ita monstrosam figuram fuisse contendunt, uti fuse de hac figura disserit M. *Gregor. Michael Præpos. Reg. Flensburg.* in notis ad *Jacob. Gaffarell. curiositat. inaudit. pag. m.* 47. 48. 49. *edit. Hamburg.* 1676. Confer M. *Henric. Wesphorst. Schol. Kilon. Rector. in tract. de vero veri Dei cultu & adoratione edit. Kilon.* 1671. *pag. m.* 93. *Beyer in not. ad Selden. de diis Syr. pag.* 286. *Francis. de Mendoza. comment. in* 1. *Sam. tom.* 2. *fol. m.* 273. *edit. Colon. Ouzel. ad Minuc. Felic. in Octav. pag. m.* 274. 275. *edit. Lugd. Batav.* 1672. qui omnes uno ore confitentur & hominis & piscis figuram habuisse.

[47] *Ad terram decidit*.) Proponitur hic Dei potestas & infirmitas *Dagonis*, dum hic ad illius præsentiam dicitur corruisse, ita ut ex opinione *R. Kimchi* tantummodo forma piscis relicta fuerit. Sic verus Deus, qui non vult aut sibi, aut rei sese repræsentanti ullum numen commentitium æquiparari, fecit, ut mox illa statua Dagonis, nemine eam tangente, caderet.

[48] *Magna a Deo plaga*.) Scriptura dicit, quod percusserit eos in secretiori parte natium. Hebræus habet בגבבים h. e. in locis altis sive extantibus. Qualis autem plaga fuerit quæritur. *Josephus lib.* 6. *Antiquit. c.* 1. vocat illam pestem: *Novissime*, inquit, *Azotiorum civitatem atque Provinciam divinitus pestis invasit*. Sed credo, solum significare voluit, morbum esse mortiferum. Nam sicut pestis adeo mortifera est, ut mors ipsa appelletur, ita & hic morbus lethifer erat. *Philo* in *Antiquit. Bibl.* significat hoc morbi genus ad fœminas prægnantes & lactantes earumque parvulos potissimum spectasse, quasi his præcipue tanquam infirmioribus, viscera computrescerent penitusque dissolverentur. Sed non extat in litera, cum morbus ad omnes extenderit. *Aquila* apud *Theodoret.* asserit, Philistinos laborasse *excedente ulcere*: quod dicitur *Phagedænam*: seu ut refert *Procopius*, *Ulcere cancroso*. De quo fortasse genere fuerunt illa *ulcera & vesticæ turgentes* quibus *Ægyptii Exod.* 9. 10. laborarunt, & quæ *Moses Deut.* 28. Israelitis imprecatur. De qua re iterum consule *Pinedam ad cap.* 2. *Job* erudite disserentem. Alii, ut videre est in Scholiis ad Biblia Sixtian. ex Hebræo vertunt, in *mariscis*. Et significare volunt non tam loca plagarum, quam ipsas plagas. Sunt autem mariscæ a similitudine fruticum cognominum, tubercula quædam ulcerosa, quibus lascivi homines sæpe feriuntur, unde censentur morbi infames, maximeque erubescendi, juxta illud *Juvenal. Satyr.* 2.

Cæduntur tumidæ medico ridente mariscæ.

Quorsum respicere videtur David *Psalm.* 77. 66. Unde eundem morbum *Genebrard. ficum* appellat, quem *Martial. lib.* 1. tanquam ignominiosum exprobrat *Cæciliano* illo vulgato disticho:

Dicemus ficus, quas scimus in arbore nasci.
Dicemus ficos, Cæciliane, tuos

Juniores appellant *morbum Gallicum*. *Abulensis* vocat hunc morbum *hæmorrhoidem*. i. e. sanguinis fluxum. *Abulensi* favet *Genebrard. Josephus*, quem *Theod. Procop. Comestor*, *Dionys. Lyran.* aliique sequuntur, scribit fuisse morbum dysentericum, quo omnium intestina magnis convulsa doloribus, solvebantur. Addi potest, fuisse novum morbi genus & inauditum. Utcumque res se habeat, morbus fuit *apisthotonus* & insanabilis.

[49] *Novo plaustro*.) Sciebant Philistæi Hebræos in solitudine usos fuisse plaustris ad onera Sanctuarii portanda, ut patet ex *Num.* 7. ubi Moses tradidit *Gersonitis* leviora Sanctuarii pondera deferentibus *duo plaustra*: Meraritis vero deferentibus graviora tradidit quatuor. Et fortasse ignorabant, Arcam fuisse propriis Levitarum humeris deportatam, ut patet ex eodem loco. Cum igitur Vates Philistæorum scirent, inter Hebræos usum fuisse plaustrorum ad portanda onera Sanctuarii, & nescirent fortasse hunc usum fuisse interdictum ad portandam arcam: plaustrum absolute facere decreverunt, quo arca veheretur.

[50] *Duabus vaccis*.) Vaccæ hæ fœtæ erant. Ubi notandum, quod vaccæ deberent esse fœtæ, quod vocabulum apud Latinos ambiguum est, & referri potest ad gravidas, quæ nondum pepererunt & ad enixas, quæ jam pepererunt. Nam gravidas significat apud *Virgil. in Tityr.*

Non insueta graves tentabunt pabula fœtas.

Enixas vero significat apud eundem *lib.* 8. *Æneid.*

Fecerat & viridi fœtam Mavortis in antro
Procubuisse lupam.

Hoc loco autem enixas significat, ut patet ex sequentibus: Recludite vitulos earum domi: Unde alii vertunt: *Lactantes*, *Primo enixas*, *Primiparas*. Ut miraculum evidentius appareret, si illas a deferenda arca amor minime retardaret; cum enim vix removeri possunt a vitulis, uti pluribus probavit *Francisc. de Mendoza Comment. in* 1. *Sam. pag.* 368.

[51] *Recta euntes*. Scil. directione divina. Statuunt enim quidam Scriptorum, Philistæos vaccas aversas a Judæa & conversas in Philistinam collocasse, ut facilius in hanc, quam illam irent: præsertim cum ante oculos haberent suos vitulos; Verum nihilominus illa a Philistæorum regione in Judæam se convertebant & viam ignotam præ trita & nota sequebantur. Nec sine aliqua vi divina factum, quod concorditer incesserint; nam vaccæ indomitæ jugumque inexpertæ, illud tergiversari solent. Illud quoque mirandum, quod neque ad dextram, neque sinistram perrexerint, sed *recta via* ingressæ: seu nunquam a tramite ne latum quidem unguem declinaverint. Quare divina plane virtus erat: quæ illas in Judæam reducebat.

[52] *Cariathiarim*.) Fuit olim urbs Gabaonitarum, ut patet ex *Jos.* 9. 17. Postea cessit in sortem Judæ, ut patet ex *Jos.* 15. 9. Quæ etiam ibidem *v.* 60. dicebatur *Cariathbaal*, & iterum *Jos.*18. 14. Non procul erat a *Bethsames* ut *Joseph. lib.* 6. *antiq. c.* 1. testatur: quinque milliaria distare expressit *Burchard.* apud *Masium.* conf. *Francis. de Mendoza*. c. l.

[53] *Domum Aminadab in Gabaa*.] *Hunnius* in loco de Ecclesia ait, tantum abesse, ut Ecclesia certo loco sit affixa, ut ne quidem tabernaculum & arca in uno loco ferint, & inter alias stationes etiam Gibeam recenset. cui sententiæ se opponit *Sixtin. Amama in antibarbar. bibl. lib.* 3. *pag. m.* 400. & *Tarnovius*. Ubi prior ex *Tarnovio* asserit, se intrepide negare, Arcam unquam in *Gibea* substitisse: *Aminadab* enim non *Gibea* civitate *Benjamin* sed *Kiriathjearim* sita in tribu *Juda*, 1. *Sam.* 6. *Baale Juda* appellata. Verum enim vero observandum esse putat *Diodatus annotat. on the book of Judgs chap.* 29. *Gibeam* duplici nomine vocatam esse, *Gibeam* in *Ramah*, & *Gibeam Benjamin. Gibea Ramah* non procul a Jebus sita versus montem *Ephraim. Gibea Benjamin* autem vocabatur *Gibeah of Saul*, *Gibea Saulis*, quia ibidem natus erat. Verum haud obtinet, quod vult prædictus autor. Unde ergo nata est opinio de statione *in Gibea?* Ex ambiguo vocis גבעה 1. *Sam.* 7. 1. Licet enim vox ista, ut supra dixi, nomen urbis proprium sit, primario tamen collem significat. Unde & *LXX.* ἐν τῷ βουνῷ sic & *Chald. Junius. Piscator.* Illud autem אשר vel refertur ad domum, quæ domus erat in colle, vel ad ipsum Aminadab, qui habitabat in colle. plur. d. l. vid.

[54] *In Gabaa oppidum*.) Cum in urbe non esset proprius Arcæ locus, nempe Sanctuarium, ut probat *Abulens. h. l. quæst.* 3. necesse fuit, Arcam inferre in aliquam privatam domum. Ubi duo consideranda veniunt, 1. ubi? & (cujus fuerit hæc domus,) Quod ad primum attinet, dicitur in codice, fuisse in *Gabaa*. Ubi iterum quæritur, an sit nomen proprium cujusdam urbis in tribu Benjamin *Jos.* 18. 28. & *Judic.* 19. 14. An potius nomen appellativum, significans collem aliquem in urbe *Jarim*, in quo esset domus *Aminadab*: nam *Gabaa* collis interpretatur. Priorem partem tenet *Lyran.* cum aliis. Posteriorem sententiam probabilius sequuntur *Beda*, *Dionys. Comestor. lib.* 2. *hist. c.* 9. *Vatabl. Cajetan. Torniell. Pineda in prov. Salom. lib.* 5. *c.* 5. *num.* 5. *Saa*, *Serar. Salian*. Et favet *Joseph. lib.* 6. *antiq. c.* 1. Nam locutus de Cariathiarim subdit: Ibi apud Aminadabum quendam Levitam opinione religionis ac justitiæ celebrem in ædibus ejus collocant. Ergo sentit, domum *Aminadab* in urbe *Jarim*, non autem in urbe Gabaa sitam esse. Atque ita videntur intellexisse LXX, quos sequitur *Theod.* dum non retinet nomen *Gabaa*, sed transferunt ἐν τῷ βουνῷ hoc est *in colle*: sic aperte indicantes, non de *urbe*, sed *colle* sermonem esse. Idque satis perspicue ex textu deducitur. Nam cum hoc versu dicitur Arca posita fuisse in *Gabaa*; vers. sequent. additur, mansisse in *Cariathiarim* viginti annos. Ergo *Gabaa* non est urbs diversa a Cariathiarim: Sed pars illius. Probatur ulterius. 1. Retorquendo *Lyræ* argumentum, quia 1. *Par.* 13. *v.* 5. 6. Et adscendit David & Israel ad collem Cariathiarim, qui est in Juda. Ubi expresse ostenditur, Arcæ translationem non factam fuisse a *Gabaa* urbe, sed a Cariathiarim, seu Gabaa colle, qui erat in illa urbe, uti plurimis argumentis demonstrat *Mendoza*. *fol.* 454.

[55] *Repentina morte*.) *Ozan* non fuit Sacerdos, adeoque cum arcam prætervectam tangere vellet, mortuus est, quia nemini licitum erat res sacras & cultui divino consecratas tangere, sed solis personis consecratis, Levitis & Sacerdotibus.

[56] *Arcam cum Tabernaculo*.) Verum quidem est, Arcam in templum fuisse illatam; de Tabernaculo autem nihil legimus, cum Tabernaculi templo extructo nullus amplius usus fuerit, & licet partes ejus in illud illatæ sint, tamen a nemine conspiciebantur, ideoque Tabernaculum non solum in secundo, sed & in primo templo defuisse, dicendum est.

[57] *Neque arcam nec Tabernaculum inventa esse*.) Quinque sunt quæ primi templi dignitatem maxime auxerunt & secundo defuerunt. Arca, Propitiatorium, Cherubini, ignis cœlitus demissus, Præsentia Spiritus S. Urim & Thummim. Incertum autem est, quo delata sit arca. *Talmudici* tradunt in *Babylon* cum reliquis ornamentis deportatam fuisse. *Alii* dicunt *Jeremiam Prophetam* templo abstulisse, eamque in monte *Nebo* spelunca quadam occultasse, nec ea de re quempiam scire voluisse. *Gorionid. lib.* 1. *cap.* 17. *Arca autem non aderat*, *quia abstulerat eam Jeremias Propheta*, *una cum omnibus Cortinis quas fecerat Moses servus Dei in deserto*, & *posuit eas in Monte Nebo*. *In Codice*. Joma *Talm. pag. m.* 103. hæc leguntur: Lapis ibi erat a diebus priorum Prophetarum & *lapis fundationis* fuit vocatus. Ridicula sunt, quæ de lapide fundationis tam in *Gemara*, quam apud alios autores narrantur. Tradunt enim Rabbini, Deum lapidem istum in medio mundi, sive terræ centro collocasse, unde nonnulli ajunt: lapidem fundationis vocari; quia inferius mundi firmamentum & fundamentum fuerit: quo nescio unquam quicquam crassius excuterent Magistri, mundus enim, ut cætera taceam, suis partibus libratus, iisdemque tanquam firmissimis columnis innixus fundamento nullo eget. Alii dicunt vocari lapidem fundationis; quia cætera ex ipso tanquam ex prima materia seu primo fundamento creata sunt. Rabbini forte a Græcis ansam arripuerunt fingendi putidissimum hoc commentum, qui homines ex lapidibus a Deucalione & Pyrrha projectis procreatos esse fabulantur, inde ipsis λαὸς populus; quia humanum genus ἐκ τῶν λάων ex lapidibus suam originem traxerit. *Eustathius in* 1. *Iliad.* refert. fabula post aquarum diluvium, quod temporibus *Deucalionis* acciderit, & hominum paucitatem inde exortam, jussisse *Deucalionem*, *ut Jovi Averrunco* circa partes *Parnasso* finitimas, sacrificaretur. Ipsumque una cum uxore *Pyrrha* & filia *Pandora*, quam *Hesiodus* fœminam primam fuisse asserit, lapides supra in aerem jactasse, omnesque illos lapides vitales factos & in homines mutatos esse, & inde λᾶες vocari. *A Græcis ad Latinos* pervenit. Inde *Virgil. lib.* 2. *Georg.*

Deucalion vacuum lapides jactavit in orbem
Unde homines nati.

Vid. Ovid. lib. 1. Metamorph. Addunt nonnulli lapidem fuisse, quem unxit & consecravit *Jacob*; quod licet falsum, attamen a Judæis receptum. Certe post excidium templi lapis visendus, eo nomine peregrinantibus ostendebatur. Postquam vero *a Turcis* urbs *Hierosolyma* capta, *Omar* eorum Imperator ad

ad extremum ejus templum exstruxit. *Elmacinus lib. I. c. I. Histor. Saracen.* הם קאל עמר רצי אללה ענה׳ אלבעריך ער פני מוצטא אבני פיה משנרא קאל לה אלבטריך עך אלהגרת אלתי כלם אללה׳ יעקוב עליהא. *Tum dixit Omar felicis memoriæ ad Patriarcham: Ostende mihi locum, ædificabo templum in ipso: dixit ei Patriarcha de lapide, ad quem locutus Dominus cum Jacobo.* Fingunt *Rabbini* etiam inscriptum fuisse nomen tetragrammaton, & quæ alia illorum deliramenta.

58 *Lapidem positum.*) De hoc fuse & pluribus verbis egit Joh. Frischmuth. in dissertat. qua quæritur, quonam Arca fœderis pervenerit. pag. m. 33. seqq. quem vide.

CAPUT QUARTUM.

De Excelsis.

Tabernaculo exposito [1] Excelsa sequuntur. Hi vero [2] colles alti fuerunt, in quibus [3] contra legem Dei, sed tamen patiente Deo, [4] sub frondosis arboribus sacrificarunt. Ac primum quidem Deuteronomii XII. Deus ea prohibuit his verbis: *Subvertite omnia loca, in quibus coluerunt gentes, quas possessuri estis, deos suos super montes excelsos, & colles, & subter omne lignum frondosum. Dissipate aras earum, & confringite statuas, lucos igne comburite, & idola comminuite, disperdite omnia nomina eorum de locis illis, non facietis ita Domino Deo vestro.* Deinde vero Judicum tempore ad ea sacrificari permisit. Hoc vero primus fecit Gedeon sub quercu, sexto Judicum: *Tulit*, inquit, *omnia sub quercu, & obtulit Deo.* De hoc vero instituto sic S. Augustinus in librum Judicum: *Deus consuetudinem populi sui, qua præter ejus tabernaculum, tamen non diis alienis offerebant, sed Domino Deo suo, sustinebat potius, quam vetabat, etiam sic exaudiens offerentes.* Inde ea consuetudo ad tempora Regum pervenit, nondum condito Templo: ut nono primi Regum regnante Saule: *Hodie venit in civitatem, qua sacrificium est hodie populo in Excelsum*, & secundo primi Paralipom. [5] *Salomon abiit in Excelsum Gabaon, ubi erat tabernaculum fœderis Domini, quod fecit Moyses in solitudine*, & tertio tertii Regum: *Attamen populus immolabat in Excelsis: non enim ædificatum erat templum nomini Domini usque in diem illum. Dilexit autem Salomon Dominum, excepto, quod in Excelsis immolabat, & accendebat thymiama. Abiit itaque in Gabaon, ut immolaret ibi. Illud quippe erat Excelsum maximum.* Templo inde constructo non tamen Excelsa deseruerunt. Nam Hieroboam rex Israel defectione a Deo facta fana in Excelsis fecit: atque exemplo ejus reliqui reges Israel deos alienos in Excelsis coluerunt. Unde scriptum est septimo decimo quarti Regum: *Ædificaverunt sibi Excelsa in cunctis urbibus suis, feceruntque statuas & lucos in omni colle sublimi subter omne lignum nemorosum, & adolebant ibi incensum super aras in morem gentium quas sustulerat Dominus a facie eorum.* Quare Deus permisit Osee regem cum omni populo a Salmanassare rege Assyriorum captivum in Assyriam duci, regnumque eorum deleri. Eodem vero modo neque Roboam rex Judæ priscam [6] Dei religionem integram conservavit, siquidem eo permittente Judæi *ædificaverunt sibi aras, & statuas, & lucos super omnem collem excelsum, & subter omnem arborem frondosam.* Neque ea posteri ejus reges Asa, aut Josaphat, licet pietate præstantes, sustulerunt. Siquidem scriptum est XII. tertii Regum: *Fecit Josaphat rectum quod erat in conspectu Domini, veruntamen Excelsa non abstulit. Adhuc enim populus sacrificabat, & adolebat incensum in Excelsis.* Inde Amasias, Azarias, & Achaz reges pariter Excelsa servarunt. Nam de Achaz legitur: *Immolabat victimas, & adolebat incensum in Excelsis, & in collibus sub omni ligno frondoso.* Hæc deinde Ezechias rex dissipavit ille quidem, sed filius ejus, Manasses restituit. De quo ita proditum est: *Ædificavit Excelsa, quæ dissipaverat Ezechias pater ejus & erexit aras Baal, & fecit lucos, sicut fecerat Acab rex Israel.* Tandem Josias subsequutus omnem ejusmodi Excelsorum consuetudinem abolevit. Sic enim de illo refertur secundi Paralipomenon vigesimo quarto: *Mundavit Judam & Hierusalem ab Excelsis, & lucis, simulacrisque, & sculptilibus.* Et vigesimo tertio quarti Regum; *Delevit aruspices, quos posuerant reges Judæ ad sacrificandum in Excelsis per civitates Judæ & contaminavit Excelsa, ubi sacrificabant sacerdotes de Gabaa usque Bersabee. Veruntamen non ascendebant sacerdotes Excelsorum ad altare Domini in Hierusalem, sed tantum comedebant Azyma in medio fratrum suorum. Excelsa quoque, quæ erant in Hierusalem, quæ ædificaverat Salomon Rex idolis, polluit. Insuper & altare quod erat in Bethel, & Excelsum quod fecerat Hieroboam, & altare illud excelsum destruxit, atque combussit, succenditque etiam lucum, insuper*

omnia

omnia fana Excelſorum, quæ erant in civitatibus Samariæ, quæ fecerant reges Iſrael ad irritandum Dominum, abſtulit. Itaque S. Auguſtinus de Joſia loquens ſic dixit: *Notantur reges, qui inter opera laudabilia ſua non deſtruxerunt Excelſa, ubi contra legem Dei populus ſacrificare conſueverat; & qui deſtruxit, majore prædicatione laudatur.* Atque hic quidem Excelſorum exitus fuit.

NOTÆ AD CAPUT QUARTUM.

[1] *Excelſa.*) Hebraice ſcribitur בבמות. Paraphraſ. Chald. interpretatur in domo conſeſſus. Cænaculum *Vatablus* intelligit. Olim juxta tabernaculum non pauca ædificia exſtructa ſunt, quemadmodum & poſterioribus temporibus juxta templum, in quibus ſacrificantes epularentur, *Georgius Venet. tom.* 1. *probl. ſect.* 6. adolere inquit in excelſis, quod toties in *libr. reg.* notatur, erat, ut volunt quidam, ſacrificare 27. Principibus nationum. Maleferiatorum Hebræorum commentum eſt. Nam & Deo vero in Excelſis adolebant, ut feciſſe narratur *Salomon.* 3. *Reg.* 3. Melius *Sigonius* noſter, inquiens: colles alti fuere, quo in loco Deo ſacrificarunt. Veteres enim Hebræos primam, quæ in illis in uſu dici ſolet, diſciplinam, Legem ſcil. in monte latam, tradunt, plane ut Græci diſciplinas ſuas, quas & ipſi Muſas dicunt, in monte natas voluerunt: quia more gentis ſuæ ſacra in excelſis editiſque tantum locis celebravit Cadmus. Quod cum Dei populus ut & cætera, expreſſiſſet, offendiſſe Deum בבמותם in excelſis ſuis, legitur. Inde *Miſchna* 4. *cap.* 14. *pag.* 27. dicit: Antequam erectum eſſet tabernaculum, fuerunt excelſa licita, & cultus per primogenitos fiebat: puſtquam vero erectum eſt, prohibita fuerunt excelſa, & cultus per Sacerdotes factus eſt. vid. Edward. Simſon Chro. Cathol. part. 3. fol. mihi 15. A. M. 3043. Græcus hoc loco habet *βωμός*, quod multiplicis eſt ſignificationis. Significat enim non aram modo, (unde *βωμολόχος fanaticus* quaſi Numinis furore percitus; vel altaribus inſidians, ut oblata furetur, aut ſtipem in templis, & circa aras ſuppliciter corrogans) ſed etiam nemus ſacrum, lucum, aliumve quemcunque locum deorum cultui deſtinatum, in quo ſacra offerri & victima in aram inferri poſſet, a Græco *βαίνω*, quod adſcendo ſignificat, quia veteres frequenter in locis editis diis faciebant ſacra, ut probat *Joh. de Pineda Hiſpanus de rebur Solomonis l.* 7. *cap.* 10. *ſect:* 1. §. 1. *num.* 3. & *Eſaias cap.* 57. *v.* 7. *Oſeas. cap.* 4. *v.* 13. Nonnulli per excelſa altaria in excelſum erecta intelligunt, quia in Vallibus etiam excelſa erigebantur, teſte *Jerem. cap.* 70. vero per *βάμα* reddunt, *lib.* 1. *Reg. cap.* 9. *v.* 12. *ubi Vulgatus*, ſacrificium populi in excelſo, Græce *θυσία ἐν βαμῷ*. *βάμα* vero ſignificat vel altare, ubi de hoſtia immolata epulaturi recumbebant, ut *Vatablus lib.* 1. *Reg. cap.* 9. *v.* 27. ſentit. Itaque vero admodum ſimile videtur, vocem Græcam *βωμὸς* a *βάμα* deſcendere. Veterum altaria dicit *Dionyſ. Voſſ. ad R. Moſis Maimonid. tract. de Idololatr. pag. m.* 7. *edit. Amſter.* fuerunt במות excelſa ſeu montium vertices, unde *βωμὸς* Græci appellavere, quia loca illa edita ab ipſis diis quodammodo deſtinata cultui credebant. Ejus opinionis reliquias arguunt *Americanorum* mores, quos *Acoſta* dicit venerari montes ſolitos. conf. *Plin. lib.* 12. *cap.* 1. Multi dicunt excelſa ſæpius veri Numinis cultui dicata, ſæpius tamen fuiſſe idololatriæ inſtrumenta. Puto igitur *βωμὸς* undecunque etiam derivetur, altaria fuiſſe in collibus exſtructa. vid. plur. Joſeph. Druſ. Comment. in loc. difficil. Pentateuch. cap. 67. & 68. pag. 569. 570. ſeqq.

[2] *Colles alti fuerunt.*] Judæis montium colliumque cacumina arridebant, in quibus ſacrificia peragebant, teſtatur hoc *B. Balthaſar Bebel. in diſſert. de aris edit. Argentorat.* 1666. conf. Loca Scripturæ varia. Propheta minorum maximus *cap.* 4. 13. in hæc erumpit verba: Super capita montium ſacrificarunt; & ſuper colles accendebant thymiama. Adde *Jud.* 6. 25. 2. *Reg.* 17. *Ezech.* 6. 13. *Hieron. ad cap.* 7. *&* 32. *Jerem. & in cap.* 10. *Matth. R. Moſes Ben Maimon.* Et adgreſſi ſunt homines facere ſimulacra in templis & ſub arboribus, in montium verticibus & collibus: dein congregati adorabant ea lib. ע״כוב *c.* 1. §: 3. Gentiles itaque hos imitati in montibus & collibus ſacrificia idolis ſuis offerebant, uti paſſim Scriptores profani referunt. Teſtatur *Herodot. lib.* 1. *c.* 131. Quod Perſæ moris habeant, editiſſimis quibuſque in montibus Jovi hoſtias immolare. Cui accedit *Xenoph. Inſtit. lib.* 8. & *Strabo.* lib. 15. inquientes: *Perſæ nec ſtatuas, nec aras erigunt, ſacrificant autem in loco excelſo.* Idem narrat de *Paphlagonibus lib.* 12. Olgaſmi montem diſertis verbis nominans *montem admodum celſum & inacceſſum*, ubi templa undique habebant ſolenniter exſtructa. In Quirinali monte *Apollinis Clatrati* templum exſtabat. *Fabric. Rom. cap.* 3. Aventinus mons Dianæ ſacer fuit, quia ibi templum, unde *collis Dianæ* apud *Martialem* dicitur. Inter omnes autem deos imprimis *Jovi*, utpote deorum ſummo in ſummis ſacrificia incendebantur montibus. *Lucan.* Et reſidens celſa Latialis Jupiter Alba. *lib.* 1. *Pharſ. Senec. H. O.* 3. 2.

Heic rupe celſa, nulla quam nubes ferit.
Annoſa fulgent templa Cenæi Jovis.

vid. *Apollon. lib.* 2. *Argon.* In hunc morem *Solinus de Olympo* ſublimi Theſſal. monte ſcribit: *Ara eſt in cacumine Jovi dicata* &c. Plura qui deſiderat, evolvat *Spencer. de leg. Heb. pag.* 262. *ſeqq. edit. Hag. Com. Saubert. de Sacriſ. p.* 320. *Guil. Stuck. deſcript. Sacriſ. Gentil. Joh. Dought. analect. Sac. part.* 1. *p.* 107. *edit. Amſtel.* Alexand. *Donat. Rom. vet: & nov.* qui omnes demonſtrant, Aras plerumque deorum gentilium & templa in montibus fuiſſe.

[3] *Contra legem Dei.*) Sunt qui triplex genus Excelſorum ſtatuunt. Quædam erant Idolis conſecrata: nam Ethnici, uti dictum, in excelſis montibus ſuis diis ſacrificabant, uti non ſolum ex profanis Scriptoribus probatum fuit, ſed etiam ex ſacra regum hiſtoria paſſim patet. Et rationem optimam hujus peſſimæ ſuperſtitionis tradidit *Procopius*: Conſilium, inquit, eorum erat idololatriæ humilitatem, locorum ſublimitate ſublevare. Quaſi illa abjecta ſacrificia non honorem loco conferrent; ſed a loco mutuarentur. Ethnicos imitati ſunt improbi Reges, e quibus *Jerobeam* fecit fana in Excelſis 1. *Reg.* 12. 31. in quibus vitulo aureo immolaret. Sic & illi, de quibus dicitur: Ædificarunt excelſa Baal. *Jer.* 32. 35. Quæ loca proinde a Moſe ſubvertenda mandantur ex mandato Dei *Deut.* 12. 2. Alia *Excelſa* erant, in quibus vero Deo ſacrificabant contra legis præſcriptum. Nam lex ſacrificia alibi, quam in tabernaculo, fieri prohibebat. *Deut.* 12. 4. Unde reprehenduntur illi Reges, qui Excelſa non abſtulerunt. Quales fuerunt Aſa 2. *Reg.* 15. 13. Joſaphat. 2. *Reg.* 22. 44. Contra vero commendantur illi, qui non ſolum Excelſa, in quibus ſacrificabatur idolis: ſed etiam in quibus verus Deus, contra legis tamen præſcriptum, colebatur, penitus abſtulerunt. Quales fuerunt *Ezechias*. 2. *Reg.* 18. *n.* 4. & *Joſias*. 2. *Reg.* 23. 8. Tertium genus *Excelſorum* erat illud, in quo, ſi non ex lege, certe ex privilegio ſacrificabatur. Sic *Helias* in *Carmelo* ſacrificavit 1. *Reg.* 18. 32. & Samuel in *Ramatha*. Et ſæpe ſacrificium offerebatur, Deo ita diſpenſante, ne divinus cultus interiret, quamdiu Arca proprium locum non habebat.

[4] *Sub frondoſis arboribus.*) Plerique veterum ſacrificabant & cultum divinum peragebant ſub arboribus, quas lucum appellabant. Vetuſtiſſimus igitur Lucorum uſus erat, cui hac in parte operæ nonnihil

hil

hil impendemus. Antiqui homines antequam templa haberent in lucis conveniebant, putantes, deos gaudere lucis & sylvis. Ita Evander apud *Virgil. lib.* 8. *v.* 35. Non prolixi hic erimus in recensendis antiquorum Lucis, cum de his plurima protulerint Scriptores probati, inter quos doctiss. Johan. Saubert. in tract. de Sacrific. pag. m. 326. seq. *Guil. Stuckius in descript. Sacrif. Gentil. Spencer. Selden. de diis Syr. & annot. Beyer. Dilherr.* fuse egerint. Sed nobis nihil est cum Gentilibus, modo quærimus: an Judæi & quidem Patriarchæ sub arboribus seu in lucis sacrificarint. Haud equidem ignoramus, habere nos adversarium ea quoque in parte *Spencerum*, utpote qui absolute inficias it Patriarchas Sanctosque Dei viros unquam in lucis sacrificasse vel plantasse eum in finem lucos, ut divino cultui inservirent; at, quoniam apertissima Scripturæ sunt verba, piaculum nobis erit ab illis recedere. Nonne habitasse dicitur Abraham באלוני ממרא *in quercetis Mamre*, quod quidem Patres in unum fere omnes suis approbant suffragiis, traduntque unam præ reliquis eminuisse quercum, sub qua ipse cænaverit & sacrificaverit Abraham, quam vel Constantini Magni tempore super. fuisse tradunt *Hieronym. de loc. Hebr. Sozomen.* lib. 2. *cap.* 3. *hist. Eccles.* Nonne sub quercu Sichemitana aram posuit ipse *Abraham*, & Sacra Deo obtulit? quam præcipue ob causam idem lucus *Jos.* 24. audit מקדש יהוה *Sanctuarium Dei*, sub quo ipsum stetisse tabernaculum perantiqua traditio est. Quid quod in *Bersabe* lucum plantasse legitur noster *Abraham*, quem vero in finem? ut invocaret ibi nomen Domini. Et eo longe junior *Gideon* Deum pariter sub quercu Ephraimitica excepit. Quæ exempla satis evidentia & luculenter evincunt Patriarchas pro sacris habuisse lucos & querceta, quicquid demum agat *Spencerus*, omnia quidem asserens, sed nihil probans. Causam quis quærat, cur præ reliquis lucos elegere Patriarchæ, putamus, eos imitari voluisse ea in parte Protoplastos, & tale Deo habitaculum facere, quale ipsis antea fecerat; posuisse enim Deum hominem liquet in amplissimo horto, verius luco dixerimus, cum satis pateat densissimas adfuisse arbores & quidem copiose, quoniam locum reddidere obscurum, sub quo primi parentes se occultavere, quapropter *Adam* huic loco adsuetus post lapsum similes lucos instituit, quæ deinde consuetudo ad *Sethum*, *Enochum*, *Noachum* & *Abrahamum* pervenit, uti pluribus probat *Christian. Worm.* de corrupt. *Antiquit. Hebr. vestig. pag. m.* 125. *edit. Hafn.* 1693. Usus horum lucorum postea per Cacozeliam Diaboli transiit ad gentes, quæ lucos tam sacros habuerunt, ut piaculum esse crederent, violare tales. Testantur hoc *Livius lib.* 35. *pag.* 22. *Ovid. lib.* 3. *eleg.* 1. *Senec. epist.* 41. *Plin. lib.* 12. 1. *Cicero in Orat. pro Milon. num.* 86. Imo etiam Germanos lucos habuisse probant *Tacit. de sit. Germ. c.* 38. *Dikinson de Orig. Druyd. pag.* 189. *Diodor. lib.* 5. conf. Sched. de diis German. ubi plurima legi possunt. & inter alios meretur legi disput. Excell. Schurtz. *Fleisch. de Druyd.*

[5] *Salomon abiit in Excelsum.*) Mirum est quod Salomo jam exstructo templo Hierosolymitano ad Excelsum accesserit, cum tamen non amplius licitum fuerit in eo Sacrificare, & cum oblationes Deo juratæ essent, videtur *Salomon* in eo peccasse.

[6] *Nec religionem Dei integram servavit.*) pristina religio Judæorum erat, ut colerent Deum eo in loco quem sibi ipse elegisset. *Hic primus* erat *Silo*, postea *Hierosolyma*: ast illos successu temporis pro lubitu templa exstruxisse scriptura docet. In lucis magna olim Idololatrica superstitio exercebatur, ut docet *Plin. lib.* 12. *c.* 1. de arborum honore. *Virgilius* lucorum sacrorum sæpissime meminit. *lib.* 1. *Æneid.* Et Prophetæ sacri vix sæpius idola, quam lucos & ligna frondosa insectantur. *Vid. Isai.* 57. 5. *cap.* 66. 17. *Ezech.* 6. 13. *Osea* 4. 13. Quare Deus *Exod.* 34. 13. inquit: *Aras destrue, confringe statuas.* Variæ autem fuerunt causæ, ob quas Dii in lucis colerentur. Prima illarum invidia dæmonis divinum sibi cultum arrogantis in iis locis, ubi sæpe Deo exhibitus. Veteres enim *Patriarchæ*, *Adam*, *Abraham*, *Jacob* & alii in lucis & arboretis Deum colebant, ut docet *Joh. de Pineda lib.* 7. *de reb. Salomonis cap.* 10. §. 2. *Secunda* ipsa loci natura; solitudo enim, silentium, umbra, opacitas, sacram nescio, quam venerationem ingenerant. Hinc *Seneca epist.* 41. Illa proceritas silvæ, & secretum loci, & admiratio umbræ, fidem tibi Numinis faciet. *Tertia* lucos colendi Gentilibus fuit causa locorum opportunitas ad insidias pudicitiæ tendendas, libidinesque, quibus operam post convivia sæpe dabant, exercendas. Unde factum quod sæpissime Deus excelsa destrui jusserit.

CAPUT QUINTUM.

De Templo Hierosolymitano.

POst Tabernaculum, [1] Templum constructum est. Hoc vero sibi ut fieret, a principio Deus præmonuit, Deuteronomii XII. *Non sacrificabitis Domino Deo vestro super excelsos colles, sed ad locum, quem elegerit Dominus Deus vester de cunctis tribubus vestris, ut ponat nomen suum ibi, & habitet in eo, venietis, & offeretis in illo loco holocausta, & victimas vestras, decimas, & primitias manuum vestrarum*; & post: *Cave ne offeras holocausta tua in omni loco quem videris, sed in eo quem elegerit Dominus in una tribuum tuarum, offeres hostias, & facies quæcunque præcipio tibi.* David inde Rex, antequam regnum filio Salomoni permitteret, hostibus omnibus circumquaque devictis, & pace toto imperio parta, de templo demum Deo ædificando consilium cepit, idque cum Nathan propheta communicavit, turpe esse asserens, se in domo cedrina habitare, Arcam vero Dei [2] in medio pellium positam esse. Quod consilium cum Nathan approbasset, tamen reversus ad eum mandato Dei monuit, ne faceret: nam id decus esse a Deo Salomoni illius filio reservatum. Verba vero David sunt XXVIII. primi Paralip. *Audite me fratres mei: Cogitavi, ut ædificarem domum, in qua requiesceret arca fœderis Domini, & scabellum pedum Dei nostri, & ad ædificandum omnia præparavi. Deus autem dixit mihi: Non ædificabis domum nomini meo,* [3] *eo quod sis vir bellator, & sanguinem fuderis, sed elegit Dominus Deus Israel me de universa domo patris mei, ut essem Rex supra Israel in sempiternum*; & post: *Salomon filius tuus ædificabit domum meam, ipsum enim elegi mihi in filium, & ego ero ei in patrem*; & VII. secundi Regum: *Hæc dicit Dominus: Numquid tu ædificabis mihi domum ad habitandum? neque enim mansi in domo: ex quo eduxi Israel de terra Ægy-*

pti

pti usque ad diem hanc, sed fui semper mutans loca tabernaculi, & in tentorio manens cum omni Israel. Item: *Cum autem completi fuerint dies tui, suscitabo semen tuum post te, & firmabo regnum ejus: ipse ædificabit domum nomini meo.* Inde David, ut a pestilentia liberaretur, emit aream in monte Sion nomine Moria ab Areuna Jebusæo ex monitu Prophetæ Gad, atque ibi altare exstruxit, & obtulit Holocausta, & Pacifica, & Deum propitiavit. Post autem comparatis omnibus ad templum ædificandum impensis ante mortem Salomoni filio accito dixit: *Fili mi voluntas mea fuit, ut ædificarem domum nomini Dei mei, sed factus est sermo Domini ad me dicens: Multum sanguinem effudisti, & plurima bella bellasti, non poteris ædificare domum nomini meo tanto effuso sanguine coram me, filius qui nascetur tibi, erit vir quietissimus: faciam enim eum requiescere ab omnibus inimicis suis per circuitum, & ob hanc causam Pacificus vocabitur, & pacem & otium dabo in Israel cunctis diebus ejus. Ipse ædificabit domum nomini meo. Nunc ergo fili mi ædifica domum Domino tuo.* Præcepit quoque cunctis principibus Israel, ut adjuvarent eum, quem regem constituit. Hæc ferme tertio Regum, & primo Paralip. Salomon inde anno regni sui quarto templum inchoavit [4] in monte Moria, id est in altero colle montis Sion, qui demonstratus fuerat patri ejus in loco quem paraverat in area Areunæ Jebusæi, consummavit autem opus spatio [5] septem annorum. Forma, amplitudo, & magnificentia, qua omnia ædificia superavit, refertur utroque in libro multis verbis, quæ propter longitudinem huc transferre non videtur operæ pretium. Additur inde, postquam de templi constructione peroratum est, [6] de ornamentis & instrumentis ejus, qualia Tabernaculi fuerunt, libro III. Regum, cap. VII. hoc modo: *Præterea fecit Salomon Oraculum in medio domus in interiore parte, ut poneret ibi arcam fœderis Domini, fecit etiam porticum ante templum, & omnia vasa, altare aureum, & mensam super quam ponerentur panes Propositionis auream, & candelabra aurea quinque ad dextram, & quinque ad sinistram contra oraculum ex auro puro, & quasi lilii flores, & lucernas desuper aureas, & forcipes aureos, & hydrias, & fuscinulas, & phialas, & mortariola, & thuribula de auro purissimo. Et cardines ostiorum domus interioris Sancti Sanctorum, & ostiorum domus Templi ex auro erant. Et intulit quæ sanctificaverat David pater suus, argentum, & aurum, & vasa, reposuitque in thesauris domus Domini.* Item secundi Paralip. tertio & quarto: *Fecit domum Sancti Sanctorum, & in ea Cherubin duos: & velum ex hyacintho, purpura, cocco, & bysso, & intexuit ei Cherubin: & altare æneum, & mare fusile, conchas decem, candelabra aurea decem, mensas decem, phialas aureas centum, omnia vasa domus Dei, & altare aureum, & mensas, & super eas panes Propositionis, candelabra cum lucernis suis, thymiateria, & thuribula, & phialas, & mortariola ex auro purissimo.* His actis inde narratur, ut Tabernaculum Davidis cum Arca Moysis in Sanctum Sanctorum Templi magna cum pompa translata sunt. Sic enim in Regum III. cap. VIII. *Venerunt inde cuncti senes de Israel, & tulerunt Arcam sacerdotes, & portaverunt Arcam Domini de civitate David, id est de Sion, & Tabernaculum fœderis, & omnia vasa Sanctuarii, quæ erant in Tabernaculo, & intulerunt sacerdotes Arcam fœderis Domini in locum suum, in Oraculum Templi, in Sanctum Sanctorum subter alas Cherubin. Siquidem Cherubin expandebant alas super locum Arcæ, & vectes ejus desuper. In Arca vero non erat aliud, nisi duæ tabulæ lapideæ, quas posuerat in ea Moyses in Horeb, quando pepigit Dominus fœdus cum filiis Israel, cum egrederentur de terra Ægypti.* Quibus rebus perfectis rex populo benedixit, & preces ad Deum super Templum fudit: quæ propter longitudinem omittuntur. Ac facto sacrificio *Templum dedicavit, ac medium atrii sanctificavit, quod erat ante Templum. Quippe fecit Holocaustum ibi, & Sacrificium, & adipem Pacificorum, quoniam altare æreum quod erat coram Domino, minus erat, & capere non poterat Holocaustum, & Sacrificium, & adipem Pacificorum. Inde apparuit ei Dominus dicens: Exaudivi orationem tuam. Sanctificavi domum hanc, quam ædificasti, ut ponerem nomen meum ibi in sempiternum. Tu quoque si ambulaveris coram me, sicut ambulavit pater tuus, in simplicitate cordis, & in æquitate, & feceris omnia quæ præcepi tibi, ponam regnum tuum regni Israel in sempiternum. Si autem aversione aversi fueritis vos & filii vestri, non sequentes me, sed colueritis Deos alienos, auferam Israel de superficie terræ quam dedi, & templum quod sanctificavi nomini meo, projiciam a conspectu meo.* Adjicitur etiam illud, Salomonem inde ter quotannis obtulisse Holocausta & Pacificas victimas super altare quod ædificaverat Domino, & adolevisse thymiamata coram Domino, significat autem Pascha, Pentecosten, & Tabernacula, ut post docebimus.

Mortuo Salomone Hieroboam filius Nabat ex tribu Ephraim traductis ad se decem tribubus regnum contra Roboam filium ejus invasit, quod Israel appellavit, & ne populus suus desiderio Templi Hierosolymitani captus a se aliquando deficeret, ipse a

Deo

Deo defecit, cunctoque populo ab avita Dei religione ad idolorum cultum averso [7] duos vitulos, ut duodecimo tertii Regum narratur, consecravit, unum in Bethel, alterum in Dan, atque altare ibi erexit. Quem sequuti reliqui deinceps reges Israel certatim in eadem impietate manserunt. Quare Deus permisit Osee regem captivum cum omni populo a Salmanassare rege Assyriorum abduci.

Eadem ratione reges Judæ [8] Templum non omni, qua decuit, sanctitate habuerunt. Quin etiam Athalia, sive Gotholia regina, studio impietatis ipsum corrupit. Quod ut successor ejus Joas nepos cognovit a Jojada pontifice in Dei pietate educatus, ipsum instaurari præcepit, atque ita exacta a Judæis legitima pecunia, atque ei rei gazophylacio, de quo postea dicemus, instituto refecit: ut in Regibus & Paralipomenis scriptum est. Inde res eo vecordiæ processit, ut sacris ritibus templi neglectis Achaz rex ipsum etiam Templum & vasa ejus polluerit. Quare Ezechias post ad populum ita dixit: *Patres vestri avertere facies suas a tabernaculo Domini, clauserunt ostia quæ erant in porticu, & extinxere lucernas, incensumque non adolevere, & holocaustum non obtulere in Sanctuario Deo Israel.* Atque his dictis mandavit, ut *mundarent templum, & vasa ejus quæ rex Achaz polluerat*. Successit inde Josias, qui Templum iterum instauravit. Sic enim narratur de illo in Regibus: *Præpositi domus Domini distribuant pecuniam exactam iis qui operantur in templo Domini ad instauranda sarta tecta templi.* Non multis vero post annis Judæi, urbe temploque a Nabucdonosore incensis, in Babyloniam abierunt: manseruntque (ut inquit Osee cap. II. [9] sine Sacrificio, [10] sine altari, [11] sine Ephod, & [12] sine Theraphim per annos LXX. Quibus exactis, ipsis permissu Cyri regis Persarum in solum patrium restitutis, Josue Pontifex, & Zorobabel Princeps erexerunt altare in solo Hierusalem, ut offerrent Holocausta. Inde novi Templi fundamenta jecerunt. Verum mox [13] a Samaritis hostibus impediti opus intermittere Cambysis regis jussu coacti sunt. Itaque vix post annos quadraginta sex rege [14] Dario Hystaspis filio concedente consummaverunt, ac dedicarunt: ut Esdræ quarto, quinto, & sexto narratur. Hoc vero Templum secundum multis verbis [15] ab Ezechiele descriptum, multis rebus primo [16] inferius fuisse a Talmudicis dicitur. Primum enim divina præsentia [17] caruit, quæ ad Propitiatorium responsa, ut suo loco dicetur, edebat; deinde Spiritu sancto, qui prophetas afflare desivit, cum ultimus Malachias sub Dario fuerit; tertio igne sacro, qui in aquam concretus inventus est: quarto lapidibus, qui in Rationali Pontificis erant, quorum conspectu Sacerdotes occulta intelligebant; quinto Arca, & Propitiatorio, & duobus Cherubim Arcæ hærentibus, quæ inventa fuisse illi negant, ut supra diximus. Post aliquot inde annos re Judæorum ab Ægyptiis Regibus ad Syros traducta, [18] Antiochus Epiphanes Rex Syriæ Hierosolymam ex Ægypto accitus a Tobiæ filiis, quos per seditionem Onias pontifex urbe dejecerat, venit, *& intravit [19] in Sanctificationem cum superbia, & accepit altare aureum, & candelabrum luminis, & universa vasa ejus, & mensam propositionis, & libatoria, phialas, & mortariola aurea, & velum, & coronas, & ornamentum aureum, quod in facie templi erat, & comminuit omnia: ac biennio post reversus ædificavit abominandum [20] idolum desolationis super altare* Dei, id est (ut tradit Josephus) ipsum [21] Jovi Olympio dedicavit, atque Onia pontifice interfecto, [22] Alcimum pontificem ex non pontificali genere fecit, Maccabæorum primo. Verum biennio post Judas Assamonæus cognomine Maccabæus Princeps Judæorum exortus, urbe recepta, ipsum Templum mundavit, atque omnia in antiquum statum redegit, ipsa abominatione sublata. Siquidem, ut ibi scriptum est, cum pulsis hostibus dixisset: *Ecce nunc contriti sunt inimici nostri, adscendamus nunc mundare Sancta, & dedicare: adscenderunt in montem Sion, viderunt Sanctificationem desertam, & altare profanatum, & portas exustas. Tunc ordinavit Judas viros, ut pugnarent adversus eos qui erant in arce, donec emundarent Sancta. Et elegit sacerdotes sine macula, voluntatem habentes in lege Dei, & mundaverunt Sancta, & tulerunt lapides contaminationis in locum immundum, & destruxit altare holocaustorum, quod profanatum erat, ne forte illis esset in opprobrium, quia contaminaverant illud gentes: & reposuerunt lapides in monte domus in loco apto, quoad usque venisset propheta, & responderet de eis. Et acceperunt lapides integros secundum legem, & ædificaverunt altare novum secundum illud quod fuit prius, & ædificaverunt Sancta & quæ intra domum erant intrinsecus, ædem, & atria sanctificaverunt. Et fecerunt vasa sancta nova, & intulerunt candelabrum, & altare incensorum, & mensam in templum, & incensum posuerunt super altare, & accenderunt lucernas quæ super candelabrum erant, & lucebant in templo: & posuerunt super mensam panes, & appenderunt vela, & consummaverunt omnia opera quæ fecerant. Et ante matutinum surrexerunt quinta & vicesima die mensis Casleu, mensis noni, & obtulerunt sacrificium secundum legem super altare holocaustorum novum quod fecerunt secundum tempus, & secun-*

ſecundum diem, in qua contaminaverant illud gentes, in ipſa dedicatum eſt in canticis. Et fecerunt dedicationem altaris diebus octo, & obtulerunt Holocauſta cum lætitia, & ſacrificium Salutaris ac Laudis. Et ſtatuit Judas, & fratres ejus, & univerſa eccleſia Iſrael, ut agatur dies Dedicationis altaris in temporibus ſuis ab anno in annum per dies octo a quinta & viceſima die menſis Casleu cum lætitia. Et ædificaverunt in tempore illo montem Sion, & per circuitum muros altos, & turres firmas, ne quando venirent gentes, & conculcarent eum, ſicut antea fecerunt: & collocavit illic exercitum, ut ſervarent. [23] Poſtremo Herodes rex Templum reædificare, atque altius excitare cupiens, ad Judæos locutus ſui conſilii ſic rationem explicuit: *Noſtis, templum hoc a patribus noſtris ædificatum, cum e Babylonia revertiſſent. Et quia deſunt ei ad altitudinem cubiti ſexaginta ad inſtar illius quod Salomon conſtruxerat, nemo negligentiam pietatis noſtrorum parentum accuſet, quia non culpa illorum factum eſt brevius templum. Sed Cyrus, & Darius Hyſtaſpis filius hujuſmodi menſuram ædificationis fieri præceperunt. Quibus illi ſervientes, vel ſucceſſoribus eorum, & poſt illos Macedonibus, non habuerunt aptum tempus, quo ad ejuſdem antiqui formam iſtius menſuram perducerent.* Inde addidit ſe velle inchoatum opus corrigere, & integrum Deo præbere. Itaque paratis rebus omnibus ad tantum opus neceſſariis, Templo diſturbato in iiſdem fundamentis nova impoſuit, & ſuper ea templum excitavit, longitudine centum cubitorum, latitudine totidem, altitudine centum viginti. Oſtendit inde Joſephus hujus hiſtoriæ auctor libro Antiquitatum VII. magnificentiam hujus operis multis verbis, poſt alio loco ſitum cum turri munita, his: *Collis erat ſaxoſus paulum erectus a parte Orientali civitatis, pronus ſuper arcem, quam dudum rex Salomon per Dei providentiam magnis operibus muro circumdederat ab inferioribus incipiens, quem vallis altiſſima circumdabat, a latere Aqulonis turris alta, quam ante Herodem reges Aſſamonæi conſtruxerant,* [24] *& Barin nominarant, ut illic ſacerdotalem ſtolam deponerent, qua, cum opus eſſet, ut ſacrificaret, pontifex induebatur. Hanc vero Herodes ſervavit, quo mortuo ſub Romanis fuit uſque ad tempora Tiberii Cæſaris. Ea enim a Tiberio reddita eſt inſtante Vitellio Syriæ proconſule, cum Hieroſolymam profectus benigne a populo eſſet ſuſceptus. Eam vero turrim Herodes muniens ad templi cuſtodiam in gratiam M. Antonii Triumviri amici ſui Antoniam appellavit. Ex adverſo templi ipſa urbs in modum theatri ſtabat circumdata valle altiſſima per omnem auſtralem tractum. Hæc uno anno & quinque menſibus ab Herode perfecta ſunt. Anno regni ejus octavo decimo dedicatio templi ipſo regis die natali magna lætitia celebrata eſt.* Hæc Joſephus libro XV. Sunt autem, qui templum ab Herode non refectum, ſed auctum, vetere conſervato, putent, atque a Joſepho ipſo falſa relata eſſe; quia Judæi poſt exceſſum Herodis, cum audiſſent, Jeſum dicentem: *Solvite templum hoc, & in tribus diebus ego ſuſcitabo illud*, reſponderunt: *Quadraginta ſex annis ædificatum eſt templum*, nunquam ita dicturos aſſerentes: ſi verum fuiſſet, templum illud [25] intra biennium ab Herode conſtructum, nam ea verba convenire Templo, quod Zorobabel ſub Cyro inchoaverat, & ſexto anno Darii poſt annos ſex & quadraginta abſolverat. Quorum opinionem ego non approbo. Neque enim tantæ temeritatis hominem eſſe puto, qui ea ſcribat de re præſertim inſigni, quæ multorum etiam viventium redargui teſtimoniis poſſit, neque enim Joſephus longe ab Imperio Auguſti Cæſaris abfuit, ſub quo Templum Herodes ædificavit, aut Tiberii, ſub quo Judæi hæc dixerunt. Verum Judæi, cum redarguere Chriſtum vellent, & ſcirent, Templum primum a Salomone conditum ſpatio ſeptem annorum, ſecundum a Zorobabele quadraginta ſex, tertium ab Herode unius anni, & paullo amplius; neque primum, neque tertium nominarunt, ut ea quæ parum cauſſæ ſuæ faverent, ſed ſecundum: multo, enim longius abſunt tres dies a quadraginta ſex annis quam ab uno. In morte inde Chriſti [26] Velum Templi ſciſſum eſt a ſummo ad imum. Caligula inde Imp. ſynagogas Judæorum ad ſui ipſius cultum traduxit, & ſuis ſtatuis exornavit, ac Templum ad eam uſque diem inviolatum ſuo nomini dedicavit, ex quo apparuit, vocem, quam Judæi temere coram Pilato effuderant, cum ſe neminem Regem habere, niſi Cæſarem, dicerent, merito in illorum jam capita recidiſſe: ut ſcribit Joſephus. Ad extremum Veſpaſiano imperante ſuborto ex defectione bello, Titus Cæſar, urbe expugnata, [27] ſive invitus, ſive volens hoc [28] Templum incendit eodem die, quo a Babyloniis olim fuerat inflammatum. Quam cladem pluribus verbis Joſephus memoriæ prodidit. Hadrianus inde Imp. Judæos [29] rurſus rebellantes ſubegit, ac [30] captam urbem ſolo æquavit, ac reliquias Templi igne delevit. Tumque demum Jeſu Chriſti vox divina completa, qua dixit, fore, ut Hieroſolymis lapis ſuper lapidem non remaneret. Hadrianus autem Templum Domini ad tollendam religionem terra obruit, ac Templum aliud Veneri dedicavit: ut Euſebius ſcripſit. Quare S. Paulinus ad Severum ſcripſit: *Ubi ſacra nati Salvatoris infantia vagierat, illic Vene-*

ris lamenta fingentium lascivis luctibus infamis ritus ululabat ; & Severus in Historia : *Hadrianus existimans se Christianam fidem loci injuria peremturum , in Templo ac loco Dominicæ passionis dæmonum simulacra constituit* . Hoc autem idolum Daniel cap. IX. vocavit [31] Abominationem desolationis, cum dixit : *Et erit in templo abominatio desolationis , & usque ad consummationem & finem perseverabit desolatio* . Neque enim hæc verba in desolationem Epiphanis conveniunt.

NOTÆ AD CAPUT QUINTUM.

[1] *Templum constructum est.*) Templum prout in generali significatione sumimus , & singulum locum diis attributum notat *Varro lib. 6. de Ling. Latin. a templando* deducit vel *tuendo* nomen habet , & triplici gaudet significatione . 1. Significat cœlum. 2. Denotat certum locum in aere vel terra , quem Augures explanandorum auguriorum causa definire solebant : & hoc templum dicebatur, quia ex omni parte conspici poterat . 3. Significat locum sub terra : quæ significatio inde nata est , quod antiquis cippi seu tumuli amicorum defunctorum pro templis religiose colerentur. *Gyrald. Syntag. 17. histor. Deor. Non. Marcell. c. 6. n. 92.* Et in eo significatu vocem templi accipit *Arnob. lib. 6.* Præter hæc significat quoque *Ædificium* Deo consecratum , in quo ipse colitur & religiose adoratur *Luctat. Placid. ad lib. 1. Stat. Papin. Thebaid. v. 643.* Templa itaque bene a templando dicebantur, quia in locis altis ædificari solebant , e quibus poterant templari omnia loca vicina, & quia ipsa ex aliis locis poterant videri : Inprimis Templum Hierosolymitanum , quod in Monte *Moriah* ædificatum erat . Altior quidem erat mons Sion ; sed ædificato templo non poterant e monte Sionis inspicere in templum , sed potius e templo in omnia loca . Idem probat *Schol. Terent. Calpurn. ad Heaut.* his verbis : Antiquitus omnis locus, qui ab omni parte adspici poterat , templum appellabatur . Apud Christianos *ædes sacræ* , rarissime *templa* vocabantur , ideo quia hoc nomen Ethnicis sacrum ; sed vel appellabant Κυριακὰς Kirchen vel *Domus & Dominicas* Dom, vel *Monasteria* Munster. Vid. *Hildebr. de Sacr. prim. Eccles. cap. 2.* Judæi templo Hierosolymit. varia nomina imponebant . Vocatur בית המקדש *Domus Sanctuarii*. בית הבחירה *Domus electa* : בית העולמים *Domus seculorum* ; quia ex illo non fuit translata Arca sicut ex Gilgal &c. uti ex *Cherit. c. 1. v. 7. Ketubhot. cap. 3. Tosapht.* recenset *cl. Otho. in lexico Philolog. Rabbin. p. m. 637.* Sunt etiam qui asserunt , *Templa* quoque *Fana* dicta . *Fanum a fando* dicitur , quod dum Pontifex dedicat, certa verba facit. *Varro lib. 5. de LL.* Quamvis *Servius* ad *lib. 2. Æneid. Virgil.* derivari malit a *Fauno* , quod is primum fana condere cœperit . Vid. *Voss. de Idol. 1. 12.* Alii , qui absone per PH. scribunt minus convenienter ἀπὸ φανερῦ item a φαίνω deducunt , quibus miramur saniorem criticum *Vossium* calculum addidisse. Verum priusquam hinc abeamus , quærimus , quando ædificari cœperint templa . Ubi sane diversorum Scriptorum sententias fuse adduxit cl. *Saubert. de Sacrif. cap. 14. pag. m. 320. 321.* qui evolvendus. Sunt etiam qui dicunt Deucalionem primum ædificasse, ut *Lucian. de Dea Syr.* qui tamen simul fatetur Ægyptios fuisse primos eorum ædificatores. De *Deucalione* autem videtur orta fabula ex eo , quod *Noachus* post diluvium exstruxerit *aram* : per *Deucalionem* autem *Noachum* indigitari , demonstrant multi viri eruditi . *Joseph. de bell. Jud. lib. 7.* dicit , fuisse *fanum* aliquod *Hierosolymis* ante ædificatum Templum *Salomonis*. Quod si verum est, potest dici , forte fuisse fanum Melchisedeci , qui cum fuerit Sacerdos , etiam locum habuisse , in quo sacrificavit, necesse est . *Muhammedani* teste cl. *Hottingero in histor. Orient.* tradunt , Templum Salomonis ædificatum per Dæmones, qui ad illud exstruendum usi fuerint certo aliquo verme : quod fere convenit cum fabula *Talmudicorum*, qui, cum legatur in ædificatione templi non auditum esse sonum mallei aliorumque instrumentorum, putant , omnia polita esse verme , quem שמיר vocant . Hujus virtute & tactu dedolarunt & diviserunt lapides ad ædificium templi destinatos , nullum enim adhibuerunt ferrum . *R. Solom. Esa. 56. Kimch. 1. Reg. 6. 7.* Quidam dicunt hunc vermem Salomonem ab *Asmodæo* Diabolorum principe impetrasse *Gittin. fol. 68. 1.* Alii vero Aquilam illum ad *Salomonem* asportasse : ut *Kimchi* conf. *Pirke avoth. c. 5. Sotah. c. ult. cl. Samuel. Bochard. in Hierozoic.* Ubi plurima videri possunt. Verum fabulæ Rabbinorum sunt . Potius dicimus nullum auditum fuisse sonum, quia ligna & lapides præparata in illis locis fuerunt , ubi excisa , ut sic omnia fierent leviora & facilius in urbem inferri possent . Licet alii statuant , hanc ob causam factum, quod ferrum sit instrumentum duelli & mortis ; hinc Deo non placuisse ejusmodi instrumenta adhibere ad exstruendum templum . Huc referenda etiam sunt verba *Ciceron. lib. 2. de Legib.* dicentis: *Æs & ferrum arceto a delubris duelli instrumenta , non fani* . Verum vix hæc sententia stare potest , quippe impossibile plane , ut absque instrumento tantum magnificentiæ opus confici potuerit, quicquid dicat *Philip. Picinelli fol. 261.* quod calce conglutinarint simpliciter.

[2] *In medio pellium.*) Veteres solebant cubare in pellibus , quod & de Deo dici solet , quia Tabernaculum tectum erat pellibus. *Johan. Braun.* in dictatis ad Sigonium , cujus plagulam in hunc locum perspicere licuit (& utinam ut cæteras possiderem) statuit : Primum tegumentum arcæ fuisse ex lino & lana ; sed unde probabit? Legimus de tegumentis Tabernaculi *Exod. 26. 7.* quod fuerint *pelles* , non autem linum & lana. Id quod celeberrim. *Witsius in Miscell. pag. m. 407.* satis probavit his verbis: extimum Tentorii tegmen factum ex pellibus arietum rubefactis & *operimentum* e pellibus melium superne . *Exod. 26. 11.* Confer. *Henric. Ainsworth. Comment. in h. l. f. m. 105.* aliisque in locis.

[3] *Quod si vir bellator* .) Nullus etiam Romanorum antiquissimorum templum ædificare poterat diis suis in honorem, qui sanguinem hominis fuderat & bellator fuerat ; sed debebat esse homo pacificus, tunc illi licitum erat. Hoc quoque Deus observare voluit ; nam *Salomo* is erat, qui homo pacificus re & nomine , exstructurus Domum Dei. Eadem fere recenset nobis *Don Philip. Picinell. de i lumi riflessi part. 2. fol. m. 292.* his verbis: *Avvenne lo stesso per l'appunto a Geiza, Duca dell' Ungheria , che poi fu padre di S. Stefano Re degli Ungari, poichè mentre disegnava, è risoleveva d'edificare un tempio, Iddio comparsogli in visione gli disse* : Habes manus sanguine pollutas: sed filius tuus *Stephanus* id faciet , ideoque in præmium primus Hungarorum Rex coronabitur uti reportat *Surius in vit. Stephan. lib. 20.* Quare templum a Principe pacifico & Rege clementissimo ædificandum Salomone , cujus vestigia pressit *Titus* teste *Svetonio cap. 9.*

[4] *In monte Moria.*) Vix dici poterit, quantopere interpretes in hujus nominis originatione diffideant. R. *Bechai comment. ad Genes. cap. 22. fol. 30. col. 2.* scribit: *Mons Moriah Hierosolymam denotat . Vocat vero Deus sanctus benedictus totam terram hoc nomine, quia mons Moriah in ejus medio erat situs. Quod vero Hierosolyma mons vocatur, id fit illa significatione , qua dicitur* Cantic. 4. 6. *Ibo ad montem* המור *myrrhæ. Cinnamomum & aromata bona ibi nascebantur* . Verum hanc opinionem rejicit *Joh. Frischmuth.* in dissert. de ligat. *Isaaci. edit. Jenens. 1666.* ubi & alias adducit *Interpret.* sententias de *Moriah* monte, quas benevol. lector ibi videat . Conf. *Joh. Henric. Othon. Lexic. Philolog. pag. 381. Henric.*

Ains-

Ainsworth. fol. 84. *in Gen. Lightfoot. Hor. Talm. p.* 46. 57. *edit. Lipſ. Otho. pag.* 637. *edit. Genev.*

5 *Septem annorum.*) Quod templum tantæ magnificentiæ & amplitudinis tam brevi temporis ſpatio exſtructum fuerit, mirandum eſſe videtur, cum vix intra hoc tempus requiſita apparari potuerint. Verum notandum, quod antea omnia fuerint elaborata adeo, ut nihil laboris impenderent, niſi tantum in exſtruendis & imponendis partibus templi. Magnum fuit diſcrimen inter hoc & templum *Epheſinum Dianæ* dicatum, quod magnitudine æque ac ſplendore ſuperabatur a templo Hieroſolymitano, & non niſi intra ccxx. annos exſtrui poterat a tota Aſia. Hoc ob operis magnitudinem & elegantiam inter ſeptem mundi miracula relatum. *Pancirol. lib.* 1. *tit.* 22. *pag.* 102. *rer. deperdit.* Hujus Architectus fuit *Cherſiphron. Strab. lib.* 14. *p.* 640. *Geograph.* & ducenti viginti anni iſtius ſtructura, quam tota fecit *Aſia*, elapſi ſunt. Verum de hoc audiamus *Plin. lib.* 36. *c.* 14. *p.* 716. *natur. hiſtor.* Magnificentiæ admiratio exſtat templum Dianæ Epheſiæ ducentis viginti annis factum a tota Aſia. In ſolo vero paluſtri fecerunt, ne terræ motus ſentiret aut hiatus timeret. Rurſus ne in lubrico atque inſtabili fundamenta tantæ molis locarentur, calcatis ea ſubſtravere carbonibus dein velleribus lanæ. Univerſa templi longitudo erat quadringentorum viginti quinque pedum: latitudo ducentorum viginti. Et licet hoc in paluſtri loco ædificatum; nihilominus multa templa tam vero, quam falſo Deo dicata montibus erant inædificata.

6 *De ornamentis.*) Hujus templi Hieroſolymitani ornamenta non ſolum erant plena ornamentis Tabernaculi, verum & multa excellentiora; Templum non ſolum e marmoribus & odoroſis cedris ædificabatur, ſed etiam totum auro tegebatur. Cui reſpondebat templum illud, cujus meminit *Olaus Magnus lib.* 3. *c.* 5. *Templum ad flumen Sala adeo magnifico apparatu conſtructum videbatur, ut nihil in ejus parietibus, laquearîis aut columnis niſi auro ſplendidum videretur. Tectum præterea totum auro fulgebat. Quo factum erat, ut templum in ampla planitie ſitum, admirando ſuo fulgore, venerandam Religionis Majeſtatem, acceſſuris ingeneraret.* Hic ſculpturæ exquiſitiſſimorum artificum conſpiciebantur. Loco unius candelabri, quod reperiebatur in Tabernaculo; in templo erant X. locoque unius menſæ in Tabernaculo obtinuere in templo X. Imo Sancto Sanctorum multo latiora erant in templo, quam Tabernaculo.

7 *Duos vitulos.*) *Gaffarell. in curioſitat. inaudit.* & *Moncæus* contendunt Jerobeamum non fuiſſe idololatram in eo, quod vitulos aureos erexerit in *Dan* & *Bethel*, quibus imitari voluit duos Cherubos templi, ſed fuiſſe Schiſmaticum. Verum impium eſt defendere & excuſare impium *Jerobeamum*, atque ipſum ab idololatria liberare. Hujus patrocinium ſuſcipiunt curioſitatis, vel ſi mavis vanitatis cauſa. Aſſerit quidem *Moncæus*, cum vitulus non brutum, non Apis Ægyptiorum, ſed ſymbolum gratiæ divinæ fuerit, vitulos Jerobeami ad ſimilitudinem Cherubinorum Moſaicorum, eorumque recordationem factos. Et hinc infert, *Jerobeamum* quia vitulos fecerat, & Samaritanos Idololatras non fuiſſe. Quot verba, tot figmenta veritati omnino adverſantia. Non enim vitulus Dei gloriæ ſymbolum eſt uti probat cl. *Michael. in annot. ad Caffarell. pag. m.* 77. 78. Nec Cherubinos fuiſſe expreſſe Scriptura affirmat. Quod ſi vituli *Jerobeami* aliquam ut nugatur *Moncæus*, cui aſſentitur *Gaffarell.* Cheruborum Moſaicorum inferunt recordationem, cur vitulorum erectum eſt ſimulacrum, cur non arcam? cur non Cherubos fieri curavit? Non illud intendebat, ſed ſolum revocare populum, ne ad ſacra Deo Iſraelis facienda Hieroſolymas adſcenderet & ad *Rheaboamum* relaberetur, cavebat, putabatque non minus coram vitulis & per illos coli poſſe verum Deum Iſraelis, quam Hieroſolymis coram arca ac Cherubinis.

8 *Templum non omni, qua decuit, Sanctitate habuerunt.*) Hebræorum reverentia erga templum maxima fuit, ſumma etiam fiducia in tribus ejus partibus, atrio, Sancto, & Sancto Sanctorum, quam oſtendebant trina illa exclamatione, *Jerem.* 7. 4. *Templum Domini, templum Domini, templum Domini, erat*; unde nullum flagitium majus apud illos committi poterat, quam templum injuria afficere. Hæc templa devenerandi ratio non ſolum apud *Judæos* viguit, ſed etiam apud *Gentiles*, quibus maxima quoque religio & pietas in templa fuit, vid. *Euſeb. lib.* 4. *cap.* 59. *in vita Conſtantin. Juſtinianus apud Procopium Cæſarienſem orat.* 1. *de ædif. Juſtinian. Nicephor. Gregor. lib.* 2. *hiſt. Bizant. Cocci lib.* 5. *tom.* 1. *Bellarm. lib.* 3. *cap.* 6. *de cultu Sanctorum. Cornel. a Lapid. Exod.* 25. 9. *Dempſter. ad cap.* 2. *lib.* 2. *Joan. Roſin.*

9 *Sine ſacrificio.*) Vocabulum זבח in ſenſu vel *lato*, vel *ſtricto* accipitur. Late ſumtum quævis ſacrificia, tanquam ſpecies, ſub ſe comprehendit: Omne enim Sacrificium ſive fuerit *holocauſtum*, *munus* vel *libamen*, vel *ſacrificium pacificum* &c. ſeu quæ eſt alia ſacrificiorum ſpecies זבח dicitur. Propheta autem hoc loco vocem זבח in ſenſu latiori exhibet, indicans filios Iſrael cunctis ſacrificiorum ſpeciebus atque etiam Sacerdotibus ea adminiſtrantibus carituros, id quod non obſcure, ſubinnuit *Chald. Et abſque ullo, qui ſacrificet ſacrificia accepta Hieroſolymis.*

10 *Sine altari.*) Hebr. ואין מצבה *abſque ſtatua*. LXX. Interpret. ſine dubio pro מצבה legentes מזבח verterunt: *οὐδὲ ὄντος θυσιαστηρίου non exiſtente altari*, cum alibi *στήλην Eſai.* 19. 19. & plur. *στήλας Hoſ.* 10. 1. reddere ſoleant. Sic vulgat. *ſine altari*. Textus Hebræus tamen ſuadet vertendum potius *abſque ſtatua*. Vox מצבה enim ex Particip. *Hiphil.* radic. in Conjug. Kal. inuſitatæ יצב Hiph. הציב *ſtatuit*, *conſtituit*, formata, *ſtatuam* ſeu *monumentum* ſignificat, cui reſpondet Chaldaicum קמא, קמתא ſtatua, quaſi a ſtando, unde ſtatua dicta a radici קום ſtetit. Inter מצבה & מזבי non ſolum quoad literas, ſed & re ipſa magnum diſcrimen. Nam מצבה ut ex collatione locorum Scripturæ patet uno tantum lapide, מזבי pluribus conſtabat; מצבה vel in honorem Dei, ad effundendum vel libandum in ea oleum, vel in fœderis initi confirmationem, vel in perpetuam perennemque mortuorum, & rei alicujus proſpero ſucceſſu geſtæ memoriam erigebatur: מזבח autem ad offerendas in eo oblationes. Quandoquidem vero ſtatuæ illæ poſtmodum, ut ſunt homines ad mala procliviores, non modo a gentilibus, verum etiam ab ipſis Judæis ad cultum idololatricum abreptis honore divino afficiebantur, hinc videas in S. Codice מצבה non tantum in bonam partem accipi, quando ſcil. in dictis locis de ſtatuis ob fines non culpandos erectis adhibetur; ſed & in malam partem, cum ſtatuas in honorem idolorum erectas, vel ipſa idola ſuper ſtatuas collocata notat. Atque inde patet Prophetam per זבי verum per מצבה autem falſum cultum intellexiſſe, id quod teſtantur *R. D. Kimchi in h. l. Nullum erit ſacrificium Deo*, i. e. quod Deo offeratur, & *nulla ſtatua pro idolis*. Indicat autem Judæos, ſicut veræ ita falſæ religionis cultu eſſe privandos; quia tum temporis neque Deo ſint ſacrificaturi, neque ſtatuas erecturi.

11 *Sine Ephod.*) Ita plerique Interpretes vocem Hebræam retinent, dubio procul, quia commodam vocem Latinam, quæ veſtimentum hoc plene deſcriberet, non invenerunt. LXX. in *Exod.* & *Levit.* reddunt *ἐπωμὶς* ſuperhumerale; *Aquila ἐπένδυμα* ſuperindumentum. Leibrock. Tremell. & alii: *Amiculum* quaſi ab amiciendo dictum. Quæ tamen voces cum in uno ſaltem tertio aliquo, aliis etiam veſtibus communi, de אפוד dici poſſint, formam ejus non exprimunt. Sic neque *R. Salom. Ben Melech in* מכלל יפי *ad Exod.* 28. 8. Illud plene deſcribit, dum dicit: על שם החגורה נקרא האפוד אפוד *propter cingulum* i. e. quia cingulo colligatur, *dicitur Ephod Ephod.* Radix hujus vocis eſt אפד *amicivit*, *induit*, *operuit*, *accinxit*. Fuit autem *Ephod* præſertim illud, quod a ſolo Summo Pontifice gerebatur non veſtis talaris, manicis ornata ut putat *Joſeph. lib.* 3. *antiq. Judaic. c.* 8. ſed veſtimentum extimum breve in lateribus ſciſſum & abſque manicis conſtans. de quo plura videri poſſunt apud. cl. *Braun. de veſt. Sacerd. pag.* 110. *ſeq. Friſchmuth. de re veſtiar. Pontif. Henry. Ainſworth. comment. in Exod. Clod. in diſſ. an ſperanda ſuperſit inſignis* Judæor. *converſio.*

12 *Sine Theraphin.*) Dictæ ita idololatricæ imagnes, quia reſponſa percontantibus dederunt, vel

signo vel verbo. Quid autem תרפים fuerint, ea de re variæ Doctorum tam Christianorum, quam Judæorum exstant opiniones, quas omnes recensere supersedemus. Ex Scripturæ evolutione & collatione patet, quod תרפים fuerint imagines idololatricæ domesticæ sive Lares forma humana ex materiis diversis, argento, auro, vel aliis fabricatæ, quæ de rebus dubiis & futuris consultæ, arte diabolica responsa petentibus dedere. Plura qui desiderat, evolvat B. Dilherr. *dissert. de Teraphim. Athan. Kircher. Oedip. Ægypt. Tom.* 1. *Syntag.* 4. *c.* 3. *Pfeiffer. dub. & diss. de Teraphim. Selden. de diis Syr. Syntag.* 1. *c.* 2. *pag.* 69. *seq. Beyer. annot. Gregor. Michael. not. in Jacob. Gaffarelli curiositates edit. Hamburg.* 1676.

[13] *a Samaritis hostibus.*) Samaritani post schisma Judæis fuerunt infensissimi, quapropter etiam his post reditum e captivitate Babylonica secundi templi structuram prohibere conati sunt. Dicitur Judæos ex timore præ Samaritanis in exstruendo templo secundo una manu laborasse, adeoque instrumenta ædificandi tenuisse, altera vero gladium ad arcendum hostes Samaritanos paratum habuisse *lib.* 2. *Esdræ c.* 4. Simili modo fecisse alias gentes affirmat *Don Picinell. de* 1. *lumi riflest. part.* 2. *fol. m.* 304. *edit. Milan* ex aliis Scriptoribus his verbis: *Con simile forma Canace appresso Ovidio ep.* 11. *Heroid.* diceva a *Macareo.*

Æolis Æolidæ quam non habet ipsa salutem
Mittit & armata verba notata manu.
Dextra tenet calamum, strictum tenet altera ferrum,
Et jacet in gremio charta notata meo.

Simili agl' Israeliti furono i popoli delle Spagne, i quali travagliati da i Saraceni; o si portassero al tempio, ad orar Iddio; o al campo, a coltivar la terra, semper havevano l' armi alle mani, pronti a reprimere la violenza dei barbari.

[14] *Dario.*) Licet postmodum adversariorum molitionibus clandestinis fabrica templi ad *Darii* usque tempora sufflaminata fuerit, edictum tamen integrum mansit ex parte Cyri. Ut enim R. *Asarias* scribit *cap.* 33. quem citavit *Frischmuth. in dissert. de* LXX. *hebd. Daniel.* §. 18. Impediverunt structuram inscio Cyro, eoque bello Massagetico occupato, quo etiam mortuus est. Atque ut idem *c.* 18. *p.* 84. loquitur. Cyrus inchoavit, mandato suo, liberos dimittendo, cum licentia ædificandi licet opus haud expoliverit. Darius autem, cum *Cyrus* ei signi loco fuisset, templum absolvit.

[15] *Ab Ezechiele.*] *Villalpandus* & cl. *Vitringa* putant hoc templum ab *Ezechiele* descriptum fuisse templum Zorobabelis. Alii autem & præprimis cl. *Coccej.* monstrant contrarium, docentque describi templum Spirituale seu Ecclesiam Nov. Test.

[16] *Inferius.*) Sunt quidam Rabbinorum, qui gloriam templi secundi nimis extollunt, uti R. *David Kimchi* ex *Talmud Massech. Bava Bathra* teste *Frischmuth. in dissert.* de glor. Templ. secundi. Verum has opiniones §. 16. *cit. loc.* rejicit, rationibus additis, quod templum hoc multo inferius fuerit, ita, ut haud cum Templo Salomoneo conveniat. Celeber. *Dassov.* in *Colleg. Mso ex Maimonid. de dom. elect. c.* 4. *n.* 2. refert, quod structura templi primi a structura templi secundi distincta fuerit, nempe in primo paries erat inter templum & Sanctum Sanctorum ad crassitiem cubiti unius & velum unum; sed in secundo templo erant duo vela ante Sanctum Sanctorum suspensa, & inter illa relictum spatium unius cubiti; Templum primum altius fuerit secundo.

[17] *Caruit.*) Ipsi Judæi fatentur quinque in templo secundo defuisse vid. Ignis cœlestis, Arca fœderis, Urim & Thummim, oleum unctionis ac Spiritus Propheticus, de quibus in *Talmud. Hierosolymit. Tit. de jejun. fol.* 95. Hinc R. *Asarias* ex vers. *Frischmuthi*: Gratiosa Dei præsentia & quinque res, quæ secundum Doctores nostros in templo primo fuerunt, in secundo non item. Ita etiam in *Massech. Jom. Gemar. c.* 1. *Sabbaoth jamim fol.* 21. *col.* 1. *edit. Venet.* Dixit Raf Samuel Bar Enia: Quare in verbis istis Prophetæ Hagg. 1. v. 5. Et delectabor in ea & glorificabor: scriptum est ואכבר legitur tamen ואכבדה cum ה Paragogico? Quid docet deficiens He? Quinque res, quæ fuerunt in Sanctuario primo, & non fuerunt in Sanctuario secundo &c. Quem Talmudis locum adducit *Abarbanel in suis ad Hagg. commentariis l.* 277. *col.* 4. Sapientes nostri benedictæ memoriæ docent, He illud deficiens in voce ואכבר indicare quinque res, quæ fuerunt in Sanctuario primo. Habebant tamen quædam sub templo secundo ad imitationem eorum, quæ fuerunt sub templo primo, licet non prorsus fuerint eadem. De arca illud probabile est ex arcu triumphali Titi, in quo conspicitur simile quid alicui arcæ vid. *Braun. l.* 2. *c.* 25. §. 14.

[18] *Antiochus ex Ægypto venit.*) Observanda hic de Antiocho Chronologia, quam explorare oportet, ut sciamus, quando is scil. Templum deprædatus sit: Magna siquidem hic lis inter Chronologos externos & sacros. Constat enim ex lib. 2. Maccab. cap. 5. non prius Antiochum templum prophanasse, quam absolverit secundam expeditionem in Ægyptum. At si Scriptoribus externis, præsertim Tito Livio fidem habeamus, secundus Antiochi reditus incidit in annum *Græcor.* 145. *Narrat enim lib.* 45. seu ut *alii lib.* 5. *decad.* 5. *C. Popilium Lænatem Romanorum Legatum, qui simul cum C. Decimio & C. Hostilio, Roma missus fuerat ad finiendum inter Ptolomæos & Antiochum bellum*, non prius in Ægyptum venisse, quam ad Delum audisset victum Perseum & debellatum in Macedonia esse. *Factum* autem hoc est *anno urbis condit.* 586. ante Epocham Christi 168. Ergo sacra historia biennio dissidet a Romana. *Salianus* 143. Græcorum anno Antiochi expeditionem in Ægytum factam esse asserit, *Serrarius* vero contemta Livii authoritate *in commentar. ad Macchab.* docet, Hierosolymam spoliatam anno Græcor. 143. & quidem post secundam Antiochi expeditionem in Ægyptum. vid. plur. *apud Redan comment. ad lib. Machabæor. fol. m.* 230.

[19] *In sanctificationem.*) Hoc vocabulo templum sæpius significari docet *Esaias cap.* 64. 11. *Jerem. cap.* 51. 51. *sed & David* templum sanctificationem appellat. *Psalm.* 74. 7. & 78. 70. *Ezech.* 37. 28. *Græce ἁγίασμα.* Et aptissime hoc verbo templum significatur 1. quia res erat Deo sanctificata, juxta Hebraismum Deo dicata. *Secundo* quia locus erat pedum Dei sedentis super Cherub. *Esa.* 6. 3. 3. Quia in eo Dominum sanctificabant & laudabant ministri Domini, sanctumque esse religioso cultu significabant: Hanc sanctitatem Deo ita tribuunt, ut nulla eum attingere queat pollutio. De hoc attributo loquitur autor *lib. Cosri. Ser.* 4. *p.* 32. וקריש כנוי שהוא נקרש ומרומם מהשתחוות לו מרה מפורת הברואים ואם יקרא בהם הוא דרך העברה ועל כן שמע ישעיהו קרוש עד אין תכלית והטעם שהוא נקרש. ומרומם משתשת שינהי מאומה משמאות העם אשר ישכון כבורו ביניהם וכן ראה אותו על כסא רם ונשא ומכוין בקרש ה הרוחני אשר לא יתגשם ולא בו דבר ממה שיתלה בגשמים. Sanctus *Epitheton habet, quia separatus & altior est, quam ut ei accommodari possit proprietas ulla creaturarum; quibus si appelletur, improprie illud fit. Unde audivit Esaias; Sanctus, Sanctus, sine fine. Sensus autem est, Deum adeo segregatum & exaltatum esse, ut nulla eum attingere queat pollutio populi, quem inter habitat gloria ejus. Et sic vidit ipsum sedentem super throno excelso & alto. Innuit autem sanctitas spirituale quid, quod non incarnatur (vel cui nihil inest corporeitatis) cuique nihil plane adhæret, quod corporibus adhærere solet.* 4. Quia locus erat orationibus, ceremoniis, sacrificiis & Sacramentis administrandis destinatus, indeque vocatus locus habitationis Dei, seu Throni: teste Maimon. 1. c. 9. Ἁγίασμα autem est nomen verbale, ut observat *Lorinus Ps.* 95. 6. æque ac *sanctificatio* apud Latinos, quibus novum non est, actionis nomine locum significare, in quo ea exercetur actio, vocant namque cœnationem & ambulationem locum in quo homines cœnant & ambulant. Nec nostræ conjecturæ obest, sed potius favet, quod ipsa sacrificia sanctificationis nomine nonnunquam significentur, ut docet *D. Thomas*, *Rabanus* & alii.

[20] *Idolum Desolationis.*) Quæritur hic quid per hoc Idolum intelligatur. Dictum Idolum desolationis ab Antiocho erectum, non quod templum desolatum, aut eversum fuerit, sed primo quod effecerit ut

ut templum ex glorioso ad vile traduceretur, vel etiam ut ab usu sacro ad prophanum conversum sit 2. quia alia similia idola causa fuerunt perditionis & ruinæ primi templi & Israelitarum. 3. Quia Daniel Propheta sæpissime Antiochi impietatem abominabilis desolationis prædixit. Verum an hoc re ipsa ita se habeat, vix crediderim. Quæro igitur, an Propheta intelligendus sit de abominando idolo desolationis ab Antiocho ædificato? & an in omnibus quatuor capitibus scil. *cap.* 8. 13. *cap.* 9. 27. *cap.* 11. 31. *cap.* 12. 11. de hoc idolo agatur? His quæstionibus ut fiat satis, has conclusiones pono 1. Danielem cap. 8. per peccatum desolationis non intelligere idolum abominandum, sed primum Antiochi ingressum. Hæc conclusio, quanquam opinioni *Lyræ*, *Dionysii*, *Vatabli* & *Hieronymi* repugnare videatur, attamen a Scriptura confirmatur, utpote quæ ait, Angelum quærentem, quousque durare debeat φάσμα de quotidiano sacrificio, hoc accepisse responsum, a vespera ad crastinum numerantur dies bis mille trecenti, qui dies numerum hunc implent. 2. Daniel non Anti-Christum, ut existimant *Irenæus lib.* 5. *cap.* 25. *Hilar. Matt.* 24. *Ambros. lib.* 10. *in Lucam*, neque idolum ab *Antiocho* erectum, de quo alio loco agetur, sed abominandum aliquod spectrum a Romanis exhibitum intellexisse. 3. Conclusio spectat ad abominationem & devastationem factam ab *Antiocho* ministrisque ejus. De *quibus vid. Redan. in lib. Machabæor. fol. m.* 315. Et consentiunt omnes interpretes simulacrum *Jovis Olympii* fuisse collocatum, super altare, jussu Antiochi absentis. Inde colligunt nonnulli templum Jovi consecratum fuisse, absente Antiocho, quod *Vulgatus* & *Græcus interptetes* asserere videntur. Verum, probabilius, Idolum collocatum fuisse super altare, præsente Antiocho, postquam quartum ex Ægypto venisset, & altera vice hostiliter urbem intrasset. Hoc affirmat ipsa Scriptura, inquiens: *& ædificavit abominandum idolum desolationis super altare Dei, die quinta decima mensis Casleu, quinto & quadragesimo anno*. Quod Idolum attinet, nullum est dubium quin *Jovis* fuerit: de quo vid. Hieron. in Daniel. Quo in loco steterit, an super altare thymiamatis, an vero holocausti quæri posset. Verum super altare holocausti stetisse putaverim: patet enim hoc 1. quia ante biennium Antiochus abstulerat altare thymiamatis. 2. Quia propterea Judas Machabæus altare holocausti novum exstruxerat quod vetus contaminatum erat.

[21] *Jovi Olympio.*) Miserrimus status Ecclesiasticus hoc tempore fuit. Fuit enim eo ævo magnis quassata tempestatibus urbs Hierosolyma, non tam ab inquilinis perfidis, quam *Antiocho Epiphane*: cujus sensit arma urbs, capta civitas capti & sine sexus & ætatis discrimine trucidati cives, templum spoliatum, cultus veri Dei sublatus, illud immensæ opulentiæ Templum veri Numinis commutatum in templum *Jovis Olympii*, de quo epitheto duas invenimus assignatas rationes diversas: unam in *Pindari Olympic.* qui ita *od.* 2. *p.* 16. *edit. Antwerp.* scripsit.

Sed o Saturni fili Rheæ
Solum colens olympi.

Altera tradit Jovem Olympium fuisse dictum, quod ab Olympo Magistro sit eruditus. *Virgil. lib.* 10. *Æneid. v.* 1. *Svetonius in Calig. c.* 22. refert, *Caligulam* curasse apportari e Græcia simulacrum Jovis Olympii, aliorumque, quibus eorum capitibus demtis suum imponeret, & nominatim Jovis Olympii, ex quo patet hoc Jovis simulacrum ad hominis similitudinem fuisse effictum: Uti plurib. probat *Dillherr. tom.* 1. *disput. pag. m.* 172. *seqq.* confer. *Weghorst. tract. de cultu veri Dei. edit. Kilon. pag.* 134. 135.

[22] *Alcimum.*) Licet non fuerit ex genere ἀρχιερέων, attamen non negandum Sacerdotem fuisse, cum Josephus tantum neget, Alcimum fuisse ἀρχιερέα. Vide de hoc prolixe differentem *Seldenum de success. in Pontif. cap.* 9. *pag.* 150. *seqq.*

[23] *Postremo Rex Herodes.*) Autor noster putat, templum istud fuisse dirutum ab *Herode* novumque reædificatum; verum hoc non constat ex *Josepho*, nec ulla ratio est, cur hoc fecisset. Adduntur a quibusdam rationes. Nam 1. plane non opus erat, ut dirueretur istud templum. 2. Certum est cultum Dei hoc modo ad certum tempus fuisse interruptum. Auxit potius & splendidius reddidit istud templum. Legimus *Joh.* 2. templum ædificatum XLVI. annis, quod de refectione seu actione Templi ab Herode facta intelligendum est. Hanc opinionem etiam celeb. *Braunius* in annot. ad *Sigonium* fovet, cui se opponit *Dn. Georg. Green in disser. de rebus Herodis edit.* Witteberg. *part.* 2. §. 3. qui *Josephum* producit *lib.* 15. *antiq. Judaic. cap.* 15. ita differentem: quare gratia Cæsaris fretus templum *Zorobabelis*, quod a splendore templi *Salomonei* multum recedebat, penitus destruxit, novumque conductis undique operariis, exstruendum curavit, quod & ambitu & altitudine ad primi templi magnitudinem accederet. Novi equidem inter Eruditos, qui hanc *Josephi* relationem de instauratione potius & exornatione, quam nova exstructione accipere malint, cum verisimile non sit, regem tot sumtibus exhaustum tam splendido ædificio parem esse potuisse. Sed cum ipse *Herodes* in oratione ad Judæos apud *Josephum* l. c. ad tantæ structuræ molitionem se satis instructum esse fateatur, & ipsa historia tot circumstantiis firmetur, nullum hisce conjecturis locum relinquere possumus. Id tamen non possumus diffiteri, vix fidem mereri *Josephum* referentem, viginti cubitos ædificio in altitudine, subsidentibus fundamentis decessisse, cum sine totius structuræ convulsione atque ruina hoc fieri non potuerit, uti bene notat *Salian. ad ann.* 4035.

[24] *Et Barin.*) Turris erat & proprie munimentum fortissimum in quo solebant custodiri omnia vestimenta Pontificis. *Josephus lib.* 15. *cap.* 14. *& lib.* 20. *cap.* 1. *antiquit. Judaic.* Arcem Antoniam vocat. Narrat ibi *Josephus* vestimenta sacra Pontificis Maximi custodita fuisse in certa quadam turri sive arce Templi, in septentrionali latere, ab Asmonæis ædificata, & postea ab *Herode* in gratiam *Antonii*, *Antonia* vocata. Olim vestimenta in potestate Sacerdotum erant, sed postea earum potestatem sibi tribuit *Herodes*, & post mortem ejus in Romanorum potestatem venerunt. Cum autem Summus Sacerdos singulis annis ter in festis celebrioribus intraret templum, opus erat, ut adiret præfectum Romanorum, qui ipsi concederet vestes.

[25] *Intra biennium.*) Maxima quidem celeritate ingens hocce opus perfecit *Herodes*, sed non intra biennium, sed spatio IX. annorum & VI. mensium, quod tamen de partibus maxime necessariis, quæ ad offerenda Sacrificia & solitum Deo cultum præstandum requirebantur non de universo opere intelligendum esse arbitramur. Nam quæ ad ornatum & splendorem ædificii spectabant, multis annis post absoluta esse testimonium *Josephi lib.* 20. *antiq. Jud. cap.* 8. & Judæorum, exceptio *Joh.* 2. 20. asserentium, templum hoc 46. annis ædificatum, suadet. De quo confer. *Casaubon. Exercit.* 13. *ad annal. Eccl. Baron. an.* 31. *nu.* 38. *D. Strauch. Brev. Chronol. l.* 4. *c.* 36. *quæst.* 9. & *Torniell. in Annal. ad an.* 4032. *n.* 6. qui universam templi structuram scite satis ac eleganter delineatam exhibet.

[26] *Velum.*) In templo *Zerobabelis* tria erant vela 1. ante Sanctum Sanctorum. 2. ante Sanctum. 3. ante atrium. Jam autem quæritur quale velum fuerit scissum, ante Sanctum, vel ante Sanctum Sanctorum externum? Resp. credibile est fuisse velum Sancti Sanctorum externum, quod a quovis Israelita conspici poterat, conf. *Jo: Henric. Oth. Lexic. Philolog. Rabbin. p. m.* 662.

[27] *Sive invitus, sive volens.*) Si credimus *Josepho*, certum est invito *Tito* factum esse. Quod tamen nescio quomodo conciliandum cum *Sulpitio Severo* qui *lib.* 2. *histor. sacr.* asserit, hoc factum post seriam deliberationem & annuente & consentiente Tito. *Fateor*, inquit, *Titum* adhibito consilio prius deliberasse, an templum tanti operis everteret. Etenim nonnullis videbatur, Ædem Sacratam, ultra omnia mortalia illustrem, non debere deleri. Quæ servata, modestiæ Romanæ testimonium, diruta, perennem crudelitatis notam præberet. At contra alii & *Titus* ipse, evertendum Templum inprimis censebant, quo plenius Judæorum & Christianorum Religio tolleretur. Hoc fuit consilium Romanorum, sed nescio, quomodo Tito Imperatori tribui potuerit. Nam si *Josephum* audimus, nihil intentatum prætermisit, ut ruinam Templi & illius conflagrationem impediret. Sic enim ille *lib.* 7. *cap.* 10. *de bell.* scribit. *Hic itaque, militum tunc quidam, non expectato cujusquam mandato, neque tantum facinus*

veri-

veritus, sed divino quodam motus impetu, ex ardente materia raptum ignem in fenestram auream injicit &c. mature autem hoc quidam Tito nuntiat, & ille exilit templumque curriculo petit prohibiturus incendium. Cæsar autem voce simul ac dextra pugnantibus signo dato, ignem jubebat exstingui. Sed neque vox ejus audiebatur, quod illorum aures major clamor obstrueret, nutumque dextræ non attendebant, &c. Prosilit vero Imperator militesque rogare, ut ignem restinguerent, conabatur &c. Hæc directe pugnant cum *Sulpitii* verbis, & *Josepho* fides esset tribuenda, nisi alia occurreret ratio, Autores gravissimos inter se componendi. Nam jure dici potest, incendium Templi jussu Titi primo inceptum; sed postea sententiam revocavit, & honori Romanorum & imperii consultum volens, Templum tanquam ornamentum & monumentum perpetuum victoriæ a se reportatæ conservandum existimavit. Hoc colligi potest ex *cap. 9. lib. 7.* ubi hæc leguntur verba: *Titus autem cum videret se alieno templo cum damno & nece militum parcere ignem portis Templi subjici jussit.* Unde patet Titum propugnaculum hoc remotum voluisse, ut facilior everso hoc asylo ad urbis expugnationem via sterneretur. Non tamen diu hæsit hæc rigida sententia. Recurrebat semper *Titi* indoles mitissima & generosa indoles, quæ leviora suadebat. Ideo cit. loco legimus hæc sequentia: *Postero die Titus parte militum incendium restinguere jussa, præcipuos exercitus rectores ad se convocat, & consilium de templo proposuit. Aliis quidem lege belli utendum esse, nunquam enim Judæos a novis rebus desinere, Templo manente, ad quod ubicunque essent & degerent, colligerentur. Nonnulli, si templum reliquissent Judæi, neque armis quisquam pro eo certaret, conservandum esse suadebant. Titus autem dixit se nec si superstantes Judæi dimicarent, pro hominibus, de rebus inanimatis vindictam capturum, & se nunquam tale & tantum opus incensurum, Romanorum quippe futurum damnum si everteretur, sicut maximum imperii sui ornamentum si conservaretur. Alii ergo ad Titi sententiam accesserunt, & soluto consilio, jussit ignem exstingui.* Unde patet, Titum modo ira percitum Templi conflagrationem jussisse: modo sui memor incendium prohibuisse. Hinc conciliari possunt *Sulpitius* & *Josephus*.

28 *Templum eodem die, quo a Babyloniis, incendit.*) Josephus spectator oculatus tempus ponit, ἡμέρᾳ δεκάτῃ λώου μηνός. *decimum diem mensis lus.* qui fatalis dies templi Hierosolymitani. *Joseph. de bell. Judaic. lib. 6. cap. 27.* Hodierni Judæi, ut refert *Johan. Lightfoot in discursu Anglice scripto, the fall of Jerusalem. §. 1. fol.* 179. fingunt diem fatalem die nono mensis *Ab.* Verba prædicti autoris hæc sunt. *On the ninth day of the moneth Ab, say they, the decree came out against Israel in the Wildernesse that they should not enter into the Land: On it was the destruction of, the first Temple, and on it was the destruction of the second. On it the great Citty. Bitter was taken, where there were thousands and ten thousands of Israel, who had a gread King over them (Ben Cozba) whom all Israel, even their greatest Wise men thought tot have been Messias, But he fell into the hands of the Heathen, and there was great affliction as there was at the destruction of the Sanctuary. And on that day a day allotted for vengeance, The Wicked Turnus Rusus plowed up the place of the Temple, and the places about it, to accomplish whatis said, Sion shall become a plowed field.* Talmud in Taanith. per 4. halac. 6. Maymon. in Taanith per 5. i. e. *die nono mensis Ab, dicunt, decretum publicatum contra Israel in deserto, quod terram intrare non debeant: Et hoc destructio templi primi, & destructio templi secundi.* Et *magna Civitas Bitter capiebatur, cum ibi multa Israelitarum millia, & myriades multæ essent, qui regem super se magnum habebant* (Ben Cozba) *Sapientissime putabant se Messiam habere. Sed in manus Ethnicorum incidebant, & hæc afflictio erat magna, ceu istructio templi.*

29 *Rursus rebellantes.*) Autor hujus rebellionis fuit *Ben Coziba* vel *Bar Cochba*, qui se ipsum Messiam fecerat, quæ aliquamdiu non sine magno successu fuit. Etenim *Bar Cozba* rem strenue gerebat in bello & felix erat, usque dum urbs *Bitter* ab *Hadriano* capta & clades maxima Judæorum facta. Audiamus Autorem *libr. Schalschæleth*: cujus verba latine recitavit *Buxtorff. in Lexic. Talmud. fol.* 108. Tempore R. Akibæ eversa est Bitter ab Hadriano Cæsare, qui Israelitis plus damni intulit, quam prioribus excidiis perpessi erant. Confer. *celeb. Wagenseil. pag.* 851.

30 *Captam urbem.* Autor noster de Hierosolymis intelligit, quod scil. urbs illa ab *Hadriano* capta & funditus deleta fuerit. Hic controvertunt Autores, & quidam negativam; quidam affirmativam sententiam defendunt. *Joseph. Scaliger. animadv. ad Euseb. num.* 2150. strenue negat, nixus, potissimum *Dionis Cassii*, quem *Zonaras* secutus est, testimonio. *Scaligerum* viri plerique hodie clarissimi sequuntur, *Valesius* ad *Euseb. Spanhem. introduct. in hist. Eccles. pag.* 209. *Tollius* ad *Appian. in Syr.* aliique. Scaligeri sententia est, a Tito ita deleta fuisse Hierosolyma, nec ante *Hadrianum* restituta, ut deleri amplius non potuerint. Alii contrarium ut *Appian. Alexandrin. Bell. Syr. p.* 119. qui sub Hadriani Imperio vixit, Hierosolymorum clades narrans, a Ptolomæo & Pompejo primum eversa cum dixisset, addit: *Vespasianus iterum habitatam delevit, & rursus mea memoria Hadrianus.* Falsus quidem in eo est, quod *Pompejo* hoc tribuat, qui tamen sola munimenta dejecit, teste *Josepho lib.* 1. ἁλωσ. *c.* 8. Succedit *Hieronym. in Jerem.* 31. Ultima captivitate sub Hadriano, quando & urbs Hierusalem subversa est. Et in *Ezech.* 5. Sub Tito & Vespasiano urbs capta est templumque subversum: & post L. annos sub Ælio Hadriano usque ad solum incensa civitas & deleta est ita, ut pristinum quoque nomen amiserit. Eadem profert in cap. 24. Obsidente Tito, filio Vespasiani ad salutem nemo evasit, templumque subversum est: & post L. annos sub Hadriano civitas æterno igne consumta est. Rursus in *Daniel. 9. v. ult.* Usque ad extremam subversionem Hierusalem, quæ sub Hadriano eis accidit, quando Cochebas dux Judæorum oppressus est, & Hierusalem usque ad solum diruta. *Georgius Syncell.* ex veteri Scriptore *in Hadriano pag.* 350. *edit. Paris. Georg. Cedren. pag.* 205. *edit. Basil.* & *Nicephor.* idem statuunt. *Abulpharagius* Arabs sic de *Hadriani* copiis scribit: חרבוא אורשלים נאית אלחראב *vastarunt Hierosolyma ad extremam vastitatem.* Quis igitur affirmaret hos omnes errasse, cum Hadriano tribuant vastationem Hierosolymorum? Verum putamus, quod utraque sententia conciliari possit cum intelligamus id de ruderibus, partibus murorum ac turrium, quibus tuguria & casæ accesserunt.

31 *Abominationem desolationis.*) Post signa remota Christus signum proximum indicat excidii, & *idiotismum Hebræorum* adhibet, duo substantiva in statu regiminis conjungens, ex quibus modo prius seu regens loco adjectivi ponitur. *Syrus* vertit אתא, quod duplici modo accipi potest. Cum videritis venientem abominationem desolationis, quomodo *Tremell.* reddidit apud *Marcum*, quia אתא, respondens *Hebr.* אתה, *Syris* significat venit. Vel cum videritis signum abominationis desolationis, quomodo *Tremell.* apud *Matth.* quia אתא respondet *Hebr.* אות *signum.* Apud *Danielem*, ad quem nos Christus remittit *cap. 9. 27.* hæc sunt: שקוצים משמם βδέλυγμα τῶν ἐρημώσεων *Græcis cap.* 11. 31. השקוץ משמם quod *Græci* transferunt βδέλυγμα ἠφανισμένων capite autem 12. 11. *est* שקוץ שמם *Græc.* τὸ βδέλυγμα τῶν ἐρημώσεων. Variæ autem hic sunt sententiæ. *Calvinus* errare autumat illos, qui ex *cap.* 9. hoc vaticinium sumtum putant, sed fallitur. In *cap.* 12. *Daniel* non agit de J. R. ac desolatione per Titum Vespasianum Judæis illata, ut quidam e Rabbinis volunt, sed de Antichristo. Quid per abominationem intelligatur, interpretes non conveniunt. *Augustin. epist.* 80. scribit, non posse recte intelligi. *Irenæus lib. 5. advers. hæres. cap.* 21. *Hilar. can.* 25. *in Matth. Hieron. ad Algasiam & in cap. 24. ad Matth. Ambros. lib. 10. in Lucam. Gregor. lib. 32. moral. cap.* 12. intelligunt Antichristum. Qui excidium Hierosolymitanum per abominationem indicari putant, iterum in diversum abeunt; quia usitatum, statuas Idololatricas vocari abominationes. *Deuter.* 32. 16. 1. *Reg.* 2. 5. 2. *Reg.* 23. 13. *Hieron. in cap. 24. Matth.* Et putat *Chrysostom. hom.* 2. statuam *Titi Vespasiani* hic intelligi. Hunc sequuntur *Theophylact.* & *Euthym. in cap. 14. Matth. Hieronym.* in cap. 24. *Matth.* autumat intelligi de statua

tua

tua equestri *Hadriani* in Sanctum Sanctorum collocata, ita quoque *Lyran. gloss. in cap.* 24. *Hieron. &* *Theodoretus in cap.* 9. *Daniel.* accipit de statua *Tiberii Cæsaris a Pilato illata*. Quidam de *Aquila aurea*, quam *Herodes* supra maximam Templi portam locaverat, de qua *Joseph.lib.* 17. *antiq. c.* 8. *& l. de Bel. Jud. c.* 21. Quidam de idolo ab *Antiocho Epiphane* intelligunt, de quo supra: hic tamen paucula addere lubet. Dubium nullum, *Danielem* duobus posterioribus locis agere de *Antiocho*. At verba *cap.* 9. *ad Antiochum* frustra trahunt *Hebræi*, cum hebdomades ibi nominatæ dierum non possint intelligi, ita enim annorum septimanæ multum ultra *Antiochum* procurrerent, a quocunque tandem restaurandæ urbis aut templi edicto numerandi exordium sumseris. Nonnulli, per *abominationem desolationis* hic intelligunt exercitum Romanum, uti habet *Petrus ad Clement. lib.* 1. *Constit.* De quo *Tertullianus*: *Religio Romanorum tota castrensis signa veneratur, signa jurat, signa omnibus diis præponit, omnes illi imaginum suggestus insignes monilia crucium sunt*; Cui consentit vir eruditionis haud infimæ *H. Hammond. Angl.* in libro inscripto, *paraphrase and annotations upon all the books of the New Testament fol.* 222. inquiens: *abomination of desolation is the Roman army besieging Jerusalem may appear* 1. *by the parallel place Luc.* 21. 20. i. e. Abominatio desolationis *est arma Romanorum juxta Jerusalem* quod videtur probare locus parallelus *Luc.* 21. 20. 2. dicit prædictus *Autor Anglus* Forthe βδέλυγμα ἐρημώσεως *doth signifie an abominable heathen, profane Wasting company of soul diers or the like*: *Nam* βδέλυγμα *significat gens profana consortio vastantium militum*. Porro *the Word abominable being ordinarily applyed to the then polluted and idolatrous heathen World*, *of Which the Romans Were a principall part*, *Whose armies Were to Work this desolation on Jerusalem*, *Agreable to Which it is What Artemidorus hath said in his Oneirocritickes*. *l.* 2. *c.* 20. *that* γύπες *vultures signifie in his art* ἐχθροὺς ἐναγῦας κὴ μιαροὺς Wicked *abominable enemies*.

CAPUT SEXTUM.

De Templo Samariæ.

ALterum Templum fuit in Samaria. Quippe Manasses frater Jaddi pontificis, [1] cum uxorem alienigenam legibus dimittere cogeretur, ad socerum suum [2] Sannabalat Darii Persarum Regis præfectum confugit, atque ab illo auxilium imploravit. Sannabalat autem, ne genero, summæ nobilitatis viro spoliaretur, suasit, ut a Judæis deficeret, ac mox permissu Alexandri Magni victoris Templum in Samaria [3] in monte Garizin altissimo condidit: atque ibi Manassem Pontificem collocavit [4] inter Samaritas, qui, ut dixi, homines ex Assyria profecti fuerant, ac legem Dei ita receperant, [5] ut tamen [6] veterem idolorum cultum non destituerent, ac propterea Judæis infensi essent. Quod [7] Templum Trausgressorum est appellatum. Hinc exarsit inter eos de loco adorandi Dei [8] certamen atque contentio. Cum enim in lege traditum esset, ut [9] uno tantum in loco Deus coleretur, quem ille elegisset, ac primum Silo in tribu & monte Ephraim delegisset, deinde illa reprobata Hierusalem in tribu Juda & monte Sion asciviſſet, Samaritæ, qui montem Ephraim obtinebant, sibi eam laudem vindicabant, quod in Silo primum invocatum esset nomen Domini; Judæi vero contra ad se id decus trahebant, quod postea Sionem Deus ipsi Silo præposuisset, ut David scripserat, quem ipsi non accipiebant. Neque enim [10] nisi quinque libros Moysis approbabant. Qua de re cum aliquando disceptaretur coram Ptolomæo Philometore rege, ille pro Judæis pronuntiavit, ut Josephus libro XIII. scriptum reliquit. Hoc vero Templum post Antiochus Epiphanes, cum in Judæam infestus venisset, [11] Jovi Hospitali, ipsis Samaritis non repugnantibus, consecravit. Ad extremum autem Joannes Hyrcanus rex Judæorum cum Samariam Judæorum imperio subjecisset, Templum hoc funditus evertit post annos ducentos, quam fuerat conditum, teste eodem in loco Josepho. Veterem inde quæstionem post aliquot annos tetigit Samaritana mulier loquens cum Christo Judæo, ut est apud S. Joann. cap. IV. *Patres nostri in monte hoc adoraverunt, & vos dicitis, quia Hierosolymis est locus, ubi adorare oportet, cui respondit Christus*: *Veniet hora, quando neque in monte hoc, neque in Hierosolymis adorabitis patrem.*

NOTÆ AD CAPUT SEXTUM.

[1] *Cum uxorem alienigenam.*] Ex mixtura hac conjugii, ipsius quoque Religionis introducta fuit commixtio. Nam cum Manasses uxorem alienigenam dimittere nollet, aufugit & templum simile Hierosolymitano in monte Gerizim exstruxit, ad quod multi ex Judæis profugi in unam successu temporis gentem cum Cuthæis coaluerunt. Audiamus *Zemach David part.* 1. *p.* 26. Hic Manasses est, quem Sacerdotes sancti, qui Hierosolymis erant, expulerunt ex urbe, propterea, quod nollet repudiare uxorem suam alienigenam, secundum Esdræ constitutionem.

[2] *Sannaballat.*) Erat præfectus *Darii*, & Alexandro victore ab eo defecit persuasitque Alexandro, ut dissidia faceret inter Judæos, quia nolebant ipsi auxilia ferre adversus Tyrum, nec fœdus cum eo pangere: Hocque facile fieri posse dixit, si scil. aliud templum ædificaret. Hoc autem factum est occasione Manassis, qui filiam Sannaballeti alienigenam duxerat in matrimonium, quod Pontifici non erat licitum.

[3] *In monte Garizim.*) Duo fuerunt montes, unus dictus Garizim, alter Ebal. vid. *Lightfoot. hor. Talmud.*

mud. pag. m. 103. seqq. Deut. 2. 29. In hoc monte benedictiones fiebant teste *Diodat.* ad hunc locum: *the blessings and cursings upon mount Gerizzim and mount Ebal. Deut.* 27. 12. 13. *vid. Josu. cap.* 8.33. *conf. Benjamin in itiner. pag.* 60. dicens: Hinc duabus parasangis distat Neapolis, olim dicta *Sichem*, intra montes *Ephraim* condita: nec ulli hic Judæi. In valle jacet inter montem *Gerizim* & montem *Ebal*. Hic sacerdotes erant ex Aaronis prosapia, ut videtur in *Juchasin fol.* 14. 2. ubi leguntur hæc verba: Tunc (sub *Simone justo*) in partes itum est Israel. Pars secuta est *Simonem justum*, *Antigonumque discipulum ejus* eorumque scholam, prout didicerunt illi ab *Ezra* & Prophetis: parsque *Sannaballetum* generumque ejus. *vid. Vvalton. apparat. bibl. fol. m.* 112. *Capell. Critic. sacr. fol.* 204. 205. *Zamach David*, *Chronolog. Hist. sub. templ.* 2. *anno* 448. *collat. cum histor. anno* 642. & 881. *Par.* 2. *anno* 585. *Meor. Enajim. c.* 21. *Bald. Vvallæ. comment. ad Johan. fol. m.* 134. Qui templum in monte *Gerizim* venia ab *Alexandro* impetrata exstruxit.

In monte Garizim.) Dicunt Samaritani montem hunc tam Sanctum fuisse ut in diluvio non fuerit coopertus aquis. Sane hoc ridiculum Samaritanorum sanctitatis Gerizemæi montis quæsitum præsidium a Josepho de Voisin. observat. in Procem. Pugionis fidei *Raymundi Martini pag.* 139. his verbis profligatum est. Adorabant Samaritani in monte Gerizim, quia existimabant, illum aquis diluvii non fuisse inundatum; quod nesciebant, imo falsum erat, & contra illud *Genes.* 7. 19. & aquæ prævaluerunt nimis super terram &c. Addit lepidam historiam ex *Bereshith rabba sect.* 32. *R. Jonathan adscendebat Jerosolymam adoraturus; cum pertransiret montem Gerizim, conspiciens eum Samaritanus quidam, dixit ei: quo vadis? Respondet illi, Jerosolymam peto ad adorandum. Dixit illi nonne satius esset te adorare in hoc monte benedicto, non in illa domo vili. Respondit illi quare est mons iste benedictus? Dixit ei, quia non fuit inundatus aquis diluvii.* conf. *Joh. Lighfoot. Hor. Talmud. in Joan.* 4. 15. Joh. *Henrich. Othon. Lexic. Rabbin. Philolog. in voc. Gerizim.*

[4] *Inter Samaritas.*) Per Samaritas seu Samaritanos non intelligimus X. Israelitarum tribus, quæ a reliquis cum Jerobeamo secessionem fecerunt, ac novum cultum Idololatricum invenerunt, quod male nonnulli faciunt; sed alios longe homines, qui primam originem repetunt a quinque populis, quos Rex Assyriæ in vacuas Israelitarum sedes paulo post traduxerat. Sed post templi Gerizimæi a Manasse exstructionem plurimis Judæis aucti sunt, e quorum cum Cuthæis commixtione gens hæc nova prodiit.

[5] *E tamen veterem Idolorum cultum non destituerent.*) Samaritani, quos Judæi Cuthæos vocant, convenarum gentium colluviem esse satis constat ex 2. Reg. cap. 17. quod olim & ipsi non negabant. Adversis enim rebus judæorum, neque se Hebræos, neque Judæos ulla sanguinis necessitudine attinere, palam profitebantur, ut auctor est *Josephus*. In monte *Garizim* sacrarium religionis habent. Vocantur autem *Cuthæi*, quod plerique eorum באו מכותה venerunt ex Cutha fluvio. *El. Tisb. L. d. Buxtorff. Tal.* 370. *Drus. Trihæres. pag.* 135. *Joh. Henr. Hott. lib.* 1. *cap.* 1. *de religio. pag. m.* 47. *Elmac. pag.* 118. conflugem ex territorio *Chata* (forte Gozan) *Chama ex Sepharviam*, sic dicens: Et captivos duxit Rex Assyriæ filios Israel, eosque collocavit in urbibus Asphahan, cum & Idololatria & aliis sceleribus se contra Dominum obstrinxissent; proinde abjecit & removit eos a manibus suis, ita ut non remaneret, nisi una tribus Iuda. Reges Assyriæ vero collegerunt conflugem ex territorio Chata, iisque incolendam dedit terram filiorum Israel. Appellati autem sunt Samaritani, custodes, observatores. Quia vero Deum non timuerunt, discerpserunt eos bestiæ. Mittentes autem ad Regem Assyriæ eum reddiderunt certiorem, non se peritos esse cultus Dei terræ illius, ejusque institutorum. Dedit igitur Rex eis Sacerdotem e captivis, qui doceret eos colere Deum. Hic instituit eos in lege tantum; hinc factum, quod non Prophetas acciperent, sed una cum Pentateucho Nergal, idolum suum etiam colerent, (2. Reg. 17.) Fabulantur de Cuthæis Judæi quamplurima, quæ ex Talm. satis cognosci possunt, *præprimis mentiuntur, eos in columbæ formam filios circumcidisse, quia in monte Garizim columba inventa. conf. Bartenoram c.* 7. *sect.* 1. Lightfoot. hor. Talmud. pag. 103. seqq.

[6] *Veterum Idolorum cultum.*) Rabbini referunt columbam coluisse: unde in Codice *Avod. Zar. fol.* 27. Circumcidit scilicet *Cuthæos* in nomine montis Gerizim. Hoc quid sit explicat *Sal. Jarchi* cum inquit: Circumcidit in nomine imaginis columbæ, quam invenerunt in cacumine montis Gerizim, cui cultum exhibent. Sic *R. Maimonid.* super *Berach. cap.* 8. quem citat *Hottinger. in Exercit. anti Morin. pag.* 14. *Obadias Bartenor. cap.* 7. Et licet citatus *Hottingerus* Samaritanorum Idololatriam excusare velit, attamen plures sunt, qui Idololatriam defendunt, inter quos *Beyer in annot. ad Selden. de diis Syris pag. m.* 288. ubi pluribus verbis adducit, columbam coluisse. Constat etiam illorum idolum fuisse *Nergal*. 2. *Reg.* 17. de quo Selden. c. I.

[7] *Templum transgressorum.*) Quia ad illud confugiebant transgressores teste *Joseph. lib.* 2. *antiq. c.* 8. seu quod Judæi profugi portum quasi & locum salutis illic haberent. De hac re fuse *Cunæus de Rep. Hebr. c.* 16. *lib.* 1.

[8] *Certamen atque contentio.*) Utrique & Judæi & Samaritani solebant Deum colere in suo templo: illi in monte Moriah, hi in monte Gerizim, quem dicebant sanctiorem esse monte *Moriah*, 1. quoniam Deus in eo pronuntiare jussit benedictiones *Deut.* 27. 2. quia in Silo primo fuit Tabernaculum; hinc Deum alium locum ad cultum suum non elegisse dicebant. *Hottingerus in Exercit. anti Morin. pag.* 28. contentionis meminit de ipso Pentateucho originali. Samaritani ex lege Mosaica pro monte Gerizim; Judæi pro urbe sancta & templo dimicabant.

[9] *Uno tantum in loco.*) Judæis extra atrium sacrificia offerre lege divina *Levit.* 14. 1. *Deut.* 12. 13. 14. prohibitum erat; atque ex eorum propriis Scriptoribus deudxerunt, Hottinger. de jure *Hebr. lege* 187. *pag.* 274. *Henry. Ainsworth. comment. in h. l.* Hinc de la Valla putat, in hoc ritu contrarios fuisse Judæis Samaritanos, & affirmant, omnibus in locis sacrificare licuisse. Verum Samaritani in epist. ad Scaliger. de loco Sacrificiorum *Vallam* refutant: *Illud autem, non sacrificamus nisi in Sichem e regione montis Gerizim mense primo, decima quarta die inter vesperas*, loquuntur de Sacrificio Paschali. Ubi observamus, nec Sabbatho, nec festo messis, nec die expiationis, &c. ullum memorari Sacrificium, sed tantum festo Paschatis. Nec concessum erat Samaritanis alio loco, quam Hierosolymis sacrificare sed ipsi nefarie sibi istam sumserunt licentiam, cum Judæis de legitimo templo discrepantes.

[10] *Nisi quinque libros Moysis.*) Samaritæ Judæorum cognati esse volebant; quem prætextum ut facilius obtinerent, libros Regum, in quorum secundo capit. 17. primi eorum parentes describuntur, una cum reliquis ferme Veteris Testamenti libris rejecerunt; solum Moysis Pentateuchum recipientes. Testantur hoc *Guilielm. Postell. lib. de Orig. c.* 14. *Epiphan. lib. de Hæres.* 1. *p.* 5. Receperunt solum quinque libros Mosis. Constantin. *L'Empereur. in Itin. Beniam. p.* 3. Reliquos libros vix æstimabant, nisi eatenus, quatenus continebant historias. conf. *Joseph. lib.* 13. *c.* 6.

[11] *Jovi Hospitali.*) Templum Samaritanorum Templum Jovis Hospitalis fuit salutatum. De hoc Jovis epitheto sic habe: Magna fuit quondam reverentia hospitum apud nationes non omnino barbaras, quæ hospitii jus & necessitudinem sancte coluerint: Hinc Jovem, quem propterea *Xenium* vocarunt, præsidem vindicemque hospitii credidit antiquitas, ut *Virg. l.* 1. *Æneid.* vide de hoc pluribus differentem *Dillher. tom.* 1. *dissert. pag. m.* 174. plur. reverend. *D. Andre. Theolog. Marburg. famigeratissimum in dissertat. de jure hospit.* Hujus meminit *Plutarch. in lib. de exilio pag.* 605. *Serv. ad lib.* 1. *Virgil. Æneid. Cic. lib.* 4. *de Finib. Homer. lib.* 9. *Odyss. Cerd. ad Virg. pag.* 134. *Pausan. lib.* 3. *pag.* 169. *Athen. lib.* 15. *c.* 16. *pag.* 696.

CAPUT

CAPUT SEPTIMUM.

De Templo Ægyptio.

Tertium templum Judæorum [1] conditum eſt [2] in Ægypto ab Onia. Etenim ætate Antiochi Epiphanis, ſeditione Hieroſolymis orta, Onias Oniæ pontificis filius, ejus quem Epiphanes interfecerat, urbe profugus ad Ptolomæum Ægypti regem, & ipſius Epiphanis hoſtem ſe contulit, atque accepto ab eo in Heliopolitana præfectura ſolo, ibi oppidum Hieroſolymis ſimile condidit, Templumque ædificavit: ibique pontifex inter eos Judæos, qui ſeditione urbe pulſi in Ægyptum conceſſerant, præfuit. Quo vero tempore Titus Cæſar templum Hieroſolymis inflammavit, eodem hoc a Paulino proconſule Ægypti claudi eſt juſſum, ita ut veſtigium divini cultus in eo nullum remaneret, poſt trecentos triginta annos, quam fuerat conſtitutum, ut Joſephus libro Belli ſeptimo prodidit. Exſtat epiſtola Judæorum Hieroſolymitanorum ad Judæos Ægyptios, petentium, ut feſtum dedicationis Templi ſui agerent, quemadmodum alia celebrarent, libro ſecundo Maccab. cap. primo: quam in manus ſumere, non erit inutile.

NOTÆ AD CAPUT SEPTIMUM.

[1] *Conditum eſt*. Hanc hiſtoriam aliter recenſet *Joſephus lib.* 13. *antiq. cap.* 6. aliter Talmudici. Judæi narrant hæc, *Simeonem juſtum* Pontificem Maximum, *Oniæ* filio minori natu teſtamento tradidiſſe Sacerdotium, quia frater ejus natu major mente captus erat. Hoc erat contra præceptum Dei, juxta quod primogenito debebatur Sacerdotium. *Onias* ergo ut offenderet ejus ſtupiditatem & Sacerdotium ſibi raperet, fratrem ſuum *Simei* ſacrificaturum præpoſtere induit & in templum illegitimo veſtitu introduxit. Quo viſo Patres Synedrii Magni conſternati quæſiverunt ex *Onia*, quid hoc ſibi vellet; ille reſpondit, ſe neſcire: eum eſſe ſtolidum; ſed animadvertentes fraudem & intelligentes ex *Simei Oniam* hujus facti eſſe authorem, perſecuti ſunt *Oniam*, ut in Ægyptum fugere coactus ſit, regnantibus *Ptolomæo* & *Cleopatra*, ab his impetravit facultatem ædificandi templum, quod etiam fecit. Qui de hoc templo aliiſque rebus plura legere deſiderat, evolvat celeb. *Seldeni tract. de ſucceſſ. in Pontif. cap.* 8. *pag.* 145. 146. *Braun. de veſtit. Sacerd. lib.* 2. *cap.* 3. ubi lectu digna reperiet lector.

[2] *In Ægypto ab Onia*.) Joſeph l.b. 7. de bello Judaic. cap. 30. ita refert: Onias fugatus Hieroſolymis, Antiocho Rege Syriæ cum Judæis bellum gerente, Alexandriam venit, & a Ptolomæo ſuſcipitur humaniſſime, propterea quod Antiocho erat inimicus: ait ſe gentem Judæorum ejus auxilio ſociaturum, ſi dictis ſuis obtemperaſſet: cum autem Rex ea, quæ poſſent fieri, annuiſſet, rogavit, ut in aliqua parte *Ægypti* templum ſibi ædificare permitteret, & more patrio Deum colere. Paruit *Ptolomæus*, eique dedit tractum Heliopolitan. Et *Onia* quidem templum exſtruxit, non tamen ſana voluntate, ſed erat ei contentio cum Judæis apud Hieroſolymam degentibus propter fugæ memorem iracundiam: & hoc templo ædificato arbitrabatur ad id ſe omnem ab Hieroſolymis revocaturum multitudinem. *Lib. antiquit.* 13. *cap.* 6. verum hoc, *inquit*, conſilium cæpit, fretus maxime Prophetæ Iſaiæ vaticinio, qui ante ſexcentos amplius annos prænunciarat, fore aliquando, ut templum in Ægypto Deo maximo ædificaretur. *Salianus* fugam *Oniæ* conjicit in annum *Seleucidar.* 143. Templi vero conſtructionem *in ann.* 147. & utrobique errores nonnullos *Joſephi* coarguit. Erravit vehementer in eo ſenſu, quem *Eſaiæ* vaticinio tribuit. vid. *Eſ. cap.* 19. ubi nihil de templo, ſed de altari tantum, minus de homine Judæo, cujus opera templum exſtruendum eſſet: Nec de templo Heliopolitano.

CAPUT OCTAVUM.

De Synagogis.

HActenus de Templo, sive de Templis sit dictum: sequitur, ut [1] de Synagogis agamus. Etsi enim [2] hæ non templa fuerunt, tamen aliquid [3] templo simile habuerunt. [4] Origo autem Synagogarum [5] non fuit vetusta. Neque enim in historia Judicum aut Regum ulla earum memoria celebratur. Ego vero, si quid in ejusmodi antiquitate concipienda conjecturæ est concedendum, eas in Babylonico exilio primum constructas putarim, ut qui Templo carerent, in quo aut orarent, aut docerent, locum aliquem similem Templo haberent, in quem ejusmodi officii gratia convenirent, atque hoc idem fecisse reliquos dispersionis Judæos in Asia, Ægypto, & Europa censuerim. Itaque in provinciis, ubi Templum non fuit, [6] frequentissima fuit Synagogarum consuetudo. Postquam autem Judæi ex Babylonia redierunt, ac Templum in urbe Hierosolymorum restituerunt, simul etiam institutum jam Synagogarum usum retinuerunt, ut Judæi Hierosolymitani in Templo legem audirent, [7] provinciales vero, cum ad urbem veniebant, in Synagogis. In commentariis certe Hebræorum scriptum est, ultimis temporibus in urbe Hierosolyma [8] quadringentas octoginta Synagogas constitutas fuisse, quod Judæi eo ex omnibus regionibus convenirent. Erant ergo Hierosolymis Synagogæ [9] peregrinorum, Templum civium, in reliqua vero [10] Judæa, & Galilæa, & [12] in cæteris provinciis, in quibus Judæi post dispersionem versabantur, erant ipsorum etiam incolarum, quibus Hierosolyma adire non erat commodum. De Hierosolymitana una Synagoga mentio fit præcipue Actuum cap. VI. *Surrexerunt quidam de Synagoga, quæ appellatur Libertinorum, & Cyrenensium, & Alexandrinorum, ac eorum qui erant e Cilicia & Asia, disputantes cum Stephano.* Hi enim omnes erant Judæi, verum in provinciis habitantes, qui cum Hierosolyma negotiorum suorum caussa adibant, non ad Templum, sed ad Synagogam, quam ipsi sibi paraverant, convenire instituerant, item apud Joannem XVIII. *Ego semper docui in Synagoga, & in templo, quo omnes Judæi conveniunt.* De cæteris cap. Actuum XV. *Moyses a temporibus antiquis habet in singulis civitatibus, qui eum prædicent in Synagogis, ubi per omne sabbatum legitur.* Moysem autem intelligit libros ejus & IX. *Paulus petiit a pontifice epistolas in Damascum ad Synagogas, ut si quos invenisset hujus sectæ viros ac mulieres, vinctos perduceret in Hierusalem.* De Synagogis Galilææ, quas Christus, & Asiæ, quas S. Paulus adivit, multa in Evangeliis & Actis testimonia exstant, quæ postea referentur, ubi de Scribis agetur. Hæ vero Synagogæ aliquando a privatis hominibus, & quidem etiam gentilibus, pii officii caussa construebantur, ut illa VII. Lucæ in Capharnæo a centurione Romano; sic enim dixere Judæi: *Dignus est, ut sanes illi servum, diligit enim gentem nostram, & Synagogam ædificavit ipse nobis.* Ut autem in templo sacerdotes & pontifex principatum gerebant, sic in Synagogis scribæ, & eorum princeps is, qui Synagogæ princeps, sive [12] Archisynagogus dicebatur, & probri loco maximi ducebatur, si quis Synagogæ, id est [13] cœtus illius qui ad audiendum conveniebat, expers factus fuisset. Unde scriptum est apud S. Joannem IX. *Conspiraverunt Judæi, ut si quis confiteretur, eum esse Christum, extra Synagogam fieret*; & XII. *Ex principibus multi crediderunt in eum, sed propter Pharisæos non confitebantur, ut e Synagoga non ejicerentur.* Quin etiam in iisdem locis Scribæ ambitionis caussa primas cathedras affectarunt. Quod Christus eis objecit, cum præcipuam illorum contundere superbiam vellet. Sed de officio scribarum in Synagogis post suo loco pluribus, ubi etiam alia de Synagogis adjicientur, nunc enim hæc de Synagogis dicere voluimus, ut eas diversum aliquid a Templo esse ostenderemus. Cujus rei argumento est, quod eædem everso etiam Templo in hunc usque diem servatæ sunt. Unde Ecclesiæ Christianorum opposita est Synagoga Judæorum.

NOTÆ AD CAPUT OCTAVUM.

[1] *De Synagogis.*) Vox hæc tam late patet quam Hebræa עדה aut Latina, conventus. A Græco descendit, vid. *Spanhem. dub. Evangel. parr.* 3. *dub.* 77. *pag. m.* 362. *Buxtorff. de Synagog. Juda. cap.* 5. *pag.* 144. *Johan. Henr. Othon. Lex. Rabbin. pag.* 623. *Balduin. Wall. comment. ad Matth. cap.* 4. *pag. m.* 34. *Lightfoot. hor. Talmud. pag. m.* 248. *seq. R. Moses Maimon. de fundam. leg. pag.* 59. *Venerand. Carpz. in not. ad Schickard.* משפט המלך *pag. m.* 16. *Joan. Swaam in tract. anglican. inscript. redde debitum pag.* 120. *&* *Diodat. in annotat. ad Matth.* cujus verba hæc sunt: *This Woord is from the Greek συνάγω to gather together, and συναγωγὴ, though it be used to other matters yet here, as commonly in the Gospel: it is taken for an house dedicated to the service and Worship of God, as preaching prayer, and the Hebrews called it* בית הכנסת *the house of assembly.* quæ *Spanhemio pag.* 363. *Syr. idiomat.* בית בנושתא confer. *Buxtorff. Lex. Hebr. pag. m.* 367. *&* 368. *H. Hammond. annot. in S. Matth. cap.* 6. *fo.* 34. cui consentit autor *Elisa in Tisbi pag.* 22. בית המדרש quod proprie domus aut conclave, unice dicatum studio divinarum literarum, denotat. At בית הכנסת domus est non tam docendi discendique, quam preces fundendi causa condita. *Maimonid. Hilch. Thephil. c.* 11. §. 1. Quemcunque locum habitant Israelitæ, in eo necesse est, parent sibi domum in qua tempore precum ad orandum convenire possint atque is locus בית הכנסת Synagoga vocatur, *conf. Erasm. Schmid. ad Matt. cap.* 6. *fol.* 75. *Johan. Held de Judæor. Synagog. pag. m.* 4. *Selden. de jur. natur. & gent. lib.* 4. *cap.* 9. *pag. m.* 54. *edit. FF.*

[2] *De Synagogis.*) Autor, cum Synagogas inter loca sacra numerat, peccat: Nam sacra erant, quæ mandato Dei erant instituta, uti templum erat locus sacer quem Deus sibi elegerat *Deut.* 16. Sacri quoque erant viri Levitæ & Sacerdotes: Res, Sacrificia scil. Oblationes ac Decimæ, quia ad usum sacrum Deus destinaverat. Quia tamen in Synagogis fiebat quidam cultus Dei, ubi Scriptura prælegebatur & preces fiebant, aliquo modo ad loca sacra referri possunt. Vocantur a Talmudistis *Domus congregationis*, uti fuse demonstravit *Clodius in dissertat. de Synagog. Giss.* 1682. *pag.* 8. 9. Græce dicuntur *Proseuchæ* προσευχαὶ. *Act.* 16. 13. de quibus legatur *dissert. Excell. Viri* Wilhelm. *Ernest. Tenzelii, de Proseuchis Judæor. Vvitteb.* 1682. Erant autem *Proseuchæ* juxta civitates sine tecto, plerumque ad rivos, fontes & hortos, uti *prælaudatus Tenzelius* §. 3. pluribus ostendit, in quibus conveniebant & preces fundebant. Quæ causa fuit, quare Gentiles fingebant, Judæos adorare cœlum, partim quia Deum appellabant שמים, partim quia Deum sub dio colebant, præcipue sub festo Novilunii. Hinc cœlicoli dicti sunt. vid. *Michael. not. ad Gaffarell. curiositat. inaudit. pag.* 33. 34. Huc refertur illud Juvenal. *Nil præter nubes* &c. Plura de hac materia qui legere desiderat, evolvat *disput. Philol. Johannis. Enrici Ostermanii Vvitteberg. habit.* 1647. ubi lectu digna reperiet.

[2] *Hæ templa non fuerunt.*) Notum, Romano-Catholicos loca sacris publicis destinata vocare Ecclesias, quod Maldonatus affirmat, quando præsidium in verbis Matthæi quærit, Christum docuisse in Synagogis, & dicit Hæbræos locum, in quo conciones habentur vocasse עדה congregationem: ubi LXX. Synagogam retinuerunt. Hinc Apostolos vocem illam mutuatos, quando Hebræorum congregationem aut congregationis locum significant: fuisseque Synagogam, ut apud nos Ecclesiam, locum ad docendum destinatum. Act. 15. 21. *Sic Bellarmin. lib.* 3. *de Eccles. milit. cap.* 1. *Idem lib.* 3. *de cult. sanct. cap.* 4. Eandem sententiam propugnat *vir eruditiss. Nicol. Fuller. miscell. sacr. lib.* 2. *cap.* 9. *pag. m.* 221. *August. tom.* 4. *quæst. super Levit. lib.* 57. *& Miscell. lib.* 2. *cap.* 2. *pag.* 224. Verum enim vero Romano-Catholici hac voce utuntur, ut gradum sibi struant ad κυρίαν δόξαν. Quod ecclesia semper designet objectum externum visibile: veritati haud convenire docent varia Script. loca, scil. *Matth.* 10. 17. 23. 6. *&* 34. *Marc.* 12. 39. *c.* 13. 9. & alia quamplurima. confer. *Vir Excell. H. Hammond. annot. on St. Matth. fol. m.* 35. Et hanc ob causam *Munsterus* vocem istam per conventum (seu in frequentiis) explicat. Græci illam per ἐκκλησίαν interdum, ut refert *Vvallæus. pag.* 102. *ad cap.* 10. *Matth.* interdum per συναγωγὴν exponunt. Non negandum quidem nonnunquam de Ecclesia eam dici, imo in veteri Ecclesia ejusmodi vox usitata fuit, ut recenset ex *Patribus Vvallæus comment. ad Act. Apost. cap.* 15. *fol. m.* 1180. Non tamen hinc concludendum per eam semper designari locum visibilem exstructum. Nota quippe est τῆς συναγωγῆς duplex significatio, altera, qua Ecclesiam seu locum congregatorum, altera, qua populi plebisve, sive totius, sive partis conventum denotat, quemadmodum in Pentateucho & Prophetis, ubi sæpissime apud Hellenistas συναγωγὴ pro קהל substituitur, quod populi conventum, seu totum populum, seu Ecclesiam universalem illis significat; uti etiam sexcenties pro עדה, quod idem ferme sonat. Hinc etiam dicitur Synogoga peccantium, superborum, ludentium &c. vid. *Spanhem. dub. Evangel. part.* 3. *dub.* 77. *pag.* 362. *seqq.*

[3] *Templo simile.*) Quamvis Templa non fuerint Synanogæ, attamen quædam similitudo observata fuit. Templum enim ædificatum erat in loco alto, monte *Moriah*; ita quoque Synagogæ in colliculis & locis quibusdam altioribus ædificabantur; licet etiam ædificata fuerint in agris ut *Joh. Lightfoot. Hor. Talmud. in Matth.* 4. 23. observat. Sequentibus quoque temporibus reduxerunt in urbes teste *Clodio cap.* 2. Cautum tamen est, ut in altissimo urbis loco ædificarentur, & ne altiores iis domus essent. Hinc apud *Maimonid.* legitur: Cum ædificant Synogogam, non debent eam ædificare nisi in excelso urbis, quia dictum (Proverb. 1. 21.) in vertice tumultuantium clamabit: Et tam alte debent ædificare, ut latior sit omnibus palatiis, quia dictum est (*Es.* 9. 9.) ad exaltandum Domum Dei nostri. Templum habebat ingressum in Oriente & progressum versus Occidentem. Eodem modo unicus tantum est ingressus in Synagogis, teste *Maimonid.* his verbis: *Non faciunt portas Synagogæ nisi ad Orientem*: Nos quidem in Templis nostris varias habemus portas, sed non ita fuit in Templo Hierosolymitano; nam per unam tantum portam scil. *Susan* dabatur ingressus in Templum. vid. *Joh. Henric. Othon. Lexic. Philolog. Rabbin. pag. m.* 640. In ipsum quoque Tabernaculum unus tantum erat ingressus, quod adducit *Maimonid.* & probat ex *Num.* 3. 28. Templum distinctum fuit in atria; ita & in Synagogis primo erat locus communis, ubi lex prælegebatur, & hymni cantabantur: Deinde erant quædam atria, atrium muliebre superius, inferius autem atrium Israelitarum & Sacerdotum. Erat tamen etiam differentia quædam. Synagogæ ædificabantur apud Arbores & Sepulcra celebrium quorundam Doctorum ac Rabbinorum; non autem Templum, a quo arbores procul debebant abesse. Imo alia loca etiam erant ubi ædificabantur in agris, scil. ad flumina, fontes, torrentes, vid. cl. Tenzerl. differt. *de Proseuchis Judæor.* §. 7. Usus Templi erat ut in eo fierent sacrificia, oblationes & thymiamata; in Synagogis autem tantum legebatur verbum Dei, & canebantur hymni, & preces effundebantur.

[4] *Origo Synagogarum non fuit vetusta.*) Quando hujusmodi Synagogæ inceperint, in sacris literis expresse non exstat: Credibile autem est illas post occupatam terram Sanctam cœpisse. In hac sententia videtur esse *Bonaventura*, *Cornelius*, *Bertramus*

in lib. de Polit. Judaic. ubi *cap.* 15. dicit : In omnibus urbibus, in quibus habitarunt Levitæ , verisimile est eos consessum quendam habuisse, ad quem referrentur causæ Ecclesiasticæ : docuisse certe verum est , non solum in iis urbibus, sed & in aliis, in quibus & verisimile est , fuisse quædam loca destinata solennibus precibus . *Caroli Sigonii nostri* opinio veritati haud conveniens putatur . *Ego* , inquit , *Hospinianus de orig. templ. lib.* 1. *cap.* 4. *fol. m.* 18. Si quid conjecturæ opus in ejusmodi antiquitate , eas in captivitate Babylonica exstructas putaverim, & *fol.* 351. inquit : tempore *Hillelis* in usu fuisse , qui , teste *Galatin. c.* 2. *anno ante templum II. eversum* 100. *&* 80. vixit . Sunt etiam nonnulli qui plane ab Adamo illarum originem ducere volunt ; quippe qui tum omnium hominum , tum speciatim, Hebræorum pater extiterit . Quamobrem quantum liberorum , tantum discipulorum crevit multitudo . Hoc amplius censent , post diluvium a Noachi familia usque ad Eberum, eas conservatas esse : sed quicquid sit , citra dubium vel omnes hæ scholæ, vel maximam partem domesticæ & privatæ fuere . Publicum Doctoris munus sustinuit Abrahamus , si antiquissimo rerum Judaicarum scriptori *Josepho l.* 1. *antiq. Judaic. cap.* 8. fides habenda. Ab hoc, sed interrupta serie, Scholæ Hebræorum propagatæ sunt usque ad ingressum populi Israelitici in terram Canaan . His calculum addit Laurent. *Beyerlink. tom.* 7. *theatr. vit. human. fol.* 501. verba ejus hæc sunt : Origo longius Synagogarum petenda videtur , quam a tempore captivitatis Babylonicæ ; nam legimus *in lib. Jud.* convenisse in *Masphat* quadraginta millia virorum in Ecclesiam Dei, hoc est, in locum Deo dicatum diversum ab eo , ubi erat arca, quæ erat *in Silo* 1. *Reg. cap.* 13.

5 *Non fuit vetusta* .) In prioribus nostris annotationibus quædam adjecimus , itaque hoc loco rem uberius declarare suscepimus. Et cum variæ sint Autorum opiniones , breviter adducemus . Sunt igitur quidam , qui easdem ad antiquissima Reipubl. Israeliticæ tempora referunt. Ita doctissimus Anglus *Nicol. Fuller. lib.* 2. *Miscell. c.* 9. *pag.* 223. sentire videtur, probatque suam opinionem ex *Act.* 15. 21. & *Psalm.* 74. 8. & observat *Bornitius Exercit.* 2. §. 8. de *Synagog.* quod omnes ferme versiones hic conspirent, *ædificia* hic per מועדים intelligi. Ita *Lut.* vertit alle Hauser Gottes *Jun.* & *Tremell.* omnes Synagogæ Dei . *Munster.* exusserunt omnes Synagogas Dei . Omnes quoque Hebræorum Doctores conspirant . Idem, sed obscure , innuit *Cunæus de Republ. Hebr. lib.* 2. *c.* 9. Levitas ante dissensionem tribuum in Synagogis populo legum divinarum scientiam tradidisse. In hac sententia quoque videtur esse *Bertram. in lib. de Polit. Judaic. cap.* 15. *pag.* 242. seq. Consentit cum hisce *Hospinian. lib.* 1. *c.* 4. *de Orig. templ. fol.* 18. Audiendus & legendus est *Hottinger. in primit. Heidelberg. pag.* 311. E Romano-Catholicis hanc amplectuntur *Toletus* & *Torniell.* Quorum verba & rationes examinat *Bornit. Exerc.* 3. §. 8. E Nostratibus huic opinioni accedit *Micrælius in Syntagm. histor. Eccles. l.* 1. §. 60. *pag.* 264. Conformia huic habet D. *Calovius in Bibl. illustrat. Tom.* 1. *annot. ad Num. c.* 35. 5. Cui calculum adjicit *August. Pfeiffer in dub. vexat. cent.* 2. *pag.* 492. Alii certum tempus determinant , dicentes , primam Synagogam in Mizpah cœpisse : Ita *Martyr. Comment. in Judic. c.* 20. 1. *Botsacc. in Moral. Gedanens.* sub voce Synagoga. Alii originem ad Esræ tempora referunt , uti *Sigonius noster* hoc loco . Cujus sententiam approbant *Abr. Scultet. l.* 2. *Ex. p.* 40. *D. Muller in Judaism. p.* 2. *c.* 4. *pag.* 1414. D. *Quensted. in Synops. antiquit. Judaic.* celeb. *Braun.* in *Dictat. ad Sigon.* ubi & ad varias objectiones respondet , quibus sententiam suam stabilire vult. Nos itaque cum *Clodio* primam opinionem apprehendimus & referimus originem Synagogarum ad antiquissima Reipubl. Israeliticæ tempora, ita ut certum videatur, post occupatam ab Israelitis terram Sanctam cœpisse ædificari loca talia , in quibus lex divina legeretur. Hanc opinionem confirmat egregie 1. locus Act. 15. 21. ubi notandum, quod hanc consuetudinem legendi Mosen referat ad antiquissima tempora , quæ, cur ad Esræ seculum restringi debeant, non videmus. Et ne putes loqui eum de lectione legis privata in ædibus privatis, addit Mosen lectum fuisse in Synagogis . 2. Probamus id a fine Synagogarum, qui erat , ut legem Dei perciperent & precibus initarent . Accedit consensus virorum Doctorum.

6 *Frequentissima fuit Synagogarum consuetudo* .) Synagogam exstruendam esse omni in loco , ubi decem sunt literati i. e. legis studiosi בטלנין otiantes, nullis mundanis negotiis districti , Rabbini docent , ubi igitur tales reperiuntur , necessario exstruenda Synagoga , *Maimonid. Tephillah. cap.* 11. Observetur illud *Talmud. Megillah. cap.* 1. *halac.* 3. אי זה עיר גדולה. Quænam est civitas magna? כל שיש בה עשרה בטלנין. Ea in qua erant decem homines otii. פחות מכאן הרי זה כפר . Si hoc numero minus , ecce est villa. Cur autem decem requirantur legis studiosi , ut ibi esse possit Synagoga , rationem reddunt in *Sanhed. cap.* 4. 6. quia עדה היא עשרה. Omnis congregatio constat e decem, ut colligitur ex *Num.* 14. 27. Tantum tribuunt huic denario numero, ut, ubicunque decem modo homines habitent , ibi בית סנהדרים vel Scholam & בית הכנסת domum conventus vel Synagogam exstruendam esse judicent ; Sic *Maimonid. de precib. & benedict. Sacerdot. cap.* 11. §. 1. *Ubicunque sunt decem Israelitæ, ibi oportet ædificare domum , quam ingrediantur ad orandum omni tempore precationis , atque vocatur hæc domus, domus conventus, & urgent incolæ unus alium ad exstruendam ibi Synagogam* . Vocatur etiam Synedrium ut & viginti triumvirale quod minus Synedrium dicitur , numerus quoque hujus nullibi in sacra exprimitur scriptura , sed in *Mischna Talmud. tit. Sanhedr. cap.* 1. §. 6. exhibetur , exstant autem sequentia : וקטנה של עשרים ושלשה. Et Synedr. minus constat ex viginti tribus. Ulterius dicto loco legitur. Undenam vero causa & ratio? undenam evenit, ut minus Synedrium esset ex viginti tribus ? Scriptum est , & judicabunt Synagoga, cætus & congregatio (in casu scilic. homicidæ ex casu, privilegio urbis refugii se tuentis) & liberabunt homicidam &c. Congregatio judicii & congregatio liberationis faciunt hic viginti. Atque unde *Eda* seu congregationem ibi denotare decem colligitur? Scriptum est : usque quo congregatio illa mala murmurat adversus me ? ubi excipiuntur duo *Josue* & *Caleb*; vid. *Othon. Lexic. Rabbin. pag.* 624. *verb. Synagoga* . Congregatio seu Eda ibi sumitur pro decem reliquis exploratorum terræ cum Josue & Calebo missorum. Exceptis illis binis restat Eda seu congregatio decem. *Gemar. Hierosolymit. fol.* 19. *col.* 3. *Rabbi Ba & Rabbi Isa.* (i. e. *Rabbi Abba & R. Asi Hierosolymitan. Juchas. fol.* 85. *&* 96. *1.*) nomine Rabbi Jochanam , hic dicitur congregatio & illic dicitur , usque quo congregatio ista mala &c. Ut illic decem sunt congregatio , ita & hic decem . *R. Hona in Gemar. babylon. tit. Sanhedr. cap.* 1. *fol.* 7. 2. exemplum præbet , de quo dicitur *Rab. Hona*, quando ad eum audductum est Judicium, congregavit & venire fecit decem Rabbinos. *R. Menachen Recanat. in codice suo, fol.* 22. 2. (*vixit sub annum Christi* 1290.) *quem Rationes præceptorum inscripsit* , inter alia recenset de judicibus : Præceptum habetur de constituendis Judicibus & ministris in qualibet congregatione seu populi Synagoga . Decem qui domui Synagogæ seu conventus publici sacri vacent, (*glossa* ibi ; Decem filii hominis vacantes ab omni opere, ut parati sint domui Synagogæ, seu sacris ejusdem, vesperi & mane; atque adjicit : Quælibet urbs etiam si munita sit , seu muris cincta, cui desunt ejusmodi decem vacantes, censetur ut villa, seu oppidum , adeoque Synedrio ejusmodi indigna habetur .) Ex his tres Magistratum gerebant , ut refert *Joan. Lightfoot. hor. Talmud. in cap.* 4. *Evang. Matth. pag. m.* 248. *Otho : Lexic. Rabbin. pag. m.* 624. *sub voce Synagog. Sanhed. cap. IV.* 1. 2. *Johan. Selden. de Synedr. Hebr. lib.* 2. *cap.* 5. *pag. m.* 234. 235. *seq.*

7 *Provinciales* .) Author hic falso docet Provinciales tantum debuisse ingredi Synagogas . Templum vero civibus Hierosolymitanis inserviisse 1. Cum forenses æque ac incolæ hujus urbis templum introire potuerunt. 2. Cum Synagogæ in civium usum eorum conventionum causa exstructæ fuerant . Nam tanta copia hominum pollebat urbs Hierosolymitana , ut ipsa satis superque istas 480. Synagogas replere potuerit . 3. Synagogæ vix cives multo minus forenses advenientes capere poterant .

8 *Qua-*

[8] *Quadringentas octoginta*.) Eruunt plerumque eruditi numerum earum ex Antiquitatibus judaicis, quod fuerint 480. Ita enim R. *Phinehas* in *Hierosol. Chetub. sol.* 35. citante *Lightfoot in Centur. Chorograph. c.* 36. nomine R. *Hoshajæ* dicit: Quadringentæ & sexaginta Synagogæ erant Hierosolymis: quarum unaquæque habuit domum libri & domum doctrinæ. Recitantur hæc alibi *Megillah sol.* 73. 4. atque illic assurgit numerus ad 480. Et hic numerus receptior est, adstruiturque per Gematriam, ut vocant e voce מלאתי. *Es.* 1. 31. vid. R. *Salom.* ad *dict. Es. loc.* conf. *Medr. Echa in præf.* Jalkut. ex *Pesikta*; *Joh. Selden. de success. proleg. p.*43.

[9] *Peregrinos*.) Non tantum cives sed & peregrini Hierosolymis suas habebant Synagogas, quas ipsi paraverant. Legitur in *Cod. Megil. & Juchas.* ubi sermo est de Synagoga *Alexandrinorum*. Item de aliqua Synagoga *Ærariorum*: item de Synagoga *Libertinorum* quæ in tanto pretio non erat. Libertini enim tantæ dignitatis non erant, ut ingenui. conf. *Act.* 6. 9.

[10] *Judæa & Galilæa*.) Habuerunt etiam hic Judæi proprias Synagogas. Ita Christus dicitur διδάσκων ἐν ταῖς συναγωγαῖς αὐτῶν scil. *Galilæorum Matth.* 4. 23. Idem *Nazarethi* docebat in Synagoga. *Luc.* 4. 16. ut & *Capernaumi*. *Joh.* 6. Huc refer urbem *Tiberiadem*, quæ nobilitata fuit Synagogis tredecim, inter quas antiqua *Serongiana*.

[11] *In cæteris Provinciis*.) Post dispersionem, uti habuerunt in Græcia, Babylonia, Persia & Ægypto, in Hispania, Gallia, Germania, Bohemia, Hollandia, Turcia, de quibus prolixe David *Clodius in dissert. de Synag.* ubi quæ de Ministris aliisque rebus ad Synagogam pertinentibus multis verbis disquiritur.

[12] *Archisynagogus dicebatur*.) Habebant Judæi Archi-Synagogos, qui Synagogis præsidebant. Hi in N. T. Archisynagogi vocabantur, quippe quibus incumbebat summa rerum cura, summa potestas. Anglus in versione sua habet *Rulers of the Synagogue*, & per vocabulum *Ruler*, teste *H. Hammond. Anglo erudito*, *in annotat. in Matth. cap.* 9. 18. intelligit eos, quos *Græci* ἄρχοντες vocant, qui non in majori Synedrio, quod constabat ex Sacerdotibus, Senioribus & Presbyteris Israelis, Judices; sed in minori, vocabanturque *Rectores*. Archi-synagogus supremus erat, qui manum imponebat omnibus, qui eligebantur in Consistorium. Discrimen autem aliquod inter *Archisynagogos* & alios *Rectores populi* tantum nomine, vid. *Hammond. in Marc. cap.* 5. *fol. m.* 151. Et alius in annot. bibl. Anglican. ita loquitur: *A ruler of the Synagogue, or church of the Jews. The office of these rulers was to be Wardens of the Synagogues, and to take care, that all things might be decently and orderly done there*, qualis Jairus *Matth.* 9. 18. Notum est, præpositos hos fuisse viros perspectæ probitatis. Act. XIII. 15. Plurium Archisynagogorum unius ejusdem Synagogæ fit mentio; sed inter eos eminebat unus eruditione cæteros antecellens, cujus proprium munus erat legem interpretari & preces concipere. conf. *Grot. in N. Testam. pag.* 187. De Archisynagogis fit mentio in *Hadriani ad Servianum Cos. epist. apud Vopisc. in tertia Saturnino*: Præter hos apud Judæos etiam quidam patres erant Synagogarum item Sacerdotes, quos *Azanitas* vocabant, de his *Epiphan. in hæres. Ebionæorum*, conf. *Vales. in not. ad Euseb. fol.* 146.

[13] *Cœtus illius expers factus*.) Judæi maxime reverentur Synagogas, adeo, ut probro sit apud eos in montem domus (vel atrium gentium) cum baculo suo & calceis suis, crumena sua & pulvere in pedibus suis incedere, juxta illud: *Non per illud (scil. templum) faciat viam transitivam, nec faciat locum spurcationis. Babyl. Jevamoth. fol.* 6. Idem statuitur de Synagoga jam devastata, *Megill. fol.* 28. *Synagogam devastatam ne faciant viam transitionis*. Imo vitium turpissimum autumarunt, prætereuntes cum eam non frequentarint, ut refert *Maimonid. Tephillah c.* 8. & ex eo Joan. *Lightfoot. hor. Talmud. p. m.* 251. *Johan. Henr. Otto Lexic. Rabbin. pag.* 625. qui omnes uno fatentur ore, Judæos illos vocasse malos vicinos & excommunicasse, ut neque sub eodem tecto habitarent, neque eadem cum illis mensa uterentur: maxime Sacerdotes excludebant, sicuti olim apud veteres excommunicatio facta, teste *Basil. epist.* 47. conf. *Michael. Glyca in annal. part.* 3. *Baron. tom.* 5. *anno* 407. §. 23. Ejusmodi formulæ habentur apud *Burchardum Decret. lib.* 11. *cap.* 2. & *Ivonem Decret. lib.* 14. *cap.* 76. vid. *Joan. Selden. lib.* 1. *de Synedr. Hebræorum pag. m.* 314. 315. Non autem existimandum, excommunicationem jampridem inventam, minime; sed antiquissimam rem esse testatur *Conrad. Bertram. de polit. Judaic. c.* 2. Imo in ipso Adamo hoc videndum, qui inobediens ex horto pulsus: quippe *Niddui* ibidem habetur, ut *R. Jerem. Ben Eliez. in gloss. Talmud. ad tit. Erubin c.* 2. *fol.* 18. *it. Buxtorff. in Lexic. Chald. Talm. col.* 306. referunt; Hebræi varia habent excommunicandi vocabula. Primum vocatur Cherem, quod non solum execrationem & damnationem, quæ in foro fiebat, significabat, sed etiam accessit interdum τῷ Cherem bonorum seu substantiæ in sacros usus ablatio; atque is dicebatur separatus a Cœtu, Synagoga, Ecclesia. Observandus hic locus Esdr. 10. 8. *Quicunque intra tres dies Jerosolymam non veniret, ex sententia Principum & Seniorum anathemate consecrarentur omnes ejus facultates, ipse autem separaretur a cœtu eorum, qui a captivitate redierant*. Duo continebantur hoc edicto, unum, confiscatio bonorum: alterum a cœtu segregatio. Cherem itaque ut plurimum ipsum excommunicandi actum denotat: inde Hellenistis est ἐξολοθρεύειν, ἀφανίζειν, φονεύειν ἀναθεματίζειν destruere, delere, occidere, uti expresse *Exod.* 22. 9. Qui immolat diis præterquam Domino soli יחרם ἐξολοθρευθήσεται יקטל קטלא & ואקטלו e medio auferetur, morte plectetur. *Lyranus* ita dicit *Levit. cap.* 27. *Tò Cherem dupliciter sumitur. Uno enim modo significat sanctificationem, alio modo significat destructionem, non quamcunque, sed destructionem aliquam ad gloriam Dei ordinatam*. Ad hunc locum vid. *Andr. Willet. in commentar. Anglice scripto fol. m.* 756. Budæus & alii in hac sunt opinione, quod anathema sit totalis destructio, & derivetur ἀπὸ τοῦ ἄνω τίθεσθαι, hoc est sursum ponere vel figendo, vel suspendendo. *Augustin. in num. qu. XLI.* vel ἀπὸ τοῦ ἀνατιθέναι i. e. seponere, χωρισθῆναι καὶ ἀλλοτριωθῆναι ut explicat *Photius apud Oecum. in Rom.* 9. Sic in scriptura etiam *dicitur ager non redemtus* γῆ ἀφωρισμένη, quia a communi usu separabatur. In cap. 21. Num. legitur, ubi Israelitæ vovent destruere urbes Caanitarum, vocabulum חרם Cherem a rad. חרמה Chorma: Quid autem significet, facile ex Paraphras. Chald. quæ ponit verbum גמר Gemar, quod est plene & totaliter rem aliquam perdere, destruere, exterminare, ita ut nihil utilitatis inde amplius redeat. conf. *Paul. Fag. in Paraphr. Chald. cap.* 21. *Num.* Beza aliquam quærit differentiam ἀνάθεματος & ἀναθήματος, sed vix dari potest. *Photius* distinctionem dialecti facit: ἀνάθημα ἐν τῇ Ἀττικῇ διαλέκτῳ, ἀνάθεμα ἐν τῇ κοινῇ. Est igitur anathema destructio, ut *Prudent. in Psychomach.* eversionem Jerichuntinam describens, canit.

Succubuit capto victis ex hostibus auro,
Dum vetitis insigne legens ἀνάθημα favillis,
Mœsta ruinarum spolia insatiabilis haurit.

Judæi Hispalens. vertunt *sera destruido*, cui consonum Anglorum: *He shall be utterly destroyed. Galli sera destruit a la fason de l'interdit. plura vid. ap. Johan. Selden. pag.* 128. *usque* 136. Græci ἀποσυνάγωγος vertunt, e Synagoga ejectus, & ut refert *H. Hammond. in cap.* 2. *Joan. fol. m.* 298. Præfecti fumebant & ejiciebant e cœtu. Quod attinet exclusionem, illa in rebus civilibus & commerciis locum habebat. Tres species apud Judæos erant excommunicandi, primam vidimus. Secunda dicebatur *Niddui*, & tertia *Shmatha*. Vid. *Bertram. polit. Judaic. c.* 7. & *ibi Constant. L'empereur pag.* 372. *Schindl. in Lex. pentaglott. voce* שמתא. *Buxt. in Lex. Chald. pag.* 2463. *Georg. Gent. in vers. can. Ethic. Maim. cap.* 2. § 3. *Bez. ad Johan. c.* 9. *Ludovic. Capell. in diat. de voto Jepht. pag.* 174. *Drus. ad loc. citat. Joan. & in quæst. & resp. l.* 1. *qu.* 9. *Aloys. Novarin schediasm. sacro-profan. lib.* 7. *cap.* 10. *Selden. de jur. nat. & Gent.* 522. *lib.* 4. *c.* 7. *Bald. Vvalle in Joan. c.* 9. *pag.* 908. 909. Viginti qua-

ti quatuor causæ erant, ob quas quis per Niddui excommunicabatur. *vid. lib. inscript. Princip. sapient. brev.* 21. 1. Qui moriebatur in hac excommunicatione absque resipiscentia, eum lapidatione dignum judicabant, ideoque lapidabant urnam ejus. *liber Musar.* 121. 2. Eleazer filius Henoch vilipendit χειραρσίαν, quam vocant elevationem manus, ideo cœtu moverunt eum: mortuus est in hac excommunicatione sua, & urnam ejus lapidarunt. Quicunque igitur unum e XXIV. articulis transgrediebatur, excommunicabatur v. g. quando quis non gravi causa templum præteriisset, vid. *articul. V.* quem habet *Selden de jure naturæ & Gent. lib. 4. c. 8. pag. m.* 830. Qui vilipendet præceptum unicum, seu doctrinæ caput, quod habetur in scriptis Scribarum, nedum in scriptis legis, excommunicetur; de Præcept. vid. *Joan. Lightfoot. hor. Talmud. Joh. Henr. Othon. in Lex. Rabb. sub. voce Excommunication.* Aliquid denique monendum de voce Shmatha. Sunt quidam, qui tradunt extremam illam excommunicationem primum instituisse Henochum, quod colligunt ex *epist. Jud. v.* 14. Solebant autem veteres, si quis gravius peccasset, primum eum movere e cœtu Ecclesiastico, si non emendabat se; tum eum feriebant anathemate, quod si ne tum quidem se ad bonam reciperet frugem, Shmatizabant illum i. e. pæna gravissima afficiebant, conf. *Selden. de Synedr. Hebr. cap. 7. pag. m.* 172. *de jure naturæ & Gent. lib. 4. cap. 8. 9. seq. Godofred. ad Codic. Theodos. fol. 225. tom. 6.*



I. N. J.



I. N. J.

CAROLI SIGONII DE REPUBLICA HEBRÆORUM

LIBER III.

Qui de diebus sacris inscribitur.

CAPUT PRIMUM.

[1] *De annis Hebraicis.*

Quoniam de locis sacris diximus, deinceps sequitur, ut de diebus, prout proposueramus, agamus. Quæ disputatio quo apertius explicetur, prius de tota ratione Hebraicorum annorum ac mensium disseretur. Hebræi igitur, ut satis inter interpretes constat, [2] annum habuerunt lunarem ex mensibus duodecim, & diebus trecentis quinquaginta quatuor constitutum; eum vero duplicem: unum, [3] quem naturalem, & vulgarem; alterum quem civilem, & sacrum appellaverunt. Naturalis [4] ab initio mundi sub [5] æquinoctium autumnale est institutus, quo tempore ipsi etiam mundum a Deo creatum existimarunt. [6] Civilis ante egressum Hebræorum [7] ex Ægypto sub æquinoctium vernum a Deo præscriptus est, ille post conditos fructus, hic ante inchoatam messem. Ut autem Lunaris annus fieret solaris, id est spatio, quo sol Zodiaco circumvolvitur, finiretur, qui cursum suum diebus trecentis sexaginta quinque. Ac quadrante absolvit, [8] opus intercalatione undecim dierum, & quadrantis, qui supererant, fuit.

Cæterum numerus [9] duodecim mensium confirmatur quarto tertii Regum: *Habebat Salomon duodecim præfectos super omnem Israel, qui præbebant annonam regi, & domui ejus:*

ejus: per singulos enim menses in anno singuli necessaria ministrabant; & IV. Danielis: *Post finem duodecim mensium in aula Babylonis deambulabat;* & III. Esther: *Mense primo, cujus vocabulum est Nisan, missa est sors in urnam, & exivit mensis duodecimus, qui vocatur Adar.*

De anno vero naturali [10] incipiente a mense Septembri docet cap. XXIII. Exodi: *Custodies solennitatem in exitu anni, quando congregaveris omnes fruges tuas de agro;* & XXXIV. *Solennitatem hebdomadarum facies tibi in primitiis frugum messis tuae triticeae, & solennitatem, quando redeunte anni tempore cuncta conduntur.* Adde, quod annus septimus, & annus quinquagesimus ordiebatur a septimo mense, ut postea demonstrabitur, tanquam ab eo, unde vetus & naturalis annus exordium sumeret. Quin etiam Chaldæus Paraphrastes locum ex VIII. tertii Regum ita expressit: *Convenerunt ad Salomonem in mense Fortium festo die, quem vocabant olim primum mensem, at nunc est septimus.* Josephus autem libro Antiq. primo tradidit, diluvium Noe cœpisse [11] secundo mense anni, qui a Macedonibus vocatur Dios, ad Hebræis Mareshuan, qui respondet apud Romanos Octobri.

De institutione vero [12] sacri anni sic præcepit Deus in Ægypto capite XII. Exodi: *Mensis iste vobis principium mensium, primus erit in mensibus anni.* Eum vero mensem post vocavit cap. XXXIII. *mensem novarum frugum;* & XXXIV. *mensem verni temporis.* Quare omnium consensu putatur fuisse idem atque [13] Martius.

De intercalatione [14] non exstat præceptum in lege ullum, verum interpretes asserunt, eam necessariam fuisse, ut conservaretur [15] ratio mensium, qui a nova semper luna exorsi sunt; & Paschæ, quam quartadecima die primi mensis celebrari oportuit paullo ante messem; & Tabernaculorum, quæ perfecta vindemia celebrari Deus præcepit. Eos vero dies Judæi interposuerunt secundo & quarto quoque anno [16] post mensem duodecimum, qui dicitur Adar. Itaque eum mensem tertium decimum vocant Veadar, quasi alterum Adar, dierum viginti duorum, & viginti trium, vicibus alternatis, habita ratione quadrantis.

NOTÆ AD CAPUT PRIMUM.

[1] *De annis Hebræorum.*) Inter Judæos fuisse peritissimos Astronomos Judæi putant, & illos præcipue ex tribu Issachar fuisse, conantur probare ex *Genes.* 45. 15. & 1. *Chron.* 12. 22. vid. *Braun. de vestit. lib.* 11. *c.* 12. Quamvis autem peritissimi fuerint ex hac tribu, nihilominus omnes Judæos fuisse Astronomos probant ex *Deut.* 4. 7. *Gemaristæ* in *Cod. Schab. c.* 7. *fol.* 75.

[2] *Annum Lunarem.*) Lunæ cursus, ut apud *Tull. lib.* 2. *de natura Deorum* menses nominantur, quia mense Luna conficit cursum suum: at hoc non est lunæ proprium, quia idem & de sole siderumque reliquorum splendore recte dici potest. Melius qui Lunæ cursus a חדשים i. e. novitates a nova Luna dicunt. vid. *Ludov. de Compiegne in tract. qui inscrib. Manus fortis. pag. m.* 2. Magnam igitur observationem lunæ adhibebant, teste *R. Mos. Maimon. de ratione intercalandi pag. m.* 5. §. 4. 5. Distinguebant Judæi annum ratione efficientis in Solarem & Lunarem. vid. *R. Mos. Maimon. in tract. de ratione intercalandi. Henr. Gunth. Thulem. de variis Siclis Hebræorum pag. m.* 212. *Chron. Beroald. pag. m.* 51. Usi autem ante & circa diluvium annis solaribus, non menstruis, ut patet ex historia diluvii. *conf. Antiquit. Dieter. bibl. fol. m.* 546. Post egressum ex Ægypto in usu esse cœperunt anni Lunæ-Solares; siquidem a novilunio, quod æquinoctium vernum proxime antecedit, initium anni sumebant. Lunari etiam Romani & Græci usi usque ad Julium Cæsarem. Constat vero annus Lunaris duodecim lunationibus.

[3] *Quem vulgarem & naturalem.*) Naturalis mensibus XII. absolutus pertinet ad initium mundi creati & ad sabbatorum terræ plantationem. Quando autem Sol & Luna munus distinguendi tempora, dies & annos susceperint, cognoscendum ex *Genes. c.* 1. Nonnulli id in autumnali æquinoctio cœpisse putant vid. *Andr. Willet. comment. Angl. in Genes. cap.* 1. *fol. m.* 7. *quæst.* 17. Quæ, ut par fuit, secuti Judæi, mensem Tisri, Latine Septembrem, vocant ראש השנה. *Rosch hasschana. conf. clariss. Buxtorff. de abbreviat. pag. m.* 180. *Cornel. a Lapid. comment. ad Exod. cap.* 12. *fol. m.* 435. *seq. Andr. Willet. comment. sextupl. in Exod. cap.* 12. *fol. m.* 119. *quæst.* 3. *Diodat. annot. on the first book of Moses* dicens: *There was both a Kindly spring in the growing of grasse, and Herbes and Treces, and a mature Autumne in ripe and perfect fruits.* i. e. *Hic non gramen, herbæ seu arbores tenues, sed perfectæ, fructus maturos ferentes.* conf. eundem *Exod. cap.* 12. & *cap.* 23. *vers.* 16. *Rab Elieser* cum plurimis Judæis id affirmare videtur. Cæteri *Hebræi* in subsidium vocant Kabbalam suam בראשית per anagrammatismum, quod idem significare dicunt: *Initio anni mundus est conditus.* Vid. *Manasse ben Israel probl.* 9. *Concil. in Genes. qu.* 25. Eosdem sequuntur *Scaliger lib.* 5. *de emendat. tempor. Drus. observat. lib.* 1. *c.* 18. *Calvis. Wolff. Mares. System. Theol. l.* 5. pag. 92. *Tostatus, Pererius, Torniell.* Annal. pag. 46. *Lyran. in Genes. cap.* 7. *Montan. lib. de secul. Pic. Mirand. lib.* 7. *adv. Astron. cap.* 6. Nec aliter sentiunt *Bodin. lib.* 6. *de Republ. c.* 2. *Petav.* 1. *a. rat. temp. Beroald. Chron. Sacr. pag.* 58. & 63.

[4] *Ab initio Mundi.*) Inquirendum est, quo tempore Judæi a mundi creatione numerare inceperunt, idcirco non erit alienum instituto hic referre, quod observat R. *Azarias in libr.* quem inscripsit מאור עינים, supputationem nimirum annorum a creatione mundi non fuisse in usu apud Judæos nisi post editum *Talmud.* Hujus Hebraica verba latine reddidit *Houting. pag. m.* 20. sequentibus: Si consulas prima tempora, constabit tibi, computum a creatione mundi non fuisse apud nos in usu, nisi longo tempore post obsignationem Gemaræ, aut saltem a tempore, quo obsignata est. Quippe primo alia petebantur initia computandorum annorum diversa inter se, secundum casus temporum, tum secundum bona vel mala, quæ populo nostro primis illis temporibus contingebant, ac inprimis quidem adverte, etsi ex serie legatis historiæ constet summa annorum elapsorum a creatione mundi usque ad tempus quo data est lex, nulli tamen narrationi certam aliam temporis epocham constitui, nisi ab exitu populi

Israe-

Israelitici ex Ægypto, ut patebit, non autem a creatione Mundi, ut fieri poterat: Imo in ipsa Creationis descriptione non dictum est, anno ab hinc millesimo, quadringentesimo quadragesimo octavo creavit Deus cœlum; sed simpliciter dicitur: In principio, i. e. primo tempore olim initio creationis rerum creavit Deus. De hac controversia etiam eleganter differit celeber. *Joh. Meyer. in Diatrib. de festis Hebr. a pag.* 71. *usque* 76. Quem autorem evolvat Lector, ubi varias opiniones de anno mundi Judæorum reperiet.

5 *Æquinoctium autumnale &c.*) Varia est controversia inter Doctores, an mundi natalis ad æquinoctium *vernum* vel *autumnale* sit referendus. Si sacrum Codicem evolvimus, tunc in illo argumenta haud contemnenda dantur, quæ pro æquinoctio autumnali faciunt. Etenim Festum Tabernaculorum erat celebrandum בצאת השנה in exitu seu *fine anni*. Idem *festum collectionis*, quomodo ex ejus fine nuncupatur, erat agitandum in *revolutione anni*, sive *vertente anno*. Duobus locis, inquit *Aben Ezra*, legitur *in fine anni; siquidem finis anni est initium alterius anni*. *Raschi* exponit de anno redeunte initio sequentis anni. Cum autem duplex tantum esset principium anni Hebraici, aliud Ecclesiasticum seu Sacrum, cujus caput erat *Nisan*, aliud civile, cujus caput dicitur esse *Tisri*, alterutrum hisce locis intelligi oportet. At *Nisan* esse nequit, ut Scriptura & experientia docent, ergo debet esse mensis, quo festum Tabernaculorum celebratur, & hic est *Tisri*. Interim plura loca huic sententiæ videntur adversari *Exod.* 12. 2. & 13. 4. egressis ex Ægypto edixit Deus: *Hic* mensis (Abib) *vobis principium esto mensium: primus ille vobis esto inter menses cujusque anni*. conf. 2. *Reg.* 25. 8. *Jer.* 39. 3. Templum dirutum esse legitur mense quinto, qui ex traditione judaica non alius est, quam *Ab*, quintus scil. mensis a *Nisan* sive *Martio*. Ergo Principium anni non est *Tisri*, sed *Nisan*. Hæc & alia refert celeb. *Johann. Meyer in Diatrib. de origin. & caus. Festor. edit. Amstel.* 1693. *pag. m.* 56. 57. *seq.* Verum Hebræorum Doctores, ut rem clarius proponant, dicunt, quod *Nisan* sit principium mensium anni, sed *Tisri* principium anni. Hinc *Aben-Ezra* & *Abarbanel* in *Exod.* 23. 15. notarunt, *veteres numerasse annos a Tisri ad Tisri*, & *Maimonid.* in *Tr. Talmud.* de festo novi anni ex versione *Henric. Houting. edit. Amstel.* 1695. *pag. m.* 15. scribit, quod primus dies *Tisri* Septembr. sit caput anni; & a primo die *Tisri* Septembris computatio annorum a creatione mundi prætexatur: nam secundum Judæorum opinionem isto mense universi mundi machina creditur creata. Sic *Gemar*. Hic autem Judæi duplicem computum, unum *vulgarem*, alterum *Ecclesiasticum* statuunt. Vulgarem seu politicum *Nisan*: Ecclesiasticum *Tisri* vocant; qui computus annorum לבריאת עולם a mundi creatione hodie maxime in usu est. Ex his sane constat, Judæos mundi creationem referre ad autumnum, quibus calculum addunt multi Christianorum Doctorum, inter quos est *Johan. Christian. Ising. Eccles. Cathedral. Cniphov. Regiom. Boruss. Symmist. in exercit. histor. Chronolog. Geograph. & Philolog. edit. Francof.* 1683. *pag. m.* 1. Qui cum aliis statuit, *Autumnum* fuisse tempus illud, quo mundus fuerit conditus. Eligimus, inquit, cum *Josepho*, *Schaligero*, *Calvisio* & hos sequentibus *punctum autumnale* ob varias rationes, quas *pag.* 2. fusius adduxit, & inter quas *sexta* est, quia arbores pomiferæ & fructus maturi fuerint, quod in *autumnum*, non tempus *Vernum* incidat; quæ opinio satis probabilis videtur. Utrum autem ineunte *autumno* an *adulto* jam, vel præcipitante Vere, an aliqua Æstatis parte, tacente *Mose*, nihil certi statui potest. Veteres tamen plerique nominis Christiani patres *Vernum*, ut generationi rerum, ita origine primæ aptissimum putaverunt. Quippe

Omnia nunc florent, nunc formosissimus annus.

Etsi nunc, scribit *Hugo Robinsonius Anglus in Annal. Mundi fol.* 32. *lib.* 1. *edit. Londin.* florere omnia cœperunt, suo tempore florebunt omnia, alias fructus vernales aut nullos eo anno arbores, aut alieno tempore, producebant. Quin etiam *Vere* renati homines redemtique per Christum conceptum *Vere* & *Vere* mortuum; eodem igitur & primo fuisse natos par est. Itaque *Judæi* annos a *Vere* inchoabant imperante Deo, atque ad ipsa Mundi exordia initium anni revocante. Hoc illi Veteres, qui nec ethnici Poetæ (*Virg. Georg.* 2.) suffragium aspernantur.

Non alios prima crescentis origine Mundi
Illuxisse dies; aliumve habuisse tenorem
Crediderim: Ver illud erat, Ver magnus agebat
Orbis & hybernis parcebant flatibus Euri.

In eandem sententiam eunt *Damascenus lib.* 1. *de fide c.* 7. Per solem quatuor anni conversiones constituuntur, quarum prima Verna est, in qua Deus res universas condidit, idque ex eo constat, quod nunc quoque *Vere* flores germinent. *Cyrill. Hierosolymit.* 3. *Catech.* Xantico mense instante, ver est reliquum, estque hoc tempus mensis primus apud Hebræos in quo festum Paschatis prioris erat typici, nunc vero est vere; hoc tempus est creationis mundi, tunc enim dixit Deus, *Producat terra herbam* virentem &c. Et S. *Ambros. in Exod. c.* 12. 2. Mensis ille vobis principium Mensium, primus erit in Mensibus anni *lib.* 2. *Hexam. c.* 4. ita differit: Mensis hic initium mensium est vobis, quamvis & de tempore istud accipiatur, quia de Pascha Domini loquebatur, quod *Veris* initio celebratur. In hoc ergo principio mensium cœlum & terram fecit, quod inde mundi capi oportebat exordium, ubi erat oportuna omnibus verna temperies, unde & annus mundi imaginem nascentis expressit. conf. *Lumi riflessi Don. Philip. Picinel. edit. Milan.* 1667. *part.* 1. *fol. m.* 3. Sic etiam *Eusebius*, *Hieronymus*, *Leo Pontifex* & *Beda*, *Strabo*. *Raban.* aliique Veteres & Moderni (*S. Ambros. de Noa & Arca c.* 17. *Jul. Scalig. Exerc.* 257.) sentiunt. Plurimi tamen creationem rerum maxime tempestivam fuisse in *Autumno* putant, quorum ego fidei non adversabor, demonstraturque tamen arma quibus & hi pugnant non esse *Achillæa*, sed quæ facile rejici & retundi possint. Ac 1. disputant, animalibus præparanda fuisse alimenta, quibus vesci ac sustentari possent. Alimenta vero maturescunt in *Autumno*. Autumno igitur ortus rerum tribuendus est. Expeditus jam hic nodus. Nec enim negari potest, quin adultum ver (Æstas vero multo magis) fructus herbasque protulerit, tantæ hominum aliorumque animalium paucitati, quæ abunde sufficerent. 2. Deinde arguunt, neque homines ætate infantili puerilive primo editos, neque aliorum fuisse animalium pullos; verum perfecta maturaque omnes ætate productos: ergo & arbores maturis oneratæ fructibus prodierunt. Id autem non nisi in autumno cum fieri soleat, Autumno deberi volunt originem rerum. Sed & hoc imbelle admodum telum est, quodque ut amentata hasta retorqueatur facillime. Vero enim simillimum est, ætate juvenili conditum fuisse Adamum, & ad prolem generandam satis matura, non autem virili & senectuti proxima. Quare ut pueritia ætatis humanæ sit *Ver*, Æstatis rationem juventus habitura est, non *Autumni*. Neque gravida mulier nata est, sed concipiendis pariendisque liberis jam idonea. Ita & arbores conditæ sunt adeo perfectæ, ut sua quæque tempestate fructus producerent; aliæ vernos, æstivos aliæ, sed plurimæ in Autumno. Nec enim quod serpenti respondet *Eva*, se de arboribus Paradisi omnibus, unica tantum excepta, comedere, arguit, fructus fuisse omnes maturos eo tempore; sed licuisse tantum, nulloque Dei mandato esse prohibitos, quin de omnibus, ubi tempore idoneo maturuissent poma colligerent comederentqne. 3. Ajunt in *Autumno* colligi ac reponi fructus frugesque anni veteris serique in eodem futuri spem; eandem tempestatem novæ rerum generationi maxime natura convenire: in eadem igitur prior annus desinere videtur, incipere novus. Quo autem annus tempore, mundum quoque incepisse credibile est. Fatemur nos, Autumnum præcipitantem dici quidem vulgo solere posterius Ver. At priori, quod hyemem consequitur anni Senectutem partemque postremam, quodque aliis frugibus serendis, aliis producendis fovendisque aptissime conducit, potius deberi ac tribui justius anni principium, quis non videt? 4. Credibile est eodem tempore gentes Orientales antiqui-

tus exorsaș annum fuisse, quo mundus ipse exortus est. At in Oriente apud plerasque gentes in *autumno* cœpisse annum *Hieronym.* autor est in *Ezech.* c. 1. Idem erat Ægyptiis anni Israelitisque initium, Ergo & mundi. Nos autem veteres illos in Oriente dicimus non principia mundi spectasse, sed usum popularem agricolarum & pecuariorum, mutuosque in agris locandis & conducendis contractus, ut nova sementis in futuram sequentis anni spem opportune fieret, quæ omnia tam *Veri* quam *Autumno* conveniunt. Credibilia tamen esse hæc, neque nos negamus, pernegamus necessaria. Nam & *Veri* videntur non minus convenire posse, unde multas gentes exordium sui temporis cœpisse perspicuum est.

[6] *Civilis.*] Vocatur & Ecclesiasticus a Deo ipso institutus. *Exod.* 12. Incipiebat a *Nisan. Nisan* autem voluit Deus primum esse inter cæteros dignitate, propter illud eximium liberationis Ægyptiacæ beneficium, vid. *Andr. Willet. Angl. comment. in Exod. cap.* 12. *quæst.* 3. *fol.* 119. quod etiam asserit *Commento di Antonio Brucioli nell' Esodo cap.* 12. verba ejus hæc sunt: *Cominciando da marzo il primo, & così alla prima & prossima lunatione o congiuntione del sole con la luna prossima all' equinottio della prima vera, comincia il primo mese agli Ebrei, per commandamento divino da questo luogo il quale chiamato da essi Nisan. Così adunque il principio dell' anno o da tenere, che sia principio della salute & de beneficii di Dio fol.* 58. Nomen mensis primi expressum cap. 13. 4. Exod. ubi dicitur Abib, quia hoc mense fruges maturescere incipiebant. Non igitur subscribere possum opinioni *Pererii*, quem sequitur *Paulus Burgensis*, quod Hebræi ante captivitatem Babylonicam nullos certos menses nominibus certis designatos habuerint, sed post captivitatem usos mensibus Chaldæorum, quorum primus Nisan: siquidem in ipsa sacra Scriptura mensium Hebræorum sæpissime mentio fit ante captivitatem Babylonicam, ut *Ziv.* 1. *Reg.* 6. 1. *Ethanim.* 1. *Reg.* 8. 2. *conf. Andr. Willet. cap.* 12. *comment. ad Exod. fol. m.* 120. *quæst.* 4. Nisan autem respondebat partim *Martio, partim Aprili.* Mense hoc magna celebrabantur festa scil. *Tabernaculorum* & *Paschatis*. Eodem hoc mense *Israelitæ* quoque ingressi sunt *terram Canaan*. Imo quidam fovent hanc opinionem, quod mundus hoc mense creatus sit, ita ex *Hebræis* sentit *R. Josua*. Ex Arabibus *Elmac hist. Eccl. Msc. quem citat clar. Hotting. in tract.* κτίσεως ἑξαμέρῳ *qu.* 5. *p. m.* 10. וקד אשתוי אלליל ואלנהאר ענד דחול אלשמש ראש אלחמל פי אליום אלתאלת עשר מן אדאר והו עיד אליהוד בנישאן אלדי קאל אללה: פיה: למושי אלנבי הדא אלשהר יכון לכם ראש אלשהור רפיה זעם אלחכמא יכון אלעצא אלעאלם *Tempus quo constituit* (Deus) *noctem & diem, ingrediebatur Sol caput arietis die* 13. *mensis Adar, quo festum Judæi celebrant Nisan, de quo Deus Mosi Prophet. dixit: Hic mensis vobis erit in primum mensem; in quo etiam eruditorum sententia erit finis mundi.* Accedunt ex Græcis *Basil. Hexaem. Athanas. Resp. ad quæst. XVII. Antioch. Gregor. Nazianz. orat. in nov. domin. Euseb. in lib. qui omnimod. histor. inscrib. & a Pererio citatur. Cyrill. Hierosol. Catech.* 14. *Theodoret. quæst.* 72. *in Exod. Damasc. de fid. orthod. cap.* 7. *Synod. Palæst. a Theoph. Episc. Cæsar. congregat. A.C.* 198. *Cornelius a Lapid. in comment. in Genes. pag.* 19. *Andr. Willet. commen. in Genes. cap.* 1. *fol.* 7. *quæst.* 17. Sed quoniam hæc admodum incerta sunt, aliorum judicio illa relinquo.

[7] *Ex Ægypto.*) Hebræos variis varios temporibus habuisse computos, tam ex *Scriptura*, quam *Rabbinis* patet; Omnium autem primam annorum supputationem instituerunt a filiorum Israelis egressu e terra Ægypti, quæ usque ad templi Salomonici ædificationem duravit, illo autem exstructo, ab ædificatione, & destructo postea ab excidio computum instituerunt. Sic Rabbini in Tract. Talmud. ראש השנה *c.* 1. Cujus verba latine reddidit *Houting. in pag.* 16. hoc modo: Unde probatur, Judæos numerasse ab exitu ex Ægypto? Ex eo nempe, quod scriptum est. Exod. 19. 1. In mense tertio exitus filiorum Israelis e terra Ægypti. At hinc non constat mihi usurpatam fuisse ejusmodi supputationem nisi pro tempore illo. Postea etiam illam in usu fuisse unde habemus? Id discito ex Scriptura *Num.* 33. 18. Anno XL. ab exitu ex Ægypto. At mihi non constat usurpatam fuisse ejusmodi supputationem nisi aliquando; perpetuo vero ea usos fuisse Israelitas unde habemus! Id discito ex Scriptura 1. *Reg.* 6. 1. Et fuit octogesimo anno & quadringentesimo ab exitu populi Israelitici e terra Ægypti, anno quarto mense *Zivo* (is est mensis secundus regni Salomonis super Israel &c.) Postquam vero exstructum est templum, cœperunt annos numerare ab illius ædificatione juxta illud 2. *Par.* 8. 1. Et fuit a fine viginti annorum, quibus ædificavit *Salomon* Domum Dei. Destructo autem templo, non fuerunt digni, qui numerarent ab ædificatione Templi, cœperunt numerare ab ejus excidio, juxta illud *Ezech.* 40. 1. Anno vigesimo quinto captivitatis nostræ initio anni, (degentes autem sub aliorum potestate captivi) non fuerunt digni, qui a se annorum computum sumerent; ceperunt annos numerare a *regnis extraneorum*, juxta illud *Zachar.* 1. 1. anno secundo *Darii* & *Daniel.* 10. 1. *anno tertio Cyri*. Illa autem supputatio ab annis Regum exterorum sæpius in *Talmude* occurrit, præsertim quando de libello repudii agitur, uti *Maimonid.* in *Hilcot* גרושין *c.* 1. *v.* 27. notat. Quem numerandi modum usque ad *Alexandri Magni* tempora sartum tectumque reservabant, & literas Contractuum non ab aliquo Rege extraneo, sed ab Alexandro concludebant, ac de novo מניין שטרות numerationem contractuum instituebant, ut refert autor *Tzemah David* his verbis ab *Houting pag.* 17. Latine editis. Tempore Simeonis justi Pontificis Summi egressus est Alexander Macedo e terra sua anno tertio regni sui, postquam adscendit pugnaturus adversus Darium Regem Persarum: Adscendit enim versus Jerusalem, ut vastaret illam, quia Judæi coacti a Domino fœdus cum ipso inierant. Tum magnus fuit Judæorum luctus, jejunium, ploratus, & planctus, & vociferati sunt ad Dominum in angustia sua. Accessit autem ad eum Simeon justus indutus vestibus Pontificalibus, comitantibus Senioribus Israel. Ut vidit Rex Alexander, descendit de curru suo & incurvavit se coram illo &c. Petiit Rex a Simeone justo, ut in monumentum erigeret ipsi statuam & effigiem auream eamque collocaret inter porticum & altare. Respondit ipsi Pontifex: Interdictum nobis est a Deo nostro accipere ullum sculptile, verum monumentum majus, quam postulasti, erigemus tibi, omnes filii Sacerdotum qui hoc anno nascentur de nomine tuo Alexandri vocabuntur. Id placuit Regi Alexandro, magnamque auri copiam largitus est. R. autem *Abraham* filius David & autor *Juchasin* atque autor *Jesod Olam* itidemque *Abarbanel*, aliique præterea scribunt, Sacerdotem Summum promisisse Regi ab illo die & deinceps inchoaturos Judæos numerum annorum in æra contractuum suorum ab adventu ejus illuc. conf. *Joh. Meyer. Diatr. de fest. Jud. pag. m.* 14. *edit. Amstel.* Sic *Houting. pag.* 18. describit, quamdiu hic annorum computus duraverit. Scito Israelitas primo numerasse annos ab exitu ex Ægypto: Postea vero juxta numerum annorum Regum ut comperies apud Prophetas priores & posteriores, usque ad ævum *Alexandri Macedonis*; tunc ceperunt annos suos computare & obsignare omnes contractus suos ab ejus tempore, ut tradunt in *Talmude lib. de Idolo. c.* 1. Dicit *R. Nachman*: In Captivitate non computant, nisi a Regno Græcorum tantum. Neque vero id factum est tantum, quamdiu imperarunt nobis Græci propter pacem ac salutem regni; verum etiam postquam excussum est a cervicibus nostris jugum eorum, remansit hæc consuetudo apud nos plus quam per mille annos. Etenim si consulas prima tempora, constabit tibi, non fuisse solitos numerare annos a creatione mundi, nisi cum obsignata est *Gemara* aut longo tempore post. vid. *cit. aut pag.* 19.

[8] *Opus intercalatione.*) Mirum videri potest, qui fiat, ut, cum anno solari utatur Sacra Scriptura & mensibus lunaribus, memorentur tantum XII. anni menses: quum Luna altero mense XXX. numeros impleat, altero tantum 29. sic ut duo menses conficiant *quinquaginta novem* dies, & ita duodecim menstrua Lunæ spatia cursum Solis explere nequeant. Hic igitur observandum, quod Hebræi in fine anni dies adjecerint. *vid. Joan. Coch. ad* San-

Sanhedrin & Maccoth pag. m. 6. & 9. Tribus vero de causis annus intercalaris instituebatur 1. propter æquinoctium. 2. propter terræ fruges. 3. propter arborum baccas. Æquinoctium aut X. aut VI. die Nisan, prout Concilio visum erat, statuebatur, habita ratione frugum, quæ tempore Paschatis debebant esse maturæ, ut ex iis primitiæ Deo offerri possent. Ex incerta hac mensium per annum distributione, incerta etiam manavit Festorum, jejuniorum, in lege sacra denotatorum, ratio. In tribus autem Provinciis istis Judæa, Trans Jordanem, & Galilæa, ita constitutum erat, ut si in duabus maturæ essent fruges, dies intercalares non fierent, si vero in una tantum ex his tribus maturitas frugum appareret, dies aliquot intercalarentur. Modus autem intercalandi ita factus. *Innotescat vobis me Collegasque meos* (nam non nisi per eos, quibus hoc negotii datum, intercalabatur) *consensisse, ut adjiciatur huic anno jam labenti tantum vel tantum.* Formulam adjecti mensis *Veadar* suppeditant *Gemaristæ: Fratribus nostris, filiis deportationis Babylonicæ, seu qui in Babylonia peregrinantur, iis etiam qui in Media sunt & Græcia, cæterisque universis Israelitis ubicumque peregre agentibus, pacem vobis multam. Notum vobis facimus, quod, cum pulli adhuc sint teneri & agri tenues, & tempus præmetii non venerit, mihi visum sit addere huic anno XXX. dies.* Et alio in loco *Gamalielis* edictum: *Fratribus nostris habitatoribus Galilææ superioris & inferioris. Pax vestra augescat: Notum vobis facimus, tempus abolitionis* (*Scaliger lib. 3. Isag. canon. pag. 278. vertit tempus excussuræ*) *advenisse ad auferendas decimas ex oleario.* Alio modo: Notum est vobis, quod, cum agni adhuc sint teneri, & pulli columbarum graciles, & tempus Abib seu maturescentium frugum nondum ita prope sit, visum est mihi & Collegis meis adjicere huic anno dies XXX. Præterea & ob alias causas Concilium annum decernebat intercalarem. Nam si viæ essent deteriores, quam ut posset Hierosolymam adscendere populus, intercalabatur. Vid. *Joan. Cocc. ad tit. Sanhedrin & Macchot pag. 7.* Item si pontes interrupti, si furni perpetuo imbre eversi, ita ut agnus Paschalis non posset assari. Dependebat autem hæc intercalatio non a Luna vel Sole, sed Synedrii constitutione. De modo seu ritu vide sis plura apud *Maimonid. de ratione intercaland. Hebr. pag. 41. 42. seq.* Hottinger. *in tract. Hexaem pag. 16. seq. Beroald. Chron. Sacr.*

[9] *Duodecim mensium.*) Vix operæ pretium videtur, ut operose hic in ipsius nominis Etymologiam inquiramus, lubet interim duas hic opiniones adducere. *Primam* quidem ipsius *Ciceronis*, qui *lib. 2.* de *nat. deor.* mensem quasi *mensum* dierum numerum dici putat. *Alteram* vero *Macrob.* qui Mensis vocabulum a Græco Μήνη, quod *Lunam* significat, deducit, quod nimirum ad *Lunæ* cursum plurimæ gentes suos menses formare solitæ fuerint. Cum hoc *Macrob.* fere convenire videntur, qui idem a μὴν, quod mensem notat, derivant. Quam sententiam sequaris perinde est. Et licet menses Judæi dividere soliti sint in *duodecim menses*, multæ tamen gentes repertæ sunt, quæ non in tot partes diviserunt. Sane *Polydor. Virgil. lib. 2. de invent. rer. cap. 4.* hæc habet: *Arcades, ut Plutarch. in vita Numæ & Macrobius in primo Sat. meminerunt, tribus duntaxat mensibus annum suum explicabant. Chares & Acharnanes sex, Ægyptii primis temporibus, teste Solino, quatuor; sed antea, ut Censorino placet, duobus tantum &c.* Fuerunt etiam alii populi, qui aliter menses diviserunt uti recenset M. *Joachim. Busse in diss. Chronol. de Mensibus.* edit. Witeb. 1660. Licet igitur, inquam, non ab omnibus populis annus communiter in XII. interdum etiam XIII. menses divisus, nemo tamen nos reprehendet, quod XII. menses statuamus, cum certum sit, talem divisionem obtinuisse antiquissimis temporibus. Patet hoc ex Hebræorum exemplo adducto.

[10] *Incipiente a mense Septembr.*) Civilis annus est, cujus caput dicitur esse Tisri. Duo enim Judæi anni habuerunt principia, unum naturale a Tisri, alterum ex instituto & placito a Nisan. vid. *Henry Ainsworth* comment. *in Exod. 23. fol. 94. Joh. Meyer Diatrib. de Fest. Hebr. pag. 67.*

[11] *Secundo mense anni.*) Quod ante & circa diluvium Judæi *Solaribus* annis usi, XII. scil. mensium τριακονθημέρων h. e. XXX. d. additis in fine s. d. ἐπαγωμένοις non obscure tradit *Illustr. Scaliger* de *Emendat. Tempor. l. 3. pag. 151.* consentiente *D. Behm. Chronol. l. 1. tit. 2. c. 3. p. 10.* Illud vero probat uterque ex Sacra Scriptura & historia cataclysmi universalis, inprimis, quæ exstat *Genes.* 7. Nam Moses scribit, diluvium cepisse die 17. mensis secundi *vers.* 11. & 150. dies super terra stetisse. *v.* 24. deinde decrevisse. *cap.* 8. 3. Quos cum 17. die mensis septimi finitos esse, testatur *vers.* 4. Ergo a 17. d. mensis secundi ad 17. septimi transierunt 150. dies, qui per 30. divisi, quinque menses τριακονθημέρους conficiunt. Si jam quinque singulis mensibus triginta dies adscribuntur, reliquos septem tot etiam habuisse dies, certum & indubitatum est.

[12] *Sacri anni.*) *Nisan* mensem alias dictum *Abib* caput & initium anni Ecclesiastici fuisse sub æquinoctio verno tam Scriptura Sacra, quam Rabbini affirmant. vid. *Ægid. Strauch. dissert. Chronolog. de anno. Johan. Meyer. Diatrib. de Fest. Hebr. pag.* 64. 65. ubi ex Rabbinorum Scriptis multis probat. conf. *Henr. Ainsworth. comment. in Exod. cap.* 12. *fol. m.* 36.

[13] *Martius.*) Ita sentit sæpe laudatus *Meyer. c. l.* Martius apud Romanos dictus est a *Marte* Romuli patre, in cujus Kalendis celebrantur Matronalia, ubi Matronæ Marti sacrificant.

[14] *Non exstat præceptum.*) Hanc tamen intercalandi rationem antiquam Judæi statuunt, ita ut Prophetis in usu fuisse testentur. Ita *Aben-Esra in Levit.* 23. 4. teste *Joh. Meyer. l. c. pag.* 81. Summa rei est, quod sapientes nobis hanc rem interpretati sint (ex lege) cui inniti possumus in exilio, & ita accepimus ex ore Prophetarum, nec possumus quidquam melius facere, quam hoc ipsum. *Maimonid. Misn. Rosch hasch. f.* 36. 4. ei calculum addit: *Mysterium intercalationis quod Deus S. & B. Mosi tradidit, hoc est negotium computi, quo revera novimus finem visionis (Lunæ.) Et Astronomi omnium nationum & Philosophi de eo disputant, & in hunc usque diem res illa nondum est decisa, nec vera mensura declarata. Hic computus qui etiamnum est in nostris manibus, est par istius computi & ejus initium, quia solummodo est collectio Arithmetica media, non accurata.* Nec prætereundus est *Abarbanel in Leg. fol.* 148. qui sic commentatus est in caput 12. *Exod.* Propter hujus artis summam peritiam, qua pollebant sapientes Israelis, Ptolomæus summis laudibus extulit eum, qui invenit Cyclum decemnovalem in intercalatione Israelitarum, scribitque hoc arguere inter ipsos fuisse Prophetiam. Sapientes nostri tradunt, Mosen hæsitabundum fuisse circa sanctificationem mensis, donec Deus ipsi monstraverit Lunam in sua innovatione in principio mensis Nisan. Quo dicere voluerunt, admirandam hanc sapientiam non didicisse Mosen & Aaronem a semetipsis & proprio studio, sed traditam ipsis fuisse e monte Sinai & esse rem Propheticam.

[15] *Ratio mensium.*) Utuntur Judæi annis Lunæ Solaribus, (uti fuse rem demonstravit *Ægid. Strauch. in dissert. Chronol: de anno Hebræor. Eccles. edit. Vuitteberg.* 1655.) seu ejusmodi annorum forma, in qua utriusque Luminaris motus proprius attenditur. Id est, habent Judæi communiter, annum duodecim mensibus Lunaribus absolutum, at quia annus Lunaris Solari minor est 11. diebus fere, & tempestas mensium eadem, nihilominus manere debet, necesse est, ut annuus iste 11. dierum defectus convenienter compensetur per additionem integri mensis, qui propterea *embolimæus* vocari solet a Judæis ואדר Accedit & hoc, quod ob ferias rejiculas annus jam coarctetur paulisper.

[16] *Post Mensem XII.*) Collocatur mensis intercalaris inter mensem Schebhat & Adar, & est semper triginta dierum. Ita in hac re loquitur Judæus, opera *Sebastiani Munsteri* editus *pag. 6.* cujus verba sequentia sunt: Mensis ille, qui superadditur, perpetuo est Adar. Nam docemur non nisi Adar embolizandum, cum scriptum sit, custodi mensem maturitatis. Mensem igitur maturitati vicinum embolizamus facientes scil. duos Adar: dicimusque Adar illum, qui jungitur ipsi Nisan, perpetuo defectuosum, viginti novem constare diebus, & ob id necessario Adar primum plenum facere ex triginta diebus, qui etiam embolismicus est mensis, sicut Adar secundus est Adar ille regulariter in anno veniens.

CAPUT SECUNDUM.

De mensibus.

MEnses porro singulos instituerunt [1] a nova luna. Eos vero [2] ante exilium Babylonicum nominarunt a numero, prout quisque primus erat, aut secundus, aut tertius usque ad duodecimum. Post reditum ex Babylonia his ferme, ut ajunt interpretes, ornati sunt nominibus: Nisan, Zius sive Jar, Sivan, Tamuz, Ab, Elul, Ethanim sive Tisri, Bul sive Mareshuan, Casleu, Thebet, Sebath, Adar; qui respondent Martio, Aprili, Majo, Junio, Julio, Augusto, Septembri, Octobri, Novembri, Decembri, Januario, & Februario. Ex his autem alii xxx. dies alternatim habuerunt, alii xxix. Unde [3] illi pleni, hi cavi vocati sunt. Qua ratione CCCLIV. dies emerserunt. Prioris appellationis testimonio est caput Exodi XL. *Mense primo quarta decima die mensis ad vesperam Phase Domini est*; & Numer. XI. *Faciat Phase Domino in mense secundo, quarta decima die mensis ad vesperam*; & primi Paralip. XXVII. *Primæ turmæ in primo mense Jesboan præerat. Secundi mensis habebat turmam Dudia. Dux turmæ tertiæ in mense tertio erat Banajas. Quartus mense quarto Azahel. Quintus mense quinto Samaoch. Sextus mense sexto Hira.* Atque ita deinceps usque ad duodecimum.

De nominibus aliis postea mensibus inditis docet quintum tertii Esdræ: *In secundo anno regni ipsius mense Nisan primo.* Tertium Esther: *Mense primo, cujus vocabulum est Nisan.* Baruc primum: *Decima die mensis Elul.* Zach. VII. *In quarta mensis noni, qui est Casleu.* Et primum: *Quarta undecimi mensis Sebath.* Et primi Macch. XVI. *Mense undecimo, hic est mensis Sabat.* Esther XVI. *Mensis duodecimus, qui vocatur Adar.* Sextum tertii Regum: *Mense Zio, ipse est mensis secundus.* Item: *Anno quarto fundata est domus Domini in mense Zio, & in anno undecimo mense Bul (ipse est mensis octavus) perfecta est domus*; & VIII. *Convenit Israel in mense Bethanim, sive Ethanim in solenni die, ipse est mensis septimus.* Reliqua ex interpretibus. At quia lunares quoque menses sunt, propterea non semper mensibus Romanorum responderunt, sed sæpe in binos singuli incurrerunt.

NOTÆ AD CAPUT SECUNDUM.

[1] *A nova Luna.*) Sapientes interpretantur, a Deo lunæ novæ speciem objectam esse Mosi, atque eidem mandatum, ut si quam similem visurus esset, illam illico consecraret, teste *Maimon. tract. de consecrat. Calend. pag. m.* 2. Qua nocte luna primum, postquam delituit, apparebat, ab ea mensis initium ducebatur, diesque numerabantur novem & viginti. Per certos spectatores & nuntios olim nova luna indicabatur, quibus examinatis jubente lege dies dedicabantur. Non autem quilibet novæ lunæ idoneus erat nuntius, sed tantum duo viri casti & integri; Mulieres enim & servi, qui ad res alias non adhibebantur, repudiabantur. Principio quidem omnibus Judæis credebatur, verum post exortam falsitatem in denuntiatione novæ lunæ constitutum, ut ii demum digni haberentur, quorum innocentia Concilio cognita esset. Hebraice חדשים alias ירחים estque communior appellatio a luna dicta, quæ Hebræis ירח vocatur & mensem significat. Scribitur autem & hoc modo ירח A Græcis pariter Μὴν vocatur a μήνη, quod Lunam denotat lingua *Arcadum*. Ipsum Lunæ globum *Athenienses* σελήνην, quod fulgorem recipit, dixerunt. De mensibus Hebræorum accurate *venerabilis Beda cap. 6. de Ratione comput. & iterum de Ratione tempor. cap.* 10. Antiqui, inquit, menses suos non a Solis, sed Lunæ cursu computare solebant. Unde quoties in Sacra Scriptura, quota die mensis aliquid factum dictumve sit, indicatur, non aliud quam Lunæ ætas significatur: a qua semper Hebræi, antiquissimo more Patrum menses observare non cessant: Falluntur itaque nimium, qui mensem definiendum vel ab antiquis definitum autumant, quamdiu Luna Zodiacum quidem *XXVII. diebus & VIII.* horis: sui vero cursus ordinem *XXIX.* diebus & horis *XII.* salva sui saltus ratione, conficit. Rectius putat *P. Fr. Claudius Rangol. Crespeiens. Valesf. ordin. minor. S. Francisf. de Paul. fol. m.* 758. *ad libr. Reg.* quod mensis Lunæ sit lunaris luminis circuitus, ac redintegratio de nova ad novam. Sed quia lites de hac controversia adhuc vigent, sufficiat generaliora adduxisse, plura tamen qui legere desiderat, vid. *Maimonid. de Ratione intercal. cap.* 8. Totum nunc processum in describendis mensium initiis, a Senatu observatum huc adducam. Judices, comperto per calculum, quod Luna apparere posset, mane tricesimo die conveniebant certo in loco, ubi testes exspectabant, qui si eam vidissent, primum Hieros. in atrio, בית יעזק nomen erat, examinabantur, quando, qua figura, qua parte cœli Lunam conspexissent. Huic examini comparata erat tabula *R.Gamalielis*, quam Scaliger prodidit fuisse ψηφορίαν σεληνιακῶν συνόδων. *Codex Rosch haschanah. c.* 1. §. 8. ita דמות צורות לבנות היו לו לר"ג בטבלא ובכותל בעלייתו שבהן מראה את ההדיוטות ואומר הכזה ראית או כזה *imagines φάσεων lunarium fuerunt R. Gamalieli in mensa & in pariete in cœnaculo ipsius, quas ostendens idiotis, rogabat, utrum hanc speciem vidistis? an illam? Comperta apparitionis veritate* Præses proclamabat מקודש מקודש, atque eum totus populus sequebatur. *c.* 2. §. 7. Si testes nulli venissent, tamen 30. dies festus constituebatur.

[2] *Ante exilium Babylonicum.*) Hebræorum menses ut anni, fuerunt & *Solares* & *Lunares*, & tempore Patriarcharum ante Mosen Solares etiam obtinuisse, historia diluviana demonstrat. Primis enim temporibus menses a numero & ordine tantum appellatos fuisse *primum, secundum, tertium.* Post captivitatem Babylonicam Judæi Chaldaica mensium nomina adoptarunt. Dubium hinc nullum, olim alia nomina Menses Hebræorum habuisse, quod ne gratis dixisse videamur, en priscorum nominum reliquias: 1. *Reg.* 6. 1. fit mentio mensis Ziu Sic in eodem capite *v.* 38. habetur nomen mensis cujusdam

jusdam בול dicti, item v. 2. dicitur באיתנים in mense *Ethanim*. An vero quæ *Scaligeri* opinio est, hæc vocabula *Sidoniorum* & *Tyriorum* sint, affirmare simpliciter non audemus. Cæterum *Aben-Ezra* in *Exod. c.* 12. nomina hodierna non Hebraica, sed Chaldaica esse asserit his verbis: *Nisan*, *jiar* & *Sivan* & reliqua Mensium vocabula, non Hebraica sunt sed Chaldaica. Ideo nullum horum in universa Scriptura invenitur scriptum, præterquam in Prophetia Haggai; Zacharia & Daniele & Ezra & volumine Esther, qui fuerunt in captivitate. Quamobrem sic explicanda sunt verba ista: In mense *primo*, qui Chaldæorum lingua *Nisan* vocatur. Invenimus tantum in lingua Sancta, quod tres menses aliter vocati sint, Mensis *Ziv*, in mense *Ethanim*, in Mense *Bul*. conf. *Ægid. Strauch. diss. de anno*. §. 1.

[3] *Illi pleni, hi cavi*.) Quantitas annorum non perpetua fuit; quidam fuerunt abundantes, constantes diebus 355. quidam ordinarii, d. 354. quidam deficientes d. 353. Hinc recte menses alternatim *plenos* & *cavos* ordinasse videntur Judæi, attamen ob triplicem anni utriusque communis & Embolimæi varietatem, etiam quantitatem mensium quorundam variare necesse est, quæ veritas his legibus absolvitur: In anno abundanti Marchesvan est plenus, in anno deficiente Casleu est cavus: Quare in illo dantur tres menses continue pleni, in hoc tres continue cavi. conf. diss. Chronolog. *M. Joach. Busse de mensibus*. §. 21. Mensis plenus itaque teste *Strauchio* erat, qui constabat xxx. d. & *Cavus*, qui xxix. d. cujus alternationis causam introduxerunt xii. horæ xxix. diebus in mense Lunari annexæ. Hæ enim bis in usu vulgari neglectæ xxx. diem absolvunt.

CAPUT TERTIUM.

De Septimanis.

MEnses inde singulos [1] in septimanas, seu hebdomadas diviserunt. [2] Septimum autem quemque diem vocavere Sabbatum, id est requietem, quod eo die post opus sex dierum [3] Deus quievisset. Atque ea de caussa ipsam etiam septimanam sabbatum appellarunt. Paralip. tricesimo tertio secundi: *Qui sibi per singulas hebdomadas succedere consueverant*; & Lucas xviii. *Jejuno bis in sabbato*, id est in septimana. Hinc dixere primam, & unam, & alteram sabbati, pro prima, & secunda die septimanæ, ut S. Marcus xvi. *Et valde mane una sabbatorum*. Ac mox: *Surgens mane prima sabbati*; & S. Matthæus: *Vespere sabbati, quæ lucescit in prima Sabbati*, id est vespere ejus diei, qui succedit primus septimanæ, sive vespere præcedente primum diem septimanæ, & Actum xx. *Una Sabbati cum convenissemus ad frangendum panem*. Est autem prima, sive una sabbati, dies, [4] quam Christiani Dominicam vocant, quam etiam commemoravit S. Joannes in Apocalypsi: *Fuit in spiritu Dominica die*. Unde dixit post S. Hieronymus adversus Vigilantium: *Per unam sabbati, hoc est in die Dominico, omnes conferre, quæ Hierosolymam in solatia dirigantur, Apostolus Paulus præcepit*. Id autem præcepit secunda ad Corinthios xvi. *Per unam Sabbati unusquisque vestrum apud se reponat*.

NOTÆ AD CAPUT TERTIUM.

[1] *In septimanas*.) Septimana est circulus septem dierum, & originem aliunde non habet, nisi ab illa singulari hebdomade, qua Deus sex diebus mundum condidit, & septimo quievit ab operibus suis, qui septimus vocatur שבת Sabbathum. Septimanarum usus sane antiquissimus: Legimus enim *Gen.* 29. 27. quod *Laban* Jacobo dixerit מלא שבוע זאת Comple Septimanam hujus. Anglus reddit *the weke*, that is, scribit *Ainsworthius fol.* 110. The seven *daies banquet of this Leak. A weeke hath the name in Hebrae of seven daies, as with us*. Stipulabatur *Laban* a *Jacobo*, ut *Septimanam* compleret, & post *Leam Rachelem* duceret. Unde liquido constat, circulum hebdomadarium in urbe *Nachoris* à *Labane* cæterisque *Abrahami* agnatis in Mesopotamia observatum fuisse ante ingressum *Jacobi* in Ægyptum. Hebdomadis dies sic numerant Judæi: diem primum septimanæ vocant אחד בשבת *primum Sabbathi*. Diem secundum vero שני בשבת *secundum Sabbathi*. Exemplum habes in *Bab. Maccot. fol.* 5. 1. Adveniunt duo testes, dicuntque בחד בשבת prima Sabbathi furatus est iste &c. ובתרי בשבת & secunda Sabbathi consummatum est judicium ejus. Dies tertius appellatur שלישי בשבת *tertium Sabbathi*. Exemplum legimus in *Bab. Chetubboth. fol.* 2. 1. Virgo ducitur in uxorem die hebdomadis quarto; nam curatur de Convivio אחד בשבת die primo hebdomadis שני בשבת die secundo ושלישי בשבת & die tertio. Dies quartus est רביעי בשבת illo die separabant illum, qui vaccam rufam combusturus erat. *Gloss. in Parah. c.* 2. Dies quartus septimanæ infaustus est infantibus ob Synanchen, hinc etiam vox מארת *Gen.* 1. 14. caret ו Vau; *R. Salom. in loc.* Dies quintus erat חמישי בשבת illo die voluit Esra ut legem publice legerent. *Hieros. Megillah. fol.* 75. 1. Septimum diem vulgo vocarunt ערב השבת *Vesperam Sabbathi*, in illo die ex ordinatione Esræ cepas comedere debebant. *Bab. Bava Kama fol.* 82. 1.

[2] *Septimum quemque vocavere Sabbathum*.) Hebdomadarum ignota externis autoribus fuit ratio. Primus e Latinis *Cornelius Tacitus* diei Saturno dicati mentionem facit, & inter cætera quoque Judæos diem septimum Saturno dedicasse, asserit *Strabo* illo prior *lib.* 16. ubi de Judæa agit, scribit: Pompejum præcepisse Hierosolymis observare jejunii diem, quo ab omni opere Judæi cessarent & abstinerent. *Trogus vero Pompejus*, qui sub *Augusto* vixit, ut ex ejus breviario, quod *Justini* titulo prænotatur, licet intelligere, eum diem suo nomine appellavit, Sabbathum. *De Judæis* enim sic scribit *lib.* 36. vera falsis admiscens. Itaque Moses *Damascena antiqua Patria repetita, montem Sinæ occupat, quo septem dierum itinere per deserta Arabiæ cum suo populo fatigatus, quum tandem pervenisset, Septimum diem more gentis, Sabbathum appellatum, in omne ævum jejunio sacravit, quoniam ille dies famem erroremque finierat*. Ex quo intelligitur, quis sit dies Jejunii *Strabon. Dion.* autem *Nicæus*, qui sub *Alexandro Mammæ* vixit & sub *Heliogabalo*, diem, qui *Saturni* nomen habet, ait Deo consecratum esse a *Judæis*, eadem ignoratione qua *Tacitus*. Sabbathi appellatio satis nota ex antiquitate & sacra scriptura, in qua reliquorum dierum septimanæ appellationes a Sabbatho petuntur. Quandoque vox Sabbathum

thum etiam non solum septimum diem hebdomadæ, quo sacris opera danda, sed hebdomadam quoque ipsam significat. Vocatur igitur cujuslibet hebdomadæ dies septimus seu ultimus κατ' ἐξοχὴν Sabbathum ob maximam recursus sui frequentiam & quietis rigorem. Quin ab ultimo & præcipuo illo septimanæ die septimana ipsa, omnesque ejus dies συνεκδοχικῶς olim hoc nomine venerunt. Conf. *Levit.* 23. 15. 16. *Esth.* 2. 9. *Matth.* 18. 1. *Marc.* 16. 2. 9. *Luc.* 18. 12. 24. *Joh.* 20. 19. *confer. Diodat. Angl. in hunc locum. Anton. Brucioli comment. Ital.* D. *Joh. Andr. Quensted. in disp. de Sabbath.* §. 6. *lit. b. Johan. Henr. Hotting. in tract.* ἑξαμέρῳ *Andr. Willet. Commentar. on the booke of Levitic. m.* 577. *Mr. Georg. Petter. comm. in Marc. cap.* 16. *fol. m.* 1573. *Georg. Abbot. libell. elegant. de vindic. Sabbath.*

3 *Deus quievisset.*) Septimus itaque dies sanctus apud Judæos & dies quietis, quia septimo die quievit Deus ab operibus suis. vid. Exod. 20. 10. 11. conf. *Henry Ainsworth. in h. l. fol.* 74.

4 * *Quam Christiani Dominicam vocant.*) Dominicam vocant quia ab ipso Domino instituta *Apol.* 1. ἐν ἡμέρᾳ κυριακῇ &c. vocatur Dominica 2. resurrectione Domini Dominorum quæ eo die facta. Hic igitur in locum ultimæ diei Judaicæ surrogatus est, in N. T. retentus tamen vi præcepti divini unus ex hebdomada. Miror igitur quod quidam sint, qui in dubium vocant an dies hic a Deo institutus sit. Georg. *Abbot. tract. Anglic. inscript. vindic. Sabbath. pag. m.* 67. *Mr. Breerewood tract.* 2. *pag.* 22. dicit: Si Jus divinum hoc est, quod divina authoritate stabilitum, dies Dominica est ejusmodi non quidem personali sed delegata authoritate, h. e. non Deus ipse immediate præscripsit, sed solum virtute & authoritate, quam Deus Apostolis suis communicaverat, ad ordinandam & regendam Ecclesiam. Porro ad titulum juris divini duo requiruntur. 1. *ut authoritas, quæ ordinat, sit divina* 2. *ut author ipse, qui hoc ordinat, sit divinus.* Quemadmodum igitur omnes actiones a propria sua causa non remota denominationem habet: Ita quoque constitutiones Apostolorum quæ proprie a Spiritu Sancto procedunt. Num vero Christo an Apostolis surrogatio illa vindicanda, variæ sunt opiniones. *Euseb. lib.* 4. *de vit. Constant. c.* 18. autor est: Constantinum qui circa initium seculi IV. floruit, diem Dominicum religiosum haberi instituisse, & præcepisse, ut cuncti in Romano Imperio degentes, diebus de Servatoris nomine nuncupatis, ab omni opere abstinerent. Sed vero jam *Justini* Martyris tempore religiosum habitum hunc diem, ex *Apolog. ejusd.* 11. pro Christian. ad Anton. Imper. constat. Itaque non sub Constantino demum cœpit ejus diei religio, sed longe ante eum peculiari & nova constitutione sancita fuit. *Herald. ad Apol. Tertull. p.* 153. *Barn. Brisson ad L. diem C. de feriis.* confer. *Dn. D. Simon. disput. de feriis.* Ab Ecclesia eundem ordinatum esse non secus ac alii festi dies celebriores indubium est, unde ab aliis Constitutio Ecclesiastica vocatur'. vid. *Georg. Abbot. tract. vindic. Sabbath. pag. m.* 98. 69. Episcopus Withe. pag. 91. asserit: Observationem diei Dominicæ sanctam praxin fuisse, quæ ab Apostolorum exemplo ad primitivam Ecclesiam constitutionibus propagata. D. *Danhauer* commode Colleg. decalog. pag. 550. monet ad has constitutiones inquiens: Cum Ecclesiæ autoritas nominatur, Apostolica Ecclesia non excluditur, cui calculum addit *Zanchius: de trad. Eccles. Traditionum Ecclesiasticarum quædam sunt Apostolicæ, quædam mere Ecclesiasticæ. Certe quas constat ab Apostolis fuisse profectas, hæ plus habent authoritatis quam reliquæ. Frid. Wendelinus* compend. pag. *penultim.* ab ipso Christo factam esse translationem affirmat. Non difficilis horum conciliatio, si dicatur, Christum quidem resurrectione sua, hoc die facta, hunc consecrasse diem & discipulis eodem apparuisse, sed libertate sumta Apostolos umbras abrogasse, & primum hunc diem in Sabbathum Christianorum in honorem Dominicæ resurrectionis instituisse. A Christo hujus diei celebrationem accepisse Apostolos, testatur supra allegatus *Justin. Martyr. & Georg. Abbot.* Credimus vero Apostolos ordinasse diem dominicum, ut sit dies hebdomadarius sanctus, & Patres antiquos, qui postea vixerunt, universaliter hunc diem accepisse. *Georg. Abbot. cap.* 73. Instinctus Spiritus veluti lex & mandatum Apostolis erat, hanc diem Dominicam in memoriam resurrectionis Christi instituere. *Falke in apocal.* 1. 1. expresse scribit, quod diei Dominicæ introductionem Christus Apostolis suis præ aliis ceu mandatum præceperit, cum daret præcepta concernentia regnum Dei & gubernationem Ecclesiæ. *Act.* 1. 2. & nullum dubium, quin Apostoli plura quam scripta sunt, audiverint a Christo, inter quæ etiam hæc institutio Sabbathi: Ita *Latonus de Sabbatho pag.* 69. De institutione & jure diei Dominicæ ait: Non opus erat mandato novo, cum vetus illud mandatum de observando Sabbatho, in vigore esset, & adhuc est; jam autem novum præceptum ferre de re illa, quæ veteri præcepto stabilita fuerat, esset vetus præceptum abolere. Christus autem non venit ut legem aboleret, sed ut eam impleret. Et iterum *pag.* 70. Nulla est consequentia, non exstat mandatum de die dominico observando. ergo nullum erat. Multa enim dixit & fecit Dominus noster, de quibus nulla apud Evangelistas facta est mentio; satis autem scriptum est ad eruditionem nostram. Quo in genere si concedamus hoc de die dominico observando etiam fuisse, causa nostra ex eo nihil detrimenti patietur. Observatio enim Apostolorum & totius Ecclesiæ Christianæ diei illius, a posteriori satis probat fuisse mandatum de eo observando. *Rursus eadem pagina.* Nullum præceptum de ritu Judaico aliquo abrogondo a Domino nostro Apostolis & discipulis suis relictum legitur. Nusquam dicitur Pascham non comedetis, non circumcidemini, & similia. Solum enim controversia in Ecclesiis de illis orta est ex occasione ista. Apostoli ritus illos prohibuerunt, jam autem cum in confesso est diem nostrum Dominicum a nullo Christiano impugnatum fuisse, non mirandum est, si nullum de illo observando, vel abrogando Sabbatho Judaico mandatum expressum reperimus. Est tamen generale mandatum de illo observando, comprehensum in illo Apostoli: Estote imitatores mei, sicut & ego sum Christi. Ex his adductis apparet ab Apostolis & Apostolicis viris sabbathum esse introductum. Objiciunt vero *Calvin. instit. lib.* 2. *cap.* 8. Veteres surrogasse diem Dominicam in locum Sabbathi. *Zanchius in* 4. *precept.* nullum habere præceptum. *D. Field. lib.* 4. *cap.* 20. traditionem Apostolorum esse. Nam si Christus voluisset ut sanctificaretur dies dominica, hujus mentionem fecisset in Sacra Scriptura. Verum nihil invenimus; E. Sed hic responderi poterit, quod mirum non sit talia particularia non exstare: sufficit mandatum, ut diem quendam sanctificemus. Ab Apostolis vero diem dominicam conservatam docet *Augustin. serm.* 251. *de temp. conf. Meisner. colleg. adiaph. disp.* 11. *Bebel. antiquit. Eccl. Evangel. pag.* 48. quibus consentit Anglus *Johan Swan tract. inscript. redde debitum cap.* 3. *sect. pag.* 99. *for Lurds-day.* Now they that began it were the Apostles; being led thereunto by our (and their) Lords resurrection, and by his often apparitions to them upon that very day, rather then upon any other day beside. For, as they knew the sabbeth to be abolisched by Christs death; In like manner, by his resurrection they had ground sufficient to direct them to the choice of a peculiar day, for the observation of a new and chiefe Festivall; and so much the rather: because Christ used then to appeare unto them. Porro inquit: Hence therefore it is, that *S. John* makes mention of the day, Which he calleth Dies Dominicus, the Lordsday. *Revel.* 1. 10. And *Ignatius epist. ad ad Magnes.* telleth us, that it was the first day of the Weeke; the very queene and chiefe of dayes, renowned by our Lords resurrection, so, also sayth *S. Augustine ad Joan. epist.* 119. *cap.* 13. the Lords-day was declared to Christians by the resurrection of the Lord, and from that time began to be celebrated. And in another *place de Verb. Apost. serm.* 15. The raysing of the Lord hath promised

to

* De diei Dominicæ primigenia institutione egimus in nota, quæ exstat ad cap. x. de Temporibus sacris P. 2. Joan. Meyeri in Tom. 1. nostri Thesauri fol. 606.

to us an eletnall day, and hath consecrated for us the Lords day. By Which he meaneth, that Christ thus honouring this day did thereby pomt it out as the onely day to be made choice of, fort the religious and solemne services of God Thus their successours first tooke it up. Apostoli, Apostolici viri, & *Imperatores* in l. 7. C. de fer. hunc diem vocant Sonntag/ diem solis. vid. *vir. Illust. Dn. Hulder.* Eppen *Camer. Spirens. Adsess. Patronus*, *summa observantia colendus*, *in tract. de titulo nobilis*. *pag.* 119. scil. a solis comparatione & ex eadem notatione primum septimanæ diem, quem Dominicum rite dixere Majores Christiani, Phil. *Mornæus de S. Euchar.* 3. *Hacksp. in not. philolog. Marc. cap.* 86. Sonntag nomen. *conf. Johan. Swan. observat. of the Lords-day or Sunday pag.* 104. Quod tempore Apostolorum hic dies singulariter sit cultus, ejus rei existunt vestigia *cap.* 20. *Johan. conf. D. Gerhard. h. l. p.* 565. *D. Friedlib. observat. in h. l. fol.* 273. *Casaub. exercit. anti-Bar.* 16. *n.* 38. *pag.* 466. 2. *Corinth.* 16. 2. *Diodat. annot. in revelat. Johan. cap.* 1. 10. Frustra dicit *Gomar. de origin. Sabbath. cap.* 6. quando in dubium vocat, an hoc loco primum præcise intelligatur, & non indefinite Evangelista quendam hebdomadis diem inferat? Hic (ut paucis me expediam) Græcam versionem adsero, cum nuspiam in *N. T.* μία σαββάτων pro Tῆ σαββάτων accipiatur, ita ut notet aliquam diem septimanæ indefinite, sed semper primum hebdomadis diem. vid. *sæpe alleg. Georg. Abbot. pag.* 95. *part.* 2. *Episcop. White pag.* 196. dicit: In Sancto Evangelio μία σαββάτων primam hebdomadis diem significare. *vid. Matt.* 28. *Marc.* 16. 2. *Joh.* 20. 1. Mr. Sprint Anglus idem affirmat *pag.* 101. ita loquens: *And sure I am, the same phrase is used by the Evangelists, to signifie the day of Christs resurrection. to be on the first day of the Weeke.* Certus sum Evangelistas phrasi hac uti, ad significandum, diem resurrectionis Christi, primam hebdomadis esse. confer. *H. Hammond. annot. in S. Johan. cap.* 1. 15. *fol. m.* 270. Imo & ipsi Hebræi enallagem numeri cardinalis pro ordinali sæpissime ponunt. Gen. 1. 8. & 13. c. 8. 5. Daniel. 8. 1. In uno anno i. e. primo Darii. vid. *Hotting. histor. creat. pag. m.* 68. *quæst.* 46. *Sixtin. Amama antibarb. bibl. lib.* 2. *pag. m.* 175. inquit: Notarunt eruditi Interpretes אחד hic positum pro ראשין primus. Cardinale pro ordinali. In Hebraismo nihil tritius. *Hagg.* 1. die uno mensis. In novo Testamento eadem enallage sæpius occurrit, quam *Matth.* 28. 1. vocat μίαν σαββάτων, eam *Johan.* 20. 1. vocat πρώτην. *vid. Vval. comment. in Matth. pag. m.* 341. *seq.* & *in* Johan, *pag.* 1002. Sic *Joh. Drus. preterit. lib.* 1. *pag.* 56. ait: Sæpius σάββατον i. e. שבת septimanam dicunt, unde חד בשבא unus in Sabbatho, ubi שבא pro שבת & unus valet primus. Sic μία μηνός. Num. XXIX. una mensis i. e. prima. Dicunt etiam חד בשבתא μία ἐν τῷ σαββάτῳ. Similiter תרין בשבת duo in Sabbatho, pro secunda Sabbathi & sic deinceps. Sextum autem peculiariter vocant מוצאי שבת exitum Sabbathi, aut מעלי שבת quasi ascensum Sabbathi i. e. hebdomadæ. Sabbathum enim in his omnibus locis notat hebdomadam. vid. *Tanchuma fol.* 41. *col.* 3. Arabes κατ' ἐξοχὴν אלאחר יום diem unum appellant diem Solis, quasi septimanæ primum. Apoc. 1. Syri itidem חד בשבא Unus Sabbathi i. e. primus Sabbathi de hac enallage *vid. Clar. Vorstius in lib. elegant. cui inscriptus titul. Hebraismus N. T. s. Philolog. sacr. pag. m.* 46. *seq. Beza ad Matth.* 28. *Glassius Philol. Sacr. lib.* 3. *tract* 1. *cap.* 14. *pag.* 413. *Schmid. in Novt Testam. ad cap. Matth.* 28. *fol.* 374. *Diodat. annot. bibl. in Genes. c.* 1. 5. Hisce igitur vestigiis Christiani insistere voluerunt, ne quicquam cum Judæis commune haberent. Atque hæc consuetudo ita invaluit, ut legis tandem vim obtinuerit, sed legis Ecclesiasticæ, & quam Ecclesia semper ita in potestate tenuit, ut urgente necessitate, & causa prægnante postulante, libere eam mutare possit, sine ullo juris divini præjudicio; Hactenus quidem nondum mutata, nec adhuc mutatur, & ita practice & moraliter aliquo modo immutabilis dici potest. Nam quæ (*sunt verba Reverend. D. Quensted.* §. 12. *disp. de Sabbatho*) honestatis ac singularis convenientiæ legibus sunt munita, & insuper tam vetusto & maxime universali ritu sunt roborata, vix mutari possunt, imo nec debent, cum hujusmodi mutatio magis destructioni, quam utilitati, inserviat. Absolute vero & formaliter considerata, illa consuetudo Christianæ subjacet libertati, & hactenus est mutabilis. Nostrates inter rem indifferentem & ejus usurpationem distinguunt. Potest res aliqua in se indifferens esse, & tamen, quoad exercitium suum, ad alterutram partem determtnata. vid. Chemnit. Exam. Trid. P. IV. fol. 807. Menzer. exeg. Augustan. Confess. art. XV. p. 676.

CAPUT QUARTUM.

De diebus profestis.

[1] DIes porro [2] vocarunt Lunas, ita ut primam & secundam Lunam, ac primam & secundam diem ponerent pro eodem. Ut primo tertii Esdræ: *Josias immolavit Phase quarta decima Luna primi mensis*, pro eo quod alibi fuit scriptum, *quarta decima die*. [3] Dies porro sive æstivi, sive hyberni essent, [4] duodecim horas habuerunt, & noctes totidem, sed inæquales. Unde scripsit S. Joannes cap. 11. *Nonne duodecim sunt horæ diei?* & Matthæus xx. idem significavit, ubi horæ tertiæ, sextæ, nonæ, & demum undecimæ meminit, tanquam extremæ diei. Ex his autem diebus [5] alii profesti fuerunt, alii festi. Profesti, quibus opus exercere fas fuit, matutino & vespertino holocausto confecto. Festi, quibus ab opere abstinere necesse fuit. Profesti vero aut primi mensium fuerunt, qui Neomeniæ dicti sunt, aut inter septimanas interjecti. De quibus seorsum agemus.

NO.

NOTÆ AD CAPUT QUARTUM.

[1] *Dies.*) Teste Varrone dicitur *a Deis*, quibus Romani non tantum, sed & aliæ gentes, dies dedicarunt, vel ἀπὸ τοῦ διὸς, quod *diei Jupiter* rector existimatus est. Alii a *Dio* deflectunt, *dium vero sub cœlis lumen denotat*. *Cretenses* diem nominant δία, *quia* δία *Deum coluerunt*; sic *Spartani* non solum *leges & statuta Reipubl. a Cretensibus* acceperunt, sed & Deorum cultum, & cognomina nonnulla. Legitur quippe in Scriptis Græcis inter alia *Dianæ*, quam loco Dei habuerunt, tribuit cognomen ENOΔIA *Athenagoras in legatione pro Christianis*. Ὁ δὲ λακεδαιμόνιος, καὶ Ἀγαμέμνονα Δία, καὶ Φυλονόην, τὴν Τυνδάρεω θυγατέρα, καὶ τὴν Ἐνοδίαν σέβει. *Lacedæmonius* vero, etiam *Agamemnonem Jovem*, & *Phylonoem*, *Tyndari filiam*, & *Enodiam colit*. Ita enim locus ille corrigendus. Hodie corrupte legitur: καὶ Τέννην Ὀδίαν & *Tennen Hodiam*. Heschius. Ἐνοδία, Ἄρτεμις, *Enodia*, *Diana*. *Scholiastes Sophoclis ad Antigonem*. Ἐνοδίαν θεὸν τὴν Ἑκάτην, ἢ τὴν Περσεφόνην. *Enodiam Deam Hecaten, aut Proserpinam*. Et *Demetrius Triclinius* ibidem: Ἐνοδίαν δὲ, τὴν Περσεφόνην λέγει. *Enodiam dicit Proserpinam*. Græce dies, audit ἡμέρα, quod ut Plato ait, ἱμείρουσι i. e. *hominibus desiderantibus gratulantibusque e tenebris lumen emicuit*, & propterea antiqui prius ἱμέραν, deinde ἑμέραν, demum ἡμέραν dixerunt. Alii quasi ἥμεραν, hoc est, mitem & mansuetam. Verum has subtilitates Grammaticis relinquimus. Sumitur autem dies, modo pro diurno tantum spatio, modo etiam pro tempore, ut in die illa h. e. *tempore illo*, *in diebus meis* i. e. *ætate mea*. Cum X in capite היום est hodie (*Hoggi*) & dies, sicut facile ex te observabis: Sic cum assumit a capite Caph hæomant. quod vocant, כיום est *Nunc*, *hoc tempore*, *hodie statim*, *adesso*, *subito* 1. Sam. 2. 16. *suffitum faciant* כיום *sicut hodie Gen.* 25. 31. Aliquando vero nota similitudinis ut *Gen.* 39. 11. *Et factum est sicut hic dies*. Hebraismus pro die quodam; semel accidir. (*Accadde un certo giorno*) Conduplicatum יום יום pro eo quod est quotidie, omnibus diebus, *Continuamente*, *ogni giorno*. At להיום *tota die* de una tantum die dicitur ut plurimum, etsi nonnunquam de omnibus etiam inveniatur *Gen.* 6. 5. *Gen.* 39. 10. Aliqui exponunt יום יום quibusdam locis divisim, die die, hoc est duobus diebus, sed magnum discrimen ponunt inter hoc & יומים duale, verum hoc subtilioris speculationis est negotium. Plurale ultra propriam significationem dierum ponitur eleganter *pro anno*, *tot scil. dies quot annum efficiunt*, *& additur ornate anno & mense*, *pro eo*, *quod est annus & mensis integer*. Aliquando tamen subticetur annus & mensis, cum ex verborum sententia facile dignoscitur, ut *Gen.* 41. 1. Et *factum est a fine duorum annorum* ימים (*dierum*) Et 29. 14. *Gen.* 40. 4. *&* aliis in locis plurimis scripturæ sacræ. conf. *Spanhem. dub. Evangel. part.* 2. *dub. XCV. pag. m.* 649. *seq.* Esse autem dierum genera duo, probati autores satis demonstrant. Itaque ex *Censorino diem* partim *naturalem* partim *civilem esse* dico. *Naturalem* 24. *horis constare*. confer. *Claudii Rangolii commentar. in lib. Reg. fol. m.* 1354. *Anglic. annotationes on the first book of Mose. cap.* 1. *ad verba the first day: This first day consisting of twenty four hours had (as some think) for the first half of it the precedent darknesse, and for the other the light newly created: the night they take to be meant by evening, apart of it, and the day by the morning, Which is part of it also: and according to this the Sabbath, (being as large a day as any of the rest, andso containing twenty four hours) is measured from even to even*. *Civilem* ab *ortu Solis usque ad occasum esse*. Cæterum diem *naturalem* & *civilem* sic definit *Censorinus libro de die natali*; *Naturalis dies* est tempus ab exoriente sole ad solis occasum, cujus contrarium tempus nox est, ab occasu solis ad ortum. *Civilis* autem *dies* vocatur tempus, quod fit uno cœli circumactu, quo *dies verus & nox continetur*: ut cum dicimus aliquem triginta dies tantum vixisse; relinquitur enim etiam noctes nos intelligere, quæ verba quoque citata reperies in *Matthæi Beroaldi Chron. Scrip. Sacr. lib.* 1. *cap.* 4. *pag. m.* 25. *edit. Francof. anno* 1606. Diei vero initia non eodem modo omnes observabant. Nostri Astrologi a meridie dies suos inchoant, alii autem aliter: Inter eos qui a meridie diem incipiunt, sunt *Umbri*, *Plin. lib.* 2. *cap.* 77. *Babylonii* inter duos solis exortus: *Athenienses* vero inter duos occasus: *Vulgus* omne a luce ad tenebras: *Sacerdotes Romani*, & qui diem definiere civilem, item *Ægyptii & Hipparchus* a media nocte in mediam. Idem copiose docent *Gellius lib.* 3. *cap.* 2. *noct. attic. & Macrob. Saturnal. lib.* 1. *c.* 3. *Persæ* aliter quam *Hebræi* diei initium capiebant, de quo videri potest *Olugbegus*. Græcorum νυχθήμερον, *Persis* שבאכחת dictum, a medio die ad medium diem dimetiens. Chataii autem & *Igurenses* a media nocte ad mediam noctem diem designant. Arabes a principio noctis ad principium noctis. *Aali Cushkensis* habet, interprete *Jo. Grav.* Dies naturalis apud Astronomos *Persas* & *Græcos* est ab ortu centri solis ad occasum ejus. Apud *Muhammedan.* ab exortu veræ auroræ usque ad completum occasum ejus *vid. plur. comment. In Ruzname Naurus Georg. Hieron. Velschii. m. pag.* 120. *sed Athenienses ab Hebræis* morem suum accepisse videntur, qui ex antiquissima institutione diem civilem a nocte ordiebantur. Idem *Judæi* observant religiose, ut diem ab occasu solis auspicentur, hora sexta pomeridiana in festo die & noviluniis. confer. *Beroald. Chron. Sac. l.* 1. *c.* 4. *p. m.* 26. *annotat. Anglicans on the first book of Moses c.* 1.

[2] *Vocarunt Lunas.*) Quemadmodum Judæi ante Captivitatem Babylonicam menses vocarunt *Lunas*; ut primum mensem vocarunt primam *Lunam* (quamvis tamen certa quædam nomina habuisse probabile sit) post vero certa nomina ipsis imposuerunt, uti quidam volunt, sic & dies dixerunt Lunas.

[3] *Dies porro.*) Dies ipsis erat vel *naturalis* seu *civilis*, vel *artificialis*. Naturalis seu civilis constabat XXIV. horis seu integro νυχθημέρῳ. Et verum omnino est, singulis diebus civilibus æquatoris punctum quodvis datum spatio XXIV. Hor. præcise sub Meridianum, a quo ante ipsas XXIV. hor. digressum fuerat, redire. Singulis enim horis cum 15. adscendat, totidemque e contrario rursum descendat, XXIV. H. totus circulus 360. constans circumrotatur. Adeoque & ipse dies XXIV. H. exacte constaret, nisi Sol motu proprio ab occasu nempe versus ortum etiam spatium quoddam singulis diebus conficeret, quod additamentum diei vocant. Inæquale vero illud cum sit, dies etiam necessario erit inæqualis, Nullius momenti est illa distinctio diei naturalis a civili, quam nonnulli exhibent, dum diem naturalem a civili in eo discrepari persuasi sunt, quod hic æqualis, ille vero inæqualis sit. Dies etenim Civiles omnes omnino constare XXIV. H. exacte, dies vero naturales modo IIX. modo XII. modo XVI. plus minus horis, cum tamen neutrum veritati consentaneum sit. Illis enim qui sub Æquatore sive linea vivunt, dies naturales omnes sunt æquales, dies contra civiles inæquales propter additamentum inæquale. Hujus causa ex dictis patet, illius dantur ascensiones rectæ. Idem dubium circa regiones suppolares etiam recurrit, in quibus dies ut naturalis ita & civilis, neque æqualis est, neque inæqualis; Quicquid enim æquale est, vel inæquale, id in respectu ad aliud æquale vel inæquale dicitur. At vero in regionibus extremis Septentrionalibus toto anno non nisi unicus est dies, atque adeo is, cum quo conferri queat, nullum habet. In eo vero sphæræ positu, qui intermedius est inter parallelum & rectum, quique obliquus dicitur, verum omnino est, ejus diem naturalem modo majorem, modo minorem esse, nec tamen etiam civilis dies ejusdem ibi semper est longitudinis. Die naturali utitur ipse Deus in creatione universi inchoans illum a vespera.

ra. Moses enim *Gen.* 1. 5. præmittit tenebras luci singulis diebus creationis subjungens hanc clausulam: & fuit vespera & fuit mane dies primus, dies secundus &c. ad quæ verba optime Anglus *Henry Ainsworth. comm. in Genes.* 1. *fol.* 4. notat: *The evening which is th beginning of the night, and the morning which is the beginning of the day are here used for the whole time of the light and darknesse in one succeding course; which is with us, the space of XXIV. houres, which also in a large sense is here called a Day.* Nec unquam istum stylum mutavit. Imo Sabbathum & reliquos dies Deus voluit inchoari a vespera. *Exod.* 12. 18. *Lev.* 23. 32. Sic Hebræi non solum, verum etiam gentiles diem a vespera inchoarunt. Ab occasu ergo Solis diem suum exorsi sunt Athenienses, & in universum omnes, qui in ordinanda mensium & anni quantitate ad Lunæ respexerunt motus mensesque Lunares adhibuerunt, quo nomine veniunt Athenienses, Judæi, Arabes, Germani vetustiores & alii. *Athenienses Macrobius* a Solis occasu ad Solem iterum occidentem omne id tempus unum diem dicere refert *l.* 1. *Saturnal. c.* 3. *p.* 171. de Judæis testatur id *Joseph. Scalig. l.* 2. *pag.* 123. Judæi qui anno lunari utuntur, ejus initium protinus capiunt ab ineunte nocte, conf. *eundem l.* 7. *comp. Jud. pag.* 631. Idem confirmat testis oculatus cl. *Wilhelm. Langius. de A. C. l.* 1. *c.* 3. *pag.* 21. cujus verba hic ponimus: *Lusitani*, inquit, *Amstelodamenses*, cum ego magno Expiationis die decimo mensis Tisri cœtui ipsorum interessem, incipiebant jejunium ab occasu Solis diei prioris, & quinta quidem hora vespertina comedebant, post illud vero tempus nihil omnino degustabant ante tenebras nocturnas diei sequentis, cum tota die ab hora sexta vel media septima usque ad quartam vel mediam quintam consedissent: Tandem inceperunt Solem occidentem identidem adspicere, & interea legendo ita pergebant, ut ægre illos oculis adsequi potuerim, &c. Ex quibus constat Judæos diem incipere a vespera, quod pluribus etiam demonstravit. celeber. *Johan. Meyer in Diatrib. de festis p. m.* 48. 49. *seq. Artificialem* quoque *diem* apud Judæos in usu fuisse viri docti passim affirmant, qui XII. horas habebat, quæ dividebantur in 4. partes quæ erant quasi horæ majores, quarum quæque complectebatur tres horas: Hinc primum quadrantem tres primas horas habuisse, ajunt, secundum quadrantem ab hora diei tertia ad meridiem extensum: tertium a sexta usque ad nonam, vel a meridie ad tertiam pomeridianam, quartum denique reliquas horas tres a nona ad duodecimam complexum fuisse. Et ex hac distributione explicari posse docent nodum passionis Christi apud *Marcum* & *Johannem* occurrentem. Ille *cap.* 15. *hora* 3. hic *cap.* 19. *hora* 6. crucifixum Christum fuisse scribit; Hos itaque quadrantes ad oculum demonstravit sæpe laudatus Meyer tam ex Scriptura, quam Scriptis Rabbinorum *pag. m.* 51. 52. *seq.* quem vide.

4 *Duodecim horas habuerunt.*) Ad historiam sacram & externam bene intelligendam, multum facit diversarum gentium horas inter se componere posse. Horas autem Astrologi distinguunt in καιρικὰς & ἰσημερινάς. Καιρικαὶ audiunt *temporales*, item inæquales, quia καιρὸς *tempus significat*. Ἰσημεριναὶ i. e. æquidiales. His vulgo utimur, quando diem in XXIV. horas dividimus, confer. *Rangol. comment. in lib. Reg. fol. m.* 1358. *edit. Paris. Temporales* sunt in quas dies singulos & noctes dividebant veteres æqualiter, & his utitur Scriptura Sacra; *Johan.* 11. *Matt.* 20. *Act.* 2. *Joan.* 19. *Marc.* 15. *Luc.* 23. *Matth.* 27. *Act.* 3. Bene igitur monet *Joannes Lucidus*, horarum temporariarum, quæque teste *Beroald. Chron. Sacr. lib.* 1. *cap.* 3. *pag. m.* 20. planetarum horæ dicuntur, notitiam non esse negligendam, utpote quarum magnus est usus in sacris literis. Sic autem observantur horæ καιρικαὶ, ut solis exortu sit prima, die medio sexta &c. Horæ autem istæ inæquales dividuntur in *majores* & *minores*, quibus Astrologi interdum, item Scriptores Ecclesiastici, utuntur. *Minores* autem horæ *inæquales sunt*, *quæ eo spatio definiuntur, quo medietas signi oritur*: aut id spatium continent, quo signi unius pars dimidia supra horizontem emergit: qua ratione dies civilis, quo dies verus & nox continetur, dicitur habere horas *viginti quatuor*. At *majores horæ inæquales eo spatio definiuntur, quod definitur & absumitur, dum integrum aliquod signum Zodiaci emergit & scandit horizontem.* Quia vero sunt duodecim signa, ejus tota conversio XII. *horis definitur*. Ita duodecim horæ majores tantum spatii continent, *quantum XXIV. minores*. Quo fit, ut *Epiphanius lib.* 5. *tom.* 1. contra *hæres.* ubi de Epactis agit, diem unum civilem definiat *XII. horis*, & *duos dies civiles XXIV.* Ex hac majorum horarum inæqualium definitione, *Evangelistæ Marci locus aperietur*; Is exstat *cap.* 15. *vers.* 25. qui ita sonat: Erat autem *hora tertia* quando crucifixerunt illum. At Dominum crucifixum *hora sexta* h. e. ipso meridie *ex Johann. Evangelio discimus. cap.* 19. *v.* 14. & 16. In eadem historia inquit *Lucas cap.* 23. *v.* 44. Erat fere hora sexta, & erant tenebræ. Idem habetur *Matth. cap.* 27. 45. Ita quam horam tertiam dixit *Marcus*, eandem alii Evangelistæ dicunt *horam sextam*. Quin ipse quoque *Marcus eodem cap.* 15. 33. tenebras fuisse inquit, eadem, qua alii Evangelistæ, hora. Quæ ut intelligantur, sciendum, *Marcum* in prædicto capite utrisque horis inæqualibus usum fuisse. Majoribus quidem cum dixit: *hora tertia* &c. Minoribus cum aliorum more dixit hora sexta erant tenebræ. Est enim eadem hora, tertia major, & sexta minor. *confer. Beroald. Chron. cap.* 8. Primum horarum inventorem fuisse *Polydor. Virgil.* de rerum inventor. *lib.* 2. *cap.* 5. asserit *Hermem Trismegistum*, qui horarum divisionem observasse dicitur ex urina sacri cujusdam animalis, quod *Serapi* erat dicatum. Nam cum animadverteret ab eo animali diei & noctis unius spatio urinam duodecies emitti, placuit in duodecim horas diem civilem dividi. Inde quoque evenit, ut nonnulli horas dictas esse voluerint ἀπὸ τοῦ οὔρου i. e. ab urina, quasi primum fuerint dictæ οὖραι, quæ postea dictæ sunt ὧραι.

5 *Alii professi, alii festi.*) Dispescuntur dies in festos & profestos quorum illi dicuntur, quibus a negotiis publicis civilibus abstinere solemus, & e contrario Deo vel vero vel fictitio solennia festa aguntur. Hi sunt, quibus Deo solennia officia non peraguntur. Unde autem dies festi dicantur, quæritur; ubi variæ opiniones se offerunt. Nonnullis festi dies videntur dicti a feriis, unde etiam feriati appellantur. Quid si potius dicti sint festi? quasi fessi, eo quod homines fessi, seu defessi ac defatigati reliquorum dierum operibus atque laboribus, iis refici solerent ac recreari. Vel festi dicti sunt quasi confessi, quique ex professo agerentur. Inde & festivas, festivum, lepidum, amœnum: quoniam dies illi magna cum lætitia, hilaritate & voluptate peragi solebant; & festino verbum i. e. propero: quoniam ad dies festos, propter otium a labore, homines festinant potius, quam ad dies profestos, in quibus est laborandum. His opponuntur dies profesti, ut fano opponitur profanum: unde ille apud *Plautum*: Festo die siquid prodegeris, profesto egere licet, nisi peperceris. *Profesti* itaque *dies*, ait *Festus*, dicuntur, qui procul sunt a religione Numinis divini. Item: Profestum diem dicebant, qui festus non erat. Item; profestum facere est tanquam profanum facere, id est quid eo die, qui dies feriarum non est, facere: vel, ut quidam dixerunt, pro eo facere velut feriæ non sint: aut id facere quod feriis non liceat. Festi dies duum generum sunt, alii ex divino jussu; alii ex hominum instituto sunt. Ex instituto divino sacros dies habuerunt olim Judæi, qui suo tempore soli populum Dei absolvebant, quales fuerunt septimus quisque dies, sine tamen additamentis, postmodum a Judæis superstitiosissima gente superadditis, quæ vide apud *Dn. Pfeiff. disp. de fest. Hebr. c.* 1. *th.* 8. festum novilunii, festum Paschatis &c. de quibus videatur *D. Strauch. de comp. Talm. Rabb.* §. 35. *ad fin.* Et huc jure meritoque etiam refertur noster dies Dominicus, qui per ipsos Apostolos institutus creditur. Testatur id *Cardin. Baron. tom.* 3. *Annal. ad A. C.* 315. *n.* 16. Ex instituto mere humano quidam hinc inde observati sunt festi dies, quales apud Romanos fuerunt festa tam publica, ut *floralia*, *Saturnalia* &c. quam privata, quale festum erat *dies natalis* quo Genio libabant teste *Tibull. l.* 2. *eleg.* 2.

CAPUT QUINTUM.

De Neomeniis.

Singula ergo [1] menſium initia ſacra eſſe [2] Deus conſtituit. Quos dies Græci [3] Neomenias, [4] Latini Kalendas vocarunt, ita ut [5] proprium holocauſtum, quo inſignirentur, haberent [6], ceſſationem tamen ab operibus non haberent, ſic enim mandatum eſt Numerorum XXVIII. *In Kalendis, id eſt menſium exordiis, offeretis holocauſtum Domino, vitulos de armento duos, arietem unum, agnos anniculos ſeptem immaculatos, & tres decimas ſimilæ ex oleo in ſacrificio per agnos ſingulos, holocauſtum ſuaviſſimi odoris atque incenſi Domino. Libamenta autem vini, quæ per ſingulas fundenda ſunt victimas, ita erunt, media pars hin per ſingulos vitulos, tertia per arietem, quarta per agnum. Hoc erit holocauſtum per omnes menſes, qui ſibi vertente anno ſuccedunt.* Quod ſic explicuit Joſephus: *In initio menſis & quotidiana ſacrificia, & duos vitulos cum agnis anniculis ſeptem, & arietem mactant, hœdum vero pro declinatione peccatorum, ſi forte per caſum oblivionis eveniant.* Hinc ſecundo ſecundi Paralip. ſcriptum eſt: *Ad holocautomata Neomeniis, quæ mandata ſunt Iſraeli*; & octavo: *Salomon obtulit holocauſta ſuper altare Domini, at per ſingulos dies offerretur in eo juxta præceptum Moſi in ſabbatis, & in Kalendis*; & Eſdræ ſecundo: *Fecerunt holocauſtum juge in Kalendis*; & Iſaiæ primo: *Kalendas veſtras, & ſolennitates veſtras odivit anima mea.*

NOTÆ AD CAPUT QUINTUM.

[1] *Menſium initia.*) Hebræos ראשי חדשים *menſium initia* ſolenniter obſervaſſe & feſtive tranſegiſſe *Spencerus*, Scripturam Num. 10. 10. 28. 11. Eſa. 1. 13. Amoſ. 8. 5. & ſimilibus locis non obſcure docere, fatetur *lib. 3. part. 2. diſſ. 4. pag. m.* 187. *edit. Hag. Comit.* 1686. quorum originem rurſus arceſſit ex inſtituto Gentium, certiſque argumentis firmari putat, Hebræorum genti permiſſum eſſe, ut & illi more paſſim recepto, Neomenias obſervarent, & quas alii, forſan & ipſi Diabolo ſoliti erant, Deo & ſacris ejus inpoſterum devoverent. Primum argumentum *pag.* 188. *ſect.* 1. ducit a ſumma Neomeniarum antiquitate, quod eas Ethnici diu ante Moſis ætatem ſancte coluerint. Recte tamen monet, ſe teſtem nullum Moſi *σύγχρονον* producere valere, verbis apertis aſſerentem, ethnicos novilunia ante Moſis tempora celebraſſe: ex iis autem, quæ jam ſuperſunt, ethnicorum monumentis aperte conſtare, addit, eos neomenias ſacras & feſtas habuiſſe, diu ante Homeri ſeculum, qui ſub Davidis tempora floruiſſe credatur; referre enim Herodotum, Homerum in Neomeniis ad ditiorum domos ſe conferre ſolitum, ut eorum munificentiam experiretur; & Euripidem Novilunii ferias divinas lunas vocare, eaſque duodecies a Trojanis (Heſiodo & Homero antiquioribus) uno in anno celebratas innuere. Quin ſola ratione docente ſciri poſſe conjicit, Gentes Moſe priores Novilunia ſolenniter & ritu feſtivo traduxiſſe, cum Gentes antiquiores Aſtronomiæ plane rudes fuerint, nec tempora ſua per ſolis motum menſurare ſatis intellexerint, veriſimile eſt, eas ad novilunia plurimum attendiſſe, tanquam temporis menſuras maxime frequentes, ſenſibiles, & ad ævi rudioris modulum accommodatas, & cum gentes celebres antiquæ, nullo Judææ commercio junctæ, menſis ineuntis & Lunæ naſcentis tempora ſancte & feſtive duxiſſe videantur, non ſine cauſa credi, eas hunc morem a prima rerum ſuarum origine tenuiſſe, eumque ſeros nepotes longa Majorum ſuorum manu traditum accepiſſe. Secundum argumentum petit *pag.* 189. a *Novilunii* inter Hebræos celebrati tempore nempe Lunæ phaſi. Cum enim gentes antiquæ Græcæ, Romanæ & Arabes ſuas neomenias inſtituerint, hodieque Muhammedani, Sinæ & Indi inſtituant ad phaſin Lunæ, Hebræos antiquiores hunc morem Gentium Lunæ cultui addictarum obſervaſſe & ab iis Novilunii cultum ſimul & colendi tempus accepiſſe docet, & quæ alia ſunt. Ad hæc *Spenceri* verba, quæ latius executus eſt reſpondet celeberr. *Joh. Meyer. in diatrib. de feſtis pag. m.* 156. cujus verba adducere non pigebit: *Peſſimi ſunt commatis*, inquit, *nulla antiqua traditione, nulla Scriptura, nulla ratione nixa. An enim Homerus vel Heſiodus vel Trojani antiquitate ac rerum narratarum certitudine & veritate contendere poſſunt cum Moſe?* (Moſes enim antiquitate Scripturæ omnes ſuperat, uti eleganter demonſtravit cl. *Joh. Petr. Ludovic.* in diſſ. hiſtoria *ſine parente edit. Hal. Magdeb.* 1697. §. 3. conf. & *Huet. demonſtr. Evangel.*) Annon deridendum ſe proponit vir doctus, cum Græcos, Romanos, Arabes, Muhammedanos, Sinas, Indos ad Lunæ phaſin neomenias inſtituiſſe poſterioreſque etiamnum inſtituere probat; indeque concludit, Hebræis a gentibus novilunii cultum & colendi tempus accepiſſe? Cur non potius cum Judæis a *Noacho*, *Abrahamo* cæteriſque Neomenias deducit, quam a poſterioribus gentibus idololatricis Lunæ cultui addictis?

[2] *Deus conſtituit.*) Hic iterum inſurgit *Spencerus ſect. 3. lib. 3. cap. 1. diſſert. 4. pag. m.* 193. *edit. Hag. Comit.* & dicit, quod Neomeniæ non præceptæ ſint a Deo. Non enim *Num.* 28. 11. Legem exſtare, nec Levit. 23. ubi dies feſti ſigillatim enumerantur. Scripturam etiam de Neomeniis & cæteris feſtis ſeorſim loqui 2. *Par.* 2. 4. *cap.* 31. 3. *Eſr.* 3. 5. *Eſa.* 1. 13. 14. Deum porro novilunia ſacrandi tempus nullo præcepto determinaſſe: Judæos nihil quicquam a Deo in mandatis accepiſſe, ut majorem Lunaris, quam Solaris luminis rationem haberent, cum Neomeniarum officiis fungerentur. Lunæ nullam exſtare in lege mentionem ſed menſium duntaxat. Denique Deum neomenias obſervandi modum ac ritum, inter Hebræos uſitatum minime præſcripſiſſe; epulas lautiores, conventus ſolennes, choreas, aliaque multa, in Hebræorum neomeniis uſitata, nuſquam præcepiſſe, ſed Hebræos ritus illos ad neomeniarum celebritatem & lætitiam adaugendam induxiſſe. Ipſa Spencerus etiam *p. m.* 204. attulit ex *Seldeno Eliæ Karaitæ* verba quæ habentur in *lib. de anno civil. Jud. c.* 10. *Nullibi reperimus in Scriptura præceptum (de ſanctificandis Neomeniis) peculiare fuiſſe terræ Iſraeliticæ: ſed vero manavit a ſeculis vetuſtiſſimis, adeoque a tempore Noachi & Abrahæ patris noſtri, mos ille ſanctificandi Lunam quocunque locorum.* Putat quidem Spencerus *Karaitam* a partibus ſuis ſtare, quod tamen non videtur, cum antiquitatem Noviluniorum a *Noacho* deducit; ille vero ab Ethnicis, Græcis, Romanis, &c. perperam

Ka-

Karaitam erroris arguit, quod ubique locorum neomenias sanctificari posse dixerit, cum tamen Scriptura ad templum restringat. Verum veritati non videtur consentaneum, quippe non Neomeniarum sanctificationes sed sacrificia ad templum restringuntur, quæ in Noviluniis offerenda sunt. Nec a veritate aberrat illud, quod a Patribus Novilunia celebrata fuerint, & per *Mosen* rursus mandata *Exod.* 12. 1. Ita tam *Rabbanitæ*, quam *Karræi* fatentur, legem hic præcepisse, ut menses sanctificentur. Et quis non cognoscit ex Scriptura *Num.* 12. 11. 15. & *Num.* 10. 10. præceptum fuisse ut *Neomeniæ* sanctificentur oblationibus a Deo? Confirmant hoc Rabbini *Maimonid. Kiddusch hachod. c.* 1. *Abarbanel in Leg. f.* 315. 2. ubi dicit, non sine causa dici, initiis mensium, ut comprehendat omnia principia mensium totius anni. Tandem etiam addit, hoc esse primum præceptum Israelitis datum in Ægypto & a Mose renovatum. Quis igitur negabit, Deum novilunii sanctificationem non præcepisse? Nec *Spenceri* illatio ex *Levit.* aliquid valet. Si porro instat, quod Scriptura seorsim loquatur de Sabbathis, de noviluniis, de solennibus diebus; hinc sequi a Deo non esse mandata; idem dicendum esset de Sabbatho, quod pariter distinguitur & seorsim proponitur a reliquis solennitatibus. Hæc & alia argumenta contra *Spencerum* collegit *Meyer. l. c. pag.* 164. 165. *seq.* qui evolvendus, ubi lectu digna obvia sunt.

3 *De Neomeniis*) Primus cujusque mensis dies quasi festus erat apud Judæos, ut constat ex cap. 28. Num. vers. 11. & cap. 10. 10. & ex Calendario Hebræorum, quod habet *Genebrard. ante comment.* in Psalm. celebrabaturque in memoriam gubernationis divinæ, ut docet *Divus Thomas* 1. 2. *quæst.* 102. *disp.* 4. *ad* 10. non necessaria quidem de præcepto divino cessatio tum erat ab operibus servilibus, sed varia sacrificia, epulæ, festivus tubarum clangor, & populi frequens concursus, fiebant Num. 10. 10. Hebr. חדש quod est novilunium, quia tunc renovatur Luna initio mensis juxta *Aben Ezr. R. Obad. in hunc Psalm.* De *Palmede* (temporibus Judicum) *Nauplii* filio scribunt, quod primum reperit in novilunio pondera & mensuras, ordinavit annum secundum solis cursum, & ad circumgyrationes Lunæ menses, *Ovid. l.* 13. *Metam. Cæl. Rhodig. lib.* 20. *cap.* 27. *Plin. lib.* 7. *cap.* 56. *Volater. lib.* 18. Ethnici observarunt etiam lunæ dies festos, eique sacrificarunt sub nomine Dianæ, quam unico partu editam fuisse cum *sole* vel *Apolline* finxerunt. Cultus autem Dianæ noctu deferebatur, propterea quod luna noctu fulget. Imprimis mulieres steriles eam colebant sub nomine Lucinæ, sibi persuadentes Lunam fœcunditatem ipsis conciliare posse. *Horat. lib.* 2. *od.* 22. *Ovid. Fastor. lib.* 2. Adhuc hodie extant nummi antiquissimi, in quibus sedet Juno, viduæ habitu induta, cum virga in manu sua; Calendæ alias dicitur quoque prima dies mensis, quæ & Neomenia sive novilunium, eo quod Hebræi menses suos computant secundum cursum Lunæ, videl. ab uno novilunio ad alterum, ita ut prima dies mensis semper incidat in novilunium. Unde Judæi etiamnum, instante novilunio, turriculas in Synagogis conscendunt, & diligenter observant Lunæ ortum, ac ea exorta, statim tubæ sonitu neomeniam denuntiant. Causas institutarum neomeniarum has afferre solent, ut recolatur beneficium gubernationis divinæ vid. *Cornel. a Lapid. comment. ad Num. cap.* 28. *fol.* 940. 2. Ut temporis & mensium primitiæ Deo offerantur. De mensibus & Neomeniis sonare præceptum Exod. 12. monet *R. Levi Bar Zelonita. vid. Hotting. Jur. Hebr. pag.* 15.

4 *Latini Kalendas.*) Romani primum diem mensis *Kalendas* vocarunt. *Dionys. Halicarn. lib.* 8. *pag.* 525. *Isidor. Orig. lib.* 5. *c.* 33. Quidam Calendas a colendo dictas volunt: Apud veteres enim omnium mensium principia colebantur, sicut etiam apud Hebræos. *Plutarch.* in *quæst. Rom. p.* 269. occultationem Lunæ vocat Calendas, quia omne, quod occulte & furtim fit, clam appellant; inde verbum celare. *Guil. Stuck.* in *Sacr. Gentil. descript. fol.* 13. *edit. Tigur. Becmannus in Orig.* Calendas dicit esse ἀπὸ τοῦ καλεῖν, eo quod hoc die Pontifex Romanus in concionem advocatus est per Episcopum seu Præsidem Sacrorum indicatum, quæ feriæ toto mense essent futuræ; quidque in religione agendum. vid. *Thom. de S. Quercu* in voce *Calendæ*. Ita de hac re etiam *Scaliger*, cujus locum integrum placet adscribere, de *emendat. Tempor. lib.* 2. *fol. m.* 174. Anno in menses imparis numeri dierum reducto, Pontifex in *Curia Calabra*: (quæ Curia dicebatur ubi tantum ratio sacrorum gerebatur, & Angli ita reddiderunt: *A place of meeting for matters of Religion the convocation house*) Si *Nonæ* Septimanæ futuræ erant, hoc significabat populo, septies dicto: KALO JANO NOVELLA: Si autem quintanæ essent, quinquies dicto KALO JANO NOVELLA. Apage, apage, JUNO COVELLA, quod in veteribus tam scriptis, quam excusis *Varronis* libris legitur. Nam tametsi *Kalendæ Junoni* erant dicatæ, tamen *Nonæ* nulli Deo erant dicatæ, de quibus *Ægid. Strauch. dissert. Chronol. de comput. Rom.* §. 21. confer. *Barnab. Brisson. de antiq. formul. pag. m.* 119.

5 *Proprium holocaustum.*) In his mensium exordiis offerri sibi Deus præcepit peculiaria sacrificia, ad quæ juxta legem duo Juvenci, aries unus, septem agni anniculi cum tribus decimis similæ & vino, nec non hircus in sacrificium pro peccato requirebantur. Verum hic insurgit *Spencerus* & quærit. 1. Cur Israelitæ tot victimas in neomeniis obtulerint, ut ipsa Sabbathi sacrificia numero superarint *Num.* 28. 11. 14. cum sacrificium Sabbatho requisitum duobus tantum agnis anniculis mactatis absolveretur. Vid. *pag.* 197. 198. *sect.* 5. & Rationem in promtu habet *Spencerus pag.* 198. quia Græci antiquiores in novilunio sacrificarunt, ut fuse differit cit. loc. 2. Cur tam diserte præceptum ut Israelitæ hircum in noviluniis Deo sacrificarent? Ubi rationem reddit *Sect.* 7. *pag.* 203. quia Ethnici hircum Lunæ immolarint. 3. Cur lege cautum sit, ut Israelitæ cujusvis generis animalia munda, sed juniora tantum in neomeniis immolarint? respondet, quia Gentes juvencos, aliæ agnos Lunæ immolarint. Verum hic non locum damus *Spencero*, sed respondemus ad 1. dubium, licet sacrificia in Neomeniis offerenda numero superarint oblationes Sabbathi, non tamen superasse sacrificia tempore Paschatis vel Pentecostes, multo minus in festo tabernaculorum, uti videre est ex Num. 29. 12. Quod prolixe demonstravit *Abarbanel. præfat. Comment. in Levitic.* vid. Meyer. p. 176. Ad. 2. Cur hircum immolarint respondet *R. Bechai in leg. f.* 184. 1. 2. cujus verba adduxit *Buxtorff. in Synag. Jud. c.* 22. Ad cætera dubia respondit pluribus verbis prælaudatus *Joh. Meyer. l. c. pag.* 177. 178. *seqq.* Interim ex mandato Dei holocaustum offerebatur Domino uti fuse probavit Angl. *Henric. Ainsworth. comment.* in *Num.* 18. *fol.* 178. 179.

6 *Cessationem ab operibus non haberent.* Licet vero Neomeniæ cultui divino peculiariter essent consecratæ, & peculiari aliqua Eucharistia ac beneficiorum Dei commemoratione sanctificandæ, non tamen in illis, ut in cæteris festivitatibus injuncta fuit ab operibus cessatio aut convocatio cœtus. Licebat enim hoc die negotiationes exercere. Hinc *Lorinus Jesuita Comment. in lib. Num.* 28. 11. ait: Novilunium non omnino proprie festum censeri posse, si festum sumatur, quo vacetur ab operibus, nec enim de vacatione ista ullum præceptum extare. At licet, scribit D. *Quensted. in antiq. Bibl. p.* 834. Neomeniæ festæ non erant cessatione ab operibus servilibus, peculiarem tamen in Templo habebant solennitatem & speciales victimas, ut recte observat *Bonfrer. in Num. ad cap.* 10. 10. conf. *Gisbert. Voet. part.* 3. *Select. disput.* de *Sabbat. & fest. pag.* 1229. *seq.* Verum ut ut hæc dicta sint ab autore nostro & aliis, attamen mihi persuadere non possum, Israelitas cessasse ab operibus. Si enim Neomeniæ festa sanctificata fuerunt Domino, & religiosa habita, non licuit illis laborare, apparet hoc ex illo. 2. *Reg.* 4. 23. & 1. *Sam.* 20. 5. 6. Hinc optime *Ainsworth. fol.* 178. *in Num.* asserit: *neither was it lawfull to buy or sell, or doe other like VVordly workes Amos* 8. 5. i. e. Non licebat illis vendere vel emere, vel alia opera mundana perficere *but they were to meditate of their light sanctification, graces, and conforts to come by Christ, whereof these and other holy dayes were a shadow.* Col. 2. 16. 17. Id quod pluribus verbis demonstrat citato loco.

CAPUT SEXTUM.

De Diebus Singulis.

DIes vero cæteri inter septimanas interjecti ex præscripto Dei haud prorsus religione caruerunt. Nam licet operibus pro necessitate vacarunt, tamen matutinum ac vespertinum [1] holocaustum juge facere a Deo jussi sunt; ut scriptum est Exodi XXIX. & Numerorum XXVIII. *Hæc sunt sacrificia quæ offerre debetis: agnos anniculos immaculatos duos quotidie in holocaustum sempiternum, unum offeretis mane, alterum ad vesperam:* [2] *decimam partem ephæ similæ, quæ conspersa sit oleo purissimo, & habeat quartam partem hin. Holocaustum juge est, quod obtulistis in monte Sinai in odorem suavissimum incensi Domini. Et libabitis vini quartam partem hin per agnos singulos in sanctuario Domini: alterumque agnum similiter offeretis ad vesperam juxta omnem ritum sacrificii matutini, & libamentorum ejus, oblationem suavissimi odoris Domino*; & Levit. 23. *Offeretis oblationes Domino, holocausta,* [3] *& libamenta juxta ritum uniuscujusque diei*. Quam legem sic expressit Josephus: *Ex publico sumtu lex agnum anniculum singulis diebus docet occidi inchoante die, & terminante*. Unde II. Par. Secundo scriptum: *Ad holocautomata mane & vespere, quæ mandata sunt Israeli*.

NOTÆ AD CAPUT SEXTUM.

[1] *Sacrificium juge.*) Sacrificia ex institutione divina alia erant *quotidiana*, alia Sabbatharia seu hebdomadaria, alia menstrualia: alia anniversaria. Sacrificium quotidianum quod Hebræis עלה תמיד i. e. Sacrificium juge seu continuum, de quo *Codex Talmud. Tamid. edit. a Michael. Arnold. Franequer.* 1680. Græcis, ὁλοκάυτωμα vel θυσία ἐνδελεχισμῦ, vel etiam ἐνδελεχισμὸς continuitas dicitur, instituit Deus *Exod.* 29. 38. *ad* 43. *Num.* 28. 3. Alias etiam vocabatur קרבן מנחה sacrificium juge. Vid. *Saubert. tract. de sacrif. p. m.* 90. Objectum seu materia ejus erant *duo agni anniculi*, iique puri & integri, addita oblatione ex simila conspersa oleo confuso & vino ad libandum vel fundendum. Alter mane, alter vesperi offerebatur pro holocausto vid. *Outram. de Sacrif. cap.* 14. *pag. m.*144. *edit. Amstel.* Tempus offerendi erat matutinum & vespertinum, de quo fuse disputat Jesuita *Bonfrerius comment. in Exod. pag.* 534. De hoc Hebræi scribunt, uti *R. Menachem fol.* 115. recenset, quod Sacrificium quotidianum reconciliationem fecerit pro iniquitatibus noctu commissis, & vespertinum pro iniquitatibus per diem commissis. Ita etiam *D. Quensted. in antiquit. bibl. pag. m.* 238. Ex agnis enim illis unus singulo mane sub ortum Solis, vel paulo ante offerendus erat super altare holocausti cum appendicibus *Minchæ & Nesech*, seu *Oblationis & libationis*: alter inter *duas Vesperas* paribus cum circumstantiis: Ille pro nocturnis, hic pro diurnis peccatis expiandis. Hoc Sacrificium juge reliqua omnia Sacrificia præcedere & claudere debebat, & publicis impensis offerebatur; nec ullo die, etiamsi festus esset, intermittebatur, licet pro ratione aliæ victimæ essent immolandæ *Num.* 28. 10. Erat quoque eo ignis ἀσβέστος perpetuo alendus fovendusque *Levit.* 6. 13. unde Sacrificia alia omnia accendi & cremari oportebat. Bene *D. Calovius in bibl. illustr. ad Lev.* 6. 9. In adustione super altare, inquit, debuit esse, ut est in Hebr. tota nocte holocaustum, unde vigilare Sacerdos per totam noctem debuit, qui partes holocausti successive poneret & disponeret in altari, ut sic sensim tota nocte cremarentur ad successivam passionem Filii Dei jugiter adumbrandam. Hæc lex, inquit *Ainsworth. comment. in Levit.* 6. *fol.* 32. hic data, respicit in specie holocaustum quotidianum, quod offerebatur primum mane & ultimo vesperi, uti Hebræorum doctores dicunt. Illegitimum est, scribit *Maim. in tract. de sacrif. Jug. c.* 1. *sect.* 3. sacrificium offerre, antequam quotidianum oblatum mane &c. Hinc ignis continuus in altari servabatur, uti cognoscimus *ex cap.* 29. *Exod. v.* 42. Et quamvis etiam aliis rebus hoc verbum tribuatur, uti *num.* 4. 7. de pane continuo: de incenso *Exod.* 30. 8. attamen communiter de Sacrificio quotidiano sæpius intelligitur, licet sacrificium non expressum sit, ut *Dan.* 8. 12. 13. Recte itaque statuunt *Rabbini*, juge sacrificium asserentes *Preces significare*. Audiamus R. *Abarbanel ad Levit.* 16. cujus verba latine recensentur ab *Outramo lib.* 1. *cap.* 20. *pag. m.* 223. *de sacrif. edit. Amstel.* hoc modo: *Holocausta quotidiana rationem habuere sacrarum precum; idcirco Deo adhibitarum, ut clementiæ suæ erga Israelem mane & vesperi meminisse vellet, ut augeret ei frumentum, mustum oleumque. Quod docet fertum & libamen, quod eis rite adjungendum erat*. confer. R. Mos. *Ben Nachman. Levit.* 1. *Isaac. Ben Aramah. ad Levit.* 6. *Maimonid. in Tephill. ubircath Cohanim. c.* 1. Statuerunt, ut numero sacrificiorum par sit orationum numerus, nempe binæ orationes quotidianæ binis sacrificiis quotidianis respondentes. &c. Hunc ritum imitati sunt Gentiles qui etiam diis quotidiana Sacrificia obtulerunt & mane & vesperi, uti longa serie exhibet *Guilielm. Stuck. in descript. Sacrif. Gentil. fol. m.* 11. *edit. Tigur.*

[2] *Decimam partem Ephæ similæ.*) Hebræi vocant קרבן מנחה. Mincha autem significat vel omne munus vel donum uti Psalm. 72. 10. vel munus dapale, seu donum ex fructu terræ, ex farre, oleo, thure & sale constans. Ubi de ratione parandi disquiritur, quam nobis exhibet *Maimonid. cap.* 13. *Hilk. Hakkorbanoth.* his verbis: Et quomodo paratur? Pontifex adfert decimam partem Ephæ, & dividit illam dimidio, quod in Sanctuario habetur. Etsi enim eam jam dum divisam adferat, tamen non est ad dimidiam partem sanctificata. Adfert etiam secum tres logos olei, quia dictum est, oleo facies illud (*Levit.* 11. 7.) ut oleum ei addas in libaminibus agni. Et oleo similam perfundit, & miscet eam, in cibum eorum. Et depsit de dimidio similæ sex placentas, ut in universum duodecim fiant; & una post alteram conficitur. Ecquomodo vero? Tres logos dividit quarta parte Hin, vase in Sanctuario existente; quartam partem unicuique dat placentæ, & paulum eam coquit, & deinde assat super sartagine: in reliquas itidem quartam partem olei mittit. Non autem nimium coquit, quia dictum: cocturæ (Levit. 6. 21.) ut inter coctum & crudum modum sit. Postea vero unamquamque placentam dividit in duas partes, mensuratione quadam, ut dimidiam partem mane offerat, dimidiam vesperi. Offerebatur autem מנחה *quotidie*, maxime tempore pomeridiano aut vespertino sole jam declinante. vid. *Joh. Frischmuth.* in *dissert. de Sacrif. Outram. de Sacrif.* & *Saubert.* Mincha autem hæc alias תמיד *sacrificium juge* vocabatur, quia quotidie & continuo, nulla die prætermissa, offerebatur. conf. *Henr. Ainsworth. in Exod.* 29. *fol.* 124.

[3] *Et libamenta.*) Quod ad נסך libamen attinet, facrificium quotidianum femper illud conjunctum habebat, & nihil aliud erat, quam certa vini quantitas, quæ variabatur pro ratione facrificiorum. vid. Joh. Henric. *Othon. Lexic. Philolog. Rabbin. p. m.* 577. *Ainfworth. in Exod.* 29. *Levit.* 23. confer. *Saubert. de facrif. cap.* 25. *a pag.* 656. *ufque* 671. qui longioribus verbis tam Hebræorum quam Gentilium libationes defcripfit.

CAPUT SEPTIMUM.

[1] *De diebus feftis.*

[2] FEftos autem dies fabbata nominarunt, ut Lev. XIX. *Sabbata mea cuftodite.* Hæc vero a vefpera ad vefperam celebrata funt. Sic enim poft præcepit Deus XIII. *A vefpera ad vefperam celebrabitis Sabbata veftra.* Item: *Die primo a die octavo erit fabbatum, id eft requies.* [3] Celebrarunt autem non folum ab opere ceffando, fed etiam offerendo, orando & interdum etiam animas fuas affligendo, id eft jejunando, ut poft apparebit. Ex his autem alii a Deo, alii ab hominibus inftituti funt: a Deo Sabbatum, Pafcha cum Azymis, Primitiæ cum Pentecofte, Tubæ, Expiationes, Tabernacula cum Collectis, annus feptimus, & annus quinquagefimus; ab hominibus Encænia, & quædam alia minus infignia, quæ fuo loco prodentur. Agamus ergo de fingulis.

NOTÆ AD CAPUT SEPTIMUM.

[1] *Diebus feftis.*) De hifce monendum alios fuiffe *ftativos*, alios *conceptivos*. *Stativi* funt, qui ftatis temporibus ex ipfius Dei inftituto agebantur, & vel fingulis feptimanis, ut Sabbathum, vel fingulis menfibus, ut *Feftum novilunii*, vel fingulis annis, ut *Pafcha*. Erantque iterum alii *verni*, alii *æftivi*, alii *autumnales*, quidam *hiemales*. Annui rurfus dividebantur in eos, qui ante & qui poft captivitatem babylonicam facti. *Conceptivi*, quos Judæi invicem citra Dei fpeciale mandatum conceperant, quales erant *jejunia quatuor temporum*. Dicuntur autem fefti dies tefte *Rofin. antiquit. Rom. cap.* 3. *pag. m.* 245. *qui Diis dicati funt, & hi referente Macrobio lib.* 1. *Saturn. cap.* 16. dividuntur in *Sacrificia*, *epulas* & *ferias* conf. Joh. Guilh. Stuck. *de facrif. fol. m.* 11. 12. *Saubert. de facrif. cap.* 4. *pag. m.* 74. *feq.* Sacra celebritas eft, vel cum facrificia diis offeruntur, vel cum dies divinis epulationibus celebrantur. *Arnoldus Corvin. in Aphorif.* Jur. Canon. *lib.* 3. *tit. XVI. pag. m.* 195. dividit in *folennes* feu *ordinarios*, qui certo fpatio quotannis occurrunt, aut *repentinos* feu *extraordinarios*, qui fubito pro re nata indicuntur. Ethnicos quoque habuiffe dies feftos *conftat ex tit. ff. de feriis*. De feriis repentinis Perfarum *vid. Barnab. Briffon. lib.* 1. *de regn. Perf. pag. m.* 75. *& lib.* 2. *pag.* 188. 186. *Herodot. lib.* 3. *& Agath. lib.* 11. *Athen. lib.* 7. ex. *Druid. hiftor. Athen. lib.* 12. His quoque adjungi poterit difputatio *Dn. Simonis* de *Feriis*.

[2] *Feftos dies Sabbatha nominarunt.*) Quævis Fefta Sabbatha dicebantur, ut recte monet *Chrifoft. hom.* 40. *in Matth. & Euthymius in cap.* 6. *Luc.* Appellatur enim Feftum Tubarum Sabbathum memoriale. *Levit.* 23. 24. Feftum expiationis Sabbathum *Lev.* 23. & annus feptimus quifque Sabbathum Domini & Sabbathum feriæ *Levit.* 15. 2. *&* 4.

[3] *Celebrarunt autem.*) Duæ funt potiffimum caufæ Feftorum, honor Dei, & laborum intermiffio. Quotidianorum laborum intermiffionem infequitur hilaritas & jucundioris vitæ ufus], quod Gentilibus etiam non ignotum fuit: Præcepta enim funt multa apud illos de lætitia dierum illorum, quos dies bonos vocant *Strab. lib.* 10. *pag.* 467. inquit. *Commune hoc eft & Græcis & Barbaris facra celebrare fefta cum laborum intermiffione.* Ethnici feftos fuos dies tanta celebrarunt devotione, ut ab omni quoque opere fervili abftinuerint, quippe quo illos profanari arbitrabantur, ut autem hæc rite fierent, per *Præcones* edici folitum, ut litibus & jurgiis abftinerent, & cum inimicis quoque benigniter comiterque fermones conferrent. Refert *Cicer. lib.* 1. *de divinat.* & exemplum præbet *Scipio Africanus*, qui victis *Pœnis* in Capitolium adfcendebat, ut diis omnibus facrificium faceret, *hodie*, inquit, *litibus & jurgiis fuperfederi æquum eft*, *Liv. lib.* 38. *Nunc dicenda bono funt bona verba die.* *Ovid. lib.* 1. *Faftor.* Ab eodem præcone publicabatur, ne opifices agerent fervile opus. In jure *Pontificio Romano*, hæc verba extabant. *Ne famula opera patrato.* Caufa erat, quod cum vidiffet Sacerdos facientem opus, polluerentur facra. Attamen caufa neceffitatis multi excufabantur. *vid. Macrob. lib.* 1. *Satur. cap.* 12. *Virgil. Georg. lib.* 1. Apud *Ægyptios* tefte *Macrob. lib.* 1. *Saturn. cap.* 7. magna cum verecundia dies fefti habebantur. Romanos dies feftos maxima reverentia coluiffe non modo ex fupra dictis elucet, verum etiam *ex LL. XII. Tabul.* pluribus perfpici poterit. Longe igitur vetuftiffimus mos fuit dies facros celebrare, ejufque origo prifcis fuit agricolis, qui (conditis in horreum frugibus) collectarum primitias diis offerre folebant, & cum daretur feriandi occafio conventus celebrabant. *Ariftoteles ad Nicomach.* 8. *cap.* 11. idem affirmat. Hinc factum ut apud Judæos ab omni opere abftinuerint, quod cognofcitur ex dicto illo, quo Pharifæi difcipulis Chrifti exprobrant die Sabbatho ceu fefto fpicas evellere: Unde *R. Mofes Mikkotzi*, quem refert *Craufius difp. de Sabbatho* Δευτερόπρ. §.1. Et R. Mof. Maimon. Hilkot. cap. 8. הקוצר כגרוגרת חייב והולש תולדת קוצר הוא Metens vel tantillum reus eft, vellere enim fpicas eft fpecies meffionis. Una enim pœna metenti & vellicanti fpicas die facro erat conftituta, ceu *cap.* 7. *Hilkot.* שבת *R. Maimonides* teftatur. Opera, quibus homo fit reus lapidationis & excifionis, fi ex præfumtione faciat, aut facrificii, fi ex ignorantia, funt vel *primitiva* vel *derivativa*. Sabbata Fefta nobis celebranda effe teftatur expreffum Dei mandatum. *Exod.* 31. Optime quoque dicit *Anglus in libello infcripto*, *The fignes of the Wicked man. pag.* 215. cujus verba hæc funt: *That makes not confcience to keepe Gods Sabbath: for God had given the Sabbath at a figne between him and the people in the point of their fanctification: fo he that cares not to prophane the Sabbath, bythat figne is Knowne to by none of Gods people.*

CA-

CAPUT OCTAVUM.

De Sabbato.

IN primis autem [1] ſeptimum diem, quem [2] Sabbatum appellarunt, [3] ſummo honore colendum [4] mandavit Deus; atque ita [5] ab omni opere in eo ceſſandum, ut ne ignem quidem domeſtici uſus cauſſa ſuccenderent. Primum Exod. xx. *Memento ut diem Sabbati ſanctifices. Sex diebus operaberis, & facies omnia tua, ſeptimo autem die Sabbatum Domini Dei tui eſt. Nullum facies opus in eo. Sex enim diebus fecit cœlum, & terram, & mare, & omnia quæ in eis ſunt, & requievit in die ſeptimo, idcirco benedixit Dominus diei Sabbati, & ſanctificavit eum*; & xxxv. *Non ſuccendetis ignem in omnibus habitaculis veſtris per diem Sabbati.* Deinde Levitici xxiii. *Sex diebus facietis opus; dies ſeptimus, quia Sabbati requies eſt, vocabitur ſanctus. Nullum opus facietis in eo.* Eo vero die ſacrificari, & [6] Panes Propoſitionis refici juſſit. De ſacrificio Numerorum xxviii. *Die ſabbati offeretis duos agnos anniculos immaculatos, & duas decimas ſimilæ oleo conſperſæ in ſacrificio, & liba, quæ rite fundantur per ſingula Sabbata.* De Panibus Levitici xxiv. *Accipies ſimilam, & coques ex ea duodecim panes. Per ſingula Sabbata mutabuntur coram Domino ſuſcepti a filiis Iſrael fœdere ſempiterno.* Hæc porro his verbis explicuit Philo in libro de ſacrificiis: *Publica ſacrificia alia fiunt quotidie, alia ſeptimo quoque die, alia in noviluniis, alia in jejuniis, alia tribus diebus feſtis præcipuis. Quotidie juſſu legis agni duo mactantur, mane ac veſpere cum gratiarum actione, alter pro diurnis, alter pro nocturnis beneficiis, quæ aſſidue Deus largitur humano generi. Septimo die is numerus duplicatur, in æternitatis honorem, quod ſeptimus dies mundi natalis ſit. Quotidie etiam bis incenſa ſunt thura in ara, quæ intra velum eſt, oriente ſole occidenteque ante matutinum, & poſt veſpertinum ſacrificium. Panes item ſeptimo quoque die proponuntur in ſacra menſa, cum panibus autem ſal & thus menſæ imponitur.*

NOTÆ AD CAPUT OCTAVUM.

[1] *Septimum diem.*) *Marshamius Anglus in Canon. Chron. ad Sec. 9. p. 190. 198.* vult Ægyptios inveniſſe ſeptimum diem cultui ſacro deſtinatum ex aſtrologia, cum ita literis prodit: Ægyptios vetuſtiſſimos Temporum artifices primos omnium hominum inveniſſe menſes & annos, orbemque dierum hebdomadicum a Planetarum numero derivaſſe, & illam temporis rationem, una cum aſtrologica ſua diſciplina propagaſſe. Idque ex *Herodoto* cæteriſque profanis authoribus probat, & veriſimillimum eſſe judicat, hebdomadicum dierum orbem ex Mathematica diſciplina, atque ex intima Ægyptiacæ antiquitatis penu, depromtum fuiſſe: Sacrum vero SEPTIMI cujuſque DIEI cultum & hebdomadici Sabbathi feſtum (lege Moſaica conſtitutum) jam primo in Religionem Hebraicam publice receptum eſſe. Sed unde probabit *Marshamius*, Menſes & annos ab Ægyptiis inventos eſſe? Si Moſi credimus, mundi Creator quarto die luminaria in expanſo cœli collocavit, ad diſtinctionem faciendam inter diem & noctem *Gen. 1. 14.* & ante diluvium certum annorum numerum *Noacho* præfinivit, quibus præterlapſis, terram aquis erat perditurus *Gen. 6. 3.* Quis autem Moſe vetuſtior, qui nobis tradat, quid tempore diluvii factum? Si Ægyptii aſtronomi SEPTEM DIERUM CIRCULUM invenerint, ut quieti commodum poſt actos labores vel anni diſtributioni convenientem, cur non quintum vel ſextum, vel octavum ſelegerunt? Cur non quinque dierum circulum conſtituentes annum in LXXIII. ſeptimanas diſtribuerunt? Sit denominatio a *Septem Planetis* ab Ægyptiis inventa, ideone ipſe ſeptem dierum circulus eſt ab Ægyptiis ortus? Scriptura longe antiquiorem originem oſtendit *Gen. 29. 27. 28.* quam ullus Scriptor profanus. Imo antequam Ægyptii eſſent in mundo, Septem dierum circulum fuiſſe in mundo demonſtrari poteſt. Nonne Scriptura Sabbathi ſeu ſeptimi diei mentionem facit, ubi dicit: *Quievit Deus die ſeptimo & benedixit diei ſeptimo?* quem non ſolum ab Adamo & cæteris Patriarchis obſervatum Hebræorum Doctores defendunt, ſed etiam Gentiles horum exemplo ſeptimum diem ſacrum habuiſſe Scriptores affirmant. Chaldæus Paraphraſt. in Cantic. *cap.* 1. refert Adamum pſalmum Cantici diei Sabbathi edidiſſe. Pariter in titulum Pſalm. 92. *Targum & Medraſch Tillim* affirmant Adamum de Sabbatho canticum compoſuiſſe; & Deum dixiſſe ſe creaſſe *Septem* ſecula, ex quibus nullum elegiſſe præter *ſeptimum*. Verba a celeberrimo *Johanne Meyero in diatrib. de feſtis pag.* 123. citata, ſequentia ſunt: *Septem creavi ſecula, ex quibus non elegi ullum præter ſeptimum, quod totum eſt Sabbath. Septem dies creavi, & ex iis omnibus non elegi niſi ſeptimum. Septem annos creavi, & ex omnibus non elegi niſi Schemitam ſeu annum ſeptimum*, & quæ alia ſunt, quæ ex Rabbinorum Scriptis adduxit, *a pag.* 124. *uſque* 132. *ſeq.* in quibus ex fundamento probat diem ſeptimum ſacrum fuiſſe habitum. Septimi diei celebrationem a Gentilibus obſervatam fuiſſe teſtatur *Philo lib. 2. de vita Moſis* his: Sabbathi religionem a pleriſque gentibus fuiſse obſervatam; quo etiam facit *Euſebii* obſervatio, quando *lib.* 13. de *præparat. Evangel. cap. 7. Heſiodi, Homeri & Lini* mentionem facit, quod ſeptimum diem tanquam ſacrum ſuis celebrarint carminibus. Plura teſtimonia videre licet apud *Caſaubon. ad Sveton. pag.* 382. *Rivet. in Decal. expl.* Verum hic objiciunt Judæi & ingerunt: Si ſeptimus dies hebdomadis ſervari debet; Cur Chriſtiani hunc non obſervant, ſed primum, quem Jeſus Nazarenus ſibi conſecravit? Ita in *Avoda Sara Bab. f.* 6. 1. 7. 2. Die Chriſtianorum ſemper prohibitum (Judæo cum Chriſtianis negotiari) ubi Gloſſa addit: Chriſtianus is eſt, qui præceptum viri iſtius ſequitur ut primum hebdomadis diem ſibi ſacrum faciat. Hoc nonnulli Chriſtiani volunt dicentes: Chriſtum in diem reſurrectionis ſuæ ſabbathum tranſtuliſſe juxta *Eſ.* 65. 17. Alii tamen negant, primum hebdomadæ diem vel a Chriſto vel Apoſtolis eſse inſtitutum loco ſeptimi. Notarunt Centuriatores Magdeburgens. *Paulum* indifferenter obſervaſse Sabbathum & Dominicam, cujus rei manifeſta exſtant teſtimonia in *Actis Apoſtol. cap.* 13. 14. 42. 44. *cap.* 16. 13. Imo utrum-

utrumque diem post Apostolorum tempora celebratum fuisse ex antiquitate colligitur. *Ignat. in epist. ad Magnes. pag.* 57. scribit *At post Sabbathum omnis Christi amator Dominicam celebret diem*. Id patet ex *Canon. Laod.* idem, *Sozom. Anastas. Nicæn. Cassian. Socrat. & Clem. Romanus* testantur: Cum autem crescentibus Ecclesiis biduum non posset in quavis hebdomade propter labores sacris rebus consecrari, retentus est dies Dominicus. Vid. *Meyer. pag.* 148. aliosque. *

[2] *Sabbatum appellarunt.*) Sabbathi seorsim ab aliis festis facta mentio; quia frequentior ejus, quam aliorum solennitas, & multis nominibus celebrior & venerabilior præ reliquis diebus festis. Unde vero natales trahat, a variis varie quæsitum. *Lactantius lib. 7. divinar. institut. cap.* 14. putat Sabbathum dici a numero septimo dierum. *Plutarchus lib. 4. symp. probl.* 2. *opinatur dictum* a Baccho, quem vulgus *Σάββις* appellat, quasi eo die Bacchum colerent Judæi, quæ insulsa opinio a Cælio Rhodigino dudum explosa est. conf. *Vossius de Theolog. Gentil. lib. 2. cap. 14. pag. 377. Dieter. Antiquit. Bibl. fol.* 219. Sunt qui Ægyptium putant vocabulum, inter quos Impudentissimus *Appion Alexandrinus apud Josephum lib.* 2. Appellaverunt Sabbathum servata Ægyptiorum voce, quia exacto sex dierum itinere, inguinum ulceribus affecti sunt: & hac de causa septima die quieverunt, incolumes constituti in ea regione, quæ nunc Judæa vocatur. Nam inguinis morbum *Ægyptii* vocant *Sabbatosni*. Originem Sabbathi aliunde eruit *Tacitus*, sed hæc sunt nugæ Gentilium, de quibus poterit videri *Ursinus analect. sacr. vol. 1. lib.* 6. Certissime scimus, *dicit Gregor. lib. 1. moral. c.* 11. quod Septenarium numerum Scriptura Sacra pro perfectione ponere consuevit. Hinc est quod septimus dies in requiem hominibus i. e. in Sabbatho datus sit, & quod Jubilæus annus, in quo plena requies exprimitur, septem hebdomadibus consumatur. *S. Augustin. de civit. Dei lib. 11. c.* 31. de septenarii numeri perfectione dicit plurima conf. *Petr. Bungus de numer. myster. p.* 282. Jodoc. *Clichtoveus de mystic. num. signif. c. 6. Joseph. lib. 2. contra Appion. Euseb. præpar. Evangel. l. 13. c. 7. fol. 677. Kromayer. in epist. ad Gal. p. 298. Casaub. ad Sueton. p. 382. Selden. de J. N. & G. l. 3. c. 15. Meurs. denar. Pythagor. c. 9. Philo. de profug. 335. de mundi opificio pag. m.* 15. 16. Septenarius numerus fuit in honore etiam apud Græcos & barbaros, vid. *Gell. lib. 3. cap. 10. Philo. Strom. lib. 6. pag. 685. Apulei. Metamor. l. 11. Virgil. Æneid. lib.* 6. 641. Inde factum, ut is ob singularem suam præstantiam multa honorifica nomina sortitus sit, de quibus. *vid. Hieron. in Ezech. cap.* 39. In ritibus Mosaicis insignis hic numerus *Levit.* 8. 11. 32. 4. 6. 16. 14. *Num.* 23. 1. 14. *Jos.* 6. 15. & aliis locis quamplurimis. Septimum igitur diem magna cum pompa & observatione celebrabant Judæi, qui propterea ab Ethnicis Sabbatharii appellabantur. vid. *Mart. 4. epist. 4. Antiquit. Dieter. bibl. fol. m. 220. R. P. Redan. commentar. in l. Mac. f. m. 291. n.* 357.

[3] *Summo honore colendum mandavit Deus.*) Jus naturæ a nobis requirit, ut quendam cultui divino destinatum diem celebremus, quod inter alia brevissime describit *Joh. Swan. in tract. elegant. quem inscripsit Redde debitum pag. m.* 102. *of the observation of the Lords Day or Sunday*, sic inquiens: *For it is absolutely and directly of the law of nature, that some time be set apart, for the publique Worshipe and solemne services of God.* i. e. *Absolute & directe est juris naturæ, ut tempus aliquod servitio Dei destinatum sit.* Et alius in annotationibus ad *Exod. cap.* 21. 11. ad verba *the Sabbath day* dicit: *It is not said the seventh day form that Creation, but the Sabbath day, that is the day of religous rest; for though God rested on that day, his legal Ordinance here doth not precisely prescribe the observation of that seventh day, but one day in seven.* i. e. *non dictum est Septimus a creatione dies; sed Sabbathi, hoc est, dies operum religiosorum, Deus enim hac requiescebat die, hic legalis ordinatio non præcise septimi diei observationem præscribit, sed unum ex septem cultui divino dicavit.* Quæstio hic moveri potest, *an cultus septimi diei per modum præcepti divini ortum suum a die ob orbe condito septimo traxerit nec ne?* Communis Christianorum opinio est, Sabbathum demum tempore Mosis incepisse. Ita, *Francis. Suarez. de Fest. observat. & præcepto lib. 12. c. 1. Benedict. Perer. lib. 1. Comment. in Genes. pag. 178. Guil. Estius ad Gen. 2. 3. Alph. Tostatus quæst. 4. in Gen. 2. & quæst. III. in Levit.* 23. Inter Reformatos huic sententiæ adstipulatur *Wolffg. Muscul. in LL. C. pag. 1. Joh. Coccejus Tr. de Sabbat. pag.* 74. & alii. Verum enim vero cum Sabbathum non cœperit demum cum lege Mosis, sed cum lege naturæ, sequitur quod sanctificatio ejus lapsum primi hominis præcesserit, & jam tum celebrandi obligationem habuerit *vid. Gerhard. Loc. de Legib. §. 26. fol. 9. seqq.* quippe lex moralis non tum demum, cum promulgarentur leges populo Judaico, obligavit, sed longo tempore ante vim suam exercuit. Non obstat hic, quod præcepta *Noachidarum*, quæ Adamo primum data, *Noacho* vero deinceps repetita sint, ceu Hebræorum Doctores docent. vid. *Cunæus de Republ. Hebræorum l. 2. c. 1. pag. 3. & lib. 2. cap. 19. pag. 200. Coccejus ad Sanhedrin. p. 268. Excell. Johann. Frischmuth. dissert. gemin. de 7. Noachi præceptis, Seldenus de Jure Natur. & Gent. lib. 1. c. 10. pag. 116. seq. D. Joh. Adam. Osiand. observ. Theol. in Hug. Grot. lib. 1. c. 1. thes. 16. observ. 3. pag. 261. Excell. Dn. D. Zieglerus in Grot. pag. 60. & 445. D. Strauch. posit. histor. Sen. 10. pos.* 1. Imo totius Decalogi clara vestigia ante promulgationem cognita fuere, ceu ostendunt *Gerhard. Loc. alleg. Dn. D. Calovius tom. 1. System. Theol. pag. 22. seqq.* & alii quamplurimi. Accedit & locus ille classicus. *Gen.* 2. 2. 3. quod Deus benedixerit diem septimum, & benedictio hæc fundatur in illa sanctificatione, seu segregatione ad peculiarem Dei Creatoris recordationem & sui in anima sancta operationem. Itaque sola voce benedictionis, qua Moses in aliis capitibus utitur, non contentus addit קדש, quæ formaliter significat separatus fuit ab usu communi, & in forma Pihel non admittit aliam significationem, quam quæ ad cultum divinum spectat, quod luculenter exprimitur, *Exod.* 16. 25. 20. 19. *Deut.* 5. 19. Ex iis elicitur, Protoplastorum filios modum Dei colendi septimo die accepisse. *conf. Philo Alexandr. lib. 3. de vita Mos. Joseph. antiq. Juda. lib. 1. cap. 2. Menass. ben Israel probl. 8. de Creat.* Quanta vero observantia Judæi Sabbathum coluerint, ex scriptis illorum satis patet, sed hæc tandem in superstitionem degeneravit teste *Epiphan. lib. 1. pan. c.* 13. qui ejusmodi severos Sabbathi cultores Dositheos vocat, propterea quod Sabbathum superstitiose adeo celebrant, ut quo quisque eorum habitu, loco, situ, die Sabbathi inveniatur, sive stans, sive sedens, sive intus, sive foris, ita usque ad vesperam maneat. De his *Origen. lib. 4. de princ. Baron. in appar. n. 13. Conf. R. Petr. Redan. comment. in Maccab. fol.* 170. 319. 386.

[4] *Mandavit Deus.*) Vidimus in præcedentibus observantiam Sabbathi cum ipsis Mundi principiis ex mandato Dei obtinuisse. Jam quærimus, an modo per modum exempli, vel etiam præcepti divini. Prius ipsi Judæi agnoscunt, sic enim R. *Aben-Esra ad Levit.* 19. 3. Propterea additur: Ego Dominus Deus vester, ut faciatis, sicut ego feci, qui cessavi ab omni opere in die Sabbathi. Posterius vero negant Talmudici accersentes prima Sabbathi incunabula ratione præcepti divini a statione Israelitarum in Mara, adeoque ante promulgationem Decalogi, ita ut ipsum Sabbathi observationis præceptum in primum mensem ab exitu ex Ægypto transferant, statuti nomine *Exod.* 15. 25. Sabbathum innui contendentes. In Commentariis ad hymnum Mosaicum adjicitur de Sabbatho compendium: *Designatum est Sabbathum in Mara.* uti etiam *doctiss. Meyer. in diatrib. de festis. pag. m.* 128. 129. recenset. vid. *Selden. de jure nat. & Gent. lib. 3. c. 9. &* 15. Nec solum Judæi, sed etiam Christiani multi contendunt, Sabbathum Mosis tempore in populo Judaico fuisse promulgatum & observari cepisse, quorum longum Catalogum exhibet *D. Quensted. in antiquit. Bibl. pag.* 830. Verum dicere quod fas est, nullum est dubium,

* Vide ea quæ ad citatum Meyeri locum adnotavimus, & Henricum Valesium in notis ad Historiam Ecclesiast. Eusebii.

bium, quin Sabbathum inceperit cum lege naturæ & præceptum fuerit ante lapsum, observatum a populo Dei ante legem Mosaicam. In solenni vero promulgatione legis factam tantum esse repetitionem præcepti, uti recte inferunt *Hospin. de Orig. fest. Jud. lib.* 1. *c.* 3. *fol.* 16. *Joh. Ernest. Gerhard. in dissert.* 1. *de fest. Hebr. edit. Witeb.* 1650. *cap.* 1. Hinc non possumus cum *Autore* nostro statuere primum *Exod.* 20. institutum fuisse, cum Sabathum Adamo, Noacho cæterisque patribus potuit esse mandatum, uti docte asserit *Joh. Meyer. pag. m.* 135.

5 *Ab omni opere in eo cessandum.*) Sabbatho veteres Hebræi feriabantur primo ab ordinariis profanis laboribus, idque ex mandato divino *Exod.* 20. 10. 23. 12. quo cultui divino & rebus sacris commodius vacare possent, Prohibitum enim illis erat *arare*, & *metere Exod.* 34. 21. *torcularia calcare Nehem.* 13. 15. onera portare & vehere ibid. & *Jerem.* 17. 22. ligna colligere *Num.* 15. 32. commercia emptionis & venditionis exercere, *Nehem.* 10. 31. ignem accendere *Exod.* 35. 3. cibum parare *Exod.* 16. 24. (nec coquere nec pinsere licuit, sed cibos omnes die Sabbathi prævio præparare oportuit *Exod.* 16. 23.) Nec mortuum Sabbatho sepelire licuit. Hinc regula Hebræorum in *Mischnajoth: Omne opus prohibetur in Sabbatho, nisi sit pro anima.* Posteriores tamen Judæi, ut & hodierni verpuli hic nimis superstitiosi fuerunt, ceu vel ex solo *Tract. Talmud. Schabb.* itemque ex libro *Orach Chajim* videre est. *Talmudici* nimirum XXXIX. numerant opera, ad quæ omnia reliqua Sabbatho prohibita referri queant, veluti ad summa genera, eaque vocant אבות vel etiam עקר מלאכות *fundamentum operum*. De reliquis vero valde subtiliter disputant, cujus subtilitatis sequentia subjicimus specimina, quæ prolixe & accurate recenset cl. *Schickard.* in משפט המלך *cap.* 5. *theor.* 18. *pag. m.* 384. & 385. *edit. Lips.* e quo loco pauca saltem eaque notabiliora huc adponere non erit grave. Ita vero ille: Omittunt Judæi in Sabbatho omnes operas, nulla cura, onere nullo gravantur, ne quidem in sacculis vestium aliquid portant, ut vero ipsi nihil gestant, ita nec jumenta sua plus portare permittunt, quam quæ alligari, retineri aut duci possint. v. g. equum freno quidem, sed non ephippio licet onerare, si qua gallina panniculo annexo notatur, eo sublevari solet pridie, pecus quod in fossam delapsum est, non facile solent extrahere Sabbatho ut olim tempore Christi *Matth.* 12. 11. sed immisso paulo relinquunt ibi, donec laborando succurrere liceat, nisi locus sit palustris aut aliud vitæ periculum in mora. Pauperes Christianos vili ære conductos adhibent, qui tunc si hyems est, ignem foveant, candelas accendant, aut si æstas, vaccas emulgeant. Cœcis non licet baculo tunc niti, at solis claudis id concessum: & quæ alia sunt, de quibus videri possunt D. *Pfeiffer.* differt. de Festis *Hebr. edit. Witt.* 1666. *th.* 5. *Joh. Ernest. Gerhard. diss.* 1. *de festis Hebr. celeb. Carpzovii not. ad jus Reg. Schickardi*, qui plurimos scriptores producit, de hac re agentes conf. *Henric. Ainsworth. comment. in Exod.* 20.

6 *Panes Propositionis refici Jussit.* Supra *lib.* 2. nonnulla diximus de his panibus, quibus hoc loco adjicimus, quod Græcis audiant ἄρτοι προθέσεως, *Luc.* 6. 4. Hebræis panes פנים facierum, unde *Aquila* vertit ad verbum προσώπων. Rectius & explicatius LXX. per panes ἐνωπίους præsentes, vel qui sunt in conspectu Dei scil. & arcæ fœderis, juxta præceptum illud. *Et pones in conspectu meo semper.* conf. *Balduin. Wallæ. Comment. ad Matth. cap.* 12. *pag. m.* 119. *Josephus lib.* 3. *cap.* 7. 8. & 10. azymos tantum panes appellavit, verba ejus hæc sunt: *In ea disponebantur duodecim panes non fermentati, seni è regione sibi duobus ordinibus oppositi, mundissimi, confecti è farina duorum assaronum, quæ mensura Hebræorum, septem cotylas Atticas continet. Super panes autem ponebantur duæ phialæ aureæ thure plenæ.* De his propositionis panibus, septem res notatu dignas, prædictus autor prædicat 1. eos fuisse expertes fermenti 2. publico sumtu compositos. Nimirum nolebat Dominus hoc sumptu non exiguo & quidem perpetuo gravari sacerdotes, quibus ex altari vivendum erat. Hinc improbat *Ribera lib.* 2. *de templ. c.* 10. & ex eo *Torniell. anno mundi* 2544. *n.* 71. *fol. m.* 312. *annal. sacr.* traditionem Hebræorum, cujus meminit *Hieronym. in c.* 1. *Malach.* ipsos sacerdotes serere, demetere, ac molere solitos triticum, ex quo hi panes conficiebantur cum Israelitæ similam offerrent. 3. Admodum magnos fuisse, utpote singuli ex duobus farinæ assaronibus conficiebantur, velut ait scriptura, ex duabus decimis, ejus scilicet mensuræ, quæ dicebatur Epha, & erat omnium vulgatissima & familiarissima, ut testantur *Abulensis*, & *Comestor. c.* 49. *Exod. Corn. a Lapide in c.* 24. *Levit. Andr. Willet. Anglus on the booke of Leviticus, fol. m.* 597. *cap.* 24. *quæst.* 4. Decima vero pars Ephæ est Gomor, vid. *Exod. cap.* 16. quæ mensura tantum capiebat mannæ, quantum cuivis ad diuturnum cibum sufficeret. Singuli ergo panes cuivis, quantumvis edaci viro, minimum duos dies sufficiebant, nam Gomor multo plus farinæ, quam mannæ capere poterat. Putat. *Cornel. l. c.* ejusmodi panem *libras* 13. cum dimid. habuisse, quod an veritati conveniens sit, ex eo liquet quando panum Azymorum mentio fit, illorum diameter cubitalis perhibetur, crassitudo vero 4. digitorum; ad quod indicandum non panes, sed placentæ in Hebræo & Chaldæo appellantur. Quin etiam *Abulensis quæst.* 28. *in cap.* 25. *Exod.* putat non coctos in clibano, sed in ferreis aut aureis vasis. At *Ribera* eos fuisse vult 10. *librar.* cum dimid. quia Assaron Josephi, sive decima Moys. 7. Cotylas Atticas æquet; cotyla vero valet 9. unicas, & ita quælibet decima continet 63. uncias, & panis ex 2. decimis 126. uncias, sive 10. libras & semissem ita ut 12. unciæ libram constituant. 4. Duodecim numero fuisse, duobus ordine congestis, quod in *Chaldæo* clarius explicatur, ubi exstat: *Ponesque placentas duobus ordinibus*, sex in ordine uno super mensam. Et apparet singulos a singulis tribubus erogari solitos, ut se gratos illi, a quo perpetuo alebantur, ostenderent. 5. Pridie Sabbathi coqui solitos, ut postridie mane in sacra mensa proponerentur. Itaque calidi pro recentioribus ponuntur. 1. *Reg.* 21. 6. Id officium erat Levitarum, & nominatim Caathitarum. Nam. 1. *Paralip. c.* 9. habetur, filios Caath panibus hisce propositionis fuisse præpositos. 6. Duabus lancibus apponi solitos. 7. Thus igni adoleri solitum, panes vero in cibum Sacerdotum cedere. conf. *Tostat. q.* 36. Omni itaque Sabbatho panes apponi oportebat teste *Redan. Comment. in lib. Maccab. lib.* 1. *cap.* 4. *fol. m.* 542. n° 125. *Andr. Willet. sixfold. comment. on the booke of Levit. cap.* 24. *quæst.* 5. *fol. m.* 597. *R. Maymonid. August. Torniell. annal. sac. ann. mund.* 2544. *n.* 17. *fol. m.* 312. Nulli etiam licebat edere panes propositionis, nisi Sacerdotibus. *vid. Salian. anno mund.* 2973. *annal. Eccles. tom.* 3. *f. m.* 148. Quomodo itaque Davidi licuit panes propositionis edere? R. David necessitate coactus illud fecit, qua ingruente apud Judæos quis lege abstinendi a sanctis panibus solutus censebatur vid. *Abulensis q.* 8. *in c.* 21. Dedit Pontifex Davidi panes hoc modo, ut cum comitibus in conspectu Dei illos comederet, si una cum iis mundus esset. Quod si autem contigisset ut immundi fuissent, quid facturus Achimelech? Respondetur cum *Abulensi. quæst.* 13. *in cap.* 21. *Sam. Saliano annal. Eccles. tom.* 3. *fol.* 148. etiam immundis necessitatis tempore panes propositionis non posse denegari. Etsi quidem gemina dispensatione opus fuisset, propter geminum impedimentum, quod & laici essent, & immundi; necessitas tamen superveniens, quæ & lex est, utrumque impedimentum sustulisset. Nam inter omnes exceptiones, quæ tacite insunt legibus, nulla est receptior aut justior quam ea, quæ fluit ex necessitate. Bene *Seneca*. *Necessitas magnum humanæ imbecillitatis patrocinium. Quicquid cogit, excusat.* Neque vero ea necessitas demum intelligenda, quæ in extrema, ut ita loquar, linea consistit: sed habet & illa suum πλάτος, modo majus, modo minus, pro necessitate legis ipsius. Itaque, ut paucis multa complectar, dico, quod hisce panibus vesci Davidem fas non fuerit κατὰ ῥητὸν sed κατὰ διάνοιαν, vid. *Grotius in hunc locum.*

CAPUT NONUM.

[1] *De Pascha, & Azymis.*

PRæcipuus etiam honos [2] Paschæ habitus est. Hoc vero quando institutum, cur ita vocatum, & qua ratione [3] celebratum sit, ita demonstrabitur, ut lex primum proferatur, deinde explicatione ornetur. Sic ergo de Paschate [4] mandavit Deus Hebræis adhuc in Ægypto agentibus, Exodi XII. *Mensis iste vobis principium mensium, primus erit in mensibus anni. Decima die mensis hujus tollat unusquisque agnum per familias & domos suas, sine macula masculum anniculum, & hœdum, &* [5] *quarta decima die immolabit eum* [6] *ad vesperam, & sumet de sanguine, & ponet super utrumque postem, & super liminaribus domorum, in quibus comedent illum, & edent carnes nocte illa assas igni, & azymos panes cum lactucis agrestibus: non comedetis ex eo crudum quid, nec coctum aqua, sed assum tantum igni, renes vestros accingetis, calceamenta habebitis in pedibus, tenentes baculos in manibus, & comedetis festinantes. Est enim Phase, id est transitus Domini: & transibo per terram Ægypti. Erit autem sanguis vobis in signum ædibus, in quibus eritis, & videbo sanguinem, & transibo vos; nec erit in vobis plaga disperdens, quando percussero terram Ægypti. Habebitis autem hunc diem in monumentum, & celebrabitis eam solennem Domino in generationibus vestris cultu sempiterno.* Mox de Azymorum diebus ita subjecit: *Septem dies Azyma comedetis, in die primo non erit fermentum in domibus vestris, quicunque comederit fermentum, peribit anima illa de Israel a primo die usque ad diem septimum. Dies prima erit sancta atque solennis, & dies septima eadem festivitate venerabilis. Nihil operis facietis in eis, exceptis iis, quæ ad vescendum pertinent. Et observabitis Azyma usque ad diem vicesimam primam ejusdem mensis ad vesperam. Septem diebus fermentatum non invenietur in domibus vestris: qui comederit fermentatum, peribit anima illius de cœtu Israel tam de advenis, quam de indigenis terræ.* Et mox: *Cum introieritis in terram quam Dominus daturus est vobis, ut pollicitus est, observabitis cæremonias istas, & cum dixerint vobis filii vestri; Quæ est ista religio; dicetis eis, Victima transitus Domini est, quando transiit per domos filiorum Israel in Ægypto percutiens Ægyptios, & domos nostras liberans.* Deinde Levitici XXIII. de Pascha & Azymis eadem repetiit: *Mense primo, & quarta decima die mensis ad vesperam Phase Domini est. Septem diebus Azyma comedetis. Dies primus erit vobis celeberrimus, sanctusque. Nullum opus servile facietis in eo, sed offeretis sacrificium in igne septem diebus, dies autem septimus erit celebrior & sanctior, nullumque opus servile facietis in eo.* Item XVI. Deuteronomii: *Sex diebus comedes Azyma, & in die septima, quia Collecta est Domini Dei tui, non facies opus.*

Dixi, quid sit in lege; nunc expositionem proferam legis. Repetendum est igitur, annum ante Moysem incepisse ab æquinoctio autumni mense Septembri, Deum autem mandasse Moysi, ut ordirentur ab eo mense, quo ex Ægypto egrederentur, qui tum primus mensis dictus, post autem [7] Nisan appellatus est, & idem apud Romanos Martius fuit, & æquinoctium vernum continuit. Unde Exodi XIII. mensis Novarum frugum est dictus: *Hodie egrediemini mense Novarum frugum*; & Deuteronomii XII. *Observa mensem Novarum frugum, & verni primum temporis, ut facias Phase.* Iccirco vero ita dictus est, quoniam in Ægypto & Syria mense Martio segetes maturescere incipiunt. Sic enim scribit Philo libro III. de vita Moysis: *Moyses primum mensem fecit eum qui in vernum æquinoctium incidit, non sicut quidam, qui præcedentibus id honoris tribuunt, non observato naturæ beneficio. Tunc enim maturescunt segetes ad victum necessariæ, arborum vero fœtus pubescunt recens editi, secundis mensis inferendi. Quippe sine tritico, hordeo, cæterisque similibus frugibus non vivitur; sine vino, & oleo, fructibusque arboreis quædam gentes ætatem producunt in annos plurimos. Ejus mensis die quarta decima sub ipsum tempus, quo luna suum orbem solet complere lumine, celebratur migrationis publica festivitas, quam Chaldaice Pascha nominant. Quo tempore, non ut alias, plebeji homines victimas adducunt ad altare mactandas a sacerdotibus, sed jubente lege tota gens sacrificat, dum pro se quisque mactat hostiam suis manibus.* Item in libro de decalogo: *Patria Hebræorum lingua Pascha dicitur, quando populariter singuli sacrificant non expectatis sacerdotibus, ipsi permissu legis fungentes sacerdotio quotannis per unum diem destinatum huic negotio, quando etiam offertur manipulus gratiarum actionis pro ubertate camporum, & frugum abundantia.*

Phase ergo, sive Pascha, id est transitus Domini, celebrabatur quarta decima Luna, sive quarta decima die mensis Martii [8] ad vesperam, cum [9] singulæ familiæ sibi [10] agnum

agnum occiderent, & [11] assatum [12] cum azymis [13] ederent. Sequens autem dies, id est quintadecima & Pascha, & [14] prima Azymorum vocabatur, [15] inde septima ab illa, nempe vicesima prima, erat septima Azymorum, quam [16] Collectam dicebant, quia tum fruges terræ metebant ac colligebant. Quoniam autem dies festus apud eos incipiebat a vespere, propterea quarta decima die Phase celebrari incipiebat, & in quinta decima desinebat, quam & Pascha, & primam Azymorum diximus. Sic enim locutus est S. Lucas: *Dies Azymorum, qui dicitur Pascha*; item: *Venit dies Azymorum, in quo necesse erat occidi Pascha*; & S. Marcus: *Primo die Azymorum, quando Pascha immolabant*. Hic enim [16] pascha pro agno Paschali accipitur, ut in illo: *Pascha nostrum immolatus est Christus*.

Cautum inde lege Synedrii fuit, ut traditur ab Hebræis in libro Seder Olam, ne Pascha celebraretur die septimanæ secundo, quarto, & sexto, si in eos incidisset. Itaque si dies quinta decima mensis incurrebat in sextum diem septimanæ, Pascha [17] differebatur in posterum diem, qui erat Sabbatum: quemadmodum factum ajunt eo anno, quo Christus est passus. Ille autem, ut multi opinantur interpretes, a lege Dei nolens recedere, celebravit illud feria quinta vespere. Judæi vero morem novum, aut traditionem patrum sequuti, feria sexta vespere, unde solennitas Sabbati initium erat ductura. Neque vero interpretes multi aliter congruere verba S. Joannis cum verbis aliorum Evangelistarum posse arbitrantur. Quorum hi [18] Pascha celebratum esse a Christo feria quinta vespere tradunt, ille vero ipsum in Parasceve, id est, præparatione Paschæ, id est, pridie Paschæ esse passum exponit. Accedit, quod in ipsa Parasceve, quæ dies est sexta, Judæi dixerunt, se nolle prætorium ingredi, ne contaminarentur, & comedere Pascha possent. Id quod eo die non mane, sed vespere erant facturi, qui ad solennitatem sequentis Sabbati pertinebat. Neque vero solum dies prima Azymorum [19] Paschatis nomine decorata est, sed etiam reliquæ; ut a S. Luca Act. XII. *Erant dies Azymorum. Quem cum apprehendisset, misit in carcerem, volens post Pascha producere eum populo*.

Non est præterea illud silentio prætereundum, ex præcepto Dei Pascha celebrari non potuisse, [21] nisi in urbe regni metropoli. Deuteronomii XVI. *Non poteris immolare Phase in qualibet urbium tuarum, quas Dominus daturus est tibi, sed in loco, quem elegerit Dominus Deus tuus, ut habitet nomen ejus ibi*. Itaque in Silo primum, deinde Hierusalem celebrari est solitum.

Ut autem hæc ipsa illustriora reddantur, placet his quoque paschata apparate celebrata, de quibus literæ sacræ loquuntur, attexere. Celebratum est igitur primum Pascha in terra Chananæa a Josue, ut scriptum est v. Josue: *Manserunt filii Israel in Galgalis, & fecerunt Phase quarta decima die mensis ad vesperam in campis Hiericho, & comederunt de frugibus terræ, die altero azymos panes, & polentam hujus anni*. Alterum tempore Ezechiæ regis Judæ. De quo sic II. Paralip. XXX. *Inito consilio Regis, & principum, & universi cœtus Hierusalem, decreverunt, ut facerent Phase mense secundo, non enim potuerant facere in tempore suo, quia sacerdotes qui possent sufficere, sanctificati non fuerant, & populus nondum congregatus fuerat in Hierusalem*; & post: *Fecerunt filii Israel, qui inventi sunt in Hierusalem, solennitatem Azymorum septem diebus solennitatis immolantes victimas pacificas, & laudantes Dominum Deum patrum suorum, & placuit universæ multitudini, ut celebrarent etiam alios dies septem: quod & fecerunt cum ingenti gaudio, factaque est grandis celebritas in Hierusalem, qualis a diebus Salomonis filii David regis Israel in ea urbe non fuerat*. Tertium factum est a Josia rege XXIII. quarti Regum: *Non est factum Phase tale a diebus Judicum, qui judicaverunt Israel, & omnium dierum regum Israel, & regum Judæ. Sicut in octavo decimo anno regis Josiæ*. Item II. Paralip. XXXV. & tertio Esdræ primo. Quartum, postquam e Babylonia redierunt, VI. primi Esdræ: *Filii Israel transmigrationis fecerunt Pascha quarta decima die mensis primi, & fecerunt solennitatem Azymorum septem diebus in lætitia*. Hactenus de Pascha & Azymis.

NOTÆ AD CAPUT NONUM.

[1] *De Pascha.*) Cum Sacramentum cœnæ Dominicæ loco Paschatis in Ecclesiis introdoctum, merito hic quærimus, an Pascha fuerit Sacrificium & Sacramentum? Ad hanc quæstionem respondemus, quod fuerit Sacrificium & Sacramentum simul. Sacrificium fuisse constat ex capite 12. *Exod.* ubi Sacrificium Paschatis nominatur: Atque sanguis & adeps Paschatis sæpe sparsus & combustus, uti patet ex 2. *Chron.* 15. 11. Sunt nonnulli, qui putant, non posse dici sacrificium. Sed nos dicimus potuisse esse sacrificium scilicet sub V. T. ubi adhuc umbræ erant. Rationes affirmantium & negantium adduxit M. *Weems of the jewish sacrifices*, quas contraxit Gr. *Willians* Anglus doctissimus in libro, quem inscripsit: *The best religion fol. m.* 257. quas hic adducere non pigebit. Quæstionem ita format, an agnus, qui jugulabatur in Paschate, fuerit Sacramentum vel Sacrificium? Cui quæstioni respondet ita: *Most do hold id was not a sacrifice*: Plurimi sacrificium non putabant 1. quia jugulari poterat ab iis, qui non sacerdotes erant. Ergo non sacrificium. 2. quia abominatio erat Israelis sacrificare in Ægypto, uti Moses ad Pharaonem dicebat, quare iter trium dierum in desertum poscebat, ut sacrificarent Deo; Verum agnus Paschalis edebatur in Ægypto: Ergo non fuit sacrificium. 3. Quia Sacramentum a Sacrificio in hoc differt, quod in Sacrificio offeramus Deo, ast in Sacramento accipiamus a Deo. At agnus Paschalis erat Sacramentum, Ergo non Sacrificium. 4. Quia illud, quod de Sacrificio comedebatur, edebatur in templo; At agnus Paschalis comedebatur extra templum. Ergo non erat Sacrificium. Verum ad has rationes respondetur 1. quod post egressum ex Ægypto & Sacerdotium constitutum, Sacerdotes solum jugulaverint agnum sanguine sparso, & tunc agnum dederint populo, ut domum ferrent & ibi ederent. 2. Licet abominatio Ægyptiis fuerit bestias immolare, quia animalia ut deos adorabant: attamen non abominatio erat Deo. 3. Distinguendum est, quod duo in agno Paschali consideranda venerint, quod nempe & *Sacramentum & Sacrificium* fuerit. Ut erat Sacrificium, offerebant Deo; ut erat Sacramentum recipiebant a Deo, & sic sanguinis sparsio, quod Sacrificium erat, peragebatur in templo. Verum esus agni, quod *Sacramentum* erat domi perfici poterat. Qui autem Sacrificium esse affirmant, illi allegant *Hiskiam*. 2. *Chron.* 30. 1. qui mandaverit ut omnis veniret ad domum Hierosol. & Pascha celebraret. Ergo Sacrificium erat. 2. Jugulabant agnum & Sacerdotes spargebant sanguinem. Ergo Sacrificium. Denique post alia adducta argumenta concludit: *and by consequent, that lambe must needs be a Sacrifice as well a Sacrament.* Ergo & Sacrificium & Sacramentum fuit. Sacramentum fuisse patet, quia denotabat gratiam invisibilem scilicet Servatorem Christum & mortem ejus, uti ex analogia videri potest inter Christum & agnum paschalem, quam ex quatuordecim circumstantiis probavit Gr. *Williams Anglus fol. m.* 262. confer. plur. *Rever. Joh. Henric. Majus SS. Theol. D. famigerat. Fautor noster æternum Venerandus Theolog. Judaica. loc.* 17. *pag. m.* 257. seq. Non possumus, quin hic adducamus verba citati Angli *Gr. Williams*, quæ leguntur *fol. m.* 263. ubi ita scribit: Restat igitur vetus pascha non præteriti modo beneficii μνημόσυνον fuisse, sed venturi etiam Christi Sacramentum; *Therefore it is apparent, that the old passeover of the jewes was not onely a* MEMORANDUM *or memoriall, to recall unto their mines the great benefits, which God had done for them in delivering them out of Egypt, but was also, and that specially, the Sacrament and predistion of the comming of the Messias to deliver both them and us from eternall destruction.*

[2] *Pascha.*) Graviter errant viri docti qui illud deducere volunt ἀπὸ τοῦ πάσχειν. *Nazianzen. orat. de Pasch. Isidor.* 6. *orig.* 17. *col.* 966. ab Hebræo derivandum, scilicet a פסח transivit, per mare rubrum, cum scilicet Israelitæ per mare rubrum ex Ægypto exeuntes transirent. *vid. Aug. in Psalm.* 68. 120. *Hieron. in Ezech. cap.* 25. In bibliis Hebrai. puncta appinguntur Pesah, quæ diversa sunt a Græcis & Latinis, ubi semper occurrit πάσχα, excepto unico loco *Paralip. cap.* 30. & 35. ubi vox decies septies occurrit. & semper pro πάσχα ponitur φασὲκ. Jure igitur suspicatur diversos fuisse Interpretes. *Latinus* semper Phase vertit, cui nonnulli Patrum consentiunt. Apud *Philonem Judæum in allegoriis p.* 53. pro voce Hebræa modo φασὲκ, ponitur modo πάσχα. Idem *lib.* 3. *de vita Mosis. pag. m.* 667. ita scribit: *Celebrantur diabateria, festum publicum, quod dicitur Chaldaice Pascha.* Hinc *Toletus* putat falsum, Hebræum esse vocabulum. Verum enim vero *Toletus* non observavit, *Philoni* linguam *Chaldaicam* & *Hebræam* unam esse, uti videre est in *libro de Abrahamo* & 2. *l. de vita Mosis p. m.* 448. sed Hebraicam vocem esse ipse *libro* περὶ τῶν δεκάλογ. *pag.* 523. affirmat. Itaque a verbo פסח deductum. 1. Angeli transitum significat. 2. Agnum. 3. Sacrificia tempore eo solita. *Syri* pro פסחא scribunt פצחא Petscha, Tsade pro Samech, quasi lætitia dicatur. פצח exultare significat. Unde *Syro* interprete אתפצחי exultatio, & פצחותא hilaritas, quæ *Chaldæis* per Metathesin est צפות. Sed *Æthiopibus* פסך ita ut *Æthiopice* nil quicquam quam gaudium denotet. confer. Lexic. *Magnif. Domini Joh. Ludolfi pag. m.* 425. Pascha autem hoc loco *teste plur. Reverend. D. Joach. Hildebrand.* in dictat. idem est quod saltus, quia primo Paschate Angelus Ægyptiorum primogenituram occidens ædes Israelitarum transilierit, iisque nihil damni intulerit. Qui vero Patrum a Græco deducunt, allusive hoc faciunt, de quibus plurima legi possunt in dictatis supra cititatis viri Reverend. Conferri etiam potest *Casaub. exercit. XVI. ad annal. Eccles. Baron. pag. m.* 408. 409. *Bochart, lib.* 2. *cap. L. pag.* 557. *Hieroz. Andr. Willet. comment. in Levit. fol. m.* 572. *commentar. upon the Gospel of St. Mark. fol. m.* 1240. *chap.* 14. *vid. Joh. Drus. loc. difficil. cap.* 35. *pag.* 381.

[3] *Celebratum.*) Celebrationem illius quod attinet, aliter celebrabatur in *Ægypto*: aliter postea in *Terra Canaan*: aliter post *destructam Hierosolym.* Olim poterat Pascha mactari inter privatos parietes, in ipsis ædibus omnia observabantur; sanguis non excipiebatur & aspergebatur ad postes ædium. Aliter postea factum est: sanguis non poterat excipi ab Israelita, sed a Sacerdote. Quilibet modo expeditus esset Lanio poterat mactare; sed si non esset expeditus debebat mactari a Levita vel a Sacerdote. Hinc ad hunc usque diem Judæi honore afficiunt Laniones & orant, ut Deus concedat quo quisque fiat vel Lanio vel circumcisor.

[4] *Mandavit Deus.*) *Spenceri* opinionem adductam & refutatam habes apud plur. reverend. *Majum nostrum in tract. de Theolog. judaica. pag. m.* 255. *seqq.* quem vide.

[5] *Quarta decima.*) Dies hic innuitur, quo Agnus paschalis mactandus *scil.* decimus quartus & non alius. vid, de his *celeb. Dassov. in Colleg. Mso. cap.* 1. *de agni paschalis mactatione.* conf. Quensted. antiq. *Bibl. de paschat.* Cum igitur agnus Paschalis typus fuerit Christi, ita cum ipso conveniebat teste *Angelo Willians*, qui *fol.* 251. ita loquitur: *Because the Paschal Lamb was a type and figure of Christ, therefore as the Lamb was taken at the tenth day, and separated untill the fouretenth day, and at the evening of the fouretenth was to be killed, so Christ came six dayes before the Passeover unto Bethania and the morrow after, he went unto Hierusalem, and this was six dayes before the Passeover, and after that he stayed foure dayes at Jerusalem, and then he was killed on the day of the Passeover at night, cording to the institution of the law.*

[6] *Ad vesperam.*) In Scriptura legitur inter *duas vesperas*. De qua videndus est celeb. *Frischmuthii dissertatio de agno paschali*; de varia vocis ערב signi-

significatione videndus est *Gerhard. in dissert. de Festis. Exercit.* 1. *cap.* 1. *Quensted. antiq. Bibl. pag. m.* 837. *Henry Ainsworth. comment. in Exod.* 12. *fol. m.* 36. *edit. Londin. Johan. Meyer. in diatrib. de festis. pag. m.* 228. *seq.* ubi plurima lectu digna legi possunt.

[7] *Nisi appellatus.*) *Levit.* 32. 5. mensis primus appellatur, qui alibi אביב *Abib* מצות קדוש החדש. Præceptum enim inquit *clar. Hottinger. lib. Jur. Hebr. pag. m.* 14. *de Novilunio* vel sanctificando mense juxta loc. *Exod.* 12. 2. ראש חדשים החדש הזה לכם Mensis iste (*Nisan* qui *Martio* partim nostro respondebat, partim *Aprili*, initium faciens 10. *Martii*) vobis erit caput mensium. *Arabes* reddunt שהר אלפריך *mensem granescentis*. Græci τὸν μῆνα τῶν καρπῶν. Tum scilicet in *Judæa*, *Philo* ait, maturescunt segetes ad vitam necessariæ. Ad Hebræum sono alludit חבבא hababa, quod *florem* sonat. Proinde *Syrus* hic habet פרחא דחבבא *mensem florum*. Cur autem dicatur mensis hic *Nisan* a *Chaldæis*, nondum a quodam observatum. Errant igitur qui deducunt a נוס *nus* quod *fugere* significat, quia *Judæi* ex *Ægypto* mense illo fugerunt. Ad *Chaldæos* enim, a quibus impositum est hoc nomen, nihil attinebat observare, quando Israelitæ ex Ægypto excessissent. Audiamus *Bochart. Hieroz. fol.* 557. Fallor, inquit, aut scribendum נסן per duplex S. ut *Joseph. Lib.* 3. *cap.* 10. *vel* ניסן Nisan vocalis longa supplet Dagesch, ut sæpe ניסין pro נסין i. e. vexilla ponantur, quippe hoc tempore Judæi bella gerebant, ut videre est 2. *Samuel* 11. 1. Porro mensis hic, cum ante septimus esset, nunc primus evasit, Deo sic sanciente, & quidem non semper, sed modo in rebus sacris mensis primus vocatur, de quo *Abarbanel comm. in c.* 12. *citante Excell. Dn. Joh. Frischmuth.* אנחנא נקראהו כשמורה אשר העלו מאשור Nos eum *Nisan* appellamus secundum nomina, quæ ex Assyria allata sunt. *vid. plur.* §. 3. *disp. de agno Paschal. confer. commentar. in Ruzname Naur. Georg. Hieronym. Veschii. pag. m.* 52. Vocatur & *Tecupha a Rabbinis*, hinc *Tecuphæ Rabbinicæ* תקופה imprimis *R. Samuelis* & *R. Addæ*, non aliud sunt, quam *epochæ æquinoctiorum & solstitiorum* secundum periodum julianam. *Tecupha* autem nihil aliud quam anni conversio, ὥρον, κέντρον, τροπή. *Macedonum* enim consuetudine *IV. anni* κέντρα, quibus *Tecuphot* respondet, & quarum rationem ad æquinoctia & solstitia exigendam ex Hebræorum mente, videatur *Eruwin. Talmud. fol.* 56. *Tecupha igitur Nisan est æquinoctium vernum mensis Martii.* vid. D. *Ægid.* Strauch *dissertat. de Paschate primo. hypoth.* 1. 2. *Andr. Willet. comment. in Exod. cap.* 12. *anglice script. Joh. Buxtorff. c.* 12. *Synag. Judaic. pag. m.* 281.

[8] *Ad vesperam.*) Textus Hebr. בין הערבים *inter duas vesperas*. Quid per vespertinum hoc tempus intelligendum sit, multi magna diligentia inquisiverunt. *Onkelos* appellat שמשיא quod alii soles, alii vesperas interpretantur. *Inter Soles videlicet Occidentem & Orientem. vid. Joh. Drus. ad diff. loc. scriptur. pag. m.* 382. *R. Aben Ezra* quando in פירושו ad hoc verbum venit מלה קשה verbum difficile vocat. Ipse quidem has vesperas ita ordinat, ut per priorem tempus occasus solis & disparentiæ supra Horizontem, per alteram tempus finientis crepusculi & discrepantiæ sub Horizonte solis existentis, intelligendum esse tradat. *Masius in* 5. *Josuæ.* dicit: opinionem Hebræorum esse, quod vespera desumta a declinatione solis usque ad occasum, & ita duas esse vesperas, altera quando sol declinare incipit, altera, quando occasus accessit. Ita *Rabbi Salomon*, *Aben Ezra*, *Oleaster Borrh.* Pellican. vero hanc opinionem erroneam putat, nam priusquam solis occasus adesset, initium diei XVI. accesserat. *Perer.* ita explicat. Dividebant solem naturalem a Sole ad Solem in quatuor partes, & quælibet tres continebat horas. Primæ partis initium oriente die erat, & ultima hujus partis hora vocabatur tertia, secundæ partis ultima sexta, tertiæ nona, quartæ vespera usque ad interitum. Cui consentit *Joseph. lib.* 7. *de bell. judaic. cap.* 17. qui ab hora nona usque ad undecimam agnos mactatos fuisse asserit conf. *Andr. Willet. comment. in Exod. cap.* 12. *fol. m.* 122. *R. David Kimchi in lib. radic. ut refert Buxtorff. in Lexic.* sub voce ערב hoc modo versa בין הערבים *inter duas vesperas, id est, a tempore inclinationis Solis ad occidentem, quod est a sexta hora & ulterius usque ad noctem.* *Dicit* autem ערבים quod notat duas vesperas. Nam a tempore quando Sol incipit declinare, ea est vespera una, post occasum Solis est vespera altera. Inter hoc tempus est illud quod dicitur בין ערבים. Sunt autem quidam, qui absurdissimum esse putant intra tam breve spatium agnos tot mille mactare. Verum responsio facilis, quando ex mente *Kimchii*, *R. Salomonis*, & *clar. Buxt.* per duas vesperas totum pomeridianum tempus intelligimus. Quod Chaldæus per duos soles exprimat, mendosum videri posset. *Syrus* habet רמשא sed nihil mutandum. Hæc enim est *Chaldæa phrasis*, Talmudicis non ignota. Sic in *Talmud. Hierosol. tract. Barachot cap.* 1. omne id tempus, quo facies Orientis rubet, vocatur dies, quando incipit pallescere, vocatur inter Soles, quando nigrescit & superius fit simile inferiori, tum est nox. conf. *Talmud. Babylon. tract. de Sabbat. c.* 2. *fol.* 34. Observandum autem, quod duo Soles sint duo tempora, quibus Sol a meridie lucet, quorum unum meridiei, alterum occasui propius. hæc vero sunt duæ illæ vesperæ. *conf. Hesych. Eustath. lib.* 17. *odyss. & alios.* Ita quoque Hebræis duplex fuit vespera, utraque ante Solis occasum; una meridiei, altera occasui propior. Quo ordine omnia facta recenset *Maimonid. in tractat. de Pasch. cap.* 1. *sect.* 4. Paschæ mactatio fit a meridie, nam antemeridiana mactatio profana est. Neque mactatur nisi post sacrificium juge, quod inter duas vesperas offerri debet post suffimenti oblationem. *Mischna in Pesachim* ita definit. Cum juge sacrificium mactari soleat hora octava & semi, & hora nona & semi offerri, vespera Paschæ hora septima & semi immolatur, & hora nona & semi offertur, sive dies sit profanus aut Sabbathum. At si vespera Paschæ in Sabbathi Parasceven incidat, hora sexta & semi mactatur sacrificium juge, offerturque septima & semi: deinde Pascha sequitur hora septima & semi i. e. inter primam & secundam a meridie vid. *clar. Bochart. fol.* 560. *cap. L. lib.* 2. *hieroz. Diodati annot. in Exod. cap.* 12. *Salian. annal. Eccles. anno mundi* 2544. *n.* 106. *fol.* 72. *tom.* 2.

[9] *Singulæ familiæ.*) Observandum hic quod totum corpus Israelitarum divisum fuerit in Tribus duodecim, & quælibet Tribus in familias distincta & quælibet familia in domos. Si itaque familia non sufficeret, assumebantur in Societatem alii, quæ Societas vocabatur sodalitium paschale. Ubi autem notandum, quod personæ sodalitii paschalis constitutæ fuerint, cum adhuc viveret agnus paschalis, quia nomine illarum personarum mactandus erat agnus Paschalis & sanguis ejus aspergendus. Personæ autem non debebant esse infantes, nec senes, nec ægroti, nisi olivæ quantitatem possent edere; nec debebant esse præputiati aut immundi. Nec si illegitimæ personæ tempore aspersionis sanguinis factæ essent legitimæ v. g. Si ægrotus convaluisset, edere poterat. Nec in unum Sodalitium conjungebantur mulieres & servi, sed vel totum ex mulieribus, vel totum ex servis constabat; nec totum sodalitium absolvebatur infantibus nec ægrotis, nec senibus, nec lugentibus, nec peregrinis. Si quis vellet ad aliam societatem se conferre, id facere debebat ante mactationem agni, nam postea ipsi non licet. vid. *Othon. Lexic. Philolog. Rabin. p.* 444.

[10] *Agnum occiderent & assatum cum azymis ederent.*) Agnum masculum oportebat esse, de quo vid. *Bochart. Hieroz. fol. supra citat. Willet. in Levit. fol.* 56. Quid Azyma fuerint refert *clariss. Buxtorff. disput.* 6. *de cœna Domini.* §. 18. *pag.* 297. scil. erant placentulæ non vero rotundæ, aut parvulæ, sed grandiores, quæ in frusta in Convivas totius mensæ distribui possent, & tenues quidem atque latæ, sed tamen etiam mediocrem crassitudinem habentes. Hebræi vocant מצות. Farina, ut refert *Buxtorff. Synagog. judaic. cap.* 12. *pag. m.* 209. a tribus ad minimum diebus molita esse debet, ut bene refrigescat, nec massa acida fiat vel intumescat. *plur. vid. pag.* 291. 292. *Michael Patriarcha Constantinopol.* curiosior videri vult, qui negat panem infermentatum fuisse, quia ἄρτος derivetur ab αἴρειν i. e. levare. Sed hic absolute מצות ponitur *vid. Andr. Willet. comment. in Levit. fol.* 572. Tertio occurrit *assatio*. Apud veteres Judæos agnus assus in

in Cœna paſchali in menſa appoſitus, vocabatur olim נופו של פסח *corpus Paſchatis*. vel integre נופו של כבש הפסח *Corpus agni paſchalis*. Hinc in Talmud. tract. de Paſch. cap. ult. in Miſchna במקדש היו מביאים לפניו נופו של פסח. i. e. In Sanctuario apponebant coram eo corpus paſchatis, ſive agni paſchalis. vid. *Buxtorff. Synagog. judaic. cap. 13. pag. m. 295. And. Willet. ſol. 124. Oleaſt. Diodat. annotationes in Exod.* 12. Viſo hoc videamus etiam modum edendi: Duplici cœna fungebantur in ritu agni Paſchalis. In priore hoſtiis immolatis veſcebantur, hoc erat Sacrificium illius diei. In altera quædam canebantur *ἐξιλαστικὰ καὶ εὐχαριστικά*, & vocabatur סעורה מפסקת h. e. *δεῖπνον ἀπολυτὸν*, Cœna dimiſſoria, quæ erant apud Gentiles ſecundæ menſæ. Secundæ menſæ ab aliorum ſolennium menſis multum diſcrepabant. In Paſchali epulo ipſis convivis interdicebantur omnis generis bellaria, ut eſt in Canone rituali. In locum enim bellariorum afferebatur in tryblio acetarium ex intybis & lactucis agreſtibus, quorum quia triſtis ſuccus & amarus, propterea ex aceto, ac aliis, embamma conficiebatur, in quod Azyma & amara illa olera intingebantur. conf. *Talmud. Peſach. cap.* 5. & 6. Interpres Latinus per lactucas agreſtes interpretatur, ita *Rab-Salomon.* LXX. *ἐπὶ πικρίδων*, quod certa amaræ herbæ ſpecies erat. *ut Theophraſt. hiſtor. plant. lib. 7. cap. 11. Plin. lib. 19. c. 8. Theodor. Gaza interpretatur per Enduvias. Lyran. Vatab. Jun.* generaliter amaras herbas intelligunt. *Buxtorff. diſp. 6. de cœna Domini pag.* 291. inquit, Embamma illud חרוסת Charoſeth non oleribus amaris ſpiſſabatur, ſed ita res ſe habet: ſtatim ab initio epuli paſchalis apponebatur quodpiam ſive Embamma ſive Pulmentum e pompis, pyris, nucibus, amygdalis, malis citreis & aliis confectum, cui vinum (vel acetum) immiſcebant cum multis aromatibus, quibus illud ſpiſſabant, non oleribus amaris, Cinnamomum & Zingiber craſſe contuſum ſuperinjiciebant, ut paleam & lutum referret. Vid. *Maimonid. in* הלכות חמץ ומצה *cap.* 7. §. 11. Deinde acetarium e lactucis, hedera, raphanis, petroſelino, carophyllo, naſturtio, apponebant. Huic addebant patellam cum aceto, ut in eam herbas illas intingerent & ſibi in memoriam revocarent majores ſuos agnum paſchalem comediſſe cum herbis amaris, & hæc omnia non in ſecunda ſed prima ſtetiſſe menſa, vid. *Buxt. Synagoga Judaic. cap.* 18. Supra dixi Vulgatum per herbas amaras intelligere Lactucas agreſtes per מררים, cui conſentit clar. *Joh. Druſ. in loc. difficil. pag.* 385. *Dioſcorides lib. 2. cap.* 166. *τὴν ἀγρίαν θρίδακα* dicit eſſe *πικρὰν τῇ γεύσει* i. e. guſtu amaram. *And. Matthiol. comment. ad lib. 2. Dioſcorid. cap.* 130. *ſol.* 265. guſtu amaram vocat. *Theophraſt. lib. 7. cap. 6. de plantar. hiſtor.* ſuccum acrem habere dicit. *Sic Plin. & Gaza apud Ariſtotel. hiſtor. animal. lib. 9. cap.* 6. interpretantur.

[11] *Aſſatum.*) Non crudum ſed aſſatum comedebant agnum Judæi. Falſum itaque *Spencerus* ſtatuit: Deum carnem crudam a Paſchatis ritibus præcepto ſpeciali removiſſe, quod uſus carnis diſcerptæ & ſanguine recenti horridæ, in Dæmonis feſtis & ritibus fœderalibus plurimum olim invaluiſſet, quam opinionem refutatam ſatis comprehendes in *diatrib. Joh. Meyeri. de feſtis pag.* 215. 216. *ſeqq.* Ex mandato igitur Dei aſſatus debebat eſſe. Aſſatio enim ſcribit plur. Reverend. *Majus in theolog. Judaic. pag.* 259. huic Sacrificio peculiaris erat, ut *R. Bechai ad Exod.* 12. obſervat, nec fruſtra eam inculcatam nempe verſ. 8. & 9. *Gemariſtæ in Peſachim. cap.* 7. obſervant, tanquam rem magni momenti. Habet etiam modus aſſationis aliquid ſingulare, ut in *Miſchn-citat. Tractat.* traditur, videlicet, quod veru ex malo granato adhibitum, infixumque per os agni uſque ad excrementorum exitum fuerit. *Maimonid. in Hilcot Korban Peſach. cap.* 8. §. 10. pro veru ex malogranato generatim ponit *veru ligneum* & ſuſpenſum agnum in medio furno ſubjecto igne ſcribit. Conf. *Henry Ainſworth. comment. in Exod. cap. 12. ſol. m.* 39. Videntur tamen loci Scripturæ inter ſe pugnare, cum Exodi capite 12. lex addat: Coctum aquis non comedas. Et *Deut.* 16. 7. legatur: *& coques & comedes*. In uno loco *coctio* prohibetur, in altero affirmatur. Verum non contrariantur hi loci uti recte *R. Bechai in leg. ſ. 75. 2. ſ.* 205. 3. notavit. Quod autem ſcriptum eſt, ſacrificabis Paſcha in veſpera, & mox additum: & coques & comedes *Deut.* 16. 7. non notat coctionem in aqua, ſed coctionem per ignem immediate, quemadmodum ſcriptum legitur de Joſua 2. *Par.* 35. 13. *excoxerunt Paſcha igne*. Non autem mens eſt, quod coxerint in vaſe. uti *R. Sal. Aben Melech in 2. Par.* 35. 13. explicat. Phraſis coquere carnem, inquit, in Scriptura uſurpata, alibi ubique de elixatione, quæ fit mediante aqua igni ſubjecta, accipitur, hoc ſolo loco excepto, ubi ſenſus eſt, & aſſarunt. Ideoque etiam ſubjicitur, juxta ritum, ad ſignificandum, aſſatum fuiſſe. Errant etiam ii, qui propterea Paſcha aſſatum fuiſſe dicunt, quod ſacrificia plerumque vel tota, vel ex parte fuerint aſſata. Illi enim ex combuſtione perperam aſſaturam faciunt. Sed aſſatus fuit agnus, ut præfiguraret acerbiſſimam paſſionem agni Jeſu Chriſti, uti prælaudat. *celeber. Majus Patronus noſter* acu quaſi tetigit. Cui calculum adjiciunt *Ainſworth. comment. in Exod.* 12. & doctiſſ. *Vvilliams Anglus ſol.* 259. cujus verba huc adſcribere non pigebit: *It was be roſted* (agnum intelligit) *and that was indeed to fore ſhew the moſt bitter paſſions of the true Lambe Chriſt, who was throughly roſted betwixt the fire of Gods anger, and the malice of his jewiſh foes. &c.*

[12] *Cum azymis.*) Quid fuerint panes azymi fuſe demonſtravit *Guilielm. Stuck. in antiquit. convival. lib. 1. ſol. m.* 87. 88. *edit. Tigur.* ubi ſimul illorum uſum profert, quare non opus ut hic prolixi ſimus. Evolvi poterit citatus autor. Quomodo autem panis azymus apud Judæos confectus ſit, exhibet nobis celeberr. *Daſſovius in Colleg. Mſo.* his verbis: Non debebat Judæus maſſam azymam aquis calidis parare, nec ſub ſole, ſed die nubiloſo dipſere, nec a ſubactione deſiſtere, nec cum oleo in ſartagine torrere, nec modulo pectinato abſcindere: imo etiam furfures aquis calidis miſcere debebant, ut a gallinis devorarentur.

[13] *Ederent.*) Hic varii ritus obſervandi veniunt. 1. Tempus quo agnum comedebant, erat, cum nox ingrueret, ſecundum illum canonem *in Peſachim cap.* 10. In veſpera Paſchatis nemo debet Paſcha comedere a tempore Minchæ uſque dum nocteſceret. Notat etiam gloſſa Alpheſi & R. Salomonis, ipſos a Sacrificio veſpertino uſque ad ipſam cœnam nihil deguſtare debuiſſe, ut eo acutiori ſtomacho & appetitu ad agni eſum accederent. 2. Modus. Edebatur cum panibus azymis, qui ſale quidem condiri poterant & herbis amaris. Notandum tamen ex *Maimonide in Korb. Peſach. c. 8. ſ.* 1. 2. quod agnus comedi potuerit ſine pane azymo & herbis amaris, ſi ſcil. non potuerint comparari: Non autem panes azymi & herbæ ſine agno. Herbæ illæ amaræ erant *lactuca ſylveſtris*, *hedera*, *raphanus*, *carophyllon & naſturtium*, quibus addebatur *acetum*, cum panibus azymis, vel ſeorſim intingebantur in pulmentum artificioſum illud, quod conſtabat ex *pomis*, *pyris*, *amygdalis*, *nucibus*, *ficubus*, *malis cytreis* & aliis ejuſmodi, quæ cum *vino* & *aromatibus* coquebantur. Ea autem ratione præparant pulmentum ut lateris præ ſe ſpeciem ferat, inprimis cinamomum craſſe contuſum ſuperinjiciunt, ut paleam & lutum referant. conf. *Joh. Henric. Otho. Lexic. Philolog. Rabb. p.* 453. videatur etiam *Henry Ainſworth. in Exod. cap. 12. ſol.* 38. 3. Stantes, quem ritum poſtmodum in recubitum mutarunt, uti ex *Hieroſol. Peſach. ſol.* 37. 2. patet, ubi R. Levi dicit: Mos ſervorum eſt, ut edant ſtantes, at nunc comedant recumbentes, ut dignoſcatur exiiſſe eos ex ſervitute in libertatem. 4. Lumbis cinctis 5. cum calceis 6. cum baculis; nam erant viatores. cl. Bochart. putat, Iſraelitas calceatos non fuiſſe; verum alii viri oſtenderunt, quod primis temporibus calceos habuerint. Totum ordinem cœnæ agni paſchalis recenſere nimis prolixum eſſet, quare hic ſuperſedemus & remittimus Lectorem ad Joh. Henric. *Othon. Lex. Philolog. a pag. 448. uſque 453. Buxtorff. Synagog. Judaic. Daſſov. Ainſworth*, alioſque. Myſticam ſignificationem harum rerum enuclearunt *Ainſworth.* & *Vvilliams. cit. loc.* Quilibet de agno minimum tantum debebat comedere, quantum ovum.

[14] *Prima Azymorum vocabatur.*) Primo die Azymorum dicuntur diſcipuli rogaſſe, ubinam pararent Paſcha? Quæritur, quomodo dies paraſceves,

qui

qui ex lege erat decimus quartus mensis Nisan, quo non edebatur, sed mactabatur agnus paschalis, vocatur primus Azymorum, quum certum sit septem tantum ex lege esse dies azymorum, quorum primus erat decimus quintus, postremus vigesimus primus. Si jam a XXI. Nisan exeunte septem dies retro numeremus, apparebit, initium dierum Azymorum incidisse in vesperam diei decimi quarti Nisan, seu initium diei decimi quinti, vid. *Ægid. Strauch. disput. de Paschat. primo* §. 7. cui consentit *Beza*, *Lud. a Dieu*, *Andr. Willet. Georg. Petterus comment. in Marc. Wallæ. in Marc. H. Hammond. in Marc. cap.* 14. *Mayer. in N. T. text.* 128. 17. *fol.* 396. *Rupert. & alii*; Accedit & Josephi & aliorum gravissima autoritas, imprimis *lib.* 2. *antiquit. cap.* 6. dicentis: Reliquerunt Israelitæ Ægyptum *Luna decima quinta*. Idem etiam non obscure traditur in Chronico Hebræorum majori, cujus autor teste *Clar. Buxtorff. in biblioth. Rabbin. pag. m.* 386. putatur ר' יוסי בן חלפתה *Rabbi Jose Ben Chilpheta*, qui circa *annum Christi* 130. vixit, Judæos *XV. Nisan* ex Ægypto exiisse. Sunt autem qui contrarium defendere suscipiunt, *ut Bellarm. L. IV. de Eucharistia cap.* 7. *Cornel.* a *Lapid. in Exod. cap.* 12. 6. scil. decimo quarto die Nisan exeunte Judæos Pascha celebrasse, idque vi sanctionis divinæ: decimo quinto vero die Nisan Azymorum solennitatem demum cœpisse, atque hoc in eundem finem defendere satagunt Græci, quo eo melius inferre possint, Christum non in azymo sed fermento Eucharistiam celebrasse. In hoc errore etiam dicuntur *Neoterici* in Hispania, refutati a *Ribera L. V. de templo c.* 3. plura videri possunt in *Harmon. Evangel. D. Gerhardi c.* 166. *Menasseh Ben Israel Conciliat. in Exod. quæst. XVII.*

[15] *Inde septima*) Colligitur ex his quod festum Paschatis septem diebus celebratum fuerit, ut Scriptura Sacra testatur *Exod.* 12. 15. Pascha die decimo quarto celebrabatur vesperi, & festum Azymorum die decimo quinto, continuabat dies septem, cujus dies primus & ultimus vocabantur convocationes sanctæ. Cur autem festum Paschatis septem diebus celebrandum sit, Rabbini hanc rationem reddunt; quia circumactio vel revolutio septem dierum est circumvolutio media inter diem solarem & mensem lunarem, quæ ut magnum habet usum in rebus naturalibus, ita quoque in Legalibus. Vid. *Johan. Meyer Theol. Doct. celebr. p.* 242. 243. Nonnulli, quorum meminit *R. Abarbanel*, septem dierum rationem tradunt, quod hic numerus usitatus fuerit in conviviis vini, nuptiis & luctibus. *Aben Ezra* per septem dies Deum Azymorum festum celebrari voluisse, docet, ut Azymum comederent die quo egressi ex Ægypto usque ad diem, quo mare sint ingressi. Atque ita *Rambam* & *Abarbanel* Deum hac ratione populum docuisse testatur, recolendam esse memoriam miraculi quo Deus Israelitas eripuerit a percussione primogenitorum: *primum* diem Azymorum Israelitis egressum ex Ægypto, *septimum* vero lacerationem maris Suph in memoriam revocasse. Verum nullum est dubium quin per septem dies intelligatur, Deum significare voluisse, quod per totam vitam sancti esse debeamus. Vid. *Ainsworth. fol.* 41. Ex his autem septem diebus maxime solennis erat primus; atque hinc dicebatur *dies magnus*, quinque sequentes erant intermedii, & a Judæis vocabantur חול מועד Chol moked, dies profani sive profesti Solennitatis & suo modo, ratione laboris indifferentes habebantur. Hinc *Bochart. Hieroz. lib.* 2. *cap.* 50. quinque illos dies *ἐργασίμους* fuisse ait Septimus denique & ultimus dies itidem solennis esse debebat, atque ita prima & Septima dies præ cæteris sacræ erant, alienæ ab omni opere servili, prærterquam a cibis parandis. Hodie ob dubium Kalendarum Secundus & Octavus dies Paschatis æquiparantur primo & septimo diei, & reliqui dies intermedii, tertius, quartus, quintus, sextus vocantur חולי המועד *dies profesti solennitatis*. Si Sabbathum in hosce dies incidat, vocatur שבת של חול המועד Sabbathum diei profesti solennitatis.

[16] *Collectam*.) Hac die fasciculum frugum colligebant & coram Domino locabant. Hic fasciculus non a singulis offerebatur, sed a tota congregatione. vide de hoc fuse scribentem ex Maimonid. *Ainsworth. fol.* 140. *in Levit.* 23.

[17] *Pascha pro agno*.) Observandum quod vocabulum *Pascha* in Scriptura trifariam accipiatur. 1. pro solennitate annua quæ celebrabatur die 14. mensis Nisan, quæ vocabatur *Pascha* agni Matth. 26. 19. Marc. 14. 2. 2. pro festivitate magna quæ celebrabatur die 15. mensis Nisan. 2. *Chron.* 35. 11. 3. pro universa solennitate, quæa die 14. usque 21. observabatur. ita accipitur *Luc.* 22. 1.

[18] *Differebatur*.) Falsissimum est quod Judæi ex die 14. transportent in 15. quod hodie non faciunt; nam semper observant Judæi 14. alias esset contra legem. Statuunt autem quidam viri docti Judæos ita Pascha aliaque festa transposuisse, quia putarunt, quod Christus unum diem anticipaverit in celebrando paschate: Hæc fuit sententia Veteris Ecclesiæ. Verum Christus debuit observare per omnia legem: Imo hoc nunquam moris fuit apud Veteres Judæos. Deinde etiam si hoc fieret, debebat fieri a Synedrio atque tunc Christus debuisset ei obedire. Porro omne pascha debuit mactari in templo, si itaque Christus citius mactasset, tum non ipsi Sacerdotes mactassent in templo; Atque hinc dicimus, quod omnes Judæi cum Christo initio diei Veneris celebrarint Pascha. Verum cum hæc controversia satis decisa fuerit a *B. Frischmuthio in dissert. Jenæ habita* 1674. *de quæst. utrum agnum Paschalem Salvator noster eodem die cum Judæis comederit?* itaque plura non addimus, sed remittimus Lectorem ad istam.

[19] *Pascha celebratum a Christo feria quinta*.) Qua die Christus Servator noster Pascha comederit, variæ sunt opiniones. Quidam affirmant eodem tempore Judæos id habuisse, quorum sententia autem merito rejicitur. *Euthym. in Matth.* putat Christum Pascha *die decima tertia* celebrasse, idem *Sixtus Senensis biblioth. Patr. l.* 6. *annot.* asserit, *Calvin.* 14. *die. vid. Mayer. angl. in præf. in Nov. Testam. fol. m.* 19. 20. *Andr. Willet. comment. in Levit. pag.* 571. *Petter. comment. in Marc. fol.* 1241. *seqq. Wallæ. comment. in Joan. pag. m.* 944. *cap.* 13. ad verba *ante festum*, quod repugnare videtur *Matthæo*, *Marco & Lucæ*, qui dicunt *prima die azymorum*. Sed facilis est responsio, & certum, Johannem locutum esse de Festo Judæorum; cæteros de tempore legitimo ex lege, quod Christus servavit. Hac ratione tempus idem ineuntis Lunæ decima quarta, quæ erat feria quarta, dies Jovis Nisan *confer. Salian. annal. sacr. V. T. anno mundi* 2544. *n.* 105. *fol. m.* 71. *tom.* 2.

[20] *Paschatis nomine reliquæ*.) A veritate hic cum nonnullis aberrat *Sigonius*, dum omnes reliquos dies Pascha vocat, nullo quippe scripturæ, nec Rabbinorum exemplo, hoc demonstrari potest. Fateor quidem, nomen Pascha interdum omnem solennitatem denotare, ut ex *Humberto* refert *Isaac. Casaubon. exercit. XVI. ad annal. Baron. an. XXXIV. num. XXX. pag. m.* 420. sed non contra, omnis solennitas, seu singuli dies azymorum, dicuntur Pascha.

[21] *Nisi in urbe regni metropoli*.) Scriptura docet Pascha non solum in Judæa, sed in Ægypto, quoque fuisse celebratum. *Exod.* 12. 21. & in deserto *Sinai Num.* 9. 5. In Ægypto quisque in domo propria mactavit pascha. At post excessum ex Ægypto aliter res se habuit. Tum enim alibi non licuit mactare Pascha, quam in loco, quem Deus elegerat, *Deut.* 16. 5. 6. i. e. in ipso templi atrio, ubi reliquas mactare victimas moris erat: Ex hoc loco probat *Maimonid.* Pascha etiam in celsis locis, tum cum licita fuere, mactari non potuisse, sed solum in templi atrio. Verba ejus sic se habent. *lib. de Pasch. cap.* 1. *sect.* 3. *Non mactant Pascha nisi in Templi atrio, ut reliqua sacra. Etiam tum, cum licita fuerunt loca excelsa, Pascha in loco celso privato non offerebant. Et vapulabat, quisquis in loco celso privato offerebat, quia dicitur. Deut. XVI.* 5. *Non poteris immolare Pascha in ulla portarum tuarum. Vir Excell. Johan. Frischmuth. disp. de agno Paschal.* §. 6. inquit, Sacrificium Paschatis secundum judicium, voluntatem divinam, & decretum altissimum, non poteris edere in portis tuis, sed loco, quem elegerit Dominus Deus tuus, ut ibi nomen ejus habitet, ibi mactabis Pascha in vespera. *Maimonid. in Korban. Pesach. cap.* 1. Non mactandum erat Pascha, nisi in atrio, ubi reliqua sacrificia mactantur: mactandumque die decimo quarto, post meridiem, post juge sacrificium, post oblatum thymiama, conf. plur. *Joan Lightfoot hor. Talmud. pag. m.* 470. 471. *Bochart. Hieroz. fol. m.* 574.

CA-

CAPUT DECIMUM.

De Pentecoste.

SEquuntur [1] Primitiæ, & Pentecoste, quæ etiam [2] Hebdomades appellatæ sunt. Quæ vero hæc fuerint, & quibus diebus peracta sint, eadem, ut ante, ratione tradetur, nempe primum loca legis prodendo, deinde brevem eorum explicationem adjiciendo. Sic igitur de die Primitiarum præcepit Deus Levitici XXIII. *Cum ingressi fueritis terram quam ego dabo vobis, & messueritis segetem, feretis manipulos spicarum primitias messis vestræ ad sacerdotem, qui elevabit fasciculum coram Domino, ut acceptabile sit pro vobis, altero die Sabbati; & sanctificabit illum: & eodem die cædetur agnus immaculatus anniculus in holocaustum Domino, & libamenta offerentur cum eo, duæ decimæ similæ conspersæ oleo in incensum Domino, odoremque suavissimum, liba quoque vini, quarta pars hin.* Quibus dictis subjicit de Pentecoste [3] post septem hebdomadas celebranda ita: *Numerabitis inde ab altero die Sabbati, in quo obtulistis manipulum primitiarum septem hebdomadas plenas usque ad alteram diem expletionis hebdomadæ septimæ, id est quinquaginta dies, & sic offeretis sacrificium novum Domino, panes primitiarum duos, septem agnos immaculatos anniculos, & vitulum de armento unum, & arietes duos, & erunt in holocaustum cum libamentis suis in odorem suavissimum Domino. Facietis & hircum pro peccato, duosque agnos anniculos hostias Pacificorum.* Item Numerorum XVII. & Deuteronomii XVI. *Septem hebdomadas numerabis tibi ab ea die, qua falcem in segetem miseris, & celebrabis diem festum hebdomadarum Domino Deo tuo.* Rationem autem offerendarum primitiarum docuerat secundo Levitici inquiens: *Si obtuleris munus primitiarum frugum tuarum Domino, de spicis adhuc virentibus torrebis igni, & confringes in morem farris, & sic offeres primitias tuas Domino, fundens super ea oleum, & thus imponens, quia oblatio Domini est. De qua adolebit sacerdos in memoriam muneris partem farris fracti & olei, ac totum thus.* Qualis vero hæc ratio esset, apertius quoque Josephus explicat Antiquit. Tertio: *Secunda Azymorum die, quæ est sexta decima mensis Martii, frugum, quas messuerunt (non enim ante attingunt) partem sumunt, ac rati primum Deo honorem habendum, a quo earum copiam acceperunt, hoc modo illi earum primitias offerunt. Ubi manipulum spicarum siccarunt, & tuderunt, hordeaque ipsa ad molendum nudarunt, assarium altari Deo admovent, & pugillum unum ex eo injicientes, reliquum ad usum sacerdotis relinquunt atque inde publice messis faciendæ potestas datur. Sacrificant autem in Primitiis frugum agnum in holocaustum Deo, Hebdomade vero septima post hoc sacrificium transacta (hæ hebdomades dies sunt quadraginta novem) quinquagesima die afferunt ad Deum panes ex farina hordeacea, duo assaria, cum fermento factos, sacrificium vero agnos duos, & Deo quidem offeruntur solum, sacerdotibus vero ad cœnam præbentur, nec licet ex eis quidquam in crastinum relinquere, & immolant in holocaustum vitulos tres, arietes duos, agnos quatuordecim, & hircos pro peccato duos.*

Ex his omnibus in unum collatis, satis intelligi potest, [4] sexta decima die Martii; quam secundam Azymorum diximus, falcem in segetem primum esse missam, lectumque novarum frugum [5] manipulum Domino esse oblatum, ut sanctificaretur futura messis, eumque diem primitiarum vocatum; messe inde post quadraginta novem dies perfecta, ipso die quinquagesimo festum [6] Pentecostes, sive Quinquagesimæ celebratum fuisse sexto die mensis Sivan, qui respondet Majo, atque eo die [7] panes e novis frugibus Deo oblatos esse: Festum autem Pentecostes alio nomine festum Hebdomadum esse dictum, quod in fine Hebdomadum ageretur. Unde illud est secundo Maccabæorum duodecimo: *Venerunt Hierosolymam die solenni Septimanarum instante, & post Pentecosten abierunt contra Gorgiam*; & Actuum II. *Cum complerentur dies Pentecostes.*

NO-

NOTÆ AD CAPUT DECIMUM.

[1] *Primitiæ.*) Erant frugum maturescentium, quarum *Omer* i. e. manipulum, sacerdoti altero Paschatis die offerebant. vid. *Sixtin. Amam. dissertat. de decim. Mosaic.* & hæc oblatio messem præcedebat, unde primitiæ messis; Theruma vero non nisi de fructibus jam elaboratis offerebatur. conf. *Johan. Frischmuth. disput. de decim.* §. 6. hæc festo Pentecostes oblatio fieri solebat, teste Scriptura *Levit.* 23. 15. *Isych. Presbiter Hierosol. in Levit. pag. m.* 543. *Num.* 28. 26. *Deut.* 16. 9. Prima autem erat Festo Paschatis, & vocabatur *oblatio de granis novis*, non quod eo tempore fruges jam maturæ essent, sed quod Judæi prius illas igne torrefacerent, postea grana excuterent, & si quid farinæ adesset, oleo infuso incenderent, ut *Maimonid. cap.* 11. 15. & *Johan. Frischmuth. dissert. de decim.* §. 3. docent. Secunda erat de *novis panibus*, quæ Festo Pentecostes fiebat. Fruges enim prius elaborandæ erant ut *Andr. Willet.* & aliorum testimoniis clare probatur. Quod ipsam oblationem attinet *R. Maimonid.* divinitus mandatam sic probat: Therumæ hujus, de qua agimus, initium *Deut.* 18. mandatur, *Primitias frumenti, musti, & olei tui mihi dabis*. Cum vero ibidem modo jubeatur dare primitias, quantitas non determinatur. vid. *William Attersoll. in comment. ad Num. fol. m.* 1148. Hebræorum tamen sapientes illam præscripserunt, ceu testantur viri fide digni *Johan. Drus. difficil. loc. script. pag. m.* 590. *R. Maimonid. Hilkoth. cap.* 3. §. 2. *R. Salom. Sixtin. Amama de decim. Joh. Frischmuth. diss. de decim.* §. 7. Ex præcepto divino Judæi fructuum primitias Hierosolymas deferre, easque largiri Sacerdotibus debebant. Primitiarumque harum erogandarum in Scriptura septem species in Judæa annotantur, in qua regione tam insigniter crescebant fructus, ut quos reliquæ tribus in hoc genere proferebant, illi ne quidem comparari cum istis possent. vid. *Maimonid. in tract. de prim. c.* 22. *William Attersoll. fol. m.* 1148. Itaque Magistri *in Biccurim. fol.* 83. de solis his primitias oblatas perhibent scilicet *Tritico, Hordeo, Uvis, Ficubus, Malogranatis, Oleis & Palmis*. Quomodo colligantur & separentur primitiæ Deo sacrandæ, ostendit *D. Wagenseil. Misch. cap.* 7. *pag.* 660.

[2] *Hebdomadis.*) Pentecoste festum e majoribus secundum, quod ratione derivationis e Græcorum scholis ortum, a *Syro, Persa & Æthiope* retentum, ad Germanos ipsos (qui hoc festum quibusdam mutatis Pfingsten vocant) pervenit; dicitur in Sacris literis חג שבעות a Chaldæis חגא דשבעיא festum hebdomadum. LXX. ἑορτὴ τῶν ἑβδομάδων. Lu. vertit fest der marchen. Vid. *Exod.* 34. 22. *Deut.* 16. 10. quia a secundo die azymorum septem hebdomades numerare debebant ad quinquaginta dies constituendos vid. *D. Quensted. antiq. bibl. n.* 5. *pag.* 842. Vocatur etiam חג הציר Festum Messis & quidem primitiarum laborum. *Exod.* 23. 16. quia incidebat in messem triticeam. *Levit.* 23. 10. vid. *Ainsworth. fol. Reichard.* §. 3. *de Pentecost.* 140. seu festum quinquaginta dierum a festo Paschatis numerandorum; a Græcis & Judæis Græcissantibus inde etiam πεντηκοστὴ pentecoste nuncupatum. *Josephus* rerum judaicarum peritissimus scriptor *lib. de bell. jud.* 11. vocat a *septem hebdomadis*; cui Isidor. adstipulatur *lib: 6. Orig.* 18. Judæi autem Hebraizantes hoc festum vulgo vocant עצרת *Aezereth*, quod interdictum, detentionem & couvocationem sonat, uti refert celeb. *Meyer in diatrib. de fest. pag. m.* 261. 263. conf. cl. *Joh. Eli. Richard. dissert. de Pentecost. ed. Jenens.* 1693. §. 2. Ratio ob quam Deus festum Pentecostes instituit est quadruplex, & 1. quidem ut esset annua commemoratio legis a Deo promulgatæ. Nam post primum pascha die quinquagesimo Deus in monte Sinai fumigante nubibus contecto inter fulmina & tonitrua legem tripartitam. 1. morum, 2. rituum 3. juris civilis tulerat, quam promulgationem legis suæ Deus quovis anno voluit in memoriam revocari. 2. ratio est memoria fundatæ Reipubl. Judæorum. Hinc ipse Deus *Deut.* 16. 9 Memor esto, inquit, quod servus fueris in Ægypto, sed in festo Pentecostes in libertatem civilem vindicatus & lata lege forensi in unam Rempubl. collectus. 3. Ratio conditi festi Pentecostes est, ut Judæi tempore messis Deum frugum omnium datorem primitiis frugum oblatis cognoscerent & denique 4. ut in veteri Pentecoste typus Pentecostes N. T. compleretur, quem typum *Augustin.* eleganter exposuit *epist.* 119. *ad Januar.* in V. T. inquit, occidebatur agnus, agebatur Pascha & die quinquagesimo dabatur lex ad timorem Dei digito scripta, sed in N. T. occisus est Jesus agnus ad mactandum ductus. Inde jam agitur verum Pascha & die quinquagesimo Apostolis datur Spiritus S.

[3] *Post septem hebdomadas.*) Ex sequenti Scripturæ loco satis patet, Deum esse autorem hujus festi, qui numerare mandaverit dies. Quæritur autem quo tempore numerare cæperint dies Pentecostales? Anceps igitur est quæstio inter Rabbinos pariter ac Christianos, quid per ממחרת השבת intelligatur. *Karræi* teste *Joh. Meyer. in diatrib. de festis pag. m.* 297. intelligunt hæc verba: (numerabitis vobis a crastino (postero) die Sabbathi, usque ad crastinum diem septimanæ quinquaginta dies) de *die creationis*, & sequentibus probant argumentis 1. quod שבת vox Sabbathi sit vocabulum legis vel Scripturæ, adeoque non ab uno subjecto ad alterum transferendum, sive a quo per analogiam non licet argumentari, ita ut non sit licitum, diem aliquem septimanæ, quo quiescamus a labore vocare Sabbathum, etsi illud quietem denotet. 2. quia השבת cum ה demonstrativo dicitur *Levit.* 23. 15. i. e. Crastinus illius Sabbathi scilicet creationis, cujus antea meminerat *vers.* 4. Si jam Scriptura intendisset alium diem *vers.* 15. præter Sabbathum creationis, id debuisset memorari. & quæ alia sunt argumenta, quæ *pag.* 280. 281. *in citat.* Autor. sunt videnda. Contra hos maximo impetu pugnant R. *Salom. Jarchi*, de eo sic scribens: *a crastino die festi diei Paschatis*. Cui *Abarbanel* applaudit, ita loquens: a crastino die est dies decimus sextus Nisan, qui est primus dies paschatis, Sabbathum dicitur, quia in eo cessant omnia opera. Onkelos vertit post diem festum scilicet Paschatis.

[4] *Sexta decima die.*) Si conferimus loca *Exod.* 23. 16. *Levit.* 23. 10. *Num.* 28. 26. *Deut.* 16. 9. ratio patebit hujus instituti: Deus Israelitis in mandatis dederat, ut a crastino Sabbathi, qui erat sextus decimus dies mensis Nisan, sibi numerarent *septem Sabbatha* sive *L. dies*]. Quintus decimus dies Nisan erat Sabbathum festi Paschalis religione Sabbathica transigendum. Die proximo 16. extante segete demetebant manipulum hordei maturi, qui in Sanctuario coram Deo a Sacerdote agitabatur. Antequam hæc esset oblatio facta manipuli, in segetem non licuit immittere falcem, nec spicam viridem, nedum igne tostam comedere. Ab illo die [*decimo sexto*, qui crastinus erat primi diei Paschatis sive Sabbathi, sive crastinus a die xv. Nisan, numerabantur septem Sabbatha, quorum primus dies fuit ille sextus decimus. vid. Q. *Quensted num.* 5. *pag.* 843. *antiq. Bibl.* Abarbanelis verba paulo antea citati huc adscribere lubet: *Quod*, inquit, v. 11. dicitur a crastino Sabbathi, sciendum, diem festum solennem primum Paschatis vocari Sabbathum, sicut & dies clangoris vocatur Sabbathum vers. 24. quia primus dies Paschatis [est dies primus festorum dierum, ideo a festo Paschatis vocatur השבת cum ה demonstrativo, q. d. Sabbathi illius]: nam in illo die prima erat Solennitatum quies & cessatio ab opere, &c. Et quibusdam interjectis, dicit: Quocirca nobis non est recedendum a Kabala nostra Sancta, quam nobis tradiderunt veteres, inde a Mose Doctore nostro. Illi enim sciverunt, [quod crastinus dies Sabbathi sit xvi. dies Nisan.

[5] *Manipulum.*) Doctissimus Johannes Lightfoot. in hor. Talmudic. ad *Matth. cap.* 12. *pag.* 339. inquit:

quit: Oblatio manipuli primitialis secunda die hebdomadæ Paschalis supplicatoria erat & precatoria, benedictionem impetrans frugibus, novis, veniamque eas comedendi & falcem in segetem mittendi. Hic tamen etiam notandum, quod controversia sit inter *Traditionales* & *Scripturarios*. *Elias ben Mosche* refert: Traditionales statuere Manipulum desumi ex fructu virente, & ipsum esse munus primitiarum; *Karræos* autem existimare, quod manipulus sit sine munere primitiarum & quidem ex arido, cum primitiarum munus sit ex viridibus post *Omer* seu *manipulum* offerendum. Atque hæc tredecim ponunt discrimina inter *Omer* & munus primitiarum, quæ adduxit celeb. *Meyer* in *diatrib. de festis pag. m.* 285.

6 *Penteostes.*) Hebræis Festum hebdomadarum dicitur, eo quod ab ipso Paschate numerandæ illis erant septem hebdomadæ, quæ dies novem & quadraginta constituunt. conf. *Buxtoff. Synag. Judaic. cap.* 15. *pag. m.* 316. *Dieter. antiquit. bibl. fol. m.* 164. *Oecum. in Act.* 2. *Balduin. Wall. comment. in Act. cap.* 2. *pag.* 1028. *D. Joan Lightfoot in libell. anglic. script. tit. The Harmony of the New Testament in Act.* 2. *fol. m.* 80. *dicit:* Pentecoste esse tempus illud gaudiorum, quo Judæi pro messe felici gratias agerent, ac haberent conf. *Andr.* Willet. *comment. in Levit. fol.* 577. Festum igitur hebdomadarum celebrabis tibi, cum demessis frugibus panes e primitiis messis triticeæ offeruntur Domino. *Beroald. Chron. sacr. pag. m.* 58. Tenendum autem messem in Ægypto & Palæstina inchoari ante *Calendas Apriles*. *Andr.* Willet. *sixfoold. commentar. on Levit. fol. m.* 575. *quæst. XIV. Plin. lib. XVIII. cap.* 18. Messis vero hordeaceæ tempore egressos Ægypto Israelitas, Festum azymorum seu Pascha arguit. Est autem prior messis hordeacea, quam triticea, quæ post sequitur, & ut *Pilnius* d. l. inquit: *mense Majo*, peragitur. i. e. Festo hebdomadatum. Nam decimo quinto die primi mensis, qui primus est azymorum dies, Pascha celebrarunt. *Scalig. lib.* 3. *Can. Isagog. pag.* 282. *& L. V. de emendat. tempor. D. Behm. manuduct. ad chronol. lib.* 2. *tit.* 3. *cap.* 1. *D. Dorschæ. dissert. de agno Paschal.* §. 4. *D. Ægid. Strauch. dissert. de Pasch.* 1. *hypoth. VIII.* §. 11. 12. Secundo die azymorum manipulus novarum frugum offerebatur, a quo die numerantur septem hebdomadæ. *Joan. Bœm. in libell. de morib. legib. & rit. omnium gentium lib.* 2. *de Asia pag. m.* 87. mentionem Pentecostes facit, sic asserens; *Erant & Pentecostes stati dies, Asarthan id illi tempus vocitabant, i. e. quinquagesimam, fermentatos tum panes ex siccis alphitis offerebant; agnas duas in holocaustum, vitulos duos, arietes totidem, duosque pro piaculo hircos.* plur. vid. apud *Fagium Paraph. Chal. cap.* 23. *in Levit.*

7 *Panes.*) Oblatio panum primitialium die Pentecostes gratiarum actionem spectabat, ob feliciter peractam & congestam messem hordeaceam: Hac ergo relatione concatenatæ erant duæ hæ solennitates, ut utraque messem respiceret, illa ineuntem, hæc finitam. Præceptum erat duos panes in ἐυχαριςίαν collectæ messis afferre e frumento triticeo paratos, non alia frumenti specie, juxta traditiones Hebræorum: *Omnes oblationes Menachot fieri solebant ex farina triticea, præter oblationem mulieris declinantis & elevationis Omer, hæ enim fiebant hordeo.* Vocantur autem hæ primitiæ panes duo agitationis & continebant duas Ephæ decimas, alter unam, alter alteram ex tritici recentis simila factam, quod ferti genus pro ara Deo offerendum. Hisce panibus duobus triplex Sacrificium annectebatur, Holacaustum, quod erat septem agni anniculi, juvencus & duo arietes cum *Mincha*, & *Nesech*, & oblatione aridorum & liquidorum non exclusis quotidianis sacrificiis mane & vesperi peragendis ad benedictionem divinam impetrandam.

CAPUT UNDECIMUM.

De festo Tubarum.

SEquitur [1] dies Tubarum, qui prima [2] septimi mensis est celebratus, quem illi Tisri, nos Septembrem vocamus. De ejus vero cultu sic [3] præcepit Deus Levitici XXXIII. *Mense septimo, prima die mensis erit vobis Sabbatum memoriale clangentibus tubis, & vocabitur sanctum. Nullum opus servile facietis in eo, & offeretis holocaustum Domino.* [4] Celebratus est autem in memoriam, ut ajunt interpretes, ejus diei, quo tubis clangentibus Deus [5] legem Moysi in monte Sinai dedit, aut ejus, cum liberatus est Isaac invento ariete hærente cornibus. Hujus vero diei mentio fit psalmo LXXX. *Buccinate in Neomenia tuba in insigni die solennitatis vestræ, quia præceptum est in Israel*, & apud Philonem in Decalogo: *Sacrum Novilunium, in quo tuba canitur.*

NOTÆ AD CAPUT UNDECIMUM.

1 *Dies Tubarum.*) *Torniell. in annal. Sacr. an.* 2584. *n.* 5. existimat buccinarum clangorem, qui fiebat die decimo septimi mensis, fuisse proclamationem Jubilæi, tunc primum, vel proxime incipientis, nimirum post festum Scenopegiæ, cujus initium erat 15. septimi mensis dies, finis 22. ut *Levit.* 23. præceptum est, At *Serarius in caput.* 13. *Josue q.* 14. *dub.* 4. vult illo ipso die decimo clangoris Tubarum hisce annis datum fuisse initium, ut *quo die Judæi petebant debitorum suorum veniam, eo remitterent suis fratribus vera æris alieni debita &c.* Sic iste. Verum dies clangoris *Levit.* 23. a die expilationis omnino distinctus erat. Nam ille in diem primum Tisri cadebat: hic expiationis in decimum. Inclino magis ad hanc opinionem, quod ipso primo die mensis, cum tubarum clangore, tam Sabbathico quam Jubilæo anno initium datum, nec unus mensis ab Hebræis in duos annos distractus sit, præsertim cum ex Hebraico Calendario constet, primum diem Tisri, qui erat tubarum, fuisse initium anni communis, propterea que a Judæis dictum ראש השנה *Rosch Haschanach.* conf. comput. Judaic. apud *Scalig. lib.* 7. *de emendat. Calend. Munster cap. de festis Veter. Legis. William Attersoll. cap.* 29. *Num. fol. m.* 1150. vocatur dies turbarum, in Hebræo est סופר sophar tuba ex cornu arietino. Varia signa tubarum fuisse reperio. In tabernaculo *Mosis*, tubæ signa erant populi convocandi, in exerci-

tu & acie, prælii; in caſtris [1], vigiliarum nocturnarum. Moris enim erat nocturni temporis quatuor vigilias tubarum vel buccinarum clangore diſtinguere, ut oſtendit *Livius lib. 26.* ubi *tertiam buccinam* poſuit pro tertia vigilia, & *Silius Ital. l. 7.* ita canit:

Mediam ſomni cum buccina noctem
Divideret, jamque excubias ſortitus iniquas
Tertius abrupta vigilaret ad arma quiete.

In ſacrificiis vero & epulis tubæ erant ſigna recordationis divinæ & devotæ orationis. *Num. cap.* 10. 10. & *cap. L. Eccleſ. v.* 18. *&* 19. in afflictione, luctus & doloris: In triumpho & pompa ſolenni, lætitiæ & jubili, ſic *Pſalm.* 45. 6. *Aſcendit Deus in Jubilo & in voce tubæ.* lib. 2. Reg. cap. 6. 15. & lib. 2. Paralip. cap. 5. 12. & 13. Atque adeo *Abulenſis 2. Reg. 6. quæſt.* 18. obſervat, non aliter per tubam ſignificari omnia inſtrumenta muſica, quam per jubilum omnes melodias. In *Feſto tubarum*, de quo diſſerimus, ſigna erant beneficii illius, quod Deus Patriarchæ Iſaac præſtitit, ut docent Hebræi Doctores. vid. *Paulus Fagius Paraphr. Chaldaic. in Levit. cap. 23. num. 24. William Atterſoll of the ſe aſt of Trumpets fol. m.* 1150. *Vuillet. commentar. in Levit. fol. m.* 580. *quæſt.* 22. *Dieter. antiquit. bibl. fol. m.* 184. *Riberæ lib. 5. de Feſtis diebus Hebr. cap.* 9. Verum enim vero veriſimile non eſt, Spiritum Sanctum propter unius hominis liberationem feſtum inſtituiſſe. Quare probabilius videtur eam ob cauſam hoc menſe plura, quam aliis, inſtituta eſſe feſta, quia tempus celebrandis feſtis magis idoneum erat meſſe peracta. Vocatur etiam feſtum tubarum monumentum clangoris, quod eo die Iſraelitæ clangore tubæ excitarentur, propter ſacra quæ illo die peragi ſolent. Alii putant, ut *Sigonius* hoc loco, quod tubis lex data; cui conſentiunt *Cajetanus* & *Foneſca*. Sed hæc ratio imbecillis, cum omnibus conſtet, feſto Pentecoſtes celebrationem legis datæ factam. Alii aliter, ſed nulla melior ſententia, quam quæ ſupra allata eſt; quippe tubæ clangores feriarum initia & fines indicabant, *Joſephus lib. 5. de bell. Jud. cap. 9. ita, ait, Moris eſt, unum Sacerdotum poſt meridiem, quod ſeptimus quiſque dies inciperet, tuba ſignificare, rurſuſque veſperi, quod deſineret: nunc ferias populo, nunc ut opus faciat, denuntiare.*

[2] *Septimi menſis.*) Feſtum tubarum celebratum eſt die prima menſis ſeptimi, qui *Tiſri* appellatur, cujus mentio fit *Levit.* 23. 24. Duplex igitur Principium anni conſtitutum fuit, alterum naturale, alterum Eccleſiaſticum: de qua re in præcedentibus actum fuit, conferri etiam poterit *Gerhard. in diſſert. de feſtis cap. 1. exercit. 3. edit. Vuitterberg.* 1650. ubi fuſe verba facit de hac materia. Quod vero menſis hic ſeptimus Eccleſiaſtici anni reſponderit anni naturalis principio ſeu menſi primo facile patet ex ſupra allatis. Recte hinc in marginalibus Bibliorum *edit. Venet.* cum triplici Targum & notis *Raſchi* in 8. additur ad h. l. Opus præceptorum, in templo, in principio anni, & non facies in eo opus i. e. ſolenniter celebrabis feſtum hoc, quod ceſſit in anni naturalis initium. Ipſe etiam *Raſchi* & *R. Aben Ezra* de principio anni hoc explicant. Indicat idem & R. *Lipman. in Nizach. n.* 283. quando ad verba *Pſalm* 81. 4. quædam ex Maſichta allegat. Eſt itaque feſtum hoc, quo tubam inflare Sacerdos debebat, principium anni naturalis, quo Deus mundum creaſſe dicitur inciditque in novilunium noſtrum Septembris, qui apud Hebræos תשרי vocatur. vid. *Pfeiffer. diſſert. de feſt. th.* 11. Dicunt etiam Judæi multa accidiſſe menſe *Tiſri*, R. Eliezer in eod. *Roſch haſchana Bab. f.* 10. 2. *f.* 11. 1. In menſe Tiſri mundus eſt conditus: in menſe Tiſri Patriarchæ nati ſunt & in Tiſri quoque mortui: In Paſchate natus eſt Iſaac, in principio anni, ſeu in menſe Tiſri viſitata fuit Sara, Rachel & Anna; in principio anni egreſſus eſt Joſeph e carcere; in Tiſri ceſſavit ſervitus patrum noſtrorum in Ægypto, cum in menſe Niſan liberati ſint; in Tiſri per Meſſiam quoque liberabuntur: ita *Lightfoot* aliique, Chriſtum in menſe Tiſri natum eſſe ad feſtum Tabernaculorum probabile eſſe putant.

[3] *Præcepit Deus.*) A veritate longe agit *Spencerus lib. 11. c. 6. ſect. 32. de rit. leg. Hebr.* qui varias rationes adducit, cur hoc feſtum Tubarum menſe hoc inſtitutum, quas adducerem niſi hoc optime feciſſet vir *celebr. Johann. Meyer. in diatrib. de feſtis. pag.* 307. 308. *ſeq.* Moſes quidem non inſinuat, quare Deus Opt. Maxim. celebrari diem hunc voluerit, ſic etiam quare clangore feſtum hoc indicari eidem placuerit. Vocatur ſaltem *Memoriale jubilationis. Onkelos & Jonathan* יבבא habent, quod ſimiliter jubilationem, clamorem notat. LXXII. reddunt *μνημοσύνον σαλπίγγων ἢ τῆς σκηνοπηγίας* addit Scholiaſtes, ſed unde hoc habeat nondum liquet. Anſam tamen forſan hæc obſervatio nonnullis præbuit cogitandi, annon feſtum hoc eo inſtitutum fuerit fine, ut ad Scenopegiæ aliorumque feſtorum, quorum hoc menſe plura, quam toto alias anno occurrunt, celebranda ſanctitatem Iſraelitæ tuba a Sacerdotibus admonerentur. conf. *Joh. Erneſt. Gerhardi diſſert. 3. de feſtis.* Verior ſententia itaque eſt, fuiſſe hoc feſtum quandam quaſi paraſceven & præparationem, cum ad inſtans ſolenne Expiationis tum ad reliqua feſta in hunc menſem incidentia, atque ideo Deum ad horum feſtorum obſervantiam tubæ ſonitu populi animos voluiſſe excitare; uti pluribus rem perſequitur *D. Quenſted. in antiquit. Bibl. pag. m.* 850. Eadem fere profert Hildebrand. in Colleg. Mſo. ubi poſt plurimas allatas rationes in hæc prorumpit verba: Alii denique quibus nos ſubſcribimus, putant tubæ clangorem ipſis Calendis menſis Tiſri ideo fuiſſe per totum Iſrael auditum, quod hoc menſe feſta plurima eſſent, ad quorum obſervantiam Deus tubæ ſonitu populum voluit excitare, proinde ut hodie majoris feſti indicium majoris campanæ pulſu dari ſolet.

[4] *Celebratus.*) Celebratio hujus feſti triplex ſpectari ſolet: 1. a *Moſe* ad *Eſram*, quo tempore celebrabatur buccina clangendo & Sacrificia celebrando. 2. ab *Eſra* ad Chriſtum, ubi præter dicta convolabant Judæi ad Synagogas ſuas, legebant Scripturas & muſſitabant certas preces atque canebant certa cantica. 3. Hodie adhuc celebratur per clangorem tubæ, per precationes in Synagogis & per cantica. Stant perpetuo incurvati orantque alta voce; aliis vero diebus clam muſſitabant preces, ne alter alterum turbaret. Precabantur ſibi invicem fauſtum annum; concedunt res dulces, ut uvas paſſas, mel &c. quare optabant ſibi annum ſuavem & dulcem, comedunt quoque caput arietinum optantes, ut non ſint cauda ſed caput: præſtantes quoque piſces edunt, ſed non coctos in aceto: item mala granata propter multa quæ continent grana, ut ſibi fertilitatem & multiplicationem ſeminis precentur &c. Mane linteis tunicis ad Synagogas ſe conferunt, & liber bis deponitur, aliquis ſuggeſtum conſcendit & ſonum edit tuba æri-ebina, non bubula, quia Iſraelitæ in deſerto Idololatriam commiſerant in vitulo aureo. Quando buccinat, antequam incipiat flare, dicit benedictionem aliquam. Cornu debebat eſſe longum tres palmos incurvatum ut faterentur humilitatem. Clangor fieri debebat ab ortu ad occidentem, quia in templum ingrediuntur per portam Orientalem, & ſenſim pergunt ad Occidentem. Si dies primus in Sabbathum incidit, clangunt die antecedente veſpera ante Sabbathum. Abeunt quoque ad pontem & peccata quaſi ſua conjiciunt in fluvium reſpicientes ad Mich. 7. 19.

[5] *Legem Moſi.*) Autor noſter duas rationes adducit, cur Judæi clanxerint tubis. Fatemur quidem, exiſtimare quoſdam feſtum hoc inſtitutum fuiſſe in memoriam Iſaaci celebratam, quem Abraham Dei juſſu mactare voluit, ſed ab Angelo prohibitus loco Iſaaci arietem immolavit. Atque hæc Rabbinorum ſententia eſt, qui putant, tuba vel cornu arietino hoc feſto propterea clangi, quod aries inter fruticeta Abrahamo pro Iſaaco ſit oſtenſus. Verum hanc ſentententiam, ut erroneam rejicit D. *Quenſted. in antiquit. Bibl. pag. m.* 849. *Abarbanel ad Levit.* 23. *f.* 264. Septem adfert rationes, quas Deum reſpexiſſe putat. 1. Oſtendit libertatem, quæ etiam finis erat clangoris anni jubilæi, quo pro omnibus inhabitantibus terram libertas publicata eſt. 2. Clangor buccinæ docebat regnum Regis, ſicut in unctione *Salomonis* clangebant buccinis. 3. Excitabat ad reſipiſcentiam & ſubjugabat Satanam ſive figmentum malum. 4. Buccina

cina arietina in memoriam revocabat ligationem Isaaci & substituti arietis. 5. in memoriam revocavit legis lationem. 6. Recordari facit recollectionem captivitatum tempore futuro. 7. memoriam recolit resurrectionis mortuorum, quæ erit miraculosa supra naturam. His tamen accedere possunt alii fines, quos adduxit *cl. Meyer. diatrib. de fest. p.* 320.

CAPUT DUODECIMUM.

De festo Expiationum.

FEstum autem [1] Expiationum [2] decimam septimi mensis diem habuit dedicatam, qui etiam [3] Jejunii dies dictus est, quod eo [4] animas affligere, id est jejunare, lege jussi sunt. De eo vero sic præcipere perrexit Deus Levitici XXIII. inquiens: *Decimo die mensis septimi dies Expiationum erit celeberrimus, & vocabitur Sanctus, affligetisque animas vestras in eo, & offeretis holocaustum Domino. Nullum opus servile facietis in eo, quia dies propitiationis est. Et affligetis animas vestras die nono mensis. Omnis anima, quæ afflicta non fuerit die hac, peribit de populis suis.* De eodem vero die sic præceperat etiam XVI. *Mense septimo, decima die mensis affligetis animas vestras, nullumque opus facietis sive indigena, sive advena, qui peregrinatur inter vos, in hac die expiatio erit vestri, atque mundatio: ab omnibus peccatis vestris coram Domino mundabimini. Sabbathum enim requietionis est, & affligetis animas vestras religione perpetua. Expiabit autem sacerdos qui unctus fuerit, Sanctuarium, Tabernaculum Testimonii, atque Altare, sacerdotes quoque, & universum populum. Eritque vobis hoc legitimum sempiternum, ut oretis pro filiis Israel, & pro cunctis peccatis eorum semel in anno.* Quomodo vero hæc expiatio peccatorum & Tabernaculi fieret capro emissario in deserta emisso, eodem capite traditur. Quæ res quia ad pontificis officium pertinuit, in eum locum rejicietur, in quo de pontifice disputabitur. Hic vero dies Jejunium appellatus est a Hieremia XXXVI. *Leges de volumine audiente populo in domo Domini in die Jejunii.* Quare Josephus dixit VI. Belli: *Die expiationum jejunare mos fuit cunctis.*

NOTÆ AD CAPUT DUODECIMUM.

[1] *Expiationum.*) Vocatur hoc festum apud Judæos יום כפורים dies expiationum, h. e. expiationis plenariæ & catholicæ omnium Israelitarum coram Jehova *Levit.* 16. 1. *seq.* & 23. 27. Quidam Judæorum dicunt, quod dies expiationis non modo pro Israelitis, sed pro toto mundo sit. Monet R. Abarbanel in h. l. יום הכפורים diem Expiationis vocari, quia licet de omnibus diebus solennibus dicatur, quod illis expientur peccata, dies tamen expiationum istis non assimiletur, quod expiatio illa in solennibus memorata sit propter errorem illius ipsius diei, sed expiatio diei expiationum sit expiatio peccatorum omnium dierum totius anni, ideoque dictus sit יום הכפורים בלשון רבים *dies expiationum in plurali.*

[2] *Decimam.*) Elias ben Mosche, quem citat *Joh. Meyer. in tract. doct. de festis pag. m.* 328. rationem allegat, cur decimus dies mensis septimi assignatus sit expiationi. Nonnulli Doctores, inquit, interrogarunt, quid causæ sit, quod, cum porta resipiscentiæ omnibus hominibus omni tempore sit aperta, huic diei expiatio approprietur? Alii ideo id factum esse statuunt, quod eo die facta sit expiatio peccati *Exod.* 32. Volunt enim Mosen Doctorem nostrum in monte transegisse tribus vicibus XL. dies & noctes, cum tamen juxta literam non nisi bis 40. dies & noctes reperiantur. Si porro juxta rei veritatem lex data tertio die Sivan, juxta literalem Scripturæ sensum *Exod.* 19. 15. Estote parati in diem tertium, ne accedite ad uxorem & *vers.* 11. Nam ipso die tertio descensurus est Dominus ante oculos totius populi hujus super montem Sinai: sequetur, non esse datas secundas tabulas die X. mensis septimi. Alii vero rationem hujus diei indicti petunt a Tekupha seu revolutione anni quæ fuerit quinto decimo die mensis, & hoc ipso initio anni scripturam eis præcepisse, ut ante initium anni quinque diebus mundi essent ab omni peccato. Hæc sententia quoque non valet. Si enim expiatio abjicit omnes iniquitates antecedentes, omni tempori illa conveniet. Ego puto, hunc diem a Deo esse dicatum expiationi peccatorum quod appropinquet ad initium hiemis. Rectius autem Traditionales sentire videntur, qui *Mosen* dies quadraginta tribus vicibus in monte jejunasse volunt, nempe prima vice *Exod.* 24. 18. *Deut.* 9. 9. 10. secunda *Exod.* 24. 18. *Deut.* 9. 18. Tertia. *Exod.* 34. 28. Si tempus illud computetur a die, quo lex data septimo mensis Sivan, deprehendemus, postremum Mosis jejunium, quando filiis Israel remissionem peccatorum impetravit, & legis tabulas renovavit, desiisse in *diem decimum mensis Tisri*, quo cum reconciliationis nuncio descendit. In hujus rei memoriam sane hic dies decimus præcipue constitutus videtur. Incidebat dies Expiationum in decimum septimi mensis Tisri, primi mensis civilis. Celebrabatur autem aliter a Mose ad captivitatem Babylonicam, aliter ab hoc ad Christum: aliter hodie. Sub primo templo ritus observabantur per Sacrificia & jejunia, fiebantque preces ordinariæ & cantica. Sub secundo convocabant quoque ad Synagogas & legebant Parasch. Levit. 16. a morte Aaronis, fiebantque certæ preces in Synagogis. Hodie celebrant sine sacrificiis, convolant ad Synagogas, cantica & hymnos canunt, superstitiose jejunant a primo die usque ad 10. præ se ferunt resipiscentiam, tum nulla fiunt exercitia nec judicia forensia, quia dicunt judicandos esse a Deo: neminem quoque his diebus excommunicant. Hoc die cum impiis est orandum & omnes offensæ redimendæ. Sumunt Gallum Gallinaceum eumque ter circumagunt circa caput & tandem mactant. Gallus debet rubri esse coloris, si desit Gallus, sumitur anser aut pullus turturis; habent accensa lumina quod probare conantur Esa. 44. 44. Rationes Rabbinorum cur hic dies expiationum in mensem septimum Tisri inciderit, *Johann. Meyer in diatrib. de fest. pag. m.* 323. adducit. & *pag.* 328. ex R. *Elia ben Mosch.* qui autor celeber. est evolvendus. Audiamus etiam ra-

rationem Angli doctissimi *Henric. Ainsworth. fol.*95. *in Levit.* 16. *The service being done on this day every yeare shewed the inabilitie both of Priesthood and of these sacrifices to make atonement insteed for the people as it is written*, *Hebr.* 10. 1. 5.

3 *Dies jejunii* .) Traditionales sentiunt , Mosen intra quadraginta dierum spatium tribus vicibus in monte jejunasse, nempe prima vice . *Exod.* 24. 18. *Deut.* 9. 9. 10. Secunda *Exod.* 32. 30. 31. tertia *Exod.* 34. 28. *Deut.* 10. 10. Si tempus illud computetur a die, quo lex data septimo mensis Sivan, deprehendemus, postremum Mosis jejunium, quando filiis Israelis remissionem peccatorum impetravit, & legis tabulas renovavit, desiisse in diem decimum mensis Tisri, quo cum reconciliationis nuncio descendit. In hujus rei memoriam sane hic dies decimus præcipue constitutus esse videtur יום הכפורים dies Expiationum. Inanis ratio Eliæ est ob hyemem instantem hunc diem esse institutum. Cur ergo non quinto, undecimo aliove die, sed præcise decimo?

4 *Animas affligere* .) Afflictio duplici modo peragitur, *interne*, quando quis ob peccata dolorem sanctum sentit. 2. *Cor.* 7. 10. Externo, quando quis jejunium instituit, & ab omnibus carnalibus voluptatibus abstinet. Canones Hebræorum referunt, quod Judæi teneantur abstinere a quinque rebus hoc die, 1. *a cibo & potu*, 2. *lotione*, 3. *unctione*, 4. *induitione calceorum & cultu pulchro* & 5. *carnali copulatione*. *Maimond.* in *tract. de quiete decimi diei*. Quæ omnia ex sacra Scriptura probantur *Psalm.* 35. 13. *Daniel.* 10. 3. 12. *Exod.* 33. 4. 6. 2. *Sam.* 15. 30. *Psalm.* 35. 13. 2. *Sam.* 12. 20. 21. 2. *Sam.* 11. 11. Verum requisitum præcipuum fuit Jejunium, quamobrem hic dies vocabatur dies jejunii; & tempus hujus juxta legem erat, a vespera ad vesperam. *Levit.* 23. Hinc Hebræi colligunt, quod jejunare inceperint & affligere semetipsos a vespera noni diei usque ad vesperam diei decimi & aliquantulum ultra. Excipiebantur autem a jejunio ægroti & infantes infra novem annos. *Maimonid tract. de quiet. diei decim. cap.* 1. *sect.* 6. & *cap.* 2. *sect.* 8. 10. Præterea sub nomine afflictionis Deus requirebat abolitionem peccatorum & emendationem vitæ. Jejunium enim erat stimulus ad resipiscentiam teste *Maimonid.* in *Moreh Nevoch. part.* 3. *cap.* 43. quam causam esse illius diei jejunii dicit, quod excitet studium resipiscentiæ, & quod Moses illo die cum tabulis secundis de monte descendens populo peccati magni remissionem annuntiaverit. Hinc in æternum in diem merum resipiscentiæ & cultus divini esse electum.

CAPUT DECIMUMTERTIUM.

De festis Collectarum & Tabernaculorum.

ULtima fuit [1] celebritas [2] Tabernaculorum, quæ per [3] octo dies peracta est. Ex quibus primus, [4] qui Septembris quintus decimus fuit, & octavus, qui fuit vicesimus secundus, [5] Collecta fructuum dictus est, ut distingueretur ab illa altera collecta frugum, de qua diximus. De eo vero sic XXIII. Levitici: *A quinto decimo mensis septimi erunt feriæ Tabernaculorum septem diebus Domino. Dies primus vocabitur celeberrimus atque sanctissimus, & offeretis holocaustum Domino. Est enim cœtus, atque* Collectæ. *Nullum opus servile facietis in eo. A quinto decimo ergo die mensis septimi, quando congregaveritis omnes fructus terræ vestræ,* [6] *celebrabitis ferias Domini septem diebus. Die primo & die octavo erit sabbatum, id est requies, sumetisque vobis die primo fructus arboris pulcherrimæ, celebrabitisque solennitatem ejus septem diebus per annum. Mense septimo festa celebrabitis, & habitabitis in umbraculis septem diebus. Omnis qui de genere est Israel, manebit in tabernaculis, ut discant posteri vestri, quod in tabernaculis habitare fecerim filios Israel, cum educerem eos de terra Ægypti*. Eadem repetuntur Num. XXIX. [7] adjectis sacrificiis, quæ singulis festis facienda sunt: *Die prima offeretis holocaustum in odorem suavissimum Domino, vitulum de armento unum, arietem unum & agnos anniculos immaculatos septem. Quinta decima vero die offeretis holocaustum vitulos de armento tredecim. In die altero offeretis vitulos de armento duodecim, arietes duos, agnos immaculatos quatuordecim. Die tertio vitulos undecim, arietes duos, agnos immaculatos quatuordecim. Die quarto vitulos decem, arietes duos & agnos quatuordecim. Die quinto vitulos novem, arietes duos, agnos quatuordecim. Die sexto vitulos octo, arietes duos, agnos quatuordecim. Die septimo vitulos septem, arietes duos, agnos quatuordecim. Die octavo, qui est celeberrimus, vitulum unum, arietem unum, agnos anniculos immaculatos septem. Hæc offeretis Domino in solennitatibus vestris præter vota & oblationes spontaneas in holocausto, in sacrificio, in libamine, & in hostiis pacificis*; & Deuteronomii XVI. *Solennitatem Tabernaculorum celebrabis per septem dies, quando collegeris de area & torculari fruges tuas, & epulaveris in festivitate tua*.

Tabernacula ergo, monumentum illius temporis, quo populus [8] in deserto sub tabernaculis fuit, in Collectas fructuum inciderunt in autumno, [9] in exitu anni veteris sive naturalis, ut significatur XXIII. Exodi: *Facies & solennitatem in exitu anni, quando congregaveris omnes fruges tuas de agro*; & XXXV. *Facies & solennitatem, quando redeunte anni tempore cuncta conduntur*. Significat enim æquinoctium autumnale, naturalis anni præteriti finem, & principium sequentis in mense Septembri. De his vero [10] magna lætitia celebratis agitur Nehemiæ octavo post restitutam urbem: *Invenerunt scriptum in lege, præcepisse Dominum in manu Moysi, ut habitent filii Israel in tabernaculis, in die solenni, mense septimo, ut prædicent & divulgent vocem in uni-* ver-

versis urbibus suis, & in Hierusalem, dicentes: Egredimini in montem, & afferte frondes olivæ, & frondes ligni pulcherrimi, frondes myrti, & ramos palmarum, & frondes ligni nemorosi, ut fiant tabernacula, sicut scriptum est. Et egressus est populus, & attulerunt, feceruntque sibi tabernacula, unusquisque in domo sua, in atriis suis, & in atriis domus Dei, & in platea portæ aquarum, & in platea portæ Ephraim. Fecit ergo universa Ecclesia eorum qui redierant de captivitate, tabernacula, & habitaverunt in tabernaculis. Non enim fecerunt a diebus Josuæ filii Nun taliter filii Israel, usque ad diem illam: & fuit lætitia magna nimis. Legit autem in libro legis Dei a die primo usque ad diem novissimum, & fecerunt solennitatem septem diebus, & in [12] *die octavo* Collectam *juxta ritum*. De eorundem etiam ritu scribit diserte Josephus libro tertio Antiquitatum, cujus verba prætereunda silentio non videntur: *Quinta decima die ejusdem tempore ad hyemem vergente Deus tabernacula figere jussit singulos per familias, metuentes frigus pro anni custodia dumque in patriam pervenirent, in illa urbe, quam propter templum metropolim haberent, eos octo diebus festivitatem agere, & holocausta facere, & sacrificare Deo, & pacificas hostias offerre præcepit: utque in manibus portarent ramos myrti, & salicis, summitatesque palmarum, & virgulas mali Persici. Prima itaque dierum fit holocaustum hostiarum ex tredecim bobus, & agno uno, aut pluribus, & arietibus duobus, adjecto hirco pro declinatione peccatorum. Sex autem diebus ipse quidem numerus agnorum & arietum cum hirco sacrificatur, subtrahitur autem singulis diebus unus bos, donec ad septimum veniatur & ab omni opere die octava requiescunt, & Deo vitulum immolant, & arietem, & agnos septem, & hircum pro declinatione peccatorum*. Hoc vero festum dicitur [13] Græce Scenopegia ad quod celebrandum in Hierusalem legitur in Evangelio etiam venisse Christus.

Cæterum festi omnes, de quibus dictum est, dies præcipue ad tres rediguntur, Pascha, Pentecosten, & Tabernacula. Atque hi sunt, quibus quotannis virilis sexus omnes ter convenire ex omnibus Judææ finibus debuerunt in urbem Hierusalem, ut sacris interessent, sic enim mandavit Deus Exodi XXIII. *Tribus vicibus per singulos annos mihi festa celebrabitis, solennitatem Azymorum custodies, septem diebus comedes Azyma tempore mensis Novorum, & solennitatem messis primitivorum operis tui, quæcunque seminaveris in agro, & solennitatem in exitu anni, quando congregaveris omnes fruges tuas de agro. Ter in anno apparebit omne masculinum tuum in conspectu Domini Dei tui, in loco quem elegerit*. Nempe, ut diximus, *solennitate Azymorum, in solennitate Tabernaculorum*. Siquidem secundo Paralip. octavo scriptum est: *Tunc obtulit Salomon holocausta Domino super altare Domini quod exstruxerat ante porticum, ut per singulos dies offerretur in eo juxta præceptum Moysis in sabbatis, & Calendis, & in diebus festis, ter per annum, id est in solennitate Azymorum, & in solennitate Hebdomadarum, & in solennitate Tabernaculorum*.

Cum autem tria Sabbatha sive festa fuerint, ad quæ quotannis adire viros singulos oportuerit, Pascha, Pentecoste, & Tabernacula, merito quæri potest, quodnam ex his fuerit illud, quod S. Lucas VI. vocat [13] Sabbathum secundo primum, inquiens: *Factum est autem in Sabbato secundo primo, cum Jesus transiret per sata, vellebant discipuli ejus spicas*. Neque enim Pascha fuit; quia XIV. die Martii nondum erant maturæ spicæ; neque Pentecoste, quia sexta Maji messis jam absoluta erat, & si alterum eorum esset, tamen ratio non exstaret, cur secundoprimum diceretur. Omnino autem consentientibus omnibus, inter Pascha & Pentecosten illud inciderit, necesse est, cum eo tantum tempore messis vigeret. Hoc loco multa interpretes ex ingenio confinxerunt, quorum nihil probabilius atque aptius ab eruditis hominibus judicatur, quam quod a S. Joanne Chrysostomo affertur, fuisse sabbathum, seu septimum diem, qui in Neomeniam Aprilis inciderit, ita ut duplex tum festum fuerit, septimus dies, & Neomenia. Verum & hæc expositio reprobari potest; primum, quia sola conjectura fulcitur; deinde, quia rationem non affert, cur tale sabbathum secundo primum dicatur; tertio, quia Neomenia sacer quidem erat dies, non tamen festus, cum opus exercetur. Quare talis dies duplex sabbathum esse non potuit. Quid igitur censes? dicet aliquis, bona cum venia omnium qui secus scripserunt, exponam non refellendæ alienæ sed meæ, ut in præsens est, sententiæ declarandæ gratia. Hebræi non semper celebrabant Pascha primo mense, sed interdum secundo, ut apparet ex II. Paralip. XXX. *Inito consilio regis & Principum, & universi cœtus Hierusalem, decreverunt, ut facerent Phase mense secundo. Non enim potuerunt facere in tempore suo, quia sacerdotes qui possent sufficere, sanctificati non fuerant, & populus nondum congregatus fuerat in Hierusalem*. Cum autem secundo mense faciebant, fortasse secundo primum vocabant, significantes pascha secundo mense celebratum, quod primo oportuit, quo modo Græci ὕστερον πρότερον, id est posterius prius, appellabant, cum posteriore loco di-

dicebant, quod priore dicere debuerant. Venit ergo Christus primo mense ad Pascha sub messem; quo non celebrato, venit iterum secundo jam media messe. Unde dixit S. Marcus 11. loquens de eadem re: *Et factum est iterum, cum Sabbathis ambularet per sata.* Græce autem apertius: *Et factum est, illum iterum iter facere per sata.* Ex quo convincitur, omnino illud *iterum* referendum esse ad Christum bis per sata euntem, non autem ad Pharisæos bis eum calumniis onerantes; ut Jansenius censuit. Si autem bis per sata iter fecit, ergo iterum Hierusalem ad Sabbathum adiit, quod secundo mense celebratum est, cum fortasse primo non potuisset.

NOTÆ AD CAPUT DECIMUMTERTIUM.

[1] *Celebritas Tabernaculorum.*) Vocatur festum hoc *Hassuchchoth* tabernaculorum, non operculis aut similibus confectorum, sed arboribus & frondibus. Tabernacula olim, refert *Clariss. Buxtorff. Synagog. Judaica. c. 16. p. m.* 321. fiebant e ramis pulchrarum virentium arborum, quales sunt arbores omnes oleosæ, oleæ, myrti, arbores coniferæ & aliæ hujus generis, quæ propter pinguedinis & olei copiam diu virent. Græce vocatur *σκηνοπηγία*, quod non derivatur *ἀπὸ τῆς σκιᾶς* umbra & *φάγειν* edere, ut *Aquin.* & *Lyra* putant, i. e. *comestio in umbraculis*: vel ut *Tostatus* a *κοινὸς* communis ut significet esum communem, sed a *σκηνῇ* Tabernaculum, & *πήγνυμι* erigo, conficio; quia hoc festo Tabernacula conficio; quia hoc festo Tabernacula conficiebantur e frondibus & arboribus. Gestabant Judæi hoc festo thyrsos in memoriam servitutis Ægyptiacæ, ejusque liberationis. His obiter notandum, quod, quando in adventu Domini nostri Jesu Christi dicitur, populum vestes & ramos in ipsa semita pedibus asini subjecisse, Tabernacula ex ramis & vestibus confecta ad morem festi Scenopegiæ intelligantur, ut refert *Joan. Lightfoot. hor. Talmud. pag. m.* 409. *ex Maimonid. Succah. c.* 7. Probabile autem est Judæos umbracula in hoc festo compegisse, & ramos gestasse. A ramis enim compingendis *σκηνοπηγίαν* nomen traxisse certum est. A Judæis hoc festum Tabernaculorum ad Gentiles translatum est. Docet enim *Casaubon. ad lib. 5. Athen. cap. 6. & lib. 4. cap. 9.* sua Gentilibus, præsertim Alexandrinis, Scenopegiæ festa fuisse, quæ populus Tabernaculis extra domos celebrare solebat. Et *Plutarchus in Æmilio & Mario* tradit: post partam victoriam, castrorum tabernacula, lauro, hedera, fronde, cespite, lætitiæ causa ornari solita. Erant autem thyrsi, quos Judæi hoc festo in manibus habebant, & Gentiles in Orgiis Bacchi quatiebant, hastæ aculeatæ hederis obtectæ, vel conti arborum comis & floreis sertis induti, ut docet *Macrob. lib. 1. cap. 18. & Cerda ad Virgil. Eclog.*

Instituit Daphnis thyrsos inducere Baccho
Et foliis lentas intexere mollibus hastas.

conf. Tibull. lib. 2. Juvenal. Satyr. 12. Sat. 6. Dempster. ad cap. 29. lib. 10. Rosin. Ludov. de la Cerda ad lib. 8. Æneid. v. 782. Gentilium Scenopegiæ festum, cum Hebræorum similitudinem habuisse Plutarchus docet.

[2] *Tabernaculorum.*) Integer Codex apud Talmudicos reperitur, qui de hoc festo agit, diciturque *Succoth*. Cum enim primum desererent Ægyptum, profecti sunt filii Israelis Rhameseso urbe Ægypti *Gen.* 47. 11. Succothas. *Exod.* 12. 37. urbem vel pagum Ægypto vicinum a Tabernaculis ita appellatum, quorum istis materia fuit copiosa, quæ levissimo opere ex arborum frondibus structa & æque facile destruenda, viatoribus usitata. Hæc proculdubio vera origo hujus festi Tabernaculorum. Doctissimus Anglus *Johan. Lightfoot* in *Harmon. Evangel. ad Luc.* 3. 21. aliam huic adjungit rationem his verbis: Hancque istius solennitatis originem fuisse occasionem docet, quod Deus inter populum suum habitare in Tabernaculo haud gravaretur, idque sexto exacto mense, postquam eum ex Ægypto eduxerat. Potest utique hæc quoque cogitari ratio, sed non est prima, ab ipso Deo expressa.

[3] *Octo dies.*) Per octiduum celebrasse hoc festum Judæos constat, ita tamen ut horum dierum primus & octavus fuerint sanctissimi, quibus ab omni opere abstinendum, Deoque peculiaria sacrificia offerenda erant. Hinc ultimus dies appellabatur *Festum cohibitionis*, quia populus ab omni opere cessabat sacris vacans. Vocabatur etiam שבת הגדול Sabbathum magnum. *And. Willet. fol. m.* 584. in Levit. ponit vocab. עצרת quod retentionem significat a radice עצר occlusit, quo utitur Gen. 20. 18. & sic dies hic erat retentionis ab operibus, quo scil. populus ab omni labore cohibitus solenni cœtu conveniebat. Huic consentit *Paul. Fagius ad paraphras. chald. Levit.* 24. quo sensu *Vatablus* reddidit per *concionem*. *Pagni*. per convocationem. Septuaginta *ἐξόδιον exitum*, *Festi complementum*, *seu ut Lorinus conclusionem*. Vocabatur etiam dies lætitiæ, quia hoc die ultimam legis sectionem legebant; vid. *antiquitat. Dieter. bibl. fol. m.* 185. *Balduin. Wall. ex Lud. de Dieu pag.* 883. *Thum. de fest. Judæor. pag.* 39. *Joan. Lightfoot hor. Talm. pag. m.* 1033. Hoc die maxima lætitia effusi erant ob collectionem frugum. Inde Gentiles occasionem sumserunt, ut festa *Θαλύσια* vocarent sua, quibus primitias frugum dicabant diis. *Cæli. Rhodigin. lib. 12. cap.* 19. Sic Athenienses Festa *σκίῤῥα* obumbracula tabernaculorum, Minervæ dedicata celebrabant *Strab. lib.* 9.

[4] *Qui Septembris quintus decimus.*) Ante omnia quæritur inter Judæos, cur iste dies institutus sit illo mense *Nisan* & statim habuerint Tabernacula? Sunt qui respondent ut *Maimonid. in Moreh Nevoch, lib. 3. c.* 43. cit. a celeb. *Meyer. pag.* 340. ideo factum, quia tempestas tum erat jucunda; quod tamen falsum est, nam Deus non tantum respexit ad commoditatem Judæorum quam res. *Aben-Ezra*: quia mense Martio majori calore premerentur, ne quis igitur peregrinus putaret eos in Tabernaculis habitare ad commoditatem majorem, hinc festum illud 15. Tisri a Deo institutum esse æxistimatur. Quæritur, quare tam cito post festum expiationis institutum? R. ut ostendatur remissa esse peccata, ideoque Deo gratias esse agendas magno gaudio & lætitia vid. de his cl. *Joh. Meyer. diatrib. de festis* 341. 342. *seq.*

[5] *Collecta fructuum.*) *Abarbanel* in *Leg. fol.* 266. 2. *fol.* 362. 4. 363. 1. quærit, cur, cum festum Septimanarum initium esset collectionis fructuum, & Scenopegiæ festum finis ejus, illud uno die duntaxat sit celebratum, hoc autem septem? & respondet Deum præcipere v. 39. Quinto die decimo hujus mensis septimi cum collegeritis proventum terræ (i. e. postquam terræ proventus a vobis est jam collectus) celebrate festum Domino septem diebus. Sed in hoc festo Septimanarum nondum collectos fuisse fructus agri, ideoque unicum tantum diem feriationi destinatum. Hæc quoque ratio videtur, quod septem diebus juberentur festum Deo celebrare in loco, quem Dominus elegerit ne primo die celebrato arbitrarentur, sibi licere domum reverti, sicuti aliis festis licebat; sed Hierosolymis maneant procul omni cura & molestia, quia jam fructus collecti erant.

[6] *Celebrabitis.*) Hoc festum a Mose ad Captivitatem Babylon. aliter: aliter a captivitate Babylon. ad Christum: aliter hodie a Judæis celebratur. Primo tempore varia habebant sacrificia, magno gaudio construebant Tabernacula, & circumibant alta-

tare; Postea insuper conferebant se ad Synagogas, preces effundebant, legebantque Haphtaroth Prophetarum & Mosis. Hodie legunt sectionem in Synagogis, sed non hauriunt ut olim aquam e fonte Siloæ.

7 *Adjectis Sacrificiis*.) Per hoc septiduum immolabant vitulos LXX., quod in orbe 70. linguæ populorum crederentur, agnos immolabant XCVIII. quod factum Hebræi putant contra maledictiones legis, quæ totidem in lege exstabant. vid. *Ainsworth. in Num.* 29. *fol.* 181. 182. stante templo præter Sacrificia jugia hoc festo numerabantur 215. *Sacrificia*, quia populus tot annis captivus fuerat in Ægypto. Sacrificia autem quotidie ad unum diminuebantur, primo die offerebantur 13. juvenci secundo 12. tertio 11. & sic deinceps. Porro juvenci fuerunt LXX. quia eo usque pervenit ætas hominis.

8 *In deserto sub tabernaculis*.) Variæ causæ ab autoribus recensentur ob quas hoc festum est institutum. 1. ut sit monumentum anniversarium temporis illius, quo Israelitæ in deserto per annos XL. vagabantur; vid. cl. *Buxtorff. l. all.* 2. ut Judæi admoneantur de miraculosis mediis, quibus Deus conservavit eos, & tradidit illis terram Chanaan. 3. ut sit typus Paradisi, in quo Adam sub arborum frondibus habitavit juxta Euthymiiopinionem. *Hesychius* vero 4. statui hujus vitæ applicat, in qua præsentibus rebus tanquam tabernaculis utimur. 5. juxta *Andr. Vvillet in Levit. c.* 23. *fol. m.* 583. *quæst.* 26. ut Christus, qui inter nos habitavit, per hoc festum intelligatur. 6. ut præsentem felicitatem cum præterita miseria Judæi conferant, nimirum quod exules errarint in deserto, nunc autem magna possideant regna. 7. ut admoneantur divinæ protectionis ipsis per nubem exhibitæ, sub qua, tanquam sub umbra, tuti proficiscebantur, huic ceu optimæ sententiæ adstipulatur *Paraphr. Chald. c.* 24. *Lev. & Paulus Fagius ad id c.*

9 *In exitu anni*.) Hic scrupulus oritur ex locis *Exod.* 23. 16. festum collectionis in exitu anni & *cap.* 34. 22. festum collectionis in revolutione anni. Cum festum Tabernaculorum non videatur celebrari cœpisse in anni revolutione & exitu, sed die 15. novi anni, sive in medio mense *Tisri*, non in fine unius & initio alterius anni. Ideoque convenientius Scriptura dixisset initio anni, non exitu ejus. Verum ad hanc quæstionem respondit celeb. *Joh. Meyer. in diatrib. de festis. pag. m.* 346. quare ejus verba huc adscribere supersedemus.

10 *Magna lætitia*.) Deus in hoc festo singularem lætitiam commendavit, non Ethnicam & carnalem, qualis Ægyptiis in usu, ob quam Hebræi mox post egressum vitulum aureum sibi fabricantes, acriter sunt castigati, sed cultui suo convenientem. Triplex huic festo gaudium erat proprium. Primum erat, quod ex ramis palmarum, myrtorum & salicum fasciculum factum tenerent manu dextra & sinistra ramos & fructus mali citrei, quæ quatuor species sunt expressæ *Levit.* 23. 40. easque gestarent. Erat autem fasciculus ex variis ramis colligatus, uti satis prolixe demonstrarunt *Henry Ainsworth. comment.* in *Levit. cap.* 23. *fol. m.* 145. & cl. M. *Gabriel Groddeck in peculiar. dissert. de cæremonia palmarum edit. Lips.* 1694. ut revocarent in memoriam fructus, quos Deus patribus largitus erat. Abscindebant salices quæ prælongæ erant, ut patet ex Cod. *Succoth c.* 1. *&* 4. & quidem magno gaudio. Singulis diebus atrium ingrediebantur cum לולב usque ad atrium Sacerdotum, ubi circumibant altare & clamabant crebro *obsecro Domine*, Hosianna (serva quæso) Domine, mitte nunc prosperitatem. *Psalm.* 118. 25. Sed septimo die septies circumibant altare quemadmodum tradit Maimonid. *Hilchoth Lulab S. Schophar cap.* 7. §. 23. Legatur etiam prælaudatus *M. Gabriel Groddeck.* ubi plura. Brevibus itaque recensebimus ritum. Hebræi hoc festo ex ramis arborum fasciculos confectos, omni mane per septiduum gestabant, eumque qui hujusmodi fasciculum non gestabat, ab omni cibo prohibebant, his altare circumibant, quæ processio captæ Hierichuntis memoriam ingessit, ut observat *Paul. Fag. ad c.* 23. *Levit.* De cætero scribit Andr. Osiander in notis ad Harmon. Evangel. lib. 3. c. 36. Judæos ultimo die hujus festi peculiarem modum canendi non dissimilem Litaniæ nostræ usurpasse, quæ Hebræorum Litania ex *Psalm.* 118. Oriunda est, ubi sic dicitur אנא ה׳ הושיעה נא *Ana Jehovah Hosianna* quæso Domine salva quæso! Erat autem hæc talis Litania, quæ primo multa Dei nomina vel attributa conglomerabat & singulis Hosianna addebat. v.g. Omnipotens Deus, Hosianna! Misericors Deus, Hosianna. Postea varias res nominabant, quibus addito Hosianna bene precabantur. v. g. Templum electum, Hosianna! montem Moriah, Hosianna. A quo ritu posteriores Judæi hoc festum Hosianna vocabant, quin & ipsos frondium fasciculos ex salice & myrto ex palmis collectos itidem Hosianna dixerunt. Sæpissime etiam fasciculi agitabantur versus omnes plagas cœli. Hinc est nata fabula apud *Plutarchum Sympos. lib.* 4. *problem.* 5. Quod Judæi Bacchum coluerint, quia Gentiles videntes Judæos cum fasciculis putabant esse Thyrsos in honorem Bacchi gestos. de quibus *in Phyllobolia nostra* actum. conf. cl. M. Gabriel *Groddeck. dissert. de cæremon. palmar. pag.* 20. Quia igitur Judæi hoc festo per septiduum sub tentoriis habitarunt, quæ ex palmitibus & hederis erant contexta & mensas variis frugibus plenas proponebant & genialiter vivebant; unde putavit *Plutarchus* Judæos more gentilium hoc festo Bacchi sacris initiatos & hæc Judæorum Bacchanalia fuisse. Sed vera causa hujus festi Tabernaculorum fuit, ut Judæi in memoriam sibi revocarent, quod in tentoriis & Tabernaculis per integros 40. annos habitare fuerint coacti; & ut gratias Deo agerent, cujus beneficio jam non amplius in ejusmodi tentoriis, sed in amplissimis domibus terræ Canaan habitarent. Venerabilis Beda aliquid mystici subesse putat, nimirum cogitandum esse, quod nos omnes in mundo velut in Tabernaculo peregrinemur, nec manentem civitatem habeamus. Altera manu Judæi gerebant *Esrog* malum citri. de qua re videndus M. Gabriel. Groddeck. cit. diss. pag. 21. *Ainsworth. fol.* 145. Singulis diebus post Sacrificium matutinum sumebant Sacerdotes vas aureum & implebant aqua Siloæ. His calculum addit celeber. *Joh. Meyer. in diatrib. de fest. pag. m.* 351. His verbis. Septem diebus festi post juge Sacrificium matutinum, Sacerdos quidam cum aureo cantharo ibat ad piscinam Siloah eumque aqua implebat. Solebat etiam vino misceri, ut aspergeretur ad altare: Tunc clamabat populus *Tolle manus*: & clamante populo cantabatur Hallel Rabba. Vespera quoque hauriebant aquam e fonte Siloæ cum magno gaudio. *Bereschit Rabba fol.* 70. & hoc erat secundum gaudium. Per portam aquæ in atrium reversus tubarum cantu jubilique voce exceptus ad altare ducebatur, cui membra victimæ erant imposita, quod conscendens aquam vino quotidiani Sacrificii mixtam sensim in illud effundebat. vid. Talmud *Babyl. Succa. c.* 40. & *Maimonid. Tamid. part.* 3. *c.* 10. Hac libatione occupato Sacerdote, canebatur & instrumenta Musica audiebantur. Post Sacrificium vespertinum tempus reliquum gaudio consumebant. Quin tantum gaudium hisce diebus gaudebant propter effusionem aquæ, ut Hebræis in proverbium abierit: Qui nunquam vidit gaudium domus haustionis, non vidit unquam gaudium omnibus diebus suis. Hanc effusionem aquæ factam esse asserunt, ut obtineant pluviam sequenti anno. Tertium gaudium erat *saltatio*, ubi etiam viri Synedrii & honoratiores saltabant publice, de qua cit. *Meyer. pag. m.* 352.

11 *Die octavo*.] Sequitur dies octavus עצרת *Azereth* dictus *Levit.* 23. 36. Vox itaque Hebræa *Indictum*, *coercitionem*, *detentionem*, *convocationem*, *conventum*, *imperium* sonat. Anglus *Henry Ainsworth. comment. in h. l. fol.* 144. עצרת *hath the signification of restraining or retraining, because this day the people were restrained from worke, and retained together in a publike assemble*. Chaldæus utitur voce כנישון, quæ notat cœtum congregatum vel congregationem. LXX. vertunt ἐξόδιον exitum scil. festi. Raschi & Rambam dicunt, perinde esse, ac siquis septem dies cum amico fuisset convivatus, & octavo die adhuc majoris amicitiæ ergo detineretur. Quod illi habent ex *Siphre*. Idem *Raschi* ad Num. 29. 25. & Autor Michlal Jophi volunt, עצרת dici, quod eo die interdictum sit opus servile; vel quod eo die, finito festo Tabernaculorum clausum sit jugum festorum. Hinc R. *Aben-Ezra* festum Tabernaculorum vocat βάσιν omnium festorum; Hildebrand. in Col-

Colleg. Mſo. Alii *collectionem* & *collectam* ſignificare volunt, quod eo die populus retineretur propter collectam pecuniæ pro oblationibus, de quibus Num. 29. vel ob collectionem frugum, quod XXII. Tiſri primitiæ fructuum ſerotinorum adductæ, & Deo pro iis gratiæ actæ. Diſtinctionem *Atzereth* diei ſeptimi Paſchatis & octavi Tabernaculorum vide apud celeb. *Joh. Meyer in diatrib. de feſtis pag. m.* 355. conf. *Quenſted. antiq. Bibl. pag.* 847.

[12] *Græce Scenopegia.*) σκηνοπηγία vocatur. 2. *Maccab.* 1. 2. & alibi, quia Judæi ſolebant σκηνὰς ſeu καλύβας, Tabernacula h. e. tumultuaria quædam οἰκίδια ſeu tuguriola ex frondibus & viridibus ramis arborum omnis generis, præ primis olivæ, myrti, citri, palmarum, cedrorum &c. (ut annotat Joſeph. lib. 3. antiq. Jud. cap. 10.) ad breve tempus πηγνύναι, compingere ſive exſtruere, inque illis per ſeptiduum habitare. Rationes Scenopegiæ myſticas adductas vide apud prælaud. *Meyer. pag.* 357. Cui addimus *Henricum Ainſworthium fol.* 144. Quod ſcil. hoc feſtum in figuram Chriſti & adventus ejus fuerit.

[13] *Sabbathum ſecundo primum.*) Græcis δευτερόπρωτον, de cujus varia ſignificatione videri poſſunt *Iſid. Peluſiot. epiſt. lib. 3. cap.* 110. *Chryſoſtom. homil. XL. in Matth. Theophylact. in hunc locum Arett. Beza, Bertram. Flacius, Ludor animadverſ. in h. l. Hug. Grot. Cloppenburg. Ludov. Capell. Wallæus, aliique.* Quorum ſententias accurate examinavit *vir de rebus Philologicis bene meritus Joannes Crauſius diſput. elegant. de Sabbatho deuteroproto*, ubi inquit. Præ omnibus hactenus recenſitis ſententiis, applauſum cumprimis mereri videtur ea explicatio, quam ingenioſe primus excogitavit Vir illuſtris *Joſ. Scaliger lib. 6. de emendat. temp. & l. 3. Can. Chronol. Iſag. part. pr. p. 6. Joh. Druſ. ad h. l. Caſaubon. Exerc. antibar.* 14. *Matth. Martin. in Etymol. Piſcator comm. in h. l. Calixtus Eraſm. Schmid. annot. in h. l. Hackſpan.* ſuam poſtea etiam fecerunt; ſcil. Sabbathum δευτεροπρώτον, eſſe diem Sabbathi hebdomadalis, & ἀπὸ τῆς δευτέρας πρῶτον, ſive primum a ſecundo die Sabbathi. Proinde non dubitandum eſt, quin Sabbathum primum poſt Omer vel manipulum poſtridie Paſchatis oblatum, denotet, quo tempore ſpicas in agro fuiſſe idoneas, quæ manibus fricarentur certum eſt.

Sabbathum ſecundo-primum.) Videatur de his etiam Gerhard. in diſſert. de feſt. cap. 2. diſſert. 2. Ubi ex profeſſo de hac intricata materia egit.

CAPUT DECIMUMQUARTUM.

De ſeptimo anno.

PErtinuit ad hanc etiam obſervationem Annus ſeptimus, qui [1] Sabbatharius dictus eſt: quia eo [2] remiſſio terræ a cultura concedebatur. De eo vero ſic [3] præceptum eſt Exodi XXIII. *Sex annis ſeminabis terram tuam, & congregabis fruges ejus. Anno autem ſeptimo dimittes eam, & requieſcere facies,* [4] *ut comedant pauperes populi tui, & quidquid reliquum fuerit, edant beſtiæ agri: ita facies in vinea, & oliveto tuo*; & Levitici XXV. *Quando ingreſſi fueritis terram, quam ego dabo vobis, ſabbatizet populus Sabbathum Domini. Sex annis ſeres agrum tuum, & ſex annis putabis vineam tuam, colligeſque fructus ejus. Septimo autem anno Sabbathum erit terræ requietionis Domini, agrum non ſeres, & vineam non putabis,* [5] *quæ ſponte gignet humus, non metes: & uvas primitiarum tuarum non colliges, quaſi vindemiam.* [6] *Annus enim requietionis terræ eſt, ſed erunt vobis in cibum.* Et paucis interjectis: *Quod ſi dixeritis;* [7] *Quid comederimus anno ſeptimo, ſi non ſeverimus, neque collegerimus fruges noſtras? dabo benedictionem meam vobis anno ſexto, & faciet fructus trium annorum, ſeretiſque anno octavo, & comedetis veteres fruges uſque ad nonum annum: donec naſcantur nova, edetis vetera.*

Quomodo vero [8] remiſſio ſeptimo quoque anno eſſet facienda, deinceps docetur XV. Deuteronomii his verbis: *Septimo anno facies remiſſionem, quæ hoc ordine celebrabitur. Cui debetur aliquid ab amico, vel proximo, ac fratre ſuo,* [9] *repetere non poterit. A peregrino & advena exiges, civem & propinquum repetendi non habebis poteſtatem, & omnino indigens & mendicus non erit inter vos. Fœnerabis gentibus multis, & ipſe a nullo accipies mutuum. Cave, ne forte ſubrepat tibi impia cogitatio, & dicas in corde tuo, Appropinquat ſeptimus annus remiſſionis, & avertas oculos tuos a paupere tuo, nolens ei quod poſtulat mutuum commodare. Cum tibi* [10] *venditus fuerit frater tuus Hebræus, aut Hebræa, & ſex annis ſervierit tibi, in ſeptimo anno dimittes eum liberum: & quem libertate donaveris, nequaquam vacuum abire patieris, ſed dabis viaticum de gregibus & de area, & torculari tuo.*

NOTÆ AD CAPUT DECIMUMQUARTUM.

[1] *Sabbatharius dictus.*) Quo terræ Sabbathum. Constat autem singulos annos septimos sabbatha terræ fuisse, haud aliter, quam singuli dies septimi hebdomadæ Sabbatha erant. Erant igitur Judæorum Sabbatha in triplici differentia, alia dierum, alia hebdomadarum, alia annorum. Cur autem institutus sit annus sabbathicus septimus inter eruditos non convenit. Nonnulli putant ideo hoc factum esse, ut agrorum prædiorumque distinctione observata, observaretur quoque tribuum & familiarum distinctio, quo clare cognosci posset illa tribus & familia, ex qua fututum semen benedictum Abrahæ. Alii vero aliter, scilicet ut terræ quiete & cessatione, agrorumque restitutione, avaritia avarissimi populi compesceretur, vel ut quolibet anno septimo, reddita servis libertate, in populi memoriam revocarentur vetera & recentia Dei beneficia. *Andreas Vuillet. comment. in Levit. cap.* 25. *fol. m.* 615. *q.* 3. adduxit causas ab his diversas, & quidem 1. naturalem, quia quævis terra quietem exoptaret, & vix ultra tres vel quatuor annos continua serie fruges proferre posset. Canaan vero, ut terra miræ fœcunditatis, anno tantum septimo quiescere jubebatur 2. moralem, ut cura haberetur pauperum, & divites non solliciti essent de messe, qua cura alias semper angerentur. Hoc enim anno septimo pauper tribus gaudebat privilegiis, primo, cibo communi, deinde Remissione debiti, denique libertate servitutis. 3. Ecclesiasticam. Ut fulgeret ubique Sabbathi sanctitas. 4. Spiritualem: Ut verum remissionis tempus, adventum nempe Christi venerarentur. 5. Mysticam, ut Sabbathum ultimum in cœlis significaret. Sex enim dies (anni) inquit *Hesychius*, mundum præsentem, dum hac in vita sumus, notant. Sed hæ causæ æque in alium annum cadunt ac in septimum. Quare potissima ratio, quod annus septimus sit sabbathicus hæc esse videtur, quod die septimo ab opere creationis Deus requievit. Quæstio hic moveri potest, quando inceperint anni sabbathici, an a mense Nisan, an vero Tisri, vere vel autumno? Et certe perquisitis multorum sententiis, mirabilem invenio consensum in annis istis autumno inchoandis. Hanc communem sententiam confirmant *Cajetan. in c.* 25. *Levit. Burgens. in c.* 12. *Exod. annot.* 1. *Pererius in Genesin opere tertii diei. n.* 121. *Cornel. a Lapid. in cap.* 25. *Levit. Serar. in cap.* 13. *Jos.* 14. *dub.* 2. *&* 34. *& alii.* Probatur autem illa exinde, quod si annus Sabbathicus in mense Nisan cepisset initium, cum in eo anno nec serere licet, nec metere, sexti anni messis, quæ non nisi extremo Nisan fiebat, aut potius mense tertio, qui est Sivan, circa Pentecosten, Judæis nunquam non periisset. Deinde cum nihil anno sabbathico sereretur, nihil etiam octavo anno meti potuisset. Hanc rationem, a *Pererio*, *Serario*, *& Cornelio* probatur, non recte refutat Torniell. m. 2584. *fol.* 373. *n.* 5. *anal. sacr.* supponit enim messem anni sexti colligi potuisse, quod falsum est, si annus Sabbathicus, aut Jubilæus, a mense Nisan ducit initium.

[2] *Remissio terræ a cultura.*) Est annus Sabbathicus septimus quisque annus, quo post sex γεωργίας annos, agri & vineæ inculti relinquebantur. Levit. 25. 3. Præceptum affirmativum est ad quiescendum ab opere terræ (agricultura) & arborum anno septimo; secundum id quod dicitur Levit. cit. loc. & quiescet terra Sabbatho Jehovæ. Sic enim de aratione & messe dicitur תשבות quiescet, hinc, quicunque facit opus ex opere terræ aut arborum isto anno, irritum facit præceptum affirmativum & peccat contra negativum. Omnem igitur culturam agrorum annus Septimus prohibebat. Canones Hebræorum ita explicant, quod nec arare nec stercorare nec lapides colligere, nec fodere, nec arbores colere quovis modo, nec fumum excitare ad necandos vermes liceat. vid. *Maimonid. tract. de Jubil. cap.* 1. *Henric. Ainsworth. in comment. ad Levit.* 25. *m.* 154. ex Rabbinorum sententiis rem pluribus enucleavit, simulque mystica demonstravit, cujus verba, quia nimis prolixa, huc adscribere nolumus. Summa autem eorum sunt, quod Deus plane omnem laborem agriculturæ & hortorum prohibuerit. confer. *Joh. Meyer. de Fest. pag.* 370. 380. Hic tamen Rabbini posteriores excipiunt & dicunt, quod postea cum Reges extranei, Israelitis præter alia onera etiam imposuerint, exercitus suos nutrire, licitum fuisse anno septimo seminare, quantum ad hoc requirebatur. vid. *Hough. pag.* 22. Extra ejusmodi casus, si quis per errorem, aut per industriam aliquid plantasset, eradicare illud debebat. Maimonid. in *Hilcoth. Schemith. vejobel. cap.* 1. §. 12. Quia Israelitæ suspecti sunt de septimo (fructibus septimi anni.) Fructus autem anni septimi ad esum (sub aliqua conditione secundum Rabbinos) ad potum & unctionem & accensionem candelarum sunt dati sic & tingendum. vid. *Hough. pag.* 23.

[3] *Præceptum est Exod.* 23. Modus quo quies terræ se habuerit ita describi potest. Primo agrorum consitura prohibita fuit. Etsi enim *Augustin.* dicit seminatum fuisse anno septimo, sicut sex prioribus annis, non vero collectam messem sicut illis, sed relictam pauperibus, nihil alioqui habituris quod comederent. *Levit.* tamen *cap.* 25. 4. 5. perspicue legitur *Agrum ne feras*, & *quod ex deciduo messis sua sponte nascitur, ne metas.* Rabbini varia de hoc anno sentiunt, adducam quædam *ex R. Mos. Maimon.* dicente: Præceptum affirmativum est, feriandum esse a cultura terræ anno septimo juxta *Levit.* 25. 2. Ita ut quicunque anno septimo quid agit, irritum faciat, & transgrediatur præceptum negativum, quod habetur *Levit.* 25. 4. Cultura terræ anno sexto a 30. die prope septimum prohibita, secundum traditionem Mosis e monte Sinai, quia præparatio est ad septimum. Idque accepimus vetitum esse, quando stabat templum. Statuerunt enim Sapientes, non arandum esse agrum arboribus consitum vespere anni septimi, tempore templi, nisi usque ad Pentecosten, agrum vero sativum usque ad Pascha: quando vero non erat templum, permiserunt terram coli usque ad initium anni juxta judicium legis. conf. *Voisin. lib.* 2. *cap.* 3. *pag. m.* 319. *seqq. de Jubi.* Illi, qui contra agebant, verberibus notati sunt. Non vapulat, (inquit *Maimonid.*) quisquam ex præscripto legis, nisi ob sationem vel putationem. Putatio vero sub satione comprehenditur. At cur scriptura seorsim istarum meminit? ut nimirum significet, aliquem secundum has duas species tantum reum fieri flagellationis *Malkut.* Secundum alias vero culturæ species non sustineret flagellationem *Malkut* id est cum certa mensura, sed plagas *Mardut* sive contumaciæ id est sine numero. De fructibus sponte natis autem hæ sunt leges. Quicquid producit terra anno septimo sive ex semine, quod in ipsam deciderit ante annum septimum, sive ex radicibus, quæ ante demessæ fuerunt, postea vero iterum pullularunt, fructumque ediderunt, quæ duo sponte nascentia dicuntur, sive ex herbis sive oleribus, quæ per se oriuntur absque semine, id omne comedere licet secundum legem *Levit* 25. Etiam in agro exculto anno septimo fructuum, qui enati fuerunt, esus licitus est, juxta *Levit.* 25. 5. scilicet non metes eo modo, quo aliis annis. Qui vero instar messoris messuerit, vapulat plagis *Malkut.* At ex præscripto Scribarum omnium sponte nascentium esus interdictus est ideo, ne quis clam & agrum consereret semine, & cum id maturuisset, diceret sponte natum est. Hinc discimus, non comedi fructus omnes indistincte anni septimi, sed modo arborum & herbarum illarum, quæ non sunt satæ, qualis est ruta. Qui secus facit, vapulat plagis *Mardut.* De personis etiam tria constituuntur anno septimo observanda, libertas, æs alienum, lectio legis. De libertate loquitur Deus Exod. 21. 2. Verum tenendum hanc libertatem de servis Hebræorum intelligendam. Alia enim ratio alienigenarum, quibus annus septimus non afferebat libertatem vid. *Levit.* 25. 44. Sed si illi in Hebræorum servitute permanebant, fiebant proselyti, & ad

Judaismum convertebantur, masculi per circumcisionem, fœminæ per applicationem ad Judaicos ritus, ut sic communibus Judæorum cibis, & sacrificiis dominorum suorum uti possent. Et his perpetua erat servitus; neque his solum, sed iis etiam, qui ex hujusmodi proselytis nati & in ritu Judaico educati erant, donec Judæam aliquam ducerent in matrimonium. Nam filii inde nati Judæorum privilegio fruebantur, & anno septimo, aut certe quinquagesimo, servitute liberabantur, *Abulens. in Levit. 25. quæst. 26. & 27.* Idem de ære alieno dicendum. Lectionem quod attinet legis, illa a summo Pontifice fieri solita, ut tradit *Josephus lib. 4. antiq. cap. ult.* eo fine, ut jura sepimi anni in memoriam revocarentur, & in praxin facilius deducerentur, *conf. Annal. Eccles. Salian. an. m. 2544. fol. m. 160. tom. 2.*

4 *Ut comedant pauperes.*) scilicet id quod sponte sua anno septimo crescebat, omnia illa tam proprietario quam peregrinis communia erant. Hinc *Ainsworth. ex Maimonide* scribit: *If he gathered any of his fruits into his house, brake the commedement: but he was to let all be common, and every mans hand equall in every place. He may bring in his house a litt le after the manner of those that brought in common goods.* Pari modo si ex fructibus scilicet ficubus aliisque medicina comparatur, illicitum erat; quia exstat in lege ad comedendum. Nec cum illis mercaturam exercere licebat teste *Maimonid. cap. 4. sect. 24. de intermiss. & cap. 5. sect. 11. & cap. 6. sect. 1. 3.* Quamdiu autem anni septimi fructus edere poterant, indicat nobis commentator ad tract. Talmud. שביעית (qui de anno septimo agit) *cap. 9. Mischn.* 2. Quod si quis anno septimo ex fructibus terræ vel leguminibus aliquid collegerit, & in domum suam deportaverit, poterat de illa specie comedere tamdiu, quamdiu in arboribus vel terra de illa specie reperiebantur, quando vero deficit in terra vel arboribus tum cogebatur illa, quæ habebat in domo sua, removere. v. g. Si quis collegisset ficus & ex illis quasdam exsiccasset, non poterat de illis comedere, nisi quamdiu ficus reperiebantur, cogebatur לבער removere illas, quas domi habebat, aut statim, si quidem poterat, comedere vel publice exponere. Fundamentum hujus traditionis ponunt in verbis illis *Levit. 25. 7.* Cujus rei ratio apud *Maimonid. cap. 7. §. 1.* in promtu est. Ex fructibus septimi anni non comedebant nisi illo tempore, quo de illa specie reperiebatur in agro secundum id, quod dicitur: Jumenta etiam tua & cujusque bestiæ, quæ in terra tua totus proventus illius ad comedendum, quasi dicat, omni tempore, quo bestia comedit de illa specie in agro, tu comede de eadem, quæ in domo tua: Si vero a bestia in agro fuerit consumpta, cogebatur removere illam speciem e domo & hoc vocatur ביעור remotio fructuum anni septimi. Hujus etiam remotionis fructuum mentio fit in *tr. Talmud. Pesach. cap. 4. Mischn.* 2. Qui abducit septimi anni fructus e loco, in quo sunt consummati vel e loco, in quo non sunt consummati, ad locum, in quo sunt consummati, tenetur removere. Quæ in glossa maraginali sic illustrantur, qui abducit fructus anni septimi in locum in quo consummati a bestia in agro, ac per consequens istius loci incolæ tenentur illos e domo removere, ducuntque illos fructus ad locum in quo non sunt consummati, ac per consequens istius loci incolæ adhuc de fructibus in domum collectis comedunt; tenetur tamen illos removere propter loci gravamina ex quo venit. Licet itaque Judæis non licuerit per integrum annum nec serere nec metere; interim Deus voluit ut pauperes ex agris victum colligerent; sed si nullus ager sit cultus, quæ fuerunt hæc pauperum collecta? Resp. Imo ex spicis & granis inter metendum sub præterito anno elapsis sæpe non spernendam messem esse natam. 2. Jussisse Deum ut pauperes non ex agro tantum, sed ex vineis & olivetis, quæ sua sponte crescunt, sibi victum necessarium colligerent. Conf. *Ainsworth.* in *Exod. cap.* 23. & *Levit. cap.* 25. *fol.* 155.

5 *Quæ sponte gignet.*) Sponte e terra nata ספיחין ex edicto legis edere erant licita ac omnibus communia, de quibus hæc nobis in scriptis tradunt *Rabbini*. Sic *Maimonid* in *Hilcoth Semit. Vejobel. c.* 4. §. 1. Omne quod terra producit anno septimo, sive sit ex semine quod sparsum est ante annum septimum, sive ex radicibus quæ ante succisæ sunt וחזרו ועשו ac iterum crescunt; ambo illa vocantur sponte e terra nata; sive ex herbis & oleribus, quæ sponte crescunt, neque illis semen; omnia illa ad comedendum sunt ex lege concessa, secundum id quod dicitur *Levit. 25. 6.* Sed erit fructus Sabbathi ipsius terræ vobis ad comedendum. Etiamsi ager anno septimo fuerit melior redditus, שנטייבה (in quodam Mso. legitur נטעה plantatus; verum utramque lectionem sensus patitur) germinetque fructus suos tamen liciti sunt ad esum, & hoc est, quod dicitur *Levit. 25. 5.* Sponte natum ex messe tua ne metito, quasi dicat, ne metas eo modo, quo vulgo fit omni anno, nam si eo modo metit, uti faciunt, vapulat. v. g. demetit totum agrum & constituit cumulum, trituratque bove, vel quod demetit secundum agriculturam terræ vapulat. Sed si plantas is metit ac obiter abscindit (percutit) tunc potest edere. Sic *Henric. Ainsworth comment. in Levit. 25. fol.* 154. ex *Maimonid in Jobel. cap. 4. sect.* 2. ad verbum *metere* debet *after the manner that they reaped every osher yeere: he that so reaped a little at once, and did thresch it out, and eate id.* Verum Rabbini postea contrarium statuerunt, adduntque rationem ne scil aliquis occulte seminet aut plantet, & deinde dicat, illa sunt ספיחין sponte e terra nata, ut *Maimonid. cap.* 4. 2. Ex verbis enim Scribarum clare constat, sponte e terra nata edere fuisse interdicta: Et quare hoc decreverunt? nempe propter transgressores, ne aliquis occulte ambulet & seminet. e. g. Proventum vel legumina (fabæ, lentes & semina hortensia in agro, suo) quando vero germinant & edat ab iis, dicatque illa sunt sponte nata e terra, ideo anno septimo sponte e terra nata a Rabbinis interdicta fuere. Excipiuntur tamen asparagorum & hortensium & campestrium genera & omnia talia, quæ nec in omnium potestate sunt nec a multis possidentur. Sic etiam e Rabbinorum edicto mercatura cum fructibus anni septimi interdicta. *Maim.* in *Hilc. Semit Vejobel cap. 6.* §. 1.

6 *Annus requietionis terræ est.*) Cur Deus hoc voluerit variæ sunt opiniones, quarum quasdam adducemus. Hildebrand in Colleg. Mso. hæc profert verba: Ratio ob quam Deus integrum hunc annum voluit esse feriatum, in primis hæc est, ne terra assidue exercita nimium exsugeretur, tandemque sterilis fieret; quam annuam quietem agris conducere *Virgil. lib. 1. Georg.* testatur. Altera ratio hujus festi erat, ut Judæi eodem quatuor rerum meminissent 1. datoris frugum. 2. Beneficentiæ erga pauperes 3. innocentiæ, in qua si primi parentes mansissent, terra suos fructus sponte sua tulisset 4. æterni Sabbathi, quod post expleta sex millium annorum curricula in cœlis futurum speramus. Alias rationes adducit Joh. *Meyer. diatrib. de festis pag. 384. seqq.* Ubi §. 11. pag. 387. asserit annum Sabbathicum symbolum fuisse cessationis Dei ab opere creationis, ut homines semper istius Sabbathi essent memores. *Ainsworth. comment. in Levit.* 25. *fol.* 154. asserit, quod figura fuerit requietis, quam Christus Ecclesiæ daturus sit, & remissionem peccatorum habituri sint, quando annus ille gratiosus esset proclamandus.

7 *Quid comederimus.*) Cum hoc anno agricultura ipsis fuerit interdicta, merito quæritur, qua re vesci potuerint durante illo? Resp. Amandabo benedictionem meam vobis in illo anno sexto & proferet proventum in tres annos. *Levit. 25. 21.* Nonnulli putant, Deum non semper dedisse Judæis anno sexto uberiorem messem, sed illa Levit. 25. pendere a conditione, quæ ponitur *vers.* 38. Hinc Judæi toties in angustias reducti sunt ab externis Regibus, qui pecuniam imperabant, quam Judæi non nisi ex Terræ suæ frugibus conficere poterant. Judæi enim non habebant multos mercatores, sed maxime agriculturæ erant dediti; quare factum est, ut Judæi *Alexandro*, qui ipsos beneficium petere jussit, significaverint, nihil posse sibi majus dari, quam ne Rex tributa septimi anni exigeret. Jam si Deus Judæis tunc temporis anno sexto dedisset messem in tres annos, cur non æque potuissent Judæi septimo anno tributa pendere ac cæteris annis? Externo igitur illo tributo compulsus Rabbi quidam, edictum proposuit hoc: Exite, seminate anno Sabbathico tri-

buti-

buti nomine. *Coccej. Sanhed. c. 3. not.* 1. §. 3. Promissio itaque Dei dabatur conditionate, si scil. legi obtemperaturi sint Deus anno Sabbathico populum a curis mundanis abstrahere volebat ut fide providentiæ suæ nitatur. Matth. *6.* 31. 1. Cor. 7. 29. & semetipsos exerceant in rebus divinis voluit, scil. lege, quæ hoc anno legebatur *Deut.* 31. 10. 11. 12. Neh. 8. neque polluant manus illegitimis operibus sed sancte ambulent, alias e terra ejicerentur. *Levit.* 18. 24.

[8] *Remissio.*] Altera pars anni Sabbathici de *remissione* debitorum agit, & locus quem Autor noster adducit, variis difficultatibus obnoxius est. Autor noster simpliciter ponit: septimo anno, cum tamen juxta Hebraica verba sonet: A fine annorum septem facito remissionem (intermissionem) quod optime expressit versio Anglicana: *At the end of seven yeers.* Græci Interpretes locum *Jeremiæ* 34. In fine septimi anni explicant, cum sex anni completi essent, ita etiam hic scribit *Ainsworth. comment. in Deut. fol.* 57. *The end of the seven yeeres is the seventh yeere, which is the end or last of the seven.* Et quemadmodum servi dimittebantur initio anni septimi, quando scil sex annos integros servierant: ita *Aben-Ezra* in hunc locum, exponit hanc remissionem debitorum fieri initio anni septimi *Maimonides Hilchot Schemitta. cap.* 9. §. 4. Sic explicuit: *Septimus* annus Sabbathicus non remittit debita pecuniæ, nisi in fine, uti dicitur *Deut.* 15. 1. A fine septem annorum facito intermissionem. Hoc autem est jus intermissionis. & ibid. *cap.* 31. 10. A fine septem annorum, stato tempore, anno intermissionis in festo Tabernaculorum. Quid ibi intelligitur? Post septem annos. Ergo & remissio pecuniæ est post septem annos. Quicunque igitur proximo suo aliquid dat mutuo eodem scil. septimo anno, toto illo anno potest exigere suum debitum. Sed occidente Sole sub noctem novi anni in exitu septimi anni, amissum est debitum. Verum Aben-Ezræ opinio melior nobis videtur, qui totum septimum annum intellexit, cui calculum addidit celeber. *Meyer.* in diatrib. de *festis pag. m.* 390. 391. Conf. *Ainsworth* l. c. Ubi & Mysticam explicationem addit.

[9] *Repetere non poterit.*) Nonnulli putant, remissionem debitorum non fuisse perpetuam, sed pro illo septimo anno duntaxat exactionem intermissam, debito manente, & sequentibus annis reposcendo. Hinc Hebræi limitationes quasdam proferunt, quas *Ainswort. fol.* 97. 98. *in Deut. cap.* 15. *ex Maimonide* recenset. Dicunt, septimum annum remittere debitum, licet chirographo confirmatum sit in bona: verum cum agri oppignorantur, dum pecuniam mutuo accipit, tunc debitum non remittitur. Ita qui proximo pecuniam mutuo dat, & tempus decem annorum constituit, non remittit septimo anno. Qui proximo credit pecuniam hac conditione, quod annus septimus non remittere debeat debitum, non obstante hoc tenebatur remittere, qui jus septimi anni non abolere potest. Quando conditionate cum illo, cui mutuo dat, agit, se hoc peculiare debitum anno septimo non remissurum, conditio persistit, nam hic homo seipsum in bona sua obstrinxit. Multæ ob stuprum non remittuntur. Qui pignore dato pecuniam credidit, non remittit, si pignus æquivalens est debito. Si judices sententiam tulerunt & scripserunt: Tu obligatus es huic debitum solvere, non remittit, quia hoc non est de natura mutuo dati. Has & alias cautiones Maimonides ostendit in *tract. de remiss. & Jubil. cap.* 9. Remittebantur quidem debita, ita tamen ut Creditor posset chirographum tradere Synedrio magno ad renovandum jus exigendi debiti. Erat quasi præscriptio, uti obtinet apud multos populos, quod fit, ut si creditor intra certos quosdam annos debitum non urgeat, debitum amittat, & debitor fiat liber ob præscriptionem. Hoc autem tantummodo obtinebat in terra Canaan. At vulgaris Hebræorum sententia est remissionem fuisse perpetuam. Quod tamen de divitibus, qui mutuam sumunt pecuniam, ut hæreditates suas augeant, intelligendum non est. vid. *celeb. Joh. Meyer. pag.* 392.

[10] *Venditus frater tuus.*) Servi duplici modo fiebant, aut seipsos vendebant aut a Magistratu vendebantur vel ob furtum, vel debita. Sermo hic habetur de servo a Magistratu ob debita vendito. Hic septimo anno dimittebatur liber. Verum hic difficultas oritur, an septimus annus quo liber dimittendus erat servus sit annus Schemittæ sive Sabbathicus; an vero septimus a servi venditione, sive in eum inciderit annus remissionis, sive non. Posteriorem sententiam fovet *Maimonid de serv. c.* 2. §. 2. 3. Quemcunque Synedrium vendit, is servit sex annis, a venditionis suæ die. Sed initio septimi anni liber exit. Licet annus remissionis Deut. 15. inciderit in unum istorum sex annorum, ille tamen eo servit &c. Ita *R. Bechai* & alii differunt. Verum videtur *Deut.* 15. potius annus Sabbathicus innui, quia de eo modo egerat vers. 1. & 9. Ast priori opinioni calculum adjicit *Ainsworth. fol.* 59. *Comment.* in Deut. 15. his verbis: Septimo anno: *to wit, from the time of his sale, for this is not the seventh yeere, the yeere of release.* Dubius tamen in hac re est celeb. *Joh. Meyer in diatrib. de festis pag. m.* 394. Mysticam significationem vide apud cit. Meyer pag. 395. *& Ainsworth. Comment. in Deut.* l. c.

CAPUT DECIMUMQUINTUM.

De anno quinquagesimo.

[1] QUinquagesimus item annus Sabbatharius fuit. Quia remissio dabatur servis a ministerio servili, atque ager alienatus redibat [2] ad veterem possessorem. De eo vero sic scriptum est Levitici xxv. *Numerabis quoque tibi septem, hebdomadas annorum, id est septies septem, quæ simul faciunt annos quadraginta novem; & clanges buccina mense septimo, decima die mensis, propitiationis tempore in universa terra vestra. Sanctificabisque annum quinquagesimum, & vocabis remissionem cunctis habitatoribus terræ tuæ, ipse enim est jubilæus. Revertetur homo ad possessionem suam, & unus quisque redibit ad familiam pristinam; quia jubilæus est, & quinquagesimus annus. Quando vendes quippiam civi tuo, vel emes ab eo, ne contristes fratrem tuum, sed juxta numerum annorum jubilæi emes ab eo, & juxta supputationem frugum vendet tibi. Quanto plures anni remanserint post jubilæum, tanto crescet & pretium; & quanto minus temporis numeraveris, tanto minoris & emtio constabit, tempus enim frugum vendet tibi.* Hinc Numer. xxxvi. quibusdam rogantibus de nubendis filiabus Salphaad ex tribu in tribum, ac dicentibus: *Si alterius tribus homines has uxores acceperint, sequetur possessio sua, & translata ad aliam tribum de nostra hæreditate minuetur, atque ita fiet,*

fiet, ut cum jubilæus, id eſt annus quinquageſimus remiſſionis advenerit, confundatur ſortium diſtributio, & aliorum poſſeſſio ad alios tranſeat, reſponſum eſt, in lege ſcriptum eſſe: *Nubant quibus volunt, tantum ut ſuæ tribus hominibus, ne commiſceatur poſſeſſio filiorum Iſrael de tribu in tribum*. Quinquageſimus autem annus dictus eſt [3] Jobeleus, quod eum Levitæ per tubas arietinas, quæ dicuntur Hebræis Jobelim, convocato populo, ut ſupra ſcriptum eſt, indicerent. Unde illud eſt VI. Joſue: *Septimo die ſacerdotes tollent ſeptem buccinas, quarum uſus eſt in Jubilæo*. Atque hæ quidem celebritates a Deo inſtitutæ ſunt.

NOTÆ AD CAPUT DECIMUMQUINTUM.

[1] *Quinquageſimus*. Licet ſcriptura hic clare & perſpicue loquatur, attamen quidam nodum in ſcirpo quærunt, dicentes non quinquageſimum ſed quadrageſimum nonum intelligi annum, propter numeri rotunditatem. Verum enim vero, hoc in loco Scriptura exactiſſime locuta eſt, ne homines ancipites redderet, utrum duorum illorum annorum Deus elegiſſet in jubilæum an 49? an 50? Porro ajunt: annum quadrageſimum nonum dici quinquageſimum eodem modo, quo dies Dominicus, qui revera ſeptimus eſt ab elapſo præterito die Dominico, dicitur octavus, computato illo: ita Jubilæus, qui in quadrageſimum nonum annum revera incidit, dicetur quinquageſimus proxime elapſo Jubilæo computato. Sed hæc tela dudum ſunt retuſa a *Toſtat. in Levit.* 25. *qu.* 6. *Nicol. Serar. in cap.* 13. *Joſu. quæſt.* 14. *dub.* 1. *Torniell. annal. Sacr. an. m.* 2584. *n.* 4. *Cornel. a Lapid. in Levit.* 25. *aliiſque*. Communiſſima eſt ſententia, jubilæum annis quinquaginta circumſcribi teſte *Joſepho* dicente. *Hebræis quinquageſimus quiſque annus Jubilæus*. Quinquaginta etiam annos Jubilæo tribuit *Euſeb. in Chron.* Accedit *S. Cyrill. lib. de adorat.* 17. *Hieron. in epiſt. ad Fabiol. de* 42. *manſion. ep.* 127. *manſ.* 12. *& in cap.* 5. *Amos*. Idem ſentiunt, *Ambroſ. & Caſſiodor. in Pſalm. L. Auguſt. quæſt.* 92. *in Levit. Gregor. lib.* 1. *Moral. cap.* 6. *Iſiodor. lib.* 4. *Orig. cap.* 8. *Beda ſerm.* 2. *de Pentecoſt. & l.* 2. *de Tab. c.* 3. His pollicem premunt *Cajetan. & Oleaſt. Levit.* 25. *Rutilius Benzonius lib. de anno Jubilæi*. *Vatablus in* 25. *Levit. Paul. Fag. Paraphr. Chald. in cap.* 25. *Levit. Joan. Brem. de morib. omnium genti. lib.* 2. *de Aſia pag.* 84.

[2] *Ad veterem poſſeſſorem*.) Hoc anno non debita tantum fuerunt remittenda ſed etiam omnes ſervi manu mittendi & priſtina libertate donandi, ut & omnes res venditæ præſertim immobiles v. g. agri, vineæ, domus ad priſtinos poſſeſſores redibant, neque Judæi cuiquam jus agrorum ſuorum vendere poterant, ſed tantum uſum fructum uſque ad annum quinquageſimum. Denique eodem anno jubilæo carceres omnes fuerunt aperti & captivi dimiſſi. Cauſa ob quam Deus annum jubilæum inſtituit, eſt triplex 1. ne familiæ in Iſrael confunderentur, maxime illa ex qua Meſſias debuit naſci. Servi etiam apud veteres de una tribu vel familia in alteram tranſibant, ſed anno L. unuſquiſque ad ſuam familiam redibat. 2. Quod Deus Jubilæo ſpem melioris conditionis pauperibus facere voluit: hoc enim anno ſinguli detracta ſua bona gratis recipiebant. 3. Jubilæus erat Judæorum Epocha juxta quam apud Hebræos tempora fuerunt diſtincta perinde ut Græcorum Olympiades & Latinorum luſtra. Plura qui legere cupit, evolvat *Meyer. diatr. de Feſtis*. *Ainſworth. ad Levit.* 25. *Quenſted. antiq. bibl. de anno Jubilæi Slevogt. diſſ. de anno jubil. alioſque*.

[3] *Jobeleus &c.*) Varias anni Jubilæi etymologias exhibent Hebræi. *R. Salom. Jarch. ad cap.* 25. *Levit.* Jubilæum derivat a voce יובל Jobel, quæ arietem ſignificat, quia ſcil. annus Jubilæus clangore cornu arietis promulgari ſolebat. *Nicolaus Lyra* ad h. l. ait. Alii dicunt quod iſte clangor buccina factus ſit ſeptimo menſe anni Jubilæi. Unde & vocatur Jubilæus ab iſto clangore, ſecundum quod dicit *R. Salom. Jarchi* & rationabiliter. Ubi enim dicimus Jubilæum, in Hebræo habetur Jobel; quod ſignificat cornu vel buccinam. Unde *Exod.* 19. 13. dicitur: Cum autem cœperit clangor buccinæ, in Hebræo eſt *Jobel*. Atque hanc ſententiam docet *Abrah. Aben Ezra*. Sapientes, inquit, noſtri felicis memoriæ dixerunt, Jobel ſignificare arietem, juxta illud *Joſue* 6. 4. *Tollent ſeptem tubas arietinas*, ita ut annus denominetur ab ejuſmodi tuba. Verum hæc etymologia non placet *R. Moſi Nachmanid.* qui aliam profert ex *R. Abrah. Ezra*: Dixit Jubilæum ſignificare dimiſſionem, quomodo gloſſa ex Beda refert ad *cap.* 27. *Exod.* Jobal namque dimittens aut remiſſio exponitur. Sic *S. Hieron. lib.* 2. *in Eſai. cap.* 3. *& LXX. Interpp. Philo in libro nominum*. *Moſes Gerundenſ. in Levit.* 25. 10. Jubilæum & libertatem eodem nuncuparunt nomine. Certe idem docet *Joſephus lib.* 3. *cap.* 10. *antiquit. Judaic. & gloſſa ſupra citata*. Propter annum quinquageſimum, qui libertati, & quieti, & remiſſioni favebat, unde & jubilæus dicitur. *R. Moſes Nachmanid.* ſuam affert ſententiam, & jubilæum a libertate quidem derivat, & a verbo יבל, ſed non quatenus dimittere ſignificat; ſed adducere. Hæc ejus ſunt verba: Jubilæus ipſe iſte annus diſtinguitur ab aliis annis appellatione nominis ipſi propria. Enimvero quænam eſt Jubilæi etymologia? nempe a clangore tubæ. *R. Salom. Jarch.* cornu arietino. Verum id non conſtat mihi propter verbum ſequens. *Levit.* 25. 10. Erit vobis. Quis ſenſus eſſet loquendo de anno, clangor tubæ ipſe erit vobis, & revertemini? Niſi forte dicat Scriptura. Jubilæus ipſe hoc nomine, quo nuncupavi eum, vocabitur; Et erit vobis omnibus notus clangore quo clangetis in eo, commemorando quid in eo facto eſt opus, ut revertamini in eo. *vid. plur. Voiſin. de jubil.* Communis tamen Rabbinorum ſententia, quod a cornu arietino Jubilæum derivetur. Verum ne commentum ſit Rabbinorum vereor, cum aries nunquam Arabice vocetur Jobel, ſed חמל aut כבש aut שאפע Præterea nuſquam legitur in Sacris Scriptoribus, quinquageſimum annum promulgatum fuiſſe cornu τῷ Jobel, ſed tuba clangoris. Veterum certe buccinæ ex boum erant non arietum cornibus. *Dionyſius lib.* 2. ait plebejos miniſtri quidam, bovinis cornibus buccinantes, ad concionem cogebant. Et multo ante *Varro lib.* 4. *de lingua latin.* Cornua dicta, quod ea, quæ nunc ſunt ex ære, tunc fiebant ex bubulo cornu, De tuba vel buccina ex cornu arietino, apud veteres Græcos & Romanos nihil invenitur. Neque vero id commodum eſſet, cum tale cornu ſit omnino ſolidum, neque cavum quicquam habeat, in quo flatus recipiatur. Itaque neſcio, unde ſumſerit *Joſephus lib.* 5. *antiq. Judaic. cap.* 8. de Gedeonis militibus, quod omnes dextra manu cornua arietis geſtaſſent, quibus pro tubis uterentur. Sunt qui Jubilæum annum reducentem eſſe volunt, quia eo anno ſervus, & captivus, & exul quaſi poſtliminii jure revertebantur ad ſuos, ut inquit *Nicol. Fuller. miſcell. Bib. lib.* 4. *cap.* 8. *pag. m.* 455. Nonnulli יובל referunt ad יבול terræ proventum, cujus eo anno defectum ſupplebat Dei benedictio. *Levit.* 25. 20. 21. *Oleaſter. Ribera*, *Serar.* & alii Scripturæ aliquot loca proferunt, in quibus יבל in Hiphil eſt afferre cum gaudio, unde colligunt יובל ideo dici quinquageſimum annum: quia bonis omnibus erat fœcundus. *Avenario* יובל *Jobel eſt ſonus ex tuba profluens*, ut יבלי מים i. e. decurſus aquarum. *Eſa.* 30. 25. & 44. 4. *Maſii* ſententia non caret veriſimilitudine, quod Hebræum vocabulum

Jobel

Jobel & Latina *jubilum & jubilare* a *Jubal* primo inventore Musices *Gen.* 4. 21. deducta sint, ac voces quasque canoras quidem, sed *rusticas*, *duras*, *agrestes*, & *quasi ululantes* significent: quales inchoata illa, sed non perfecta primi artificis instrumenta, edebant. Eo sensu *Exod.* 19. 13. & *Jos.* 6. 5. 6. sunt tubæ vel cornua soni grandis & protracti rustico more. Et annus jubilæus est annus cujus promulgatio tali cornu fiebat, vel tuba. Quo faciunt hæc *Varronis lib.* 5. *de lingu. Latin.* Ut quiritare Urbanorum, sic jubilare Rusticorum. Hunc imitatus Aprisius ait in Bacche) vel ut Scalig. in Bacchis) Qui me jubilat? *Festus* dicit: Jubilare est rustica voce inclamare. Itaque per cornu Jobel nil aliud quam bubulum intelligitur *Josue* 6. 5. Eos enim qui cornu arietum hic significari contendunt, nulla ratione niti vid. *clar. Samuel. Bochart. lib.* 2. *cap.* 33. *fol. m.* 317. *edit. Franc.*

CAPUT DECIMUMSEXTUM.

De Encæniis.

QUas vero homines instituerunt, hæ ferme fuerunt, Encænia, festum Jephte, Judith, & Esther, & post aliæ quoque. Encænia vero fuerunt solennitas anniversaria [1] in dedicatione Templi adhibita. Est enim [2] ἐγκαινίζειν consecrare, ac dedicare, ut supra diximus: unde in consecratione quoque Regis est usurpatum. [3] Quatuor autem templi Hierosolymitani dedicationes diversis anni temporibus observatæ sunt. Prima fuit Salomonis mense septimo; de qua Regum tertio: *Dedicarunt templum Domini Rex, & filii Israel. Fecit illo tempore Salomon celebritatem solennem, & omnis Israel cum eo diebus quatuordecim*; & secundo Paralip. VII. *Fecit Salomon solennitatem in tempore illo septem diebus, fecitque die octavo collectam, eo quod dedicasset altare septem diebus, & solennitatem celebrasset septem diebus. Igitur vicesimo tertio mensis septimi dimisit populos ad tabernacula sua.*

Secunda fuit templi secundi, nempe Zorobabelis, instituta a Judæis in solum patrium restitutis, mense Adar, qui respondit Februario; de qua Esdræ VI. *Compleverunt domum Dei istam usque ad diem tertium mensis Adar, fecerunt autem dedicationem domus Dei in gaudio.* Josephus autem addit, hoc factum vicesimo tertio mensis Adar paullo ante festum Paschæ.

Tertia dedicatio non templi fuit, sed Altaris, cum Judas Maccabæus [4] altare holocausti instauravit, quod Antiochus rex profanaverat, idque dedicavit mense nono, id est Novembri; de qua Maccab. primo: *Fecerunt dedicationem altaris diebus octo, & statuit Judas, & fratres ejus, & universa Ecclesia Israel, ut agatur dies dedicationis altaris in temporibus suis ab anno in annum per octo dies a vicesima die quinta Casleu cum lætitia & gaudio.* Unde Judæi Hierosolymitani scripsere ad Ægyptios: *Facturi quinta & vicesima die mensis Casleu purificationem templi, necessarium duximus significare vobis, ut & vos quoque agatis, sicut & diem Scenopegiæ, &* [5] *diem Ignis, qui datus est, quando Neemias ædificato templo & altari obtulit sacrificia.* [6] Ac de his Encæniis per hiemem factis videtur intellexisse S. Joannes, cum scripsit: *Et facta sunt Encænia in Hierosolymis, & hiems erat, & ambulabat Jesus in templo in porticu Salomonis.*

Quarta fuit dedicatio templi ab Herode constructi, quæ in diem natalis ejus incidit, & magna pompa celebrata est. Josephus libro XV.

NOTÆ AD CAPUT DECIMUMSEXTUM.

[1] *In dedicatione templi.* Dedicationem Hebræi חנוכה vocant a radice חנך quod significat initiare, dedicare. Est autem dedicatio, quando aliquid e censu rerum prophanarum aut vulgarium eximitur peculiaribusque cæremoniis consecratur Numini ad usus sacros. Eodem utitur vocabulo *Moses*. *Num.* 7. 10. 11. Ubi de altaris dedicatione agit, quo loco LXX. legunt εἰς τὸν ἐγκαινισμὸν vel proprie, si ad vim vocis attendamus ad instaurationem, verum ἐγκαινίζω quod *renovo* & ἐγκαινισμὸς renovationem, restaurationem denotat, etiam pro dedico & dedicatione usurpatur teste *Stephano*. Sic legitur 1. *Reg.* 8. 63. de domo Dei. Macchab. lib. 1. c. 4. de altar. Esr. 6. 16. Nehem. 12. 27. de dedicatione muri: ita ut templum ac muri jam restaurati ac renovati solenni & nova quasi dedicatione inaugurarentur & in eum usum in quem primitus vocant, instituí reducerentur ut *R. Salom. Jarch.* conf. *Quensted. antiq. bibl. pag. m.* 861.

[2] Ἐγκαινίζειν.) Est purgare, expiare, dedicare, instaurare, de novo consecrare, ab impio & impuro usu vindicare primum, & deinde ad sacrum & religiosum initiare. Quo sensu occurrit. *cap.* 35. *Genes. v.* 2. *lib.* 1. *Reg. c.* 2. 14 *Sapient. lib. cap.* 7. 27.

27. *Psalm. L. v.* 12. *Psalm.* 102. 9. Eodem modo *Apostolus in epist. ad Tit. cap.* 3. 5. ait: Baptismum esse lavacrum regenerationis & renovationis Spiritus S. i. e. quo homines ad gratiam, quam primi Parentis culpa perdiderant, restaurantur. A verbo ἐγκαινίζω ea significatione usurpato, deductum est nomen ἐγκαινισμός encænismus. i. e. innovatio, renovatio, & ἐγκαίνια Encænia, seu renovationis festa, de quibus *Joan. cap.* 10. 22. facta sunt Encænia Jerosolymis, ubi *Sebastian. Castalio* Interpres renovalia reddidit, vocabulo a se ficto, non tamen inepte prorsus. 3. Significat novam consecrare rem, initiare, dedicare, i. e. primum ejus usum inducere; quo sensu frequenter usurpatur in sacris literis. v. g. Salomon & populus domum Domino dedicaverant, ubi quidam *Germanice* reddunt weiheten/ *Angli dedicated. Judæi Hispalens. y estre naron a casa. Angl. they gave hanzell to the house of the Lord.* Syrus וחדתו & innovarunt. *Erasmus* ad vocem *Encænia in Evangelio Johan.* 10. 22. inquit, Initialia, alii per innovationes explicant. In *Maccab. lib.* 2. *cap.* 1. 18. vocatur etiam καθαρισμὸς τοῦ ἱεροῦ, *Purificatio templi. Syrus* reddit in *Maccab. l.* 1. *cap.* 4. 59. חודתה in *Evangelio* חודתא *Renovatio seu innovatio*. Arabs in *Maccab. lib.* 2. *cap.* 9. איאם אלחנכה *dies dedicationis* vocem quasi Hebraicam usurpans. Dedicationis nomen in vulgata Testamenti veteris plerumque adhibitum. Ita Rex Asa *lib.* 2. *Paralip. cap.* 15. 8. dedicavit, ἐνεκαίνισεν, altare Domini. *lib.* 3. *Reg. cap.* 8. 3. dedicavit Rex Templum Domini de novo exstructum. *Paulus ad Hebr. cap.* 9. 18. idem verbum usurpat. *David Psalmo* 39. hunc titulum dedit: *Psalmus cantici in dedicatione* ἐγκαινισμοῦ *i. e. in encænismo domus David*, quia decantandus erat, cum primum Templum vel domus Dei dedicaretur vid. plur. H. Hammond. Angl. paraphr. & annot. *upon the books of the psalms*. fol. m. 164. Et quia ejusmodi dedicationes solenni aliqua ceremonia, & ritu festivo, nempe hymnis, decantationibus, ludis, musica, epulis peragebantur, hinc factum est, ut eæ festivitates ἐγκαίνια dicerentur, ceu docet *Augustin. tract.* 48. *in Johan. circa init.* ubi inquit: *Encænia*, festivitas erat dedicationis templi. Græce enim καινὸν dicitur novum (teste *Balduin. Wallæo ex patrib. vet. ad cap.* 10. *Johan. v.* 22. *p. m.* 916.) Quandocunque enim novum aliquod fuit dedicatum, encænia vocabantur. Jam etiam usus invaluit, ut si quis novam induat tunicam, encæniare dicatur. conf. *Joan. Selden. lib. de Synedr. Hebræor. cap.* 3. *pag. m.* 205. Encænia etiam ferias significant, quæ novo operi facto consecratæ sunt. Observandum hic *Dedicare*, *initiare* pro rei, circa quam versantur, discrimine, nunc consecrationem, seu usibus sacris cultuique divino addictionem, sive primam, seu denuo instauratam, nunc etiam initium rei, qua frui incipimus sine consecratione aliqua, denotare. Ita explicandum illud *Deut.* 20. 6. *Vir ille qui ædificavit domum novam & nondum dedicavit eam, vadat & redeat in domum suam, ne forte moriatur in bello, & vir alter* ἐγκαινιεῖ αὐτὴν *dedicet illam*. Ubi per τὸ dedicare frui intelligitur teste *Joseph. Archæolog.* 4. *c.* 8. dicente: *Novas domus ædificantes quibus nondum tempus fuit fruendi annuum*. Dedicare hic sumitur pro uti, fruique, velut primitiis domus aut usum ejusdem auspicari. *Talmudici* sumunt, quemadmodum etiam Latini in *Suetonii illo de Nerone. cap.* 21. qui & alibi habet *dedicationem patinæ in Vitell. cap.* 13. pro usu primo. Item *Adrian. August. in epistol. ad Servian. Consulem ex libris Phlegontis apud Vopiscum in Saturnino*; Calices tibi versicolores transmisi, quos mihi Sacerdos templi obtulit, tibi & sorori meæ specialiter dedicatos, quos tu velim, festis diebus conviviis adhibeas. Mos enim erat in dedicationibus statuarum (Diis sacratarum) leguminum elixorum ollas circumgestari a mulieribus versicoloribus vestibus indutis vid. *Johan. Selden. de Synedr. Hebr. lib.* 3. *cap.* 13. *p. m.* 262. 263. *seqq.* Sic legitur publicas bibliothecas dedicatas fuisse, ædes sacras, statuas & aras. Appellabant autem eas ferias Romani dies natales, ut probat *Martin. de Roa* Hispan. *de die natal. sacr. & profan. cap.* 17. ubi late agit de encæn. Templor. statuar. &c. & *cap.* 23.

3 *Quatuor.*) Quatuor dedicationes recensent, quæ diversis anni temporibus observatæ fuerint. Verum si sacram scripturam evolvimus, multis vicibus factam reperimus. Prima quidem dedicatio fuit Tabernaculi sub Mose constructi, quod portatile templum, quam Autor omisit. Quo ritu sit dedicatum legere est *Exod.* 40. Hinc dedicatio *Salomonis* non fuit prima. Et quod veritati non convenit, istæ dedicationes non fuerunt anniversariæ; semel enim factæ, non amplius fuere repetitæ, ut notat *Hospinian. de Fest. Hebræor. c.* 13. *fol.* 46.

4 *Altare holocausti instauravit.*) Festum hoc institutum legitur in *libr. Maccab.* in præstantissimi Judæ Hasamonæi memoriam, qui statim post obitum patris Mathatiæ Antiochi Duces quatuor magnis præliis vicit, & profligatis Antiochi copiis omnibus, urbeque recuperata templum repurgavit, idolum Jovis ab Antiocho illatum diruit, combussit, & aram cum templo legitime sacris rursus dedicavit. Factum hoc circa finem *anni tertii Judæ die* 15. *Mens. Cislef.* Quia enim hoc beneficio Deus suarum promissionum fidem mirifice declaraverat, constituit Judas & fratres ejus, totaque Israelis concio, ut dies renovationis altaris suis temporibus agitarentur singulis annis scilicet octiduum a diæ 15. Mens. Cislef, qui partim Decembr. respondet magno cum gaudio & lætitia. *Joseph. lib.* 12. *cap.* 11. *antiquit. Judaic.* hoc festum φῶτα luminum appellat, non quod ubique parietibus templi lumina affixerint; sed quod, ut ibidem refert, Judæis præter spem hoc tam splendidum lumen exercendæ religionis apparuerit. Joseph. l. c. Vigesima autem & quinta mensis Chaslæi, quem *Apellæum* Macedones appellant, accenderunt lumina in candelabris & suffitum fecerunt in altari & panes supra mensam proposuerunt, & in novo altari holocautomata immolarunt: idque accidit eadem die, qua ante triennium sacra eorum profanata fuerant. Integro enim triennio desertum fuit templum post factam ab *Antiocho* profanationem: ea autem incidit in annum centesimum quadragesimum quintum, & diem Apellæi mensis vigesimum quintum in Olympiad. CLIII. Renovatum est autem die CXLIII. anno Olympiad. CLIV. Celebravit Judas recepti templi festivitatem per dies octo sacrificans, in quibus nullum honestum voluptatis genus omissum, sed populo quidem sumtuosum ac splendidum epulum est exhibitum, in Dei vero laudem hymnis & canticis personabant omnia. Judæi hoc festo per octo dies lucernas accendunt, quantas autem accendere debebant ex *Maimonid.* videre est. Judæi hodierni prima nocte unam, secunda duas, tertia tres & sic porro usque ad octavam octo accendunt lucernas. Scribit insuper *Maimonid.* quod etiam in usu fuerit, ut singuli accenderent lucernas. v. g. Si quinque aut decem erant in domo: quinque aut decem accendi debebant. de Encæn. videndi sunt *Quensted. antiq. bibl. pag.* 862. *Hildebrand. in Colleg. Mso. de antiq. Bibl.*

5 *Diem Ignis.*) In hoc festo luminum accensio fiebat, quasi πυρσῶν, facularum festum, quod erat Argivis, *ut Pausan. in Corinthiac.* anniversarium, seu λαμπάδος festum, cujus nominis tria erant apud *Athenienses* sacra solennia, in *Panathenæis*, *Hephæstiis*, & *Promethiis*. A *Sergio Papa* circa annum Christi 690. cereorum quotannis pro lustrationibus magnus adhibitus fuit numerus, unde hoc festum nomen traxisse creditur, ut appelletur *Chandeleur*, item *la Chandeleure*, Germ. Liechtmesse vel Candlemesse. Vocatur etiam a *Josepho* φῶτα, lumina. Hebræi hoc festum accensionem lucernam indigitant. De eo *Persius Sat.* 1. ita canit

Herodis venere dies unctaque fenestra
Dispositæ pinguem nebulam vomuere lucernæ.

Gilbert. *Genebrardus* pro φῶτα habet *la feste des lumieres*, & addit, & *la raison, selon mon advis, est, qu'un tel bonheur nous est esclaire comme une lumiere, contre toute opinion & esperance*. Dicta igitur fuerunt φῶτα i. e. lumina 1. quia lux religionis, fidei, & libertatis propemodum exstincta, præter opinionem rediviva reluxit. 2. Ob illuminationes cœlestes, velut *Gorionides lib.* 13. *cap.* 13. docet, quia ad renovationis primum sacrificium ex Altaris lapidibus sanctus ignis exiliit divinitus; vel forte, quia sicut olim ad Salomonis preces, cum templum dedicaret, ignis de cœlo descendit lib. 2. Paralip. c.

7. A-

7. Appellatur in Calendario Judæorum λυχνοχαΐα a lychnorum copia, quibus uti solent illis diebus, quia licet in Synagogis plura sint lumina, attamen haud plura videntur, quam in festo encæniorum, ut ex *Anton. Margarit. de ritib. Judaic.* docent *Serarius & Salianus annalibus sacris*. conf. *Joan. Selden. de Synedr. lib. 3. cap. 13. pag. m.* 223. Nam secundum numerum in domo habitantium lumina sunt accendenda; Quin etiam nocte prima pro quolibet unicum lumen, secunda pro quolibet duo, adeoque deinceps ut tandem octo pro unoquoque ex familiis seu domibus singulis nocte octava seu ultima lucerent. vid. *Megillah Taanith in Casleau seu cap. 9. R. Mos. Cotzensis. præcep. affirm. ex sancit. scribar. 5. fol. 250. col. 3. R. Jacob. Ben Ascr in Arba Turim tit. Orac. Chajim. §. 670. R. Joseph Kato in Schulcan Aruch eodem tit. & num. Ludov. Mutinens. tract. Italic. script. degli riti Ebraici part. 3. cap. 9. Joan. Lihtsoot hor. Talmud. pag. m.* 1062. Scriptores Christiani Festum luminum dixerunt, vel propter multitudinem luminum, vel quia tunc illuminaverat eos Deus sedentes in tenebris.

6 *Ac de his encæniis videtur intellexisse Joannes.*) Quæstio hic agitatur inter Doctores, an hic locus de encæniis Macab. sit intelligendus, an potius de de encæniis dedicati primi templi per Salomonem *lib. 3. Reg. cap.* 8: seu de encæniis templi secundi a Zorobabele exstructi. *lib. 1. Esd. cap. 6.* Nam de aliqua ex tribus his templi dedicationibus intelligendum esse certum est, cum nullam aliam celebrarint Judæi, nec celebrare potuerint; quod enim *Theodor. Mopsuestensis* existimat, Evangelistam loqui de dedicatione totius urbis Jerosolymæ, cum ejus muri assiduis bellis labefactati restaurati sint, nullum fundamentum habet, licet *Francis. de Riber. de Templ. lib. 5. cap. 17.* illud *Nehemiæ*. 12. 27. intellectum voluerit de dedicatione murorum. Fallitur tamen, cum nunquam in historiis legatur festum ob restaurationem murorum institutum. Variæ igitur sunt opiniones. *Raban. lib. 2. de instit. cler. Nonnus apud Serar. Cyrill. & alii apud Theophylact. & Leontium ad hunc* Joannis *locum*, *Nonnus Panopolita*, *Joannis paraphrast. metric.* de encæniis Salomonis intelligunt. Alii ut *Chrysostom. Theopyl. Euthym.* ad Zorobabelis encænia referunt. Reliqui vero tam recentiores quam vetustiores encænia Maccabæorum intelligunt, *ita Cyrill. Beda. Jansen. Serar. Lyranus, Johan. Drus. Hugo. Grot. Hospinian. de origine festor. lib. 1. cap. 13. Daniel Heinsius in Aristarch. sacr. cap. 9. fol. 908. Thom. Aquin. Petr. Commest.* Et hæc sententia & ratione & authoritate firma videtur. Non quidem placet argumentum quod ad eam probandam ab hieme ducunt *Cyrill. & Beda.* Dum inquiunt, notandum, quod hæc Encenia, quæ hic leguntur, non ad primam templi dedicationem, sed ad ultimam pertinent: quod ex eo facile colligitur, quia hieme facta referuntur. Prima a Salomone tempore autumni facta mense Tisri, secunda a Zorobabele veris tempore (Adar) tertia hæc in hieme. Hæc *Cyrillus & Beda*, quæ probant Evangelistam non loqui de Encæniis Salomonis, qui templum mense Tisri i. e. Septembri dedicavit, nec de encæniis Zorobabelis, quæ mense Adar i. e. Februario, ut constat *Esdr. l. 1. c. 6. 15. & 16.* facta, sed de dedicatione Maccabæorum quæ incidit in mensem Casleu i. e. Novembrem *conf. Joan. Selden. de Syned. lib. 3. cap. 13. pag. m. 213. Joan. Lightfoot harmony chroniche and order of the New-Testament. Section LXI. Joan. cap. 10. fol. m.* 48. ubi hæc leguntur verba: *These eight dayes of Casleu fell about the middhe of our December.* Secundum argumentum, quod *Sanctius* & alii afferunt, hoc est, nempe duas priores dedicationes encænia dici proprie non posse, quia illa vox instaurationem sonat, a Salomone vero & Zorobabele Templum non renovatum, sed a fundamento exstructum fuisse. Verum ex supradictis facile responderi potest, quod vox encænia non modo renovationem sed primam alicujus rei dedicationem denotet. Quare aliunde probandum mihi videtur encænia illa quibus Evangelista & Christus Dominus luculentum testimonium dederunt, Maccabæa potius, quam Zorobabelis fuisse. Primum a brevi temporis intervallo, quod est a die 3. Februarii, in quem incidit dedicatio Zorobabelica, ad decimum quartum Martii, in quem incidit Pascha. Quia quæ gesta sunt a Christo ab encæniis ad mortem suam, comprehendi non possunt tam brevi temporis spatio. Nam ut ex Evangelistis constat, post encænia Christus recessit in Galilæam, ad locum ubi Johannes baptizabat, & ibi dicitur mansisse; dubio procul hic aliquot dies substitit. Postea venit Bethaniam, ut Lazarum resuscitaret. Rursus abiit in locum Ephren, ubi morabatur aliquot dies. Iterum rediit Bethaniam ante 6. dies Paschæ quæ omnia plures dies comprehendunt, quam quæ sunt a dedicatione Zorobabelica ad Pascha, ut bene observat *Toletus & Serarius*. Secundum argumentum est silentium Scripturæ. Nullibi siquidem legitur festum a Salomone & Zorobabele institutum anniversarium in memoriam templi dedicati. Plura, cui volupe est, videat argumenta in *Calendar. Genebrardi*.

CAPUT DECIMUMSEPTIMUM.

De cæteris diebus festis.

PRæter hæc, multi alii dies fuere festi ab Hebræis, prout tulit occasio instituti, quos uno capite complectemur, ordinem temporum persecuti. In primis ergo in exitu anni celebratus est planctus filiæ Jephte Judicis Israel, quam pater virginem immolaverat. Cum enim vovisset Domino, *si tradidisset sibi in manus Ammonitas, se, quicunque primus de domo sua sibi redeunti obviam prodiisset, eum holocaustum Domino oblaturum, occurrit ei unigenita filia ejus cum tympanis & choris. Quare ille, ut voverat, fecit*. Quare, ut scriptum est XI. Judicum; *Exinde mos increvit in Israel, & consuetudo servata est, ut post anni circulum conveniant in unum filii Israel, & plangant filiam Jephte Galaaditæ diebus quatuor*.

Habuerunt etiam in honore diem, quo ignis cœlestis, quem exstinctum post Babylonicum exilium repererunt, suscitatus est. De quo in epistola Judæorum Hierosolymitanorum ad Ægyptios: *Facturi quinta & vicesima die mensis Casleu purificationem templi, necessarium duximus significare vobis, ut & vos quoque agatis, sicut & diem Scenopegiæ, & diem Ignis, qui datus est, quando Neemias ædificato templo & altari obtulit sacrificia*. Inde res narratur, ut alio loco retulimus. Hunc diem Judæi celebrant die

die vicesimo mensis Casleu, id est Novembris, quem Festum Luminum Josephus vocavit.

Dies etiam, quo [1] victoria de Holoferne regis Assyriorum præfecto per Judith viduam Hebræam relata est, decreto Judæorum inter festos relatus est, sic enim scriptum est capite XVI. *Dies victoriæ hujus festivitatis ab Hebræis in numero sanctorum dierum accipitur, & colitur a Judæis ex illo tempore usque in præsentem diem.* Is a Judæis celebratur die XXV. mensis Casleu.

Quin etiam [2] victoria Esther adversus Aman, qui Judæos in crucem agere constituerat, festum diem habuit [3] ex instituto Mardochæi consultoris ejus. De eo vero sic capite IX. *Dies tertius decimus mensis Adar unus apud omnes interfectionis fuit, & quarta decima die cædere desierunt. Quem constituerunt esse solennem, ut in eo omni tempore deinceps vacarent epulis, gaudio, atque conviviis. At hi qui in urbe Susan cædem exercuerant, tertio decimo & quarto decimo die ejusdem mensis in cæde versati sunt: quinto decimo autem die percutere desierunt. Et idcirco eundem diem constituerunt solennem epularum atque lætitiæ. Hi vero Judæi, qui in oppidis non muratis ac villis morabantur, quartum decimum diem mensis Adar conviviorum & gaudii decreverunt, ita ut exultent in eo, & mittant sibi mutuo partes epularum & ciborum. Scripsit itaque Mardochæus omnia hæc, & literis comprehensa misit ad Judæos, qui in omnibus regis provinciis morabantur, tam in vicino positis, quam procul, ut quartam decimam & quintam decimam diem mensis Adar pro festis susciperent & revertente semper anno solenni celebrarent honore; quia in ipsis diebus se ulti sunt Judæi de inimicis suis, & luctus atque tristitia in hilaritatem gaudiumque conversi sunt: essentque dies isti epularum atque lætitiæ, & mitterent sibi invicem ciborum partes, & pauperes munuscula largirentur. Susceperuntque Judæi in solennem ritum cuncta, quæ eo tempore facere cœperant, & quæ Mardochæus literis facienda mandaverat. Aman enim filius Amadathi stirpis Agag, hostis & adversarius Judæorum, cogitavit contra eos malum, ut occideret illos, atque deleret: & misit phur, quod nostra lingua vertitur in sortem. Et postea ingressa est Esther ad regem, obsecrans ut conatus ejus literis regis irriti fierent: & malum quod contra Judæos cogitaverat, reverteretur in caput ejus. Denique & ipsum, & filios ejus affixerunt cruci: atque ex illo tempore dies isti appellati sunt phurim, id est sortium, eo quod phur, id est sors, in urnam missa fuerit.* Festum autem hoc dictum est Mardochæus, ut secundo Maccabæorum ultimo scriptum est: *Decreverunt habere celebritatem tertia decima die mensis Adar, quæ dicitur voce Syriaca pridie Mardochæi.*

Demum, diem etiam honorarunt, quo victoriam [4] de Nicanore duce Demetrii regis Syriæ pepererunt; de qua Josephus libro XII. *Hæc victoria contigit quarta decima die mensis Adar, quam celebrant quotannis festum colentes diem.*

[5] Jejunarunt etiam tertio die mensis Tisri, sive Septembris, propter mortem Godoliæ, de qua XXV. quarti Regum: *Factum est in mense septimo, venit Ismael, & decem viri cum eo; percusseruntque Godoliam, qui & mortuus est.* Neque vero solum hoc die jejunarunt, sed multis præterea aliis, quæ nunc etiam observant, ex proprio instituto, non Dei. Quæ huic commentario attexere non est visum.

NOTÆ AD CAPUT DECIMUMSEPTIMUM.

[1] *De Victoria de Holoferne.*) Quod quidam putent, inter quos etiam *Sigonius* noster, hoc festum ob victoriam *Judithæ* celebrari, error est, sed quia liberati erant a Græcis, eaque de causa feriabantur; Judithæ simul illis diebus in suis precibus memores sunt. Quemadmodum etiamnum in Nisan erecti Tabernaculi & in Tisri dedicationis Salomonis recordantur. De hoc festo videri potest *Selden. de Synedr. Hebr. lib. 3. pag. m. 211. seq. edit. Francof.*

[2] *Victoria Esther.*) Quare in hujusce rei memoriam instituta festivitas 14. & 15. mensis Adar, quam Purim i. e. sortium vocabulo Persico, teste *Hildebrando in dictatis suis & cl. Buxtorffio, lib. de Synagog. Judaic. cap. 24. pag. m.* 382. dixere, a sorte, quam Aman pro more Persarum & vicinarum gentium jactari curavit, ut exploraret tempus opportunum, quo Judæos pessundare posset, vid. *Esth.* 3. Error *Josephi Interpretis* gravis est, qui non inspecto S. Codice dies istos φρυραίας dixit, & conservatoria festa interpetatus est: Ibi quippe legendum φυραίας, æque ac in additamento Græco ad historiam *Estheris* legendum φυραί, non φρυραί. Dies quoque vocantur Mardochaici, quod festum institutum a Joachimo (*de quo Nehem.* 12.) Vicario Pontifice S. *teste Philone*, *Mardochæi* & *Estheris* authoritate. Esther. 9. Verum de iis diebus hic non agitur, sed de festo separato a festo illo Purim, sortium, quod videlicet ob conservandam liberationis populi Judaici memoriam institutum est, & in mensem Majum Sivan incidit, ut patet ex *Esther.* 7. 8. Et vero hanc legem appetente mense Junio latam notandum est, nisi putemus Amanis recordationem in Purim, seu Mardochaicos dies, translatam. Sane festum illud cum gaudio, lætitia, jocis, & conviviis celebratum, sicut Bacchanalia Judæorum *Esther.* 9. conf. *Anton. Margarit. Judæus baptizat. l. de cærem. Judaic. Buxtorff. de Synagog. Juda. c.* 24. Hoc Festo noctu candelæ testandi gaudii causa accenduntur, & historiæ Estheræ per ædituum legi solet, cui lectioni mulieres & pueri adsunt, & quoties Amanis fit mentio, pugnis & malleis Judæi scamna pulsant, Amanemque maximo strepitu explodunt.

[3] *Ex instituto Mardochæi.*) Dies 14. & 15. celebran-

brantur, quibus miracula sunt patrata in Israele per *Mardochæum* & *Estheram*. Dixit R. Josua filius Korchæ, a tempore, quo mortuus est Moses, non surrexit Propheta, qui innovaverit præceptum Israeli, præter præceptum Purim; sunt verba *Migillat Tanith. cap.* 12. Vide *Synagog. Judaic. Buxtorff. cap.* 29. ubi monet, primum diem sanctius & solennius celebrari, quam secundum; quia in illis diebus Judæi se de inimicis suis ulti, & luctus atque tristitia in hilaritatem gaudiumque conversa erant. Ast iis, qui habitant in urbibus muro cinctis a diebus Josuæ, dies xv. dicitur sanctius fuisse celebratus *Est.* 9. 18. 19. Videsis *Schualchan Aruch. cap.* 688. Nihil aliud per totum illud biduum etiamnum, quam ludunt, saltant &c. Exemplis Prophetarum, *Mardochæi*, *Haggai*, *Zachariæ* & *Malachiæ* hoc festum ita celebratum esse probant. *Est.* 9. 18. 19. *cap.* 22. 21. Vide *Succa Bab. fol.* 53. 1. Modum tamen excedunt, quando in *Megilla fol.* 7. 2. ajunt: Tenetur homo in festo Purim eo usque inebriari, ut nullum discrimen norit inter *Maledictus* & *Haman* & *Benedictus Mardochia* hoc est nesciat supputare numerum, qui ex singularum vocum literis exstruitur.

4 *De Nicanore*.) Dies xiii. hujus mensis יום נקנור dies *Nicanoris* ob cædem ejus quæ in Calendariis vulgaribus narratur & in *Maccab.* 7. 43. ubi idem etiam dies memoratur. Tantundem in *Gemara Hierosolymit.* ubi יצא inquit ad *tit. Thaanith. cap.* 2. *fol.* 66. *col.* 1. Contra eum egressus est unus e domo Hasmonaica (unus non una ut somniant aliqui, Juditham tunc temporis Hasmonaicam eum decollasse, fingentes, uti & *Megilla* ipsa *cap.* 1. *fol.* 70. *col.* 3. *hal.* 6. non de persona unica, sed de Juda & exercitu ejus loquentibus) & cæde per copias ejus peracta usque dum eum accederet, simulac ad eum accessit manus ejus abscidit & caput ejus amputavit. Idem dies festus memoratur in *Gemar. Babyl. ad tit. Thaanith. c.* 2. *fol.* 18. 2.

5 *Jejunarunt*.) Jejunia apud Hebræos varia fuerunt, quæ non alius facile certius aut dilucidius exposuit, quam Maimonid. in tractat. יד חזקה est הלכות תעניות de jejuniis quem tractat. Latinitat. donavit plur. *Rev. Carpzov.* constans v. פרקים capitibus e quibus distincte contemplabimur. *Jejunia* statis temporibus ordinata quatuor fuerunt. 1. Dies tertius mensis Septembris; eo quod in primo Excidio Hierosolymorum per Nebucadnezarem occisus isto die fuerit *Gedalias* Jerem. 40. 41. & sic extincta fuerit scintilla adhuc superstes de Israele. 2. Dies decimus Mensis Decembris; quia isto die Rex Babyloniæ *Nebucadnezar* ille nequissimus Hierosolymam accesserit & obsidione cinxerit arctissima. 3. Dies xvii. Mensis Junii, ut quo calamitates hæ publicæ evenerint, scil. fractio Tabb. Legis. vid. *Joh. Meyer. diatrib. de festis pag. m.* 294. Abrogatio jugis Sacrificii sub templo priori & crematio Libri Legis per Regem quendam Græciæ. vid. citat. *Meyer. pag.* 269. cujus idolum erectum in templo. 4. Dies ix. Mensis Abh seu Julii, ut quo itidem aliquot memorandæ afflictiones contigerint, nimirum in deserto decretum divinum contra Israelitas tunc rebelles quod Terram sanctam non essent ingressuri. *Num.* 14. utrumque temp'um tam prius, quam posterius eo die desolatum; urbs illa magna & munitissima *Bether* expugnata, in qua aliquot myriades Judæorum occubuere, quibus Rex quidam, Messias reputatus a plebe pariter atque Excellentissimis Sapientiæ Doctoribus præfuerat ut esset angustia prorsus vastationi Sanctuarii similis. Imo quod eodem die quidam belli dux *Rufus* locum seu fundamentum templi aratro prosciderit, expleto sic isto Jerem. *cap.* 26. 18. Zion sicut ager arabitur. conf. celeb. *Meyer l. c. pag. m.* 300. *plur. reverend. Opit. in diss. de jejuniis*. 5. Dies 13. *Mens. Febr.* in memoriam ejus jejunii, quod tempore *Hamani* celebratum est. *Esther c.* 9. 31. Extraordinariorum jejuniorum causæ fuerunt calamitates propter gladium, pestem, bestiam malam, locustam & bruchum, adustionem segetum, morbos, annonæ caritatem, propter pluviam. confer. *Lundius de jejun. Joh. Henr. Otho. Lexic. Philol. Rabbin. pag. m.* 259. 257. *D. Opit. Meyer.* qui de jejuniis quamplurima recensent.

CAPUT DECIMUMOCTAVUM.

Vetus Kalendarium Hebræorum.

His expositis, nunc ad eorum quæ dicta sunt, sublevandam, fulciendamve memoriam, singulorum subinde mensium, ac dierum festorum profestorumque Hebraicorum dispositionem, quæ a Latinis Kalendarium dicitur, subtexemus, ea vero fuit hujusmodi.

MARTIUS.

Primus mensis, sive Nisan. Dies XXX.

1	1 dies. *Neomenia*.	*Quotidianum Sacrificium fiebat & Neomeniæ.*
2	2 dies.	*quot. sacr.*
3	3 dies.	*quot. sacr.*
4	4 dies.	*quot. sacr.*
5	5 dies.	*quot. sacr.*
6	6 dies.	*quot. sacr.*
7	7 dies. *Sabbatum*.	*quot. sacr. & Sabbati.*

Cessabatur etiam ab accendendo igne.

8 8 *dies.* *quot. sacr.*
9 9 *dies.* *quot. sacr.*
10 10 *dies.* *quot. sacr.*
11 11 *dies.* *quot. sacr.*
12 12 *dies.* *quot. sacr.*
13 13 *dies.* *quot. sacr.*
14 14 *dies. Sabbatum.* *quot. sacr. & Sabbati.*

Agnus ad vesperam mactabatur, & edebatur, atque ab omni opere cessabatur.

15 15 *dies.* *quot. sacr.*

Pascha. Prima dies Azymorum. Ab opere cessabatur. Dies erat Sancta.

16 16 *dies.* II *Azymor.* *quot. sacr.*

Manipulus pro primitiis frugum offerebatur. Messis inchoabatur. Initium septem Hebdomadum, id est XLIX. dierum, qui messi faciendæ destinati erant.

17 17 *dies.* III *Azym.* *quot. sacr.*
18 18 *dies.* IV *Azym.* *quot. sacr.*
19 19 *dies.* V *Azym.* *quot. sacr.*
20 20 *dies.* VI *Azym.* *quot. sacr.*
21 21 *die. Sabb.* VII *Azym.* *quot. sacr. & Sabb.*

Collecta frugum. Azymis comedendis finis imponebatur. Dies erat sanctior, quam prima Azymorum.

22 22 *dies.* *quot. sacr.* I *messis Hebdomas.*
23 23 *dies.* *quot. sacr.*
24 24 *dies.* *quot. sacr.*
25 25 *dies.* *quot. sacr.*
26 26 *dies.* *quot. sacr.*
27 27 *dies.* *quot. sacr.*
28 28 *dies. Sabbatum.* *quot. sacr. & Sabbati.*
29 29 *dies.* *quot. sacr.* II *messis Hebdomas.*
30 30 *dies.* *quot. sacr.*

A P R I L I S.

Secundus mensis, sive Jar. Dies XXIX.

31 1 *dies. Neomeniæ.* *quot. sacr. & Neomeniæ.*
32 2 *dies.* *quot. sacr.*
33 3 *dies.* *quot. sacr.*
34 4 *dies.* *quot. sacr.*
35 5 *dies. Sabbatum.* *quot. sacr. & Sabbati.*
36 6 *dies.* *quot. sacr.* III *messis Hebdomas.*
37 7 *dies.* *quot. sacr.*
38 8 *dies.* *quot. sacr.*
39 9 *dies.* *quot. sacr.*
40 10 *dies.* *quot. sacr.*
41 11 *dies.* *quot. sacr.*
42 12 *dies. Sabbatum.* *quot. sacr. & Sabbati.*
43 13 *dies.* *quot. sacr.* IV. *messis Hebdomas.*

44	14 *dies*.		*quot. ſacr.*
45	15 *dies*.		*quot. ſacr.*
46	16 *dies*.		*quot. ſacr.*
47	17 *dies*.		*quot. ſacr.*
48	18 *dies*.		*quot. ſacr.*
49	19 *dies*.	*Sabbatum*.	*quot. ſacr. & Sabbati*.
50	20 *dies*.		*quot. ſacr.* v *meſſis Hebdomas*.
51	21 *dies*.		*quot. ſacr.*
52	22 *dies*.		*qnot. ſacr.*
53	23 *dies*.		*quot. ſacr.*

Feſtum arcis mundatæ a Simone Principe.

54	24 *dies*.		*quot. ſacr.*
55	25 *dies*.		*quot. ſacr.*
56	26 *dies*.	*Sabbatum*.	*quot. ſacr. & Sabbati*.
57	27 *dies*.		*quot. ſacr.* VI *meſſis Hebdomas*.
58	28 *dies*.		*quot. ſacr.*
59	29 *dies*.		*quot. ſacr.*

M A J U S.

Tertius menſis, ſeu Sivan. Dies XXX.

60	1 *dies*.	*Neomenia*.	*quot. ſacr. & Neomeniæ*.
61	2 *dies*.		*quot. ſacr.*
62	3 *dies*.		*quot. ſacr.*
63	4 *dies*.	*Sabbatum*.	*quot. ſacr. & Sabbati*.
64	5 *dies*.		*quot. ſacr.* VII. *meſſis Hebdomas*.
65	6 *dies*.		*quot. ſacr.*

Feſtum Hebdomadum, ſeu Pentecoſtes. Sacrificium Hebdomadum.

66	7 *dies*.		*quot. ſacr.*
67	8 *dies*.		*quot. ſacr.*
68	9 *dies*.		*quot. ſacr.*
69	10 *dies*.		*quot. ſacr.*
70	11 *dies*.	*Sabbatum*.	*quot. ſacr. & Sabbati*.
71	12 *dies*.		*quot. ſacr.*
72	13 *dies*.		*quot. ſacr.*
73	14 *dies*.		*quot. ſacr.*
74	15 *dies*.		*quot. ſacr.*
75	16 *dies*.		*quot. ſacr.*
76	17 *dies*.		*quot. ſacr.*
77	18 *dies*.	*Sabbatum*.	*quot. ſacr. & Sabbati*.
78	19 *dies*.		*quot. ſacr.*
79	20 *dies*.		*quot. ſacr.*
80	21 *dies*.		*quot. ſacr.*
81	22 *dies*.		*quot. ſacr.*
82	23 *dies*.		*quot. ſacr.*
83	24 *dies*.		*quot. ſacr.*
84	25 *dies*.	*Sabbatum*.	*quot. ſacr. & Sabbati*.
85	26 *dies*.		*quot. ſacr.*
86	27 *dies*.		*quot. ſacr.*
87	28 *dies*.		*quot. ſacr.*
88	29 *dies*.		*quot. ſacr.*
89	30 *dies*.		*quot. ſacr.*

J U N I U S.

Quartus mensis, seu Tamuz. Dies XXIX.

90	*1 dies.*	*Neomenia.*	*quot. sacr. & Neomeniæ.*
91	*2 dies.*	*Sabbatum.*	*quot. sacr. & Sabbati.*
92	*3 dies.*		*quot. sacr.*
93	*4 dies.*		*quot. sacr.*
94	*5 dies.*		*quot. sacr.*
95	*6 dies.*		*quot. sacr.*
96	*7 dies.*		*quot. sacr.*
97	*8 dies.*		*quot. sacr.*
98	*9 dies.*	*Sabbatum.*	*quot. sacr. & Sabbati.*
99	*10 dies.*		*quot. sacr.*
100	*11 dies.*		*quot. sacr.*
101	*12 dies.*		*quot. sacr.*
102	*13 dies.*		*quot. sacr.*
103	*14 dies.*		*quot. sacr.*
104	*15 dies.*		*quot. sacr.*
105	*16 dies.*	*Sabbatum.*	*quot. sacr. & Sabbati.*
106	*17 dies.*		*quot. sacr.*
107	*18 dies.*		*quot. sacr.*
108	*19 dies.*		*quot. sacr.*
109	*20 dies.*		*quot. sacr.*
110	*21 dies.*		*quot. sacr.*
111	*22 dies.*		*quot. sacr.*
112	*23 dies.*	*Sabbatum.*	*quot. sacr. & Sabbati.*
113	*24 dies.*		*quot. sacr.*
114	*25 dies.*		*quot. sacr.*
115	*26 dies.*		*quot. sacr.*
116	*27 dies.*		*quot. sacr.*
117	*28 dies.*		*quot. sacr.*
118	*29 dies.*		*quot. sacr.*

J U L I U S.

Quintus mensis, seu Ab. Dies XXX.

119	*1 dies.*	*Neomenia, & Sabbatum.*	*quot. sacr. Neomeniæ, & Sabbati.*
120	*2 dies.*		*quot. sacr.*
121	*3 dies.*		*quot. sacr.*
122	*4 dies.*		*quot. sacr.*
123	*5 dies.*		*quot. sacr.*
124	*6 dies.*		*quot. sacr.*
125	*7 dies.*		*quot. sacr.*
126	*8 dies.*	*Sabbatum.*	*quot. sacr. & Sabbati.*
127	*9 dies.*		*quot. sacr.*
128	*10 dies.*		*quot. sacr.*
129	*11 dies.*		*quot. sacr.*
130	*12 dies.*		*quot. sacr.*
131	*13 dies.*		*quot. sacr.*
132	*14 dies.*		*quot. sacr.*
133	*15 dies.*	*Sabbatum.*	*quot. sacr. & Sabbati.*
134	*16 dies.*		*quot. sacr.*
135	*17 dies.*		*quot. sacr.*
136	*18 dies.*		*quot. sacr.*

137	19 *dies*.		*quot. ſacr.*
138	20 *dies*.		*quot. ſacr.*
139	21 *dies*.		*quot. ſacr.*
140	22 *dies*.	*Sabbatum*.	*quot. ſacr. & Sabbati.*
141	23 *dies*.		*quot. ſacr.*
142	24 *dies*.		*quot. ſacr.*
143	25 *dies*.		*quot. ſacr.*
144	26 *dies*.		*quot. ſacr.*
145	27 *dies*.		*quot. ſacr.*
146	28 *dies*.		*quot. ſacr.*
147	29 *dies*.	*Sabbatum*.	*quot. ſacr. & Sabbati.*
148	30 *dies*.		*quot. ſacr.*

A U G U S T U S.

Sextus menſis, ſeu Elul. Dies XXIX.

149	1 *dies*.	*Neomenia*.	*quot. ſacr. & Neomeniæ.*
150	2 *dies*.		*quot. ſacr.*
151	3 *dies*.		*quot. ſacr.*
152	4 *dies*.		*quot. ſacr.*
153	5 *dies*.		*quot. ſacr.*
154	6 *dies*.	*Sabbatum*.	*quot. ſacr. & Sabbati.*
155	7 *dies*.		*quot. ſacr.*
156	8 *dies*.		*quot. ſacr.*
157	9 *dies*.		*quot. ſacr.*
158	10 *dies*.		*quot. ſacr.*
159	11 *dies*.		*quot. ſacr.*
160	12 *dies*.		*quot. ſacr.*
161	13 *dies*.	*Sabbatum*.	*quot. ſacr. & Sabbati.*
162	14 *dies*.		*quot. ſacr.*
163	15 *dies*.		*quot. ſacr.*
164	16 *dies*.		*quot. ſacr.*
165	17 *dies*.		*quot. ſacr.*
166	18 *dies*.		*quot. ſacr.*
167	19 *dies*.		*quot. ſacr.*
168	20 *dies*.	*Sabbatum*.	*quot. ſacr. & Sabbati.*
169	21 *dies*.		*quot. ſacr.*
170	22 *dies*.		*quot. ſacr.*
171	23 *dies*.		*quot. ſacr.*
172	24 *dies*.		*quot. ſacr.*
173	25 *dies*.		*quot. ſacr.*
174	26 *dies*.		*quot. ſacr. & Sabbati.*
175	27 *dies*.	*Sabbatum*.	*quot. ſacr.*
176	28 *dies*.		*quot. ſacr.*
177	29 *dies*.		*quot. ſacr.*

S E P T E M B E R.

Septimus menſis, ſeu Tiſri. Dies XXX.

178	1 *dies*.	*Neomenia*.	*quot. ſacr. & Neomeniæ.*

Festum Tubarum. Cessatur ab opere. Offertur holocaustum proprium. Ab hoc die Judæi annum incipiunt, mundum in hoc creatum esse putantes.

179	2 *dies.*	*quot. sacr.*
180	3 *dies.*	*quot. sacr.*

Jejunium propter mortem Godoliæ.

181	4 *dies.*	*quot. sacr.*
182	5 *dies. Sabbatum.*	*quot. sacr. & Sabbati.*
183	6 *dies.*	*quot. sacr.*
184	7 *dies.*	*quot. sacr.*
185	8 *dies.*	*quot. sacr.*
186	9 *dies.*	*quot. sacr.*
187	10 *dies.*	*quot. sacr.*

Festum Expiationum, seu Propitiationis cum Jejunio. Indictio Jobelei in annum septimum, & quinquagesimum. Offertur holocaustum proprium.

188	11 *dies.*	*quot. sacr.*
189	12 *dies. Sabbatum.*	*quot. sacr. & Sabbati.*
190	13 *dies.*	*quot. sacr.*
191	14 *dies.*	*quot. sacr.*
192	15 *dies.* Collecta fructuum. *Scenopegiæ.*	I. *dies Tabernaculorum. Sive quot. sacr.*

Cessatur ab opere. Dies celeberrimus. Proprium sacrificium fit.

193	16 *dies.* II. *dies Tab.*	*quot. sacr. & proprium.*
194	17 *dies.* III. *dies Tab.*	*quot. sacr. & proprium.*
195	18 *dies.* IV. *dies Tab.*	*quot. sacr. & proprium.*
196	19 *dies.* V. *dies Tab. Sabbatum.*	*quot. sacr. & Sabbati. & proprium.*
197	20 *dies.* VI. *dies Tab.*	*quot. sacr. & proprium.*
198	21 *dies.* VII. *dies Tab.*	*quot. sacr. & proprium.*
199	22 *dies.* VIII. *dies Tab.*	*quot. sacr. & proprium.*

Cessatur ab opere. Dies celeberrimus.

200	23 *dies.*	*quot. sacr.*

Encænia templi Salomonis.

201	24 *dies.*	*quot. sacr.*
202	25 *dies.*	*quot. sacr.*
203	26 *dies. Sabbatum.*	*quot. sacr. & Sabbati.*
204	27 *dies.*	*quot. sacr.*
205	28 *dies.*	*quot. sacr.*
206	29 *dies.*	*quot. sacr.*
207	30 *dies.*	*quot. sacr.*

OCTOBER.

Mensis Octavus, seu Mareshuan. Dies XXIX.

208	1 *dies. Neomenia.*	*quot. sacr. & Neomeniæ.*
209	2 *dies.*	*quot. sacr.*
210	3 *dies.*	*quot. sacr.*

211	4 *dies*.		*quot. ſacr.*
212	5 *dies*.		*quot. ſacr.*
213	6 *dies*.		*quot. ſacr.*
214	7 *dies*.		*quot. ſacr.*
215	8 *dies*.		*quot. ſacr.*
216	9 *dies*.		*quot. ſacr.*
217	10 *dies*.	*Sabbatum.*	*quot. ſacr. & Sabbati.*
218	11 *dies*.		*quot. ſacr.*
219	12 *dies*.		*quot. ſacr.*
220	13 *dies*.		*quot. ſacr.*
221	14 *dies*.		*quot. ſacr.*
222	15 *dies*.		*quot. ſacr.*
223	16 *dies*.		*quot. ſacr.*
224	17 *dies*.	*Sabbatum.*	*quot. ſacr. & Sabbati.*
225	18 *dies*.		*quot. ſacr.*
226	19 *dies*.		*quot. ſacr.*
227	20 *dies*.		*quot. ſacr.*
228	21 *dies*.		*quot. ſacr.*
229	22 *dies*.		*quot. ſacr.*
230	23 *dies*.		*quot. ſacr.*
231	24 *dies*.	*Sabbatum.*	*quot. ſacr. & Sabbati.*
232	25 *dies*.		*quot. ſacr.*
233	26 *dies*.		*quot. ſacr.*
234	27 *dies*.		*quot. ſacr.*
235	28 *dies*.		*quot. ſacr.*
236	29 *dies*.		*quot. ſacr.*

N O V E M B E R.

Nonus menſis, ſive Caſſeu. Dies XXX.

237	1 *dies*.	*Neomenia.*	*quot. ſacr. & Neomeniæ.*
238	2 *dies*.	*Sabbatum.*	*quot. ſacr. & Sabbati.*
239	3 *dies*.		*quot. ſacr.*
240	4 *dies*.		*quot. ſacr.*
241	5 *dies*.		*quot. ſacr.*
242	6 *dies*.		*quot. ſacr.*
243	7 *dies*.		*quot. ſacr.*
244	8 *dies*.		*quot. ſacr.*
245	9 *dies*.	*Sabbatum.*	*quot. ſacr. & Sabbati.*
246	10 *dies*.		*quot. ſacr.*
247	11 *dies*.		*quot. ſacr.*
248	12 *dies*.		*quot. ſacr.*
249	13 *dies*.		*quot. ſacr.*
250	14 *dies*.		*quot. ſacr.*
251	15 *dies*.		*quot. ſacr.*
252	16 *dies*.	*Sabbatum.*	*quot. ſacr. & Sabbati.*
253	17 *dies*.		*quot. ſacr.*
254	18 *dies*.		*quot. ſacr.*
255	19 *dies*.		*quot. ſacr.*
256	20 *dies*.		*quot. ſacr.*
257	21 *dies*.		*quot. ſacr.*
258	22 *dies*.		*quot. ſacr.*
259	23 *dies*.	*Sabbatum.*	*quot. ſacr. & Sabbati.*
260	24 *dies*.		*quot. ſacr.*
261	25 *dies*.		*quot. ſacr.*

Puri-

Purificatio templi per Judam Maccabæum, quæ inter Encænia refertur. Festum ignis cœlestis suscitati, quod Luminaria dicitur. Festum Judith.

262	26 *dies.*		*quot. sacr.*
263	27 *dies.*		*quot. sacr.*
264	28 *dies.*		*quot. sacr.*
265	29 *dies.*		*quot. sacr.*
266	30 *dies.*	*Sabbatum.*	*quot. sacr. & Sabbati.*

DECEMBER.

Mensis Decimus, Thebet. Dies XXIX.

267	1 *dies.*	*Neomenia,*	*quot. sacr. & Neomeniæ.*
268	2 *dies.*		*quot. sacr.*
269	3 *dies.*		*quot. sacr.*
270	4 *dies.*		*quot. sacr.*
271	5 *dies.*		*quot. sacr.*
272	6 *dies.*		*quot. sacr.*
273	7 *dies.*	*Sabbatum.*	*quot. sacr. & Sabbati.*
274	8 *dies.*		*quot. sacr.*
275	9 *dies.*		*quot. sacr.*
276	10 *dies.*		*quot. sacr.*

Judæi jejunant in memoriam obsidionis Nabucdonosor.

277	11 *dies.*		*quot. sacr.*
278	12 *dies.*		*quot. sacr.*
279	13 *dies.*		*quot. sacr.*
280	14 *dies.*	*Sabbatum.*	*quot. sacr. & Sabbati.*
281	15 *dies.*		*quot. sacr.*
282	16 *dies.*		*quot. sacr.*
283	17 *dies.*		*quot. sacr.*
284	18 *dies.*		*quot. sacr.*
285	19 *dies.*		*quot. sacr.*
286	20 *dies.*		*quot. sacr.*
287	21 *dies.*	*Sabbatum.*	*quot. sacr. & Sabbati.*
288	22 *dies.*		*quot. sacr.*
289	23 *dies.*		*quot. sacr.*
290	24 *dies.*		*quot. sacr.*
291	25 *dies.*		*quot. sacr.*
292	26 *dies.*		*quot. sacr.*
293	27 *dies.*		*quot. sacr.*
294	28 *dies.*	*Sabbatum.*	*quot. sacr. & Sabbati.*
295	29 *dies.*		*quot. sacr.*

JANUARIUS.

Undecimus Mensis, seu Sebath. Dies XXX.

296	1 *dies.*	*Neomenia.*	*quot. sacr. & Neomeniæ.*
297	2 *dies.*		*quot. sacr.*
298	3 *dies.*		*quot. sacr.*
299	4 *dies.*		*quot. sacr.*
300	5 *dies.*		*quot. sacr.*
301	6 *dies.*	*Sabbatum.*	*quot. sacr. & Sabbati.*

302	7 dies.		quot. ſacr.
303	8 dies.		quot. ſacr.
304	9 dies.		quot. ſacr.
305	10 dies.		quot. ſacr.
306	11 dies.		quot. ſacr.
307	12 dies.		quot. ſacr.
308	13 dies.	Sabbatum.	quot. ſacr. & Sabbati.
309	14 dies.		quot. ſacr.
310	15 dies.		quot. ſacr.
311	16 dies.		quot. ſacr.
312	17 dies.		quot. ſacr.
313	18 dies.		quot. ſacr.
314	19 dies.		quot. ſacr.
315	20 dies.	Sabbatum.	quot. ſacr. & Sabbati.
316	21 dies.		quot. ſacr.
317	22 dies.		quot. ſacr.
318	23 dies.		quot. ſacr.
319	24 dies.		quot. ſacr.
320	25 dies.		quot. ſacr.
321	26 dies.		quot. ſacr.
322	27 dies.	Sabbatum.	quot. ſacr. & Sabbati.
323	28 dies.		quot. ſacr.
324	29 dies.		quot. ſacr.
325	30 dies.		quot. ſacr.

F E B R U A R I U S.

Duodecimus menſis, ſeu Adar. Dies XXIX.

326	1 dies.	Neomenia.	quot. ſacr. & Neomeniæ.
327	2 dies.		quot. ſacr.
328	3 dies.		quot. ſacr.
329	4 dies.	Sabbatum.	quot. ſacr. & Sabbati.
330	5 dies.		quot. ſacr.
331	6 dies.		quot. ſacr.
332	7 dies.		quot. ſacr.
333	8 dies.		quot. ſacr.
334	9 dies.		quot. ſacr.
335	10 dies.		quot. ſacr.
336	11 dies.	Sabbatum.	quot. ſacr. & Sabbati.
337	12 dies.		quot. ſacr.
338	13 dies.		quot. ſacr.
339	14 dies.		quot. ſacr.

Feſtum victoriæ de Nicanore a Juda Maccabæo partæ.
Jejunium Eſther.

Feſtum Mardochæi, ſive Feſtum ſortium minus.

340	15 dies.		quot. ſacr.

Feſtum ſortium majus.

341	16 dies.		quot. ſacr.
342	17 dies.		quot. ſacr.
343	18 dies.	Sabbatum.	quot. ſacr. & Sabbati.
344	19 dies.		quot. ſacr.
345	20 dies.		quot. ſacr.
346	21 dies.		quot. ſacr.
347	22 dies.		quot. ſacr.

348	23 *dies.*	*quot. ſacr.*

Encænia Templi Zorobabelis.

349	24 *dies.*	*quot. ſacr.*
350	25 *dies. Sabbatum.*	*quot. ſacr. & Sabbati.*
351	26 *dies.*	*quot. ſacr.*
352	27 *dies.*	*quot. ſacr.*
353	28 *dies.*	*quot. ſacr.*
354	29 *dies.*	*quot. ſacr.*

MENSIS INTERCALARIS

Veadar, ſive ſecundus Februarius.

Inde ſecundo quoque anno menſem intercalabant dierum XXII. & quarto dierum XXIII. Atque ita Lunaris annus dierum CCCLIV. redigebatur ad annum Solarem dierum CCCLXV. & quatuor horarum. Is menſis tertius decimus Veadar dicitur.

J. N. I.



I. N. J.

CAROLI SIGONII DE REPUBLICA HEBRÆORUM LIBER IV.

Qui de ſacris ritibus inſcribitur.

CAPUT PRIMUM.

De generibus ſacrorum rituum.

SI M. Cicero, vir non modo diſertiſſimus, ſed etiam omni doctrinæ genere inſtructiſſimus, de natura Deorum inter gentiles cœleſtis veritatis ignaros acturus, initio ſibi exclamandum eſſe putavit, ut omnes adeſſent, cognoſcerent, animadverterent, quid de religione, pietate, ſanctitate, cæremoniis, quid de templis, delubris, ſacrificiiſque ſolennibus exiſtimandum eſſet; multo ego juſtius inter Chriſtianos, quibus vera Dei comperta religio, id ipſum facere debeo, hiſtoriam Hebraicorum, ut pollicitus ſum, rituum traditurus: quod hæc narratio, ut eximia ſanctitate referta, ſic incredibili obſcuritate, ne dicam atra quadam quaſi nocte, perfuſa ſit. Continet enim majorem cæremoniarum veterum partem, quas Deus lege ſua complexus eſt. Quæ hæc ſalutifera noſtra ſub auguſtis quibuſdam velamentis ſignificantes, ut in clara olim Eccleſiæ luce verſatæ ſunt, ſic nunc cæcis prope oblivionis atque ignorantiæ tenebris involutæ non modicam interpretis operam ſtudiumque requirunt. Verum ſcriptura duce, atque induſtria comite, hanc quoque diſpellere caliginem enitemur.

Ritus ergo ſacri apud Hebræos multi fuerunt, verum [1] præcipuum ſibi inter eos

locum Oblationes vindicaverunt. Hæ vero duorum fuere generum, unum Sacrificii, Hostiæ & Victimæ; alterum Doni & Muneris nomine nuncupatum. Utrumque autem tribus potissimum de caussis fuisse videtur oblatum; Divini numinis, cui omnis honos convenit, honorandi; salutis ac pacis ab eo impetrandæ; & peccati expiandi atque delendi. Unde illud est primo Levitici: *De armento masculum immaculatum offeret ad placandum sibi Dominum.* & octavo primi Regum: *Juravi domui Heli, quod non expietur iniquitas ejus victimis & muneribus usque in æternum.* & octavo ad Hebræos: *Omnis Pontifex ad offerendum munera & hostias constituitur.* & quinto: *Omnis Pontifex constitutus, ut offerat dona & sacrificia pro peccatis.* Sed de Donis posterius, nunc de Sacrificiis.

NOTÆ AD CAPUT PRIMUM.

[1] *Præcipuum locum Oblationes.*) De Sacrificiorum origine varie disquiritur. Sunt non pauci Rabbinorum, Romano-Catholicorum & Socinianorum, qui volunt, Sacrificia nobis esse natura nota. R. *Abarbanel. fol.* 228. *col.* 3. *comm. in Leg.* Hoc profert ex versione celeb. *Frischmuthi*. Adamus & filii ejus sacrificia ideo immolarunt, quod sibi persuaderent, se hoc pacto Deo servire. Cum enim supra altari adipem & renes sacrificii comburerent, perinde (putabant) fore, ac si sua ipsorum intestina offerrent, quæ cogitationum sunt instrumenta &c. & quæ alia sunt, quæ si penitius considerantur, dicendum erit: Deum juxta Judæorum sententiam, Sacrificia ab hominibus excogitata prius & in usum recepta, per accidens quasi in remedium peccatorum constituisse. Hos sequuntur non pauci *Romano-Catholicorum*, qui sacrificiorum originem humanæ adscribunt rationi. Ita *Bellarmin. lib.* 1. *de Missa. c.* 20. aperte pronuntiat: Sacrificia non esse in lege Mosaica instituta, sed *ex lege naturæ ortum habere ceu id pateat ex Sacrificiis Abelis, Job & aliorum*. Quod etiam *Becanus de tripl. Sacrif. lib.* 1. *c.* 1. *n.* 4. confirmat, Abelem cum fratre hunc cultum ex dictamine rationis didicisse dicens. His non adversatur *Estius comment. in Hebr. c.* 10. scribens: *Ea quæ obtulerunt Abel, Abraham & alii ante legem, nec Veteris nec Novæ Legis erant instituta, Deo tamen placita propter offerentium devotionem*. Imo *Thomas* hanc suam sententiam probat autoritate, cum *part.* 3. *Sum. q.* 60. *art.* 3. ait: Sicut in statu legis naturæ homines nulla lege exterius data, sed solo instinctu movebantur ad Deum colendum, ita & interiori instinctu determinabantur eis, quibus sensibilibus ad cultum Dei uterentur. Confer ex aliis si lubet *Gregor de Valent. lib.* 1. *de Miss. Sacrif. c.* 4. *Socinianis* quoque hæc arridet assertio, ut & *Arminianis*, sicut ex ipsorum ductore *Simon. Episcopio* videre est qui *lib.* 1. *instit. Theolog. de relig. natural. c.* 2. ita differit: Abelem fide sola, nullo præcepto divino adductum i. e. rationis rectæ solius instinctu judicasse, Deum Sacrificiis colendum esse. Et sane tam *Sociniani* quam *Arminiani* hoc idem cornu inflant de religione naturali, qua justos primævos suis viribus per legem naturæ, sive per obedientiam operum, quatenus est fœtus, partus & proprietas naturalis fidei, salvatos esse utrique volunt. vid. D. *Calov. Socinianism. profligat. pag.* 701. & *Consid. Arminianismi. p.* 181. ut & *Samuel. Rhetorfort. Examen Arminianismi pag.* 501. Nec dubitandum est *Socinianos* sententiam suam a *Pelagio* hausisse, qui deliria illa a *Pharisæis* erta propagavit, uti non inique censet *Ursin.* in *Miscell. lib.* 5. *pag.* 276. Absurdum etiam est cum *Spencero in tract. de Legib.* dicere, *Adamum* e solo naturæ instinctu sacrificasse, licet enim integram consentientium farraginem recenseat clar. *Outram de sacrif. lib.* 1. *c.* 1. Non tamen ei sententiæ tuto assensus præberi potest: vix enim crediderim agere me aliquid in fide posse nullo præcepto divino adductum, vel idem esse, ex fide agere & ex ratione, vel fidem ullam esse, quæ non respiceret tam præceptum, quam promissum. Unde non videmus qui se extricare queant *Spencerus*, *Grotius de jure bell. & pac. lib.* 1. aliique qui Sacrificia ad solum naturæ jus referunt, quid enim est jus naturæ? Ea in re a *Grotio* informabimur, cum ille validus sit, & argutus sententiæ *Spencerianæ* Patronus. *Jus*, inquit, *naturale est immutabile, ut ne quidem a Deo mutari queat*. Si igitur jus naturæ est immutabile, si Sacrificia sunt e jure naturæ, nonne necessario sequitur illa, nulli non homini, nullo non tempore observanda? quod ergo ex jure naturæ agimus & quidem recte agimus, id quoque Deo imperante agimus, cum lex naturæ sit maxime divina, & ea ipsa, quæ gentes reddet ἀναπολογήτους. Et cedo quid hac opinione absurdius? etenim si adeo immutabilia sunt Sacrificia, ut ne a Deo quidem mutari queant, nonne inde sequitur, in hunc ipsum diem continuanda ea esse, non spiritualia tantum & eucharistica & hilastica, sed externa hircorum & ovium, quo quid absurdius? Quæ cum ita sint, non possum non quin exosculer *Eusebii* verba, quæ ita *l.* 1. *c.* 10. jacent. *Ad id faciendum non fortuito consilio nec humano motu aut ratione eo inductos fuisse existimo*: quæ non adeo clara dilucidius adhuc habet Athanasius apud *Leidekerum vis veritat. liber.* 1. *pag.* 186. sequentibus: *Quæ enim docuit Moses eadem ab Abrahamo observata sunt, quæ porro observavit Abraham eadem Noe & Henoch agnoverunt; distinguentes munda & immunda, & gratiosi apud Deum fuerunt, Abel quoque hujus rei testis est habendus, qui ea, quæ ab Adamo acceperat, obtulit Deo, Adam autem magisterio Dei instructus fuit*. Quare rectissime hi agunt, qui statuunt, Sacrificia divinæ institutionis esse, ut fuse & prolixe demonstravit *Joh. Frischmuth dissertat. Ienæ habita de Messiæ pro reatu se tradentis hostia. prodiit anno* 1672. §. 29. 30. Sed sit vel ita (quod tamen concedi non potest) profecta sunt a solo naturæ ductu Sacrificia quidni omnes omnino gentes sacrificaverunt? nonne a *Julio Cæsare* discimus *lib.* 6. *de bell. Gall.* quod nec *Druydas* Germani habuerint, nec sacrificiis studuerint? Nonne idem apud Americanorum plerosque ab adventantibus, *Columbo*, *Vesputio* aliisque observatum? Quæ omnia probe considerans *Numa Pompilius*, cum, referente *Livio lib.* 1. *c.* 19. putaret Deorum metum sine aliquo miraculo descendere ad homines non posse, simulat cum *Dea Egeria* congressus sibi nocturnos esse, ejusque se monitu quæ acceptissima Diis essent sacra instituere. Scilicet noverat probe *Numa* non inveniri ab homine posse Sacrificia, aut ab ejus authoritate pendere, ergo ut eo sanctius ejus evaderet propositum, immortales Deos pro authoribus vendidit. Quid quod minime sententiæ nostræ, quod e *Bibliis* adfert dictum *Spencerus*, obstat, quod scil. hircorum se sanguine delectari negat Deus, hoc enim non alium in finem a Propheta dictum, quam ut probet puras putas victimas per se esse inutiles, doceatque non ea sola delectare Dominum, & eo ipso perstringat eos, qui absque omni fide immolabant. Attendat itaque benevolus Lector & observet, primum Sacrificia non esse ex puro naturæ instinctu orta, dein *Adamum* & *Abelem* primos fuisse Sacrificatores, non vero (ceu credit Spencerus) rudes & non politos; dein ea fuisse typum Christi; ultimo primariam eorum causam non σκληροκαρδίαν Judæorum fuisse. Sequitur infallibiliter, naturam non posse dictare aliquid, quod est typicum, & illud quod est typicum non posse originem debere gentium peccatis aut conjecturis a Diaboli cacozelia profectis. Plura qui desiderat evolvat celeberrimi *Wormii antiq. lib.* 1. *edit. Hafn.* 1693. *pag. m.* 92. Breviter notandum quod

1. fide obtulerit Abel. Ergo ex præcepto Dei seu revelatione, nam fides est ex auditu. 2. Cultus qui fit sine Dei mandato, Deo ingratus est 3. natura non docet pecudum sanguine peccata posse elui. 4. Sacrificia sunt picturæ Christi. *Hebr.* 10. 1. Ast natura Christum non depingit. Ergo humanæ institutionis esse non possunt.

CAPUT SECUNDUM.

De generibus sacrificiorum.

[1] SAcrificium ergo appellarunt, cum sacerdotes [2] rem non modo obtulerunt, sed etiam sacram Deo fecerunt; exempli gratia [3] victimam, cum eam mactarunt, & sanguinem fuderunt; frumentum, cum triverunt; similam, cum oleo conspersam in sartagine frixerunt; thus, cum adoleverunt. Ex quibus liquet, rem sacram Deo factam esse præcipue vel per sanguinem vel per ignem; per sanguinem, ut victimæ, cum cædebantur; per ignem, ut libamina, cum aut in clibano, aut in sartagine, aut in craticula coquebantur. Quanquam ad victimas etiam ignis adhibebatur, cum aut adeps, aut exta concremabantur, aut carnes incendebantur, aut vescendi caussa in olla elixabantur, vel flamma adurebantur; idque [4] Græce θυσία dictum est. Hæc porro tanto in speciem apparatu peracta sunt, ut ea interire utile fuerit. Quis enim (inquit Homilia XXIII. Origenes) intuens sanctuarium, altare, ac sacerdotes, sacrificiis operantes, & omnem ordinem quo cuncta gerebantur, non putaret plenissimum eum esse ritum, quo Deus Creator ab omni humano genere coli deberet? Sed gratias adventui Christi, qui oculos nostros abejus modi aspectu removit, atque animos ad contemplationem rerum cœlestium spiritualiumque traduxit.

Ceterum [5] sacrificia sex in Levitico deinceps tradidit Deus, Holocaustum, Libamina, Pacifica, Sacrificium pro peccatis, Sacrificium pro delictis, & Sacrificium Consecrationis. Quorum quinque priora ad tria Philo retulit, vir inter Hebræos & Græcos eruditissimus, Holocaustum, Pacifica, & pro peccatis, prout tres, ut dixi, caussæ fuere sacrificii offerendi. Verba ejus sunt in libro de sacrificiis hæc: *Sacrificia omnia ad tria redegit Legislator, Holocaustum, sive Salutare, & Sacrificium pro peccatis.* Inde addit: *Si quis inquirere velit causas; cur prisci illi sacrificia factitarint, tres inveniet; unam, cultum Dei per se honestum, ac necessarium; alteram, utilitatem sacrificantium, quæ duplex est, dum bona impetramus, & malis liberamur. Primo generi, quod solum Dei honorem sibi proposuit, Lex apte Holocaustum tribuit: quoniam victima integra absumitur, humana cupiditate nihil inde sibi usurpante. Alterum genus Lex subdistinguit, ut alio bona quærantur, quod nominatur pro salute, alio fuga mali, quod pro peccato dicitur. Atque ita Holocaustum solius est Dei, cui semper debetur honos, etiamsi nihil expectamus ab eo gratiæ, reliquæ duæ species ad nos proprie pertinent, una salutem postulans, & profectum in melius, altera veniam peccatorum, & medicinam eorum quæ deliquit anima.* Ex his porro sacrificiis, quinque a privatis, atque a populo, per sacerdotem oblata sunt; sextum fuit proprium sacerdotum propter consecrationem ipsorum. Horum autem omnium modum ritumque Deus in lege præscripsit, addens quædam etiam de sacrificio mundationis, expiationis, sive propitiationis & oblationis incensi. Quare in his omnibus explicandis eam rationem tuebimur, ut primum quæ in lege tradita sunt, seorsum de singulis afferamus, deinde quæ de omnibus extra legem compererimus, exponamus.

NOTÆ AD CAPUT SECUNDUM.

[1] *Sacrificium.*) Hebraice vocatur זבח, quæ vox suos natales radici זבח *mactavit*, debet. Per metonym. pecudem mactatam in conviviis comedendam aliis præbuit, aut Deo Idolisve obtulit in sacris, sacrificavit, immolavit. *Gen.* 31. 54. & *Jacob. mactabat*. Angl. *And Jacob slew a slaughter for a feast.* addit *Henry Ainsworth. fol.* 118. 1. *Samuel.* 28. 24. 1. *Reg.* 19. 21. His in locis *mactationem* ad convivia hominum, in cæteris vero ad Sacrificia Dei aut idolorum denotat. Hinc constat, quod τὸ *mactare* aliquid generale sit, & tam sacris, quam profanis rebus competat vid. *Eduard Ligh. Critic. V.T. pag. m.* 98. edit. *Francof. in* 4. & tam pro *profana*, quam *sancta* mactatione usurpetur. Unde R. *Elias German.* in *libr. Radic.* R. *David. Kimchi* animadversionem hanc non contemnendam exhibent. τὸ זבח plerumque non nisi de sacrificiis Deo benedicto, vel idolis oblatis usurpatum occurrit. Duobus tantum locis in lege de re minime sacra adhibetur. *Genes.* 31. 5. *Num.* 21. 40. & 1. *Reg.* 1. 9. Ubi in prioribus locis exstat: Et *mactavit Jacob*, & *mactavit Balack*. In posteriori, ubi de *Adonia* agitur. Quamvis autem זבח generalis admodum sit, non tamen late patet, ut ubique in Scriptura omnia omnino sacri-

ficia eorumque species sub suo complexu generico contineat. Nam ut *R. Abarb. Comment. in leg. pag.* 226. *col.* 2. notat: *Est oblatio, quæ non involvit mactationem nempe oblatio avis: nulla autem ibi est mactatio. Mincha quoque vocatur Korban neque tamen illa rei viventis est, in quam cadat mactatio.* Hinc patet τὸ זבח ea tantum respicere Sacrificia, quæ mactatilibus constabant, quæque mactando perficiebantur & dici possunt *cruenta* & *sanguinea*. vid. *D. Geier. comment. in Psalm. conf. celeber. Frischmuth. dissert. de hostia Messiæ pro reatu se tradentis edit. Jenens.* 1672. *Quensted. antiquit. Bibl. pag. m.* 225. *Eduard Ligh. Critic. pag.* 98. טבח idem juxta nonnullos putat ac זבח modo quod literæ permutentur. *Schindler Lexic. Pentaglott.* Et *Rivet. in Exod.* 22. vid. *Jun.* in *Genes.* 31. 54. טבח de mactatione animalium dicitur, quæ non sacrificantur, at זבח sæpissime de mactatione pecorum sacra, i. e. Sacrificatione, sæpe Sacrificia Israelitarum, quæ sine vera fide atque ritu Deo vel Diis offerebantur, mactationes per contemtum a Spiritu Sancto appellantur, quoniam coram Deo nihil aliud, quam profanæ animalium mactationes, in quibus solis Israelitarum animi erant defixi. conf. *Guil. Stuck. descript. Sacrif. Gentil. fol. m.* 10. *edit. Tigur. Eduard. Ligh. Critic. Vet. Test. pag.* 99. *Saubert. de Sacrif. cap.* 1. *pag.* 14.

[2] *Rem sacram fecerunt.*) Recte Sacrificium a Sacrificare seu rem sacram facere autor noster deducit, ita ut Sacrificium sit *sacrum factum*. *Isid. Etym.* 6. 19. Sacrum est omne, quod Deorum habetur; vel quod publica authoritate Deo rite consecratum est; ut sacri luci, templa, ornamenta & omnia, quæ publico civitatis instituto aut permissu Principis, Deo sive in agro, sive in civitate dedicata fuerunt: (unde consecrare, obsecrare, resecrare, resecrare & similia. *Cœl. Rhodigin. antiq. Lect. lib.* 12. *c.* 11. 12.) Differt a *Sancto*, quod hoc sit id, quod ab injuria hominum defensum atque munitum est, dictum a Sagminibus; quæ erant herbæ, quas Legati Populi Romani ferre solebant, ne quis eos violaret; sicut Legati Græcorum ferebant ea, quæ vocantur κηρύκεια; vel a sanciendo, quoniam capitit pœna in eos, qui contra deliquissent constituta eras §. 8. *&* 10. *Instit. de rer. divis. l.* 6. *§.* 3. *l.* 8. §. 9. *ff. eod in Auth. de Eccles. §. si quis autem coluerit & §. si quis ædificationem col.* 9. *Ulpianus ad edict.* 86. *Vossius l.* 5. *c.* 6. *sect.* 1. *Idol. Orig. Alciat. parerg.* 2. 4. *Aggenus comm. in Jul. Front. Gebhard. Crep.* 3. 257. Frigidiuscule igitur, ut aliquando solet in Etymis *Servius*: *Sancire proprie est sanctum aliquid. i. e. consecratum facere fuso sanguine hostiæ, & dictum sanctum quasi sanguine consecratum & sanctum*, ad *lib.* 12. *Æneid.* Sed sacrum & sanctum aliquando indifferenter sumuntur, argumento *l.* 2. *ff.* Ne quid in loco Sacro fiat. *Johann. Maria Catanæus Schol. ad Plin. epist.* 10. *l.* 1. *Mancinell. in Satyr.* 3. *Juvenal.* Quo etiam sensu viam quandam apud Romanos *sacram* dictam autumo, in qua vendebantur *poma*, *flabella*, *tesseræ*, *tali*, & incolas ejus *Sacravienses*: nisi ab eo potius derivaris, quod recta in Capitolium, Diis dedicatum locum, deduxerit. Interdum Sacrum ponitur pro *templo*. Paulus Ictus. *Sunt*, inquit, *sacrilegi*, *qui publica Sacra compilarint; at qui privata sacra vel ædiculas tentaverint, amplius quam fures.* Et quæ alia sunt quæ videnda apud *Saubert. pag.* 11. *Facere* autem, ex quo compositum est Sacrificium, simpliciter hoc loco significat ποιεῖν sive πράσσειν, *agere*, *peragere*: Quanquam apud veteres nuda hæc vox sæpe etiam pro sacrificare sumatur. *Plaut. in Rudent.* 3. 4. *Tum legirupionem hic nobiscum Diis facere postulas.* vid. *Aul.* 4. 2. *Asin.* 2. 4. *Varro lib.* 1. *de Re rustic.* Atque *facere* vel idem erit, quod reddere, sive quæ Deus postulavit pro benefactis gratum animum, sive pro peccatis piaculares, vel idem quod dare & solvere. conf. *Alciat. Lex. Plaut. voc. facere* & *Brisson. in formul.* Inde quidam *Pontificis* nomen deducere laborant a *posse* & *facere* i. e. *Sacrificare. Sacrificium itaque est sacra & externa actio, qua res quæpiam externa a certis personis loco ritibusque certis ad finem certum Diis aut Deorum loco habitis consecrabatur & offerebatur.* Sacrificii nomen hinc multa sub se & varia continet. Aliquando sumitur 1. pro omni actione invisibili & spirituali. 2. Pro ministerio & divulgatione Evangelii: 3. Pro gentium ad Deum conversione 4. Pro ardentibus precibus: 5. Pro gratiarum actione. 6. Pro beneficentia erga pauperes seu Eleemosyna: 7. Pro toto homine Deo consecrato: 8. Pro suppliciis Sanctorum: 9. Pro commemoratione passionis Christi in cruce oblati. 10. Pro hodierna rei divinæ in Christianis Ecclesiis administratione. 11. Pro externa externæ rei oblatione Deo facta. Fusius hæc habes apud *Meisner. part.* 2. *sect.* 1. Partim apud insignem erudit. *Causabon. exercit.* 16. *discurs.* 51. *&* 56. *in Baron.*

[3] *Victimam.*) Sistamus ad aras *victimas* sive hostias: Victimas *Servius* dictas putat a *Victoria*; Alii quod vi ictus percussæ conciderent; alii quod vinctæ ad altare ducerentur; *Gulielm. Stuckius in descript. Sacrif. Gentil. fol.* 8. nimis frigide a Victu, qui Sacerdotibus constiterit ex victimis. *Ælius Stilo* victimam voluit esse vitulum a vigore, & quæ alia sunt, quæ adduxit *Saubert. p.* 412. Victimarum genera Sacra Scriptura refert quæ erant *Holocaustum*, *Sacrificia Salutaria*, *Sacrificium pro peccato* & *Sacrificium pro noxa*. Sed & Sacrorum salutarium tria genera recensentur, *votivum*, *voluntarium* & *Eucharisticum*. Quibus etiam addenda sunt alia, quæ aliquo modo ad Eucharistica referri possunt, Judæisque ita vocari solent, *Salutaria Festiva*, & *Lætifica*, *aries Nazaræi*, *Sacrum Paschale*, *Sacrum Primogenitum*, *&* *quod decimando obveniebat*.

[4] *Græce* θυσία *dictum.*) θυσία proprie sacrificium ipsumque sacrificandi actum seu solennitatem, in re sacra facienda, denotat, quam *Cicero* vertit, rem divinam. ἄθυται θυσίαι sacra illegitima & polluta, apud *Philonem*, καλλίθυται & καλλιέρηται θυσίαι sacrificia bonis auspiciis aut rite facta. Aliquando feriæ, in quibus sacra fiunt, hac voce veniunt, ut apud *Lucianum* & *Aristotelem lib.* 8. *Ethic. cap.* 9. Hinc θυσίαν ποιεῖν *Plutarchus*, Θυσίαι θύσειν *Plato*. Derivant θυσίαν Prophyrius & Grammatici nonnulli ἀπὸ τῆς θυμιάσεος, propterea quod primi mortalium θυμίασιν, i. e. suffitum & evaporationem, Diis offerre solebant. Sed rectius deducitur a verbo Θύω quod ferente Eustathio duo significat. suffire, odores Diis accendere 2. sacrificare conf. *D. Saubert. de Sacrific. c.* 1. *pag. m.* 15. Sic τὸ Θύος, ut multis in locis Eustathius docet, partim θυμίαμα i. e. suffimentum, partim θυσίαν i.e. victimam, hostiam, sive bestiam sacrificiis destinatam, significat. A vocabulo Θυσία originem trahit Θῦμα, quod teste *Luciano de sacrif.* victimam denotat, & inde Θύματα veteribus erant opera pistoria, quæ animalium figuram exhibebant; & Diis immolabantur *ut lib.* 1. *Scholiast. apud Thucydidem* exponit. *conf. Dieter. antiq. bibl. f. m.* 210.

[5] *Sacrificia sex &c.*) Quorum tria sunt ἱλαστικά, seu propitiatoria, scilicet τυπικῶς, tria vero Εὐχαριστικά. Sunt qui alias sacrificiorum apud Hebræos usitatorum recensent species 1. Holocaustum sub quo Mincha, Sabbathum & Neomenia 2. Sacrificium pro peccatis, Sünd-Opffer. 3. Sacrificium pro delicto, Schuld-Opffer/ 4. sacrificium consecrationis. 6. Expiationis. 7. Pacificum, Danck- oder Gelübd-Opffer/ 8. Sacrificia ex thure, myrrha, aromatibus & farina, simila &c. item libationes Speis- und Tranck-Opffer conf. *Ising. coll. hist. quæst.* 59. §. 2. Tredecim sacrificiorum species *R. Bechai* recenset *comment. in Pentateuch. Stuckius fol. m.* 10. 11. *de sacrif.* primo illa dividit in publica & privata, deinde privata rursus in paterna & adoptiva, εὐχαριστικά vel ἱλαστικά. *Georg. Calixtus in compend. Theolog. pag. m.* 216. sacrificium proprie acceptum in tres dividit species, cui consentit *Saub. de Sacrif. cap.* 1. *pag. m.* 15. And. Willet 4. species refert in Levit. c. 1. fol. m. 17. Plura qui desiderat, legat *Cloppenburg. de sacrif. Dilherr. t.* 2. *disp.* 9. *Frischm. diss. de sacrif. Guilh. Outram. de sacrif. Judæor. De Romanorum vid. Cornel. Agrip. l.* 3. *de Occ. Phil. c.* 59. *Ravis. Theat. histor. Poet.* 1. 21. *Jonston. de festis Judæor. & Græcor. pag. m.* 49. *seqq.*

CAPUT

CAPUT TERTIUM.

De Holocaustis.

[1] HOlocaustum ergo fuit sacrificium, in quo, ex sententia Philonis, [2] honorandi, atque adeo etiam propitiandi Dei gratia, tota hostia quæ offerebatur, divino igne consumebatur, ac [3] veluti a terris in cœlum cum fumo amandabatur [4] in odorem suavitatis Deo, nam in reliquis, ut in Pacificis, pars incendebatur, ut adeps, & exta; pars tota sacerdotibus una cum libaminibus tradebatur, quod, teste in Homilia V. Origene, etiam Holocarpoma dictum est, quasi totus fructus esset ille qui Deo offerretur. Nam Holocaustum solius Dei fuit. [5] Modus autem Holocausti his verbis traditus est primo Levitici: *Homo, qui obtulerit ex vobis hostiam Domino de pecoribus, id est, bobus & ovibus,* [6] *offerens victimas, si holocaustum fuerit ejus oblatio, de armento* [7] *masculum immaculatum* [8] *offeret ad ostium Tabernaculi Testimonii ad placandum sibi Dominum,* [9] *ponetque manus super caput hostiæ, & acceptabilis erit, atque in expiationem ejus proficiens.* [10] *Immolabitque vitulum coram Domino: & offerent filii Aaron sacerdotis sanguinem ejus, fundentes per altaris circuitum, quod est ante ostium Tabernaculi.* [12] *detractaque pelle hostiæ artus in frusta concident, & subjicient in altari ignem* [13] *strue lignorum ante composita, & membra quæ sunt cæsa, desuper ordinantes, caput videlicet, & cuncta quæ adhærent jecori, intestinis, & pedibus, lotis aqua: adolebitque ea sacerdos super altaria in holocaustum & suavem odorem Domino.* Eandem vero inde rationem servandam esse docet, si agnos, aut capras, aut aves obtulerit in holocaustum. Neque enim integras legis paginas inde huc transferre, consilium est. Inde lex Holocausti traditur his verbis sexto: *Hæc est lex Holocausti. Cremabitur in altari tota nocte usque ad mane. Ignis in eodem altari erit. Vestietur tunica sacerdos, & feminalibus lineis, tolletque cineres, quos vorans ignis excussit, & ponens super altare spoliabitur prioribus vestimentis, indutusque aliis efferet extra castra, & in loco mundissimo usque ad favillam consumi faciet. Ignis autem semper in altari ardebit, quem nutriet sacerdos subjiciens ligna mane per singulos dies, & imposito holocausto desuper adolebit adipes Pacificorum. Ignis iste est perpetuus, qui nunquam deficit in altari.* Hactenus Deus. Hæc vero his verbis Philo explicuit: *Ante omnia seligatur mascula victima ex animalibus puris ad sacrificium, juvencus, aut agnus, aut hœdus. Hanc qui offert, ablutas manus imponat ejus capiti. Tum aliquis sacerdos accipiat eam, mox alius sanguinem ejus exceptum phiala fundat per altaris circuitum, detractoque tergore victimæ artus in frusta concidantur, & ablutis intestinis ac pedibus tota victima igni altaris tradatur, conjectis rursum in unum partibus quæ modo dissectæ fuerant.* Ignis autem, de quo scriptum est in lege, ille est, qui post cœlitus demissus prima Aaronis procurantis sacrificia corripuit; quo perpetuo inde sacerdotes usque ad Babylonicum exilium hostias incenderunt. Itaque cum Nadab & Abiu filii Aaron, *eo tempore acceptis thuribulis imposuissent ignem, & incensum desuper, offerentes coram Domino ignem alienum, quod eis præceptum non erat; egressus ignis a Domino devoravit eos:* ut scriptum est Levitici VII. Unde Sanctus Augustinus scripsit in Psalmum LXV. *Holocaustum est totum incensum, sed igne divino.* De hoc autem igne præclare Philo in vita Moysis: *Vulgaris ignis, tanquam contaminatus, ablegatus fuit ab altari sanctissimo, & pro eo alter demissus cœlestis ex æthere, ut esset discrimen inter sancta & profana, humana & divina. Conveniebat enim sacrificiis attribui naturam ignis incorruptiorem quam est hæc quæ servit quotidianis usibus.* Hujus autem sacrificii, ut etiam cæterorum, mysticam inde rationem ille reddit ex intima theologia depromtam, verum afferre, non est nostri propositi, nos enim legem Dei ostendere sat habemus, non consilium ejus in scribenda lege investigare intendimus.

NOTÆ AD CAPUT TERTIUM.

[1] *Holocaustum.*) Est nomen Græcum, dictum παρὰ τὸ ὅλον καίεσθαι, quod totum crematur. seu holocautoma a verbo ὁλοκαυτόω victimas integras comburo. conf. *R. P. Petr. Redan. comment. ad lib. Maccab. fol. m.* 300. Veteres enim totas victimas offerebant Diis *vid. Hygin. in Aston. Poet.* Latini vocabant Proterviam, scil. quando tota hostia (sunt *verba Stuckii fol. m.* 130. *de sacrif.*) solida igne comburebatur, illud sacrificii genus protervia vocabatur i. e. quasi propter viam. vid. *D. Saubert. de Sacrif. pag. m.* 4. Quale sacrificium apud Gentiles Vulcano atque Herculi aut Sanco sive Sango, aliisque Diis factum est. Propter viam, inquit *Festus*, fit sacrificium proficiscendi gratia Herculi aut Sanco, qui scil. viarum est Deus. Græcis est ὁλόκαυτον. Hebræi vocant אשה ignitum & כליל quasi perfectum, quia totum adscendebat super altare teste *Saliano annal. Sacr. fol. m. 4. ann. mund.* 2960. *tom.* 3. cui calculum addit *R. David. Kimchi.* in h. l. Imprimis autem holocausti duo nomina כליל & עולה quæ si jungantur hanc sententiam confirmant. De holocaustis vid. *Cod. Sebachim, Rambam Huc. mas. hakkorban. c.* 13. *Lyran. in c.* 1. *Levit Chald.* In Jobo habetur עלון & ita scribunt regia, in Venetis est עלוון de qua anomal. vid. *clariss. Iohan. Buxtorff. Grammat. Syro-Chald. lib.* 1. *c.* 1. *pag. m.* 2. *& 6.* Nomen hoc itidem ab ascendendo dictum, ejusdem est originis cum Hebr. עולה. Syrus nomine a mactando & sacrificando hic utitur; elevabat רבחא hostias, quæ vox in N. T. 1. *Cor.* 8. legitur. Alias עלתא in N. T. Syro est arca sine altari; Quomodo enim verbum in Ithpael elevandi & exaltandi significatu reperietur. *Act.* 16. אתעל לשמיא Sublatum in cælos. *Johan. Terent. in not. ad. libr. Ioh. cap.* 42. 8. *pag. m.* 307. *Coccej. ad hunc locum.*

[2] *Holocaustum.*) Quia totum comburebatur, & extractis extis integra aræ imponebatur victima, & tota præter detractam pellem comburebatur, adeoque sursum per ignem adscendebat, & tandem in auras evanescebat, unde Syrus vertit: יקרא שלמא *holocausta integra*, a radice יקר *arsit, combussit* & שלם *finivit, consummavit.* Hac re distinguebantur *holocausta a sacrificio pro peccatis & pacificis*, de quibus aliquid remanebat, quod comedebatur a Sacerdote & populo offerente. Hebraice *holocaustum* dicitur עולה ab elevando quod odor ejus elevetur vel שהיה עולה כלו כליל על המזבח quia 1. totum adscendebat super altare. 2. quia incensi fumus totus ad Deum adscendebat, hinc dicebatur evanescere & in nihilum redigi. Hoc sacrificii genus Gentiles vocarunt *Proterviam*, quasi propter viam, quale *Herculi* Deo Sanco oblatum teste Festo. Imo & ipsi Hebræi confirmant, Gentiles holocausta offerre potuisse. Testatur hoc *Maimonid.* c. 3. הקרבנות הלכות מעשה his verbis: *Sed a Gentilibus non acceptant Sacrificia nisi holocausta tantum, quia dictum est Levit.* 22. 22. 25. *Et a manu alienigenæ non offeretis panem Deo vestro. Etiam holocaustum avium a gentili suscipiunt, quantumvis sit idololatriæ addictus.* Holocausta etiam vel erant *publica*, vel *privata*. Publica tantum offerebantur de bove & agnis masculis, cujusmodi erant duo holocausta quotidie oblata, duo holocausta superaddita Sabbathi, holocausta decem noviluniorum, holocausta festorum v. g. Paschatis decem, festi Pentecostes decem seorsum & decem cum panibus Pentecostalibus oblata, festi novi anni novem, festi expiationis decem, festi Tabernaculorum primi diei viginti novem, cæteris diebus uno holocausto subducto & die octavo superadditis holocaustis novem juxta *Maimonid in præfat. in lib. Misch. de Sacrif. c.* 1. 2. *Privata* offerebantur de bobus, agnis, capris masculis, de turturibus & pullis columbarum utriusque sexus: cujusmodi erant vel imperata a Deo v. g. Pro comparentia in tribus festis solennibus, holocaustum pro holocausto Nasiræi, leprosi, fluxu laborantis, & parturientis; vel erant ab hominibus sibi ipsis imposita, quæ vel voluntaria erant ex libera voluntate data; vel votiva, in quibus præterea votum intercesserat. de quibus *Maimonid. de Oblat. c.* 1. conf. *Outram. de sacrif. c.* 10. *lib.* 1. *pag. m.* 102. 103. *edit. Amstel.* 1679.

[2] *Honorandi propitiandique Dei gratia.*) Cum autore nostro faciunt *Maimonides de Oblat. c.* 3. & *Abarbanel. in Levit. fol.* 226. *c.* 1. Horum mens hæc est: Holocausta erant Sacrificia, quæ Deo, ut rerum omnium conditori, conservatori, honore, jure merito afficiendo offerebantur; quibus etiam cogitationes illicitæ de Deo & peccata ita expiabantur, ut homo expiandus honorem Dei significaret. Patet hinc *Holocausta* instituta esse vel ad expiationem malarum cogitationum cordis, sicuti Sacrificia pro peccatis erant pro malis actionibus: vel ad expiationem peccati commissi contra aliquod præceptum affirmativum sicuti reliqua erat ad expianda peccata negativa. Sic *Aben-Esra in Levit.* 1. Animal illud quod affertur ad expiationem illius, quod nobis in cor ascendit vocatur עולה, sicuti oblationem pro peccato patrato vocamus אשם & חטאה vid. *Akib. in Tosapht. Menachot. c.* 10. conf. *Frischmuth. dissert. cit.* §. 19.

[3] *Veluti e terris in cœlum.*) Inde hæc species sacrificii dicitur עולה Olah ab adscendendo; nam עלה adscendere significat. Vel quod totum super altare adscenderet, sive imponeretur, quæ sententia *R. David Kimchi* placet, qui sic scribit הקרא הקרבן הזה כן למה מהיה עולה כלו כליל Vocatur oblatio hæc sic, eo quod tota adscenderet super altare, vel quod tota in fumum abiret; Est ex Scriptoribus nostri temporis, qui de hoc genere sacrificii ita scribit: Holocaustum prima sacrificii species est, inter sanctissima. Hebræi vocant עולה, cujus vocabuli rationem interpretes varie explicant. Alii enim sic dictum putant, quod adscendat ac superet excellentia sua omnia reliqua sacrificia. עלה enim significat adscendere: Alii quod totum adscendat, seu imponatur super altare. Ac manifestum quidem est, quod hoc vocabulum deducatur a verbo עלה. Adscendere autem pro hebræa phrasi, non tantum significat gradatim in altum scandere, sed etiam absumi aut confici. Quia enim fumus cum in altum adscendit, videtur evanescere & in nihilum recidere, ideo adscendere usurpari solet pro evanescere & absumi *Gen.* 19. Et *Num.* 16. Unde & nonnulli sentiunt Psalmos מעלות Mahaloth, dictos seu adscensionum, h. e. conclusionum, quod in fine & conclusione canerentur. Sic Arithmetici dicunt eos numeros adscendere, qui tolluntur & absumuntur, & patres familias multum adscendere Germanice ita efferunt: Es gehet viel auff / quo significatur multum a familia consumi. Quare & hoc genus sacrificii dictum est עולה ab adscendendo, propterea quod totum adscenderet h. e absumeretur. Aliquoties Græci etiam transtulerunt per ὁλοκάρπωσιν κάρπωμα, quod hoc sacrificium totum, excepta pelle, esset fructus seu esca ignis.

[4] *In odorem suavitatis.*) Holocaustum erat, quod *Noa* Deo offerebat, de quo dicitur *Gen.* 8. 21. quod Deus odoratus fuerit odorem suavitatis. Anglus reddidit: *And Jehovah smelled a smell of rest*: ubi notandum, quod nomen originaliter *respirationem* significet, denotetque Dei gratiosam acceptationem sacrificii. vid. 1. *Sam.* 26. 19. *Levit.* 26. 31. *Amos.* 5. 21. Et Scriptura loquitur more hominum, qui maxime delectantur odore suavissimo. *Esa.* 3. 24. Additur *of rest* id est odorem *suavitatis* vel odoris suavissimi fragrantiam odoratus est, quæ sensus vivificat & confortat. Huc respexit Apostolus ad *Ephes.* 5. 2. quando loquitur de Sacrificio Christi hoc modo: *tradidit semet ipsum pro nobis oblationem & hostiam Deo in odorem suavitatis.* Ad quæ verba *Hammond* Anglus a *Clerico* edit. notat sequentia *fol.* 201. Ad prius horum quod attinet, cum fuit holocautoma a *Noacho* oblatum. *Gen.* 8. dicitur Deus *olfecisse suavem odorem*, quo significat Moses placatum eum fuisse, ut liquet ex sequentibus verbis. Posterius vero *Levit.* 11. 2. dicitur: Oblatio igne absumenda, odor suavis Domino. Ideoque hic memoratis holocautomati & fareæ oblationi subjicitur

citur *εἰς ὀσμὴν εὐωδίας in olfactionem boni odoris*. Unde liquet mortem Christi a Deo habitam esse quasi Sacrificium, quo ira ejus a nobis averruncaretur, ita ut reconciliaretur nobis, quemadmodum fiebat Sacrificiis. Optime etiam de bono hoc odore loquitur *Don Filip. Picinell. dei lumi riflessi part.* 1. *fol. m.* 16. *edit. Milan.* ita scribens: *Offerendo Noe sull' altare le vittime in holocausto a quel Dio, che l' haveva dalle ruine universali riparato, e redento; dice Mose, che il Signore oltremodo gradì quell' odorosa fragranza; inferir volendo, non che Dio, che tutto è spirito, havesse nari per odorare; ne meno che il suffumiggio delle carni arse e dell' ossa abbruciate fossero oggetto amabile alla Maestà divina; ma che Iddio ricevette come cosa grata, gioconda, e soave l' holocausto del suo servo, quel tributo di riverenza & gratitudine, che gli offeriva, e molto più la pietà, purità, e divozione, con la quale offeriva;* Unde *Theodoret*. Excepit ipsius Noe promptitudinem animi, non quidem hoc nidore delectatus (nihil enim pejus olet, quam ossa exusta) sed offerentis animum laudans.

5 *Modus holocausti*.) Varia requirebantur ad holocausta ex mandato divino 1. *animal legitimum*. Cum enim gentiles tanta sacrificandi libidine incensi fœdissima & immansueta animalium genera immolarent, de quibus *Saubert. de Sacrific. cap.* 23. fuse egit. conf. *Guil. Stuck. descript. Sacrif. Gentil. Bochart. Hierozoic. part.* 1. *lib.* 2. *fol.* 321. *edit. Francof.* Hinc apud Israelitas lege sacra cautum erat, ne genus ullum animantium, nisi e *bobus*, *ovibus & capris* e quadrupedibus ad sacrificia adhiberetur. Hæc utique talia genera erant, qualium erat & summa mansuetudo & maxima copia & præcipuus in victu usus. Quibus adde, quod quædam horum genera erant, qualium erat & summa mansuetudo & maxima copia & præcipuus in victu usus. Quibus adde, quod quædam horum generum apud nonnullas saltem gentes sacro quodam cultu afficienda, at neutiquam sine summo scelere mactari posse viderentur. vid. *Antiq. Bibl. Quensted. p.* 225. *edit. Witteb.* Huic autem causæ qua factum, ut hæc tantum tria animantium genera ad sacrificia adhiberentur, accedit, quod horum trium generum magna admodum esset copia, quæ nulla erat *Leonum*, ursorum & sylvestrium animalium, vid. *Levit.* 1. *v.* 10. 2. *masculus immaculatus* &c.

6 *Offerens victimas*.) Vocantur sacrificia a latinis etiam victimæ & hostiæ, quæ tamen voces generatim sumtæ pro quovis, speciatim pro aliquibus tantum accipiuntur sacrificiis. De vario etymo legi potest *Guilielm. Stuckius lib. de sacrif. fol. m.* 8. *D. Saubert. pag. m.* 412. *c.* 18. qui inter alia a vinculis deducit, cui consentit *Choul*, cujus verba hæc sunt. *En tel ornament demeuroit la victime devant l' autel, sans estre liee &c. Car auparavant les victimes estoyent liees.*

7 *Masculum immaculatum*.) Deus requirit in holocausto 1. marem, quia præstantior fœmina, & præstantissima Deo offerenda: Unde in holocausto, quod perfectissimum erat sacrificium, Deo quoque mas offerebatur. Ab Hebræis consuetudo hæc manavit ad Ægyptios, de quibus *Herodot. l.* 2. *c.* 41. *Boves mundos eosque mares*. confer. *Bochart. Hieroz. fol. m.* 584. *R. P. Petri Redan. comment. in lib. Maccab. fol. m.* 300. Præter sexum requiritur etiam, ut sit תמים. Græce *ἄμωμος* vel *τέλειος* ceu Aquila exponit. Perfecta victima autem dicitur, in qua nihil desideratur, quas etiam Ethnici diis suis immolarunt. vid. *Bochart. Hieroz. cap.* 33. *lib.* 2. *fol. m.* 322. Hebræi itaque multas habuerunt causas propter quas non poterat immolari victima. Hinc *Maimonid. in lib. de ingressu Sanctuar. cap.* 7. hujusmodi L. recenset.

8 *Offeret ad Ostium Tabernaculi*.) Ubi scil. altare fuit, & locus erat, ut *Lyranus* refert, quo Sacerdotes sacrificia perlustrabant, an quid maculæ iis inesset. *vid. Andr. Willet. cap.* 1. *fol. m.* 19. Quod iterum sub pœna mortis *Levit.* 17. jubetur, & ut autores referunt ob has rationes 1. ut *Sacerdoti suus servetur honos*. 2. *ut sanguis Deo offerri possit, quod alias fieri non potuisset nisi in tabernaculo*. 3. *ut coerceretur populi idololatria*, 4. *ne pro hominum libidine flexibilis esset religio*. Idem etiam gentiles in sacrificiis suis accurate attenderunt. *teste Platon. de Legib. prope fin. lib.* 10. Lex ista sit omnibus absolute posita, ut nemo in privatis ædibus sacella habeat. Cum vero quis sacra facere in animum induxerit, ad publica Templa sacrificaturus se conferat, & victimas tradat Sacerdotibus, seu viris, seu fœminis, quibus harum sanctitas curæ est. Itaque ante publicas aras victimæ statuebantur. *Virgil. l.* 9. *Æneid. l.* 2. *Georg. Psalm.* 118. 27.

9 *Ponetque manus*.) Nam imponendo manus victimæ capiti peccata populi confitebatur. *Levit.* 16. 21. ut eorum pœnam in victimam transferret. *Andr. Willet. Commentarie on Levit. fol. m.* 386. *quæst.* 23. Recte igitur *Eusebius lib.* 1. *demonstr. Evang.* offerentem victimæ manus imposuisse scribit, *ὡσεὶ ὑπὲρ τῆς ἑαυτοῦ κεφαλῆς τὸ ἱερεῖον προσφέροντα*, tanquam pro suo capite victimam offerret. Huic geminum est, quod tradit *Herodotus lib.* 2. *cap.* 39. confer. *Codex Joma Scheringhami cap.* 3. §. 18. Est autem impositio manuum facta ob pœnitentiam. Hinc ritus iste ortus videtur, ut pœnitentibus manus imponatur. *Cyprian. lib.* 3. *epist.* 14. 15. *Joh. Arndius Danus in Lex. Antiquit. Eccles. pag. m.* 602. & 603. *seqq. pag.* 371. & 372.

10 *Immolabit*.) Victimas mactare primum erat coquorum apud Delphos, apud Romanos Sacerdotum. *Guilielm. Stuck. fol. m.* 108. 109. *de sacrif. D. Saubert. c.* 19. *p. m.* 467. Antequam animalia sacrificio destinata jugularentur, curabant, ut oculos sursum attollerent, ceu ostendit in nummo *Choul* a *Sauberto* citatus *p.* 468. Mactabat autem sacrificium vel is qui illud offerebat, vel Levita aliquis, ut colligi potest ex *Paral.* 30. 17. & 35. 10. 11. ubi Levitæ paschales agnos jugulant, sed sanguinem spargunt sacerdotes. Sic apud Romanos Sacerdos non jugulabat victimam sed *Popa & victimarius* (qui teste Stuck. fol. 73. de sacrif. erat Sacerdotis minister, qui victimam adducebat, ligabat & ad eam necessaria præparabat) ad Sacerdotis nutum. Itaque victimæ adstans subinde dicebat: *Agon.* i. e. agone. *Saubert. de sacrif. cap.* 19. *pag.* 459. *Senec. lib.* 2. *controvers.* 3. *Varro lib.* 5. *de Lingu. Latin.* Hinc *dies Agonales sunt, quibus Rex in regia arietem immolat, dicti ab agone, eo quod interrogatur a Principe civitatis*. conf. *Rosin. antiquit. Rom. lib.* 4. *de mens. Januar. & diebus c.* 5. *p. m.* 255. *edit. Lugd. Guiliel. Stuck. de sacrif. Gentil. f. m.* 117. Instrumentum, quo victimæ jugulabantur, apud omnes non erat idem. Hebræi utebantur cultro, quo abscindebant gulam & asperam arteriam. Quod si contingeret, ut alterutram partem dissecarent, imperfecta erat jugulatio, uti legitur in *libro Kolbo Halacoth. sechitah. c.* 107. *Talmud. Cod. Jom. c.* 4. §. 2. Legitima vero vocabatur שחיטה, sed נחירה nachira mactatio illegitima, qua nares discinduntur, quali usus est *Balak Rex Moabitarum*, de eo legitur in *Jonathane. Num.* 22. 40. *Et mactavit Balak boves & oves a naso scil. inchoata mactatione*. Unde vero nachira originem trahat variæ adhuc sunt sententiæ. *clar. Johan. Drusius & Tigurin.* nares interpretantur, deducentes ab נחר sine aut cum aspiratione, & inde Arab. נחרה *vid. Bochart. Hieroz. f. m.* 123. *lib.* 2. Græci per *νωθίον* explicant. Arabice etiam hæc ipsa vox supremam pectoris partem significat, quæ jugulo est proxima, ita ut Græcis plane eodem modo definiatur quo Arab. נחר nahar atque inde verbum נחר jugulare. Unde Judæi hoc verbo de legitimis sacrificiis non utuntur, proinde *Scholiastes ad Jonatham supr. cit. loc.* dicit: *Mactatio, quæ non est conveniens, vocatur nehira, lingua Magistrorum nostrorum b. m.* Sed doctissimos latuit hactenus vera vocis origo. Nam quod illegitimam mactationem *Nehira* dici volunt, eo quod mactationis exordium esset a naso; meræ nugæ sunt. Quia נחירה est mactatio, qua jugulum percutitur & summum pectus, quæ pars non solum Arabice sed etiam Hebraice vocatur נחר. *Bochart. fol. m.* 125. *l.* 2. *cap.* 8. *Hieroz.* Inde igitur est נחר mactare cultro non in nasum, ut nugantur, sed in summum pectus prope jugulum. Quo verbo *Arabes & Chaldæi* utuntur, quando de victimæ mactatione agitur in infidelium sacrificiis. Certum quoque Tempus in victimarum mactatione observabatur a speculatoribus, qui, cum primus auroræ radius proruпisset, dicebant *Coruscationes vid. Maimonid. cap.* 3. *Tamid.* Locum, quo fiebat jugulatio, nobis demonstrat *Tract. Talmud. de sacrif.*

quem Latin. reddidit M. Johan. Ulmann. Mischn. 4. *cap.* 5. ubi legitur, Holocausti & Sancti Sanctorum mactationem factam esse in Aquilone, ac acceptionem sanguinis in aquilone. Popa victimam jugulante alius vase excipiebat sanguinem, quod vas *Attici* σφάγιον, sed *Homer. Odys.* γ ἄμνιον vocat, *Saubert. cap.* 19. *pag. m.*471. quæ vox Syriaca videtur, quia vasa Syri אמני vocant per metahesin pro מאבי hanc Moses אגנות Aganaoth vocat *Exod.* 24. 6. *Chaldæus* מזרקיא quasi dicas *Aspersoria*. Syrus, לכנא λεκάνας. Arabum unus אנאניש hydrias alter טאשאת tassath. *Gal. tasses* i. e. pateras. LXX. & vulgata Crateras nominant. Dicebatur quoque סף. *Exod.* 12. 22. voce æquivoca, quæ etiam limen denotabat. Reperitur *Zach.* 12. 2. סף רעל pro calice horroris. Et plur. ספים Sippim ספות Sippoth. *Jer.* 52. 19. & *lib. Reg.* 1. 7. 50. 2. *Reg.* 12. 13. Putavit nonnemo siphonem indidem appellari vas ad restinguenda incendia, quia in *Plin.* legit *lib.* 10. Sed siphon est σίφων seu tubus subterraneus ex quo emittitur aqua, conf. *Turneb. advers. l.* 19. *c.* 23. *Strab. l.* 5. *Stuck. in l. de sacrif. Gentil. fol. m.* 118. De modo excipiendi sanguinem variæ leges a Rabbinis traduntur in *Talmude* quas vid. *c.* 2. *Misch.* 1. *Misch.* 2. & 3.

[11] *Detractaque pelle.*) Post victimæ jugulationem sequitur ejus excoriatio & dissectio, quæ etiam apud Ethnicos obtinuit vid. *Homer. Iliad.* α. *Apollon. l.* 1. *Argonaut. Dionys. Halicarnas. l.* 7. In holocaustis tamen nonnunquam cum ipsa pelle victimæ in ignem conjiciebantur, ceu testatur *Lucian. lib. de sacrif. Saubert. cap.* 19. *pag.* 476. Ita in sacrificio pro peccato juvenci pellis cremabatur una cum carne sed extra castra. *Exod.* 29. 14. *Levit.* 4. 11. ut & pellis vaccæ rufæ. *Num.* 29. Hæc excoriatio & sectio a Laico peragi poterat, ut habet *Gemara* ad *subjectam Mischnam*: Et quod dissectionem attinet illa non temere sed artificiose fiebat *Homer. Iliad.* η. *Paul. Apost.* 2. *Tim.* 2. 25. *Proverb.* 3. 6. 11. *Guilielm. Stuck. de sacrif. Gentil. fol.* 122. duplicem sectionem memorat, primam ex mente Eustathii ἁδρὰ vocat, qua scil. victima in majores partes dissecabatur. Secundam, qua in partes minores & tenuiores dividebatur, verbo μιστύλλειν exprimit.

[12] *Strue lignorum ante composita.*) Non quævis ad Sacrificia ligna sine discrimine adhibita sunt. Nam vinum libantes ligna vitea, vel ficulnea, vel myrtea usurpabant, aquam ex thymo offerentes νηφάλια i. e. ligna quæ non erant de vite, fico aut moro, adhibebant. Minus recte *Stuckius* νηφάλια per ligna arida explicat, quæ facillime flammam concipiunt. *Saubert. de sacrif. p.* 360. Gentiles etiam certarum arborum lignis in sacrificiis usos ostendunt varia eorum monumenta in *Arcadia* teste *Plin. l.* 16. *c.* 6. Præterea ad ligna ista colligenda certi constituti erant homines, *Lignatores dicti*, qui certum ordinem in struendis lignis, observabant. *In omni die quatuor erant lignorum ordines, & hodie quinque, dicit R. Meyer, & R. Jose in omni die tres & hodie quatuor, R. Jehuda vero in omni die duo & hodie tres.* Hinc utuntur Rabb. vocabulo מערכה, quod apud Lexicographos generaliter struem, dispositionem, ordinem cujuscunque rei denotat. Sed apud *Talmudicos*, quando ad altare refertur, peculiarem habet significationem, & ordinem lignorum significat, quæ cremandi sacrificii aut alterius ministerii peragendi causa altari imponuntur. Ex quinque istis lignorum ordinibus primus erat, ut in Gemara explicatur, מערכה גדולה quo sacrificium juge comburebatur. Secundus מערכה שנייה של קטורת ex quo prunæ ad suffimenta sumebantur. Tertius מערכה של קיום האש quo primus ordo restaurabatur si ligna ei defecissent. Quartus erat מערכה לאיברים ופדרין שלא נתעכלו מבערב cui membra & omenta, quæ a sacrificio vespertino usque ad sequentem auroram non consumebantur super imponebantur. Quintus מערכה שמוסיפין בו ביום ex quo a sacerdote magno, sanctum sanctorum ingredi volente, ad suffiendum prunæ petebantur.

CAPUT QUARTUM.

De Libaminibus.

[1] LIbamentum autem, quod proprio nomine Sacrificium dictum est, fuit [2] fertum ex simila, id est farina mundissima sine fermento, [3] oleo, & thure confectum, [4] in clibano, aut sartagine, aut craticula coctum; aut frumentum igni tostum: quorum pars incendebatur, [5] pars sacerdotibus tradebatur. Eorum vero offerendorum modus fuit talis, ut scribitur deinceps secundo Levitici: *Anima cum obtulerit oblationem sacrificii Domino, simila erit ejus oblatio, fundetque super eam oleum, & ponet thus, deferet ad filios Aaron sacerdotis: quorum unus tollet pugillum plenum similæ & olei, ac totum thus, & ponet memoriale super altare in odorem suavissimum Domino, quod autem reliquum erit de sacrificio, erit Aaron & filiorum ejus, Sanctum Sanctorum de oblationibus Domini. Cum autem obtuleris sacrificium coctum in clibano, de simila, panes scilicet absque fermento conspersos oleo, & lagana azyma oleo lita; si oblatio tua fuerit de sartagine similæ conspersæ oleo, & absque fermento, divides eam minutatim, & fundes super eam oleum; sin autem de craticula fuerit sacrificium, æque simila oleo conspergetur: quam offerens Domino trades manibus sacerdotis. Qui cum obtulerit eam, tollet memoriale de sacrificio, & adolebit super altare in odorem suavitatis. Quidquid autem reliquum est, erit Aaron & filiorum ejus, & Sanctum Sanctorum de oblationibus Domini. Cum autem obtuleris sacrificium coctum in clibano, de simila, panes scilicet absque fermento conspersos oleo, & lagana azyma oleo lita; si oblatio tua fuerit de sartagine similæ conspersæ oleo, & absque fermento, divides eam minutatim, & fundes super eam oleum; sin autem de craticula fuerit sacrificium, æque simila oleo conspergetur: quam offerens Domino trades manibus sacerdotis. Qui cum obtulerit eam, tollet memoriale de sacrificio, & adolebit super altare in odorem suavitatis. Quidquid autem reliquum est, erit Aaron & filiorum ejus, Sanctum Sanctorum de oblationibus Domini.*

mini. Omnis oblatio quæ offertur Domino, absque fermento fiet, nec quidquam fermenti 7 ac mellis adolebitur in sacrificio Domini. Primitias tantum eorum offeretis ac munera. Super altare vero non imponentur in odorem suavitatis. Quidquid obtuleris sacrificii [8] *sale condies, nec auferes sal fœderis Dei tui de sacrificio tuo. In omni oblatione offeres sal. Si autem obtuleris munus primitiarum frugum tuarum Domino, de spicis adhuc virentibus torrebis igni, & confringes in morem farris, & sic offeres primitias tuas Domino fundens supa oleum, & thus imponens, quia oblatio Domini est: de qua adolebit sacerdos in memoriam muneris partem farris fracti, & olei, ac totum thus.* Lex inde libamentorum traditur cap. VI. *Hæc est lex Sacrificii & Libamentorum, quæ offerent filii Aaron coram Domino & coram altari. Tollet sacerdos pugillum similæ, quæ conspersa est, oleo, & totum thus quod super similam positum est, adolebitque illud in altari in monumentum odoris suavissimi Domino. Reliquam autem partem similæ comedet Aaron cum filiis suis absque fermento, & comedet in loco sanctuarii Tabernaculi. Ideo autem non fermentabitur, quia pars ejus in Domini offertur incensum. Sanctum Sanctorum erit, sicut pro peccato atque delicto. Mares tantum stirpis Aaron comedent illud.* De iisdem libaminibus offerendis exstat item præceptio XV. Numerorum.

NOTÆ AD CAPUT QUARTUM.

[1] *Libamentum.*) a Verbo libare, quod Latinis est leviter degustare, dictum. Nonnulli derivant illud a labiis teste *Virgil. Taubm. ex Turneb. advers.* II. 7. graphice, quid libare sit, describit *in Curc. Pl.* de poculo pleno, quod erat potatura, libat. i. e. in honorem Veneris leviter fundit. Cui *Isidorus* consentit, qui vult proprie idem esse, quod fundere voce deducta a Libero, qui in Græcia usum reperit vitis. *Ovid.* 3. *Fastor. Varro lib.* 4. a libis deducit, quæ fuerunt placentæ ex farre & melle Deorum sacrificiis aptæ, inde sic dictæ, quod libandi causa fierent, vel quod libarentur priusquam essent coactæ *Horat. epist. ad Fuscam.* Sed rectius deducitur a Græco λείβω. Hebræi habent נסך Nasach, unde מסך & ממסך Mimsach commixtionem, effusionem, seu libamen significat. Syrus teste *Joann. Viccarsio Decapl. Psalm. fol. m.* 123. ינסכי LXX. vertunt σπονδὴν. Est igitur Nisach liquidorum sacrificium. Græci duo vocabula habent σπένδειν & λείβειν, quæ bene explicat *Guilielm. Stuk. de sacrif. fol.* 131. 132. Notandum, quod sicut Nasach Hebraicum, ita libamen Latinum, nonnunquam etiam de aridis dictum sit. *Guliel. Stuk. antiquit. Convival. l.* 2. *f.* 283. Apud Ethnicos, inquit, duplex erat libatio, una dapum vel ciborum, quorum partem aliquam decerpentes in ignem focumque diis consecrabant. vid. *Joan. Meurs. de Reg. Athen. lib.* 1. *cap.* 14. *pag. m.* 72. quam tamen sententiam correxit *D. Saubert. de sacrif. cap.* 25. *pag. m.* 691. Altera fuit liquorum variorum, scilicet Vini, quod Latini Diis dabant *Lucret. lib.* 5. Judæi libationes sanctas & religiosas habuerunt, ut ex Num. XXVIII. clare apparet. Inde forte originem duxit Mazah, quod vel a מצה acceleravit, vel a מצץ expressit, scilicet quod farina mundissima ab alia extraheretur, & ad sacrificia adhiberetur, *Stuk. antiq. Conviv. fol. m.* 82. 83. *de sacrif.* 51. *Cecrope Pausanias* refert, nihil animati immolasse, sed duntaxat liba patria, quæ πελάνους appellabant. Et in *Atticis*, ita ait *Est & ædes, quam Erechtheum vocant. Antequam vero ingrediaris, est Jovis superi ara, in qua animatum nihil immolatur, sed liba tantum imponuntur &c. Eusebius* autem dicit bovem immolatum fuisse. Sed opinio *Eusebii* ita defendi potest: Βοῦς antiquis Græcis libum dicebatur cornua habens instar bovis. *Hesigh.* Βοῦς εἶδος πέμματος κέρατα ἔχοντος. *Bos species libi cornua habentis Pollux lib.* 6. *cap.* 11. πέλανοι δὲ κοινοὶ πᾶσι θεοῖς, κέκληνται δὲ ἀπὸ τοῦ σχήματος ὥσπερ ὁ βοῦς. Πέμμα γὰρ ἐστὶ κέρατα ἔχον. *Pelani vero omnibus diis sunt communes, ac vocantur a figura, veluti bos. Nam est libum, cornua habens.* Talis quoque fuit bos *Empedoclis de quo Diogen. Laert. in ejus vita lib.* 8. Et bovem immolavit Theoris Empedocles ex melle & farina. Et *Philostratus de vita Apoll. lib.* 1. *cap.* 1.

[2] *Fertum ex simila.*) Farina ad fertum debebat esse mundissima ex tritico optimo, quod proventum erat e Terra sancta, non in alio & agro non stercorato eodem anno. Debebat farina esse ex maxime pura cribrata per XII. cribra; hinc apud Judæos exortum proverbium: Cribratum per XII. cribra. De optimo tritico uti asserit *Henry Ainsworth comment. in Levith.* 2. *fol.* 10. *The flowre might not be such as where in worms, or made of worm eaten wheat.* id est non a vermibus perforato, quod significabat perfectum & purum statum Christiani in officio. *Heb.* 10. Duorum autem generum erant ferta seu oblationes. Duodecim species מנחות erant, *tres ex parte totius congregationis & novem ex parte privatarum personarum* teste *Maimonid. in Korbanoth. cap.* 2. *Menachoth.* 6. *Menachoth* quæ a tota congregatione offerebantur, erant 1. *panes Propositionis*, qui coram Deo singulis Sabbathis ponebantur. *Exod.* 25. 3. *Levit.* 24. 5. 6. & cedebant in esum Sacerdotum, postquam remoti erant. vid. *Outram. de Sacrif. Jud. cap.* 8. *lib.* 1. *pag. m.* 83. *edit. Amstel. Henry Ainsworth. comment. in Levit.* 2. *fol. m.* 10. *Saubert. de Sacrif. cap.* 24. *pag. m.* 628. 2. In festo Paschatis offerebatur *Omer primitiarum messis. Levit.* 23. 9. Nempe manipulus ille desumtus ex hordeo, vid. *Outram. l. c. pag.* 82. Quia inter fruges frumentum omnium primo maturum est. Reliquæ autem *Menachot* desumebantur ex tritico, unica solum adhuc excepta. Fasciculus hic agitabatur coram Domino huc illuc, sursum deorsum, pars comedebatur & pars offerebatur. Agitatio huc illuc fiebat notante *Salom.* in *Levit.* 23. ad actionem gratiarum, quod Deus cohibuit malos ventos: agitatio vero sursum & deorsum, quod segetes custodivit a malignis roribus vid. *Henr. Ainsworth. comment. in Levit. fol. m.* 140. *edit. Londin.* 3. Duo *panes agitationis* oblati in festo Pentecostes *Levit.* 23. 17. 17. vid. *Outram. de Sacrif. pag.* 83. Sequuntur ferta hominum singulorum *novem*, ut Judæis visum *Maimonid. in Maase Korban. c.* 12. Quorum quatuor lege jussa dicunt, quinque sua cujusque sponte data. Quatuor in lege jussa erant 1. *Fertum initiationis*, quod Sacerdoti cuique Sacerdotium adituro imperatum dicunt, at mihi nequaquam probant. Utcunque sit, hoc ferti genus tritici simila factum statuunt, Ephæque decima constitisse tribus olei logis subacta. Idemque ut Maimonidi placet *cap.* 13. *in Maase Korban.* decem in collyras dividi solebat, si Sacerdotis gregarii esset, in duodecim si Pontificis. conf. Joh. *Henric. Otb. in Lexic. Phil. Rabb. pag.* 573. 2. מנחה הביתין *fertum patellarium* seu *Sartagines*, quæ quotidie a Sacerdote summo offerebantur. vid. *Levit.* 6. 20. 21. 22. conf. *Outram. p.* 85. *Henr. Ainsworth. fol. m.* 34. *in Levit.* 6. 3. *Oblatio peccatoris*: quando aliquis qui Sacrificium pro peccato afferre debebat tam pauper erat, ut illud præstare non posset, solum ad talem *Mincham* offeren-

rendam tenebatur. *Levit.* 5. 1. 2. 3. conf. *Outram. de sacrif. pag.* 85. *Ainsworth. fol.* 26. 4. מנחה קנאות *Oblatio propter uxorem suspectam adulterii*. *Num.* 5. 15. vid. *Outram. de sacrif. l. c. Acoluth. de aquis amaris*. Excell. *Wagenseil. in Sot. Ainsworth. ad Num.* & hæc ex farina hordeacea erat. Ferta injussu legis Deo offerri solita quinque. 1. מנחה סולת oblatio similæ vel purissimæ farinæ, hæc non cocta erat. Quæ in templo offerri debuit erat מזוניחה & מכבש, secunda ab illis est ista quæ ex valle Ephraim venit. *Menachoth. c.* 8. *Aruch in* מכבש. Levit. 2. 1. 2. Quæ in patella plana cocta. *Levit.* 2. 6. conf. *Ainsworth. fol.* 12. 3. Oblatio frixa in sartagine. *Levit.* 2. 7. 4 in *clibano furnove pista*. 5. Oblatio placentarum. Plura qui desiderat evolvat cit. autores. Omnes itaque oblationes quæ fiebant & coquebantur, oleo inungebantur & unctio illa fiebat instar X. Græcor. Quod signum crucis erat. vid. *Lips. de cruce*. Latebat in hoc mysterium mortis Christi 1. *Petr.* 2. & X. prima est initialis nominis Christi.

[3] *Oleo & thure.*) Quædam oblationes requirebant & oleum & Thus simul, quædam alterutrum ex his duobus, quædam neutrum. Priora erant Mincha similæ, quæ non coquebatur, quatuor illa Menachot quæ coquebantur, Mincha Summi Sacerdotis, Initiationis, Omer primitiarum, Mincha gentilis, Mincha mulierum: Mincha quæ conjunctum habebat נסך libamen, requirebat oleum absque thure. Panes propositionis requirebant thus absque oleo. Oblationes vero pauperis & mulieris ob adulterium suspectæ, neutrum, nec oleum nec thus, desiderabant. vid. *tract. Menachot. cap.* 1. *s.* 3. Omnes oblationes frumentariæ, quæ conficiuntur in vase, opus habent triplici olei affusione. v. g. si offerenda purissimæ farinæ oblatio, primo oleum in vas infunditur, deinde immittitur ipsamet farina, eique oleum affunditur, quod cum farina commiscetur. Hoc facto, farinam ita præparant in vase illo ministerii, in quo ad altare deferri debet oblatio, iterumque affundunt oleum, & tandem quoque addunt thus. Similiter si aliquando Mincha in patella cocta offerebatur, patellæ primo immittebatur oleum, deinde farina, & supra farinam iterum oleum; & postquam ita cocta, placentis iterum oleum & thus ingerebatur. Ungunt autem liba in modum X. Græcorum. vid. *Menachot. cap.* 6. 3. Modus offerendi ita se habebat. Postquam Mincha posita erat in vase ministerii, sanctificabatur in eo, oleoque affuso cum Thure igni immittebatur a sacerdote. Addebatur autem thus eo quod id sacrum putabant teste *Guilielmo Stuk. de sacrif. fol. m.* 51. Hinc iste ritus manavit, ut in prima Ecclesia thura sæpissime incenderent. vid. *D. Joachim. Hildebrand. in ritual. orantium c.* 10. §. 13.

[4] *In clibano, aut sartagine, aut craticula coctum.*) *Maimonid. in Corbanoth c.* 2. *Menachot*. 6. Duodecim species libi recenset, tres ex parte totius congregationis, quæ sunt 1. duodecim panes propositionis 2. omer primitarum. 3. Duo panes agitationis. Novem vero privatorum hominum, ut sunt 1. sartagines: Sartago est instrumentum frixorium, non profundum, neque concavum, sed planum, ceu *R. Salomon* testatur ita scribens: Instrumentum erat in sanctuario, quo coquebatur Mincha ad ignem, cum oleo, nec profundum erat sed planum, & quæ in eo coquebantur dura, sive torrida erant, quia enim planum erat, ignis oleum eo facilius torrefaciebat. Eadem fere *Kimch. in radic.* habet. Et hoc sacrificium quotidie a summo Pontifice offerebatur. 2. Initiationis, quam quivis sacerdos in primo suo ingressu offerebat. 3. Oblatio peccatoris. 4. Propter uxorem suspectam. 5. Oblatio similæ vel purissimæ farinæ *Menachot. cap.* 8. 6. Cocta in patella 7. Sartagine 8. In furno cocta 9. Placentæ tenues & contortæ.

[5] *Pars sacerdotibus.*) Non de omnibus Menachot partem sacerdotes accipiebant. Quædam enim integræ in altari combustæ. De quibusdam vero solummodo plenam manus volam Sacerdos cremabat, reliqua pars ipsi cedebat. Prioris generis erant *Mincha Sacerdotum vulgarium, & Mincha Sacerdotis Summi uncti, item Mincha quæ offerebatur cum libamine, Mincha similæ, Menachot illæ quatuor, quæ coquebantur, Mincha gentilis, Mincha mulieris, Omer primitiarum. vid. Menachot cap.* 6. 1. 2.

[5] *Ac mellis.*) Prohibitum erat mel addere in Libaminibus, quod tamen Gentiles faciebant, qui Diis immolabant mellita. *Euripid. in Iphigen, in Taur.* conf. Guilielm. Stuck. descript. Sacrif. Gentil. Judæi dant has rationes quod mel non adhibitum sit 1. propter varios morbos 2. ob fluxum ventris quem mel procuret 3. attrahit muscas quæ non debent esse in templo. At vera ratio est, ut passiones Christi adumbrarentur, ubi omnia amara, nulla vero dulcia fuerunt. Aliam rationem vid. apud *Ainsworth. fol.* 12. *in Lev.* 2.

[6] *Sale condies.*) Salem tam Judæi quam Pagani in haud vili habuerunt pretio, cujus rei argumentum vel unum hocce sat evidens est, quod nulla apud utrosque sacrificia absque sale peracta sint. Judæi certe non ob ἐθελοθρησκείαν quandam, sed ob expressum divini legislatoris mandatum quibuslibet pecudum sacrificiis tanquam suppondium, addiderunt portionem similæ salis. *Num.* 15. *Exod.* 29. 9. 10. Adjiciebatur vero tanquam condimentum. *Levit.* 2. 13. Varia autem olim sal significabat 1. erat Symbolum fœderum, quæ sale utrinque comesto sanciebantur, eoque innuebatur, quod fœdera pangentes sint servaturi non aliter ac si sale essent condita. *Stuck. antiq. convival. lib.* 1. *fol. m.* 111. *H. Hammond.* ita loquitur *That salt is σύμβολον φιλίας καὶ εἰρήνης Symbol. significative of friendship and peace*, & convenit cum illo *Æschin. de emen. legat.* τοὺς γὰρ τῆς πόλεως ἅλας, *Sal civitatis* i. e. pax & amicitia civitatis. conf. *Hammond. Annotat. on S. Marc. cap.* 9. *fol. m.* 162. 89. *Georg. Petter commentary upon the Gospel of S. Marck. cap.* 9. *fol. m.* 692. 693. Sal enim apud veteres non nisi sacrificiis, litationibus, fœderibus, devotionibus, atque iis rebus, quibus aliquid divini inesse credebatur, adhibitum. *Salmuth. ad Panciroll. pag.* 59. Hinc sal pro sacro habitum *Stuck. lib. de sacrif. Gentil. fol. m.* 55. Ab *Homero* vocatur θεῖον *Iliad.* ι. Et in fœderibus adhibitum ob perpetuitatem & incorruptibilitatem, vid. *Dieter. antiq. bibl. fol. m.* 761. *Frider. Spanhem. dub. Evangel. dub.* XCL. *pag. m.* 457. §. 2. *n.* 4. Sal enim contra putredinem & corruptionem magnam vim habet, & ad durationem rerum plurimum vocatur מלח ברית Sal fœderis. *Num.* 18. 19. æquipollet enim ibidem, statutum perpetuum & fœdus salis. *Paul. Fagi. ad paraphr. Chald. Lev.* 2. *Joh. Drus. Loc. diffic. Script. S. c.* 6. *p. m.* 237. *Hammond. Annotat. on S. Mark. chap.* 9. 47. *Joh. Mayer commentary upon. Matth.* 5. in hæc verba, *ye are the Salt of the earth*: Vos estis *Sal terræ fol. m.* 92. Hebræi teste *Paulo Fagio* ita sentiunt: Sal durare facit omnes res, largiturque eis subsistentiam, ut non computrescat. Et de lege dicitur, quod saporem largiatur omnibus rebus. Atque ita vocatur fœdus salis æterni. *Forster. in dictionar. pag.* 442. explicat, quod inviolabile debeat esse. Juxta quod exponit Esdræ verba *Joachimus Zehner. in Adag. sacr. cent.* 3. *pag. m.* 100. *vid. dissert. polit. Besoldi de fœderum jure* §. 1. *pag. m.* 73. *Bodin. de Dæmonom.*

CAPUT QUINTUM.

De Pacificis.

TErtium sacrificii genus, quod deinceps in Levitico traditur, a Latino interprete [1] Pacifica, Victimæ pacificæ, Hostia Pacificorum, Salutares hostiæ, a Græco vero εἰρηνικά, [2] θυσία εἰρηνικὴ, σωτήριον dicitur. Origenes autem duplex [3] fuisse Salutare sacrificium inquit Homilia v. unum Voti, alterum Laudis vocatum. Ex quo elicitur, sacrificium factum esse, cum aut Deum pro pace aut salute orarunt, aut ea impetrata laudarunt, & gratias ei egerunt. In hoc porro [4] adeps solum cremabatur in odorem suavitatis Deo, [5] pectusculum autem [6] & armus erant sacerdotis: reliquæ carnes [7] edebantur a privatis. Modus autem hujus patrandi traditus est his verbis tertio Levitici: *Quod si hostia Pacificorum fuerit ejus oblatio, & de bobus voluerit offerre [8] marem, sive fœminam, immaculata offeret coram Domino, [9] ponetque manum super caput victimæ suæ, quæ immolabitur in introitu Tabernaculi Testimonii, fundentque filii Aaron sacerdotis sanguinem per altaris circuitum, & offerent de hostia Pacificorum in oblationem Domino adipem qui operit vitalia, & quidquid pinguedinis est intrinsecus, duos renes cum adipe quo teguntur ilia, & reticulum jecoris cum renunculis; adolebuntque ea super altare in holocaustum, lignis igne supposito, in oblationem suavissimi odoris Domino.* Eandem rationem inde tuendam esse docet, [10] si agnum aut capram obtulerit, subjiciens [11] de adipe hæc verba: *Et fundent filii Aaron sanguinem ejus* (capræ) *per circuitum altaris: tollentque ex ea, in pastum ignis Dominici adipem qui operit ventrem, & qui tegit universa vitalia, duos renunculos cum reticulo quod est super eos juxta ilia, & arvinam jecoris cum renunculis: adolebitque ea super altare sacerdos in alimoniam ignis, & suavissimi odoris. Omnis adeps Domini erit jure perpetuo, in generationibus & cunctis habitaculis vestris:* [12] *nec sanguinem, nec adipem omnino comedetis.* Inde lex editur cap. VII. his verbis: *Hæc est lex hostiæ Pacificorum, quæ offertur Domino: Si pro* Gratiarum *actione oblatio fuerit,* [14] *offerent panes absque fermento conspersos oleo, & lagana azyma, uncta oleo, coctamque similam, & collyridas olei admistione conspersas, panes quoque fermentatos cum hostia* Gratiarum, *quæ immoletur pro Pacificis; ex quibus unus pro primitiis offertur Domino, & erit sacerdotis, qui fundet hostiæ sanguinem, cujus carnes* [15] *eadem comedentur die, nec remanebit ex eis quidquam usque mane. Si voto, vel sponte quis obtulerit hostiam, eadem similiter edetur die. Sed & si quid in crastinum remanserit, vesci licitum est:* quidquid *autem tertius invenerit dies, ignis absumet. Si quis de carnibus victimæ Pacificorum die tertia comederit irrita fiet oblatio, nec proderit offerenti; quin potius quæcunque anima tali edulio se contaminaverit, prævaricationis rea erit. Caro quæ aliquid tetigerit immundum, non comedetur, sed comburetur igni. Qui fuerit mundus, vescetur ex ea. Anima polluta, quæ ederit de carnibus hostiæ Pacificorum, quæ oblata est Domino,* [16] *peribit de populis suis: & quæ tetigerit immundum hominis, vel jumenti, sive omnis rei quæ polluere potest, & comederit de hujuscemodi carnibus, interibit de populis suis. Adipem ovis, & bovis, & capræ non comedetis. Adipem cadaveris morticini, & ejus animalis quod a bestia captum est, habebitis in varios usus. Si quis adipem qui offerri debet in incensum Domini, comederit, peribit de populo suo. Sanguinem quoque omnis animalis non sumetis in cibo tam de avibus, quam de pecoribus. Omnis anima quæ ederit sanguinem, peribit de populis suis. Qui offert victimam Pacificorum Domino, offerat simul & Sacrificium, id est Libamenta ejus. Tenebit manibus adipem hostiæ, & pectusculum, cumque ambo oblata Domino consecraverit, tradet sacerdoti, qui adolebit adipem super altare. Pectusculum autem erit Aaron, & filiorum ejus. Armus quoque dexter de Pacificorum hostiis cedet in primitias sacerdotis. Qui obtulerit sanguinem & adipem filiorum Aaron, ipse habebit & armum dextrum in portione sua.* Item cap. 10. *Pectusculum quod oblatem est, & armum qui separatus est, edetis in loco mundissimo, tu, & filii tui, & filiæ tuæ tecum: tibi enim & liberis tuis reposita sunt de hostiis Salutaribus filiorum Israel: eo quod armum, & pectus, & adipes, qui cremantur in altari, elevaverunt coram Domino, & pertinent ad te & ad filios tuos lege perpetua.* De hoc vero Sacrificio sic probe Philo in libro de sacrificiis: *In sacrificio Salutari non refert utrius sexus sit hostia, verum ex eo tria hæc debentur sacerdotibus, adeps, fibra jecoris, & renes duo: cætera in epulum cedunt ei qui obtulit. In hoc genere duobus tantum diebus epulari fas est, ita ut nihil reliquiarum supersit in tertium: offertur enim sacrificium pro salute duorum, corporis & animæ.*

Pro-

Proinde suus cuique dies epularis tribuitur. Quoniam autem tertium nihil est, cui proprie quæratur salus, vetitum est proferri epulum in tertium diem, ita ut ne per oblivionem quidem liceat superesse reliquias sine piaculo. Ad hoc genus pertinet illud etiam sacrificium quod Laudis dicitur, & fit ad hunc modum. Cum aliquis in nullam adversitatem incidit vel rerum externarum, vel corporis; sed quieta tranquillaque vita fruitur, necesse est ut Deo habeat gratias, eumque demereatur hymnis, laudationibus, sacrificiis, & aliis gratiarum actionibus, quæ omnia comprehenduntur Laudis nomine. Hanc victimam non biduo, sicut priorem illam pro salute, sed ipsa prima die lex jubet absumi, ut qui experti sunt propensum favorem cœlestis Numinis, sine cunctatione de hoc sacrificio impertiant aliis. Atque hoc præceptum est XII. Levitici: *Si immolaveritis hostiam pro gratiarum actione Domino, ut possit esse placabilis, eodem die comedetis eam, non remanebit quidquam in mane alterius diei*. Itaque David ingenti periculo liberatus, cum gratias Deo ageret Psalmo 115. dixit: *Quid Domino retribuam pro omnibus quæ retribuit mihi? Calicem Salutaris accipiam, & nomen Domini invocabo. Tibi sacrificabo hostiam Laudis, & nomen Domini invocabo.*

NOTÆ AD CAPUT QUINTUM.

[1] *Pacifica.*) Offerebantur hæc Sacrificia vel ad solutionem voti, vel ad gratiarum actionem testandam, vel denique ad Deum propitium reddendum, quod non male Hebr. להשלים exprimit *R. Salomoh in Levit.* 3. hanc nomenclatio rationem habet: *quia Sacrificia illa dabant pacem mundo, pacem altari, pacem Sacerdotibus, pacem offerentibus.* Eadem fere recenset *Henry Ainsworth. in comment. ad Levit. fol.* 14. sunt qui שלם *retribuere* vel pace frui volunt, pacem habere seu precari; oblata itaque sunt 1. in gratiarum actionem pro pace data. 2. Pro conservatione pacis præsentis. 3. Pro imposterum ejusdem largitione. Vide fuse de his *Ainsworthium l. c.* Quidam per retributionem explicant, & respiciunt ad divisionem oblatæ victimæ, cujus prima pars pinguia & renes & intestina Deo; 2. pectus & brachium dextrum Sacerdoti 3. reliquum offerenti cedebat. Verum prior derivatio melior. Vide de Sacrific. Pacif. denominatione *Guilelm. Outram. cap.* 11. *lib.* 1. *pag. m.* 106. *seq. edit. Amstel.*

[2] *Θυσία; σωτήριον.*) Hebræi vocant זבח שלמים. Vulgata translatio hostiam pacificorum reddit. Nonnulli sacrificium Teleticum vocant *ἀπὸ τῆς τελετῆς*, quasi sacrificium integrorum, propterea quod non de carne hujus licebat edere, nisi iis, qui juxta Mosaicos ritus puri & sancti essent. Hebræi communiter sentiunt hoc genus sacrificii vocatum pacificorum, scil. quod partim per ipsum pax mundo impetraretur, partim quod ex hoc sacrificio una pars redderetur Domino in sacrificium ignitum, altera sacerdoti & tertia offerenti, id quod in aliis sacrificiis non solebat fieri. Audiamus R. David Kimch. qui in radic. suis sic ait. Vocatur hæc oblatio, quia holocaustum totum concremabatur. In hostia pacificorum sanguis & reliqua super altare adicendebant, & pectus & armus sacerdotum erant, atque reliqua caro & pellis offerentibus cedebant, atque ita erat hostia pacis inter eos, sic explicatur in libro Siphra appellato. conf. *Andre. Willet. comment. in Levit. fol.* 49. *cap.* 3. *quæst.* 1. *Paul. Fag. paraphras. Chal. cap.* 3. *Levit. Redan. comment. in lib. Machab. fol.* 301.

[3] *Duplex.*) Autor noster duo tantum genera Sacrificiorum Pacificorum, statuit, cum tamen *tria* genera in sacris recenseantur *Levit.* 7. 11. 12. 6. Sacrificium *voluntarium*, *votivum*, *Eucharisticum seu laudum.* Quorum illa duo facta erant pro rebus prosperis impetrandis, ultimum autem pro impetratis ut *Abarbanel* ad *Levit.* 7. Scriptura, inquit, post sacra Eucharistica votiva memorat, & voluntaria, quæ quisque ad res secundas impetrandas, tanquam preces & vota adhibebat. Et in *præfat. ad Levit.* Sacra Eucharistica laudem pro bonis impetratis vocat, voluntaria autem & votiva preces pro nondum impetratis. vid. *Henr. Ainsworth in Levit.* 7. *fol.* 38. Joh. *Henric. Otho. in Lexic. Philol. Rabbin. pag.* 568. Erat tamen inter hæc quoque differentia. Alia enim *votivi*: alia *voluntarii* nuncupandi ratio fuit, id quod Canones Hebræorum declarant teste *R. Mos. Maimonide in Maase Korban. cap.* 14. Quodnam est Sacrificium votivum? quodnam itidem voluntarium? si quis dixerit, ego holocaustum, ego sacrum salutare, ego fertum; aut ego hujus pecudis pretium pro holocausto, aut sacro salutari Deo me daturum sancte recipio, hoc votum est. Sin dixerit: ego hanc pecudem, aut hujus pecudis pretium, holocausti aut victimæ salutaris nomine Deo reddam, ego hanc Ephæ decimam pro sacro dabo, hoc est sacrum voluntarium. Votivum si mortuum aut furto ablatum tenebatur simile restituere; in voluntario autem non tenebatur uti fuse ex Maimonide explicat *Henry Ainsworth. Comment. in Levit.* 7. *fol.* 39. vid. *Outram. de sacrif. pag. m.* 109. Pariter Sacra voluntaria ab iis sæpe fiebant, quibus nulla pericula imminebant: Votiva autem, qui in periculis versabantur ut *Jephtes* in bello Ammonitico *Jud.* 11. 30. 31. Hæc duo Sacrorum genera votiva & voluntaria etiam Gentibus in usu erant, præcipue cum versarentur in gravi tempestate, uti nautæ in *Jona cap.* 1. Sic Galli teste *Cæsar de bello Gallico l.* 6. Et quidem formula certa uti refert *Brisson. de formul. antiq.* conf. *Outram. pag.* 111. ubi plura: vid. *Joh. Henric. Othon. Lexic. Philolog. Rabbin. pag. m.* 567. Voluntaria pro prosperis impetratis fiebant, quale illud David *Psalm.* 116. Hæc tria genera a populo fiebant. Cum autem Sacrificia pacifica essent vel totum congregationis, vel personæ privatæ; hinc quatuor genera statuit *Ainsworthius comment. in Levit.* 7. *fol.* 38. Quæ sententia non rejicienda.

[4] *In hoc.*) Scilicet Sacrificio pacifico quod offerebatur; verum ubi offerri debuerit, disquiritur. *Clar. Johan. Henric. Otho. in Lexic. Philolog. Rabbin. p. m.* 568. ita asserit: Hæc Sacrificia personarum privatarum mactari poterant in quavis atrii Israelis parte. Verum erravit in his vir ille celeberrimus, quia id refert ad atrium Israelitarum: Dicitur quidem de atrio, sed nulli præterquam in atrio sacerdotum offerre licuit sacrificia.

[5] *Adeps solum cremabatur.*) Omnis adeps in hoc sacrificio tam adeps extorum, quam adeps circa renes & ilia, ambo renes, reticulum hepatis specialiter cremabantur. Hæc omnia non sine mysterio fiebant. Adeps enim aliquando optimum significat, uti *Gen.* 4. 4. de Abele dicitur, quod *obtulerit de adipe eorum.* Hinc Hebræi dicunt, de optimis Deo offerendum esse uti ex *Maimonid. in Misch. tom.* 3. *in Asur. mizbeach. c.* 7. *sect.* 11. *Ainsworth. fol.* 21. *in Gen.* retulit. Interdum etiam incredulitatem & duritiem cordis denotat. *Psal.* 119. 70. *Act.* 28. 27. Ita adipis consumptio per ignem significat remotionem corruptionum nostrarum per spiritum Christi. Et renes qui sedes voluptatum sunt, cremandi sunt, ut doceant, membra nostra terrestria mortificanda esse. *Colos.* 3.

[6] *Pectusculum & armus.*) Pectus & armus dexter sacrificii pacifici pertinebat ad sacerdotem offerentem, vocabanturque Hebraice מורם. Pectus autem debebat agitari coram Domino: ritus ille talis erat. Offerens debebat ingredi atrium sacerdotum: ibi sacerdos manui offerentis adipem cum pectore & armo

mo dextro imponebat, item renes & omentum jecoris, & si ad gratias agendas mactatum esset Sacrificium, massam panis. Deinde sacerdos manum suam infra manum offerentis ponens, illam cum rebus impositis huc illuc, sed præcipue Orientem versus agitabat. Hac agitatione facta, intestina aspergebat sale & in altari concremabat. Agitatum vero pectus & armum & panem pro sua parte sumebat sacerdos, reliqua offerens. Ritum hunc ex Maimonide fusius & prolixius recenset *Henric. Ainsworth. comment. Lev.* 3. *fol. m.* 15. his verbis: *Afterwards he eut in pieces the, flesh, andseparated the brest and the right shoulder, and put the inwards with the brest and shoulder into the owners hands. And the Priest put his hand under the owners hands and waved all before the Lord, on the East side. And if it were a Thank-offring he tooke of the bread that war brought therewith, one cake of ten, and laid it with the brest shoulder, and inwards, and waved all upon the owners hands. First he laid the fat upon the owners hands, then the brest, and the shoulder above. And the two Kidneyes and the caule of the liver above them. And if there were any bread, he laid it above, and so waved all. After that, he salted the inwards, and burned all upon the altarbat the brest and the shoulder were eaten by the Priests, and the remant of the Peace-offring was eaten by the owners.* Verum Sacerdos pectus & armum non prius recipiebat, donec adeps & intestina cremata fuerint. Si duo cognati simul, offerebant pacificum, unus tantum agitabat. Si mulier, illa non agitabat, verum Sacerdos loco illius, quia mulier non agitabat nisi in Sacrificio Zelotypiæ & Nazaræatus.

[7] *Edebantur.*) Licitum erat offerenti partem suam Sacrificii allati comedere in quacunque parte Hierosolymæ ipsi libuerit, ita intelligendum hoc axioma. Poterant partes Sacrificiorum comedi, non in quavis urbe, sed in quavis parte Urbis: Erat enim hoc unum ex Hierosolymæ privilegiis, quod Sacrificia minus Sancta קדשים קלים in nulla alia urbe, quam in illa comedi poterant. Offerentes suas partes in aliquo angulo atrii mulierum coquebant. vid. 2. *Chron.* 35. 13. Cum Tabernaculum adhuc in Siloh erat, in illo etiam fiebat coctio Sacrificiorum. Hinc filiorum *Eli* fraudes qui cum pectore & armo quæ Sacerdotibus cedebant, non contenti, uncinulis ex olla surripiebant, quæ extrahere poterant.

[8] *Marem sive fœminam.*) Sacrificium Pacificum in hoc differebat ab holocausto, quod hoc tam ex mare, quam fœmina constiterit, illud autem ex solis masculis. Ex hac sexus distinctione Hebræi colligunt, quod bestia, quæ non perfecte aut sexus masculini aut fœminini, vel & mas & fœmina non apta fuerit ad Sacrificium, licet alias nullam haberet imperfectionem. *Maimonid. in Issuri Mizbeach. cap.* 3. *s.* 3. Et hoc Sacrificium typus erat status Ecclesiæ in Christo, in illo non est masculus & fœmina, omnes enim unus estis in Christo.

[9] *Ponetque manum.*) Vel potius manus ad testificandam fidem in Deum. Verum hic aliqua differentia est inter manuum impositionem, cujus mentio fit. *Levit.* 1. Sed hac impositione manuum laudes & gratiarum actiones indicabant; imo putamus preces adjunctas habuisse, quæ cuique maxime convenirent. Hinc Hebræorum canones teste *Maimonid.* de oblat. *Sacrif. cap.* 3. *sect.* 14. 15. Quia in Pacifico nulla erat confessio peccatorum itaque verba laudis & gratiarum actionis proferebant; hinc manus imponebant in atrio, ubi placebat, præprimis in loco ubi mactandum erat animal.

[10] *Si agnum aut capram.*) Oves & capræ in Pacificis etiam adhibebantur uti in holocaustis; verum hoc loco avium nullo fit mentio. Hæ oves & capræ semper legitimæ erant uti refert *Maimonides in tract. de Oblat. sacrific. cap.* 1. *sect.* 11. ni tres annos superent, his peractis illegitimæ erant. Verba ejus hæc sunt. Pacifica offeruntur ex ovibus & capris & bobus tam masculis, quam fœminis, sive illa animalia sint minora sive majora, exceptis avibus, quæ non offeruntur in Pacificis. Bestiæ minores sunt, quæ octiduum in vivis sunt, usque ad perfectum & completum annum. Majores autem usque tres annos compleverint. Ultra hos non licet offerre.

[11] *De adipe.*) Harum bestiarum adeps cremabatur cum aliis requisitis. Ubi tamen observandum, quod ex sola specie ovium integra cauda e regione spinæ dorsi ad os sacrum auferenda. *Levit.* 3. 9. Anglus reddit: *the whole rumpe, the perfect tayle which in some hinde of sheepe is very great and fat.* Quia scil apud Orientales, vel cubitales vel pingvissimæ erant ovium caudæ, præprimis *in Syria* uti *Plinius* refert *histor. c.* 48. *lib.* 8. Proinde reservabantur una cum adipe & adipatis aliis altari. *Franc. Jun. in not.* ad hunc locum. Caudam inquit, Deus nominatim excipit in hoc Sacrificiorum genere, non autem in bobus & capris, quia Syriæ ovibus cubitales sunt caudæ, plurimumque in ea parte pinguedinis est. Conf. cl. *Joh. Jacob. Cramer. de ara exter. pag.* 141. 142. *edit. Lugd. Bat.* 1697.

[12] *Nec sanguinem nec adipem comedetis.*) Deus hoc in loco prohibet esum sanguinis & adipis. De sanguinis esu prohibito pluribus egit cl. M. Michael *Henric. Reinhard. in dissert.* 1. *Witteberg.* 1697. habita *de cibis Hebr. prohibitis* §. 10. 11. *seq.* Ubi tamen Rabbini excipiunt sanguinem *piscium*, *locustarum* aliarumque ejusmodi rerum, qui non prohibitus erat: quare legitimum erat, edere vel bibere sanguinem piscium vel locustarum inquit *Maimonid. de cibis prohibitis. cap.* 6. *Sect.* 1. conf. *Henry Ainsworth.* in *Levit.* 7. *fol. m.* 41. Post sanguinem ponitur *adeps*, ille vero non omnis interdicebatur, sed *boum* tantummodo, *agnorum* & *caprarum* utriusque quidem sexus. Reliquarum enim bestiarum, cicurum æque ac ferarum, mundarum immundarumque licitus manebat, ac non secus ac ipsa caro comedi poterat, nisi de morticino aut lacerato esset, ubi etiam adipem prohibitum in usum quidem suum qualem qualem convertere poterant, modo ne comederetur. Sed neque trium istorum animalium jam dictorum adeps omnis vetitus erat, verum ille adeps super intestina, super ventriculum, super renes & super alia graciliora in radicibus laterum introrsum, ad quæ referuntur etiam cauda ovium, renes & reticulum jecoris; Ita adeps intestini crassi, pelliculæ lienis, iliorum ac renum comedi non poterant. Adeps vero durus latens intra ilia, aut intra cor, iliorum item convolutorum minutissimorum erat licitus. vid. *Maim. in Maacal. asur. c.* 7. conf. *Henric. Ainsworth. in Levit.* 3. *fol.* 15. *edit. Londin.* Causam interdictionis Judæorum ridiculam vide in *More Nevoch.* III. 48.

[13] *Offerent panes.*) Panes Sacrificii Confessionis. s. gratiarum actionis ita parabantur. Accipiebat xx. cabos farinæ optimæ; & ex decem cabis conficiebat panem infermentatum, & ex decem aliis, fermentatum. Ex decem cabis fermentatis decem placentas conficiebat: Ex decem cabis infermentatis autem conficiebat xxx placentas æquales, decem unius sortis scil. decem in furno coctas & decem in sartagine & decem celerrime frixas. Hæ xxx. placentæ dimidio Logi olei miscebantur, quarta pars mittebatur placentis celerrime frixis, & octava pars dabatur placentulis in sartagine, octava in furno coctis &c. Et Sacerdos unam e singulis speciebus accipiebat. vid. *Maimonid. de oblat. Sacrif. c.* 9.

[14] *Eadem die.*] Eodem die comedi debebat & a Sacerdote & offerente; At si quid remaneret, poterat crastino die comedi Levit. 15. 17. Nihil autem relinquendum erat in diem tertium, & si quid residuum, igne cremandum fuit. Ratio est, ut abstinerent ab avaritia & ut erga pauperes liberales essent; & propter calidas illas regiones caro brevi poterat putrescere. Comedi autem poterat a Sacerdote vel in Templo vel in ædibus privatis Hierosolymis. Offerens quoque edere poterat vel in Templo vel etiam Domi, privatus quivis ex uxore & liberis ad sacrum hoc epulum invitare poterat, extra urbem autem comedere nefas erat.

[15] *Peribit.*) Pœnæ, quæ manebant eos, qui de hoc comedendo peccaverant, erat *Excisio*. *Levit.* 7. Quod si vero Judæos audias, quæstionum & distinctionum variarum finem vix invenies: omnes tamen fere eo redeunt, ut non reum excisionis facerent, nisi propter comestionem sanguinis cum quo exit vita, idque debebat ex proæresi esse factum: Nam si per errorem peccavissent, Sacrificio pro peccato erant obnoxii. Dicitur autem ipsis sanguis cum quo

exit

exit vita, ille, qui fluit tempore mactationis, incisione narium, amputatione capitis, sic etiam qui collectus est in corde, & qui per phlebotomiam emanabat. Quod si vero sanguinem membrorum splenis scil. renum, testiculorum, & qui tempore mactationis circa cor colligitur, aut in liene reperitur, vel etiam membrum animalis vivi, de morticino aut lacerato comedisset ad olivæ quantitatem excisionis reus non fiebat, interim tamen flagris cædebatur. vid. *Maimonid. in Maacaloth asuroth. cap. 4. 5. & 6.* conf. *Ainsworth. in Levit. fol. 41.*

CAPUT SEXTUM.

De Sacrificio pro peccatis.

Quartum fuit Sacrificium sacerdotis, populi, principis, & privati, [1] pro expiandis [2] peccatis; de quo Levitici quarto: *Si sacerdos qui unctus est peccaverit* [3] *delinquere faciens populum, offeret pro peccato suo vitulum immaculatum Domino, & adducet illum ante ostium Tabernaculi Testimonii coram Domino,* [4] *ponetque manum super caput, & immolabit eum Domino. Hauriet quoque de sanguine vituli,* [5] *inferens illum in Tabernaculum Testimonii; cumque intinxerit digitum in sanguinem, asperget eum* [6] *septies coram Domino* [7] *contra velum Sanctuarii, ponetque de eodem sanguine* [8] *super cornua altaris thymiamatis gratissimi Domino, quod est in Tabernaculo Testimonii. Omnem autem reliquum sanguinem* [9] *fundet in basin altaris holocausti in introitu Tabernaculi. Et* [10] *adipem vituli offeret pro peccato tam eum qui vitalia operit, quam omnia quæ intrinsecus sunt, duos renunculos, & reticulum, quod est super eos juxta ilia, & adipem jecoris cum renunculis, sicut offertur de vitulo hostiæ Pacificorum, & adolebit ea super altari holocausti.* [11] *Pellem vero, & omnes carnes cum capite, & pedibus, & intestinis, & fimo, & reliquo corpore efferet* [12] *extra castra in locum mundum, ubi cineres effundi solent, incendetque ea super lignorum struem, quæ in loco effusorum cinerum cremabuntur.* Exposita ratione sacrificii pro peccato [13] sacerdotis, deinceps refertur ratio [14] sacrificii pro peccato Populi, [15] Principis, & [16] privati, qui [17] per ignorantiam peccaverint. Quæ quoniam non admodum dissimiles sunt, non videtur faciendum, ut ea huc transferamus, locum ipsum indicasse contenti. Lex autem hujus sacrificii sic postea traditur cap. 6. *Ista est lex hostiæ pro peccato. In loco, ubi offertur holocaustum, hircus immolabitur coram Domino. Sanctum Sanctorum est. Sacerdos qui offert,* [17] *comedet eum in atrio Tabernaculi. Quidquid tetigerit carnes ejus, sanctificabitur. Si de sanguine illius vestis fuerit aspersa, lavabitur in loco sancto: vas autem fictile in quo cocta est, confringetur. Quod si vas æneum fuerit, defricabitur, & lavabitur aqua. Omnis masculus de genere sacerdotali vescetur de carnibus ejus, quia Sanctum Sanctorum est. Hostia enim quæ cæditur pro peccato, cujus sanguis infertur in Tabernaculum Testimonii ad expiandum in Sanctuario, non comedetur, sed comburetur igne.* Pariter inde traditur ritus & lex sacrificii pro peccatis [18] ex silentio veritatis, immunditia, errore, jurejurando, & sacrorum abusu.

NOTÆ AD CAPUT SEXTUM.

[1] *Sacrificium pro Peccatis.*) Hebræi vocant חטאת quod a radice חטא erravit quocunque modo; peccavit. In Piel חטא peccatum abstulit, removit, a peccato absolvit. Unde חטאה vel חטאת est expiatio, piaculum, seu sacrificium expiationis. Chaldæus addit קורבן ita ut קורבן חטאתא sit oblatio pro peccato Syrus לחלם התהא elliptica quæ vice peccatorum offeruntur sacrificia. Lut. Sünd-Opffer. expressit. Hebræi quidem distinguunt inter חטאה, quod Græcis est, *ἁμαρτία*, & inter אשם quod Græci *πλημμέλειαν* vertunt. Hinc variæ oriuntur explicationes, de quibus vid. *Jac. Bonfrer. in cap. 4. Levit. & Torniell. annal. sacr. sub. A. M. 2545. n. 22. R. David Kimch. in lib. Radic.* τὸ אשם ita explicat: sacrificium pro delicto oblatum dicitur אשם. τὸ חטאת vero oblatio quæ pro peccato offertur. Distinctius & prolixius agit *R. Abarbanel fol. 229. col. 2. & ex eo Domin. Joh. Frischmuth. disput. de sacrific. host. §. 22. lit. f. qui* §. 24. ita describit: Fuit חטאת certa species piamenti legalis, cujus effectus alias dicitur, *χάρις, καταλλαγή, δικαίωσις*, quæ opponuntur *τῇ ἐχθρᾷ, ὀργῇ, κατακρίματι*. Et tale חטאת sive *περὶ ἁμαρτίας* præfiguravit illud lytrum Christi.

[2] *Peccatis.*) Sacrificia offerenda erant pro peccatis sive commissionis sive omissionis, modo ex ignorantia patrata sint, vid. *Ainsworth. comment. in Levit. 4. fol. m. 17. Guilielm. Outram. de Sacrif. lib. 1. cap. 12. pag. 117. edit. Amstel. Joh. Frischmuth. dissert. de hostia Messiæ pro reatu se tradente* §. 22. Hebræi vero definiunt illa adducenda esse pro peccatis ex ignorantia commissis contra præceptum negativum, cujus neglecti conscius merebatur excidium. Sic *R. Salom. in Lev. 4. Sacrificium pro peccato non offerebatur propter peccatum conscientiæ & ex petulantia commissum contra præceptum negativum, & quod inducebat in reatum excidii, sed pro peccato ex ignorantia commisso.* Kerithut. c. 1. Omnia illa peccata quæ numero 36. ibi recensentur, si petulanter commissa sunt, reatum excidii attrahunt, ex ignorantia vero commissa requirunt Sacrificium pro peccato. Vide de his pluribus differentes *Outram* c. l. *Joh. Henric. Othon. in Lexico Philol.*

Philol. Rabbin. pag. m. 559. *Ainsworthium* l. c. Ubi plura legi possunt. Sacrificia pro peccatis duplicis erant generis 1. *totius congregationis Levit.* 16. 2. *Privatorum* Sacrificia totius congregationis aliquando in nomine Synedrii, quod tamen populum integrum simul etiam repræsentabat, aliquando vero simpliciter in nomine congregationis, Synedrium illa afferebat Sacrificia, si per inadvertentiam male circa aliquam legis partem determinasset; vocant illa Sacrificia juvencos pro re ignota oblatos. De hac acceptione nominis קהל congregationis vid. *R. Salomoh. in Levit.* 4. *Maimonid. in Schegaga. cap.* 12. *Targum Jonath. in Levit.* 4. Sacrificium pro peccato *privatarum personarum* erant 1. Juvencus *Levit.* 16. 6. 2. Juvencus quem Pontifex offerebat pro peccato ab ipso ex ignorantia commisso. 3. de duobus aliis sacrificiis pro peccato vid. *Levit.* 4. 22. 23. 25.

³ *Delinquere faciens populum.*) Si scil. docendo populum erronea illum reddit peccantem, uti *David* causa peccati erat Israelitarum 1. *Chron.* 21. Hunc sensum Græcus sequitur, & Latinus vertit delinquere faciens. Hebr. uti: *Chazkuni*, si fecerit populum peccantem in hoc, quod docebat illum; aut permiserit ea quæ prohibita sunt. De his Hebræorum Canones loquuntur hoc modo: *Si iste, qui in uno horum ex ignorantia errat, privatus sit, tenebatur offerre capram vel agnam: & si is, qui Sacerdos unctus, tenebatur offerre juvencum pro Sacrificio pro peccatis, significatur illo, quod offerre debeat juvencum propter imprudentiam & temeritatem, si erret seipsum docendo & factum committit per imprudentiam solum in docendo, vir sapiens est, uti scriptum est: Si Sacerdos, qui unctus est peccaverit delinquere faciens populum. En! Sacerdos est, uti congregatio. &c.* vid. plur. *Maimonid. in tract. de ignorant. cap.* 1. f. 4. *Ainsworth. in Levit.* 4. *fol.* 18. Qui locum Maimonid. prolixum Anglice reddidit. conf. *Quensted. antiq. Bibl. pag. m.* 232.

⁴ *Ponetque manum super caput.*) Hic impositio manuum non gratiarum actionem, uti in Sacrificiis pacificis designabat, sed confessionem peccatorum suorum, quæ commiserat. Judæi omnes statuunt, nemini ad culpæ suæ veniam Sacrificium ullum valuisse, nisi cum culpam expiandam prece supplici confiteretur. Nam ubi non est peccatorum confessio, testibus Rabbinis, ibi non est impositio manuum, quia manuum impositio ad confessionem pertinet. Jam autem *Abarbanel* ex Talmudistis *ad Levit.* 16. fatetur, quod ad Sacrificium pro peccato confessio addi deberet: Ergo. Verba Abarbanel. citante *Outramo* hæc sunt: Docuerunt laudatæ memoriæ Sapientes in codice Zebachim, omni Sacrificio pro peccato culpæ admissæ confessionem necessario addi debuisse. Et *R. Abuavus* ista de confessione loquens, cujus meminit Moses *Lev.* 5. 5. Hæc confessio ad omnia sacrificia pro peccato pertinet. Idem statuunt *Aben-Ezra ad Levit.* 5. *Moses Ben Nachman. Maimonid. in Teshuba. c.* 1. Victimarum pro peccato, noxave Domini, quo tempore de culpis incogitato aut cogitato factis sacrificant, nisi pœnitentiam agant, & peccatorum confessionem disertis verbis conceptam edunt, sacrificiis suis non purgantur. Optime igitur *Henric. Ainsworth. fol.* 19. *in Lev.* 4. *And confessed his sivre, which he hath sinnets so putting it upon the head of he beast, and this should be alsowith repentance and forsa King of the sinne.*

⁵ *Inferens illum in Tabernaculum.*) Sanguis hujus sacrificii allatus fuit in Sanctum Sanctorum, illoque digitis septies coram velo aspergebat sacerdos: aliquid dein affundebat cornibus altaris, residuum vero ad basin altaris. Nec contemnenda est *R. Abarbanel.* observatio, qui *fol.* 463. *col.* 3. ab initio fere hoc de חטאת annotat. אין בכל הקרבנות קרבן שטעון זריקה דם באצבע אלא חטאת בלבד שנ׳ בו״ה וטבל אצבעו בדם i. e. *Nullum est sacrificium, cui sanguinis aspersio mediante digito sit alligata; nisi illud, quod pro peccato offertur, quia dictum est* Levit. 4. 6. *& intinget digitum suum in sanguinem. Et fol.* 464. *col.* 1. *ait:* אין למזבח בא אלא דמה והשאר נאכל לזכרי כהונה כבשר חטאת חבחמה׳ i. e. *Sacrificii pro peccato non nisi sanguis ad altare defertur, quicquid vero superest, a Sacerdotibus masculis comeditur sicut caro Sacrificii pro peccato ex juvenco.*

⁶ *Septies.*) Numerus mysticus est, significans perfectam & plenariam purgationem a peccatis per aspersionem sanguinis Christi. *Hebr.* 9. 13. 14. 1. *Joh.* 1. at quod peccata nostra opus habeant purgatione *Psal.* 51. Septenarius numerus est completus, usitatus in perfectione operis creationis *Gen.* 3. Et hic numerus in Scriptura sæpissime adhibitus, ut *Levit.* 16. 14. 8. 11. 14. 7. 9. 8. 35. 12. 2. *Num.* 19. 19. 2. *Reg.* 5. 10. Imo hic numerus observatus a Gentilibus L. *Apulej. de asin. aur. l.* 11.

⁷ *Contra velum Sanctuarii.*) Anglus reddidit, *the veile of the holy place.* Hebr. velum Sanctitatis. Græc. Sanctum velum, & hoc loco erat illud quod sanctum distinguebat a Sanctissimo, quod velum secundum dicebatur vid. *Scheringham in not. ad Codic. Jom. pag. m.* 52. *edit. Franequer.* Joh. *Henric. Othon. Lexic. Philol. Rabbin. pag. m.* 661. Significabat autem hoc aditum per Christum nobis ad cœlum factum, uti Apostol. *ad Hebr.* 10. 19. 20. testatur. Audiamus virum celeberrimum nec non exquisitæ eruditionis *Jacobum Rhenferdium* ita in comparatione Expiationis Pontificis disserentem *pag. m.* 126. Codic. Jom. annexa: Hic ille velum per carnem Jesu interpretatur, i. e. humanam naturam, quæ quamdiu integra erat, aditus ad Deum nondum erat patefactus. Nimirum uti velum Tabernaculi adyto obductum erat; ita iniquitates nostræ a Deo & cœlo nos dividunt &c. reliqua verba cit. loco evolvenda. confer. *Ainsworth. fol. m.* 29. ubi & ritum ex *Maimonid.* adducit.

⁸ *Super cornua altaris Thymiamatis, &c.*) Præcepto divino diligenter Judæi obsequuti sunt & ita quidem, ut aliarum hostiarum sanguine fundamentum seu foramen occidentale, aliarum vero australe imbuerint. Sacrificiorum pro peccato interiorum seu comburendorum cruorem, quo aurata ara ante inspergi debuit basis occidentalis accepit, sed meridionalis sanguinem hausit victimarum החיצונות, quas *Bartenor. ad Sebb.* 4. §. 2. *Midd.* 3. 2. ad Sacrificia pro peccato exteriora seu comedenda restringit, sed perquam male; cum huc præterea holocausta omnia pro Reatu & pacifica vel maxime pertineant, ut *R. Jom. Tobb.* 2. *c.* sæpiuscule ostendit. Priorum igitur Sacrificiorum sanguinem crepido occidentalis bibit, quoniam hæc sacerdoti e templo ab ara aurea redeunti primum se obtulit, ut ostendit Gemar. vid. *cl. Joh. Jacob. Cram. pag.* 55. *Ainsworth. fol.* 19. *in Levit.* 4. Quod autem sanguis in Sacrificiis expiatoriis cornibus illinebatur, magnum est mysterium. Nam eo ritu noscimus, in Christo, qui peccata nostra expiavit, juncta esse meritum & potentiam servandi; illud enim sanguine, hæc cornibus notatur. Constat ita eum vitam, ad quam illo nobis jus peperit, hac reapse conferre, ut nobis nihil superest agendum, quam obsequiosa fide ad tantum servatorem confugere, bonitatem amplecti, potentiamque revereri. Hoc pacto Christus meruit vocari קרן ישע, Κέρας σωτηρίας cornu salutis.

⁹ *Fundet in basin.*) Intelligitur occidentalis, quia sacerdos e Templo egressus eam primum offendit. Testatur hoc *Maimonid. cap.* 5. *sect.* 11. *Sacrificium pro peccato, quod cremabatur & sanguis coram Domino inferebatur Sanctuario & spargebatur, uti in lege expressum; hujus reliquum sanguinis fundebatur in basin altaris, quod extra stabat scil. ad occidentem, & hoc primum erat, quod ei in exitu occurrebat. Raschi* verba in Levitico, quæ proxime consequuntur: Effundet ud fundamentum altaris, quod est ad portam tentorii conventus: e *Torah Cohanim* in hunc finem urget & ait: *Reliquiæ* ejus effundendæ sunt ad fundamentum, quod ostio Tentorii conventus proximum est: Atque hoc est occidentale. De mystica significatione, videantur *celeberrimus Jacob Rhenferd. de comparatione Expiationis Pontif. Jomæ annexa pag. m.* 129. *Cramer. de Ara exter. pag. m.* 193. ubi plurima lectu dignissima legi possunt.

¹⁰ *Adipem.*) Post jugulationem & aspersionem sanguinis adipem sumebat & intestina, vasique indebat, sale aspergebat, & igni imponebat altaris. vid. *Maimonid. tract. de Oblat. sacrific. cap.* 7. *sect.* 2.

¹¹ *Pellem.*) Pellis carni adhærens in Sacrificio pro peccato non detrahebatur, verum in frustra scindebatur cum carne cremabatur & in cineres redigebatur teste *Maimonide tract. de oblat. sacrific. c.* 5. *sect.* 18. & *c.* 7. *f.* 1.

¹² *Extra castra.*) Postquam in Terra Canaan se-

dem

dem firmavissent Hebræi & templum Hierosolymis fixum esset extra urbem efferebant. Sacerdotes enim non poterant comedere carnem sacrificii pro peccato, quia sanguis illius inferebatur Sanctuario, sed igne consumebatur extra castra, cujus mysticam significationem nobis explicat Apostolus ad *Hebr.* 13. 10. Habemus altare (Christum) ex quo non habent jus edendi qui Tabernaculo deserviunt (ita excludens a Christo omnes, qui adhærebant rudimentis Mosis) quod ita probat: Quorum enim animalium sanguis infertur pro peccato in Sanctuarium per Pontificem, eorum corpora exuruntur extra castra. Qua re Christus Jesus præfigurabatur, qui extra portas patiebatur. vid. *Henr. Ainsworth. comment. in Lev. Tit.* 4. *Joh. Henric. Othon. Lexic. Philolog. Rabin. pag. m.* 560. Extra omnem controversiam statuimus Apostolum huc tendere cum victimarum piacularium extra castra cremationem, ad Christum extra urbem cruci affixum refert. Huc etiam pertinet, quod adolitionem istam ut vere sacrificalem, quæ ad essentiam oblationis, non secus ac aspersio mactatioque fuit, exhibet Moses, dum eam in omnibus Sacrificiorum generibus in odorem gratum Deo peragi jubet *Levit.* 1. 3. *&* III. 5. *&* 4. 31. Sic Paulus Christum, se Deo *εἰς ὀσμὴν εὐωδίας* obtulisse vult, cum in morte *θυσία καὶ προσφορὰ* fieret *Ephes.* 5. 12. Accedit quod Rabbini ut *Bechai* & *Abarbanel* etiam in combustione subrogationem agnoscant pœnæque rationem: manifesto argumento, quod etiam in Christo ad passiones pertineat non ad gloriam. *Rambam in Levit.* 1. ait: *Dignus esset homo*, cujus sanguis funderetur corpusque exureretur, nisi benignissimus Creator ab eo pro re vicaria & *λύτρον* victimam accepisset. Significavit vero cæremonia ista, Messiam ab ira Dei acerrime ustum iri. Ea enim est ignis, quo homo consumitur & æstus quo conturbatur *Psalm.* 90. 7. imo ignis accensus est ira Dei, qui ardet usque ad imum sepulchrum. *Deut.* 32. 23. Non quidem post mortem; sed vivus tum in cruce tum ante tulit iram Dei, ut holocaustum totus in corpore animaque *Psalm.* 69. 10. Sed & Sacrificiorum piacularium instar cor h. e. anima intolerabilibus flammis excruciata est.

[13] *Sacerdotis fuit.*) Paraphras. Chald. *Onkel.* vertit, si Sacerdos magnus. Hebr. si Sacerdos unctus. LXX. vocabulum *ἀρχιερεὺς* ponunt, quia solus sacerdos summus ungebatur unctione solenni. Additur porro delinquere faciens populum. Quidam ita hæc verba exponunt. Si sacerdos unum horum committat, quale admitti solet ab unoquoque e populo. Quidam vero inter quos *Paul. Fag. in paraph. Chald in Levit. cap.* 4. aliter, videlic. Si summus Sacerdos populum peccare faciat. *And. Willet. quæst.* 8. *fol. m.* 61. *Levit.* 4. eodem exponit modo: *causing the people to sinne.* Quia peccatum Sacerdotis præbet occasionem populo peccandi. *Jun.* ita explicat, si doctrina & malo exemplo populum seducat. Quæ explicatio omnium optima videtur. Vita Sacerdotis enim regula populo juste vivendi. Hanc etiam sequitur *R. David. Kimchi*, ita dicens. *Si peccaverit doctrina sua.* Sacerdotes enim docebant legem *Ezech.* 44. Si delinquere fecit populum sua doctrina, quam non docuit juxta legem. An vero summus Sacerdos, an alius sacrificium hoc peregerit disquiritur. *Tostatus comment. in h. l. dicit.* Non summum Sacerdotem, sed alium fuisse, qui obtulerit sacrificium; semper enim differentia inter Summum & alios sacerdotes, inter offerentem, & illum qui obtulit. At opinio probabilior, Sacerdotem summum pro proprio sacrificasse peccato, & omnes hos peregisse ritus, ut *Lorinus* contra *Tostatum*, propter has sequentes rationes defendit 1. Quia alio tempore simili occasione summus sacerdos pro se & familia sua sacrificabat. *Levit.* 16. 2. In aliis sacrificiis pro Principe & populo dictum: Sacerdoti licitum Sacrificia offerre v. 20. 26. 3. Quod summus sacerdos ob peccata sua non erat incapax pro semetipso sacrificium facere. Hoc sacrificio in specie Christus præfigurabatur, qui & Sacerdos & sacrificium fuit, ut *Jun. & gloss. interlin.* Quod in eo septies sanguis sparsus sit ob hanc causam factum *glossa interlin.* putant, quod septiformi spiritu nos ditaverit. Sed rectius pretium perfectissimum per hoc indicatur, quippe Christi sanguis septies fusus 1. In circumcisione. 2. In horto) 3 & 4) Quando bis verberatus & flagellatus fuit. 5. Corona spinea coronatus 6. Quando clavis corpus & denique 7. lancea latus ejus perfoderetur. Sanguis hujus sacrificii præter consuetudinem in sanctum ferebatur ante arcam, quo significatum, sanguinem Christi nobis viam ad cœlos aperturum. *Jun. conf. Hebr.* 10. 19. 20. Sanguis hic quoque positus super cornua altaris incensi. Quidam per quatuor cornua intelligunt quatuor principales virtutes, Sapientiam, Justitiam, Fortitudinem, Temperantiam. Melius autem aspersione sanguinis super altare incensi significatur, quod sanguine suo Christus nos reconciliaverit Deo. *Osiander.*

[14] *Sacrificium pro peccato.*) Offerebatur a Synedrio summo, si illud errasset in docendo & populus doctrinam imitatus errasset in agendo, juxta *Raschi in Lev. p.* 4. nempe si Synedriales docuissent aliquid præsente summi Synedrii præfecto, vel omnibus Synedrii membris aut potioribus errantibus iisque ad docendum aptis & expresse docentibus jubentibusque ut populus faceret: similiter si aliam rem erroneam a Synedrio auditam docuissent & populus errasset; quæ omnia si concurrerent judices illi Synedriales Sacrificium pro peccato offerebant, & populus absolvebatur; sed si aliqua harum circumstantiarum deficeret, judices absolvebantur & quicunque e populo erraverat in agendo, Sacrificium pro peccato offerebat juxta *Maim. de Err. c.* 12. ubi tamen observatur, quod Synedriales non obtulerint Sacrificium pro peccato si ipsam substantiam rei vel præcepti everterent, sed si adjunctum tantum aliquod perverse docuissent. juxta *Maim. l. c.* 14. Materia Sacrificii pro peccato juvencus erat sumtibus privatis oblatus & quidem quælibet Tribus juvencum offerebat, ut sic offerrentur juvenci duodecim; sive autem omnes Israelitæ peccassent, sive maxima pars, utut esset pars minor Tribuum, seu maxima pars Tribuum peccasset, utut esset pars minor populi, juvenci XII. offerebantur. Ita tamen ut Tribus Ephraim & Manasse non nisi pro una numerarentur juxta *Maimonid. de Err. cap.* 12. 13. & *Abarbanel in Levit. fol.* 234. *col.* 4. Verum huic obstare videtur locus *Num.* 15. 24. ubi lex juvencum pro holocausto, & caprum pro Sacrificio pro peccato requirit, quando cœtus ex ignorantia peccaverit. Rabbini teste *Maimonide in tract. de Error. cap.* 12. *sect.* 1. conciliant, ita hos locos & dicunt. Si idololatriam concernat, ubi judices ex ignorantia peccent & doceant, afferunt juvencum in holocaustum & caprum in Sacrificium pro peccato pro qualibet tribu & hunc esse sensum afferunt loci *Num.* Verum quando alias transgressiones commiserunt ex ignorantia, tenentur offerre Sacrificium ordinatum hoc loco. Alii leges ita conciliant, quod hic peccatum totius Israelis junctim, *Num.* 15. autem peccatum congregationum seu Synagogarum peculiarium. Verum *Ainsworthius* aliam reddit rationem & dicit legem *Lev.* 4. loqui de intermittendo aliquo uno legis omnium mandatorum, quod agi non debeat, *Num.* autem loqui de intermissione omnium mandatorum.

[15] *Principis.*) in Hebræo est Nasi, qui in alios imperium tenet, & onus populi in se recepit, ut *Num.* 11. 27. & nomen hoc tam superiori quam inferiori Magistratui commune est. *Num.* 16. 2. *Exod.* 16. 22. Ita & *Regi* hoc nomen convenit. *Ezech.* 34. 24. Hebræorum Doctores intelligunt de Rege, qui nullum alium superiorem agnoscit, nisi Deum: quilibet, quisquis etiam sit, tenetur offerre hircum ob peccatum ex ignorantia commissum teste *Maimonid. tract. de ignorant. cap.* 15. *sect.* 6. Hujus peccatum si per alios patefiat, Sacrificium pro peccato offerre debet. vid. *Maimonid.* c. l.

Sacrificium pro peccato.) Principis erat, quod offerebat Rex si peccasset per ignorantiam contra præcepta negativa; offerebat autem tum demum hoc Sacrificium, si doctrinam erroneam Synedrialium facto ipso esset imitatus; alias si Synedriales suum offerrent Sacrificium, æque Rex & populus expiabatur juxta *Maimonid. de error. cap.* 15. Materia hujus sacrificii erat hircus; licet enim quicunque ex populo doctrinam erroneam Synedrialium faciendo erat imitatus, offerret agnam vel capram, Rex tamen ob dignitatem personæ offerre hircum debebat juxta *Maimon. de Error. c.* 12. Modus offerendi quodam

dam modo cum sacrificiis salutaribus nempe ratione combustionis adipum conveniebat, nisi quod differret in aspersione sanguinis, de quo paulo post.

Sacrificium pro peccato.) Hominis cujuscunque privati erat, quod homo privatus sive Israelita sive Sacerdos vulgaris seu Levita esset, offerebat, si contra præcepta negativa per ignorantiam peccasset; quod si autem in una actione peccaminosa plura peccata contra præcepta negativa concurrerent, plura etiam a peccante Sacrificia requirebantur. v. g. Si homo privatus bestiam sacram die Sabbathi extra atrium mactasset, ut in honorem Idoli adhiberetur, tria offerebat Sacrificia, primum, quod bestiam sacram extra atrium mactasset; alterum quod Sabbathum profanasset, & tertium quod Idololatriam commisisset, de quibus legatur *Maimon.* de *Error. c.* 4. *Aben Ezra.* in *Levit. c.* 4. & *Abarbanel* in *Levit.* fol. 234. *col.* 4. Materia hujus Sacrificii erat capra vel agna juxta *Abarbanel.* in *Levit. fol.* 235. *col.* 1.

[16] *Per ignorantiam.*) Hebræi inter præcepta aliquam differentiam habebant. Quædam affirmativa dicebantur, ubi præcipitur, quid fieri debeat & horum sunt 248. Alia negativa, ubi, quid non fieri debeat, mandatur, & constituunt 365. Hic intelliguntur tam affirmativa quam negativa præcepta. Duo autem genera peccatorum per ignorantiam, unum est, error facti, quod Loth in ebrietate commisit. Alterum est error juris, quo quis ignorat an hoc vel illud bene aut male factum sit.

[17] *Comedet.*) Sacrificia pro peccato erant comedenda, cujus sanguis non inferebatur in Sanctum. In hoc differt a Sacrificio pro peccato Sacerdotis. Quoties enim victimæ pro peccato ex bobus, ovibus caprisque lectæ mactabantur, de earum genere, quæ non integras comburi; sed comedi oportebat, aliquantum sanguinis singulis Aræ majoris cornibus supra medium altaris illinendum erat, juxta legem *Levit.* 4. 7. Et pones super cornua altaris holocausti. Modum describunt *Mischn. Sebh. cap.* 5. §. 3. *Maimonid. Hilk. Maase* 5. §. 7. 8, 9. & ex eo *Baal Schilte fol.* 63. Nos ex *Gemara Sebh. fol.* 53. locum producemus, qui omnibus palmam quasi præripit. Sic autem habet: Aspersio sanguinis pro peccato Cœtus & privatorum ita se habet: Sacerdos cum sanguine patera excepto per clivum magnum ascendit, & dein per pontem parvum ad cingulum pergit, atque ad cornu Orientale meridionale se sistit. Ibi digitum dextrum, qui labori quam maxime assuetus est, h. e. dextræ indicem sanguine, qui in patera est, tingit, & vertici cornu ita admovet, ut pollice ab uno, & digito parvo ab alio latere sanguinem ex digito suo in altare defluere faciat. Sic sanguinem indit & digitum, per acumen Cornu deducit donec omnem sanguinem, quem in digito habet consumsit. Plura de hoc ritu vide apud *Ainsworth Comment. in Levit.* 4. *fol.* 22. *Cramer. pag.* 62. 63.

[18] *Ex silentio veritatis &c.*) Omnes illi, qui cum de re, cujus conscii erant, ad jusjurandum vocabantur, testimonium supprimebant *Levit.* 5. 5. piaculi omnino rei erant. vid. *Outram. de Sacrif. cap.* 12. *lib.* 1. *pag.* 125. De immunditia & aliis *conferatur cit. autor. pag.* 122. *edit. Amstel. Ainsworth. in Levit.* 5.

CAPUT SEPTIMUM.

[1] *De Sacrificio pro delictis.*

QUintum Sacrificium fuit [2] pro expiandis delictis. De eo vero ritu sic deinceps eodem in loco sancitum est: *Anima, quæ peccaverit, & contemto Domino negaverit proximo suo* [3] *depositum, quod fidei ejus creditum fuerat, vel vi aliquid extorserit, aut calumniam fecerit, sive rem perditam invenerit, & inficians insuper pejeraverit, & quodlibet aliud ex pluribus fecerit, in quibus solent peccare homines; convicta delicti reddet omnia, quæ per fraudem voluit obtinere, integra, & quintam insuper partem domino cui damnum intulerat. Pro peccato autem suo offeret arietem immaculatum de grege, & dabit eum sacerdoti juxta æstimationem mensuramque delicti, qui rogabit pro eo coram Domino, & dimittetur illi pro singulis quæ faciendo peccavit.* Lex autem edita est cap. 7. *Hæc quoque lex hostiæ est pro delicto. Sancta Sanctorum est, idcirco ubi* [4] *immolabitur holocaustum, mactabitur & victima pro delicto. Sanguis ejus per gyrum altaris fundetur. Offerent ex ea caudam, & adipem qui operit vitalia, duos renunculos, & pinguedinem quæ juxta ilia est, reticulumque jecoris cum renunculis, & adolebit ea sacerdos super altare. Incensum est Domino pro delicto. Omnis masculus de sacerdotali genere in loco sancto* [5] *vescetur his carnibus, quia Sanctum Sanctorum est. Sicut pro peccato offertur hostia, ita & pro delicto: utriusque hostiæ lex una erit; ad sacerdotem qui eam obtulerit, pertinebit. Sacerdos qui offert holocausti victimam, habebit pellem ejus. Et omne sacrificium similæ, quod coquitur in clibano, & quidquid in craticula, vel sartagine præparatur, ejus erit sacerdotis a quo offertur; sive oleo conspersa, sive arida fuerint: cunctis filiis Aaron mensura æqua per singulos dividetur.*

De sacrificio autem hujusmodi sic scriptum est apud Philonem, quod ei lucem afferre aliquam possit: *Sacrificium pro peccato nuncupatum, variatur & personis, & hostiis, personis Pontificis, Populi, Principis; hostiis, vitulo, hirco, capra, vel agna; vacca quoque offertur ab iis qui per ignorantiam peccarunt, vel scientes quidem, sed mutata voluntate factum suum damnant, & vitam melius instituunt. Pontificis peccata & Populi simili expiantur victima, vitulo; Principis minore, sed tamen mascula: hircus enim cæditur: at privati deteriore;* & post: *Postquam legislator scripsit de peccatis ignorantiæ, transit ad ea quæ admittuntur a volentibus ac scientibus. Siquis, inquit, men-*

mentitus fuerit de societate, aut deposito, aut rapina, aut inventione rei perditæ, deinde ad vitandam suspicionem jurare non recusarit, & tandem arguente se intus conscientia perjurium suum, abnegationemque ipse damnans confessus fuerit, ac veniam petierit, merebitur delicti oblivionem. Quoniam veram pœnitentiam re magis quam verbis approbat, dum reddit depositum, aut inventum, aut universum alienum, quod usurpavit, superaddita quinta pretii parte in solatium ejus cui fecit injuriam. Ex quibus perspici potest, ipsum appellare peccatum, [6] quod per ignorantiam est commissum; delictum, quod a volente & sciente. S. tamen *Augustinus* censuit, peccatum fuisse perpetrationem mali, delictum vero desertionem boni: aut peccatum, quo sciens; delictum, quo ignorans aliquis se obstrinxit: plerumque autem utrumque pro eodem poni asseruit.

His a Deo mandatis acceptis, Aaron inde ad ea curanda se contulit, & jussu ejusdem sacrificia fecit pro peccato suo, & populi, & Holocausta, & Pacifica; eaque demissus cœlitus ignis incendit: ut deinceps scriptum est cap. IX. Neque vero hæc quoque verba inserere gravabor, cum maxime hanc tractationem valeant illustrare. *Aaron accedens ad altare immolavit vitulum pro* Peccato suo, *cujus sanguinem obtulerunt ei filii sui, in quo tingens digitum, tetigit cornua altaris, & fudit residuum ad basim ejus, adipemque & renunculos, ac reticulum jecoris, quæ sunt pro peccato & adolevit super altare; carnem vero & pellem ejus extra castra combussit igne. Immolavit &* Holocausti *victimam: obtuleruntque filii ejus sanguinem ejus, quem fudit per altaris circuitum; ipsam etiam hostiam in frusta concisam, cum capite & membris singulis obtulerunt, quæ omnia super altare cremavit igne, lotis aqua prius intestinis & pedibus. Et pro peccato* Populi *offerens mactavit hircum, expiatoque altari fecit holocaustum, addens in sacrificio* Libamenta *quæ offerrentur, & adolens ea super altare absque cæremoniis holocausti matutini. Immolavit & bovem, atque arietem, hostias* Pacificas *populi, obtuleruntque ei filii sui sanguinem, quem fudit super altare in circuitum; adipem autem bovis, & caudam arietis, renunculosque cum adipibus suis, & reticulum jecoris posuerunt super pectora; cumque cremati essent adipes super altare, pectora eorum & armos dextros separavit Aaron elevans coram Domino: & extendens manum ad populum benedixit ei. Sicque completis hostiis pro peccato, Holocaustis, & Pacificis descendit, & ecce* Ignis *egressus a Domino devoravit holocaustum, & adipes qui erant super altare. Arreptisque Nadab & Abiu filiis Aaron thuribulis imposuerunt ignem, & incensum desuper, offerentes coram Domino ignem alienum, quod eis præceptum non erat. Egressusque ignis a Domino devoravit eos. Locutus est inde Moyses ad Aaron, & Eleazar, & Ithamar filios ejus, qui erant residui: Tollite sacrificium quod remansit de oblatione Domini, & comedite illud absque fermento juxta altare, quia sanctum sanctorum est. Comedetis autem in loco sancto, quod datum est tibi & filiis tuis de oblationibus Domini, sicut præceptum est mihi. Pectusculum quoque quod oblatum est, & armum qui separatus est, edetis in loco mundissimo tu, & filii tui, & filiæ tuæ tecum. Tibi enim ac liberis tuis reposita sunt de hostiis Salutaribus filiorum Israel, eo quod armum, & pectus, & adipes, qui cremantur in altari, elevaverunt coram Domino, & pertineant ad te, & ad filios tuos lege perpetua, sicut præcepit Dominus. Inter hæc hircum qui oblatus fuerat pro peccato, cum quæreret Moyses, exustum reperit, iratusque contra Eleazar & Ithamar filios Aaron, qui remanserant, ait: Cur non comeditis hostiam pro peccato in loco sancto, quæ sancta sanctorum est, & data vobis, ut portetis iniquitatem multitudinis, & rogetis pro ea in conspectu Domini, præsertim cum de sanguine illius non sit illatum intra Sancta, & comedere debueratis eam in Sanctuario, sicut præceptum est mihi? Respondit Aaron: Oblata est hodie victima pro peccato, & holocaustum coram Domino; mihi autem accidit, quod vides. Quomodo potui comedere eam, aut placere Domino in cæremoniis mente lugubri? Quod cum audisset Moyses, accepit satisfactionem.* Atque hæc quidem de singulis sacrificiis in lege scripta sunt.

NOTÆ AD CAPUT SEPTIMUM.

[1] *De Sacrificiis pro delictis.*) Hebraice אשם vocatur Sacrificium pro delicto seu reatu. Et licet quidam nullam differentiam inter Sacrificium pro peccato, & Sacrificium pro delicto agnoscant: attamen aliqua reperitur teste *Joh. Frischmuth.* in *dissert. de hostia Messiæ pro reatu*; ubi ex *Abarbanele* longa serie differentiam recenset. Patet etiam differentia ex sequentibus. Sacrificia pro *reatu* distinguuntur in אשם תלוי *suspensa vel dubia* & אשם ודאי *certo debita*. Cur אשם תלוי Sacrificium aliquod pro reatu suspensum nominetur videre poteris ex *Maimonid. in Korbanoth. c.* 9. Glossa *in Mischnajoth* dici hanc nomenclationis rationem esse, quia *Sacrificium pro reatu reum suspendit & liberat a pœna*. Sed meliorem rationem exhibet *Cherithut. c.* 1. *§.* 2. Postquam enim recensuit XXXVI. transgressiones, quæ excidium merentur, ita concludit: *Omnes illi*, si petulantes peccaverint, incurrunt pœnam excidii; si ex ignorantia, offerre debent Sacrificium pro peccato: si vero dubitant an peccaverint nec ne, offerent Sacri-

crificium pro reatu. De his videri poterit *Joh. Henric. Otho. in Lexic. Philol.* Rabbin. *pag. m.* 563. *Guilielm. Outram. de Sacrif. lib.* 1. *cap.* 13. *edit. Amstel.* אשם ודאי *Certi reatus oblatio* nominatur, quia lex determinavit, quæ Sacrificia, quomodo, & a quibus pro reatu offerenda sint. Recensentur a *Tosaphat.* 1. Sacrificium pro reatu rei furto surreptæ, aut injuste detentæ *Levit.* 6. 2. 3. 6. 2. Pro reatu Sacrilegii. *Levit.* 5. 16. 3. Pro reatu circa ancillam despectam *Levit.* 19. 20. 4. Pro reatu Nasiræorum. *Num.* 6. 12. 5. Pro reatu Leprosorum. *Levit.* 14. 12.

[2] *Pro Delictis.*) Præcedente capite actum est de Sacrificiis pro peccato, hoc capite agitur de sacrificiis pro delicto. Hic notandum, quod nonnulli distinguant (chattah) ἁμαρτίαν, peccatum, &(asham) πλημμέλειαν, delictum, ut magis & minus. 2. Nonnulli putant delictum hoc esse, quando præter sacrificium multa imponitur. 3. *Hesychius* delictum esse ait, quod in ipsum Deum committitur. Alii delictum esse arbitrantur, cum non facimus ea, quæ facere debebamus, peccatum vero, cum committimus, quæ committere non debeamus. *Lyra* delictum dictum vult quasi derelictum. Sed delictum recte pro peccato ex infirmitate commisso habetur, ut παράπτωμα. *Galat.* 6. 1. Et vocabulum, quo LXX. utuntur, πλημμέλεια delictum notat. conf. *Andr. Willet. in Levit. quæst.* 1. *cap.* 7. *fol. m.* 106.

[3] *Depositum.*) Autor noster recenset in his allatis verbis Sacrificium pro reatu rei furto surreptæ aut injuste detentæ. Victima his imperata fuit, qui rem alienam sibi concreditam, aut inventam aut vi ereptam, aut interversam jurejurando abnegabant. Quibus tamen ad veniam impetrandam illud etiam præceptum fuit, ut rem falso abjuratam, eamque quinta parte auctam ejusdem justo ac proprio Domino, eove mortuo, propinquis ejus, vel si propinquos non haberet, Sacerdotibus redderet *Num.* 5. 7. 8. Calculum his addunt Canones Hebræorum, uti fuse recenset *Maimonid. in tract. de jurament. c.* 1. *sect.* 8. 9. vid. *D. Joh. Frid. Miegii tr. & annotat. ad Maimonid. edit. Heidelberg. Henric. Ainsworth.* in *Levit.* 6. *fol.* 30. *edit. Londin.* Ubi hæc omnia explicata reperiuntur. Episcopii opinionem contra hæc insurgentem refutatam habebit L. apud *Guilielm. Outram. lib.* 1. *pag. m.* 129. *seq. cap.* 13. Sacrificium pro reatu hominis rem suæ fidei commissam aut repertam aut ablatam juramento abnegantis; ut melius capiatur, notetur primo, quod homo ille rem suæ fidei commissam ita receperit, ut vel pignoris loco data fuerit, vel in eadem mercium societate versanti concessa fuerit juxta *Aben-Ezr. in Levit. cap.* 5. & *Abrah. Sab. in Levit.* 2. Quod rem alteri vi abstulerit hoc modo, ut vel ex manibus alterius excuteret; vel ex domo illius auferret, vel alterius bestia, aut servo, aut agro uteretur juxta *Maimonid. de rapt. cap.* 1. 3. Quod rem alterius ita oppresserit, ut si alterius pecuniam mutuo caperet & Domino restituere nollet, vel pretium Mercenario non solveret juxta *Maimon. de rapt. cap.* 1. & *Rasch. in Levit.* 5.

[4] *Immolabitur holocaustum, &c.*) Dispositio horum Sacrificiorum, quando offerebantur, erat similis oblationi Sacrificiorum pro peccato. Mactabantur, excoriabantur & intestina eximebantur, lavabantur, saliebantur & comburebantur, carnesque ipsorum comedebantur a Sacerdotibus. Aliquod tamen discrimen erat in sparsione sanguinis ipsorum: Sicuti enim sanguis Sacrificiorum pro peccato illiniebatur ex parte cornibus altaris: ita horum sanguis instar *Gamma* lateribus altaris aspergebatur. vid. *Joh. Henric. Othon. Lexic. Rabino-Philolog. pag. m.* 515. Illorum sanguis spargebatur supra lineam rubram altaris, horum infra. Item differebant in eo, quod non omnia Sacrificia reatus numerabantur inter קדשי הקדשים Sacrificia Sanctissima, sicuti Sacrificia pro peccato; oblatio enim Naziræorum numerabatur inter Sancta leviora.

[5] *Vescetur his carnibus.*) De hac comestione sacra Sacerdotum notandum, quod a Judæis vocetur אכילת לפנים מן הקלעים *comestio intra vela* allusione facta ad Tebernaculum, quod velis ab aliis castris distinctum erat: Sicuti enim intra illa vela erant castra Domini, ita in templo spatium internum a porta Nicanoris castra Domini vocabatur. & in illo ut in sanctiore loco omnia Sacrificia Sanctiora comedi debebant. vid. *Num.* 28. 4. *David Kimchi ad Ezech.* 42. 13. commentatur, fuisse quædam conclavia quæ in ipsum atrium Sacerdotum se extendebant, in quibus Sacerdotes suas תרומות res sanctas comedebant: Verum non opus est, ut ad ejusmodi conclavia comestionem Sacerdotum perstringamus; Sufficit secundum præceptum Dei, si illa in Israelis atrio facta fuerit; & si loca designanda sunt, probabile est, Sacerdotes æstivis temporibus sub porticu in libero aere, hybernis temporibus vero vel in conclavibus *Gazith*, *Mokad* aut *Nitsots* sua Sancta comedisse. Non etiam comedebant omni tempore illas carnes, sed versus Vesperam. Post mediam noctem illas comedere amplius non poterant.

[6] *Quod per ignorantiam.*) Sigonius putat Peccatum appellari, quod per ignorantiam commissum; Delictum quod a volente & sciente; sed fallitur. Dantur enim facta per inscientiam: unde discrimen inter אשם תלוי pro delicto suspenso seu dubio, & inter אשם ודאי pro delicto certo. Errat etiam Augustinus cui *Grotius* hic favet. *Abarbanelis* falsitas etiam patet ex distinctione superius allata. *Aben-Ezra* prius per ignorantiam legis, posterius per oblivionem ejus explicat; sed & hoc falsum est, nam qui peccat furtum committendo, de eo dici non potest, eum latere legem Decalogi hoc prohibentem. *Saubertus* de Sacrificio pro peccato ex imprudentia admisso prius scilicet חטאה explicat; אשם vero de iis per malitiam commissis; sed male. Alii interdum חטאה dictum putant, ubi contra Deum peccatur; אשם ubi contra homines: sed falsum, cum unum ad alterum possit referri. Statuimus igitur חטאה Sacrificium pro iis peccatis, quæ in Scriptura S. ita appellantur, & אשם pro iis per errorem commissis. Confer. *Henric. Ainsworth. Comment. in Levit.* 6.

CAPUT OCTAVUM.

Iterum de omnibus Sacrificiis.

NUnc vero, ut res omnium obscurissima magis aperiatur, de iisdem iterum simul agemus. Ac primum divisionem eorum ex Josepho afferemus ex qua clare item differentia, quæ inter illa incedebat, exstabit; deinde multis ex sacra historia sacrificiis proferendis rationem omnium dilucidius explicabimus. Sic igitur inquit Josephus: *Duo sunt sacrificia, unum, quod a privatis; alterum, quod a populo celebratur, & quidem utrumque duobus modis. Aut enim totum quod immolatur, incenditur, & propterea nomen holocautomatis habet; aut pro gratiarum actione persolvitur, & ad epu-*

epulas immolantium exhibetur. Vir privatus Holocaustum *faciens immolat bovem, agnum & hœdum anniculos, boves etiam majores; & hæc omnia masculini generis holocausta sunt: his autem cæsis limbum altaris sanguine imbuunt sacerdotes. Deinde purgantes ea membratim incidunt, & sparsa sale omnia super altare imponunt lignis instructum, & subjecto igne accensum. Pedes autem cum jecore purgantes inter adipem una cum aliis offerunt, pelles autem sacerdotes accipiunt. Atque hoc quidem Holocaustum est. Pro* Gratiarum *vero actione sacrificium facientes eadem animalia mactant, sed matura, & anniculis grandiora, ac mascula fœminis copulata; & hæc immolantes fundunt sanguinem super aram. Renes autem, & adipes, & omnem pinguedinem cum reticulis jecorum, & cum his caudam agni superponunt aræ. Pectora vero & crura dextra sacerdotibus præbent, & duobus diebus reliquis carnibus epulantur; quæcunque vero remanserint, cremant. Eadem vero etiam ratione pro* Peccatis *hostia cædebatur. Qui vero victimas majores non habent, offerunt columbas; aut turtures duas, quarum una est in holocaustum Deo, altera Sacerdotibus datur in cibum. Qui per ignorantiam peccat, agnum, & hædum fœminam eorundem annorum offert, & sanguinem fundit Sacerdos in aram, sed non sicut prius, verum angulorum tangit extremitates; & renes, aliumque adipem cum reticulo jecoris super altare imponunt. Sacerdotes autem tollunt, & pelles, & carnes ea die consumendas in templo. Lex enim in crastinum non relinqui sinit. Qui vero peccat, sibique conscius est, sed neminem habet qui ipsum possit arguere, arietem immolat lege præcipiente: cujus carnes in templo sacerdotes similiter comedent ea die. Principes autem peccantes sacrificando eadem offerunt, quæ privati. Placant autem Deum offerendo ad sacrificia taurum & hœdum masculos. Lex autem præcipit, in publicis & privatis sacrificiis etiam* Farinam *mundissimam adjici; in agno quidem Assarii mensuram, in ariete vero duorum, in tauro trium: & hanc sanctificant super altare oleo mixtam: nam & oleum offertur ab immolantibus; in bove Hin medietatem, in ariete autem hujus mensuræ tertiam partem, & quartam in agno. Hin autem mensura Hebræorum antiqua duos Choas Atticos recipit, secundum quam mensuram & vinum offerunt.* Hæc Josephus. Ex quibus clare omnium Sacrificiorum, Holocausti, Pacificorum, & pro peccato, ratio perspici potest, & præcipue, ut omnibus sacrificiis Libamina, id est farina mundissima, sive simila, sint adjecta.

Nunc, ut idem confirmemus, varia etiam ex variis locis in unum sacrificia conferemus. Josue VIII. *Et obtulit super altare holocausta Domino, immolavitque pacificas victimas*; & XXII. *Ut holocausta, & sacrificium, & pacificas victimas super eo altari imponeremus.* Inde Judicum VI. *Gedeon coxit hœdum, & de farinæ modio azymos panes; carnesque ponens in canistro, & jus carnium mittens in ollam, tulit omnia sub quercu, & obtulit Deo. Cui dixit angelus Domini: Tolle carnes, & azymos panes, & pone supra petram illam, & jus desuper funde. Cumque fecisset ita, extendit angelus Domini summitatem virgæ quam tenebat in manu, & tetigit carnes, & panes azymos, ascenditque ignis de petra, & carnes, azymosque panes consumsit.* Tum Regum primo: *Tulit Samuel agnum lactentem unum, & obtulit illum holocaustum integrum Domino, & clamavit ad Dominum pro Israel, & exaudivit eum Dominus.* Et decimo: *Ego descendam ad te, ut offeras oblationem, & immoles victimas pacificas*; & XIII. *Afferte mihi holocaustum, & pacifica.* Item: *Dixi nunc descendent Philistiin ad me in Galgala, & faciem Domini non placavi. Necessitate compulsus obtuli holocaustum*; & VI. secundi: *Obtulit David holocausta & pacifica coram Domino*; & tertio tertii: *Salomon obtulit holocausta, & fecit victimas pacificas*; & nono: *Offerebat Salomon ter quotannis holocausta & pacificas victimas super altare quod ædificaverat Domino*, & quarti sextodecimo: *Immolavit Achaz rex holocausta, & Sacrificium suum, & libavit libamina, & fudit sanguinem pacificorum, quæ obtulerant super altare.* Et paullo post: *Super altare majus offer Holocaustum matutinum, & Sacrificium vespertinum, & Holocaustum regis, & sacrificium ejus, & Holocaustum universi populi terræ, & sacrificium eorum, & libamina eorum, & omnem sanguinem Holocausti, & universum sanguinem victimæ super illud effunde*; & XXIX. secundi: *Accedite, & offerte victimas, & laudes in domo Domini.* Græce ἀναφέρετε θυσίας αἰνέσεως id est offerte Sacrificia laudis; & sequenti: *Comederunt septem diebus solennitatis immolantes victimas pacificorum, & laudantes Dominum Deum.* Verum multo illustrius eadem ex XXIX. secundi percipiuntur, ubi Holocaustum, & Sacrificium pro peccato per partes exponuntur: *Obtulerunt simul tauros septem, & arietes septem, agnos septem, & hircos pro peccato septem, pro regno, pro sanctuario, pro Juda; dixitque rex sacerdotibus filiis Aaron, ut offerrent super altare Domini. Mactaverunt igitur tauros, & susceperunt* Sanguinem *sacerdotes, & fuderunt illum super altare. Mactaverunt etiam arietes, & illorum sanguinem super altare fuderunt, immolaveruntque agnos, & fuderunt super altare sanguinem, applicuerunt hircos pro peccato coram*

ram rege, & universa multitudine, imposueruntque manus super eos, & immolaverunt eos sacerdotes, & asperserunt sanguinem eorum coram altari pro piaculo universi Israelis. Pro omni quippe Israel præceperat rex ut Holocaustum fieret, & pro peccato; & mox: *Obtulit universa multitudo hostias, & laudes, & Holocausta mente devota*; & post: *Fuerunt ergo Holocausta plurima, adipes pacificorum, & libamina Holocaustorum*. Demum sexto Esdræ: *Obtulerunt in dedicatione domus Dei vitulos centum, arietes ducentos, agnos quadringentos, hircos caprarum pro peccato totius Israel duodecim*; & Maccabæorum quarto: *Obtulerunt Holocausta cum lætitia, & sacrificium Salutaris, & Laudis*. Atque hæc quidem in Sacris historiarum libris reperiuntur. Quin etiam Prophetæ eorundem Sacrificiorum meminere, ut David psalmo XXXIX. *Sacrificium & oblationem noluisti. Holocaustum & pro peccato non postulasti*; Et Ezechiel XLV. *Ipse faciet pro peccato Sacrificium, & Holocaustum, & pacifica ad expiandum pro domo Israel*; & Proverbiorum VII. *Victimas pro salute devovi, vota hodie reddidi*.

Jam vero quoniam sæpe Sacrificium Justitiæ & Laudis non proprie, sed translate usurpatum reperitur, id est non pro cruenta immolatione, sed pro opere caritatis & pietatis, quod internum Sacrificium dicitur; id unde manaverit, exponendum. Hebræi cruentis Sacrificiis adeo studebant, ut ea sola curantes opera caritatis erga proximum, & pietatis erga Deum omitterent; quorum illud dicitur Justitiæ, hoc Laudis. Deus autem, ut eos corrigeret, atque officii sui admoneret, post sæpe testatus est, [1] se nolle holocausta & cætera Sacrificia victimarum, sed Sacrificium justitiæ & laudis: id est ut caritas adhiberetur erga proximum, & pietas erga se, sibique potius animo gratiæ agerentur, quam sanguine immolaretur. De justitia scriptum est tertio Proverb. *Facere justitiam & judicium, magis placet Domino, quam victimæ*. Significat enim placere magis Deo, ut custodiatur lex; cujus partes duæ sunt, Judicium, & Justitia, quam ut cruentum fiat Sacrificium, & psalmo XXXIX. *Sacrificium & oblationem noluisti, holocaustum & pro peccato non postulasti*; & quarto: *Facite Sacrificium justitiæ, & sperate in Domino*. Item Osee: *Misericordiam volui, & non Sacrificium*. Rem autem ita habere etiam docuerunt qui Evangelium tradiderunt. S. Jacobus primo: *Religio munda & immaculata est, visitare pupillos & viduas in tribulatione eorum*. S. Marcus XII. *Diligere proximum, tanquam se ipsum, majus est omnibus holocautomatis*. S. Paulus Hebr. XIII. *Beneficentiæ & communionis nolite oblivisci: talibus enim hostiis promeretur Deus*. De Laude vero Psalmo XLIX. Cum enim negasset Deus, se Sacrificia victimarum ab homine poscere, quia bobus non egeret, demum infertur: *Immola Deo Sacrificium laudis*, id est lauda Deum, & CXV. *Tibi sacrificabo hostiam laudis, & nomen tuum invocabo*; & CV. *Sacrificent Sacrificium laudis*. Atque hoc ita esse, docuit S. Paulus eodem in loco, inquiens: *Offeramus hostiam laudis Deo, id est fructum labiorum confitentium nomini ejus*. Sic enim dixerat Osee XIV. *Omnem aufer iniquitatem, & reddemus vitulos labiorum nostrorum*.

NOTÆ AD CAPUT OCTAVUM.

[1] *Se nolle holocausta &c.*) Dicendum igitur erit, Deum non contentum fuisse Judæorum holocaustis & aliis Sacrificiorum generibus, sed aliud quid expetiisse, quo sufficienter contentus esse, inque eo suavissime acquiescere possit. Unde videndum, qua ratione & in quem finem Deus Sacrificia instituerit: nempe non eum in finem, ut iis pro peccatis nostris tanquam *lytro* sufficienti, contentus, in iis, acquiesceret; sed ut saltem ad tempus duratura, typus & umbra sint ejus, in quo Deus sufficienter contentus, suavissime erat acquieturus. Verum cum Deus ipse Sacrificia instituerit, cur dicitur se *nolle Sacrificia?* Hic variæ opiniones se offerunt. Quidam qui Psalmum in quo hæc continentur de Davide explicant, dicunt: Deum a *Davide* propter beneficia collata non postulasse Sacrificia, sed obedientiam; quippe quæ magis, quam Sacrificia ipsi placeat, juxta illud *Samuel.* 15. 22. & *Jerem.* 7. 22. Ita ex Judæis *R. Bechai fol.* 229. *col.* 3. *Comment. in legem* docet, cujus verba & Hebræa & Latina a *cl. Frischmuth adducta legi possunt in dissertat. de hostia Messiæ pro reatu.* §. 32. Noluit itaque Deus Sacrificia redargutive, si scilicet absque fide & pœnitentia cum intentione meriti oblata fuerint. Quibus (sunt verba *B. Tom.* 4. 100. *Theol. de Sacram.* §. 73. *pag.* 600.) reprehenduntur & refutantur falsæ opiniones, quas homines externis illis ritibus, neglecta promissione & fide, affingebant, quasi ex opere operato prosint, si vel maxime non adsit interior conversio & vera fides, unicum Christi Sacrificium respiciens.

CAPUT NONUM.

De Confessionibus.

SAcrificiis porro junctæ fuere Confessiones. [1] Confessionem vero appellavere [2] Laudem, in qua [3] in Sacrificiis [4] Dei bonitatem & misericordiam extulerunt, his ferme verbis: *Confitemini Domino, quoniam bonus, quoniam in sæculum misericordia ejus*. Quibus vocibus etiam [5] modos musicorum instrumentorum adjecerunt, ut [6] Psalteriorum, Cithararum, Cymbalorum, Tubarum, & Organorum. Hæc vero maxime instituto Davidis regis. Quarum Laudum hæc Testimonia habemus. Primo Paralip. XXIII. 7 in holocausto faciendo tempore Davidis: *Levitæ stent mane ad confitendum, & canendum Domino: similiterque ad vesperam tam in oblatione holocaustorum Domini, quam in Sabbatis, & Calendis, & solennitatibus reliquis*; & quinto secundi: *Levitæ cantores cymbalis, & psalteriis, & citharis concrepabant, & cum eis sacerdotes centum viginti canentes tubis. Igitur cunctis pariter & tubis, & voce, & cymbalis, & organis, & diversi generis musicorum concinentibus, & vocem in sublime tollentibus, longe sonitus audiebatur, cum Dominum laudare cæpissent, & dicere: Confitemini Domino, quoniam bonus, quoniam in sæculum misericordia ejus*; & XXIX. *Cumque offerrentur holocausta, cæperunt laudes canere Domino, ac clangere tubis, atque in diversis organis, quæ David rex Israel præparaverat, concrepare. Omni autem turba adorante cantores, & ii qui tenebant tubas, erant in officio suo donec compleretur holocaustum*; & XXXI. *Constituit Ezechias rex turmas sacerdotales, & Leviticas, ad Holocausta, & Pacifica, ut ministrarent, & confiterentur, & canerent in portis castrorum Domini*; & Esdræ tertio: *Fundato a cæmentariis templo Domini, steterunt sacerdotes in ornatu suo cum tubis, & Levitæ filii Asaph in cymbalis, ut laudarent Deum per manus David regis Israel; & concinebant in hymnis, & confessione Domino, quoniam bonus, quoniam in sæculum misericordia ejus*. Hinc illa sunt in Psalmo CI. *Confessio, & magnificentia opus ejus*; & XVI. primi Paralip. *Confessio, & magnificentia coram Deo*; & Ecclesiastici XXXIX. *Benedicite Domino in operibus suis, date nomini ejus magnificentiam, & confitemini illi in voce labiorum vestrorum*; & Esdræ IX. *Et nunc date confessionem & magnificentiam Domino Deo patrum nostrorum*. Videtur enim fuisse magnificentia idem quod magnificatio, id est excellens & magnifica quædam laudatio, & amplius aliquid quam confessio, & laus, quæ a Græco interprete ὁμολόγησις, & αἴνεσις dicuntur. Unde illud: *Magnificat anima mea Dominum*. De Confessionibus vero post iterum agetur, ubi disputabitur de Cantoribus.

NOTÆ AD CAPUT NONUM.

[1] *Confessionem appellavere Laudem.*) Quanti Judæi confessionem fecerint Davidis exemplo probatur. *Psal.* 100. *v.* 4. *Introite portas ejus in confessione, atria ejus in hymnis*; In Hebræo ponitur תודה quod confessionem & gratiarum actionem denotat, referente *R. David. Kimchi* ita loquente: *Hoc sacrificium Thodah, offerebat homo pro omnibus peccatis suis, cum scil. vellet ea confiteri & redire in viam. Sunt tamen qui dicunt hoc genus sacrificii usurpatum tum maxime cum alicui signum factum h. e. singulare aliquod beneficium collatum, ideoque appellatum Thodah, quod is, cui factum erat signum, eo confitebatur & gratias agebat Deo*. hactenus Kimchi. *Fagii* verba hæc sunt: Vocatur תודה sacrificium confessionis & laudationis, quo videlicet offerens confitetur se accepisse beneficium a Deo, ac laudat & commendat gloriam clementiæ ac bonitatis Dei. *Græci* transtulerunt per Θυσίαν αἰνέσεως *sacrificium laudationis*. Hoc itidem confirmat David *Psalm.* 107. 2. *Dicant qui redemti sint*. *R. Ezra* in hunc locum quatuor redemtorum genera adducit, *Errantes, Vinctos, Ægros, descendentes in Mare*. Ex *Midrasch Tillim*: Redemti Domini, non Eliæ, qui ex Ægypto quasi ex fornace ferri eruti ut *R. Acha* refert. Quidam putant Davidem hortari, ut ex *Rab. Obad.* in *Psalm.* 107. videre est redemtos post bellum Gog, cum a quatuor rebus liberati *a mari rubro, fame, carcere, & morbo*. Cum David ad fastigia Regni adscenderet, pro hoc beneficio Deo laudes dicit, inquiens: *Confitemini*. Pro victoria impetrata epicenia cantasse Judæos ex scriptura constat, quippe ingratitudo Deo exosa est. Si fides Hebræis danda, ajunt apud *Hieron. l.* 11. *in Isai. c.* 39. Regem propterea ægrotasse, quia post obtentam victoriam laudes Deo non cecinisset. *Tria potissimum canticorum genera fuisse, unum Diis & hominibus destinatum, alterum hominibus tantum, tertium Diis tantum*, cujusmodi erant *Pæan, Dithyrambus & hymnus*, & fiebant non solum voce, sed etiam tubarum & cymbalorum clangoribus 1. *Paralip.* 16. De epiceniis Gentilium & more apud eos pæana canendi post victoriam consule *Cerdam. ad Virgil. Æneid.* 6. Formula laudandi Deum apud Judæos primum a Davide instituta, cujus singula posteriora hemistichia sunt ea verba: *quoniam in æternum misericordia ejus &c.* adeo ut repetantur vicies sexies. Postea decantata est, cum illata esset arca 2. cum Josaphat ad bellum procederet 3. post obtruncatum Holofernem 4. a Danielis Sociis 5. in fundatione Templi secundi 6. in Macchabæis 7. in cæna Christi, ubi pro gratiarum actione sumitur. plura vid. *ap. Lorin in Psalm.*

[2] *Laudem.*) Hanc Judæi vocibus extollebant & canticis auram explebant. Erant autem hæc cantica

ca gratulatoria, cum divinas laudes ac divina beneficia grata aliqua recordatione celebrarent ac recolerent. Probari hoc poteſt Patriarcharum exemplo. Hi enim magno aliquo beneficio accepto, Deo grates per cantica rependebant. Sic Moſes poſt tranſitum maris rubri *Exod.* 15. 1. Sic populus Iſraeliticus poſt puteum divinitus effoſſum. Num. 16. 17. Sic *Debora* poſt Siſeram interfectum. *Judic.* 5. 1. Sic alii poſt alia beneficia Deo gratulatoria cantica reddiderunt.

[3] *In Sacrificiis.*) Sane adeo celebris ob id Muſica jam erat in V. T. ut cum primis ſtatim in Sacrificii adhiberi fuerit ſolita, quod ex *Num. cap.* 10. 10. eluceſcit. vid. *M. Johan. Gabriel. Drexler. diſſert. de Cithara David. edit. Lipſ.* 1670. §. 17. In ipſo Sabbatho tempore Sacrificii additionalis de quo *Nu.* 38. 9. 10. Levitæ cantabant canticum Moſis *Deuteronom.* 32. *Tamid. cap.* 7. ex *edit. Michael. Arnoldi, prodiit Franequer.* 1680. Quando incurvabat ſe ad libandum præfectus Sacerdotum agitabat ſudaria, filius *Arſæ* cymbalum pulſabat & Levitæ dicebant canticum, ubi abſolverant verſum clangebant. Agitato itaque ſudario ſciebant tempus canendi adeſſe, & citatus autor bene obſervat ad verba: *ubi abſolverant verſum*. Docet *Maimonid.* novies clanxiſſe Sacerdotes; ſingulis diebus nimirum in Cantico Levitarum tres erant ſectiones & ad unamquamque Sacerdotes ter clangebant. Veſperi autem quando portæ claudebantur, de novo ter tubas inflaſſe. Notandum interim eſt, Levitas tum demum cantaſſe, quando Sacerdos Magnus libabat vinum ſecundum illud *Jud.* 9. 14. Lætificat Deum & homines. Canticum ipſum quod attinet, illud nobis recenſet *Tamid Codex cap.* 7. *in fine* & ex verſione *Arnoldi* his exprimitur verbis: Canticum quod recitabant Levitæ in Sanctuario: primo die dicebant; Domini eſt terra & plenitudo ejus; orbis & incolæ ejus. Secundo die dicebant: Magnus eſt Dominus & laudatus valde in urbe Dei noſtri, monte Sanctitatis ejus. Tertio die dicebant: Deus adſtans in cœtu Dei fortis inter Deos judicat. Quarto die dicebant: Deus vindictæ, Dominus vindictæ illuceſcat. Quinto die dicebant: Cantate Deo, fortitudini noſtræ, clangite Deo Jacobi. Sexto die dicebant: Dominus regnat excellentiam indutus. In Sabbatho dicebant: Pſalmus canticum Diei Sabbathini, Pſalmus canticum in ſeculum, in diem, ubi merum erit Sabbathum & quies ad vitam Seculorum. conf. *Joh. Henric. Othon. Lexic. Rabbino-Philolog. pagina m.* 395.

[4] *Dei bonitatem & miſericordiam.*) Cantiones non inſtituebantur niſi in laudem bonitatis & miſericordiæ Dei, quam illis exhibuerat; hinc addebant: *quoniam in ſæculum miſericordia ejus*. Optime ſenſum expreſſit Anglus doctiſſimus *Henr. Ainſworth. Comment. in Pſal.* 136. *fol. m.* 178. his verbis: *The Hebrew* חסד *Cheſed ſignifieth a ſacred affection of mercie, pietie, grace, benignitie, and bounti full good will to wards any without reſpect of merit, a glorions grace which man had from god.* confer. *Lexicon Pentaglott. pag.* 617. Gratos ſe exhibere volebant canticis & laudibus erga Benefactorem, quos & nos imitari debemus. Gratias agamus Deo: cantemus Domino, juxta exemplum avium, quæ mane veſperique Deum creatorem laudibus extollunt, uti eleganter *Ambroſ. ſerm.* 43. *tom.* 5. deſcripſit: Confer, ſi plura deſideras, *Johan. de Cartagena homil. lib.* 6. *pag.* 422. 423. *ſeq. Cum igitur laudatis Deum,* inquit, *Auguſt. in Pſalm.* 148. *toti laudate, cantet vox, cantet vita, cantent facta.*

[5] *Modos &c.*) Canticorum uſus antiquis temporibus erat, ut ore tantum, abſque muſico inſtrumento caneretur. Unde *D. Baſil. in Pſalm.* 29. Canticum, inquit, eſt vox quædam concinna, quæ cum hormonica modulatione redditur ſine organi ſono & concentu. Et D. *Chryſoſtomus proœmio* 2. *in Pſalm.* hoc inter Pſalmos & cantica diſcrimen conſtituit: *Eſt*, inquit, *Pſalmus melodia, quæ fit per muſicum inſtrumentum: Canticum autem numeroſa, quæ fit per os, cum verbis elocutio*. Idem ſentit *Euſeb.* in *titul. Pſalm.* 44. qui eſt, *Canticum pro dilecto*. Verum cum non materia Cantici conſiſtat in eo, ut ore ſine inſtrumento caneretur; hinc aliquando cum inſtrumento canebatur, uti videre eſt in *Maria Moſis* ſorore *Exod.* 15. Aliquando vero ſine cantu proferebatur. Nam *David in titulo Pſ.* 17. dicitur locutus Domino verba cantici hujus, non autem modulatus, quaſi non ſemper canticum cum cantu proferretur. Quod colligitur ex verbo שבח quod ibi ponitur pro *locutus*, non enim ſemper cantionem, ſed locutionem tantum importat. vid. *Deut.* 32. 1. Cum & *Ezechias* ſuum canticum videtur non tam ceciniſſe, quam ſcripſiſſe, dum illud hoc titulo prænotavit: *Scriptura Ezechiæ regis Judæ Eſai.* 38. 9. Jam autem ad cantica in confeſſionibus Judæorum regredimur, & dicimus & voce & inſtrumentis peracta fuiſſe. *Gemariſtæ in Erachin. fol.* 11. diſputant, *de fundamento Muſices. Verum alii dicunt* quod fundamentum i. e. principalis cantus pars muſices templi deberet fieri voce vid. *Maim. in Kele Mikdaſh. c.* 3. quo tamen inſtrumenta non excluſit, ſed vult illa ſolummodo tanquam appendices ad voces acceſſiſſe. Et *Miſchn. in Erach.* docet: Iſraelitas tantum inſtrumentis luſiſſe & Levitis Muſicam vocalem reliquiſſe, uti Maimonidis locus videtur indicare, quem Anglice reddidit *Ainſworthius fol.* 63. *in Num.* 10. his verbis: *There might not be fewer than twelve Levites, ſtanding upon the ſtage every day, to ſing the ſong over the ſacrifice alwaies. And they ſung the ſong with mouth, without inſtrument.* conf. *Joh. Henric. Oth. pag.* 390. Aſt etiam inſtrumenta addita fuiſſe teſtatur locus 2. *Chron.* 5. 12. 13.

[6] *Pſalteriorum.*) &c. de his in materia de Cantoribus agenda ſunt.

[7] *In holocauſto faciendo.*) Praxin hujus rei cognoſcimus ex capite 29. 2. *Chron.* Reſtituerat autem Levitas in domo Jehovæ cum cymbalis, cum Nabliis & cum *cithatis* ex præcepto Davidis & Gadis videntis regis & Nathanis Prophetæ: nam a Jehova præceptum illud erat per Prophetas *ejus*. Ubi notandum, quod *David* uſum inſtrumentorum Deo adaptaverit, non quod invenerit uti *Ravanell* in voce Muſic num. 3. fol. 125. vult. Quamvis iſte non peccet, qui aſſerat cum cl. *Heideggero in Raſche Abbeth.* Davidem inſtrumentis jam inventis addidiſſe nova, & multa excogitaſſe, quibus ars dudum inventa magis magiſque excoleretur. Sed pergamus. Edixit Chizkija ut offerretur holocauſtum in altari: & quo tempore cœpit holocauſtum, cœpit muſica a Jehova cum ipſis tubis, idque cum canticis traditis & inſtrumentis Davidis. Interea tota congregatio incurvabat ſe, cum Muſici canerent & tubicines tubis clangerent. Cantores enim Pauſas faciebant, quas Talmudici פרקים nominant, in his pauſis tubis canebant & populus adorabat ſecundum illud: In unaquaque Pauſa erat Taratantara tubæ, & apud unamquamque Taratantaram adoratio populi. vid. *Tamid. c.* 7. *& Roſh Haſchana*. Cum Salomo in dedicatione templi Sacrificia offerret Deo, Levitæ inſtrumentis muſicis cantabant. 2. *Chron.* 5. 12. 13. Unde *Maimonides* in *Kele Hammikdaſh. cap.* 3. *ſect.* 3. ſcribit: *In omnibus holocauſtis cœtus, quæ legitima erant, cantabatur & in Pacificis ſolennis congregationis, tempore iſto, quo vinum libabatur. Verum voluntaria holocauſta, quæ congregatio offerebat, canticum non requirebant, nec canebant*. Itaque non de holocauſto privati intelligunt, quod Levitæ cecinerint, ſed de publico & ſolenni, uti refert R. *Chazkuni in Num.* 10.

CAPUT DECIMUM.

De Sacrificio Consecrationis.

HIs Sacrificiis traditis continenti ordine Lex alia quædam Sacrificia adjicit, quæ non omnibus communia, sed singulorum propria extiterunt, quorum unum Consecrationis, alterum Mundationis, tertium Expiationis est dictum. De quibus sequitur ut sigillatim agamus.

Sacrificium ergo Consecrationis sive τελειώσεως dictum est, quod ad solos pertinuit sacerdotes ratione suæ consecrationis, quodque iidem offerre mane & vespere tenebantur in die unctionis suæ, longe ab eo diversum, quo ipsi uncti consecrabantur; de quo dicemus tum, cum de Pontifice disseremus. De hoc vero ita in Lege præceptum est Levitici cap. VI. in quo etiam de superioribus agitur: *Dixit Dominus ad Moysem: hæc est oblatio Aaron, & filiorum ejus, quam offerre debent Domino in die unctionis suæ. Decimam partem Ephæ offerent similæ in sacrificio sempiterno, medium ejus mane, & medium ejus vespere, quæ in sartagine oleo conspersa frigetur. Offeret autem eam calidam in odorem suavissimum Domino sacerdos, qui jure patri successerit, & tota cremabitur in altari: Omne enim Sacrificium sacerdotum igne consumetur, nec quisquam comedet ex eo.* Esse autem Sacrificium unum ex senis a nobis ante propositis, apparet, cum Lex ita eodem loco concludit: *Ista est lex Holocausti, & Sacrificii pro peccato, atque delicto, & pro consecratione, & pacificorum victimis, quam constituit Dominus Moysi in monte Sinai, quando mandavit filiis Israel, ut offerrent oblationes suas Domino in deserto Sinai.*

CAPUT UNDECIMUM.

De Sacrificio Mundationis.

JAm vero Sacrificium, quod diximus mundationis, relatum est ad labem [1] puerperæ, leprosi, viri seminiflui, & mulieris menstruosæ, ut Expiationis ad Sanctuarium, & populum labe pollutum. [2] De mundatione autem puerperæ sic scriptum est Levitici cap. XII. *Mulier si suscepto semine pepererit masculum, immunda erit* [3] *septem diebus juxta dies separationis menstruæ: &* [4] *die octavo circumcidetur infantulus: ipsa vero triginta tribus diebus manebit in sanguine purificationis suæ. Omne sanctum non tanget, nec ingredietur in sanctuarium, donec impleantur dies purificationis suæ; sin autem fœminam pepererit duabus hebdomadibus juxta ritum fluxus menstrui, & sexaginta sex diebus manebit in sanguine purificationis suæ. Cumque* [5] *expleti fuerint dies purificationis suæ, pro filio, sive pro filia deferet agnum anniculum* [7] *in Holocaustum, & pullum columbæ, sive turturem pro peccato ad ostium Tabernaculi Testimonii, & tradet sacerdoti, qui* [7] *offeret illa coram Domino, & orabit pro ea, sic mundabitur a profluvio sanguinis sui. Ista est lex parientis masculum, aut fœminam. Quod si non invenerit manus ejus, nec potuerit offerre agnum, sumet duos turtures, vel duos pullos columbarum, unum in Holocaustum, & alterum pro peccato: orabitque pro ea sacerdos, & sic mundabitur.* Hinc illa sunt apud S. Lucam de beata Virgine: *Et postquam impleti sunt dies purgationis ejus, secundum legem Moysis, tulerunt illum in Hierusalem, ut sisterent eum Domino, sicut scriptum est in lege Domini; Quia omne masculinum adaperiens vulvam, sanctum Domino vocabitur: & ut darent hostiam secundum quod dictum est in lege Domini par turturum, aut duos pullos columbarum.*

De mundatione vero [8] leprosi deinceps agitur XIII. & XXXIV. Primum autem docetur, ut leprosus adducatur ad pontificem, sive ad sacerdotes, [9] eorumque cognitioni & judicio permittatur, utrum color ille qui in facie hominis natus est, vere lepra sit nec ne: cujus rei dignoscendæ [10] multa documenta præbentur. Deinde vero [11] ratio mundationis affertur his verbis: *Hic est ritus leprosi, quando mundandus est. Adducetur ad sacerdotem, qui egressus e castris cum invenerit lepram esse mundatam, præcipiet ei qui purificatur, ut offerat duos passeres vivos pro se, quos vesci licitum est, & lignum cedrinum, vermiculumque & hyssopum; & unum ex passeribus immolari jubebit in vase fictili super aquas viventes, alium autem vivum cum ligno cedrino, &* coc-

cocco, & hyſſopo tinget in ſanguine paſſeris immolati, quo aſperget illum qui mundandus eſt ſepties, ut jure purgetur, & dimittet paſſerem vivum, ut in agrum avolet, & reliqua, quæ propter longitudinem [12] omittuntur: nam in hac re præcipua locum indicaſſe ſatis videtur.

De viro porro ſeminifluo traditur xv. Atque [13] ubi ſigna immunditiæ illius indicata ſunt, infertur: *Si ſanatus fuerit, qui hujuſcemodi ſuſtinet paſſionem, numerabit ſeptem dies poſt emundationem ſui, & lotis veſtibus, &* [14] *toto corpore in aquis viventibus, erit mundus. Die autem octavo ſumet duos turtures, aut duos pullos columbæ, & veniet in conſpectum Domini ad oſtium Tabernaculi Teſtimonii, dabitque eos ſacerdoti, qui faciet unum pro peccato, & alterum in Holocauſtum, rogabitque pro eo coram Domino, ut emundetur a fluxu ſeminis ſui.*

Deinceps de muliere menſtruoſa ſic præcipitur: *Mulier, quæ patitur multis diebus fluxum ſanguinis non in tempore menſtruali, vel quæ poſt menſtruum ſanguinem fluere non ceſſat, quamdiu ſubjacet huic paſſioni, immuda erit, quaſi ſit in tempore menſtruo. Omne ſtratum in quo dormierit, & vas in quo ſederit, pollutum erit. Quicunque tetigerit eam, lavabit veſtimenta ſua, & ipſe lotus aqua, immundus erit uſque ad veſperam. Si ſteterit ſanguis, & fluere ceſſaverit, numerabit ſeptem dies purificationis ſuæ, & die octavo offeret pro ſe ſacerdoti duos turtures, aut duos pullos columbarum ad oſtium Tabernaculi Teſtimonii. Qui unum faciet pro peccato, & alterum in Holocauſtum, rogabitque pro ea coram Domino, & pro fluxu immunditiæ ejus. Iſta eſt lex ejus qui patitur fluxum ſeminis, & qui polluitur coitu, & quæ menſtruis temporibus ſeparatur, vel quæ jugi fluit ſanguine, & hominis qui dormierit cum ea.*

NOTÆ AD CAPUT UNDECIMUM.

[1] *Puerperæ.*) Puerpera ea dicitur, quæ pepererat ſive maſculum ſive fœmellam ſive legitimo ſive illegitimo tempore, ſive vivam prolem ſive mortuam peperiſſet, modo ad minimum quadraginta a conceptione dies elapſi eſſent *juxta Maimonid* de *prohib. congreſſ. c.* 10. & *Miſchn. de mulier. menſtr. c.* 3.

[2] *De mundatione Puerperæ.* Mulier ſuſcepto ſemine immunda erat. Nonnulli, ut *Vatab. Toſtat. Lorin. & LXX.* paſſive accipiunt, ἐὰν σπερματισθῇ. *Orig.* vertit ita, *ſi conceperit ſemen*, ad diſcretionem illius, quæ ſine ſemine concepit. Sed verbum תזריע activæ ſignificationis eſt, ut bene notat *Junius*. *Toſtatus* pleonaſmum vult. Aliter *Cajetan. & Oleaſter*, ſed tautologiam evidentem committunt. Melius itaque transfertur active. *Pagnin.* habet *edit ſemen.* Ita R. *Salomon in Geneſ.* 4. 5. 15. conf. Sixt. Amama antibar. bibl. lib. 2. pag.m. 393. ſeq. Viro non licebat illam adire, id quod ut *Theodoret. quæſt.* 24. *Lyra. Salmeron, Maldonat.* & alii exiſtimant, ob hanc cauſam factum: *Ut viri intemperantia coerceretur.* Verum hæc opinio veritati haud conveniens videtur, ut obſervat *Lorinus*: quippe nimis diu ſervanda continentia conjugalis fuiſſet; Probabilius igitur eſt ſeptem modo dies, maſculo nato, & quatuordecim fœmella edita, intelligendos eſſe. Inter dies conceptionis maris & fœmellæ diſcrimen in lege ponitur: dies maris ſunt XL. dies fœmellæ LXXX. quod verſibus his exprimitur.

Sex in lacte dies, ter ſunt in ſanguine terni,
Biſſeni carnem, ter ſeni membra figurant.

Cur vero Tempus longius ad fœmellæ purificationem requiratur, rationem reddunt *Heſychius* & *Toſtat. quæſt.* 22. quia octogeſima demum die fœminæ in utero formantur. Alii hanc cauſam afferunt, quia peccatum primo per mulierem receptum eſt. ita *Fonſec. in Cajetan.* Diebus hiſce expletis ſacrificium mundationis mulier offerebat. Sed hic quæritur an tantum pro ſe mater, an etiam pro infante obtulerit ſacrificium? Quidam volunt ſacrificium pro peccatis infantis oblatum, uti *Baronius, Burgenſ. Hugo. Rupert. Suarez, Barrad.* adducentes Luc. 2. ubi dicitur τῷ καθαρισμῷ αὐτῆς. His conſentiunt Vulgatus & Arabs. At *Syrus* legit αὐτῶν, quia pleroſque Codices & *Origenem* ita legiſſe Beza aſſerit. Verum, ſi hac de re quid ſentiam dicere licet, mihi videtur, quod hoc ſacrificium modo pro puerpera oblatum ſit, quia infans per circumciſionem antea factam Deo reconciliabatur. Huic ſententiæ calculum ſuum addit *Toſtat. q.* 22. *Junius, Lorinus.* Quæritur ulterius quodnam peccatum fuerit ob quod hoc ſacrificium offerendum? *Lyra* putat, mulierem illo culpam quæ contrahitur in actu matrimoniali, expiaſſe. Quod ſi ita ſe haberet culpa etiam virum tangeret. *Toſtat. ibid.* Sed firmum manet, hoc ſacrificium in remiſſionem peccatorum tam Originalium, quam actualium factum. *Jun. Analyſ.* conf. *Andr. Willet. ſ.* 302. Hinc quæritur, an Maria ex paupertate ſacrificium obtulerit? *Toſtatus* putat, quod Maria hoc non ex paupertate fecerit, ſed propter paupertatem. Quidam arbitrantur præ modeſtia factum fuiſſe, ad quam opinionem confirmandam duo proferunt argumenta. *Toſtatus* legem urget, quod pro primogenito quinque ſicli ſint offerendi, deficiente vero hac ſumma, agnum offerre licebat. Contra *Lorinus* rejicit argumenta Toſtati. Diverſam ab his ſententiam fovent *Maldonat. Bonaventur. Calvin. Procopius* refert Mariam ex propoſito ab immolatione agni abſtinuiſſe, quia verum agnum offerebat. Melior & verior igitur opinio *Origen. Bedæ, Haym.* & aliorum antiquorum Scriptorum. *Cal.* dicit, ſumma paupertate preſſam eſſe Mariam, ita ut ad offerendum agnum facultas ipſi defuerit. *Beda* hanc reddit rationem, ut per omnia humilitas Domini pateat. Quem ritum in hoc ſacrificio peragendo vetus Eccleſia habuerit & retinuerit, patet *ex Miſſa, ſive canon. univerſ.* quæ habetur *in bibliothec. patrum. tom.* 6. *fol. m.* 70. verba huc adſcribam. Sacerdos dicit: *Domine Deus noſter omnipotens, pater Domini, & Redemtoris noſtri Jeſu Chriſti, creator ſeculorum, qui nativitatem noſtram feciſti: tu Domine inſtituiſti Moyſem ſervum tuum in lege tua & docuiſti eum conſtitutionem mundam, quæ convenit omni fœminæ, quæ peperit; ut ſcilicet modicum temporis ſepararetur: & præcepiſti ei, ne appropinquaret ad Sancta tua; ſed ut ſe contineret quoad liberaretur: ita quoque rogamus bonitatem tuam, & quæſumus pro ancilla tua N. quæ ſervavit conſtitutionem tuam & optat ingredi in Sanctum Tabernaculum, ut adoret ante altare tuum ſanctum, & deſiderat ſumere Sacramentum tuum Sanctum. Rogamus benedic ancillæ tuæ N. in hac hora, & libera eam ab omni immunditia maligna, quæ propellit a regia tua ſancta. Infanti etiam huic parvulo, qui natus eſt ex ea, benedic, ſanctifica & confirma eum: da ei virtutem & protege eum & attingere fac ad metam ætatis ſuæ. &c.*

[3] *Septem diebus.*) Immunda erat puerpera ſeptem a partu diebus ſi maſculum peperiſſet, & quatuordecim

decim diebus si fœmellam peperisset; sed diebus XXXIII. in prole mascula, & LXVI. in fœmella a rebus sacris, tantum arcebatur. In civitatibus tamen & domesticis rebus erat munda, ut etiam cohabitare cum marito posset. vid. Maimonid. in *Issure biah. c. 4. s. 5. 2.* Cujus verba ab *Ainsworthio* citata hæc sunt: Omnis sanguis, qui in puerperio apparet intra XXXIII. dies in prole mascula & LXVI. in fœmella, vocatur sanguis purificationis, & nulla hic prohibitio mulieris a marito, modo sit baptizatus seu lotus. confer. *Joh. Lightfoot Hor. Talmud. in Luc. 2. pag. m. 734. edit. Lips.* Quod si vero gemellos simul peperisset; masculum nempe & fœmellam, sese in immunditie gerebat ac si solam fœmellam peperisset; Quod si partum ederit nec masculum nec fœmellam, vel utrumque ipsorum referentem, sese in immunditie gerebat ac si masculum & deinde fœmellam peperisset; Quod si in medium ederet gemellos, quorum unus masculum, alter nullum vel utrumque sexum referret eodem modo se gerebat. Denique si unus ex gemellis fœmellam referret; alter autem neutrum vel utrumque sexum exprimeret, gerebat sese tantum acsi solam fœmellam peperisset, de quo *Maim. de incest. c.* 10.

4 *Die octavo.*) Octavus dies ordinarium tempus erat circumcisionis in prima institutione, quem Judæi observarunt & hactenus observant juxta præceptum *Genes.* 17. 12. quod *Levit.* 12. confirmatur. Deus itaque justum, & oportunum tempus ponit & constituit: Nam creaturæ jam genitæ æstimantur septem dies impuræ, ac si in sanguine suo, octavo autem die Domino offerri poterant. *Levit.* 12. 27. ita etiam homines *Levit.* 12. 2. 3. Circumcisio igitur die octavo perficiebatur scribit R. *Menach. in Gen.* 17. apud *Ainsworth*. Quia die octava a Deo jussa; non circa vesperam & noctem. vid. annot. nostr. *ad Godwin Mosen & Aaron*.

5 *Completi dies Purificationis.*) Exactis diebus immunditiei offerebat puerpera oblationem suam, nempe si masculum peperisset, offerebat oblationem die post partum quadragesimo primo, si fœmellam die octuagesimo primo & quidem post lotionem seu baptizationem & post occasum Solis offerebat, posteaquam in porta Orientali Nicanoris cum ista oblatione comparuisset juxta *Maimon. de iis* qui expiantur ante suum Sacrificium. Sistebantur illæ, scribit *Johan. Lightfoot. hor. Talmud. in Luc. 11. pag. 753. edit Lips.* quæ purificandæ in porta atrii orientali, *Nicanoris* dicta, sanguine aspergebantur. *Tamid. cap. 4. hal 6.* Ibi stata jam *Maria* ad purificationem, atque ibi Christus, ut probabile, præsentatus Domino, præsentatus Sacerdoti.

6 *In Holocaustum.*) Oblatio puerperæ erat duplex, holocaustum & Sacrificium pro peccato, ita ut Sacrificium pro peccato præcederet. Holocaustum sumebatur de agno anniculo, & se habebat ut holocaustum agninum. vid. *Ainsworth. in Levit.* 12. Sacrificium autem pro peccato sumebatur de pullo columbarum aut turture, & quidem communiter de pullo columbarum, ne si turtur offerretur, columba mortem conjugis doleret. Nec nisi exiguum discrimen erat inter Sacrificii pro peccato ex ave oblati, & inter holocausti avium præparationem; nisi quod 1. Caput avis si Sacrificium pro peccato esset, non abscinderetur, quod in holocausto avium fiebat. 2. Sanguis Sacrificii pro peccato de ave oblati infra altaris filum rubrum spargeretur, Sanguis autem holocausti avium supra. & 3. Sacrificium hoc pro peccato ex parte ederetur, cum holocaustum avis combureretur. de quibus vid. Maim. in Misch. de sacrif. c. 6. & *Misch. de nidis. c. 1. Abarbanel. in Levit. fol.* 232.

7 *Afferat &c.*) His verbis requisita significantur, quæ ad mundationem leprosi requirebantur, *aves scil. duæ, lignum cedrinum, hyssopus &, lana coccinea*. Aves duæ erant, vel duo pulli columbarum minores sive nondum fulgentes circa colla, vel duo turtures majores sive non amplius fulgentes, & aliæ aves quæcunque, & quidem vivæ & mundæ. Lignum cedrinum continebat in longitudine cubitum sive pedem cum dimidio, in crassitie autem quartam partem pedis lectum sustinentis, nec carere vertice debebat. *Hyssopus* latitudinem continebat manus, & erat hyssopus communis non Græca nec Romana nec sylvestris nec alia, nec carere cortice debebat. Lana coccinea erat, lana bis cocco tincta & sicli libram sive 320 grana hordeacea continebat. Atque ex hoc mundationis apparatu avium prima mactabatur sive a Sacerdote, sive ab alio, ut sanguis exciperetur vase fictili novo, cui aquæ vivæ sive semper fluentes infundebantur quantitate quartæ partis logi seu ovi cum dimidio, in quas aquas sanguis avis in mactatione exprimebatur, ut discerni posset, ac deinde avis mactata sepeliebatur. Alterius vero avis, quæ viva remanebat extremitates alarum & cauda circum circa lignum cedrinum, hyssopum, & lanam coccineam quæ colligata erant, volvebantur, & quatuor vicibus in illam aquam. sanguine avis mactatæ mixtam, & in vase exceptam intingebantur, ac septem vicibus in manus leprosi aspergebantur, finitaque aspersione dimittebatur avis in campum, & qui illam dimissurus, faciem suam convertebat non in mare vel urbem vel desertum. Quod si rediret avis illa, denuo dimittebatur etsi multis vicibus rediret. Atque lignum illud cedrinum, hyssopus & lana coccinea ut & avis viva, quæ ad unius leprosi mundationem erant adhibita, ad alterius leprosi mundationem etiam adhiberi poterant, sed avis mactata usui alterius leprosi minime inserviebat, de quibus *Maimonid. de lepros. c. 2. Misch. de lepr. c. 14. & Raschi & Aben-Ezra in Levit. c. 14. conf. Henry Ainsworth. in Levit. 14. fol. m 77. edit Londin.*

8 *Leprosi.*) Lepra Hebræis dicta צרעת, derivatur a יע' & צרה *Grecis* vocatur λέπρα ἀπὸ τῶν λεπίδων a squamis piscium. Tria sunt lepræ genera, primum in cute apparet instar nivis, vocaturque בחרת, & est scabies candida & splendens, quæ oritur ab humido albo, *vid. Andr. Willet fol.* 311. Secundum ספחת Sappachat audit i. e. scabies quæ cuti abhæret, ספח enim adhærere significat, hinc ספחת per scabiosam adhæsionem quidam vertunt. Alii *morpheam albam* esse adserunt parum a lepra differentem. *R. David Kimchi* scribit esse scabiem collectam & pariter congregatam. Tertium dicitur שאת. *Paulus Fagius* ponit שחין. *Teste Kimch.* est ulcus quod provenit ex caliditate sive ardore ignis, ideo מכוה *Michua* vocatur. Scabies *teste Kimchio* נתק *nomen plagæ est, quæ crescit in loco capillorum & significat maculam nigram:* Unde vero originem traxerit lepra, hic merito quæritur. In decidenda hac quæstione Doctores inter se non conveniunt. Nonnulli in *Ægypto* illam ortam esse asserunt ex mala aeris dispositione & mucida Nili aqua. At non solum in *Ægypto* sed etiam in *Mauritania* & *Abyssinia* lepra grassabatur. vid. *Bodin. Method. histor. c.* 5.

9 *Eorum cognitioni &c.*) Clarum est quod de lepra suspectus ad *Aaronem* delatus sit, aut unum filiorum ipsius. *Cajetani* opinio igitur locum haud invenit, quod censura leprosorum ad Sacerdotes, *quatenus curam Reipublicæ* habuerint, pertinuerit, quippe non *Aaron*, sed *Moyses* Reipubl. curam gerebat. Nec soli summo Sacerdoti hoc conveniebat, ut *Vulgatus* loquitur, & *Tostat.* hunc sequitur *quæst.* 20. Pontifex ad discernendas species non sufficiebat. Salvator noster quidem indifferenter leprosos ad Sacerdotes mittit, ut *Willet. in. 5. Luc. annot.* 25. quorum officium erat sejungere leprosos, & ritus, ac cæremonias pro mundatione peragere. Hinc *Cal. solis Sacerdotibus injunxit has partes*. Non vero quoslibet lepra infectos pro lubitu excludere licebat, sed certæ regulæ præscriptæ erant, juxta quas Sacerdos impurum judicabat & proclamabat. vid. *Maimon. de Lepros. c. 19. sect. 2.* confer. *H. Hammond. Annot. in Matt. cap. 5. 3. fol.* 44.

10 *Multa Documenta.*) Tria lepræ signa posita 1. quando capilli albescebant. *Andr. Willet. fol.* 312. *Paulus Fagius* dicit: discrepant nonnihil Hebræorum commentatores, distinguendis vocabulis קרח Kereach, quod calvum reddunt, & גבח Gibbeach, quod recalvastrum interpretantur. Quidam Kereach calvum dici volunt, qui habuit quidem capillos, sed cui defluxerunt, Gibbeach vero esse cui nunquam capilli fuere. Plura de his vid. *in cap. 13. Lev.* 2. Erat profunditas ulcerum; nam lepra est morbus consumens carnem, sicuti de Miriam *Num.* 11. 14. dicitur: 3. Inflammatio, qua contagium significatur, quod est instar gangrenæ. *Pelicanus* etiam putat, urinæ aspectum requiri & alia quædam; At ex urinæ intuitu hic morbus cognosci nequit 1. quia lepra est externus morbus 2. Pontifex

Phy-

Physices aut Medicinæ scientia non erat imbutus, ut bene annotat Oleaster. Quandocunque igitur hæc signa in aliquo aderant, is a cæteris separabatur, non vero excludebatur. Separatio leprosorum duplex erat, Una judicialis, quando aliquem lepra infectum esse existimabat. Hæc subdividebatur in naturalem & cæremonialem. Illa fiebat tum, cum aliquis a societate hominum & conversatione secernebatur, ne malum ulterius serperet: Hæc vero, cum aliquis aditu sanctuarii arcebatur. Altera separatio experimentalis audiebat, modo ad Tempus durans, scil. XIV. dies. Locus, qui separatis assignabatur, erat juxta *Lorinum*, cujusque domus propria. Durante vero separationis tempore, separato omne omnino commercium, & cum uxore, & cum cæteris hominibus erat interdictum, imo ille a conjugali debito erat immunis. Nullo autem modo propter lepram matrimonium solvebatur quoad vinculum, sed quoad thorum & mensam disjungebatur, usque dum tempus separationis duraret.

[11] *Ratio mundationis*.) Hæ cæremoniæ non ad leprosos ad tempus exclusos, neque ad illos qui in campis habitabant, pertinebant, sed ad veros leprosos; Quidam enim leprosi erant secundum apparentiam: Quidam secundum veritatem, qui aliquando miraculose sanabantur, & ad hos mundationis ritus spectabant. Cur vero tam multæ cæremoniæ requirebantur? 1. Politica ratio est, quia in leprosos omnes odium habebant, ad quod exstinguendum tot cæremoniæ adhibebantur 2. Ecclesiastica, ut populus rudis in obedientia servaretur. 3. Moralis, quia Deo soli laus sanationis tribuenda 4. Religiosa, ob reverentiam divini cultus. 5. Spiritualis, quod Deus solus lepram propter peccatum attractum sanare, & peccata remittere possit. 6. Mystica, ut recordemur carnem leprosam nostram ullo alio modo, quam Christi sanguine, mundari posse. Hinc Rabbini testantur *lepram digitum Dei* esse, & nolente Deo incurabilem. *R. Menachem. in Levit.* 13. Requirebantur præterea aves duæ vivæ. *Jun. Oleast. Vatab. Cajetan. LXX.* δύο ὄρνιθες. Vulgata versio legit: *Offerat duos passeres vivos*. Hebr. צפר quod generaliter quasvis aviculas significat. *Gen.* 15. 12. test. *Paul. Fag. in h.l. & Aben-Ezra*, qui ita scribit: Omnis avis vocatur Zippor, & est sensus, quod offerens accipere debeat de quacunque ave, quam invenerit. Attamen hic non generale sed speciale genus avium notat scil. passerem *teste Kimchio*. *Psalm.* 102. 10. cui *R. Salom. quem Joan Lightfoot. hor. Talmud. in Evangel. S. Luc. cap.* 12. *p.* 818. citat, calculum addit: *Lepra enim* (inquit) *invasit homines propter linguam malam i. e. propter garrulitatem verborum, adhibuerunt ergo in purificatione ejus* צפרים *passeres; hi semper garriunt pipitu vocis*. Deinde *Lignum Cedrinum*. Hebræi vocant lignum gracilitatis, in Græco exstat Κέδρος, dictum quasi *ἐν τῷ καυτηρίῳ ἱδρῶν i. e. sudorem in ignem emittere*. Roget quis forte, quid hoc lignum ad hanc rem conferat respondent Hebræi, hoc fieri propterea, ut per lignum de cedro arbore, quæ arbores alias celsitudine superat & vincit, significaretur, plagam lepræ maxime propter superbiæ & arrogantiæ peccatum Cedro denotatum, infligi. Pro exemplis citant *Miriam sororem Mosis, familiam Joab, Giezi servum Elisæi, & regem Usiam*. 3. Coccus requirebatur, qui colos rubeus erat. Hebr. תלע vermis colorem purpureum præbens. Latin. coccum vertit 4. hyssopus & derivatum ab *Ezob*. אזב a צוב quod significat humilis jaceo. *R. D. Kimch.* pro *Origano* accipit i. e. materia quæ sursum se non attollit. Neque *spartum* est, ut *Tostatus* putat: Nec *serpillus, ut Genebrard.* Hæc erant requisita. Usus & modus erat varius. 1. Duæ aves offerendæ erant, quarum una emissa significabatur *liberatio a lepra Tostat. q.* 2. *Borrh.* in h. l. 2. lignum Cedrinum denotabat præservationem a corruptione. 3. Coccus *propter tincturam sanguineam Christi* adhibebatur Hesych. seu ut *Aquinas & Lyra* propter colorem vivum, quem leprosus recuperabat. 4. Hyssopo utebantur, quando leprosum aspergebant, indicantes *fatorem lepra abiisse*. Quæritur hic de cæremoniis, quæ prioribus septem diebus in mundatione leprosorum peragebantur? Hanc quæstionem movet *Fonsec. in. annotat. in Cajetan.* ubi observandum, quod lignum cedrinum cum hyssopo intinctum sit in sanguinem passeris, eoque septies aspersus Leprosus immundationem per Christi venturi sanguinem, quæ aspersio præfigurata est & impleta in Sacramento baptismi. Alteram super faciem agri mittat avem, hebraismus est, pro liberam eam reddat & sinat volare quo volet, quibus significatur morbum lepræ abiisse. *Oleaster. Andr. Willet. fol.* 336. Locum quod attinet ubi hæc sacrificia offerebantur, fuit ante ostium tabernaculi congregationis, quippe leprosus non admittebatur etiam in externum atrium, donec sacrificio finito perfecte mundatus esset.

[12] *Omittuntur*.) Quæ scitu necessaria sunt, omitti non debent, jam autem scitu maxime necessarium est illud, quod post mundationem factum. Sequebantur itaque hanc lotionem 1. lotio vestium, 2. corporis tonsio & 3. Sacrificiorum oblatio. Lotio vestium fiebat post primam tonsionem ante ingressum leprosi in urbem Hierosolymam. Quandoquidem modo jam dicto mundatus leprosus erat extra urbem & deinde iterum urbem ingrediebatur. Lotio corporis fiebat primo post primam tonsionem extra urbem Hierosolymam; secunda post secundam tonsionem die ab ingressu in urbem septimo; & tertia die octavo ab ingressu in urbem ante oblationem Sacrificiorum ubi lavabatur in camera leprosi sita in atrio mulierum. Quod si autem alia die esset peracta tonsio quam septima, alia etiam die lavabatur scilicet ea die, qua erat tonsus. Peracta lotione eam adhuc retinebat immunditiem, quam alii, qui loti expectant occasum Solis i. e. non ad res sacras edendas admittebatur, nisi quod edere decimas posset juxta *Maimon. de lepra. cap.* 11. & de iis, qui destituuntur *expiatione. cap.* 4. *Tonsio* prima fiebat extra urbem; altera fiebat die septimo ab ingressu in urbem, quæ tamen interdum in diem etiam octavum vel alium differebatur. Fiebat autem illa tonsio in toto corpore, & omnes crines, qui videri poterant, tollebantur & quidem novacula; Quod si vel duo tantum relicti crines essent tonsio erat frustranea, & si in prima tonsione ratio novaculæ defecisset, vel duo crines remansissent, altera tonsio habebatur pro prima juxta Rabbinos. Sacrificia quæ leprosus dare debebat erant Sacrificium pro reatu ab agno masculo, Sacrificium pro peccato ab agna & holocaustum ab agno desumtum, quæ Sacrificia his ceremoniis offerebantur, nempe eo die qui sequebatur diem ultimæ tonsionis & lotionis leprosus collocabatur in porta *Nicanoris* facie ad Occidentem versa, quo in loco omnes expiationibus destituti qui occasum Solis expectabant, collocabantur. Tunc Sacerdos Sacrificium pro reatu vivum agitabat cum logo olei versus occidentem & ita agitatum ad portam *Nicanoris* deferebat, ut leprosus ambas illi manus imponeret, quo pacto statim mactabatur: sanguis a duobus Sacerdotibus excipiebatur, ut unus exciperet vase & spargeret ad altare; alter exciperet manu dextra & in sinistram suam effunderet. Quam primum vero ad altare sparsus sanguis erat, alter Sacerdos, qui manu sanguinem exceperat ad leprosum accedebat, & posteaquam leprosus caput in atrium Israelitarum extenderat, in aurem ejus dextram, deinde in pollicem manus dextræ in atrium extensum ac denique in extensum in atrium pollicem pedis dextri sanguinem spargeret indice manus dextræ. Quibus exactis offerebantur Sacrificia duo nempe pro peccato & holocaustum, & postea Sacerdos logum olei capiebat & vel in alterius Sacerdotis vel in suam manum lævam effundebat, intinctoque digito indice manus dextræ in illud oleum versus Sanctum Sanctorum spargebat & quamlibet aspersionem denuo intincto digito, ac deinceps oleum in aurem & pollices leprosi imponebat, reliquo oleo in manu remanente in caput leprosi effuso juxta *Maimonid. de iis qui destituuntur expiatione. cap.* 4. *Misch. de lepr. cap.* 14. & *Abarbanel. in Levit. fol.*. 242. His autem tribus Sacrificiis addebantur tres decimæ Ephæ similæ & quidem cuilibet decimæ quartæ pars Hin vini adjungebatur juxta *Maimonid. de Oblat. cap.* 2. Quod si vero leprosus pauper esset; offerebat agnum in Sacrificium pro reatu, cui unam decimam Ephæ similæ adjungebat; in Sacrificium autem pro peccato & in holocaustum vel duos turtures vel pullos duos columbarum dabat. Quod si leprosus pauper offerre tamen Sacrificia leprosi divitis cuperet, concedebatur, sed tamen leproso diviti offerre Sacrificium pauperis minime licebat, etiamsi illud voluisset,

visset, sed leprosus pauper, si Sacrificia divitis voluisset offerre ea debebat juxta *Maimonid. de destitut. Expiat. cap.* 5.

[23] *Ubi signa.*) Hebræi hic certa indicia afferunt, quibus immundities significetur & hæc ita *Maimonid.* recenset in *Mechosrei capporab. cap.* 2. *l.* 6. Fluxus primus erat fluxus seminis ex infirmitate defluentis & se habebat triplici ratione, vel ut salivaret instar salivæ tenuoioris vel ut coagularetur & esset crassior, vel ut initio esset tenuior & deinde coagularetur. Itaque homo, si sentiret unum aliquod indicium hujus fluxus, similis erat qui casum nocturnum patiebatur; sin duo indicia sentiret, dies septem numerabat & aqua fluente & viva lavabat corpus, sed non offerebat oblationem, sin tria sentiret, perfecto fluxu laborabat & tenebatur offerre Sacrificium.

[24] *Loto corpore.*) Homo fluxu laborans ut mundaret se ab eo die, quo fluxus desierat, numerabat dies VII. & die septimo lavabat & octavo offerebat Sacrificium; quod si post lotionem aliquod fluxus indicium reperiret, denuo ab illo die, quo novi fluxus indicium senserat dies septem numerabat & die septimo lavabat. Lotio illa ita instituebatur, ut totum corpus aquæ immergeretur & omnes etiam crines capitis lavarentur & nihil esset inter corpus & aquam discriminans, poterat tamen corpus immergi aquæ interula indutum, quia illa inter aquam & corpus non discriminabat, sed aqua eam transibat. Aqua hæc debebat esse viva id est fontana & scaturiens, ut fœminæ fluxu laborantes & alii immundi in aquis stagnantibus lavarentur quantitate ad minimum XL. satorum. Si lotio intermitteretur etsi jam aliquot ante annos fluxus desiisset, immundities tamen hominis durabat in eodem gradu de quibus ait *Maimonid. de destitut. expiat. cap.* 3. *de flux. laborant. cap.* 1. *& de lavacris cap.* 1.

CAPUT DUODECIMUM.

De Sacrificio Expiationis.

HIs traditis additur inde de Sacrificio Expiationis, sive propitiationis. Fuit vero Expiationis unus, ut dictum est, ex diebus festis celeberrimis anni, die decima Septembris magna cæremonia celebratus. Eo vero die Pontifex [1] pontificalibus vestimentis indutus, ac Sancta Sanctorum ingressus universo [2] populo jejunante præcipuum quoddam Sacrificium fecit, quo Sanctuarium ab labibus populi, prævaricationibus, cæterisque peccatis purgavit. Id autem his verbis traditur cap. sextodecimo: *Loquere ad Aaron, ne omni tempore ingrediatur Sanctuarium, quod est intra velum coram Propitiatorio quo tegitur Arca, ne moriatur, nisi hæc ante fecerit.* [3] *Vitulum pro peccato offeret, & arietem in Holocaustum. Tunica linea vestietur, fœminalibus lineis verenda celabit, accingetur Zona linea, cidarim lineam imponet capiti, suscipietque ab universa multitudine filiorum Israel* [4] *duos hircos pro peccato, & unum arietem in Holocaustum. Cumque obtulerit vitulum, &* [5] *oraverit pro se ac pro domo sua, duos hircos* [6] *stare faciet coram Domino in* [7] *ostio Tabernaculi Testimonii:* [8] *mittensque super utrumque sortem,* [9] *unam Domino, & alteram capro emissario, cujus exierit sors Domino,* [10] *offerat illum pro peccato; cujus autem in caprum emissarium, statuet eum vivum coram Domino, ut* [11] *fundat preces super eum, &* [12] *emittat eum in solitudinem. His rite celebratis offeret vitulum, & rogans pro se & pro domo sua immolabit eum.* [13] *Assumtoque thuribulo, quod de prunis altaris impleverit, & hauriens manu compositum thymiama in incensum,* [14] *ultra velum intrabit in Sancta, ut positis super ignem aromatibus* [15] *nebula eorum & vapor operiat Oraculum, quod est super Testimonium, & non moriatur.* [16] *Tollet quoque de sanguine vituli, & asperget digito* [17] *septies contra Propitiatorium ad Orientem. Cumque mactaverit hircum pro peccato populi, inferet sanguinem ejus intra velum, sicut præceptum est de sanguine vituli, ut aspergat e regione Oraculi; & expiet Sanctuarium ab immunditiis filiorum Israel, & a prævaricationibus eorum, cunctisque peccatis.* [18] *Nullus hominum sit in Tabernaculo, quando pontifex Sanctuarium ingreditur, ut roget pro se, & pro domo sua, & pro universo cœtu Israel, donec egrediatur. Cum autem exierit ad altare quod coram Domino est, oret pro se, & sumtum* [19] *sanguinem vituli atque hirci fundat super cornua ejus per gyrum, aspergensque digito septies expiet, & sanctificet illud ab immunditiis filiorum Israel. Postquam autem emundaverit Sanctuarium, & Tabernaculum, & altare, tunc offerat hircum viventem, & posita utraque manu super caput ejus confiteatur omnes iniquitates filiorum Israel, & universa delicta atque peccata eorum, quæ imprecans capiti ejus emittet illum per hominem paratum in desertum. Cumque portaverit hircus omnes iniquitates eorum in terram solitariam, & dimissus fuerit in deserto,* [20] *revertetur Aaron in Tabernaculum Testimonii, & depositis vestibus, quibus indutus prius erat, cum intraret Sanctuarium,* [21] *relictisque ibi lavabit carnem suam in loco sancto, indueturque vestibus suis. Et postquam egressus obtulerit holocaustum suum, ac plebis, rogabitque tam pro se, quam pro populo; & adipem, qui oblatus est pro peccatis, adolebit super altare. Ille vero qui dimise-*

miserit caprum emissarium, lavabit vestimenta sua & corpus aqua, & sic ingredietur in castra. Vitulum autem & hircum, qui pro peccato fuerant immolati, & quorum sanguis illatus est in Sanctuarium, ut expiatio compleretur, asportabunt foras castra, & comburent igni tam pelles, quam carnes eorum ac fimum; & quicunque combusserit ea, lavabit vestimenta sua & carnem aqua, & sic ingredietur in castra. Eritque vobis hoc legitimum sempiternum.

NOTÆ AD CAPUT DUODECIMUM.

[1] *Pontificalibus vestibus.*) Falsum hoc esse pluribus demonstravit celeberr. *Joh. Braun. de vestitu Sacerdot. Hebr. pag. m.* 783. *lib.* 2. Cum modo vestibus albis Sanctum Sanctorum intraverit. Cum *Sigonio* nostro faciunt plures autores gravissimi inter quos etiam *Joh. Henric. Otho. in Lexico Philolog. Rabbin. pag. m.* 185. his verbis: *Hoc facto induebatur vestibus aureis*, scilicet cum quæ præcedebant introitum, rite perfecisset. Hujus opinionis sunt etiam *Epiphanius*, *Augustinus*, *Hieronym. Bertram. Sigonius*, *Buxtorfius*. Verum hanc sententiam rejiciunt celeb. *Braun. lib.* 2. *cap.* 15. *de vestit. Saccrd. Hebr.* & *Henry Ainsworth. Comment Levit.* 10. *fol.* 89. *edit. Londin.* & affirmant *albis* tantum vestibus usum fuisse Pontificem die expiationis, quod optime convenit cum Christo vero Pontifice Maximo, uti eleganter ostendit *Braun. pag.* 935. confer. *Ainsworth.* l. c. cl. *Jacob. Rhenferd. comparat. Expiat. anniversar. Pontif. cum unica & æterna expiatione Christi. edit. Franeq.*

[2] *Populo toto jejunante.*) Non quod Pontifex etiam jejunaverit, siquidem non opus erat, ut septem istis diebus a cibo abstineret, quia nihilominus die expiationis officio suo fungi poterat; quin etiam die præcedenti paulo liberius genio indulgebat, ne die expiationis appropinquante vires ejus ante peractum officium deficerent. Judæi enim pridie jejunii plus solito edunt, & hoc ipsis lege injunctum esse affirmat *Menass. ben Israel in thesour dos dinim. cap.* 96. *Hispan. script. He misua Comer nesse dia mais do ordinario despondose alegremente para o dia seguinte do jejum. Se bem as comidas devem de ser leves, e facis de digirir: por naon entrar pecado, e cheo de comida, as orasoens de hum tazon celebre dia*: Mandatum est ut in isto die, id est pridie diei expiationis, plus solito edant, ut alacriores, magisque dispositi sint ad diem sequentem jejunii, quamvis cibus levis esse debet & facilis digestionis, ne in tam celebri die gravati & onusti cibis ad orationem procedant. Per jejunium autem hic Hebræi plura intelligunt. 1. Abstinentiam a cibo & potu juxta *Levit.* 16. 29. Qui contra hoc mandatum fecerit, excisionis pœna plectebatur. *Levit.* 23. 29. sed ut *Paul. Fagius ad paraphras. Chald. Onkel.* præmatura morte afficitur. vid. *Kerithot. cap.* 1. ubi inter excisionis reos numeratur, qui cibum sumserit & opus fecerit in die expiationis. Nec excisione tantum multabatur, sed etiam vapulabat vid. *Maccoth. cap.* 8. ubi pariter inter vapulantes numeratur. Addunt 2. Rabbini lotionem. 3. Induere calceos prohibitum, scilicet coriaceos, poterant enim Judæi soccis ex panno, aut quavis alia materia confectis, uti. *Arbturim in hilk. jom. Hakkip.* Licitum est in die axpiationis incedere soccis panni, nihil interest sive privatim sive publice. *Menass. ben Israel in thesour dos dinim. cap.* 98. *E assim he neste dia prohibido calcar aynda que seja so num pe capatos de couro, mas de pano ou outra qualquer cousa, he licito; por que se julga o mesmo que andar descalco.* In ista die prohibitum est induere calceos coriaceos, quamvis in unum solum pedem, ex panno tamen aut quavis alia materia confectos induere licitum est, quia hoc perinde est, ac si quis discalceatus incederet. Calceis vero coriaceis uti nemini fas erat nisi ægrotaret, aut gravi aliqua necessitate premeretur. Solebant enim Judæi, cum se affligerent, discalceati incedere, quemadmodum Davidem fecisse legimus. 2. *Sam.* 15. 30. 4. *Ministerium lecti*; Non solum ab hoc abstinuerunt conjuges, sed nec in uno lecto una cubuerunt. Audiamus iterum *Menass. ben Israel. He peccado tocar na mulher, come se fosse mensteuosa, e non podem dormir numa mesma cama, pro fugir a occasion de peccar.* Peccatum est in die expiationis tangere mulierem ac si esset menstruata, nec in eodem lecto dormire possunt, ut fugiant occasionem peccati. Quem ritum secuta est Ecclesia Græca. conf. *Balsam. ad can.* 3. *Dionys. Alexand. & Leunclav. lib.* 5. *respons.* statuit & hoc Ecclesia Latina. vid. *decret. Gratan. part.* 2. *caus.* 33. *q.* 4. *ita* Gentiles teste *Juvenal. Sat.* 6. Excipiunt tamen 1. Regem, quia gratiosus vultus recreat subditos 2. sponsam, ne fœdata sordibus a sponso contemneretur. *Gemar. Babyl.* 3. Puerperam, cui permissum induere calceos. *Arbatur. in hilkoth. jom. hakkippur.* 5. Vulneratum, cui etiam licuit teste *Menass. ben Israel: Pode contudo a parida dentro dos* 30. *dias de parto, calcar capatos decouro, eassi mesmo o do e ente, aynda que naon este perigozo, e o que tem alguma ferida no pe, ou teme ser mordido de serpentes donde as ay. Nihilo minus mulier quæ peperit* 30. *diebus post partum induere potest calceos coriaceos, itemque & infirmus, quamvis nullum sit periculum, & qui vulnus habet in pede, aut qui in loco degit, ubi timeat serpentium morsus.* vid. plur. in *Cod. Joma pag. m.* 198. *seq.*

[3] *Vitulum pro peccato.*) Quando juvencum pro se & domo sua mactabat summus Sacerdos, stabat in Oriente, facie in Occidentem versa, manibusque impositis confitebatur dicens; Obsecro Domine! deliqui ego & domus mea, remitte nunc delicta mea, juxta quod scriptum est in lege, Quoniam in die hac expiabit.

[4] *Duos Hircos.*) Hic Hebræi iterum quædam addiderant scil. ut sint ejusdem coloris, staturæ & pretii, ceu videre est in *Cod. Jomæ cap.* 6. *pag. m.* 127. quibus addit *Bartenor.* Ambo albi, aut ambo nigri. Hoc tamen non ita stricte observatum vid. *Sherigam annot. ad Jom. pag. m.* 129. Communior opinio est, quam refert *Andr. Willet. coment. anglic. in Levit. cap.* 16. *fol. m.* 380. *Hesychius* & alii, quod hirci æquales fuerint. Duos fuisse testatur ipse Deus *Levit.* 12. Et capiet duos hircos. Eadem habentur in *Cod. Menacoth. cap.* 3. *Super hos sors jacta.* Modum sortiendi nobis describunt Judæi in dicto *Cod. Joma. Johannes Stephan. Menoch. lib.* 3. *de Republ. Hebræor. cap* 7. ita ait: *Forsan duas accipiebat chartulas, & uni inscribebat nomen Domini, alteri nomen capri emissarii, mox utramque miscebat positam in urna, indeque unam eductam imponebat uni capro, alteram alteri.* Hebræi in *Masech. cit. c.* 3. ita loquuntur: *Ibat Pontifex ad Orientem atrii & Septentrionem altaris. Ejus Vicepræfectus a dextris, & Præfectus Patrum a sinistris, duo hirci ibi erant & urna, qua duæ sortes buxinæ recondebantur, Filius Gamlæ aureas fecit, quod in honorem ejus commemoratur.* Observandum autem est, sortem trifariam distingui 1. *respectu occasionis seu conditionis*, an scil. sors fiat ob causam seriam, aut ludicram? 2. *respectu materiæ & objecti*; Quædam enim civiles & adhibentur modo in rebus civilibus & externis; Quædam divinæ, in rebus religiosis, ejusmodi sors erat *Matthiæ Act.* 1. 3. 3. *Respectu finis*, vocanturque 1. *decisoriæ vel divisoriæ*, e. g. Terra Canaan dividebatur per sortes 2. *consultatoriæ*, ad conciliandas res dubias. ut *Act.* 1. 3. *divinatoriæ* quæ adhibebantur in perquirendis secretis. v. g. *Josua* hac peccatum *Achan* perquisivit. Sortes quoque superstitiosæ abhibebantur quæ directe contra legem Dei, ut *Deut.* 18. 10. videndum. Contra has quoque Decretum Arausic. *Siquis Clericus divinationem vel auguria crediderit observanda, vel sortes, quas mentiuntur esse San-*

Sanctorum, quibuscunque putaverint intimandas, cum his, qui illis crediderint, ab Ecclesiæ communione pellantur. conc. 2. Arausf. c. 40. Quod attinet primam sortis speciem, quæ adhibebatur in decidendis controversiis & partitione regionis hæc species nondum evanuit. *Proverb.* 18. 18. Verum hæ cautelæ observandæ veniunt 1. ne homines directo & primario ad hoc genus sortis currant, sed omnia prius adhibeant media, quam ad eas deveniant 2. ne homines sorte frivole utantur. Hinc *Origenes* bene loquitur: *Ubi ex fide integra & oratione præmissa sors ducitur, ea, quæ Dei voluntas continet in occulto, sors hominibus declarat in aperto. Hom. 23. in Jos.* Eædem regulæ observandæ erant in sorte consultatoria. v. g. in electione *Saulis, Mattiæ. Act.* 14. 23. Hebræi vocant sortem גורל quod quidam a גרה derivant, i. e. lites miscere & a particula negativa לא non. Ut ita sit ubi lites & rixæ non movendæ. Ab hac Græcum κλῆρος, per metathesin, provenit. Anglicana vox *Lot* descendit ad Hebr. לאט, quod est operire; quia sors res obscura. Quo vero res clarior evadat definitionem adducam, quam *August. conc. 2. in Psalm. 30. q. 2. c.* 1. habet; *sors* (inquit) *non est aliquid mali, sed res est in dubitatione humana divinam indicans voluntatem. Andr. Willet. comment. in Lev. f. m.* 376. ita *Lot is a putting of a doubt full thing to a casual event, in some humane act, Wholly to bee decided hy it, by manifesting of Gods Will therein.* i. e. *Sors est positio rei dubiæ in casualem eventum, in quibusdam humanis actionibus, qua res aut plane finitur, aut voluntas Dei manifestatur.* Tria igitur in hac definitione probe consideranda, *materiale, formale, & efficiens.* Materiale quatuor modis se habebat 1. requirebatur ut res valde dubia esset quæ nullo alio modo, quam sorte decidi posset 2. casualis eventus, alias sors non erat, vid. & *Nicephor l. 16. c.* 18. 3. Ut seipsum casuali eventui exponat, alias multa casualia accidentia dantur, quæ si proposito non respondent, non sortes sunt. 4. Eventus ejusmodi requirebatur homini applicabilis non observato avium volatu. *vid. Andr. Willet. fol. m.* 377. Formale solius Dei erat. *Prov.* 16. 33. Causa efficiens Providentia Dei. Hæc de sorte. Vas in quod sortes jaciebant קלפי Hebræis vocatur, voce Græca retenta. His enim urna sortium κάλπη dicta *conf. Sheringham not. pag. m.* 69. Modum quem Pontifex in ipsa sortitione adhibuit, reliquit nobis *Codex Talmud. Jom.* ubi hæc leguntur verba: In urna sortes huc illucve agitavit, & inde eas eruit, quarum uni לשם, alteri לעזאזל inscriptum erat. Princeps Sacerdotum ad dextram, & Præfectus Patrum ei stabat ad sinistram. Si Sors dextra adscendisset, Princeps Sacerdotum ait; Domine Pontifex, dextram in altum tolle: si sinistra adscendisset, Præfectus patrum dicebat: Dn. Pontifex in altum tolle sinistram tuam. Tenendum hic quoque erit, quid per Principem Sacerdotum intelligatur, legitur d. l. סגן quæ vox generalis, & refertur 1. ad Magistratus civiles, & teste *Elia Lev.* sunt secundi a rege. 2. Refertur ad duces militiæ. *R. Saad Gaon ad Dan.* 3. 2. *Jachiades* existimat equites fuisse, & eodem munere functos, quo hodie Beglerbegi in exercitu Turcarum. 3. Ad Sacerdotes, & is Sagan dicebatur, qui princeps erat gregariorum Sacerdotum, is Sacerdoti magno ministrabat.

[5] *Oraverit pro se & domo sua.*) Pontifex tenebatur pro se & familia sua juvencum offerre, ut imperfectionem Legalis Sacerdotii indicaret. vid. *Ainsworth. in Levit.* 16. *m. fol.* 90. Huic itaque imponebat manus, & peccata sua totiusque familiæ Aaronicæ confitebatur his verbis, quæ ex *Maimonid. in jom. hakippur. c. 4. f.* 1. & *Talmud. Jom. c.* 3. recensent *Ainsworth. l. cit.* & *Guil. Outram. lib.* 1. *cap.* 15. *pag.* 158. 159. de *Sacrif. edit. Amstel.* 1678. Et juxta juvencum piacularem hæc formula erat: *Obsecro Domine, peccavimus, deliquimus, rebellavimus in conspectu tuo ego & familia mea. Obsecro Domine, remitte peccata, delicta & rebelliones, quibus peccavimus, deliquimus & rebellavimus ego & familia mea. Sicut scriptum est in lege Mosis servi tui, ubi dictum est, in hac die expiatio erit vestri, atque mundatio ab omnibus peccatis vestris; coram Domino mundabimini.* Juxta victimam eandem edebat, qua idem Pontifex peccata sua suorumque totiusque familiæ Aaronicæ confitebatur his verbis: Obsecro Domine; peccavimus, deliquimus rebellavimus in conspectu tuo ego familia mea & filii Aaronis populus Sanctus tuus. Obsecro Domine, remitte nunc peccata, delicta, & rebelliones, quibus peccavimus, deliquimus, & rebellavimus in conspectu tuo ego & familia mea & filii Aaronis populus Sanctus tuus &c. conf. *Frischmuth. dissert. de hirco emissar.* §. 2.

[6] *Stare faciet.*) His verbis innuitur, quæ fuerit persona, hæc perficiens, & in Scriptura Sacra exertis verbis Aaron Pontifex Maximus affertur, cui *Talmudici* alios Principes Sacerdotum adjungunt contra Scripturam, unum a latere dextro, alterum a sinistro. Sic enim tradunt in *tract. Jom. c. 3. fol.* 37. *f.* 1. 2. 3. Cum venerit Sacerdos Magnus in partem atrii Orientalem quæ est latus altaris septentrionale, Sagan erat a latere dextro & Princeps familiæ a latere sinistro ejus, ibidemque erant duo hirci nec non capsula. conf. celeb. *Mauritii. tract. de sortit. Hebr. pag. m.* 280. *Henric. Ainsworth. in Levit.* 16. *fol.* 90.

[7] *In ostio Tabernaculi.*) Locus ubi hi duo hirci erant, ostium Tabernaculi. Anglus reddit *doore of Tent.* & *Ainsworth. in Levit.* 8. 3. annotat, *by the doore of Tent is meant the Courtyard of the same, which was before the doore, and all the Court was so called* uti *Salom. Jarch. annotat. in Exod.* 29. *R. Mos. Maimonid. in Jadh. Chass. part. 3. hilk. Jom. Hakkippur. c.* 3. §. ita describit. *Ubinam sortitio fiebat? in parte orientali atrii a parte meridionali altaris, ibidem collocabant urnam, sistebantque duos hircos, quorum facies versa erat erga occidentem & posteriora versus Orientem.* confer. *Henric. Ainsworth. comment. in Levit.*

[8] *Mittensque super utrumque sortem.*) Formam quod concernit, hanc describit celeb. *Maurit. in tract. de sortit. Hebr. pag.* 287. Hoc modo ex *Maimonid.* Pontifex M. concutiebat urnam ut sortes miscerentur, educebatque duas sortes duabus manibus propter duos hircos aperiebatque manus suas. Si sors Dei (cui nomen יהוה erat insignitum) adscendit in dextra ejus: Vicarius dicebat mi Domine Sacerdos Magne, attolle in altum dextram tuam. Sin in manu sinistra adscendit (sors Domini) Princeps familiæ dicebat, mi Domine Sacerdos M. attolle sinistram tuam, tuncque duas sortes seu schedulas imponebat duobus illis hircis, dextram hirco dextro, & sinistræ manus sortem, sinistro. conf. *Joh. Frischm. dissert. de hirco emissar.* §. 2.

[9] *Unam domino & alteram capro emissario.*) Hircis diversis sorte ita notatis, super illo, quem sors לעזאזל tetigerat, peccata populi confessurus Pontifex imposuit non unam manum, uti alias in sacrificiis Eucharisticis, aliisque fiebat, sed geminam.

[10] *Offerat illum.*) i. e. mactet in Sacrificium Deo. Notat autem hic *Salomon Jarchi*, quod cum Pontifex M. illi imposuerit sortem, dixerit *Sacrificium Domino pro peccatis.* Et per hunc Christus intelligitur cujus sanguis ut λύτρον & redemtionis nostræ pretium Deo fuit oblatus: uti refert *Stephan. le Moyne* in Syllog. *var. opuscul. Græc. edit. Lugd. Bat.* 1685. *pag. m.* 640. *Henric. Ainsworth. fol* 90. *celeber* Jacob. *Rhenferd. comparat. expiat. anniversar. Pontif. cum unica expiatione Christi. Cod. Jom. annex. pag. m.* 13. & *edit. Franequer.*

[11] *Fundet preces.*) Formulam harum precum, quæ a Sacerdote Maximo juxta hircum in deserta abducendum die expiationis recitabatur, ex *Maimonide in Jom hakippur. c.* 3. recenset *Outramus lib.* 1. *de Sacrif. cap.* 15. *pag. m.* 159. *edit. Amstel.* his verbis: *Obsecro* Domine, peccavit, deliquit, rebellavit in conspectu tuo populus tuus Gens Israelitica. Obsecro Domine, remitte nunc peccata, delicta & rebelliones, quibus peccavit, deliquit, & rebellavit in conspectu tuo populus tuus, Gens Israelitica. Sicut scriptum est in lege Mosis servi tui, ubi dictum est: In hac die expiatio erit vestri atque mundatio ab omnibus peccatis vestris, coram Domino mundabimini. Quibus precibus ita respondebat populus: Laudetur nomen venerabile regni ejus in sæcula sæculorum.

[12] *Emittet eum in solitudinem.*) Recepta ergo in se peccatorum omnium mole abducere hircum debebat איש vir. Ad quam vocem *R. Maimonid. in comment. ad Misch. monet*: Traditio est, quod Deus, quia

quia voce איש usus est, indicare voluerit, etiam extraneum id perficere potuisse. Et sane vox איש generalis & de extraneo accipi potest, non excluso tamen Israelita; unde *in Mischn. cap. 6. n. 3.* legimus *Arselam Zipporensem Israelitam* duxisse hircum in desertum. R. tamen *Moses Kotzens.* ספר מצות גדול, *Hilkot Jom Hakkippurim fol.* 222. ita ex Mischna loquitur: Postquam super hirco est confessus (scil. Pontifex) tradidit eum alicui, qui eum abduceret. Omnes erant apti ad educendum; Sacerdotes tamen sanxerunt, ne quis Israelitarum abduceret. Dicitur vero non simpliciter איש sed etiam עתי quam vocem *Junius* commodus; *Buxtorffius*, tempestivus reddidit. Syrus גברא דמטביא Arabs מעל *paratus* ad illum. Chald. גבר דזמין למהך *Vir. ad eundum paratus. Lu.* Der furhanden ist. *Michlal Jophi.* Vir paratus ad eundum illuc, qui se sæpius eo confert. Secundum Aben-Ezram non incommode notabitur is, qui ad id destinatus eo officio ordinarie functus est. *Locus* in quem abducebatur itidem exprimitur *vers.* 10. המדברה *in desertum* אל ארץ גזרה in terram abscissionis *vers.* 22. adeoque ut *R. Moses Alschech* fatetur, duplicatur significatio duabus dictionibus. Posteriorem locutionem autor *Michlal Jophi* ita explicat: *quæ neque habitatur, neque germinat* secutus videtur *Chaldæum*, qui exponit, *in regionem inhabitatam. R. Alschech* paulo latius: *Terra abscissa terram extraneam notat, oppositam terræ vitæ. Est illa abscissa, ut ibi submergantur, ne memorentur, & ne visitentur (Jerem. 3. 15.) Atque hoc est, quod Propheta dixit (Mich. 7. 19.) & projiciet in profundum maris.* Quod autem hircus in desertum missus fuerit, seu terram excisam, id deserto spirituali Gentilium optime convenit, qui erant excisi a populo Judaico, separati a familia Israelis, his etiam remissio peccatorum annuntiabatur per Christum (qui hircus emissarius verus est) teste *Stephano le Moyne var. Sacr. tract. pag.* 643. confer. *Jacob. Rhenferd. compar. expiatio. annivers. Pontif. cum unica expiatione Christi Cod. Jom. annexam. pag. m.* 135. *edit. Francq.* ארץ גזרה enim non est regio & plaga, quæ sic denominatur; sed גזרה est nomen appellativum quod denotat excisionem & separationem vid. cit. *Steph. le Moyne pag.* 645.

[13] *Assumtoque thuribulo.*) Addit Codex Joma, quod scil. dextra manu id sumserit, verba hæc sunt. Thuribulum dextra accepit, & cupam sinistra. Hæc vero non intelligenda de thuribulo quod suffimento plenum erat, sed de thuribulo in scamno quarto, sive areola quarta atrii relicto, quod, quia gravius erat, dextra, & cupam, quia levior, sinistra manu ferebat.

[14] *Intra velum.*) Secundum velum intelligit, uti Apostol. ad *Hebr.* 9. 3. vocat & ita in Sanctum Sanctorum. Figurabat ipsum cœlum, ubi Christi preces & mediatio instar incensi coram Deo pro Ecclesia suavissime oleant. *Hebr.* 9. 24. *Revel.* 8. Hic tempore templi secundi Sadducæi culpandi sunt, qui extra velum incensum faciebant, & hoc facto intrabant Sanctum Sanctorum teste *Maimonid. in Jom. Hakkippur. c.* 1. 7. referente, quod suffitus diei expiationis in templo prunis injiciendus sit extra velum, & fumo adscendente, intraverit Sanctum Sanctorum; verum nostri Doctores docuerunt, quod suffitus non factus sit, nisi in Sancto Sanctorum coram arca, uti scriptum *Levit.* 16. 13. Hinc valde solliciti erant in templo secundo, ne Pontifex Sadducæorum morem arriperet; quare juramento obstringebant eum vespere diei expiationis a Synedrio missi, dicentes. *Jurabis in nomine hujus qui habitat in hac domo, ne mutes aliquid in his, quæ dicturi sumus.* Ex his colligitur, thus illud sacrum Sadducæorum sectam extra velum incendisse. Ne itaque hunc morem observaret Pontifex, admonebatur a Synedrialibus, qui adjurabant eum, docente *Gemara Hierosolymit.* & dicebant: *Domine Sacerdos magne, nos legati sumus Synedrii magni, & tu legatus noster & legatus Synedrii magni: adjuramus te per eum, cujus nomen habitat in hoc templo, quod non mutabis quicquam ex omnibus istis, quæ diximus.*

[15] *Nebula operiat oraculum.*) Reddit Codex Joma: ut tota domus repleta esset fumo. Fumus qui a suffimento incenso in die expiationis adscendebat nubes vocatur. *Levit.* 16. 2. Quia in nube conspiciar supra propitiatorium. Fumum nubem vocari quoque non est inusitatum *Virgil. æneid.* 3.

--- Horrificis juxta tonat Ætna ruinis.
Interdumque atram prorumpit ad æthera nubem,
Turbine fumantem piceo, & candente favilla!

[16] *Tollet de sanguine vituli --- ad Orientem.*) Omnia Deus sub veteri lege sanguine purgari voluit, ut sanguis victimarum sanguinis Christi typus esset. vid epistol. *Paul. ad Hebræos. c.* 9. 19. 20. 21. 22. Habuerunt etiam *Gentiles* suas expiationes, quæ non sanguine quidem sed aliis rebus fiebant, veluti sulphure, & igne. *Lucianus in Phil.* In agrum mane profectus, cum septem quædam sacra nomina ex vetusto libro recitasset, sulphure & face locum expians, ter se in gyrum vertens, serpentes omnes qui in ea erant regione adduxit. Interdum *sulphure & igne & ovo. Apul. l.* 11. *Metamor.* Ibidem simulacris rite dispositis, navem affabre factam, picturis miris Ægyptiorum variegatam Summus Sacerdos teda lucida, & ovo & sulphure solennissimas preces de casto præfatus ore, quam purissime purificatam Deæ nuncupavit dedicavitque. De lustrationibus *Gentil.* vid. *potest. Edorad. de relig. Gentil. pag. m.* 196. *Geus. de Victimis humanis.* Sumto sanguine contra propitiatorium spargebat. Sacerdos enim teste *Codic. Joma* non intuebatur propitiatorium, neque opus erat, cum sanguis, ut in Gemara traditur, in terram lapsus sit, & ad propitiatorium non pervenerit. *Bartenora* eadem refert verba. Si igitur hæc vera, vitiosa est *versio Anglicana*, qua asseritur iussisse Deum ut Sacerdos magnus ipsum propitiatorium sanguine tingeret. *And he shall take of the blood of the bullok and sprinkle it With his finger upon the mercy-seal Gast-Ward.* Repugnat igitur huic versioni praxis Judæorum, si Talmudici vera narrant. *Joseph. lib.* 2. *antiq. c.* 10. affirmat: Sacerdotem magnum septies pavimentum totiesque tectum Tabernaculi digito sparsisse nulla propitiatorii facta mentione: plura de hoc ritu habet *Sheringham. annot. ad* Cod. *Jom. pag. m.* 112. Ne vero actum agere videar Lectorem ad disputat. D. *Joan. Frischmuthi* remitto, ubi plura de hac materia reperiet.

[17] *Septies.*) Numerus hic perfectionem significat; quia per sanguinem Christi perfecta purgatio a peccatis facta. Cum autem numerus hic tam de sparsione sanguinis juvenci, quam hirci dicatur; hinc concludere possemus ingressum Pontificis Maximi aliquoties repetitum, uti *Grotius*, *Quistorpius*, *Osiander* asserunt, quibus adstipulatur *celeberr. Dassovius de Repub. literaria optime meritus in Colleg. MS. antiquit. Hebr.* 5. 4 & 5. cujus verba recensere non pigebit: factoque suffitu exibat, acceptumque juvenci sanguinem ab eo, cui dederat, in Sanctum Sanctorum deferebat, ac inter vectes arcæ ad propitiatorium octo vicibus digito aspergebat, semel sursum ac septies deorsum, aspersionesque numerabat dicendo semel & bis, semel & ter &c. juxta *Maim.* de die *expiat. c.* 4. & *Mischn. de die expiat. c.* 4. & 5. vid. *Robert Sheringham. not. ad Cod. Jom. edit. Franeq.* His peractis ministeriis Sacerdos Summus hircum pro peccato Ecclesiæ oblatum, qui expiabat omnia peccata contra legem tam levia, quam gravia, tam ex ignorantia, quam proæresi commissa &c. mactabat, & sanguinem ejus in Sanctum Sanctorum delatum aspergebat octo vicibus inter vectes arcæ ad propitiatorium eodem modo &c. Verum ex diversa sanguinis aspersione non potest evinci, diversos fuisse ingressus. Nec illatio sanguinis hirci pro peccatis populi erat diversa ab illatione vituli pro Summo Sacerdote ejusque familiæ delictis, sed utraque simul cum suffitu aromatum fiebat. Poterat enim S. Sacerdos sanguinem hirci & juvenci distinctis vasculis exceptum simul inferre, uti probat cl. *Weimar. in dissert.* de suffit. vide. etiam *Frischmuth. dissert. de hirco emissar. Jen. anno* 1666. *habitam.* conf. *Ainsworth. Comment. in Lev. c. l.*

[18] *Nullus hominum.*] Neque ex Sacerdotibus neque ex populo; Solus Summus Sacerdos hoc munere fungebatur in conspectu Dei qui præfigurabat nostrum Pontificem Summum Christum, cui Deus omnia nostra peccata imposuit. *Esa.* 53. confer. 1. *Petr.* 2. 24. *Hebr.* 1. 3. *Col.* 1. 20. *Ephes.* 1. 8. 10.

[19] *Sanguinem hirci atque vituli.*) Ritum hunc

hoc modo cape. Postquam Sacerdos Summus Sanctum Sanctorum debito ritu expiasset, sanguinem juvenci & postea sanguinem hirci sumebat, ut Tabernaculum conventus expiaret. Sanguinem itaque juvenci in sanguinem hirci effundebat teste *Codic. Jom. cap.* 5. *pag. m.* 59. *edit. Franeq.* & pateram plenam in vacuam remittebat vid. not. *Sheringh. ad l. c. pag.* 60. Sanguine commixto altare aureum circum circa cornua aspergebat incipiendo a cornu orientali australi & ita ad omnia cornua alia progrediendo aspersionesque eodem modo ut supra numerando perficiebat. Quibus expeditis cineres altaris aurei hinc inde dimovebat, ut aurum appareret, quod 7. vicibus in latere aquilonari sanguine commixto aspergebat & denique reliquias sanguinis ad basin altaris exterioris effundebat, uti pluribus verbis recenset *Sheringham in not. cit. pag.* 61. 62. 63. conf. *Ainsworth. ad Levit.* 16.

[20] *Revertetur Aaron.*) Ritibus his peractis hircus emissarius emittebatur in desertum, & membra seu viscera juvenci pro peccato ut & hirci, quorum sanguis in Sanctum Sanctorum delatus erat, vasi Sacerdos Summus imponebat, ut in altari offerrentur, cæteris membris in locum cinerum rejectis, ut extra castra comburerentur. Deinde Sacerdos Summus in atrio mulierum pergebat, & ibi vel vestibus byssinis vel aliis albis legebat Scripturam donec hircus emissarius in desertum venisset. Videatur *Sheringhamius in not. ad Codic. Jom. cap.* 7. *pag. m.* 78. 79. *edit. Franequer.* seq. Tradebatur autem ipsi liber legis a Vicario ipsius, qui illum ab Archisynagogo per manum Ecclesiæ ministri acceperat, & in eo præsente populo sectiones *Levit. cap.* 16. & 23. legebat, ac librum suum in sinum deponebat (unter den gürtel so umb leib herumb ging) ac quæ *Num.* 29. 7. *seqq.* habentur, memoriter recitabat & septem benedictiones adjungebat, nempbenedictionem super datam legem, super ministerium Israeli concessum, super confessionem accipiendam, super remissionem peccatorum dandam, super Sanctuarium & super Sacerdotes, ut Deo placerent & eorum Sacrificia acciperet, ac denique benedictionem super orationem reliquam, qua Deum laudabat, ut preces exaudiret, quibus lectionibus & benedictionibus durantibus juvencus pro peccato & hircus pro peccato comburebantur extra castra, ut qui combustionem intueri cuperent, lectiones illas audire non possent; juxta *Maimonid. de die expiat. cap.* 3. & 4. & *Mischn. c.* 5. 6. 7. confer. *Sheringham. loc. cit.*

[21] *Relictisque.*) Vestibus die expiationis usis non nisi semel usus Pontifex per totam vitam, sed sequenti anno aliæ & plane novæ debebant adhiberi. Fuerunt quidem nonnulli, qui crediderunt, vestes albas Pontificis Maximi finito ministerio magnæ expiationis, postea potuisse geri ab aliquo Sacerdote inferiori, in qua sententia erat Doctor *Dose Cod. Jom. cap.* 3. At ille mox impugnatus fuit ab aliis, qui statuunt, vestes illas omnino nulli usui amplius fuisse, sed eas alicubi in templo absconditas remansisse, quod probare conantur ex *Levit.* 16. & *relinquet eas ibi*: ad quæ verba commentantur *Gemarici*: Et relinquet eas. *Hinc discimus* eas debuisse *abscondi. Doctor Dose dicit, aptæ sunt ut gestarentur ab aliquo Sacerdote totius ordinis, sed Scriptura dicit*: Et relinquet eas *: ut in iis non ministret alio die expiationis.* Eadem reperies Massechet *Kerithoth. cap.* 1. & apud *Maimonid.* Videatur *Jarch. ad Levit.* 16. confer. & celeb. *Braun. lib.* 2. *cap.* 25. *pag. m.* 857. De vestitu Sacerdot. Hebr.

CAPUT DECIMUMTERTIUM.

De oblatione incensi.

PRæter Sacrificia vero quæ diximus, erat etiam quotidiana oblatio incensi in altari thymiamatis; & hæc vero cujusmodi fuerit, explicabitur, primum quæ in lege, deinde quæ extra legem reperiuntur, allatis. Exodi XL. *Candelabrum stabit cum lucernis suis, &* [1] *altare aureum, in quo* [2] *adoletur incensum coram Arca Testimonii. Posuit & altare aureum sub tecto Testimonii contra velum, & adolevit super eo incensum aromatum*; & XXX. ubi agitur de altari thymiamatis constituendo: *Et adolebit incensum super eo Aaron suave fragrans mane.* [3] *Quando componet lucernas, incendet illud; & quando collocabit eas ad vesperam, uret thymiama sempiternum coram Domino in generationes vestras.* Quo modo vero, & ex quibus aromata fierent, supra ostendimus, cum de Tabernaculo disseruimus. Hæc in Lege. Nunc quæ extra Legem. Secundo primi Regum: *Elegi Aaron ex omnibus tribubus Israel mihi in sacerdotem, ut adscenderet ad altare meum, & adoleret mihi incensum*; & nono tertii: *Offerebat Salomon ter quotannis Holocausta, & pacificas victimas super altare quod ædificaverat Domino, & adolebat thymiama coram Domino.* XXII. *Adhuc populus adolebat incensum in Excelsis*; & VI. primi Paralip. *Aaron, & filiis ejus adolebant incensum super altare thymiamatis in omne opus Sancti, & sanctorum*; & XXVI. secundi: *Cum roboratus esset Ozias rex Judæ, elevatum est cor ejus in interitum suum, & neglexit Dominum Deum suum; ingressusque templum Domini adolere voluit incensum super altare thymiamatis. Statimque ingressus est post eum Azarias sacerdos, & cum eo sacerdotes Domini octoginta restiterunt regi, atque dixerunt: Non est tui officii Ozia, ut adoleas incensum Domino; sed sacerdotum, hoc est filiorum Aaron, qui consecrati sunt ad hujuscemodi ministerium. Egredere de Sanctuario ne contemseris, quia non reputabitur tibi in gloriam hoc a Domino Deo. Iratusque Ozias, & tenens in manu thuribulum, ut adoleret incensum, minabatur sacerdotibus, statimque est orta lepra in fronte ejus coram sacerdotibus*; & XXIX. *Patres vestri reliquerunt Deum, incensum non adoleverunt & holocausta non obtulerunt in Sanctuario Deo Israel*; & Isaiæ primo: *Holocausta arietum nolui, incensum*

abo-

abominatio est mibi. Quibus adjici quoque potest locus S. Lucæ insignis : *Cum sacerdotio fungeretur Zacharias in ordine vicis suæ ante Deum secundum consuetudinem sacerdotii, sorte exiit, ut incensum poneret ingressus in templum Domini, & omnis multitudo populi erat foris orans hora incensi*. De oblatione vero thuris sic diserte tradidit Philo in libro de sacrificantibus: *Lex jubet duo poni altaria, materia, loco, usuque differentia. Alterum enim e saxis collectitiis impolitis exstruitur in atrio juxta templi vestibulum ad immolandas victimas. Alterum vero aureum situm est post primum velum in penetralibus, nemini conspicuum, nisi sacerdotibus functionis suæ tempore castitatem servantibus, quod factum est adolendis odoribus. Unde liquet, micam thuris oblatam ab homine pio, Deo gratiorem esse multis hostiis, si offerenti non adsit probitas. Quanto enim aurum præstat lapidibus, & adytum vestibulo, tanto acceptior est suffitus gratiarum actionis, quam mactata victima. Ideo non solum materiæ pretio, artificum opere, sanctitateque loci ara hæc augusta facta est, sed & hoc, quod apud eam quotidie sacra exordium sumunt a gratiarum actionibus. Non est enim fas immolare foris, priusquam intus summo mane suffitus factus sit. Quo significatur nihil aliud, nisi Deum non delectari victimarum multitudine, sed offerentis bona mente, ac spiritus puritate*.

NOTÆ AD CAPUT DECIMUMTERTIUM.

[1] *Altare aureum*.) Quæritur hic, ubi altare hoc suffitus fuerit collocatum? *Origenes homil. 9. in Exod. & 2. in Levit. Augustin. qu.* 133. 136. 137. *in Exod. & Rupert. lib. 4. in Exod. cap.* 9. aliique putant, hoc altare intra Sanctum Sanctorum ante arcam fuisse positum. Contrarium autem statuunt, *Theophyl. in Hebr. 2. Beda lib. 3. de Tab. c. 11. & 12. Cornel. a Lapid. in Exod. fol. 600. Walther. in Harmon. Bibl. pag.* 229. & 1279. *Varen. Decad. Mos. in Exod. pag.* 420. & 421. *Osiand. Comment. in Exod. pag.* 305. *&* 306. aliique quamplurimi. Horum sententiam clara scripturæ dicta confirmant, expresse enim vers. 6. jubetur poni *ante velum quod erat ante arcam testimonii*. Nec obstant verba *ante propitiatorium*, quod *est super testimonium*, quæ in eodem versu subsequuntur. Hoc etiam luculentissime videre est ex divina ordinatione, secundum quam Tabernaculum erigebatur *Exod.* 11. Primum enim arca cum Propitiatorio ponebatur in S. Sanctorum, Parochet seu aulæo interiori id terminante *vers.* 2. 3. Deinde post Parochet locabatur mensa cum panibus propositionis, candelabrum cum lucernis suis & altare thymiamatis, hocque locandum לפני ארן העדת ante arcam testimonii, (intercedente scil. סכת הפרכת *v.* 2.) & medium locum inter candelabrum & mensam obtinebat juxta *Josephum lib. 3. Antiq. c.* 7. Postea velum etiam hic appendebatur, per quod Sanctum hoc ab atrio distinguebatur *v.* 4. *&* 5. Tandem post hoc secundum tegmen erigebatur altare holocausti &c. Adeoque tria distincta vela dabantur 1. *Atrii*. 2. *Sancti*. 3. *Sancti Sanctorum*; & altare thymiamatis immediate erat ante *Parochet* vel ostium Sancti Sanctorum, & adeo velo saltem intercedente erat ante arcam & Propitiatorium. Unde patet qua ratione coram propitiatorio & arca fœderis hic fuisse dicatur, uti pluribus & fuse ostendit cl. *Weimar* in differt. de suffit. confer. celebr. *Wits. Miscell.* In hoc altari nil præter suffitus offerebatur Deo. Vid. *Hotting. in jur. Hebr. pag.* 132. Quod si Sacerdos quicquam præter suffitum obtulit, reus erat flagellationis.

[2] *Adoletur incensum*.) Hic despiciendum nobis est, quo loco altare suffitus fuerit collocatum? *Origenes homil. 9. in Exod. & 9. in Levit. Augustin. quæst.* 133. 136. 137. *in Exod.* & *Rupert.* in *lib. 4. in Exod. cap.* 9. Aliique putant, hoc altare intra Sanctum Sanctorum ante arcam fuisse positum. Contrarium statuunt, *Theophyl. in Hebr. 9. Beda lib. 3. de Tab. cap. 11. & 12. Cornel. a Lapid. in Exod. pag. 600. Walther. harmon. Bibl. pag.* 229. & 1279. *Varen. Decad. Mos. in Exod. pag.* 420. & 421. *Osiand. Comment. in Exod. pag.* 305. Aliique quamplurimi. Horum sententiam clara dicta Scripturæ confirmant. *Exod.* 30. 6. Nec obstant verba לפני הכפרת אשר על העדת *ante propitiatorium, quod est super testimonium*. Verum enim dicente *Varenio* fuit לפני הכפרת sed mediante הפרכת post quod פרכת proximum fuit cum arca testimonii propitiatorium: unde הפרכת dicitur fuisse על ארן העדת altare autem לפני פרכת & hoc mediante לפני הכפרת. Id quod luculentissime videre est ex divina ordinatione, secundum quam Tabernaculum erigebatur. *Exod.* 40. Primum enim arca cum propitiatorio ponebatur in S. Sanctorum, Parochet seu aulæo interiori id terminante vers. 2. 3. Deinde post Parochet locabatur mensa cum panibus propositionis, candelabrum cum lucernis suis & altare thymiamatis, hocque locandum לפני ארן העדת *ante arcam testimonii* (intercedente scilicet סכת הפרכת v. 3.) & medium locum inter candelabrum & mensam obtinebat juxta *Joseph. lib. 3. antiq. cap.* 7. Postea velum etiam hic appendebatur, per quod Sanctum hoc ab atrio distinguebatur *vers. 4. &* 5. Tandem post hoc secundum tegmen erigebatur altare holocausti & labrum æneum & iterum prætendebatur velum quod esset *porta atrii v. 9. &* 7. Adeoque tria distincta dabantur vela, 1. *atrii*, 2. *Sancti*, 3. *Sancti Sanctorum*. Ubi simul probe observandum venit, quod sicuti altare holocausti immediate fuerit ante ostium seu aditum Sancti, ita altare thymiamatis immediate fuerit ante *Parochet* vel ostium Sancti Sanctorum & adeo velo saltem intercedente ante arcam & propitiatorium. Unde patet, qua ratione coram propitiatorio & arca fœderis hic fuisse dicatur; Hinc argumenta contradicentium facile solvi possunt, inter quæ palmarium desumtum est ex *Hebr.* 9. 4. legitur Sanctum Sanctorum habuisse χρυσοῦν θυμιατήριον. Hoc Syrus vertit בית בסמא *Domum aromatum*. Intelligunt autem fautores hujus sententiæ per θυμιατήριον θυσιαστήριον θυμιάματος, uti in hoc significatu *Josephus* utitur *lib. 3. Antiquit. cap. 7. & lib. 6. bell. cap.* 6. scilicet si etymon spectatur, suffumigatorium sonat, quod quidem tam de thuribulo proprie dicto, quod Hebræi מקטרת Germ. Rauchfaß vocatur; quam etiam de altari suffitus accipi potest. Hic autem χρυσοῦν θυμιατήριον arulam fumigatoriam significare nequit, cum constet, illam sitam fuisse ante *Parochet*. plura qui desiderat, evolvat, *Harmon. Bibl. Walther. & Cornel. a Lapid. & Osiand.* In hoc altari nil aliud præter suffitum Sacerdos offerre Deo debebat. Unde *Joh. Henr. Hottinger. in jure Hebr. pag.* 132. *ex Rabb.* sequentia adfert: *Non esse offerendum super altare aureum templi quicquam aliud, quam suffitum quotidianum præter aspersionem sanguinum ab uno die expiationum ad alterum, q. d. Ne offeratis in eo suffitum externum & holocaustum*. Vid. celeberr. *Herm. Witsii Miscell. Sacr.*

[3] *Quando componet lucernas incendet illud*.) Bis quotidie odoramenta Sacra incendebantur, בקר בקר *mane mane*, seu *singulo mane* vel ut *Philo* explicat, *summo mane*, quod e geminatione innuere videtur. בהיטבו את הנרת in bonificando lucernas i. e. quando scilicet ab illis Sacerdos, quicquid immunditiarum oleum & ellychnium noctu contraxerat, removebat, & בין הערבים *inter duas vesperas* seu vesperæ lucem duplicem, quarum una declinationis Solis, alte-

altera accedentium tenebrarum noctis. A tempore quo Sol incipit declinare a meridiano, est vespera una, quod accidit hora sexta diei Judaici aut ipsa meridie, & post occasum solis, altera est. Communiter tamen בין הערבים exponit pro luce occidentis Solis, & obscuro lumine ad occultatum Solem, quod vocamus crepusculum. *Targum* בין שמשיא inter Soles, Rabbini בין השמשות inter solarium tempus communiter exprimunt *Buxtorff. in Lexic.* Sub Vesperam igitur fragrantissima hæc aromata adolebantur בהעלת את הנרת *in faciendo accendere lucernas* h. e. quando lucernæ sub vesperam accendebantur. Tres enim semper per integrum diem luxisse, reliquas vero quatuor sub crepusculum accensas fuisse *Josephus* tradit *lib. 3. antiq. cap. 6.* inquiens: *Oportebat* bis in die suffitum facere aute ortum & circa occasum solis, & oleum purificatum ad lucernas servare, quarum tres in sacro candelabro per totam diem Deo lucebant, reliquæ sub vesperam accendebantur. Atque ita hora suffitus fuit mane vel sub ortum solis & statim post occasum vesperæ, deditque suffitus matutinis Sacrificiis primordium, vespertinis vero terminum imposuit. vid. plur. cl. *Weimar. dissert. de suffitu aromatico* §. 3. confer. *Scheringham. not. ad Cod. Jom. pag. m. 29. edit. Franequer. annot. Arnold. ad Codic. Tamid. cap. 3. edit. Franequer.* Modum autem breviter sic describemus: Primo ibat Sacerdos ad aram holocaustorum, e cujus cornibus dependebant thuribula igniumque receptacula *Exod.* 27. Indeque sumebat thuribulum atque in illud prunas ignis ex altari holocaustorum imponebat. Aliunde enim carbones vivi non erant sumendi. Quapropter *Nadab* & *Abibu* flamma Domini devoravit *Levit.* 1. quod ignem alienum, non divinum in thuribulis suis coram Domino attulerant: Huic igitur igni cœlesti ac sacro Sacerdos aromata injiciebat, jussus prius ab *Antistite* quodam Sacerdote teste *Maimonid. Hal. Temid. cap.* 3. 9. Nec populo Judaico tempore suffitus in templo manere licebat, sed foris stabat. Cum autem thymiama consummatum esset, tollebat Sacerdos thuribulum, atque egrediens extra castra illud evacuabat, cineresque loco mundo effundebat, ac denique referebat thuribulum ad altare holocaustorum. Novi autem semper accedebant Sacerdotes ut sortiantur ad suffiendum. vid. Cod. *Tamid. cap.* 5. §. 2. *&* *annot. Arnoldi*. Inter alios etiam videndus *Saubert. de Sacrific. cap.* 24. *pag. m.* 642. 643.

CAPUT DECIMUMQUARTUM.

De Donis Sacris.

HActenus de Sacrificiis. Nunc [1] de donis sacris agamus. Quæ in hoc diversa a Sacrificiis fuerunt, quod in Sacrificiis oblationes aut ex toto, aut ex parte consumtæ sunt, in donis integræ atque illesæ servatæ sunt. Hæc vero aut ex Lege, aut ex voto, aut ex pura voluntate data sunt. Unde illud est Numerorum XXIX. *Hæc offeretis Domino in solennitatibus vestris, præter vota, & oblationes spontaneas.* Ex lege, ut primitiæ, decimæ, & pecunia sacra, de quibus in universum Deuteronomii XII. *Non facietis ita Domino Deo vestro: sed ad locum quem elegerit Dominus Deus vester de cunctis tribubus vestris, ut ponat nomen suum ibi, & habitet in eo, venietis, & offeretis ei loco illo holocausta, & victimas vestras, & decimas, & primitias manuum vestrarum, & vota, atque donaria primogenita boum & ovium.*

NOTÆ AD CAPUT DECIMUMQUARTUM.

[1] *De donis sacris agamus.*) Quot dona fuerint sacra, docet *Maimonides in Biccurim cap.* 1. *sect.* 1. cum ita scribit: Viginti quatuor erant dona, quæ sacra erant & Deus Sacerdotibus dare jusserat, quæ omnia in lege expressa sunt, & omnes concernunt, qui ad Aaronem pertinebant. Quicunque igitur comedit donum in quo Sanctitas, benedicit Deo, qui sanctificavit illud sanctitate Aaronis & mandavit illi hoc vel illo modo comedere. Octo horum donorum dona Sacerdotibus nullibi comedere licebat, quam in Sanctuario in ipso atrio. Quinque autem dona non edebant nisi in urbe Jerusalem intra muros civitatis. Et quinque non nisi in terra Israelis comedere licebat. Quinque autem tam intra quam extra terram comedere permissum erat. Unum tantummodo licebat a Sanctuario. Octo dona quæ nullibi quam in Sanctuario comedere licitum erat, hæc erant 1. caro Sacrificii pro peccatis, sive sint aves sive bestiæ. *Levit.* 6. 25. 26. 2. Caro Sacrificii pro delictis. *Levit.* 7. 16. 3. *Pacifica congregationis*. *Levit.* 7. 18. & 23. 19. 20. uti *Maimon. in tract. de oblat. c.* 9. *sect.* 3. testatur. 4. reliquiæ *Homeri agitationis Levit.* 23. 10. *Maimonid. in Tamidin. c.* 7. & *Talmud Babylon in Menachot cap.* 10. 5. Reliquiæ muneris Israelitarum *Levit.* 6. 16. Duo panes agitationis. *Maimonid. in Tamidin. cap.* 8. *sect.* 3. 10. 7. Panes propositionis *Levit.* 24. 9. 8. Log olei leprosi *Levit.* 14. 10. *Maimon. in Mechosrei capporah. cap.* 4. & *Talmud. Babyl. in Negaim. cap.* 14. *sect.* 7. Sequuntur nunc alia *quinque Dona*, quæ comedere nefas erat, nisi in urbe Hierosolyma, quorum 1. erat pectus & armus in Sacrificiis Eucharisticis *Levit.* 7. 24. *Maim. de oblat. Sacrif. cap.* 10. *sect.* 6. 7. 8. 2. Sacrificium elevationis, confessionis, *Levit.* 7. 12. 14. seu gratiarum actionis. 3. Sacrificium agitationis & elevationis arietis Nazaræorum. *Num.* 6. 17. 20. 4. Primitiæ omnium mundorum pecorum & frugum *Num.* 18. 15. & *v.* 13. Hæc Sacrificiorum dona non nisi in urbe Hierosolyma edebantur, uti asserit etiam *Maimonid. in Biccurim. cap.* 1. *s.* 2. Hæc quinque Dona tantum pertinebant ad terram Israeliticam 1. Sacrificium agitationis & elevationis primitiarum *Num.* 18. 12. 2. Sacrificium agitationis decimarum *Num.* 18. 28. *Caskun in h. l.* 3. primitiæ massæ collyræ. *Num.* 15. 20. *Maim. in Biccur. cap.* 8. *sect.* 1. 2. 5. & hæc tria sancta erant. 4. Primitiæ vellerum ovium *Deut.* 18. 4. *Maim. in Biccur. cap.* 10. 5. agri & prædia possessoria *Num.* 35. & hæc duo communia erant. Quinque Dona Sacerdotibus quovis loco licita erant 1. Donum bestiæ mactatæ ubi pectus & armus Sacerdotibus erant *Deut.* 18. 4. 2. Redemtio primogeniti. *Num.* 18. 15. 3. Primitiæ asini *Exod.* 34. 20. *Num.* 18. qui redimebatur agno sive ex ovibus vel capris, & ille agnus sit vel masculus, vel fœmella juxta Hebræorum sententiam vitiosus vel perfectus. *Maim. tr. de primit. cap.* 12. *Sect.* 10. 4. Restitutio illius quod rapina extraneo erat ablatum. *Num.* 5. 5. 5. Omnia devota *Num.* 18. 14. Hæc quinque Dona quovis respectu com-

munia erant, Donum ob Sanctuarium illis conveniens erant pelles holocaustorum *Levit.* 7. 8. Dona, quorum & mulieres participes fiebant, quinque erant. 1. Sacrificium agitationis primitiarum. 2. Sacrificium agitationis decimarum. 3. Collyræ. 4. Dona pecorum Deut. 4. 3. 5. primitiæ vellerum. Maim. in *Biccur. cap.* 1. *f.* 1.

CAPUT DECIMUMQUINTUM.

De Primitiis & Decimis.

[1] PRimitiæ porro dictæ quæ cuique primo sive [2] ex animalibus, sive [3] ex hominibus, sive [4] ex semine terræ orta sunt. [5] Decimæ omnium fructuum, quos singulis annis e terra & pecudibus eliciebant, pars decima. Primitivæ vero sive ex lege, sive ex voto oblatæ, usui sacerdotum cedebant.

De primitiis Legis sic præcepit Deus Exodi XXII. *Primitias tuas non tardabis reddere. Primogenitum filiorum tuorum dabis mihi. De bobus quoque & ovibus similiter facies. Septem diebus sit cum matre sua, die octava reddes illum mihi*; & sequenti: [6] *Primitias frugum terræ tuæ deferes in domum Dei tui*; & Numerorum V. *Omnes primitiæ quas offerunt filii Israel, ad sacerdotem pertinent, & quidquid in Sanctuarium offertur a singulis, & traditur manibus sacerdotis, ipsius erit.*

De votivis autem primitiis Deus loquens ad Aaron & Levitas, sic XVIII. dixit: *Primitias, quas voverint, & obtulerint filii Israel, tibi dedi, & filiis tuis, & filiabus tuis jure perpetuo. Qui mundus est in domo tua, vescetur ex eis omnem medullam olei, & vini, & frumenti quidquid offerunt primitiarum Domino, tibi dedi; & universa frugum initia, quæ gignit humus, & Domino deportantur, cedent in usus tuos. Qui mundus est in domo tua, vescetur ex eis. Omne quod ex voto reddiderint ut filii Israel, tuum erit.* Docuit inde, ut primogenita hominum, & animalium immundorum redimerentur, boum vero, ovium, & caprarum, non item: *Quidquid*, inquit, *primum erumpit e vulva cunctæ carnis quam offerunt Domino, sive ex hominibus, sive de pecoribus fuerit, tui juris erit, ita duntaxat, ut pro hominis primogenito pretium accipias, & omne animal quod immundum est, redimi facias. Cujus redemtio erit post unum mensem, siclis argenti quinque, pondere sanctuarii, siclus viginti obolos habet. Primogenitum autem bovis, & ovis, & capræ non facies redimi, quia sanctificata sunt Domino, sanguinem tantum eorum fundes super altare, & adipes adolebis in suavissimum odorem Domino, carnes vero in usum tuum cedent, sicut pectusculum consecratum, & armus dexter, tua erunt.* Fuit etiam dies festus, in quo messis primitiæ ex Lege offerebantur. De quo supra diximus.

[7] De decimis porro hæc in Lege comperimus, primum, ut Deo offerantur; deinde, ut ad usum sacerdotum traducantur. Exodi XXII. *Decimas tuas non tardabis reddere.* Levitici XXVII. *Omnes* [8] *decimæ terræ sive de pomis arborum, sive de frugibus, Domini sunt, & illi sanctificantur.* [9] *Omnium decimarum bovis, & ovis, & capræ, quæ sub pastoris virga transeunt, quidquid decimum venerit, sanctificabitur Domino.*

Cæterum S. Hieronymus super Ezechielem quatuor genera decimarum elicit ex verbis Legis; unam, quam [10] populus Levitis dabat; alteram, quam ex suis decimis Levitæ dabant sacerdotibus: de quibus ambabus scribi inquit Numer. XVIII. *Præcipe Levitis, atque denuntia. Cum acceperitis a filiis Israel decimas quas dedi vobis, primitias earum offerte Domino, id est decimam partem decimæ, ut reputetur vobis in oblationem primitivorum tam de areis, quam de torculari, & de universis quorum accipitis primitias, offerte Domino, & date Aaron sacerdoti, omnia quæ offeretis ex decimis, & in donaria Domini separabitis, optima & electa erunt cuncta.*

Tertium inde genus decimæ fuit (inquit ille) [11] quam unusquisque de populo Israel in suis horreis separabat, ut comederet eam proficiscens ad Templum in vestibulo ejus, & Sacerdotes ac Levitas invitaret ad convivium; de qua Deuteronomii XIV. *Decimam partem separabis de cunctis fructibus tuis qui nascuntur in terra per annos singulos, & comedes in conspectu Domini Dei tui, in loco quem elegerit ut in eo nomen ejus invocetur, decimam frumenti tui, & vini, & olei, & primogenita de armentis & ovibus tuis, ut discas timere Dominum Deum tuum omni tempore.* [12] *cum autem longior fuerit via, & locus, quem elegit Dominus Deus tuus, tibique benedixerit, nec potueris ad eum cuncta portare, vendes omnia, & in pretium rediges, portabisque*

manu

manu tua, & proficisceris ad locum quem elegerit Dominus Deus tuus, & emes ex eadem pecunia quidquid tibi placuerit, sive ex armentis, sive ex ovibus, vinum quoque, & siceram, & omne quod desiderat anima tua, & comedes coram Domino Deo tuo, & epulaberis tu, & domus tua, & Levita qui intra portas tuas est. Cave ne derelinquas eum, quia non habet aliam partem in possessione tua.

Eandem vero præceptionem supra XII. quoque capite posuerat, inquiens: [13] *Ad locum quem elegerit Dominus, omnia quæ præcipio, conferetis holocausta, & hostias, & decimas, & primitias manuum vestrarum, & quidquid præcipuum est in muneribus quæ vovistis Domino. Ibi epulabimini coram Domino Deo vestro, vos, ac filii ac filiæ vestræ, famuli & famulæ, atque levitæ, qui in urbibus vestris commorantur, neque enim habent aliam partem & possessionem inter vos*; & ibid. post: *Non poteris comedere in oppidis tuis decimam frumenti, & vini, & olei tui, sed coram Domino Deo tuo in eo loco quem ipse elegerit*; & Tobiæ primo: *Pergebat in Hierusalem ad templum Domini, & ibi adorabat eum, omnia primitiva sua, & decimas suas fideliter offerens, ita ut in tertio anno proselytis & advenis ministraret omnem decimationem*. Sunt tamen qui a S. Hieronymo dissentiant, & [14] tertiam hanc decimam eandem esse cum prima contendant: licitum autem fuisse ex prima decima aliquid sumere, & cum Levitis in templo epulari.

Quarta vero decima fuit, quæ non singulis annis, sed tertio quoque recondebatur ad pauperes sustinendos; de qua Deuteronomii XIV. *Anno tertio separabis aliam decimam ex omnibus quæ nascuntur tibi eo tempore, & repones intra januas tuas. Venietque Levites, qui aliam non habet partem, nec possessionem tecum, & peregrinus, ac pupillus, & vidua, qui intra portas tuas sunt, & comedent, ac saturabuntur, ut benedicat tibi Dominus Deus tuus in cunctis operibus manuum tuarum quæ feceris*; item cap. XXVI. *Quando compleveris decimam cunctarum frugum tuarum, anno decimarum tertio dabis Levitæ, & advenæ, & pupillo, & viduæ, ut comedant intra portas tuas, & saturentur.*

Hæc in Lege. Post Legem inde eadem observata sunt; ut XXXI. secundi Paralip. *Præcepit Ezechias rex populo habitantium Hierusalem, ut darent partes Sacerdotibus & Levitis, ut possent vacare legi Domini. Quod cum percrebuisset in auribus multitudinis, plurimas obtulere primitias filii Israel, frumenti, vini, &* [15] *olei, mellis quoque, & omnium quæ gignit humus, decimas obtulerunt. Sed & filii Israel & Juda, qui habitabant in urbibus Juda, obtulerunt decimas boum & ovium, decimasque sanctorum, quæ voverant Domino Deo suo, atque universa portantes fecerunt acervos plurimos.*

[16] Post reditum inde e Babylonia primitiæ & decimæ ad Gazophylacium deferri cœptæ Nehemiæ x. *Sortes misimus, ut afferremus primogenita terræ nostræ, & primitiva universi fructus omnis ligni ab anno in annum, in domo Domini: & primitiva filiorum nostrorum, & pecorum nostrorum, sicut scriptum est in Lege, & primitiva boum nostrorum, & ovium nostrarum, ut offerrentur in domo Dei nostri sacerdotibus qui ministrant in domo Dei nostri: & primitias ciborum nostrorum, & libaminum nostrorum, & poma omnis ligni, vindemiæ quoque, & olei afferremus sacerdotibus ad Gazophylacium Dei nostri, & decimam partem terræ nostræ Levitis. Ipsi Levitæ decimas accipient ex omnibus civitatibus operum nostrorum. Erit autem sacerdos filius Aaron cum Levitis in decimis Levitarum. Et Levitæ offerent decimam partem decimæ suæ in domo Dei nostri ad Gazophylacium in domo thesauri. Ad Gazophylacium enim deportabunt filii Israel & filii Levi, primitias frumenti, vini, & olei, & ibi erunt vasa sanctificata.*

Pharisæi inde adeo exacte legem sibi observandam putarunt, ut etiam decimas [17] minutorum olerum darent: quod Christus arguit apud S. Lucam XI. *Væ vobis Pharisæis, quia decimatis mentam & rutam, & omne olus, & præteritis judicium & caritatem Dei. Hæc autem oportuit facere, & illa non omittere.*

NOTÆ AD CAPUT DECIMUMQUINTUM.

[1] *Primitiæ.*) Primitiæ totius congregationis erant 1. *hordei* secundo die Azymorum. 2. *Triticum* festo Pentecostes. *Levit.* 23. *Joseph. antiq. lib.* 3. *c.* 13. *Quensted. antiq. bibl. pag. m.* 241. 242. *Outram. de Sacrif. lib.* 1. *cap.* 8. *pag. m.* 82. *Frischmuth. in differt. de decim. c.* 2. §. 5. 6. Hæ primitiæ meti solebant ordinarie in valle *Kedron*; aliquando tamen cum demessuerant ex *hortis Zeriphæis*. Fiebat autem messis magna pompa vid. *Cod. Menach. c.* 10. *Joh. Henr. Othon. Lexic. Philolog-Rabbinic. pag. m.* 485. Aliæ erant *privatorum* & hæ quidem ex omnibus frugum generibus: Hinc *Sixtin. Amama in Commentariolo de decimis Mosaicis Anti-Barbaro Biblico præmisso*, Primitias ita definit: *Primitiæ erant frugum maturescentium, quarum Omer. i. e. manipulum Sacerdoti altero festi Paschalis die nim.* XV. *vel ut alii numerant*, XVI. *Martii, sive Nisan offerebant. Hæc oblatio messem præcedebat, unde primitiæ Messis passim appellantur.*

[2] *Sive ex animalibus.*) Animalia distinguebantur in munda & immunda, uti patet ex *Numer. cap.* 18. 15. Quicquid aperit vulvam *ex omni carne* &c. qua

qua re primogenitus indicatur, & quidem *masculus* *Deut.* 14. 19. *Exod.* 34. 19. Si itaque primitiæ fuerunt de animalibus mundis, quorum quatuor genera recensentur, teste Scriptura & R. *Abarbanel. in Levit.* Deo offerebantur, & sanguis cum adipe adolebatur, caro autem cedebat Sacerdotibus in esum. Requirebatur autem, ut sit *masculus*, alias non sanctificabatur nec Sacerdotibus dabatur; Hinc Judæorum Doctores excludunt primogenitos animalium, qui & masculi & fœminæ, dicentes quod in se nullam sanctitatem habeant, uti *Maimonid. in Becoroth. c.* 2. *f.* 5. refert; verum instar fœminarum sint, nec Sacerdotes jus exercere possint. Animalium itaque mundorum primitiæ non redimi poterant, nec pretium solvi pro iis poterat, sed bestia ipsa danda, veluti ex *Deut.* 15. 19. probat *Henry Ainsworth. Comment. in Num.* 18. *fol.* 113. his verbis: *thou majes not give the worth of it, or any other for it; but the beast it selfe is to be given; neither may the owner use, or manus profit of it, or of the wooll &c.* quia res sancta sunt. Imo omnes tenebantur tam Sacerdotes quam Levitæ & Israelitæ Sanctificare primitias animalium mundorum. Et licet primitiæ Sacerdotibus propriæ, attamen si illis primogenitus natus, tenentur sanguinem & adipem offerre in altari, reliquum autem comedere. vid. *Maim. in Becoroth. cap.* 1. *f.* 4. 7. Si vero primogenitura animalium haberet vitium, non offerebatur, sed Sacerdotibus cedebat a quibus comedi poterat. *Maimon. in Becoroth. c.* 1. *f.* 2. 3. Primogenitura contra immundorum animalium redimebatur pretio scil. 5. Siclis, Asinus autem agno. vid. annot. *Ainsworth. in Exod.* 13. 13. *&* 34. 20. conf. *Buxtorff. Synagog. Judaic. pag.* 622. Judæi hic quærunt, cur Deus in specie animalium primogenituram postulaverit, non vero equorum *Aben-Esra* ad *Exod.* 13. dicit, nulla alia animalia offerenda, quam quæ Ægyptus habet, cum ibi sit institutum; at non est credibile Judæos in Ægypto nullos habuisse equos, cum Ægyptii plurimos & generosiores haberent equos. Alia igitur ratio reddi potest, quia scil. apud Gentiles equi erant *Soli* dicati. *Ovid. Fast.* 1. teste. Ne itaque viderentur offerre Soli; hinc non postulavit. Redimebatur etiam asinus *ære*, quod Sacerdoti cedebat.

[3] *Ex hominibus.*) Primogeniti Deo sacri erant. Sunt autem primogeniti duplicis generis 1. respectu patris & ita vocatur ראשית אונו *Principium roboris ejus*. *Gen.* 49. 3. 2. respectu matris & sic vocatur פטר רחם *aperiens vulvam*, hi omnes Deo sacri erant & redimebantur v. Siclis. Hebræi putant quod redemtio hæc fieri possit, aut moneta, aut re moneta digna, quatenus scil. sit bonum mobile, non autem *terra* seu agro, nec servis, nec scriptis. Si itaque pater filium his redimeret, non redemtus erat, teste *Maimon. in Biccurim. c.* 11. *sect.* 6. Jam autem, quia tribus Levi loco omnium primogenitorum Israelitarum recepta erat *Num.* 3. Itaque omnes ex illa tribu liberi erant a redemtione, uti Hebræorum canones, teste *Maimonid. l. c. c.* 11. *f.* 9. referunt his verbis: *Sacerdotes & Levitæ liberi erant a redemtione filiorum suorum.* vid. *Leon. Mutinens. de ceremon. p.* 129. *edit. Francof.* 1693. qui asserit. Si parentum quidam ex stirpe Sacerdotum majores agnoscat, redemtione non opus est. Modum Redemtionis descripsit *Buxtorff. in Synagog. Judaic. pag. m.* 95. *seqq. edit. Basil.* 1641. quem vide, qui fuse egit de hac materia, ut autem brevius ritum declaremus, operæ pretium esse duximus *Leonis Mutinens.* verba quæ leguntur *pag.* 29. *in opuscul. de ceremon. Jud.* adducere, quæ hæc sunt: Invitatur aliquis ex Aaronis familia, ex quo infans XXX. dies explevit cum aliis. Concursu ita facto a patre in patera aut pelvi multum affertur auri argentique; Sacerdoti item sistitur puer a brachiis ipsius excipiendus, qui proinde, ulnis suis infantem sustentans, ita alloquitur matrem: *Puer hice, mea mulier, num ad te?* Cui illa, *omnino. Habuistine antehac alios quoque utriusque sexus infantes? num etiam abortum, aut alium immaturum unquam edidisti partum?* ad quæ mulier, *nunquam. Scias igitur*, addit Sacerdos, *infantulum hunc velut primo natum ad me spectare.* Mox oculis in genitorem defixis istum hoc modo affatur? *Si volupe tibi est, retinere puerum, fac redimas. Vis vero auri argentique*, reponit *parens, quam vides, non alio quam hoc fine in præsentia tibi a me offertur. Certo igitur*, replicat Sacerdos, *tecum statuisti, lytrum pro eo solvere? Volo*, respondet parens; ad quod Sacerdos voce elata facieque cœlum versus obversa, *bonum*, inquit, *factum: hic primogenitus merito ac jure ad me spectabat juxta effatum divinum redimendos autem illorum a nato uno mense redimi jubeto quinque argenti siclis &c.*

[4] *Ex semine terræ.*) Ita etiam materiam primitiarum fructus terræ constituit Deus *Deut. XXVI.* Hic Hebræorum Doctores iterum nimis curiosi sunt & dicunt, quod per fructus terræ septem tantum species, quæ recensentur in laudibus terræ Canaan *Deut.* 8. 8. uti sunt *triticum*, *hordeum*, *uvæ*, *ficus*, *malogranata*, *olivæ*, *mel*, intelligitur *R. Salom. Jarchi. in v.* 2. *c.* 26. *Deut.* ad vocem מראשיק inquiens: Non omnes fructus obligantur primitiis & Therumæ, sed septem saltem species, quem sequuntur *Drusius in Præter. ad Matth. c.* 23. *Beza*, *Henry Ainsworth Angl. fol.* 118. *in Deut.* & alii, allegantes pro hac sententia Tractatum Talmudic. *Bikkurim c.* 1. *Mischn.* 3. Non adducunt Primitias, nisi de septem speciebus. Obstat enim 1. locus *Deut. cit.* 26. 2. *Sumes de primitiis Omnium fructuum terræ, quos afferes e terra tua.* 2. Antiquissima illa juris judaici regula: Quicquid eduliorum ex terra incrementum capit, obnoxium est primitiis, oblationi & decimis. Etiam hortensia vel vilissima quæque modo esui hominibus essent, in hunc censum veniebant, *mentha*, *pulegium*, *ruta*, *origanum*, *anethum* & id genus alia, quorum nomina non solum in jure concepta sunt, sed etiam in Evangelio, ut *Matth.* 23. 23. *Luc.* 11. 42. Omne igitur esculentum hominis terra natum, quod in conditis servatur, ut quæ in cellis, horreis, apothecis reponuntur, hac lege tenetur, primo, ut ex eo primitiæ delibentur, secundo Theruma, tertio decima. confer. *Frischmuth. dissert. de decim. c.* 2. §. 10. In primitiis dandis non certa quantitas definiebatur. vid. *Henry Ainsworth. comment. in Deut.* 26. *fol. m.* 118. conf. *Frischmut. l. c.* §. 7. 8. De modo offerend. primitias videri possunt D. Quensted. in antiquit. bibl. *pag.* 243. *Henricus Ainsworth. comment. ad Deut.* 26. *fol.* 119. qui e Rabbinis pluribus attulit. Hoc tamen observandum, quod quilibet Israelita teneretur eas offerre super humeris ad atrium, non excluso Rege. conf. *Lightfoot. minist. Templ. c.* 7. *f.* 4. *Othon. Lexic.*

[5] *Decimæ.*) Dicuntur a decem, quæ vox juxta *Isidor. Hispalens. Episc. l.* 3. *origin. c.* 3. *pag. m.* 887. Græcam etymologiam habet, eo quod liget & conjungat infra jacentes numeros. *Becmannus in Origin.* Decem inquit, δέκα quasi δέχα a δέχομαι quod omnem in se contineat numerum conf. *Joh. Funger. in Etymol. Latin-Græc. p.* 177. Ex Hebræis *R. Bechai comment. in Pentateuch.* ita scribit: Numerus hic (denarius (in lege sæpius de multitudine accipitur, & ita quoque intelligenda sunt verba (Job. XIX. 3.) decem vicibus pudore me affecistis. Quia omnis numeri finis est, & omnes in eo comprehenduntur, ideo ad multitudinem ostendendam adhibetur. vid. *Cæl. Rodigin. lib.* 22. *antiq. lect. cap.* 14. Hoc loco autem decima est δέκατον μέρος τῆς οὐσίας, una ex decem portio. Hinc *Vossius l.* 3. *de arte Grammat. c.* 43. *decimæ sæpius puta partes.* De varia hujus vocis apud scriptores acceptione tam Vet. quam Novi Testamenti differit *Dilher. tom.* 2. *disput. Academ. disp.* 4. *th.* 6. *conf. Joan. Frischmuth. disput. de decimis.* §. 5. 6. 7.

[6] *Primitias Offeres in domum Dei.*) Sciendum primum omnium in publicam testificationem, ut benedictionem messis impetrarent, de fructibus maturescentibus Hebræos obtulisse Omer h. e. manipulum spicarum, quæ decimam Ephæ partem continebat, ut *R. Abarbanel* explicat vid. *Sixtin. Amama Antibarb. bibl.* Verum hoc loco elaboratos fructus intelligi patet *Levit.* 23. 15. *Num.* 28. 26. *Deut.* 16. 9. Atque hæc oblatio Hebræis vocatur תרומה גדולה Theruma, vel oblatio magna, quam divinitus mandatam *R. Maimonides* ex *Deut.* 18. 6. probat, cum ibi exstet: *Initium frumenti tui & olei tui &c.* & licet ibi quantitatis nulla fiat mentio, tamen eam Hebræorum sapientes præscripserunt teste *Maimonid.* Hilkoth. Nullum vero est dubium, quin hæc oblatio non Sacerdotibus solis cesserit, ceu *Abarbenel* & ex eo *Frischmuth. diss. de decim. cap.* 2. §. 9. demonstrat.

7 De

[7] *De decimis lege comperimus* .) Hebræi diris etiam devovebant illos, qui non exhibebant decimas divinitus mandatas, teste *Maimonid. c.* 1. §. 5. *de decimis*, dicente: *Qui fructus suos comedit necdum decimatos is divinitus infligendæ morti est obnoxius. In* Jalkut. *fol.* 279. *col.* 1. *Qui non decimatos fructus suos comedit, perinde est ac si morticina & discerpta comederet*. Ritum vero decimandi ita describit *R. Salomo*: Ad decimandum accedentes ordine aliud post aliud animal ostio emittunt, & decimum virga rubeo colore tincta percutiunt, ut sic ab aliis dignosci queat.

[8] *Decimæ terræ*.) Hic moveri potest quæstio illa, sc. an etiam vilissimi hortenses fructus decimis fuerint obnoxii? Affirmantes nituntur lege divina *Levit.* 27. 30. quæ ita כל מעשר הארץ מזרע הארץ מפרי העץ ליהוה הוא קדש ליהוה: *Omnis decima terræ, de semine ligni Domini est, & illi sanctificatur*. Cui consentit liber Jalkut *parascha* בחקותי f. 200. *col.* 3. *& Chaskuni* ubi פרי העץ contendunt non *vitis* duntaxat & oleæ, sed etiam quarumvis arborum fructus & olera denotare. Hos sequuntur *Alphons. Tostat. Johan. Stephan. Menoch. de Republ. Hebr. lib.* 2. *cap.* 4. *Varenius* aliique. Negantium partes tuentur. 1. *R. Abarbenel fol.* 360. qui asserit tantum de frumento, oleo & musto homines decimas dare teneri. 2. *R. Gerundens. fol.* 397. inquit: *Verbis* (Deut. XIV. 22.) *non præcipitur ut decimam det de quovis proventu illius, quod serit, & singulis annis nascitur, sed sensus est, ut de illis speciebus, quæ obnoxiæ sunt decimationi, decimam persolvat*, ac paulo post de oleo, musto & frumento perinde ac *Abarbenel* locutus. *R. Salomo* verba *Levit.* 27. *de semine terræ* accipit tantum de דגן frumento, verba vero *fructu ligni* denotare ait תירוש ויצהר *mustum & oleum*. His locus Talmud. obstare videtur, ubi *Massechet* מעשרות *cap.* 1. leguntur hæc verba: *De decimis hoc generale dederunt axioma: omne esculentum* (hominis) *quod custoditur & ex terra capit incrementa decimis est obnoxium*. Verum quomodo hoc intellectum velint Hebræi ex *Maimonid. c.* 2. *de decim.* §. 6. patescit. *Quamvis* (inquit) *olera sint cibus hominis, tamen illa decimationi non sunt obnoxia, nisi ex illorum decreto, quia dictum est* (Deut. 14. 11.) *de decima proventus seminis tui. Ubi id quod proventus nomine venit huic simile intelligendum est, sed olera sub hoc non intelliguntur*. Quo vero hæc melius intelligantur operæ pretium esse duco, ut locum *Maimonid.* Hilkot כלאים cap. 1. §. 8. hic reponam. Sic vero ille: *Semina sunt triplicia. Primo proventus, quo continentur quinque species, triticum, spelta, hordeum, spica vulpis sive avena & secale. Secundo legumina, omnia nempe semina, quæ esui sunt homini præter proventum, faba, pisa, milium, oryza, sesamum &c. Tertio semina hortensia, cujusmodi sunt ceparum allii, porri, nigellæ rapæ; & his similia*. Ex his patet Hebræos decimas restringere ad numerum ternarium, *olei, musti, & frumenti*. Huic opinioni ex Christianis assentiuntur *Nicol. Lyran.* & *Salmeron. Isaac. Casaubon. Exerc. sac.* 1. *in annal. Baron. num.* 9. Quod vero attinet Legem Levit. 27. 30. illa subobscura videtur.

[9] *Omnium Decimarum*.) Hic quæritur utrum decimas Hebræi tantum de *bobus, capris & ovibus*, an vero etiam de *camelis, equis, & asinis* dederint? Posterius affirmat *Abulens.* conquerens hujus quæstionis decisionem obscuram esse. Verum voce legislatoris inspecta *facili negotio hæc quæstio decidi potest; siquidem illa vox* צאן non de quibusvis promiscue animalibus prædicatur, *sed ex usu scripturæ tantum de ovibus & capris*. vid. Schindler. *Lexic. Pentaglott.* R. *Abarbenel, ad. loc. R. Bechai fol.* 122.

[10] *Populus levitis dabat*.) Quibus decimis solis levitis vesci minime licebat, sed hi iterum Sacerdotibus tenebantur solvere decimas, ceu ex *Num.* 18. 26. liquet. Hæc decima Hebræis vocabatur מעשר מן המעשר *decima de decima*, non vero מעשר שני secunda decima. Quippe quo nomine apud Hebræos *veniebat decima*, ex qua epulæ parabantur Hierosolymis ab ipso colono. Rabbini vocant תרומת מעשר oblationem decimæ. De hac loquitur *R. Maimonid. cap.* 8. *Hilk.* מעשר §. 1. *Fructus de quibus oblatio magna, oblatio decimæ est sumta, vocantur* חולין *profani, vel usibus profanis præparati*. Hac decima solis Sacerdotibus & domesticis illorum frui licebat. Uti *Maimonid. cap.* 6. docet.

[11] *Quam unusquisque de populo &c.*) Postquam colonus Levitis primam decimam persolvit, de reliquo acervo aliam separare tenebatur decimam, uti Hebræi magno consensu docent. *Deut.* 14. 21. Ad quem locum *R. Abarbenel* commentatur: *Præter decimam primam Levitis exhibitam, aliam adhuc decimam, nempe secundam separent, quæ tamen in usum Levitarum minime cedit, sed ab ipso colono Hierosolymis absumitur*. Sic quoque ab hoc sensu minime abludit *R. Bechai ad cit. loc. Sensus literalis est: postquam primam decimam eduxisti, secundam decimam tibi separabis, quam Hierosolymis comedes, ut discas timere, quia ibi Sacerdotes Levitasque invenies, legem docentes, qui verum cultum & timorem Dei te quoque edocebunt*.

[12] *Cum longior fuerit via &c.*) Duo impedimenta remorari eum potuissent, ne stato tempore compareret 1. *viæ longinquitas* 2. *decimæ magnitudo*, quæ sine magnis impensis eo deportari non poterat, ideo visum est legislatori huic quoque difficultati occurrere. Præcepit igitur ut distraheret decimas, & pecuniam inde redactam vino & aliis rebus Hierosolymis emendis insumeret. Conferatur huc lex *Levit.* 27. 31. Ad quam Abarbenel annotat: *Non debent hujus legis verba intelligi de decima prima, quippe quæ Levitarum est, & redimi nequit, sed de secunda, quam Hierosolymam deferunt*. Atque tam Veteres quam recentiores Hebræi de secunda decima hæc verba dicta fuisse crediderunt. *R. Abarbenel. f.* 360. *col.* 2. dicit. *Decimando decimabis omnem proventum seminis tui egredientis anno. Anno vult indicare, ut decimet proventum, quem accipit duobus annis, annum remissionis immediate se consequentibus. Ideo enim repetit vocem* שנים, *ut biennium illud denotetur. Potest etiam fieri, ut intellexerit duas decimas verbis illis, primam videlicet verbo* עשר *de qua ante egerat, secundam vero* תעשר *cujus ante non nisi brevissime meminit, & quam nunc perfecte explicat*. Cæterum Abarbeneli non concedendum quod שנה שנה biennium denotet, sed potius distributionem *singulis annis factam, juxta Glass. Phil. Sac. lib.* 3. *p.* 19. *Buxtorff. lib.* 2. *cap.* 2. *pag.* 348. *thesaur.* Grammat. *Joan. Frischmuth disput. de decim.* §. 5. *lit. c.*

[13] *Ad locum quem elegerit Dominus*.) Satis his verbis declaratur, quod decima apportari Hierosolymam, & ibi comedi a colono coram Domino debuerit. Sed hæc decima distincta est ab illa, quæ Levitis dabatur ad familiarum suarum sustentationem, quippe hæc secunda ab ipso colono Hierosolymam deducta, ibique comesta fuit. vid. Maimonid. *cap.* 2. *de decima secunda* §. 1.

[14] *Tertiam hanc decimam*.) Præter primam & secundam Israelitæ adhuc aliam solvebant quam מעשר עני, Hieronym. vero πτωχοδεκάτην, vocat. de qua Moses *Deut.* 14. 28. loquitur. *Trium annorum educes omnem decimam proventus tui in anno ipso & repones in porticis tuis*. Ad quæ verba R. Aben Ezra: *Hæc decima tertii anni vocatur decima pauperis, & nos nitimur traditione majorum nostrorum*. Hujus decimæ mentionem facit liber Tobiæ cap. 1. 7. quibus verbis se opponit *Jacob. Capell. annot. ad c.* 7. 4. *epist. ad Hebr.* & duas tantum decimationes fuisse asserit. Verum *Maimonid.* legens deprehendet omnino trium decimarum eum mentionem facere. Etsi vero hoc pacto nunquam simul tres decimæ fuerint solutæ, vocatur nihilominus ab Aben-Ezra השלישי *tertia* ut esset ceu *R. Bechai* fol. 217. col. 1. loquitur מעשר מחודש *nova & a reliquis distincta decima*. conf. *Schulchan Aruch part.* 2. *Jore deah. fol.* 99. *col.* 3. *Varen. cap.* 12. *Trifol.* de hac quidem aliam habet sententiam inquiens: *Decimæ triticeæ eo anno perimebant decimam non utramque ut putat R. Salomo, non secundam, ut Aben-Ezra, sed primam*. Verum enim vero, quando *Salomonem* adspicio, nihil aliud illum docere deprehendo, quam *Maimonid. & Aben-Ezram*, e quorum verbis patescit *R. Salomonem* asserere secundam decimam a tertia peremtam fuisse. Et ne actum agere videar, remitto benevolum lectorem ad Dn. Frischmuth dict. differt. §. 4. 5. 6. 7. *seq.*

[15] *Olei & mellis quoque*.) Hic præter generales decimarum species additur etiam רבש. Quam vocem R. David Kimchi per תמרים *Dactylos palmarum*

rum exposuit, verba ejus hæc sunt: *De melle non debet accipi, quia de eo non dederunt primitias*. Verum nihil subest causæ, cur illa vox hic mel significare non debeat? Et licet illa vel dactylos palmarum vel mel denotet, sufficit tamen ad discutiendum numerum ternarium, *oleum*, *mustum*, & *frumentum*. Sed respondetur, judæos de his fructibus non secundum legis præscriptum, sed liberaliori manu, ut *Talmudistæ* referunt, exsolvisse decimas, idque propria autoritate introduxisse.

[16] *Post reditum decimæ ad Gazophylacium deferri cœptæ*.) Gazophylacium hic non denotat arcam illam, qua pecunia sacra detinebatur, seu per *μετωνυμίαν* atrium illud templi, in quo posita erat arca, vid. *Gerhard. Harmon. Evangel. fol. m.* 633. *cap.* 159. Dionysius Carthusianus in c. 21. Luc. scribit fuisse triplex Gazophylacium. Unum in quo ponebantur oblationes ac donaria Regum, quod 2. Reg. 16. 18. appellatum *Musach* Sabbathi. Alterum in quo custodiebantur oblationes Sacerdotum, quod appellatum fuit Corban de quo deinceps. Tertium in quod vulgi oblationes collatæ sunt, id quod hic denotatur. Locus autem in Templo erat, in quem omnes decimæ ferebantur, quam consuetudinem gentes servarunt, bonaque sua in templa reposuerunt.

[17] *Minutorum olerum*.) In Talmud Massechet מעשרות *cap.* 1. legitur. De Decimis hoc generale axioma est observandum. *Omne esculentum* decimis est obnoxium. Quod secuti Pharisæi, de minimis etiam decimas sumsere. Hos alii populi imitati sunt vid. *Leges Eccles. S. Edward. lege* 8. *de omni annona decima garba Deo debita est, & ideo reddenda. Et si quis gregem equarum habuerit, pullum reddat decimum; qui unam tantum, vel duas habuerit, de singulis pullis singulos denarios. Similiter qui vaccas plures habuerit, decimam vaccarum qui unam, vel duas, de singulis obolos singulos. Et qui caseum fecerit, det Deo decimum: si vero non fecerit, lac decimo die. Similiter agnum decimum, vellus decimum, caseum decimum, Butyrum decimum, porcellum decimum* &c.

CAPUT DECIMUMSEXTUM.

De sacra pecunia, & Gazophylacio.

SAcra vero (hoc enim ex propositis sequitur) pecunia fuit, quæ [1] Siclus est dicta, quam ceu pretium pro animabus suis dabant Domino, in usum Tabernaculi, sic præcipiente Deo Exodi xxx. *Quando tuleris summam filiorum Israel juxta numerum, dabunt singuli pretium pro animabus suis Domino, & non erit plaga in eis, cum fuerint recensiti. Hoc autem dabit omnis qui transit ad numerum, dimidium sicli juxta mensuram templi. Siclus viginti obolos habet; media pars sicli offeretur Domino. Qui habetur in numero a viginti annis, & supra, dabit pretium. Dives non addet ad medium sicli, & pauper nihil minuet. Susceptamque pecuniam, quæ collata est a filiis Israel, trades in usus Tabernaculi Testimonii, ut sit monumentum eorum coram Domino, & propitietur animabus eorum.* Hanc ergo pecuniam per multos annos sacerdotes constituto templo exegerunt, deinde exigere desierunt.

Post autem cum ad sarciendum templum pecunia esset opus, neque ullam sacerdotes haberent, quod exigere destitissent, Joas rex iterum solvi voluit, ac propterea arcam instituit, in quam omnes in templum ingredientes pecuniam illam conferrent. Eam arcam Persico & Græco vocabulo [2] Gazophylacium, quia gazam custodiret, & Syriaco [3] Corbonam appellarunt. Hac de re sic in Regum IV. cap. XII. *Dixit Joas ad sacerdotes: Omnem pecuniam sanctorum, quæ infertur in templum Domini a prætereuntibus, pecuniam pretii, & quam sponte pro arbitrio cordis sui inferunt in templum Domini, accipiant sacerdotes quisque ab exactione sua, & instaurent sarta tecta domus, si quid opus viderint instauratione. Igitur usque ad vicesimum tertium annum regis Joas non instauraverunt sacerdotes sarta tecta templi, vocavitque rex Jojadam pontificem & sacerdotes, dicens eis. Quare sarta tecta non instaurastis templi? nolite ergo amplius accipere pecuniam ab exactione vestra, quando ad instaurationem templi daturi non estis illam. Et consenserunt sacerdotes, ne ultra acciperent pecuniam a populo caussa sartorum domus. Et sumsit Jojada Gazophylacium unum, aperuitque foramen in tabula ejus, & posuit juxta altare ad dextram ingredientium domum Domini. Et dederunt in id sacerdotes, qui custodiebant ostium, omnem pecuniam, quæ deferebatur in templum. Cumque videret nimiam pecuniam esse in Gazophylacio, adscendit Scriba regis, & Pontifex, & argentarii, effuderuntque, & numerarunt pecuniam, quæ inventa est in domo Domini, & dederunt eam promtam in manus operariorum domus Domini.* Item secundo Paralip. XXIV. Proferam vero verba Græcæ translationis, quia aliqua ex parte clariora sunt, eadem tamen manente sententia: *Convocavit Joas sacerdotes, & Levitas, & dixit eis: Exite in urbes Judæ, & cogite ex omni Israel pecuniam, ut sarciatur domus Dei in singulos annos, & festinate indicere, & Levitæ non festinarunt. Et vocavit Joas Jojadam pontificem, & dixit ei: Cur non vidisti de Levitis, ut exigerent de Juda & Hierusalem, quod judicatum est a Mose, quando convocavit Israel in Tabernaculum Testimonii, quia Gotholia*

fuit exlex, & filii exlex, & filii ejus dissiparunt domum Dei. Fiat arca, & ponatur in porta domus Domini extrinsecus, & edicant in Juda & Hierusalem: Conferes Domino, ut dixit Moyses ad Israel in deserto. Et dederunt omnes principes, & cunctus populus, & contulerunt, & conjecerunt in arcam, ita ut compleretur, & attulerunt arcam ad præpositos regis per manum Levitarum, & viderunt quod abundabat pecunia, & venit Scriba regis, & Præpositus magni sacerdotis, & exhauserunt arcam, & posuerunt in loco suo, & ita fecerunt in dies, & coacervaverunt argentum multum: & dedit rex, & Jojada sacerdos facientibus opera in opificium domus Dei. Hæc autem eadem Josephus aliqua quoque ex parte clarius prodidit. *Joam*, inquit, *regem cupido resarciendi templi incessit. Atque accito ad se Jojada pontifice jussit, ut in omnem mitteret regionem Levitas, & sacerdotes, qui exigerent pro uniuscujusque capite dimidium siclum argenti ad instaurationem templi, quod a Joram, Gotholia, & filiis eorum videbatur esse destructum. Pontifex vero hoc non fecit, sciens, a nemine conferri argentum. Tertio vero & vicesimo anno regni sui Joas Pontificem & Levitas negligentiæ arguens, jussit ut in proximum annum de templi instauratione prospicerent. Itaque Jojadas consilium, quod gratum fuit populo, adhibuit. Fecit namque ligneam arcam, & undique muniens eam, unum ei foramen aperuit, quam ponens in templo juxta sacrarium, mandavit singulis, ut quantum vellent, in eam mitterent per foramen pro templi reparatione. Ad quod opus libenter populus omnis accessit, & multum argenti, multumque auri intulit. Quo facto evacuantes arcam præsente rege scriba simul & sacerdotes argentum enumeraverunt, quod fuerat illatum, deinde eam in eodem loco reposuerunt, idque quotidie obierunt.* Gazophylacio inde constituto pecunia a Josia rege templum sarcituro iterum hausta est, sic enim IV. Regum XXII. scriptum est: *Misit Josias rex Scribam templi ad Helciam sacerdotem magnum, ut conftetur pecunia, quæ illata est in templum Domini, quam collegerunt janitores templi a populo, deturque fabris per præpositos domus Domini, qui & distribuant eam iis qui operantur in templo Domini ad instauranda tecta templi.* Everso inde templo simul etiam Gazophylacium est eversum, & restituto restitutum; verum id non arca tantum fuit, in quam pecunia jaceretur, sed locus amplus, in quo etiam primitiæ & decimæ Levitarum repositæ sunt; ut Nehemiæ X. *Primitias vindemiæ & olei afferemus sacerdotibus ad Gazophylacium Dei nostri*, & post: *Ad Gazophylacium deportabunt filii Israel, & filii Levi, primitias frumenti, vini & olei*; & XIII. *Erat super hoc Eliasib sacerdos, qui fuerat Præpositus in Gazophylacio domus Dei nostri, fecit ergo sibi Gazophylacium grande: & ibi ante eum reponebant munera*; & II. Maccabæorum: *Apollonius nuntiavit Seleuco regi Syriæ, innumerabilibus pecuniis refertum esse Gazophylacium Hierosolymis, & communes copias immensas esse, quæ non pertinerent ad rationem sacrificiorum.* Hinc etiam legitur apud S. Marcum: *Sedens Jesus contra Gazophylacium*; & apud S. Lucam: *Respiciens Jesus vidit eos qui mittebant munera in Gazophylacium.*

Huic porro Gazophylacio [4] custos fuit præpositus, quem Isaias capite XXII. vocat ταμίαν τȣ ἱερȣ, id est quæstorem templi, licet Latinus interpres vocet Præpositum templi. Josephus autem libro XVIII. gazophylacem nominat. *Stola*, inquit, *pontificis* [5] *sub sigillo gazophylacis tenebatur, a quo etiam & cætera ornamenta templi asservabantur.* Item VII. Belli: *Arcas etiam, quæ gazophylacia vocantur, incendunt, in quibus magna vis erat pecuniæ, ac vestium, atque omnes Judæorum prope congestæ divitiæ.* Item: *Quin etiam gazophylax, id est custos sacræ pecuniæ, comprehensus, nomine Phinees, vestes & cingula sacerdotum indicavit.* Ac de legitimis quidem oblationibus hactenus.

NOTÆ AD CAPUT DECIMUMSEXTUM.

[1] *Siclus dicta.* De siclis Hebræorum pluribus egerunt And. *Bayerus & Henr. Gunth. Thulem. in libell. de siclis. Waserus, Villalpandus, Guilielmus Schickard.* Waltonus. *Hottingerus, Bitterman. Coring. in tractatu de nummis Hebræorum.*

[2] *Gazophylacium.*) Gaza persicum est nomen proprie significans thesaurum Regium. *Curt. lib. 3. histor. Alexand. ab Alexand. Barnab. Brisson. de regno Persic.* Postea hæc vox ad alias gentes translata in genere pro quibusvis thesauris ac divitiis usurpari cœpit.

— *Cælum nulla reparabile gaza*

canit *Valer. Flac.* Ex hoc nomine addito Græco φυλάττειν, *custodire, servare*, formatum est nomen *Gazophylacium*, quasi dicas conservatorium divitiarum. quod servato nomine gaza, Syrus reddidit בית גזא. *Domum vel locum gazæ.* vid. Beda *in cap. 12. Marci*, Gaza autem nomen habet a loco in India quæ fuit in Cassanitis Ptolomæi & Stephani, quos *Diodorus* Gassandes vocat, & Agatharchides Cassandres facto nomine a verbo חסן, quod in Kal est possidere, in niphal recondere, unde יחסן Jechasen. *Esa.* 23. 18. Indidem חוסן chosen Thesaurus. *Proverb.* 15. 6. *Ezech.* 22. 25. Arab. per Z. חזן Chazan scribunt, unde *Gaza* vox per aphæresin & מחזן *Machzan*, in plural. מחזין Machazin, nobis *Magazin*, locus in quo reconduntur opes, conf. Bochart. *Phaleg. p.* 157. *lib.* 2. *c.* 27. Accipitur Gazophylacium

cium bifariam, denotat primo arcam, in quam injiciebatur pecunia a populo in uſus ſacros collata, ſive juxta præſcriptum legis debita, ſeu ſpontanea, vid. Joſeph. *l. 7. de bello judaic. c. 11.* Deinde Gazophylacium μετωνυμικῶς ſignificat atrium illud Templi, in quo poſita erat ejuſmodi arca. conf. Gerhard. *Harmon. Evangel. fol. 633. cap. 159.* Dionyſius Carthuſian. *in cap. 21. Luc.* ſcribit, fuiſſe triplex Gazophylacium. Unum in quo ponebantur oblationes ac donaria Regum, quod 2. *Reg. cap. 16. 18.* appellatum fuit *Muſach Sabbathi*. Alterum in quo ponebantur oblationes Sacerdotum, quod *Corban* appellatum. Tertium in quo vulgi oblationes ponebantur, dictumque *Gazophylacium*. Gentiles morem hunc ſecuti in Templis ſuis donaria & pecuniam ſervabant & deponebant; exemplum ejus videre eſt apud *Cornelium Nepotem in Hannibale*. Craſſus pecunias ſuas in Templo collocavit. *Cicero l. 2.* de legib. hujus ritus mentionem facit. *Alexander* in *Cilicia* apud *Solos* dicitur pecuniam in delubro poſuiſſe. *Cliſthenes* civis egregius, cum rebus ſuis timeret, filiarum ſuarum dotes credidit *Junoni Samiæ*. vid. Cic. *lib. 5. epiſt. 20. ad famil. & ad Attic. lib. 5. epiſt. ult.* vid. Cæſar. *lib. 1. de bell. civil.* Apud Judæos hunc morem in uſu fuiſſe conſtat ex 2.*Machabæor. cap. 3.* De *Onia* & *Heliodoro* Templum ſpoliare conante, conf. *Redan. ad h. l. M. Licinius Craſſus* ingreſſus Templum S. Hieroſolymorum, & ſacram pecuniam, quam *Pompejus* non attigiſſet, abſtulit. Erant in eo 2000. talenta. Joſeph. *lib. 14. cap. 12.* Aſſervabatur autem pecunia ideo in Templis, quod illa loca ſacra & inviolata cenſerent. Hinc *Romani* ærarium ſuum in æde Saturni eſſe voluerunt, *Macrob. lib. 1. cap. 8. Saturnal.* Interior ærarii pars dicitur Sanctius ærarium, in quo ad extremas Reipubl. laborantis neceſſitates ſervabatur aurum viceſimarum, quod ex viceſimis exigebatur. Nonnulli opinantur duo fuiſſe æraria, unum vulgare, alterum ſanctius. Alii ſtatuunt tria. Vid. Manut. *epiſt. 15. lib. 7. ad Attic.* Ærarium primum fuit, in quo aurum fuit conditum, cum belli Gallici metus impenderet. Alterum fuit Sanctius, in quo aurum viceſimarum reponebatur. Tertium erarium in quo vectigalia ex annona & aliis rebus exacta aſſervabantur. *Gruterus in notis ad Livium* hæc habet: Quando dicitur Sanctius ærarium, id notat inviolabile. Nam ſancire, a quo vocabulum hoc deductum eſt, ſignificat inviolabile reddere. Hinc Tribuni plebis dicuntur ſancti, non quod præclari eſſent vitæ innocentia; nam erant homines interdum vafri ac ſeditioſi ingenii, ſed quia ille Magiſtratus erat inviolabilis. Hinc & ſanctius dicitur ærarium, in quod nemo debebat involare. Plura qui de Gazophylacio legere cupit, adeat *Barnab. Briſſon. de regno Perſico.* Wallæum *comment. in N. T. Redan. in l. Maccab.*

[3] *Corbonam.*) Vox Corbona Syro-Chaldaica generalis eſt, ex eo ſic dicta, quod donaria ſacra in eam mittebantur. Nam קרבן Hebræis ſignificat donum Marc. 7. 9. unde in textu Syriaco. Luc. 23. 1. *Corban* dicitur. vid. Gerhard. harmon. *cap. 159.* 654. *fol. 604.* Eſt autem Corban oblatio Judæis ſacratiſſima, vid. Dilher. *Eclog. ſacr. dict. 10. §. 1. pag. m. 339. 340. ſeq.* & Marc. 7. per τὸ δῶρον exponitur. Per Meton. uſurpatur pro ærario ſeu arca, in qua munera Deo oblata aſſervabantur. Joſephus *lib. 2. de bell. jud. c. 8.* hæc habet verba: Eſt apud eos ſacer theſaurus, quem Corban dicunt, hunc ad inductionem aquarum cum impendi juſſiſſet Pilatus, populus tumultum excitavit, noluerunt enim pecuniam ſacram ad profanos adhibere uſus. Joſephus contra Appionem priore ex Theophraſto *de legibus* Corban peculiare apud Tyrios juramentum fuiſſe notat, de quo *Maſius* ita ſcribit: Res devotæ, quas Græci ἀναθήματα vocant, tam eæ ſunt, quæ locis ſacris dicantur, quam quæ adolentur. Hebræi ipſam temporibus poſterioribus vocaverunt *Korban.* vid. Johan. Druſ. *de trib. ſect. jud. cap. 17.* Quod ſi admittitur τὸ κορβὰν erit juramentum; quaſi dicas, *per Deum*, aut id quod offertur Deo. Helleniſtæ κορβὰν per δῶρον ſemper fere explicant, de quo pluribus egit H. Hammond. *annot. in Matth. cap. 15. fol. m. 79. 5.* conferantur cum hoc *Maimonid. Johan. Coch. Ludov. de Dieu & Edward. Pocok. not. miſcell. pag. m. 414.* Wallæus aliique. Ταμίαν τὰ ἱερᾶ. Hanc eandem vocem Matth. *cap. 24. 26.* uſurpat, & *Heſychius* per ἀπόκρυφα οἰκήματα explicat. Verum veritati convenientius videtur quod Ταμεῖον ordinarie ſignificet domum redditum, ſeu ut nos vocamus, *Magazin*. Et bene, quæ *Heſychius* profert verba, huc quadrant: Ταμίαι, εἰσὶ οἱ τῶν δημοσίων χρημάτων καὶ πάντων τῶν κοινῶν προεστῶτες καὶ φύλακες ταμιοῦχοι, Cuſtodes ſeu Gubernatores monetarum publicarum, ſeu omnium earum rerum, quæ commodi ſunt publici. conf. Hammond. *fol. 123. in Matth. cap. 24.*

Corbanam.) In prioribus annotationibus retulimus, quid proprie Corban fuerit? jam autem etiam addimus, quod per קורבנות *Corbanas* loca oblationum intelligantur. Secundum Rabbinos duo erant conclavia 1. Erat Corbana לבדק הבית *ad reſtaurationem ipſius ædificii templi*, & Corbana ad parandum ea, quæ neceſſaria erant ad cultum divinum in templo. Utraque etiam duplex erat. Duplicitatem prioris habemus in hac traditione. Duo erant conclavia in templo: *Unum* vocabatur לשכת חשאים *Conclave clandeſtinorum*, ubi viri pii obtulerunt clanculum, unde enutrirentur filii piorum parentum etiam clam, uti refert clar. *Stephan. le Moyne in Syllog. varior. opuſc. Græc. ad Polycarp. epiſt. pag. m. 74.* his verbis: alluditur ad quoſdam inter Judæos qui clam & nemine conſcio Eleemoſynas ad pauperes levandos conferebat vocabatur לשכת חשאים Gazophylacium ſilentum, & qui talibus Eleemoſynis indulgebant apud Judæos valde commendabantur. Hinc adagium. *Magnus eſt, qui facit Eleemoſynam* ἐν κρυπτῷ *clam, præſtantior eſt & major Moſe magiſtro noſtro.* Plura vide ibidem: Alterum vocabatur לשכת הכלים *Conclave vaſorum*, ubi quicunque vas obtulit aliquod, in illud projecit. Et poſt triginta dies theſaurarii conclave aperiunt, & quodcunque vas in in eo repertum, quod ad templi reparationem conducebat, illud ſeponebatur, reliqua vero vendebantur, & pretium eorum ceſſit in conclave reparationis templi vid. *Schekal. cap. 5. Maim. in Schekal. cap. 4.* Duplex etiam erat *Corbana* unde ſuppetiit ſumtus pro rebus ad cultum divinum neceſſariis. Prima erat שופרות Ciſtulæ quædam, de quibus *Magiſtri in Schekal. cap. 5.* Tredecim arculæ in templo erant quibus inſcriptum erat שקלין חדשין Sicli novi i. e. anni præſentis שקלין עתיקין ſicli veteres, id eſt, anni præteriti: Hæc paulo clarius *Maimon. in Schekal. cap. 2.* In Sanctuario tredecim fuerunt ciſtulæ quævis figuram tubæ habebat vid. *Steph. le Moyne l. cap. pag. 73.* prima erat pro ſiclis anni præſentis: ſecunda pro ſiclis anni præteriti. Tertiæ injici debebat illa pecunia quam debuit, cui incubuit oblationem adducere duorum turturum aut columbarum. Quarta recipiebat pretium oblationum ex avibus. Quinta adeunda erat ei, qui voluntarie nummum obtulit ad emenda ligna pro altari; Sexta ei, qui nummum obtulit ad emendum thus. Septima ei, qui aurum obtulit pro propitiatorio. Octava pro eo, quod ſuperat de Sacrificio pro peccato. Si ſcilicet emto Sacrificio ex dicta pecunia ipſi aliquid reſiduum erit, illud in hanc ciſtam projicere debuit. Nona pro eo, quod ſupererat de Sacrificio pro tranſgreſſione. Decima, pro eo quod ſupererat de columbis pro profluvioſis & puerperis. Undecima pro eo, quod ſupererat de Oblationibus Naziræi. Duodecima pro eo, quod ſupererat de Sacrificio leproſi. Decima tertia, qui nummos dicaverat pro holocauſto e jumentis. Et unicuique ciſtæ inſcriptum erat, quid in ea recondendum. Erat & conclave in quo tres ciſtæ in quas evacuabatur quicquid nummi colligebatur in his Corbanis. Modus hujus evacuationis recenſetur a celeb. *Johanne Lightfoot*. Cujus verba apud *Joh. Henric. Othon. in Lexic. Rabbino-Philolog. pag. 228.* Fuit Gazophylacium in atrio mulierum teſte *Joſeph. de bell. lib. 5. cap. 14.* conſ. *Samuel Baſnag. de reb. Sacr. p. m. 47.*

[4] *Cuſtos fuit præpoſitus.*) Agitanda hic quæſtio, an unus pluresve cuſtodes tantis opibus ſervandis impoſiti? *Sigonius* noſter unum ſtatuit. Contra Hebræi non unum ſed duos collocant, quibus Catholicanorum nomen additum. *Ex Lightfooti* ſententia & verbis, quæ habet *de miniſt. Templi pag. 688.* ſatis elucet, non unum fuiſſe ærarii præfectum, ſed duos. Si *Joſepho* fides habenda qui *Rabbinis* & *Maimonidi* jure videtur antehabendus, unum tantum ſtatuere licebit. Nam ſi duo fuiſſent, id *Joſephum* non

non latuisset. Atqui nonnulla memorat, quæ unum Ærario impositum esse satis innuunt. L. *Crassus* insigni avaritia impulsus e Thesauro Hierosolymitano non solum signatum, sed etiam rude aurum, nec non insignem illam trabem ex auro solido abstulit, uti *Joseph. lib.* 14. *antiq. cap.* 12. asserit, qui etiam confirmat, quod Trabem auream Sacerdos seu Thesauri custos tradiderit *Eleazar*; aut *Eleasar* habuit consortem, aut non; At expertem collegæ fuisse *Eleazarum*, *Josephus* testatur. Ergo. Nam trabs hæc aurea inserta erat trabi cavæ ligneæ, quod cæteris omnibus ignotum, solus sciebat *Eleazarus*. Si igitur *Eleazar* collegam habuisset, sine ejus consensu tantam auri copiam ad *Crassum* non tulisset, ne imprudentiæ notam solus incurrisset. Sic legimus apud *Josephum lib.* 20. *antiq. cap.* 1. Judæos legatos misisse ad *Neronem* & *Helciam* Sacri ærarii custodem. Ecce unus tantum ærarii custos adducitur. Imo Scriptura duorum ærarii custodum nunquam mentionem facit. Fabula itaque Hebræorum est, quæ plures statuit.

5 *Sub sigillo gazophylacis.*) Ob ingens pretium vestimenta in Thesauro recondita erant. *Maimon. Halach. Kele Hammikd. cap.* 8. docet, Pontificem Maximum habuisse proprium conclave in Templo, in quo tanquam in thesauro vestes aureas occluderet. Ad istud conclave forsan respexit *Joseph. antiq. lib.* 15. *cap.* 14. Sed arcem *Antoniam* vocat, de qua pluribus egit celeb. *Braun.* in *vestit. Sacerd. Hebr. lib.* 2. *cap.* 24. *pag. m.* 835.

CAPUT DECIMUMSEPTIMUM.

De oblationibus votivis, & voluntariis.

SEquitur, ut dicam de oblationibus sive sacrificiorum, sive donorum, [1] quæ ex voto, vel ex voluntate confectæ sunt; de quibus Levitici VII. *Si voto vel sponte quis obtulerit hostiam;* & XXIII. *Hæ sunt feriæ Domini, quas vocabitis sanctissimas: offeretisque in eis oblationes Domino, holocausta, & libamenta juxta ritum uniuscujusque diei, exceptis sabbatis Domini, donisque vestris, & quæ offeretis ex voto, vel quæ sponte tribuetis Domino.*

[2] Vota dicta, quæ quis impetrandæ gratiæ causa se Deo [3] soluturum spopondit, quæ non reddere, [4] nefas Deus constituit, Deuteronomii XXIII. *Quod si voveris votum Domino, ne moreris reddere illud, quia quærens quærit Dominus illud abs te & erit tibi in peccatum.* Quæ verba sic exponit Philo de sacrificio Abel: *Votum est petitio boni alicujus a Deo, mandatur autem, ut voti compos sine mora corban offerat Deo. In quo qui peccant, alii per beneficiorum oblivionem gratiarum actione se privant; alii per nimiam arrogantiam se ipsos auctores bonorum suorum existimant, non Deum; alii bona quidem sua ad Deum referunt, sed suo se merito ea consequi putant.*

Voti vero [5] concipiendi formula fuit talis, Judicum XI. *Votum vovit Domino dicens, Si tradideris filios Ammon in manus meas; quicunque primus fuerit egressus de foribus domus meæ, eum holocaustum offeram Domino.* & primo Samuelis I. *Votum vovit dicens, Domine si dederis servæ tuæ sexum viri, dabo eum Domino omnibus diebus vitæ ejus, & novacula non adscendet super caput ejus.* & II. Regum IIX. *Vovens vovit servus tuus dicens, Si reduxerit me Dominus in Hierusalem, sacrificabo Domino.*

Qui vero faciebat quod Deo promiserat, is votum solvere, & votum reddere dicebatur: ut Levitici XXII. *Qui obtulerit oblationem suam vel vota solvens, vel sponte offerens.* & II. Regum IIX. *Vadam, & reddam vota mea, quæ vovi Domino in Hebron.* & VII. Proverb. *Victimas pro salute devovi, vota hodie reddidi.*

Exstat etiam Lex [6] de votis faciendis, & persolvendis, quæ virum hoc modo astringit: Numer. XXX. *Si quis virorum votum Domino voverit, aut se constrinxerit juramento, non faciet irritum verbum suum, sed omne quod promisit, implebit.* Puellam autem quæ erat in potestate patris, aut mulierem quæ erat in potestate viri, si promittente illa pater, aut vir tacuissent, ipsam obligavit; si contradixissent, non item. Viduam autem & repudiatam jurejurando teneri voluit.

Unusquisque autem aut animam suam Deo vovit, aut res suas. Si animam, [7] pretio redimere potuit; si animal, mutari votum non potuit, & consecratum Deo mansit, Domum autem si vovit, pretio aucto redimere potuit. Omnis vero æstimatio siclo sanctuarii ponderata est. Siclus viginti obolos habuit. Hæc & alia hujusmodi ad votum pertinentia multis verbis tradita continentur Levitici capite extremo. Fuit autem ultimum voti genus, cum quis semetipsum Domino consecravit: de quo dictum est, ubi de Nazaræis est disputatum.

Vota vero in Templum, perinde ac cetera dona, delata esse, indicavit Hieremias XXXIII. cum dixit: *Vox portantium vota in domum Domini.*

Quæ vero sponte oblata sunt, ea opposita sunt eis quæ quis non solum ex voto solvit, sed etiam ex lege: ut quæ omnino a libertate voluntatis manarint. Unde Judicum

dicum XII. *Pecunia, quæ offertur pro pretio animæ, & quam sponte, & arbitrio cordis sui inferunt in Templum Domini.* & Esdræ primo: *Adjuvent eum viri de loco suo, auro, & argento, & substantia, & pecoribus, excepto quod voluntarie offerunt Templo Dei quod est in Hierusalem.*

NOTÆ AD CAPUT DECIMUMSEPTIMUM.

[1] *Quæ ex voto &c.*) Vota Judæorum in duas classes distincta, antiquitatis judaicæ periti testantur. Vocabantur vero נדרי הקדש vota consecrationis sive Promissionis & נדרי איסור vota obligationis sive prohibitionis. נדרי חקדש Vota consecrationis erant oblationes Sacræ quæ Deo promittebantur, utpote cum aliquid in usus Sacros Deo devoveretur. נדרי איסור vota prohibitoria vero erant obligationes, quibus Judæi sibi prohibebant res in vita communi licitas v. g. cibos licitos, conversationem licitam, operas licitas & alia hujusmodi. vid. de hac re *Maimonid. de votis cap.* 2. *Num.* 1. 2. 3. 4. Dicebantur illa Hebræo vocabulo נדרים & נרבות nullo discrimine distincta, nisi quod in נדרים quis teneatur ad cautionem de futuro damno; in נרבות voluntariis non item. e. g. Si quis voverit agnum in holocaustum, agnus vero vel fuerit mortuus, vel furto subreptus, necessarium ipsi erat qui vovebat, ut alium in deperditi locum substitueret, ad quod tamen non tenebatur, qui sponte ad holocaustum agnum obtulerit *Megill. cap.* 1. 6. *Henric. Ottho. Lex. Rabb. Phil. pag. m.* 672. Observandum autem quod alia *votivi*, alia *voluntarii* nuncupandi ratio fuerit. Qui *votum* nuncupabat, in hanc sententiam locutum ferunt: Ego pecude, ferto, huisce pecudis similæve pretio Deo me facturum sancte recipio; secus qui *voluntarium* sacrabat, quippe cum sic locutum volunt: ego hac pecude aut hac dape Deo faciam, qua de re ita *Maimonid. in Maase Korban. cap.* 4. differit hisce: *Quodnam est Sacrificium votivum? quodnam itidem voluntarium? Si quis dixerit, ego holocaustum, ego sacrum salutare, ego fertum, aut ego hujus pecudis pretium pro holocausto, aut sacro salutari Deo me daturum sancte recipio, hoc votum est. Sin dixerit, ego hanc pecudem, aut hujus pecudis pretium, holocausti, aut victimæ salutaris nomine Deo reddam, ego hanc Ephæ decimam pro ferto dabo, hoc est sacrum voluntarium.* Et alio in loco *Nedarim. cap.* 1. Qui dicit: Ecce hoc Sacrificium in me sancte recipio, votum est. Qui dicit: *hoc Deo sacrum erit*, voluntarium. Neque multo aliter *Abarbanel. in præf. ad Levit.* confer. *Henric. Ainsworth. comment. in Levit.* 7. *fol. m.* 38. *edit. Lond.*

[2] *Vota dicta.*) Hic autor noster descriptionem voti exhibet, quam viri docti alias ita describunt. *Votum est promissio Deo, pro obtinendo quopiam beneficio cum firmitate aliqua & obligatione ad illud, quod prius erat liberum agere.* Requisita voti varia sunt: ex parte ejus cui vovetur, est acceptio: Ex parte voventis. 1. *Propositum.* 2. *Promissio.* Ita disting. votum a desideriis & optatis Matth. 21. 9. it. a precibus, vid. Hug. Grot. *lib. de J. B. & P. lib.* 2. *cap.* 11. 3. *Intellectus*, excluditur enim hic dolus & ignorantia. Ex partte materiæ requiritur, ut res in libera nostra potestate posita sit neque impossibilis, per se mala, vana, aut inepta, non vero naturaliter necessaria & debita.

[3] *Soluturum spopondit.*) Formula vovendi, quæ Judæis usitata fuit, communiter hæc erat: Erit ea res oblatio si edam illam. Perinde erat, sive Judæus usitata hac formula uteretur, sive lingua loqueretur balbutiente, & formam vovendi pronuntiaret mutilate, sive tantum Synonyma votorum afferret: Constat illud ex trito Hebræorum canone: *Omnia Epitheta votorum sunt sicut ipsa vota.* Familiare enim Judæis V. T. erat, ut non semper usitatam vovendi formulam adhiberent, sed aliis quoque uti verbis soliti fuerunt. v. g. האומר לחבורו קונם קונה קונר si quis diceret proximo suo *Konem*, *Koneh*, *Kones*, Ecce hæc epitheta Korban in usus sacros. Explicat vocem קונם *Maimon. in Berachoth. Babyl. fol.* 51. 1. sit super me sicut res sacra. Sic etiam *R. Nissim* in נדרים. *c.* 1. *Konem*, *Konech*, ecce sicut vocabula sacrationis vid. Angl. *Joh. Lightfoot. in Hor. Hebr. Talm. p.* 368. 369.

[4] *Nefas Deus constituit.*) Prohibuit Deus *Levit.* 27. 10. ne aliud animal, quod fuerit devotum, substituatur, neque mutetur. Multo magis nefas constituit, si votum plane non reddatur. Voluit Deus hac re indicare gravitatem legis hujus & punire hominum levitatem & inconstantiam in rebus sanctis. Hinc Hebræorum canones teste *Maim. tom.* 3. *in Temurah* & *tract. de mut. c.* 1. *s.* dicunt, quod is, qui commutet votum a Magistratu verberetur. conf. *Henr. Ainsworth. in Levit.* 27. *fol.* 278. *edit. Londin.* Votum itaque Domino factum cito reddendum, vel tempus non est prolongandum & differendum. Si igitur homo absolute votum vovisset Deo, omni alacritate illud reddere debebat, ne mors præveniat. Ita Hebræi dicunt: Si quis dicat, non discedam e mundo, donec fuero *Nazaræus*, en statim Nazaræus fiat, ne moriatur. Sin vero Nazaræatum differat transgreditur. *Maim. tom.* 3. *tract. de Nazar. c.* 1. *s.* 4. Solutio votorum plerumque diebus festis fiebat solennibus, & si omnes præterlabi sineret transgrediebatur præceptum Dei datum vid. *Maim. de oblat. & Sacrif. cap.* 14. *s.* 13. Solutio autem de optimis fieri debebat, non autem vitiosis.

[5] *Concipiendi formula,*) Autor noster adducit formulam voti *Jephtæ*, & dicit, formulam concipiendi voti hanc fuisse. Verum videbimus an verum hoc fuerit legitimum? Notum enim est, quod multa fuerint de quibus votum concipi non potuerit & quamvis fuerit conceptum, ab obligatione tamen immunia erant; utpote si essent *ludicra*. *v.* 9. Si quis voverit, se velle cum altero cænare vel se rem emere nolle caro pretio, hujusmodi erant vota depariete non aspiciendo. Neque obligabant *vota erronea* si voverent contrarium ejus rei quam fecerant. e. g. si voverent, se non edisse, cum tamen edissent. Ejusmodi etiam erant *coactiva*, ad quæ ab exactoribus & publicanis cogebantur, ubi mens voto non consentiebat: ut & *falsa*, si voveret hanc vel illam rem esse legitimam & mentiretur. Denique nec obligabant *impossibilia*, si formulis ejusmodi enuntiarentur, quæ fieri non possent. Hinc facile patet quid sentiendum de voto *Jephtæo* de quo jam quæritur, utrum illud fuerit legitimum nec ne? Sunt qui votum illud ex eorum numero fuisse existmant, quod optime stare atque sic obligare possit, cum videatur Jephta votum illud ex instinctu spiritus divini volvisse, quod quinque rationibus probatum sed & refutatum a *Danhauvero* in *disser. de voto Jepht.* Alii vero *Θεόπνευστον* illud non fuisse, dicunt, cum *ἀνθρωποθυσία* sit vetita & Deo abominabilis *Deut.* 12. 31. Quare votum illud fuisse temerarium, impium & parricidiale quod non potest excusari nisi per zelum inordinatum atque erroneum. Atque hinc statuimus votum fuisse præposterum. Sive existimes Jephtam interfecisse filiam, sive quod eam ad perpetuam condemnaverit virginitatem, undique tamen peccavit. Confer. *cl. M. Joh. Schelwigius in dissert. de vot. Hebr. Sched. de Diis Germ. Saubert. de Sacrific.*

[6] *De votis persolvendis.*) Solvebant nimirum omnium infantum vota parentes, si infantes non intelligerent quanti momenti vota essent; quod si pueri annum duodecimum, & puellæ undecimum complevissent ac vota intelligerent, prævio examine, quid vota essent, & quidnam Deo vovissent, non solvebantur eorum vota, sed confirmabantur potius. *Maim. cap.* 11. *n.* 12. *seq.* quod si essent adultiores, sine examine vota illorum valebant. Valebant autem dicto modo infantum vota, si infantes non essent amplius sub potestate Parentum; quod si sub potestate Parentum essent, etiamsi istos dictos annos complevissent, Parentes tamen solvere eorum

vota

vota poterant juxta *Maim. in Misch. cap.* 11. & *Misch. de vot. cap.* 12. Deinde præter Parentes etiam mariti solvebant vota uxorum, ab eo scil. tempore, quo benedictio Sacerdotalis peracta erat, (Nam ante benedictionem Sacerdotalem maritus in uxorem exiguam, imo nullam habebat potestatem, itaque nec vota solvere poterat, usque dum eas expelleret) Quod si puellæ desponsatæ essent, & sponsus & pater (quicunque prius vellet) solvebant earum vota. Eodem modo si quis Leviram suam sive fratris sine prole morientis uxorem duceret, non prius ea vota solvebat quam cum sub illius potestatem veniret, juxta *Maim. c.* 11. & *Misch.* de *vot. c.* 10. Insuper parentes solvebant omnia liberorum vota & mariti tantum illa, quæ animum affligebant, & ad maritos proprie pertinebant; Hinc si uxor voveret se nolle rei familiaris curam habere, votum hoc non poterat solvere maritus, quia non affligebat animum. Sic nec vota quæ uxor tanquam vidua vovisset, maritus solvere poterat, quia ad illum non pertinebant. Solvebant etiam mariti vota bona uxorum v. g. si vovissent, se nolle fucare facies, vestes induere acupictas aut edere cibos nocuos, de quibus *Maim. c.* 12. Tempus solvendi autem vota erat 1. ut antequam implerentur conditiones votorum, vota solverentur. v. g. si quis abstinentiam vovisset a vino, si vellet ire in hunc vel illum locum & nondum ivisset, solvi poterat. 2. Ut solverentur, si audirentur, vel etiam quamprimum fama de iis perveniret ad aures eorum, qui id jure solvere poterant. 3. Ut tunc solverentur, quando essent præstita, v. g. si quis vovisset interdiu, etiam vota debebant solvi, si noctu, nocturno tempore solvebantur. 4. Ut si pater vel maritus de liberis vel uxore audirent votum, nihilque ad id per diem dixissent, elapso die amplius solvi non poterat, sed manebat.

7 *Pretio redimere potuit.*) Si quis animam voverit, pretio redimere potest. Hæc lex legitur *Levit.* 27. *v.* 2. ubi per animam totus homo intelligitur teste *Henric Ainsworth. Comment. in Levit.* 27. *fol.* 176. conf. *Maimon. in Erach. c.* 2. *f.* 1. 4. Hic redimi poterat certa data summa pecuniæ uti cit. loc. ex *Rabbin. Ainsworth. adfert fol.* 176. 177. *edit. Londin.* Verum his obstare videtur *vers.* 29. Omne anathema quod devovetur ab hominibus non redimetur, morte morietur (cum vers. 28. æque homines ac alia, quæ in nostra potestate, dicantur anathemati devoveri posse) liberi a parentibus, & servi a Dominis suis absque injuria devoveri ac occidi potuerint. Sermo durus ἄλογος inquit *Noldius* in *Concord.* §. 1189. Patet enim ex sacro Codice, quod nec Cananæi, nec servi peregrini in quos beneficium anni Jubilæi non cadebat, sed qui perpetuæ servitutis erant, insontes a Judæis occidi poterant. Præcavit illud providentia divina *Exod.* 22. 21. & 23. 9. *Levit.* 19. 33. Imo sub maledictione Deut. 27. 19. *Mal.* III. 5. & *Num.* 15. 16. 29. Unde nullum in eos, nedum in liberos Judæi vitæ jus arrogare sibi poterant, neque ullum reperitur in tota scriptura sacra exemplum. Notandum autem in his verbis כל חרם מות יומת Omne anathema morte morietur, quod חרם tripliciter accipi soleat, 1. חרם כהנים Anathema seu devotum Sacerdotibus, hoc est, aliquid quod sacratum Deo necessario cesserit Sacerdotibus. 2. חרמי גבוה Anathema seu devotum altissimo cujus exemplum est *Levit.* 27. 28. scil. quod sacris destinatum usibus nunquam rediit ad priorem Dominum. ut 1. *Sam.* 1. 11. ubi *Hanna* vovit *Samuelem* Deo in *Bab. Nedar* vocatur חרמי שמים Votum cœli. 3. חרם אשר יחרם מן האדם Anathema quod anathematizatur ex hominibus, de hoc Levit. 27. 29. Anathema igitur ex hominibus est damnatus a synedrio ad mortem, ubi nulla intercessio quicquam valebat vid. *Bab. Chetabb. fol.* 37.

CAPUT DECIMUMOCTAVUM.

De Primitiis & Decimis.

UT autem placandi Dei gratia sacrificia aut oblationes fecerunt, sic etiam orandi caussa jejunarunt [1] fleverunt, [2] saccum induerunt, sese [3] cinere conspersérunt, [4] humi prostraverunt, atque omnino omnes humiliandi corporis rationes exquisiverunt: idque aut [5] publice, aut privatim. Publice, [6] jejunium universo populo [7] indicentes: privatim, pro sua quisque religione id obeuntes. Si publice fecerunt; aut [8] ordine fecerunt, semel in anno ex lege; aut [9] extra ordinem, cum arbitrium, aut [10] necessitas tulit: idque vel in [11] dies septem, vel tres, vel usque ad vesperam. Si privatim, pro suo quisque arbitratu in eodem manens instituto peregit.

Legitimum atque ordinarium jejunium peractum est die decima Septembris in die Expiationum, idque solum jejunium a Deo mandatum est. Quare dies ille Jejunium, aut dies jejunii vocatus est. De quo ante dictum est.

De jejunio publico extra ordinem indicto agitur Paralip. Secundo, cap. xx. *Josaphat rex timore perterritus totum se contulit ad rogandum Dominum, & prædicavit jejunium universo Juda.* & Hieremiæ XXXVI. *Factum est in anno quinto Joacim regis Juda in mense nono, prædicavere jejunium in conspectu Domini omni populo Hierusalem universæ multitudini, quæ confluxerat de civitatibus Juda.* & Esdræ primi octavo: *Prædicavi ibi jejunium juxta fluvium Abava, ut affligeremur coram Domino Deo nostro, & peteremus ab eo viam rectam nobis.* Jejunii porro publice celebrati insignis mentio est Judith quarto: *Clamavit omnis populus ad Dominum instantia magna, & humiliaverunt animas suas in jejuniis & orationibus, ipsi, & mulieres eorum: & induerunt se sacerdotes ciliciis, & infantes prostraverunt contra faciem templi Domini. Tunc Eliachim sacerdos Domini magnus circuivit omnem Israel, allocutusque est eos dicens, Scitote, quoniam exaudiet Dominus preces nostras, si manentes permanseritis in jejuniis & orationibus in conspectu Domini. Ad hanc exhortationem ejus deprecantes Dominum permanebant*

in conspectu Domini, ita ut etiam qui offerebant Domino holocausta, præcincti ciliciis offerrent sacrificia Domino, & erat cinis supra capita eorum, & ex toto corde suo omnes orabant Deum, ut visitaret populum suum Israel. Item Judicum XX. *Omnes filii Israel venerunt in domum Dei, sedentes flebant coram Domino, & jejunaverunt die illo usque ad vesperam, & obtulerunt ei Holocausta & Pacificas victimas*. & Primo Regum VII. *Congregate universum Israel in Maspha, ut orem pro vobis Dominum; & convenerunt in Maspha, & hauserunt aquam, & effuderunt in conspectu Domini, & jejunarunt in die illa, atque dixerunt ibi: Peccavimus Domino*. & primo Maccabæorum tertio: *Et congregati sunt, & venerunt in Maspha contra Hierusalem, qui locus erat orationis in Maspha ante in Israel; & jejunarunt illa die, & induerunt se ciliciis, & cinerem imposuerunt capiti suo, & disciderunt vestimenta sua*; & XIII. secundi: *Omnibus petentibus a Deo misericordiam cum fletu, & jejuniis per triduum continuum prostatis hortatus est eos Judas, ut se præpararent*.

Privati vero jejunii ratio ex his elici locis potest, Numerorum XXX. *Si uxor voverit, & juramento se constrinxerit, ut per jejunium, vel ceterarum rerum abstinentiam affligat animam suam; in arbitrio viri erit, sive faciat, sive non faciat*. & XII. secundi Regum: *Deprecatus est Dominum David pro parvulo, & jejunavit jejunio, & ingressus seorsum jacuit super terram*. Unde paulo post ipse dixit: *Propter infantem, dum adhuc viveret, jejunavi, & flevi. Dicebam enim, Quis scit, si forte eum mihi donet Dominus, & vivat infans?* & XXI. tertii. *Cum audisset Achab sermones istos, scidit vestimenta sua, & operuit cilicio carnem suam, jejunavitque & dormivit in sacco, & ambulavit demisso capite*. Et primo secundi Esdræ: *Cumque hæc audissem, sedi, & flevi, & luxi diebus multis, & jejunabam, & orabam ante faciem Dei cœli*. & quinto quarti: *Si oraveris iterum, & ploraveris, & jejunaveris, septem diebus, audies iterum horum majora*. & Judith IIX. *Judith in superioribus domus suæ fecit sibi secretum cubiculum, in quo cum puellis suis clausa morabatur, & habens super lumbos cilicium jejunabat omnibus diebus vitæ suæ, præter sabbata, & neomenias, & festa domus Israel*.

Hæc igitur cum esset Judæorum in jejunando consuetudo, sane apparet, cur Pharisæi, qui se ceteris religione præstare videri volebant, ita jejunium amplecterentur, ut [12] bis in sabbato jejunarent, teste S. Luca, & admiratione affecti sint, cur, cum ipsi jejunarent, discipuli Christi non jejunarent. Probatum autem esse ab ipso etiam Christo jejunium, liquet ex eo, quod & ipse more Moysis & Heliæ jejunavit, & jejunii rationem docuit, inquiens: *Cum jejunatis, nolite fieri, sicut hypocritæ tristes. Exterminant enim facies suas, ut appareant hominibus jejunantes*.

Ut autem Sacrificia justitiæ & laudis dilexit magis Deus, quam victimarum & sanguinis; sic justitiam, sive caritatem potiorem jejunio habuit, atque omnino cordis afflictionem, quam corporis. Indicat Isaias LIIX. inquiens: *Nunquid tale est jejunium quod elegi, per diem affligere animam suam? numquid contorquere, quasi circulum, caput suum, & saccum ac cinerem sternere? nunquid istud vocabis jejunium, & diem acceptabilem Domino? nonne hoc est magis jejunium quod elegi? dissolve colligationes impietatis, solve fasciculos deprimentes, dimitte eos qui confracti sunt, liberos, & omne onus dirumpe: frange esurienti panem tuum, & egenos vagosque induc in domum tuam. Cum videris nudum, operi eum & carnem tuam ne despexeris*. Indicat item Joel: *Hæc dicit Dominus: Convertimini ad me in toto corde vestro, in jejunio, & in fletu, & in planctu, & scindite corda vestra, non vestimenta vestra*. Hæc vero mandabantur Judæis, qui studiosius jejunia, quam caritatem amplectebantur, & cibum facilius fastidiebant, quam peccatum aversabantur. Ac de ritibus quidem sacris hæc dicta sint.

NOTÆ AD CAPUT DECIMUMOCTAVUM.

[1] *Fleverunt*.) Hanc pœnitentiæ partem constitutivam volunt esse Hebræi, scribunt, vocantque הצער במעשה *afflictionem in opere*. De hac *Rabbini* & quidem R. *Jonas*, uti ex illius scriptis extraxit *Sebast. Schmid.* in *dissert. de pœnitent. edit. Argentin.* 1678. *pag. m.* 19. differit hoc modo: Quarta est afflictio in opere, quemadmodum dictum est: Et nunc etiam, dictum Domini, revertimini usque ad me, in toto corde vestro, in jejunio & fletu & luctu. *Joel.* II. 12. Lacrymæ etenim signa pœnitentiæ sunt, uti *Maria* lacrymans ostendit. conf. *Carpzov. cap.* 4. *de Jejun. pag.* 31. *Maimon. edit. Lipf.* 1662.

[2] *Saccum induerunt*.) Saccum signum pœnitentiæ fuisse & ipsa Sacra Scriptura testatur. Ita *Saccus* construitur cum verbo חגר accinxit, 2. *Sam.* 3. 31. ubi *David* ad *Joabum* omnemque populum: Scindite vestes vestras & accingite saccum & plangite. 1. *Reg.* 20. 32. Eadem de servis *Benhadadi* leguntur. conf. *Jerem.* 4. 8. *cap.* 6. 26. *Jerem.* 49. *Thren.* 2. 10. Aliquando saccus etiam assumebatur supra carnem immediate, depositis vestibus consuetis, quomodo *Job.* 16. 15. legitur. Ita *Achab* gravibus auditis minis, scidit vestimenta sua, posuitque saccum super carnem suam & jejunavit. 1. *Reg.* 21. 27. vid. de his plurib. *Gejer. de luctu Hebr. cap.* 22. *pag.* 419. 420. *seq. Martin. de Roa. Singul. tom.* 2. *Picinelli lumi riflessi*. *Dillherr. diss. Academ. part.* 1. *pag.* 133. aliosque.

[3] *Cinere consperserunt*.) Quem ritum veteres obser-

ſervarunt *in mærore* & triſtitia, videatur de hoc more *Gejer de luctu Hebr. cap. 9. pag. m.* 227. *ſeqq. Dieter. Antiquit. Bibl. Johan. Dought. Analect. Sacr. part.* 1. *pag. m.* 117. *edit. Amſtel.* 1694. *Dillher. diſſert. Academ. pag.* 134. *Martin. de Roa. Singul. lib. tom.* 1. *cap.* 3. *lib,* 4. *pag. m.* 363. *ſeq.* conf. *Joh. Henric. Otho. Lexic. Philolog. Rabbin. pag. m.* 258. ubi in *Taanith. c.* 2. *Juchaſin fol.* 59. plurima adducit.

[4] *Humi proſtraverunt.*) Quod ad *procubium in terram* attinet, non minus id Græcis quam Romanis, Hebræis atque omnibus fere Gentibus commune fuit, cum aut ſupplicarent, aut ſe victos alicui traderent. Supplicare enim perinde eſt, atque plicare ſub, vel flectere ſe ſub alicujus aſpectum, aut genua quod ii faciunt, qui demiſſe ac reverenter precantur. Unde ſupplicaturi prius procumbunt. *Petron. in Satyr.* Procubuit ante pedes & rogare cæpit ut ſe pœnæ eriperemus. Docet idem *Arnob. lib.* 4. confer. *Gejer.* de hoc ritu agentem *in Tract. de Luctu Hebr.*

[5] *Publice aut privatim.*) Publica jejunia inſtituebantur die ſeptimanæ ſecundo & die Sabbathi ac die quinto ſequente ac iterum die ſecundo ſequente & die quinto ac die ſecundo ſequentibus, donec calamitas ob quam jejunium ſuſceptum erat, tolleretur. Jejunia autem privata, quæ vel ob ægrotum vel peregre errantem, vel captivum vel ob ſimilem caſum inſtituebantur, in Sabbatho & feſtis diebus prohibebantur. Præterea jejunium privatum erat, quod vocabatur jejunium horarum, ſi Judæus ante jejunii promiſſi tempus jejunare aliquot horis inciperet, vel ſi die aliquo non jejunaſſet particulam diei reſiduam tranſigere jejuno ſtomacho deſideraret. Denique ſi forte eveniret, ut Judæus ex una Diecæſi ad aliam proficiſceretur, quæ jejunabat tenebatur una cum illa jejunare, utut illa, a qua profectus, non jejunaret. Illud autem jejuniorum tempus, ſive illa publica jejunia eſſent, ſive privata vel rumpi vel continuari pro re nata poterat. vid. *Maimon. de jejun. c.* 1. 13. 15. 17.

[6] *Jejunium univerſo populo.*) Rationes ob quas univerſus populus jejunare tenetur refert *Maimonid. in tract. de jejun.* quam Joh. Benedict. Carpzov. latine edidit. *cap.* 11. Verba ejus huc adſcribenda cenſeo. Hæ ſunt anguſtiæ illæ totius populi, propter quas omnes jejunant & plangunt: Propter afflictionem, qua Iſraelitarum inimici Iſraelitas affliciunt, propter gladium, propter peſtem, propter beſtiam malam, propter locuſtam: propter aduſtionem ſegetum, propter rubiginem, propter ruinam, propter morbos, propter alimentum, ac denique propter pluviam. Sed quæritur quando ob gladium jejunent? Scilicet, etiamſi ſit gladius pacis, v. g: Si contra ſe invicem caſtra Cuthæi ipſi habeant, atque per Iſraelitarum regionem cum copiis progrediantur, quanquam nullum inter hos & Iſraelitas intercedat bellum, tamen hæc eſt afflictio aliqua digna propter quam jejunent. Item quæritur quando propter peſtem jejunent; & quid per peſtem intelligatur, ſi quingenti homines in quadam urbe ſint & tribus continuis diebus tres mortui efferantur, tum peſtis eſt. Sin die uno efferantur, aut quatuor diebus non eſt peſtis. Quod ſi in ea fuerint mille & efferantur ſex mortui tribus diebus continuis peſtis eſt; ſin die uno, aut diebus quatuor efferantur non eſt peſtis. Atque ita conſequenter ſecundum hanc ſupputationem. Non tamen mulieres, nec infantes, nec ſenes, qui laborem ſuſtinere nequeunt, ſed in genere virorum provinciæ numerus huc referendus; plura dict. loc. videantur.

[7] *Indicentes.*) Jejuniorum tempus indicebatur tubis, quæ in longum fabricatæ erant, atque ita a buccinis, quæ curvæ erant diſtinguebantur, quibus tubis ſonus tremulus & fractus formabatur. Ritus & leges horum jejuniorum celebrationi indictæ potius ineptæ & ſæpe ridiculæ ſunt quam veræ pœnitentiæ aut devotionis ſeriæ ſigna, ut ut exacte ad demenſum temporis obſerventur a Judæis, & ipſi quidem externa ſpecie ac habitu corporis ſatis ad ſeveritatem & gravem pœnitentiam compoſiti videantur; vid. *plur. Reverend. Opitius in diſſert. de jejuniis Hebr. edit. Kilon.* 1680.

[8] *Ordine fecerunt.*) Statis temporibus Judæi jejunia publica habebant ob calamitates publicas. Illa autem ſtata tempora erant quatuor; 1. Dies *tertius menſis Septembris*; eo quod in primo Excidio Hieroſolymorum per Nebucadnezarem, occiſus iſto die fuerit *Gedalias*, filius Akiban de quo *Jerem.* 40. 41. 2. Dies decimus Menſis decembris; quia iſto die Rex Babyloniæ *Nebucadnezar* Hieroſolymam acceſſerit & obſidione cinxerit arctiſſima. 3. Dies 17. Menſis Junii, ut quo calamitates publicæ hæ evenerint: Scil. fractio tabularum Legis, abrogatio jugis ſacrificii ſub Templo priori & crematio Legis per Regem quendam Græciæ, cujus & idolum in Templo erectum. 4. *Dies* 9. *Menſis Abh, ſeu Julii*, ut quo itidem aliquot memorandæ afflictiones contigerint, nimirum in deſerto decretum divinum contra Iſraelitas tunc rebelles, utriuſque Templi deſolatio urbis Bether expugnatio &c. vid. de his *plur. Rever. Daſſov. in Coll. Mſo. de jejun. Joh. Meyer. de feſto.* Addit celeber. *Opitius* 5. ſcil. *diem* 13. *Menſ. Febr.* in memoriam ejus jejunii, quod tempore *Hamani* celebratum eſt.

[9] *Extra ordinem.*) Quando ſcil. nihil quicquam pluviæ a cœlo deſcendit, jejunia celebrant. Nempe ſi die XVII. Menſis Marcheſvan (octobris) nondum deſcenderit pluvia, ſoli Philoſophi incipiunt jejunare ſecundo & quinto, ac iterum ſecundo Septimanæ diebus. 2. Si Kalendis menſis Caſleu (Novembris) nondum pluvia deſcenderit, decernunt populo univerſo Synedrii Adſeſſores tria jejunia, diebus jejunii ordinariis, videlicet ſecundo, quinto, ac iterum ſecundo, & tum noctu iis edere ac bibere conceſſum. Sacerdotes tamen ſtationarii quia in ſacro miniſterio occupati ſunt, non jejunant una. Contra omnis populus in Synagogis congregatus orat, clamat & ſupplicibus precibus divinam gratiam quærit, non aliter, ac cæteris jejunii diebus facere conſuevit. Hæc tria jejunia cum obſervant, prohibitum eſt univerſo populo laborare, aut facere quicquam interdiu; at noctu licet. Prohibitum aqua calida lavare totum corpus, ſed faciem tamen & manus atque pedes licet: idcirco balnea occludunt. Item unguento uti, induere calceos &c. interdictum eſt.

[10] *Neceſſitas tulit.*) Cauſas publice indicendorum jejuniorum *extraordinarie R. Maimonid. de jejun. c.* 2. *n.* 1. allegat præcipue has ſeqq. calamitates; propter gladium & afflictionem arctantium Iſraelem hoſtium; propter peſtem, propter beſtiam malam, propter locuſtam & bruchum, propter aduſtionem ſegetum & rubiginem, propter morbos, propter alimentorum & annonæ caritatem & propter pluviam. Quorum aliqua ſuis adhuc conſtant reſtrictionibus aut ampliationibus; ut ſcil. *Peſtis* quidem æſtimetur, ſi 500. homines in aliqua civitate fuerint, & tribus continuis diebus 36. mortui efferentur non numeratis mulieribus & infantibus. *Malæ beſtiæ* autem malum reputatur tunc demum, ſi ea ſibi ſuæque ferociæ permiſſa ſæviat, quod variis circumſtantiis determinatur a *Maimonide*. Quemadmodum etiam de *locuſtis* & *ſcarabæis*, ſi vel unica earum conſpiciatur ala per univerſam Iſraelitarum regionem & quæ alia ſunt, uti prolixis verbis retulerunt celeb. Opitius & Daſſov. in Coll. Mſo. quos benevol. Lector evolvere velit in primis citat. Diſſert. de jejuniis *Opitii* & *Carpzov. Maimonid.*

[11] *Dies ſeptem.*) Si pluvia nondum deſcenderit ſeptem alia jejunia Senatus decernit, quatuor proximis Lunæ ac tribus Jovis diebus celebranda, teſte *Maimonid. cap.* 3. *n.* 5. *de jejun.* Singulis horum ſeptem poſteriorum jejuniorum, quæ propter pluviam indicuntur, diebus; ad hunc modum & ordinem ſacra peraguntur; Producta in plateam urbis arca, omnique populo convocato, ſaccis ciliciiſve induti arcæ, libro legis cinerem aſpergunt eo fine, ut uberiores populi lacrymas excitent. Inde nonnullus e populo cineris quid apprehendit, idque cum Principis, tum Patris Synedrii capiti imponit ea parte, qua applicari phylacteria ſolent, ut pudore ſuffuſi reſipiſcant. Quo facto unuſquiſque cinere ſublato caput conſpergit. Poſtea Senem ſapientia clarum aſſurgere jubent, circa quem conſident. Si haud præſto talis Senex fuerit, viro tantum ſapienti id officii demandant. At ſi nec Senex nec ſapiens præſens, elegunt virum moribus honeſtis & vitæ integritate conſpicuum, qui Orationem acutam habet. Hic nec ſaccus inquit, ciliciumve nec jejunium quid efficit, o fratres, ſed pœnitentia & bona opera, & exemplum de Ninive adducit: Finita hac oratione ſur-

ſurgunt ad preces fundendas. Dignus vero orandi officio in his jejuniis peragendo habetur, qui promtus & exercitatus eſt in precibus & lege, qui familiam, & media, unde eam alat, habet, qui facultates poſſidet in agro; in cujus familia nullus ſceleris cujuſdam invenitur reus. Initium orandi ita fieri ſolet: lectis precibus uſque ad benedictionem גואל ישראל (ut ex *Seder Thpillos pag.* 23. *col.* 2. *Carpzov. adducit*) oratio ex iis Scripturæ dictis, in quibus recordationis & buccinarum fit mentio, compoſita, annexa brevi præſentis miſeriæ ſumma, pronuntiatur. Deinde legitur Pſalm. CXX. *Ad Dominum in anguſtia mea clamavi & exaudivit me* & Pſalm. CXXI. *Levabo oculos meos ad montes &c.* Pſalm. CXXX. *de profundis ad te clamo Domine* & Pſalm. CII. *Oratio afflicti, cum deficeret angore*. Porro gratia divina imploratur, ac deprecationes ita fere finiuntur. Is qui Abrahamo, Patri noſtro, in monte Moria reſpondit, reſpondeat vobis, & vocem hodie exaudiat clamoris veſtri: Benedictus eſto, o Domine, Redemtor Iſraelis. Quibus ſex benedictiones iteratæ annectuntur, in quarum unaquaque verbis deprecatoriis, ex Scripturæ dictis depromtis, miſericordia Dei ſollicitatur. In prima hæc ponitur clauſula: Is, qui Moſi & patribus veſtris ad mare rubrum reſpondit, idem vobis reſpondeat & vocem clamoris veſtri exaudiat hodie. Benedictus eſto o Domine &c. In ſecunda: Is qui reſpondit Joſuæ in Gilgal. in tertia. Is qui reſpondit Samuel in Mizpah. In quarta. Is qui Eliæ in monte Carmel reſpondit. In quinta. Is qui Jonæ in ventre piſcis reſpondit. In ſexta: Is, qui Davidi ejuſque filio Salomoni reſpondit, exaudiat vos & benedicat. Tandem ſeptimo ſubjunguntur verba ex Jer. 17. 14. 2. *Sana nos Domine & ſanabimur*. Quotieſcunque autem ſeptem illa jejunia decernuntur, ubicunque etiam locorum ſit, toties omnis populus ſacris finitis in cæmeterium egreditur, ibique fuſis abunde lacrymis gratiam Dei & miſericordiam poſcit. Precationis formulas vide *in Seder Thpillos pag.* 75. *col.* 2. & 76. *col.* 1.

[12] *Bis in Sabbatho jejunarent.*) Phariſæos frequentius jejunaſſe ex Matt. 6. patet, quem locum autor ipſe adducit. *Nonnulli* Veterum illos ſingulis hebdomadibus die ſecundo & quinto *jejunia celebraſſe* tradunt, vide Rudolf. Gualter. *Homil. in Evangel. Luc. cap.* 18. *fol.* 441. Joh. Lightfoot. *hor. Talmud. in hunc locum* Johan. Boys *in explicat. Evangel. Luc.* 18. *fol. m.* 454. Quam male vero Chriſtus illorum jejunia tulerit, cognoſcitur ex verſu 16. ejuſdem capitis, ubi ita dicit: *Cum jejunaveritis, ne ſitis veluti hypocritæ tetrici: obſcurant enim facies ſuas*. In Græco exſtat *ἀφανίζειν*. Quid vero id hic denotet incertum eſt, quippe in ipſo hoc capite *verſ.* 19. alium plane ſenſum habet & ſignificat ablationem vel corruptionem. Ita *ἀφανισμὸς* pro corruptione accipitur, aut per mortem aut aliam rem facta, ut *γηράσκον ἐγγὺς ἀφανισμοῦ quod ſenuit, prope interitum eſt*. Hebr. 8. 13. Compoſita eſt ex a privativo vox *ἀφανισμὸς* & *φαίνω* appareo, & mortem ſignificat, ſeu ſenſu Atheorum diſſolutionem animæ in aerem, ſeu Chriſtiano, ſeparationem animæ a corpore. Et ſic hoc verbum non modo deſtructionem totam, ſed etiam remotionem aliqualem ſignificat. Ita loquitur *Thomas Magiſter*; *ἀφανίζεται ἀντὶ τοῦ ἀφανὴς ἐπὶ καιρὸν γίνεται, φιλόστρατος ἐν εἰκόσιν οὐχ ὡς ἀπόλοιντο, ἀλλ᾽ ὡς ἀφανισθεῖεν εἰς μίαν ἡμέραν: non ut plane deſtruantur, ſed uno atque altero die ita appareant*. Nec ineleganter his verbis *ἀφανίζειν πρόσωπα* additur *ἵνα φανῶσι νηστεύοντες*. Obſervandum autem de hoc, quod *Heſychius* annotat, ſcil. *ἀφανίσαι*, ſignificare *σκεπάσαι* obtegere. Notum igitur eſt quod obtegere caput apud Judæos, & dein apud alios populos tempore luctus in uſu fuerit, & adhuc hodie obſervetur. Pro me loquitur *Horatius* ita canens:


Rufus tecto capite, ut ſi filius immaturus obiſſet

Et alio in loco *Satyr.* 3. *lib.* 2.

— *Mittere operto me capite.*

ἐγκαλυπτόμενος capite operto. Qui ſibi mortem conſciſcere volebant, vel mortis periculum ſibi imminere putabant, vel quos alicujus facti valde pudebat, illi caput ſibi operiebant M. Tull. *lib.* 2. *de nat. deor. ut quidam Imperatores etiam ſeipſos diis immortalibus capite velato verbis conceptis pro republ. devoverint*. Tum qui extremo ſupplicio damnati erant, iis caput velabatur, ſeu obnubebatur, ut *Livius* refert *lib.* 1. *annal.* 1. *lictor, colliga manus, caput obnubito, infelici arbori ſuſpendito* conſ. Dionyſ. Lambin. *in Satyr. l.* 2. *ſ. m.* 127. 128. Clare etiam hujus meminit ipſa ſcriptura ſacra. 2. *Sam.* 19. 4. *Eſt.* 6. 12. *Ezech.* 24. 7. *Mich.* 3. 7. *Phavorinus in Lexico ſuo Græco dicit: Ἀφανίζεται non ſolum eſt τὸ φθείρεσθαι διόλου funditus perire, ſed etiam τὸ ἀφανὲς ποιῆσαι* i. e. obſcurum reddi ne videatur. Hæc ſententia confirmatur a contrario, *ἐμφανίζειν* enim manifeſtare ſignificat, & hæc ſignificatio bene convenit conſuetudini lugendi & jejunandi, quam Phariſæi obſervabant. Plura de hoc verbo dicit H Hammond. *in annotat. ad Matth. c.* 6. *fol. m.*36.

G.F.



I. N. J.

CAROLI SIGONII DE REPUBLICA HEBRÆORUM

LIBER V.

Qui de personis sacris inscribitur.

CAPUT PRIMUM.

De generibus sacrarum personarum.

DIRIGE *me in veritate tua Domine, & doce me. Narrabo nomen tuum fratribus meis*. Quod enim aliud est nomen tuum, quam quod invocant ii quos tu in sortem vocasti tuam? de quibus hoc mihi libro est disserendum. Neque enim, postquam de locis sacris, diebus, & ritibus dixi, relinquitur aliud, quam ut agam de personis, quæ horum locorum, dierum, rituum, & omnium denique cæremoniarum curam & custodiam habuerunt. Voco autem [1] personas sacras, quæ aut in ministerio divino versatæ sunt, aut quoquo modo Dei voluntatem ac legem exposuerunt. Hi vero fuere Pontifices, Sacerdotes, Levitæ, Cantores, Janitores, & Nathinæi. Item Nazaræi, Prophetæ, & Scribæ cum sectis eorum. Horum autem officia cum explicabimus, simul etiam munera Leviticæ tribus, quæ secreta a cæteris fuit, expediemus; quia huic religionis, reliquis ipsius administratio reipublicæ obtigit. Levitas enim, ut Numerorum tertio scriptum est, sibi ascivit Deus pro primogenitis Hebræorum, quos sibi destinarat jam tum, cum primigenas Ægyptiorum perculerat. Quos ut forte prædiorum orbavit, sic summis aliis præmiis atque honoribus decoravit, nam & participes eorum quæ Deo a gratis hominibus offerebantur, effecit, & solum cultum Dei tractare, tanquam curam sortemque propriam, voluit, sic enim XVIII. Num. ad Aaron loquens adjecit: *In terra*

ra eorum nihil possidebis, nec habebis partem inter eos, ego pars & hæreditas tua in medio filiorum Israel, filiis autem Levi dedi omnes decimas Israelis in possessionem pro ministerio, quo serviunt mihi in Tabernaculo fœderis. Ordiamur ergo a Pontificibus.

NOTÆ AD CAPUT PRIMUM.

[1] *Personas sacras.*) Personæ Sacræ proprie sunt, quæ funguntur ministerio sacro in templo. Ab his excludendi sunt Nethinæi, Nazaræi, Prophetæ ac Scribæ, ut quidem vult Autor noster. Possunt quidem Prophetæ dici personæ sacræ, nullam tamen sanctitatem hæreditariam habebant, neque stylo Hebraico ita dici poterant. Nethinim enim erant tantum proselyti, neque a Deo ad ministerium templi constituti. Ministerium horum consistebat in eo, ut quasi famularentur Sacerdotibus. Gibeonitæ erant, de quibus *Jos.* 9. & propter fraudem ad id damnati. Sic de aliis erronea opinio ab Autore inducitur.

CAPUT SECUNDUM.

De Pontificibus.

UT autem omnium sacrorum principatum tenuere ii qui Sacerdotes dicti sunt, sic inter omnes sacerdotes excelluit is, quem Pontificem appellarunt. Itaque in sacris libris non solum sacerdos, sed etiam sacerdos primus, sacerdos magnus, sacerdotum princeps, sive more Latino, [1] Pontifex nuncupatur, quo constituto reliqui simpliciter sacerdotes & sacerdotes secundi, sive secundi ordinis appellati; ut XXIII. quarti Regum: *Præcepit Josias rex Helciæ sacerdoti magno, & sacerdotibus secundi ordinis, & janitoribus;* & IV. Judith: *Eliachim sacerdos Domini magnus;* & III. Nehemiæ: *Eliasib sacerdos magnus;* & XXV. Regum: *Tulit princeps militiæ Sarajam sacerdotem primum, & Sophoniam sacerdotem secundum,* recte, Sarajas enim pontificatu maximo, Sophonias simplici sacerdotio fungebatur. Si ergo tanta in sacris ipsius pontificis auctoritas fuit, ut cæteris omnibus dignitate præstiterit, profecto qui diserte pontificatum expresserit, magna fundamenta ad reliqua intelligenda posuerit. Dicamus igitur de Pontifice, lectore ante admonito, quoniam Deus Aaronem Moysis fratrem ex tribu Levi pontificem, filios vero ejus sacerdotes constituit, propterea quæ de Aarone dicentur, ad pontificem; quæ de filiis, ad sacerdotes referenda videri; præterea vero, quoniam Exodi XXVIII. Tabernaculo explicito, de Pontifice ita præcepit, ut primum de vestibus ejus, deinde de consecratione, tum de conditionibus, ad extremum de muneribus egerit, ob id & nos quoque eundem ordinem in docendo conservaturos.

[2] Vestes ergo pontificiæ fuere octo, Superhumerale, Rationale, Tunica hyacinthina, Tunica linea stricta, Fœminalia linea, Baltheus, Tiara, & Lamina aurea, his enim Deus mandavit Moysi ut Aaronem pontificem designatum indueret. Non gravabor in hoc quoque primum verba referre legis, deinde ea alienis auctoritatibus illustrare sic igitur Deus de [3] Superhumerali præcepit: *Facient Superhumerale de auro, & hyacintho, & purpura, coccoque bis tincto, & bysso retorta, opere polymito, duas oras junctas habebit in utroque latere summitatum, ut in unum redeant, sumesque duos lapides onychinos, & sculpes in eis nomina filiorum Israel, sex nomina in lapide uno, & sex reliqua in altero juxta ordinem nativitatis eorum.* Adjicit inde de [4] Rationali hoc modo: *Rationale quoque judicii facies opere polymito juxta texturam Superhumeralis ex auro, hyacintho, & purpura, coccoque bis tincto, & bysso retorta, quadrangulum erit, & duplex mensuram palmi habebit tam in longitudine, quam in latitudine: ponesque in eo quatuor ordines lapidum, in primo versu erit lapis sardius, & topazius, & smaragdus; in secundo carbunculus, saphirus, & jaspis; in tertio ligurius, & achates, & amethystus; in quarto chrysolitus, onychinus, & beryllus, inclusi auro erunt per ordines suos, habebuntque nomina filiorum Israel, duodecim nominibus cælabuntur, singuli lapides nominibus singulorum per XII. tribus, portabitque Aaron nomina filiorum Israel coram Domino super utrumque humerum ob recordationem, portabitque Aaron nomina filiorum Israel in Rationali judicii super pectus suum; quando ingredietur Sanctuarium coram Domino, & gestabit judicium filiorum Israel in pectore suo in conspectu Domini semper.* Pergit inde de [5] Tunica Hyacinthina his verbis: *Facies & Tunicam superhumeralis totam hyacinthinam, in cujus medio supra erit capitium, & ora per gyrum ejus textilis, sicut fieri solet in extremis vestium partibus, ne facile rumpatur, deorsum vero ad pedes ejusdem tunicæ per circuitum quasi mala punica facies ex hyacintho, & purpura, & cocco bis tincto, mixtis in medio tintinnabulis, ita ut tintinnabulum sit aureum, & ma-*

lum Punicum, & vestietur ea Aaron in officio ministerii, ut audiatur sonitus, quando ingreditur & egreditur Sanctuarium in conspectu Domini, & non moriatur. Inde subjicit brevi de [6] Tunica Linea Stricta, & reliquis, inquiens: *Stringesque* Tunicam *byssо, &* [7] Tiaram *byssinam facies, &* [8] Baltheum *opere plumarii. Facies &* [9] Laminam *de auro purissimo, in qua sculpes opere cælatoris Sanctum Domino, ligabisque eam vitta hyacinthina, & erit super tiaram imminens fronti pontificis. Portabitque Aaron iniquitatem eorum quæ obtulerunt & sanctificaverunt filii Israel in cunctis muneribus & donariis suis, erit autem lamina semper in fronte ejus, ut placatus sit ei Dominus.* Ad extremum adduntur etiam [10] Feminalia, his verbis: *Facies feminalia linea, ut operiant carnem turpitudinis suæ a renibus usque ad femora; & utentur eis Aaron, & filii ejus, quando ingredientur Tabernaculum Testimonii, vel quando appropinquant altari, ut ministrent in Sanctuario, ne iniquitatis rei moriantur.* Hæc præcipiuntur in Exodo, facta vero narrantur Levitici VIII. ita: *Moyses vestivit Aaron Subucula linea, accingens eum Baltheo, & induens Tunica hyacinthina, & desuper Humerale imposuit, quod astringens cingulo aptavit Rationali* [11] *in quo erat Doctrina & Veritas. Cidari quoque texit caput, & super eam contra frontem posuit Laminam auream consecratam in sanctificatione, sicut præceperat ei Dominus.* Atque hæc quidem in Lege.

[13] Qualia vero hæc vestimenta fuerint, clarius Josephus exposuit, qui stante templo floruit, a quo S. Hieronymus hæc epistola CXXVIII. sumsit, quæ in hunc locum rei declarandæ caussa intexere libuit.

Lineis feminalibus, quæ usque ad genua & poplites veniunt, verenda celantur, & superior pars sub umbilico vehementer astringitur, ut si quando expediti mactant victimas, tauros, & arietes trahunt, portantque onera; & in officio ministrandi sunt, etiamsi lapsi fuerint, & femora revelaverint, non pateat quod opertum est. Refert Josephus hæc feminalia de bysso retorta solere contexi, & postquam incisa fuerint, acu consui, non enim in tela posse ejusmodi fieri.

Secunda ex lino tunica talaris, duplici sindone, quam & ipsam Josephus byssinam vocat, quod in Hebræo sermone in lineam vertitur, hæc adhæret corpori, & tam arcta est, & strictis manicis, ut nulla omnino in veste sit ruga; & usque ad crura descendat. Hanc vulgarem camisiam possis dicere.

Tertium genus est vestimenti cingulum, vel baltheus, vel Zona. Hoc in similitudinem pellis colubri, qua exuit senectutem, sic in rotundum textum est, ut marsupium longius putes, textum est autem subtegmine cocci, purpuræ, hyacinthi, & stamine byssino ob decorem, & fortitudinem, atque ita polymita arte distinctum, ut diversos flores, ac gemmas artificis manu non textas, sed additas arbitreris. Lineam tunicam, de qua diximus, inter umbilicum ac pectus hoc stringunt baltheo, qui quatuor digitorum habens latitudinem, atque ex una parte ad crura dependens, cum ad sacrificia cursu & expeditione opus est, in lævum humerum retorquetur.

Quartum genus est vestimenti rotundum pileolum, quasi sphæra media sit divisa, & pars una ponatur in capite. Tiaram Græci, & nostri appellant, non habet acumen in summo, nec totum usque ad comam caput tegit; sed tertiam partem a fronte inopertam relinquit: atque ita in occipitio vitta constrictum est, ut non facile labatur ex capite, est autem byssinum, & sic fabre opertum linteolo, ut nulla acus vestigia extrinsecus appareant. His quatuor vestimentis, id est feminalibus, tunica linea, cingulo, & pileo tam sacerdotes, quam pontifices utuntur, reliqua quatuor proprie pontificum sunt.

Quorum unum est tunica talaris tota hyacinthina, ex lateribus ejusdem coloris assutas habens manicas, & in superiori parte, qua collo induitur, aperta, quod vulgo capitium vocant, oris firmissimis ex se textis, ne facile rumpatur, in extrema parte, id est ad pedes, septuaginta duo sunt tintinnabula, totidem mala Punica, iisdem contexta coloribus, ut supra cingulum, inter duo tintinnabula unum malum est, inter duo mala unum tintinnabulum, ut alterutrum sibi media sint.

Sextum est vestimentum, quod Hebraica lingua dicitur Ephod, id est Super humerale, & solis convenit pontificibus, ex hyacintho, bysso, cocco, purpura, & auro contextum. Auri laminæ mira tenuitate tenduntur, ex quibus secta fila torquentur cum subtegmine trium colorum, hyacinthi, cocci, purpuræ, & cum stamine byssino, & efficitur palliolum miræ pulchritudinis, perstringens fulgore oculos in modum caracallarum, sed absque cucullis, contra pectus nihil contextum est, & locus futuro Rationali derelictus, in utroque humero habet singulos lapides clausos, & astrictos auro, onychini, aut smaragdi ab interpretibus versi. Josephus sardonychas vocat, & in singulis lapidibus sena patriarcharum nomina sunt, quibus Israeliticus populus dividitur, in dextro humero majores filii Jacob, in lævo minores scripti sunt, ut pontifex ingrediens Sancta Sanctorum nomina populi, pro quo rogaturus est Dominum, portet in humeris.

Septimum vocatur Rationale. Pannus est brevis ex auro, & quatuor textus coloribus iisdem, quibus Superhumerale, habens magnitudinem palmi per quadrum, & duplex, ne facile rumpatur, intexti sunt enim ei duodecim lapides miræ magnitudinis atque pretii per quatuor ordines, ita ut in singulis versiculis terni lapides collocentur, in primo ordine sardius, topazius, & smaragdus ponitur, in secundo carbunculus, sapphirus, jaspis; in tertio lyncurius, achates, amethystus; in quarto chrysolithus, onychinus, beryllus, satisque miror, cur hyacinthus pretiosissimus lapis in horum numero non ponatur, nisi forte ipse est alio nomine lyncurius, in singulis lapidibus secundum ætates duodecim tribuum sculpta nomina sunt. Per quatuor Rationalis angulos quatuor annuli sunt aurei habentes contra se in Superhumerali alios quatuor, ut cum appositum fuerit Rationale in loco, quem in Ephod diximus derelictum, annulus veniat contra annulum, & mutuo sibi vittis copulentur hyacinthinis. Porro ne magnitudo & pondus lapidum contexta stamina rumperent, auro ligati sunt atque conclusi, nec sufficit hoc ad firmitatem, nisi & catenæ ex auro fierent, quæ ob pulchritudinem fistulis aureis tegerentur, haberentque & in Rationali supra duos majores annulos, qui uncinis Superhumeralis aureis necterentur, & deorsum alios duos, nam post tergum in Superhumerali contra pectus & stomachum ex utroque latere erant annuli aurei, qui catenis cum Rationalis inferioribus annulis jungebantur, atque ita fiebat, ut astringerentur & Rationale Superhumerali, & Superhumerale Rationali, ut una textura contra videntibus putaretur.

Octava est lamina aurea, in qua est scriptum nomen Dei Hebraicis quatuor literis, quod apud illos ineffabile nuncupatur. Hic super pileolum lineum & commune omnium sacerdotum in pontifice plus additur, ut in fronte vitta hyacinthina constringatur, totamque pontificis pulchritudinem Dei vocabulum coronet, & protegat. Hæc S. Hieronymus ex Josepho.

Apud eundem porro Josephum quædam alia memorabilia ab illo prætermissa leguntur, ut de lapidibus Superhumeralis, & Rationalis, & Pileo hyacinthino. Nam de lapidibus sic scribit: *Lapides, quos ferebat super humerum pontifex, erant sardonyches, cum autem Deus sacrificiis adesset, is qui in dextro humero portabatur, micabat, & splendorem tantum emittebat, ut etiam procul positis illucesceret, cum prius ea luce careret. Per duodecim autem lapides Rationalis Deus victoriam pugnaturis prænuntiabat, tanto enim splendore fulgebant, cum nondum exercitus moveretur, ut omnibus constaret, eorum auxilio adesse Deum. Cessavit autem Rationale & sardonyx annis jam ducentis, ante quam ego hæc conscriberem, cum Deus moleste ferret transgressiones legum.* Quod tempus, si veterum seculorum memoria replicetur, in regis Joannis Hyrcani ætatem incurrit. De pileo vero idem sic prodit: *Præter communem cum sacerdotibus pileum pontifex alterum pileum habuit consutum ex hyacintho variatum, quem corona aurea circumdedit, quæ tribus ordinibus distincta fuit, super quam in medio floruit calyx aureus herbæ, quæ a Græcis dicitur hyoscyamos, similis.* Hoc idem Talmudistæ tradunt de lapidibus Rationalis, [13] qui splendescere desierunt, verum id jam inde a constructione secundi Templi contigisse narrant. Hæc de vestibus.

[14] Consecratio vero pontificis [15] per septem dies hoc modo facta est. Qui futurus erat sacerdos, primum [16] ad altare offerebatur, deinde [17] aqua lavabatur, [18] tum vestibus, quas diximus, induebatur, inde [19] capiti oleum sanctum infundebatur, demum [20] sacrificio præcipuo facto consecrabatur, atque ejus sanguine altare & vestes aspergebantur. Hæc vero Exodi XXIX. sic præcepit Deus: *Sed & hoc facies, ut mihi in sacerdotio consecrentur. Cum laveris Aaron cum filiis suis aqua, indues eum vestimentis id est Linea & tunica, & Superhumerali, & Rationali, quod constringes Baltheo, & pones Tiaram in capite ejus, & Laminam sanctam super tiaram, & oleum unctionis fundes super caput ejus, atque hoc ritu consecrabitur. Postquam initiaveris manus ejus, applicabis & vitulum coram Tabernaculo Testimonii*, & quæ sequuntur. Quæ vero mandata sunt in Exodo, ea perfecta referuntur in Levitico cap. IIX. nempe Aaronem oblatum, lotum, vestitum, unctum: *Moyses congregata omni turba* [21] *ante fores Tabernaculi obtulit Aaron, cumque lavisset eum, vestivit pontificem subucula linea, accingens eum baltheo, & induens tunica hyacinthina, & desuper humerale imposuit, quod astringens cingulo aptavit Rationali, in quo erat Doctrina & Veritas. Cidari quoque texit caput, & super eam contra frontem posuit laminam auream consecratam in sanctificatione. Tulit & unctionis oleum quo linivit tabernaculum cum omni suppellectile sua, cumque sanctificans aspersisset altare septem vicibus, unxit illud, & omnia vasa ejus, labrumque cum basi sua sanctificavit oleo; quod fundens super caput Aaron, unxit eum, & consecravit.* Demum affert solenne sacrificium consecrationis, quod hoc modo factum est ex mandato Dei: *Obtulit vitulum pro peccato, cumque super caput ejus* [22] *posuisset Aaron manus suas, immolavit eum hauriens sanguinem, &* [23] *tincto digito tetigit*

git cornua altaris per gyrum, quo expiato & sanctificato fudit reliquum sanguinem ad fundamenta ejus, adipem vero qui erat super vitalia, & reticulum jecoris, duosque renunculos cum arvinulis suis, adolevit super altare, vitulum cum pelle, & carnibus, & fimo, cremans extra castra. Obtulit & arietem in holocaustum, super cujus caput cum imposuisset Aaron manus suas, immolavit eum, & fudit sanguinem ejus per circuitum altaris, ipsumque arietem in frusta concidens, caput ejus, & artus, & adipem adolevit igni; lotis prius intestinis, & pedibus: totumque simul arietem incendit super altare, eo quod esset holocaustum suavissimi odoris Domino. Obtulit & arietem secundum in consecrationem sacerdotis, posuitque super caput ejus Aaron manus suas, quem cum immolasset Moyses, sumens de sanguine ejus tetigit extremum auriculæ dextræ Aaron, & pollicem manus ejus dextræ, similiter & pedis, reliquum fudit super altare per circuitum, adipem vero, & caudam, omnemque pinguedinem quæ operit intestina, reticulumque jecoris, & duos renes cum adipibus suis, & armo dextro, separavit. Tollens autem de canistro azymorum, quod erat coram Domino, panem absque fermento, & collyridam conspersam oleo, laganumque posuit super adipes & armum dextrum, tradens simul omnia Aaron, qui postquam levavit ea coram Domino, rursum suscepta de manibus ejus adolevit super altare Holocausti, eo quod consecrationis esset oblatio in odorem suavitatis sacrificii Domino, tulitque pectusculum elevans illud coram Domino de ariete consecrationis in partem suam, assumensque unguentum, & sanguinem qui erat in altari, aspersit super Aaron, & vestimenta ejus. Cumque sanctificasset eum in vestitu suo, præcepit ei dicens: Coquite carnes ante fores Tabernaculi, & ibi comedite eas, panes quoque consecrationis edite, qui positi sunt in canistro, sicut præcepit mihi Dominus dicens: Aaron & filii ejus comedent illos, quidquid autem reliquum fuerit de carne, & panibus, ignis absumet. De ostio quoque Tabernaculi non exibitis septem diebus, usque ad diem quo complebitur tempus consecrationis vestræ. Septem enim diebus finitur consecratio, sicut in præsentiarum factum est. Hæc vero his verbis declaravit Philo libro tertio de vita Mosis: *Postquam Moses induit sacerdotes sacratis vestibus, sumsit unguentum suaveolentissimum, confectum arte unguentaria, quo primum subdialia vasa, altare labrumque perunxit aspersa septies, deinde Tabernaculum, & sacra vasa singula, arcam, candelabrum, thymiaterium, mensam, calices, phialas cæteraque sacrificiis servientia, postremo adductum pontificem inunxit profuso largiter in caput ejus sacro unguine. His rite peractis jubet adduci vitulum, & duos arietes; vitulum, ut offerret in remissionem peccatorum, subindicans, cuivis nato etiam bono, vel ob hoc ipsum, quod natus sit, connatum esse peccatum; propterea placandum esse Deum precibus, & victimis, ne iratus sæviat: arietem autem unum, qui adoleretur solidus auctori rerum omnium, cujus benignitate pro se quisque fruitur elementis omnibus; alterum autem ad absolutam eorum qui sacrabantur purificationem, quem apte Consecrationis cognominavit, quod per hoc sacrificium initiarentur sacerdotes Dei, ejus sanguinis partem circum altare profudit, partem excepit phiala, eoque tinxit tria membra initiatorum, auriculam extremam, manum extremam, pedem extremum: significans virum perfectum debere purum esse sermone, opere, tota vita, sermonem enim auditus indicat, manus significat opera, pes totius vitæ transitum, sumsit inde ex eo, quod circum altare perfusum erat vel ex unguento, vel victimis omnibus, eoque permixto sacerdotes aspersit, volens eos non solum externæ, subdivalisque sanctitatis fieri participes, verum etiam internæ, quando sacra facturi erant in adytis, in quibus omnia peruncta sacro unguento fuerant, deinde aliis quoque cæsis victimis, tum pro sacerdotibus ipsis, tum pro senatu, ac gente universa fratrem introduxit in Tabernaculum, erat enim is dies octavus a consecratione, hujus festi ultimus, superiores enim septem, fratri, filiisque ejus initiandis dati fuerant.*

24 Conditiones vero illi impositæ aliæ impedimentum attulerunt, ne pontifex fieri posset; aliæ factum quibusdam quasi vinculis obligarunt. Primæ sic expressæ sunt Levitici XXI. *Pontifex, super cujus caput fusum est unctionis oleum & cujus manus in sacerdotio consecratæ sunt, vestitusque est sanctis vestibus, non erit mancus, debilis, cæcus, claudus, habens maculam, albuginem, aut ejusmodi alia vitia corporis.* Unde scripsit Philo de sacrificiis: *Sacrificare nulli sacerdoti, nisi integro, permittitur, cui ne minima quidem insit labecula*; & Aristobulus rex, ut prodit Josephus, cum Hyrcano fratri suo pontificatum abrogavisset, nasum præsecuit, ut mutilato corpore illi spem recuperandi honoris, atque adeo etiam facultatem adimeret. Secundæ ita: *Caput suum non discooperiet, vestimenta sua non scindet, & ad omnem mortuum non ingredietur omnino, super patre quoque suo, & matre sua non contaminabitur, nec egredietur de sanctis, ne polluat Sanctuarium Domini; quia oleum sanctæ unctionis Dei sui super eum est, virginem ducet uxorem, viduam autem, & repudiatam, & sordidam, & meretricem non accipiet, sed puellam de populo suo, ne communicet stirpem generis sui vul-*

go

go gentis suæ. In quæ sic Philo de monarchia: *Quoniam nemo, nisi vir, cooptatur in sacerdotium, non cariturus amplexuum cupidine, quæruntur ei castæ virginis nuptiæ, sanctis prognatæ parentibus, meretricem enim pariter animo impuram atque corpore, ne aspicere quidem ei licet, etiamsi quæstu relicto ad bonam frugem se recepit, eo quod olim pollutum vitæ institutum sequuta sit*.

Postremo Officia ejus, quæ in lege præcepta sunt, hæc fuerunt: ut Tabernaculum ingressus quotidie [25] lucernas concinnaret, ingressus vero Sanctuarium incensum ad altare Thymiamatis [26] adoleret, singulis septimanis panes Propositionis conficeret, ac sibi haberet, diebus festis sacrificia populi una cum sacerdotibus faceret: [27] semel autem in anno in die Expiationum, [28] sacris vestibus indutus, ingressus Sanctuarium ipsum cum altari Thymiamatis ab labibus & peccatis populi expiaret, & simul pro se, ac domo sua, & toto populo [29] preces funderet.

De Lucernis sic Levitici XXIV. *Præcipe filiis Israel, ut afferant tibi oleum de olivis, purissimum ac lucidum ad concinnandas lucernas jugiter. Extra velum Testimonii in Tabernaculo fœderis ponet eas Aaron a vespere usque in mane coram Domino, cultu rituque perpetuo in generationibus vestris, super candelabrum mundissimum ponentur semper in conspectu Domini*. Unde XII. secundi Paralip. scriptum est: *Est apud nos candelabrum aureum, & lucernæ ejus, ut accendantur semper ad vesperam*; & primo secundi Maccabæorum: *Obtulimus sacrificium, & similaginem, & accendimus lucernas, & proposuimus panes*.

De adolendo incenso ad ea quæ supra dicta sunt, hæc adjicimus. Secundo primi Regum: *Elegi Aaron mihi in sacerdotem, ut adscenderet ad altare meum, & adoleret mihi incensum, & portaret Ephod coram me*. In sexto primi Paralip. *Aaron, & filii ejus adolebant incensum super altare holocausti, & super altare thymiamatis in omne opus Sancti Sanctorum, & ut precarentur pro Israel juxta omnia quæ præceperat Moyses*; & XXVI. *Separatus est Aaron, ut ministraret in Sancto Sanctorum ipse & filii ejus in sempiternum, & adoleret incensum Domino secundum ritum suum, & benediceret nomini ejus in perpetuum*.

De Panibus sic XXIV. Levitici: *Accipies quoque similam, & coques ex ea duodecim panes, qui singuli habebunt duas decimas; quorum senos extrinsecus super mensam purissimam coram Domino statues, & pones super eos thus lucidissimum, ut sit panis in monumentum oblationis Domini. Per singula sabbata mutabuntur coram Domino suscepti a filiis Israel fœdere sempiterno: eruntque Aaron, & filiorum ejus, ut comedant eos in loco sancto: quia sancta sanctorum est de sacrificiis Domini jure perpetuo*. De iisdem sic legitur primo Regum XXI. *Dixit Achimelech sacerdos Davidi panes petenti, Non habeo laicos panes ad manum, sed tantum panem sanctum. Dedit ergo ei sacerdos sanctificatum panem, neque enim erat ibi panis, nisi tantum panes Propositionis, qui sublati fuerant a facie Domini, ut ponerentur panes calidi*. Unde scripsit S. Matthæus XII. *Dixit Jesus Pharisæis: Non legistis, quid fecerit David, quando esuriit, & qui cum eo erant: quomodo intravit in domum Dei, & panes Propositionis comedit, quos non licebat ei edere, neque iis qui cum eo erant, nisi solis sacerdotibus?* primo secundi Maccab. *Accendimus lucernas & proposuimus panes*; & primo Paralip. IX. *De filiis Cahat super panes erant Propositionis, ut semper novos per singula sabbata præpararent*.

De sacrificiis in diebus festis agendis, præter ea quæ de singulis sacrificiis & diebus festis supra ex Lege protulimus, testis est Josephus VI. Belli inquiens: *Pontifex cum sacerdotibus adscendebat ad templum septimo quoque die, & Kalendis, & in annuis festivitatibus populi, & sacrificabat velamine præcinctus usque ad genitalia lineum intrinsecus habens usque ad pedes, & super hyacinthinum indumentum rotundum, ex quo fimbriæ pendebant alternis nodis aurea tintinnabula & mala granata sustinentes*.

De Expiationibus supra dictum est, cum de festo die Expiationum est dictum, quo ex loco illud etiam repetendum est, quod est XVI. Levitici: *Loquere ad Aaron, ne omni tempore ingrediatur Sanctuarium quod est intra velum coram Propitiatorio, quo tegitur Arca, ne moriatur, nisi hæc ante fecerit. Vitulum pro peccato offeret, & arietem in Holocaustum, tunica linea vestietur, feminalibus lineis verenda celabit, ac cingetur zona linea, cidarim lineam imponet capiti, suscipietque ab universa multitudine filiorum Israel duos hircos pro peccato, & unum arietem in holocaustum. Cumque obtulerit vitulum, & oraverit pro se ac domo sua, duos hircos stare faciet coram Domino in ostio Tabernaculi Testimonii: mittensque super utrumque sortem, unam Domino, & alteram capro emissario, cujus exierit sors Domino, offeret illum pro peccato*: & reliqua, quæ longa oratione texuntur de vitulo, & hircis in expiationem peccatorum mactandis. Quæ qui cognoscere voluerit, ad superiorem, ut dixi, locum redibit. Hoc vero fecit Pontifex semel in anno, & solus Sancta Sanctorum ingressus. Sic enim præce-

ptum

ptum est Exodi XXX. *Deprecabitur Aaron super cornua altaris thymiamatis semel per annum in sanguine, quod oblatum est pro peccato, & placabit super eo in generationibus vestris.* Atque hoc idem etiam significavit S. Paulus ad Hebræos IX. *In priori Tabernaculo semper introibant sacerdotes sacrificiorum officia consummantes, in secundo autem semel in anno solus pontifex non sine sanguine:* declaravit autem Philo de legatione ad Cajum: *Sanctuarium semel quotannis pontifex ingreditur Jejunii tempore, tantum odores incensurus, & ex more vota facturus, ut felix annus & pax contingat omnibus hominibus. De cetero si quis non dico plebeius Judæus, sed sacerdos vel a summo proximus, imo is ipse pontifex si duobus anni diebus, aut eadem die ter quaterve introierit, capite luet absque venia, tantam religionem adytorum voluit esse legislator, ut hæc sola inaccessa intactaque servarentur:* & secundo de monarchia: *Intima templi nemini videre fas est, præterquam soli pontifici, & id ei quoque uno die duntaxat anniversario permittitur, quo introspicit omnia, infert autem odoramenta, & foculum cum ignitis carbonibus, ibi multo suffitu fumus circumquaque offunditur, & visum offuscat, nec sinit longius prospicere.* Item Josephus VI. Bell. *Superhumerali, & Rationali pontifex utebatur solum, cum Sancta Sanctorum ingrediebatur, quod semel in anno solus faciebat, quo die cunctis jejunare mos erat;* & secundo adversus Appionem: *Templum quatuor porticus habuit in circuitu, quarum singulæ propriam secundum legem custodiam habuerunt. In exteriorem ingredi omnibus licuit, etiam alienigenis, mulieribus tantum menstruatis prohibitis, in secundam mares cum uxoribus si mundæ essent, inibant, in tertiam mares, qui mundi erant, aut purificati, in quartam sacerdotes stolis induti sacerdotalibus; in adytum soli pontifices propria stola amicti.* Quod autem scriptum est, pontificem semel in anno solum Sancta esse ingressum, S. Augustinus interpretatur, eum quotidie quidem ingressum esse propter incensum, at semel in anno propter expiationem cum sanguine purificationis. Verum possumus etiam dicere, eum quotidie quidem Sanctuarium esse ingressum, sed 30 sacerdotum comitatu stipatum, semel autem in anno solum, id est sine sacerdotibus, in die Expiationum. Siquidem Levitici XVI. scriptum est: *Nullus hominum sit in Tabernaculo, quando pontifex Sanctuarium ingreditur, ut roget pro se, & pro domo sua, & pro universo cœtu Israel, donec egrediatur.* Hactenus de iis quæ proposita fuerant, vestibus, consecratione, conditionibus, officiisque Pontificum. Nunc de electione illorum dicamus.

Hæc igitur dignitas data est Aaroni primum ex mandato Dei, ut perpetuo in posteritate ejus maneret. Id autem mandarat Deus Exodi XXIX. inquiens: *Legitimum sempiternum erit Aaron, & semini ejus post eum;* & sequenti: *Vestem sanctam, qua utetur Aaron, habebunt filii ejus post eum, ut ungantur in ea, & consecrentur manus eorum. Septem diebus utetur illa qui pontifex pro eo fuerit constitutus de filiis ejus, qui ingredietur Tabernaculum Testimonii, ut ministret in Sanctuario;* & XXIII. primi Paralip. *Separatus est Aaron, ut ministraret in Sancto Sanctorum ipse, & filii ejus in sempiternum.* Itaque mortuo Aarone delatus est pontificatus ad Eleazarum filium ejus. Inde posteri Eleazari deinceps illum honorem ceperunt, ita ut filius patrem exciperet. Quare ad Phineen Eleazari filium dixit Deus: *Erit tam ipsi, quam semini ejus pactum sacerdotii sempiternum;* tertio loco transit ad posteros Ithamari, qui fuerat frater Eleazari, inde post aliquot annos rursus rediit ad stirpem Eleazari, atque in ea mansit usque ad tempora regum Syriæ post reversionem ex Babylonia. Quo tempore pontificatus, lapsis rebus, ad alias familias Leviticas quidem, verum non ab Aarone fluentes, regum beneficio est traductus, quorum primi fuere reges Syriæ, secundi reges Judæorum proselyti, tertii duces Romani, qui Syriæ ac Judææ provinciæ præfuerunt. Quin etiam idem pontificatus perpetuus ita fuit, ut tamdiu quisque teneret, quoad vita suppeditaret, deinde Græcorum regum arbitrio in annum atque annos tribui cœptus est. Addo etiam, pontifices usque ad transmigrationem 31 rerum tantum sacrarum procurationem gessisse, cum reges remp. gubernarent; postquam autem Judæi in patriam restituti sunt, pontificibus 31 & sacra, & remp. esse, teste Josepho, commissam. Itaque Assamonæorum familia e tribu Levi cum paullo post summam potestatem in rep. esset adepta, sibi non solum principatum, sed etiam pontificatum ascivit, ac mox principatum in regnum convertit, ita ut iidem pontifices ac reges essent. Quibus amotis tum demum divino consilio natus est Jesus Christus, qui rex & pontifex Judæorum in perpetuum esset. Nam Christus Unctum significat, quomodo regem ac pontificem appellabant. Unde dixit S. Paulus ad Hebræos VI. *Jesus factus est secundum ordinem Melchisedec pontifex in æternum.* Nomina vero & series pontificum hæc fuerunt.

Aaron filius Amram, nepos Cahat, pronepos Levi, primus pontifex a Moyse fratre vestitus, & consecratus in deserto Sinai. Exod. 28. Levit. 8.

Elea-

Eleazar Aaronis F. mortuo patri succeſſit juſſu Dei. Num. 20. Joſue 14. moritur poſt Joſue: Joſue 24.

Phinees Eleazari F. De hoc ſic ſcriptum eſt Num. 25. *Dixit Deus: Ecce ego do Phinei pacem fœderis mei, & erit tam ipſi quam ſemini ejus pactum ſacerdotii ſempiternum, quia Zelatus eſt pro Deo ſuo.* Joſue 22. Jud. 20. ubi ita ſcribitur: *Eo tempore in Silo erat arca fœderis Domini, & Phineas filius Eleazari filii Aaron præpoſitus domus.* Ex quo apparet, vixiſſe uſque ad tempora Samſonis Judicis. Item ſecundo Maccabæorum libro primo: *Phinees zelando zelum Dei accepit teſtamentum ſacerdotii æterni.*

Abisue Phineis F.

Buquis Abiſue F.

Ozis Buquis F.

Horum pontificum meminit tantum Joſephus libro Ant. quinto, cap. ult. Scriptura vero his præteritis Phineis ætatem uſque ad tempora Heli producit.

Heli ab Ithamaro Aaronis F. genus ducens, primo Regum, Joſeph. lib. 8.

Achitob Phineis F. Heli N. cap. 14. 1. Reg. Joſeph. lib. 8.

Achimelech Achitobi F. interfectus a Saule rege, quia Davidem excepiſſet, 21. & 22. primi Regum. Joſeph. lib. 8.

Abiathar poſt Achimelech patrem occiſum, 23. primi Reg. & 30. Joſeph. lib. 8. S. Marcus cap. 2.

Sadoc filius Achitob, nepos Amariæ, pronepos Merajoth, abnepos Zarajæ, atnepos Ozis pontificis, poſt necem Achimelech, una cum Abiathare pontifex fuit, atque ambo reportandæ arcæ affuerunt ſub Davide rege, & Tabernaculo in Silo præfuit. Secundo Regum 15. 17. & 19. & tertio Regum 1. inde ſolus poſtquam Salomon rex interfecit Abiatharem Adoniæ fratri ſuo regnum affectanti ſtudentem. Unde ſcriptum eſt 3. Reg. cap. 2. *Ejecit Salomon Abiathar, ut non eſſet ſacerdos Domini.* Salomonem autem regem Sadoc unxit: & primus functus eſt ſacerdotio in Templo ejus, primo Paralip. cap. 6. Joſeph. lib. 10.

Achimaas Sadoci F. Joſeph. lib. 10.

Azarias Achimææ F. Joſeph. l. 10. at vero 3. Regum cap. 4. dicitur Sadoci F. & cap. 6. primi Paralip. Azarias ſacerdos primus de ſtirpe Sadoc. item cap. 31. 2. Paral.

Joram Azariæ F. Joſeph. lib. 10.

Isus Jorami F. Joſeph. lib. 10.

Axioram Iſi F. Joſeph. lib. 10.

Phideas Axiorami F. Joſeph. lib. 10.

Sudeas Phideæ F. Joſeph. lib. 10.

Vide num hic idem ſit cum Jojada ſacerdote, qui Joam Judæ regem unxit, & dicitur pontifex 4. Regum cap. 12. & a Joſepho lib. 10. vixitque eodem teſte annos centum triginta. Jojadæ pontificis filius Zacharias propheta lapidatus eſt a rege Joram. Joſeph. lib. 9.

Joel Sudeæ F. Joſeph. lib. 10.

Joathan Joelis F. Joſeph. lib. 10.

Hic Azarias vocatur, & eſt is qui reſtitit Oziæ regi incenſum adolenti, 2. Paralip. 26. Joſeph. lib. 9.

Urias Joathæ F. Joſeph. lib. 10.

Hic vixit ſub Achaz rege Judæ, Regum 4. cap. 16.

Nerias Joathæ F. Joſeph. lib. 10.

Odeas Neriæ F. Joſeph. lib. 10.

Sellum Odeæ F. Joſeph. lib. 10.

Helcias Sellum F. 4. Reg. 22. 23. & 2. Paralip. 34. & Joſeph. lib. 10.

Hic ſub Joſia rege invenit Deuteronomium amiſſum.

Sarajas Helciæ F. interfectus in Reblatha a Nabuchodonoſore rege, 4. Regum cap. ult. Joſeph. lib. 10.

Josedec Sarajæ F. in captivitate Babylonica ſucceſſit patri, Eſdræ frater, qui poſt legem reſtituit. Joſeph. lib. 10. Euſeb. lib. 3. de demonſtratione Evangelica.

Jesus Joſedec F. qui reverſus e Babylone in patriam, urbem & templum reficere cœpit. Eſdræ 2. Joſeph. lib. 10. Aggæus propheta. Euſeb. ibidem.

Joacim Jeſu F. cap. 12. Nehemiæ. Joſeph. lib. 11. fortaſſe eſt is, qui quarto Judith dicitur Eliachim ſacerdos magnus Domini. Euſeb. ibidem.

Eliasib Joacim F. Nehemiæ 3. & 13. Joſeph. lib. 11. Euſeb. ibidem.

Jodas Eliaſib. F. Nehemię 12. Joſeph. lib. 11. Euſeb. ibidem.

Jonathas Jodę F. Nehemię 12. Joseph. lib. 11. vocat Joannem. Euseb. ibidem.

Adu, sive Jaddus Jonathę F. Nehemię 12. Joseph. lib. 11. Euseb. ibidem. Hic excepit Alexandrum Magnum victorem.

Onias Jaddi F. Joseph. lib. 11. Euseb. ibidem.

Simon Onię F. Justus. Joseph. lib. 12. Eusebius hunc pręterit.

Eleazar Onię F. Jos. lib. 12. Euseb. ibid.

Ad hunc scripsit Ptolomęus Philadelphus rex Ægypti, ut ad se Biblia mitteret, una cum LXXII. interpretibus.

Manasses Jaddi pont. filius. Joseph. lib. 12. Hunc pręterit Eusebius.

Onias II. Simonis Justi F. Joseph. lib. 12. Euseb. ibidem. Hic tributa Ptolomęo Evergeti solvere abnuit.

Simon II. Onię F. Simonis N. Joseph. lib. 12. Euseb. ibidem. Hoc tempore fuit Jesus Sirach, qui Sapientiam scripsit.

Onias III. Simonis II. F. Joseph. libro 12. Euseb. ibidem. Ad hunc Areus rex Lacedęmoniorum legationem misit. Accusatus est a Simone quodam Benjamite apud Seleucum regem Syrię, unde seditio nata. Eodem mortuo Antiochus Epiphanes rex Syrię Jesum fratrem ejus pontificem declaravit.

Jesus, qui & Jason, Simonis II. F. Joseph. lib. 12. creatus ab Antiocho Epiphane. Hunc Eusebius pręterit, seditione concitata primus abdicatus est ab eodem Antiocho, & pontificatus ad tempus dari cœptus.

Onias IV. qui & Menelaus, Simonis I. filius, creatus ab Ant. Epiphane, & post necatus. Hierosolyma direpta. Liber Maccabęorum Menelaum fratrem facit Simonis cujusdam Benjamitę, hominis seditiosi. Hunc Eusebius pręterit.

Lysimachus frater Menelai, lib. 1. Maccabęorum, a Josepho & Eusebio omissus.

Alcimus, qui & Joacim, ex posteris Levi, sed non Eleazari, aut Ithamari, ab eodem rege suffectus. Maccab. lib. 1. Onias Onię tertii pontificis filius ad Ptolomęum regem confugit, & templum Heliopoli Ægypti condidit. Hunc Eusebius pręterit.

Judas Maccabęus Matthatię Assamonęi F. ex posteris Levi, sed non Eleazari, a populo lectus. Joseph. lib. 12. Euseb. a libro Maccabęorum pręteritus.

Jonathas Matthatię Assamonęi F. Princeps Judęorum a Demetrio rege Syrię subjectus. Maccab. lib. 1. Joseph. 13. Euseb.

Simon Jonathę frater Princeps succedit fratri Jonathę, unde pontificatus in Assamonęorum familia una cum principatu fit hęreditarius. Maccab. 1. Joseph. lib. 13. Euseb. itidem.

Joannes Hyrcanus Simonis F. Joseph. lib. 13. Euseb.

Aristobulus Joannis F. Regis nomen assumsit. Joseph. l. 13. Euseb.

Janneus Alexander Joannis F. Rex. Joseph. lib. 13. Euseb.

Hyrcanus Jannei Alexandri F. Rex, pellitur a fratre minore Aristobulo Joseph. lib. 14. Euseb.

Aristobulus Jannei Alexandri F. pulso Hyrcano fratre rege & pontifice rex fit & pontifex, inde a Cn. Pompejo duce Romano pellitur. Joseph. lib. 14. Euseb.

Hyrcanus Jannei Alexandri F. restitutus a Pompejo iterum pontificatum gerit, inde capitur a Parthis, & Antigono Aristobuli regis & pontificis filio, ac, ne pontificatum resumere possit, mutilatur, Joseph. lib. 14.

Antigonus Aristobuli regis & pontificis F. capto Hyrcano patruo & mutilato rex & pontifex, idem ab Herode Antipatri filio Ascalonita rege illi a Romanis objecto interficitur. Joseph. lib. 15.

Anælus Levites Babylonius ab Herode rege substitutus, & remotus. Joseph. lib. 15.

Aristobulus Alexandræ Hyrcani regis & pontificis filiæ filius, ab Herode rege substitutus, & remotus. Joseph. lib. 15. Frater fuit Mariamnes uxoris Herodis.

Anælus iterum ab Herode rege datus, & remotus. Joseph. lib. 15.

Jesus Phabetis F. alienigena ab Herode rege datus est, & remotus. Joseph. lib. 15.

Simon Boethus Alexandrinus alienigena, socer regis Herodis, ab eodem datus, & remotus. Joseph. lib. 15.

Matthias Theophili F. Hierosolymites ab Herode rege datus; qui cum somniasset nocte, se cum muliere commixum, sequenti die, qui dies erat Jejunii.

Josephus Elimi F. cognatus ejus pro eo sacerdotali munere functus est, Joseph. lib. 17. Matthia inde remoto.

Joazarus Simonis Boethi F. Herodis regis uxorius ab eodem datus. Joseph. lib. 17.

Sub

Sub hoc nascitur JESUS CHRISTUS. Nicephorus in Chronologia. Inde ab Archelao rege Herodis filio, & successore remotus. Joseph. lib. 17.

ELEAZARUS Simonis Boethi F. ab Archelao rege factus, & remotus. Joseph. lib. 17.

JESUS Siæ F. ab Archelao rege datus, & remotus. Joseph. lib. 17.

JOAZARUS iterum ab Archelao rege factus, & post relegationem Archelai a Quirino proconsule Syriæ remotus, imperante in Judæa Augusto. Joseph. lib. 18.

ANNA, sive Ananus Sethi F. a Quirino proconsule Syriæ datus imperante Augusto, & a Valerio Grato procuratore Judææ remotus, imperante Tiberio. Joseph. lib. 18.

ISMAELUS Jabi F. a Valerio Grato procuratore Judææ datus, & remotus. Joseph. lib. 18.

ELEAZARUS Annæ pontificis F. a Valerio Grato procuratore datus, & remotus. Joseph. lib. 18.

SIMON Camithi F. a Valerio Grato procuratore datus, & remotus, adhuc imperante Tiberio. Joseph. lib. 18.

JOSEPHUS CAIFAS Annæ pontificis gener a Valerio Grato procuratore datus, adhuc imperante Tiberio. Joseph. lib. 18. Evangelistæ omnes. Actuum 4. Sub hoc CHRISTUS est passus.

JONATHAS Annæ pontificis F. a Vitellio proconsule Syriæ datus, imperante Cajo; & ab Agrippa Herode rege Judææ remotus. Joseph. lib. 18. Ant. & lib. 2. de bello.

THEOPHILUS Annæ pontificis F. ab Agrippa Herode rege datus, & remotus imperante Claudio. Joseph. lib. 18.

SIMON Boethi pontificis F. Canthara ab Herode rege datus, & remotus. Joseph lib. 19.

MATTHIAS Annæ pontificis F. ab Agrippa Herode rege datus, & remotus. Idem.

ÆLIONÆUS Simonis Cantharæ pontificis F. ab Agrippa Herode rege datus, & ab Agrippa Herode secundo rege Chalcidicæ remotus, is enim mortuo Agrippa fratre rege Judææ jus pontifices instituendi a Claudio impetraverat. Joseph. lib. 20.

JOSEPHUS Camydi F. ab Agrippa rege Chalcidicæ datus, & remotus imperante Nerone. Joseph. lib. 20.

ANANIAS Nebedæi F. ab Agrippa rege Chalcidicæ datus, & remotus. Joseph. lib. 20. quem S. Paulus parietem dealbatum vocavit, Act. cap. 23.

ISMAELUS Siæ F. ab Agrippa rege Chalcidicæ datus. Romæ obses retentus. Joseph. lib. 20.

JOSEPHUS Cabus Simonis Cantharæ pontificis F. ab Agrippa rege Calcidicæ datus, & remotus. Joseph. lib. 20.

ANNA, sive Ananus, Annæ pontificis F. ab Agrippa rege Chalcidicæ datus, & remotus. Hic S. Jacobum minorem fratrem Domini interfecit. Joseph. lib. 20. Act. 12.

JESUS Damnei, sive Mnaseæ F. ab Agrippa rege Chalcidicæ datus, & remotus. Ioseph. lib. 20.

JESUS Gamalielis F. ab Agrippa rege Chalcidicæ datus, & remotus. Ioseph. lib. 20.

MATTHIAS Theophili F. ab Agrippa rege Chalcidicæ datus, & remotus. Ioseph. lib. 20.

PHANNIAS, sive Phanassus Samuelis F. a populo tumultuante sorte lectus. Sub hoc Hierosolyma a Tito capta, atque incensa. Ioseph. lib. 20.

Ex hac pontificum successione, apparet, ita unum alteri successisse, ut nunquam bini ex ordine simul pontificatum administrarint. Quare quæsitum est a multis, atque adhuc quæritur, quid sibi voluerit S. Lucas, cum in principio Evangelii dixit: *Sub principibus sacerdotum Anna & Caifa verbum Domini factum est super Joannem*, cum Iosephus in illum annum atque annum unum tantum Caifam pontificem ediderit, quem scriptura principem sacerdotum, & magnum sacerdotem, ut dixi, appellat atque idem acta tertii post anni referens, qui Caifas a S. Ioanne pontifex illius anni dicitur, scripsit: *Et Annas princeps sacerdotum, & Caifas*.

Respondet S. Augustinus in expositione S. Ioannis, fortasse per ea tempora constitutum fuisse, ut plures simul pontifices essent, & per annos singulos vicibus ministrarent; 33 Annam vero, & Caifam alternis annis pontificatum gessisse; aut uno anno plures administrasse. Verum quoniam sine auctoritate loquitur, nec sententiæ certus est, & Iosephus his temporibus proximus certa pontificum successione allata consuetudi-

tudinem illam aperte redarguit, fit, ut caussam aliam quærendam esse existimem. Puto igitur, partim veterem consuetudinem esse servatam, ut nunquam nisi unus summus pontifex esset, partim novam inductam, ut pontificii omnes, id est, qui pontificatum gessissent, pontifices vocarentur, ut qui ex consuetudine vetere dignitatem semel susceptam usque ad mortem retinere deberent, quo modo nunc episcopi etiam appellantur, & sunt, qui ecclesiam dimiserunt. Anna vero præcipue nominatus est, non quod vere tum pontifex esset, sed quia ex pontificiis socer erat Caifæ, qui tum erat pontifex, id est pontificatum vere administrabat. Eadem enim ratione Iosephus libro Belli secundo imperante Claudio nominat Ionatham & Annam pontifices, cum tamen tum vere tantum Ionathas pontificatui præesset, Anna vero ex pontificiis Ionathæ pater esset. Item post nominat Ananum ejusdem Annæ filium, & Iesum simul pontifices, cum tamen Ananus abrogatus, Iesus suffectus fuisset, & libro quarto vocat Ananum pontificum vetustissimum, & mox Iesum post Ananum ætate maximum, id est eorum qui pontificatum gessissent. Item post Phanniam pontificem creatum nominat probatissimos inter pontifices Iesum Gamalielis filium, & Ananum Annæ filium, qui pontificii erant, & eodem Phannia subrogato, tamen Ananum vestem pontificiam gessisse adscribit, & lib. xx. Antiquitatum, pontifices cum sacerdotibus contendisse inquit, atque hoc modo inde semper loquitur, ut pontifices pro pontificiis ponat, de Anna sic scribit: *Felicissimus Anna fuit: filios namque omnes Dei pontifices vidit, atque ipse primum hunc honorem plurimis annis gessit, quod nemini pontificum apud nos contigit.*

NOTÆ AD CAPUT SECUNDUM.

[1] *Pontifex vocatus.*) Inter Sacerdotes maximus dignitate. Hebræi vocant כהן גרול. *Levit.* 21. 8. *Num.* 35. 25 28. 2. *Reg.* 12. 11. Vox autem hæc non semper Sacerdotem notat, sed interdum sumitur pro Præfecto seu duce. Sic 2. *Sam.* 8. 18. Filii David dicuntur fuisse כהנים i. e. præfecti, quod a Græcis recte vertitur αὐλάρχαι, aulæ principes, Comites Consistoriani, uti & Chaldæis רברבין Magnates, a Judæis Hispalensibus Principales, juxta quod etiam Recentiores & Rabbini ac Syrus Arabsque. Atqui hic etiam vulgata habet, Filii David sacerdotes erant, ubi rectissime *Hugo Grotius*. Fieri id non potuit per legem, sed error est in voce. Verbum כהן, unde id nomen venit, significat λειτουργεῖν: inde Participium in Verbi significationem transiens si ad Deum expresse vel tacite referatur, significat λειτουργὸν τῷ Θεῷ Sacerdotem: Si ad Regem, ejus ministrum, puta αὐλάρχην, ut posuere LXX Sic probabiliter nonnulli probant Jethronem, cum vocetur כהן מדין, præfectum fuisse. *Flac. clav. Scriptur. Sac. part.* 1. *clar. Hackspan. disp. syll. pag. m.* 374. Communiter sumitur pro Sacerdote; quod vero addatur גרול, observandum id varie in sacris sumi, nonnunquam, idem est quod Senior seu natu major. Sic de *Esau Gen.* 27. dicitur: interdum idem quod Princeps seu primarius 2. *Reg.* 10. 6. Nonnunquam idem quod magnificus, splendidus, denique sumitur pro quantitate. Omnes hæ acceptiones, excepta ultima, jure merito Pontifici competere possunt. Unde *R. Bechai. ad cap.* 21. *Levit. fol.* 145. *col.* 2. Pontificem גרול appellatum vult, *quia excelluit fratres suos pulchritudine, robore, divitiis, sapientia & honore*, vid. & ויקר, seu *Glossam magnam in Levit. sect.* 26. *ad Levit.* 21. Considerandum autem quod nomen Pontifex, initio paucis impositum, tam late vero deinceps patuerit, quam orbis Romanus, cum amplissimus esset. vid. *Johan. Andr. Bosius exerc.* 1. *de P. M. V. R. cap.* 1. §. 1. Lis autem adhuc inter Grammaticos est de ejus etymologia. Quidam a potis & facere derivant, i. e. qui sacrificandi potentiam habet. *Becman. de origin.* L. L. Aliam sententiam recenset *Plutarchus*, quam suam fecit *Rupertus in Orat. histor. or.* 24. nempe quod in ponte facerent, seu quod sacris vetustissimis in ponte peragendis præfecti essent. Tertiam *Varro* affert *lib.* 4. *de L. Latin. cap.* 15. quod scilicet dicti sint a ponte sublicio restituendo. Quam sententiam aliis præfert *Bosius l. c.* §. 8. Pontificis nomen, si origo spectetur, non adeo per se honorificum, quippe *Masson. præf. ad vit. Pontif. l.* 6. refert: Hanc vocem veteres mutuatos ad Ecclesiastica munia transtulisse, & sacris Præpositos Pontifices dixisse. An vero cuique Præposito nomen hoc competat *ex S. Berrhard. epist.* 24. *pag.* 68. videamus: ubi Prior Ecclesiæ Episcopum Fundensis Pontificem vocat, hic pariter ad Archiepiscopum Senonensem scribens, inquit: *Nihil sum, Episcopus quærat tantum Dei gloriam, ac salutem proximorum, hoc enim faciens implet non solum Pontificis officium, sed & Etymologiam nominis, Pontem utique seipsum faciens inter Deum & proximum: pertingit pons iste ad Deum ea fiducia, qua non suam sed illius gloriam quærit, pertingit usque ad proximum* &c. Hoc igitur nomen de aliis dici quoque potuit. Additur etiam Summus seu maximus, qui alium æqualem non habet. De primo vocabulo *Summus Azor. instit. moral. part.* 2. *cap.* 4. apprime distinguere videtur: Dico in unoquoque genere possunt esse summa per negationem i. e. quorum singulis nil est superius, sed non per affirmationem. Priori modo conceditur Papam summum vocari posse, sed non posteriori.

[2] *Vestes ergo Pontificiæ.*) Vestes, quas gestare oportebat Pontificem Maximum sacra celebrantem, XII. fuerunt, non octo, ut Sigonius putat, quæ non incommode in tres distingui possunt classes; aliæ enim fuerunt בגרי שש vestes byssinæ: Aliæ בגרי זהב vestes aureæ: demum בגרי בר vestes lineæ. Primi generis vestes ex bysso fuere confectæ, quæ Hebr. שש Chald. בוץ vocatur Byssus autem linum subtilissimum fuit, Gossiypio haud absimile. Traditur *in codic. Joma* mane summum Pontificem vestibus Pelusiacis indutum fuisse, ad quæ verba *Sheringham* notat *pag. m.* 58. Pelusium fuisse urbem Ægypti, quæ linum candidissimum & pretiosissimum in alias regiones exportabat teste *Sil. Ital. lib.* 3. Hujus vestis byssinæ mentionem etiam facit *Plin. lib.* 19. *cap.* 1. Lino Gossypii nullum candore mollitieve præferendum, & vestes inde confectæ Sacerdotibus Ægyptiacis gratissimæ fuerunt. Linum vero Gossypinum ex Gossypii seu Xyli arboris lanuguine conficiebatur, ideoque vestimenta ex ejusmodi gossypio contexta in Cnidii Ctesiæ Indicis ἱμάτια ξύλινα appellantur. *Pomponius Mela. lib.* 3. *cap.* 7. *ait: Lanas* in India *sylvæ ferunt, arundinum fissa internodia veluti navitas binos, & quædam ternos etiam vehunt. Cultorum habitus moresque dissimiles. Lino alii vestiuntur.* Vestes ex hoc lino compositas, pretiosas mollesque fuisse innuit *Lucianus in mus. encom.*

com. Unde etiam *Ovid. de Isid. Sacerdot. Nunc Dea lanigera colitur celeberrima turba*. Imo Gossypianas vestes adhuc hodie Orientalibus populis vestium præcipuarum loco esse tradunt *Gabriel Sionita & Michael Hesronita de mor. & urb. orient. cap. 1. & 2. Panciroll. part. 1. tit. 5. & ejus Comment. Salmuth. Hieron. epist.* 128. ubi byssum ob decorem & firmitatem ad vestes sacras adhibitam fuisse asserit. *Apulejus ult. Metamorph. de ceremoniis Isiacis* sic scribit: *Tunc influunt turbæ sacris divinis initiatæ, viri fœminæque omnis dignitatis & omnis ætatis, linteæ vestis candore puro luminosi*. Lini Ægyptii usum in morbo *Polypi* depellendo salutarem esse docet *Hippocrat. de morbis pag.* 29. Adhibebatur etiam in honorum distributione byssus, ceu videre est in Josepho, quem Pharao stola byssina ornavit in signum principatus. Hanc vestem LXX. trichapti verterunt *Ezech.* 16. Josephus *lib. 6. bell. Judaic.* sic scribit: *byssinæ vestes Sacerdotibus Judaicis familiares fuerunt, conf. Hieron. in cap. 16. Ezech. pag.* 422.

[3] *Superhumerali*.) Ephod a cingendo dictum, ut *R. David Kimch. radic. pag.* 40. *Joh. Frischmuth. dissert. de vestitu Pontif.* §. 8. *Paulus Fagius ad paraphras. Chald. Onkelos Exod.* 28. dicit: Ephod cinctorium quoddam erat, pectus sub axillis ambiens, atque in duabus humeralibus hærens fimbriis. *Latinus interpres* vocat superhumerale. Hellenistis hoc indumentum ἐπωμὶς dicitur interprete *Hieronym. ad Fabiol. tom. 3. epist.* 128. *Aquila* eodem teste Hieron. ἐπίῤῥαμμα vocat. Nonnulli ajunt ὠμοφόριον, quod Græcis olim Patriarchis in usu fuit, forma huic superhumerali respondisse. Sed hoc magis audacter, quam perite dictum, quippe ὠμοφόριον vestis erat oblonga, & ad talos usque demissa, ut innuit *Zonaras in Constantino Copronymo*. Vide *Cerdæ adversaria sacra cap. 64. num.* 2. Mallem igitur ἡμιφόριον vocare, cum vestis erat brevis & quasi dimidiatum pallium. Nihil huic tam simile credo, inquit *Sheringham Anglus erudit. in cod. Jom. pag. m.* 176. quam sagum militare, quamvis in quibusdam discrepent. *Junius* per amiculum reddit, sed melius Hebraica vox retinetur, quia peculiare indumentum Pontificis erat, ita vocatum a verbo אפד *quod erat vestis summa figuræ quadratæ, carens manicis, duobus loricis latitudinem humerorum exæquantibus in scapulis hærens*. Materia fuit ex auro subtilissimo extenuato ac filis intorto, & ex purpura, hyacintho coccoque bis tincto ac bysso, mirabiliter arte polymita factus pannus, *Augustin. Torniell. annal. Sac. an. m. 2544. n. 83. fol. m. 319. Andr. Willet. comment. upon Exod. chap. 28. Hieronym.* ad Fabiol. tom. 3. ep. 128. n. 16. inquit: Auri laminæ, i. e. bracteæ, mira tenuitate tenduntur, ex quibus secta fila torquentur, cum subtegmine trium colorum, hiacynthi, cocci, purpuræ, & cum stamine byssino, & efficitur palliolum miræ pulchritudinis, perstringens fulgore oculos. Ejus formam obscure describit. Idem all. l. *Factum Ephod in modum caracallarum sed absque cucullis*. Verum ex mente *Aurel. Victor.* caracallæ sunt vestes talares, quæ plane non conveniunt superhumerali, quod *Philo lib. 2. de Monarchia* vocat ὑφασμαθωρακοειδὲς, *textum pectorale thoracis specie*. *Josephus lib. 6. de bell. cap. 6.* ἔνδυμα τῷ στέρνῳ pectoris indumentum, rectius τῷ ὤμῳ, humero, propter ἐπωμίδια; A Josepho cubitalis mensura illi tribuitur. *Vestis* erat, ait *Vatablus*, extima brevissima, quæ manicis carebat, & quodammodo arctabat, & costringebat laxitatem interiorum vestium. *Josephus lib. 3. antiq. c.* 8. manicas habuisse asserit his verbis: *Tertia vestis induitur dicta Ephod, Græcanicæ Epomidi persimilis. Fit enim hunc in modum. Contexitur deorsum cubitali mensura, auro variis coloribus intermixto, medium pectoris circumplicatum relinquit, manicisque ornata est, omninoque ad tunicæ formam confecta.* vid. *Sheringham. Jom. cod. pag. m. 176. Riber. lib. 3. de templo cap. 10. R. Aben-Ezra* putat posteriorem humeri partem modo texisse. Sed *Cajetanus* ornamentum fuisse ait in forma loricæ, tegentis ante & retro corpus ab humeris usque ad umbilicum vel circa, æqualiter ex utraque parte. Huic consentit *Andr. Willet. sixfold. comment. on the booke of Leviticus chap. 8. fol. m. 126. quæst.* 5. Ephod, *Which was cast ouer both the Shoulders*. *Tostatus*, refert, *usque ad zonam pertigisse*. *Procopius* usque ad præcordia extendit. Melior sententia *Abulensis quæst. 2. & 8. in cap. 28. Exod.* qui existimat fuisse instar scapularis Monachorum, sed brevioris, in cujus medio capitium, per quod immitteretur caput. Tenendum porro quod Ephod duplex fuerit scil. Pontificis, & Sacerdotum gregariorum. Hoc ex lino fiebat, quo cinctus erat *Samuel* adhuc puer, & *David* de tribu Juda vid. *August. Torniell. annal. sacr. fol. m. 319. an. m. 2544. n. 83. Andr. Willet. commentar. upon Exodus chap. 28. fol. m. 527. Gallas. Oleaster.* Illud soli Pontifici competebat, a quo Romano-Catholici jus pallii derivarunt. Olim Pontifices confirmationis loco pallium, uti apud Hebræos Ephod in secundo templo habuerunt. Est igitur pallii origo satis vetusta, effectus vero ejus qui hodie obtinent, antiquitati prorsus ignoti. Tria circa pallium præprimis observanda (1) initio pallium plane alio modo conficiebatur, quam illud, quo hodie Episcopi ornantur. (2) Pallium antiquitus erat genus quod Imperatorii indumenti, cujus usum Imperatores permisere Patriarchis. (3) non omnibus metropolitanis tributum. Pallium hodiernum describi potest, quod sit fascia lanea candida in modum circuli contexta, quæ super humeros imponitur, ex quo circulo impendet pectori fascia similis & alia ex adverso inter humeros dimittitur; utraque habens crucem rubeam, præter eas quæ in ipso circulo exstant super humeros. Pallium autem illud alligatur ope trium acicularum aurearum vid. *Innocent. III. lib. 11. de myst. miss. cap.* 63. Priscum vero illud pallium, indumentum erat præclarissimum & fulgens, ad terram usque demissum, quod ὠμοφόριον Græci vocant. Effigiem hujus omophorii exhibet vetus numisma *Imperat. Theodos. apud. Fulvium Ursin.* in quo Philippus & Johannes habitu Episcoporum repræsentantur, capite raso & palliolo illo crucibus ornato, & ad pectus usque pertingente. Alias Omophorion accipitur pro indumento Patriarcharum. In utroque humero erant bina inclusoria sive obstrigilla aurea, quæ annulorum videntur palis non absimilia fuisse. Hebræi occellaturas vocant, nonnemo spintres. LXX. Interpret. non habent illud *inclusos auro atque circumdatos*; quidam tamen libri, ut est in *Scholiaste Græco*, habent περικεκυκλωμένοις καὶ συνεσφραγισμένοις χρυσίῳ, circumdato auro & notis literarum impressis insignitos. In his palis, ut Epomidi connecti possent, duo utrinque orbiculi aperti erant, in quos immittebantur ansulæ vittarum, ne sardonyches in collum, brachiumve defluerent cum palis suis. Rursum his palis ab anteriore facie cohærebant uncini singuli aurei, quos 70. aspidiscos vocant, forte in modum aspidum efformatos, ut habet *Interpres Josephi l. 6. de bell. Jud. c.* 6. qui eas videtur cum palis confundere & catenulas morsu apprehendentes; nam iis immittebantur capita catenularum duarum ex auro e quibus Rationale judicii a superiore parte pendebat. In utriusque humeri summitate duo lapides adstringebantur, de quibus *Hieronym. ep. 128. ad Fab.* In utroque humero habet singulos lapides clausos & adstrictos auro, qui Hebraice dicuntur שם, ab *Aquila*, & *Symmacho* & Theodotione Onychini, a LXX. Smaragdi transferuntur. *Josephus l. 3. antiq. c. 8. & lib. 6. de bell. cap.* 6. Sardonichas vocat, cum Hebræo Aquilave consentiens. Chald. quos sequitur *Montanus*, beryllos vocant, Procopius Saphiros. *Philo Judæus lib. 2. de Monarch. & lib. 3. de vita Moys. Smaragdos* ait fuisse. *Aben-Ezra* fatetur, qualis lapis fuerit שהם non liquere *Dn. Johan. Frischmuth. disp. de vestit. Pontif.* cum *Johan. Hopkinsono* de Paradiso, *Andr. Willet. sixfold. commentar. upon Exod. cap. 28. fol. m. 528. quæst.* 17. Sardonycha interpretatur.

[4] *Rationale*.) Hebræi vocant חשן, quod Forster. a חשן tacuit siluit, deducit. *Josephus* Ἐσσὴν nominat *lib. 3. antiquit. cap. 9. item Augustin. Torniell. annal. Sacr. an. m. 2544. fol. m. 319. Joh. Frischmuth. diss. de vestit. Pontif. cap. 3. Salian. annal. Eccles. V. T. tom. 2. fol. 135. Munster.* vertit pectorale judicii, quia per ipsum Sacerdos magnus divinum responsum accepit & judicium de bello & pace, cæteraque ad salutem Reipublicæ spectantia, edidit. *vid. Scheringham ad Jom. p. m.* 174. LXX. Interpretes λόγιον verterunt, quos *Latinus* sequitur per Rationale id explicans: quia ratio reddebatur de his,

quæ

quæ inquirebantur. Nonnulli autem Codices λόγιον, nonnulli vero λογεῖον habent. Cœterum, ut omnes consentiunt, Choschen esse ornamentum pectorale in amiculo Pontificio: ita λόγιον dixisse Græcos perspicuum est, μετωνυμικῶς pro pectorali, ex quo edebatur oraculum. *Plinius Secundus de vir. illust. cap. 6.* ornamenta illa dicta sunt *bullæ*, ut inquit *Festus* a Græco sermone βουλὴ, *quia eam corporis partem bulla contingit, i. e. pectus, in quo naturale manet consilium*. Lut. vocat, das Amt-Schildlein / & Sir. das Macht-Schildlein / scilicet quod exinde de jure & judicio & decretis divinis oracula promebantur. Materia fuit eadem quæ Ephodi. *teste Saliano & Augustin. Torniell. sac. fol. m.* 319. quorum posterior ita ait: *Rationale hoc nihil aliud erat, nisi pannus quidam ad majorem sui firmitatem duplicatus, ne si simplex esset, annexis lapillis facile rumperetur*. Formam habebat quadrangularem longitudine & latitudine palmi. vid. *Johan. Frischmuth. all. lib. Hieron. ep. 128. ad Fab.* Pannus est brevis ex auro, & quatuor textus coloribus, hoc est iisdem quibus & superhumerale, habens magnitudinem palmi per quadrum & duplex, ne facile rumpatur, seu ut obstrigilla gemmarum aurea, vel πυελίδες recipiendis lapidibus eo melius excidi possent. *Josephus* Ephodi lacunam quandam fuisse, cui pectorale insertum, afferit, *lib. 3. antiq. Judaic. cap.* 8. *Sheringham. not. ad. Cod. Joma pag.* 176. Verum hoc a *Saliano* improbari videtur *annal. Eccles. V. T. anno mundi* 2544. qui ita dicit *fol.* 135. Hanc inanitatem, non diffitebor, mihi non parum esse suspectam, primum quia scripturæ non est, deinde quia Josephi solius est. Nam *Philo tam in libris de vita Mosis*, quam *de Monarchia*, in quibus de rationali agit, nullum plane de ista lacuna verbum fecit, nullum *Hieronym. in epistol. ad Fabiol.* nullum *LXX. aut Chaldæus Paraphrastes*. In rationali isthoc gemmæ arte bene dispositæ erant, ita ut ordo quivis tres lapides haberet. Quatuor autem ordines fuerunt, quos recensent *Salianus d. l. Andr. Willet.* ordines istos ita memorat, primo ordine (1) ponit Sardium, qui a *Josepho Sardonix* appellatur. *LXX. Sardium* nominant. *Tostatus* inquit: Hic lapis ingenium acuit & sedat sanguinem. Tribui vero Ruben Sardius convenit. (2) Topazium, Hebraice פטד & ab origine transpositis literis p, t. d. hoc modo t, p. d. fit *topad* aut topaz, vocatus a loco ubi invenitur, qui Topasos in Æthiopia vid. *Plin. lib. 37. cap. 8. Glossa interlinear.* dictum vult *Topazium* quasi *topadium*, id est cujusvis coloris. *Montan.* viridis coloris fuisse putat, & *Hebræorum* quidam *Smaragdum* censent. (3) *Carbunculum* a verbo ברק fulgurare derivatum; Hic lapis pretiosus & splendidus est & tanti splendoris, ut in tenebris etiam luceat. Comparatur cum tribu Levi, cujus dignitas gloriosa satis nitore hujus lapidis ostenditur: hæc de primo ordine. Primum locum secundi ordinis *Smaragdus* obtinet, qui Hebr. נפך naphach. *Montan.* a radic. הפך haphach, se vertit. Junius transfert per Chrysoprasum, quod vocabulum compositum est ex χρυσὸς aurum & πράσον porrum: Color Smaragdi viridissimus conducit oculis. (2) *Saphirus*. Diversorum autem generum Saphiri sunt, quidam albi & adeo duri, ut vix malleo teri possint. Color hujus lapidis similis cœlo cæruleo, *Exod.* 24. 10. & auro mixtus videtur. *Plin. lib. 37. cap.* 9. Saphirus conducit cordi, sedat sanguinem & faciei commodum affert (3) Adamas יהלום, a radice הלם confringere contundere, obtundere, quia malleo haud frangi potest. *Onkelos* vocat *cabehalam*, ex quo apparet adamantem neque igni neque ferro cedere. *Almas* dicunt Arabes pro Adamas. Adamas similis Chrystallo, splendidus & durissimus. Hunc lapidem Naphtali addicit *Tostatus*: *Montan.* Zabulon. Sed proximus est Gad, qui ob animi valorem comparatur Leoni, *Deut.* 33. 20. Tertius sequitur ordo in quo (1) Ligurius Hebraice לשם. Quidam putant dictum *Lyncurium*, lapidem natum ex *urina Lyncis*. *Vatab. Oleaster Marbach, Pelarg. & paraphras. Chald.* verbo *Kanchyri* utuntur, sed *Plinius* Lyncurium lapidem pretiosum esse negat. *lib. 37. cap.* 3. *Ribera* opinatur melius dici Lygurian quam Lycurian, & autumat *Erasmum* deceptum, qui in *Hieronym.* pro *Lygurian* vult positum *Lyncurian*. Huic lapidi, ut *Tostatus* meminit, nomen *Gad* insculptum: *Montanus* nomen Dan. Verum *Asher* proximus post *Gad*, quem *Ribera* & *Pelargus* proprie hoc lapide significare voluerunt, ob benedictionem *Deut.* 33. 24. 25. (2) Achates שבו Hebræi vocant. *Chaldæus tarkaia*, quod *Montanus* explicat *Turcois*. *LXX. Josephus, Hiernym.* cum aliis vocant *Achatem*, qui ut *Plinius lib. 37. cap.* 10. 2. ita dictus, quod in Siciliæ rivo quodam ejusdem nominis reperiatur. Huic non inscriptum nomen *Aser*, ut *Tostatus*, neque Naphtali, ut *Montanus*, sed *Isaschar* qui proximus in ordine. (3) Amethistes, Hebræi vocant אחלמה *achlama* a radice חלם *somniare*, & arbitrantur illum *somnium excitare*. *Oleaster* melius *valet adversus insomnia*. *Montan. LXX. Joseph. Hieron. Vatab. Junius & alii Amethystum* vocant. Singularem vim contra ebrietatem habet. Huic nomen Isaschar, ut Tostatus, vel *Gad*, ut Montanus putant, non erat inscriptum, sed *Zabulon*. Quarti ordinis lapides paucis quoque tangam, in quo (1) *Beryllus*, dicitur Hebraice תרשיש, quod pro stagno accipitur, gemma non vilis pretii, similis colori aquæ. Beryllus conducit oculis aquosis. Huic inscriptum nomen *Ephraim*, qui proxime in ordine sequitur, cui color stagni similis, quia maxima ejus potentia in mari, vel melius, quia abundabat fontibus salubribus. *Deut.* 33. 13. (2) Onyx Hebræi *soham*, quod *LXX. Josephus, Latin. Vatabl. Pagnin.* pro Sardoniche accipiunt. Dicitur ab unguibus, quos *Græci* ὄνυξ appellant *Plin. lib. 37. cap.* 6. Huic *Josephi* nomen insculptum, vel rectius Manassis, ob candorem virtutum. vid. *Andr. Willet. Comment. upon Exod. cap. 28. fol.* 531. (3) *Jaspis* respondet Hebræo *Jospbe*, Arabico Jasp. Hic lapis, ut *Plinius* refert, tot habet virtutes quot venas, & convenit tribui Beniamin in qua Deus domicilium habuit. *Deut.* 33. 12.

5 *Tunica Hyacinthina.*) absolute dicitur tunica, quam Hebræus pallium vertit, quod juxta *Dn. Frischmuth. dissert. de vestitu Pontif.* §. 5. vestis erat laxior. *Chaldæus* interulam, LXX. & *Philo. Judæus in vita Mosis* ὑποδύτην, sive subuculam, vocant; quod scilicet sub Ephod & super strictam tunicam gestaretur. *Josephus. lib. 3. antiq. cap.* 8. χιτῶνα sicut & *Philo de Monarchia lib.* 2. nec deest, qui prætextam nominet & supparum. Materia erat hyacinthus, sive sericum hyacinthinum, ut ait *Cajetan.* aut lana violacei coloris, ut *Cornelius* & *Ribera* cum *Baradio.* coloris nonnihil ad rubedinem declinantis juxta illud —— & *suave rubens hyacinthus*, qui color aereus interdum & cæruleus dicitur. Sed de forma major difficultas. Nam omnes Judæi Pontificis imagines, quæ circumferuntur, hanc tunicam ad mediam fere tibiam pertigisse ostendunt. Et in Hebræo quidem textu, aut Latina Chaldæaque Paraphrasi nusquam ejus longitudo definitur, fimbriarum licet mentio fiat. At Sapiens, LXX. Philo, Josephus, aliique antiqui & recentiores, talarem fuisse asseverant. Certe in *libro Sapientiæ* vestis Aaronis celebratur, in *lib. Ecclesiast.* ποδήρης appellatur, quam vocem circum pedes vertit interpres, LXX. ὑποδύτην ποδήρη i. e. ad pedes usque promissam vocant: Primum inquit *Philo lib. 2. de Monarch. indumentum ejus rotundum erat, totum hyacintinum*. Ad differentiam Ephod, quod ad latera apertum laqueolis stringebatur; cum tunica hæc totum corpus obtegeret. Sed pergit, *Talaris tunica significans aerem, siquidem aer suapte natura nigricat & ipse talaris quodammodo, superne a lunari vicina tensus, usque ad terræ infima*. Et alibi *lib. 3. de vita Mos. Josephus* vestem oblongam & talarem vocat. vid. *Sheringham not. ad Cod. Jom. pag. m.* 177. *Hieron. ad Fabiol.* Hebræam vocem מעיל tunicam talarem interpretatur. Consentiunt *Abulens. in cap. 28. Exod. quæst.* 16. *Lorinus in cap. 18. Sapient. Cornel. in hunc locum, Severus, Beda, Prosper de promiss. p. 2. cap. 3. Clemens Alexandrin. lib. 5. Strom. Maim. in Hilcoth Kele Hammikd. cap.* 8. *Cajetanus* breviorem facit. Dici etiam potest talaris respectu Ephod, quod tam breve erat ut ultra Zonam non multum descenderet. vid. *Salian. annal. sacr. fol. m. 139. tom. 2. Hieron. ad Fabiol.* dicit Manicatam fuisse, cui resistunt *Ribera lib. 3. de templ. cap. 9. Torniell. annal. sacr. ann. mundi* 2544. *n.* 82. *Baradius tom. 2. lib. 3. cap.* 43. eo quod *Josephus* manicarum non meminerit,

sed

ſed haud obtinent quod volunt. Manicatam dicit *Abulenſ. in cap.* 28. *Exod. Cornelius. Lorinus in c.* 18. *lib. Sapient.*

6 *Tunica Linea.*) Vocatur etiam ſtricta ad differentiam ſuperioris hyacinthinæ, ex qua tintinnabula dependebant. Hebraice כתנת ex Ethiopum כתן, quod eſt tegere *Luc.* 4. 20. a tegendo proxime claudendoque corpore, ut *Ludov. de Dieu.* notat. *Latini* vulgo Camiſiam quod etiam ipſa vox nativa ſua ſignificatione innuit. כתונת Chetoneth enim proprie tunicam lineam denotat: inde Græcis χιτὼν teſte *Joſepho lib.* 3. *antiq. cap.* 8. *Philon lib.* 2. *de Monarch.* ejuſdem eſt ſignificationis. *Tzetzes ad Heſiodi opera & dies.* χιτὼν δ' ἐςὶ κατὰ τῦπον νῦν, καὶ κατὰ τὴν συνήθειαν, τὸ λεγόμενον ἐπικάμισον: χιτὼν vero juxta hunc Heſiodum, nunc & juxta conſuetudinem idem quod ἐπικάμισον i. e. camiſia. Sed hic obiter notandum, quod rectius dicatur ὑποκάμισον, non vero ἐπικάμισον. Tunica, ut non male conjicit *Becmannus*, per literarum tranſpoſitionem a כתונת provenire videtur. Aſt *Varro lib.* 4. *de ling. latin.* a tuendo corpore tunicam derivat. Quod de hujus vocis etymologia *Iſidorus lib.* 19. *Orig.* habet, veritati haud conveniens videtur. *Tunica*, inquit, *veſtis antiquiſſima appellata, quia in motu incedentis ſonum facit, tonus enim ſonus eſt.* Veriſimilius eſt quod vox hæc Latina prorſus ab Hebræa tranſcendat. Tunica enim camiſiam aut veſtem lineam interiorem, qua caro tegitur, præcipue denotat. Unde Proverbium natum, quod *Plautus in Trinummo* habet. *Tunica propior pallio eſt. Propert. lib. Eleg.* 2.

Cedite jam divæ quas paſtor viderat olim
Idæis tunicam ponere verticibus.

Communiter ad quaſvis veſtes, quas humeris geſtamus, tunica extenditur. Formam quod attinet, *Joſeph. lib.* 3. *antiq. cap.* 9. manicatam fuiſſe contendit, ſtrictimque corpori adhæſiſſe. *Philo lib.* 2. *de Monarch. LXX. ut ait Scholiaſt. Græc.* κοσυμβὰς aut κοσυμβωτὰς χιτῶνας i. e. nodis ſubſtrictas, pro quibus alii interpretes verterunt συσφίγξεις conſtrictiores: ita quoque *Pagninus. Hieron.* 128. *ep. ad Fabiol. Secunda ex lino tunica eſt* ποδήρης *i. e. talaris, ex duplici ſyndone, quam & ipſam Joſephus byſſinam vocat, appellaturque* Hebr. כתונת *Chethoneth. i. e.* χιτὼν, *quod Hebraice per lineam vertitur. Hæc adhæret corpori & tam arcta eſt, & ſtrictis adeo manicis, ut nulla omnino in veſte ſit ruga, & uſque ad crura deſcendat. Solent militantes habere lineas, quas camiſias vocant, ſic aptas membris & adſtrictas corporibus ut expediti ſint, vel ad curſum, vel ad prælia, dirigere jacula, tenere clypeum &c. ergo & Sacerdotes parati in miniſterium Dei utantur hac tunica, ut habentes pulchritudinem veſtimentorum nudorum celeritate diſcurrant.* quæ verba *in annal. Eccleſ. Saliani. tom.* 2. *fol. m.* 141. reperiuntur. *Paul. Fagius in paraphraſ. Chald.* tunicam ocellatam vocat. Verum enim vero huic ſententiæ aſſentiri haud videntur *Montan. & Torniell.* coſymbotam Hebræam vocem putantes, cum tamen Græca ſit. Sic autem ad commodum ſenſum reduci poſsent, qui ocellatam hanc tunicam putarunt, modo & ſtrictam eſse concedant. Orta eſt hæc opinio, ut notavit *Oleaſter*, ex eo quod verbum ſabaz, ſignificat etiam includere maxime ſtringendo, quemadmodum pretioſi lapides in annulorum palis conſtringuntur; quoniam ergo palæ iſtæ cum ſua gemma, oculum quoquomodo exhibent, recentiores Hebræi, pro ſtricta veſte, oculatam dixere ornamento veſtis pro ipſius forma uſurpata. conf. *Andr. Willet. commentar. upon Exodus cap.* 28. *ſol. m.* 540.

7 *Tiaram byſſinam.*) Sunt qui contendunt מצנפת ſolius Sacerdotis Magni tiaram fuiſse: ſed hoc contra authoritatem Miſchnæ affirmant, itemque contra autoritatem *Joſephi*, qui gregarii etiam ſacerdotis tiaram hoc nomine vocari aſſerit. Tiara autem faſcia erat linea, quæ multis contorta voluminibus caput cinxit & in occipitio redimiculo conſtricta fuit: in arcuatam galeæ formam flectebatur, unde ipſam Græci nonnulli Τιάραν κορυβάντιον: Præcipue Perſarum tiaræ, quam etiam arcuatam galeæ figuram habuiſse innuit *Sidonius Apollinaris in Panegyrico ad Anthemium Auguſtum* ita canens.

——— ——— *ac ſupplice vultu*
Flectit Achæmenius lunatam Perſa tiaram.

Vocat lunatam tiaram, quæ revera lunata non erat: ideoque a *Bulengero* reprehenditur *lib. de veſtim. Pontiſ. cap.* 5. Sed Sidonius bene exponi poteſt vel de tiara, in qua efficta acu aut appicta eſset imago lunæ, quam Perſarum fuiſse Symbolum aſserit *Curtius lib.* 4. *Paſchal. lib.* 9. *de coron. cap.* 18. *Barnab. Briſſon. lib.* 2. *pag. m.* 168. *de regno Perſ.* vel de diademate tiaræ oppoſito, quod erat lunatum. *Budæus* cenſet Cidarim idem fuiſse ac tiaram, *Pancirol. var. lect. cap.* 9. *lib.* 1. At Cidarim non niſi ſolo nomine a tiara diſcrepaſſe notat *Alexander Neapol. lib.* 1. *genial. cap.* 28. Cidaris & Citaris, ut *Heſychius* teſtatur, proprie tegmen capitis erat, *Pollux lib.* 7. *Onomaſt. cap.* 8. Περσῶν μὲν ἴδια κάνδυς καὶ ἀναξυρίς καὶ Τιάρα καὶ κυρβασίαν, καὶ κίδαριν καὶ πῖλον καλῶσι. Sic enim eum locum ſupplendum cenſeo. Idem *lib.* 10. *cap.* 36. ἡ δὲ Καυσία Πῖλος Μακεδονικὸς παρὰ Μενάνδρῳ ὥσπερ κυρβασία Περσικός. *Heſychius cum Suida*: Κίδαρις Πῖλος βασιλικὸς, ὃν καὶ τιάραν καλῶσι. *Philo Judæus de vita Moſis. lib.* 3. Κιδάρει γὰρ οἱ τ̃ ἑώων βασιλεῖς, ἀντὶ Διαδήματος εἰώθασι χρῆσθαι. Uſi ſunt quoque hoc tegumento Reges Armeniorum & Ponti, ut *Plutarch.* in *Pompejo* tradit. Tiara paſſim tegebat Perſarum capita, initio a *Semiramide* orto, quemadmodum *Juſtin. lib.* 1. ſcribit. *Dionyſ. Halicarnaſſ. lib.* 11. *de Saliis.* Perſas autem omnes Tiaras geſtaſſe, & ab eo potiſſimum capitis tegumento, inter reliquas gentes agnitos, oſtendit Anacreon his verſibus

καὶ παρθίας τις ἄνδρας.

Indeque aſtus *Cimonis*, qui navibus aliquot perſicis interceptis, ut eſt apud *Diodor. Sicul. lib.* 11. fefellit & oppreſſit Perſas, nihil ſibi metuentes a navibus, quarum vectores tiaris inſignes Perſas mentiebantur. Erat porro tiara quintuplex, ut erudite proſequitur *Paſchalius lib.* 10. *de Coron.* Una erat omnibus communis; altera Procerum; Judicum tertia; quarta ſacrificantium, de qua *Valerius Flaccus*.

Subligat extrema patriam cervice tiaram.

Quinta Regiæ Majeſtatis erat. Procerum Tiaras a Magorum Tiaris parum vel nihil diſcrepaſſe annotat Strabo *lib.* 15. Magorum autem tiaras Bacculas habuiſſe ad labra uſque demiſſas, idem all. l. docet. Inter Regum & Præfectorum provincialium tiaras hoc tantum intererat, quod illorum tiara ſurſum elata erat, cono in ſublime erecto, reliquorum vero deorſum vergebat, cono in frontem deducto. Soli quippe Regi rectam Tiaram geſtandi jus erat. Quod *Tiſaphernes* apud *Xenophontem lib.* 11. *Arabas.* Κυρ. diſertis verbis adſtruit, τὴν μὲν γὰρ inquit: ἐπὶ τῇ κεφαλῇ Τιάραν βασιλεῖ μόνῳ ἔξεστιν ὀρθὴν ἔχειν. Idemque *lib.* 8. παιδ. κυρ. conf. *Barnab. Briſſon. lib.* 1. *de regno perſ. pag. m.* 30. Tegumen, quod *Turcæ Turbantem* vocant, quam proxime accedit ad Perſicam tiaram popularem. Græci recentes vocant φακιώλιον, quaſi faſciam complicatam. *Gretſerus* & cum eo *Anſelm. Soler. de pileo* vocem *Turbant*, a Græco *Corybantis*, derivant. Ex lana vel lino conficiuntur turbantes, quos geſtant *Perſæ*, exinde Regem Perſarum per excellentiam Sofi vocitare ortum eſt, quæ vox Arabice lanam denotat. Lintei vero turbantes a Turcis geſtantur. Regiæ tiaræ figuram, quam paulo ante delineavi, nummi a *Goltzio* exhibiti confirmant; quippe in iis tiaræ forma erecta inſtar turris, cum infulis a poſteriori parte pendentibus, & bacculis ad labra uſque ex anteriori parte demiſſis, repræſentatur. conf. *Paſchal. lib.* 10. *de coron. cap.* 2. *Senec. lib.* 6. *de benefic. c.* 31. Apud Hebræos tiaræ Pontificum & Sacerdotum differebant, licet *LXX.* & *Hieronym.* communi nomine eas deſignent, ut notat *Ribera in cap.* 3. *Zachar. v.* 14. Pileum Sacerdotalem *Hieronym. in epiſtol. ad Fabiol* ita deſcribit: *Quartum genus eſt veſtimenti rotundus pileus, qualem pictum in Ulyſſe conſpicimus, quaſi ſphæra media ſit diviſa, & parte una ponatur in capite; hunc Græci* Τιάραν, *nonnulli galerum*

lerum vocant, Hebræi מצנפת. *Non habet acumen in summo, non totum usque ad comam caput tegit, sed tertiam partem a fronte inopertam relinquit: atque ita in occipitio vitta constrictus est, ut non facile labatur ex capite. Est autem byssinum & sic fabre opertum linteolo ut nullum acus vestigium appareat.* De Pontifice summo Hebræorum *Joseph. lib. 3. antiquit. c. 8.* hæc habet: Super caput gestat pileum non fastigiatum, neque totum caput comprehendentem, sed paulo plus quam medium. Hic vocatur *Masna emphthes*. Est autem tali paratu ut videatur vitta linea sæpe in orbem replicata & consuta, quam superne alia tela integit, usque ad frontem descendens, & per superficiem verticis futurarum deformitatem occultans. Hic adaptatus accurate, ne inter sacrificandum delabatur. Corruptus Codex *Josephi*, non Latinus modo, sed & *Græcus*, vocem Hebræam cidaris Sacerdotalis, ait esse *Masna emphtes*, cum legendum sit מצנפת. Quid autem Summi Pontificis Cidaris præ reliquis habeat, cognoscitur ex *Josepho* sic scribente: *Pileo quali cæteri* Sacerdotes utebantur: super quem exstabat alius consutilis ex hyacintho variatus. Hunc aurea corona triplici ordine circumdabat, in qua spectabantur calyculi aurei, quales videmus in herba, quæ apud nos vocatur *daccharus*, apud Græcorum herbarios *hyosciamus*. Quod si quis aut visam aliquando non satis animadvertit, aut nomine tenus auditam de facie non novit, huic etiam describere eam non gravabor. Herba est tres palmos sæpe in altitudinem excedens, napo similem radicem habens; vix enim hac parte est alia similior; folia vero apio. Hæc e ramis emittit calyculum ipsis inhærentem, vestiturque tunica quadam, quam exuit fructu ad maturitatem tendente. Calyculus autem est, quantus articulus minimi digiti, circumferentiam habens crateri similem; plura hac de re legi poterunt apud *Anselm. Soler. lib. de pileo, pag. m. 260.* Videtur *Josephus* soli Pontificiæ cidari coronulas adscribere; *Lyranus* tamen in *Exod. 39.* in Sacerdotali quoque illas agnoscit, non quidem aureas, sed byssinas, id quod *Exod. 39. v. 26.* comprobatur. Qua ratione expedire forte licet nodum istum Gordium, qui occurrit in D. *August. serm. 13. de tempo*, & a Prosp. Stellartio in op. de Coron. adducitur. Ait enim illic *S. Augustin.* Tunc ille Simeon senex, famosus, annosus, probatus, coronatus, tunc cognovit, tunc adoravit infantem. Hæret *Stellartius*, quomodo dictus Simeon coronatus? Hoc vel de multis & variis Simeonis meritis, vel juxta jam dicta, de coronato Sacerdotum Judaicorum capite intelligendum. Verisimile enim est Simeonem fuisse Sacerdotem ut *S. Cyrill. Hierosol. homil. de occurs. Dom. & S. Epiphan. l. de Prophet. vit.* tradiderunt, atque hac ratione Simeonem inter Sacerdotes relatum, coronatum nominare potuit S. Augustinus. Est enim sua Sacerdotio corona, juxta illud R. Simeonis in capitulis Patrum. Tres sunt coronæ, *legis*, *Sacerdotii*, *& Regni*. Apud Ethnicos coronatum idem quod Sacerdotium gerere teste *Paschalio lib. 4. cap. 13. de coron.* quia omnes apud Hebræos, corona ni aurea tamen lanea coronabantur. Pontificem autem Hebræum ob præcellentiam supra Sacerdotes reliquos aurea corona splendere par fuit, ut quanto aurum lanæ præstat, tanto ipsum cæteris præstare Sacerdotibus, fieret manifestum. Celebrat magnifice eam Pontificiam Cidarim *Syracid. cap. 45. v. 14.* Vocat tegmen hoc gloriam honoris, i. e. claritatem & veluti emphasin ac præcellentiam honoris, tantæ sublimitati merito debiti. Vocat præterea opus virtutis, sive fortitudinis, quia erat opus repræsentans authoritatem & potestatem Pontificiam.

[8] *Baltheum.*) Baltheus erat quo tunicas cingebant Sacerdotes, ut magis agiles magisque expediti essent, cum ad opus progredi deberent. Laxatæ enim solutæque tunicæ brachiis incommodare potuissent. Latus erat inquit *Josephus* quatuor digitos, & variis floribus figurisque, instar operis plumarii, acu pictus. Contextura cava erat, ut serpentis exuvium aut marsupium longius putares *Joseph. lib. 3. cap. 8. antiq. Jud. S. Hieron. ad Fabiol. conf. Salian. annal. Eccles. an. Mos. 81. num. 571. tom. 2. fol. m. 142. Torniell. annal. sacr. Andr. Willet. in Exod. 28.*

[9] *Laminam.*) Lamina hæc duos digitos lata erat frontemque ad aures usque cinxit. *Salom. Jarchi in Exod. 28. 26.* Idcirco *Exod. 39. 30.* dicitur הקדש נזר Corona sancta; aut forte magis proprie dixeris Corollarium sanctum. Latini enim ejusmodi laminas non coronas sed corollaria vocarunt. *Plin. lib. 21. cap. 2.* Paulatimque & Romæ subrepsit appellatio corollis inter initia propter gracilitatem nominatis: mox & corollariis postquam e lamina ærea tenui inaurata aut inargentata dabantur. *vid. lib. 30. cap. 29. fol. 1421. lect. antiq. Cæli. Rhodigini.* Ad imitationem Sacerdotis magni, Gentilium Sacerdotes sacrificaturi coronas capite gestabant. *Tertullian. l. 15.* Ipsæ denique fores, ipsæ hostiæ & aræ ipsi ministri & Sacerdotes eorum i. e. Gentilium coronantur, teste *Isaac. Casaubon. animadvers. in Athen. lib. 5. fol. m. 369. n. 48.* Putabant enim, ut est apud *Athenæ. lib. 15. Deipnosoph. fol. m. 674.* Sacrificia Diis absque coronis dicata non esse sacrificia. Ipsis etiam aliquando mos erat, ut non Sacerdotes modo, sed quicunque Deorum opem implorarent, coronati precarentur. *Scholiast. Sophoclis in Oedip. Tyran.* ἔθος ἦν τοῖς παλαιοῖς ἐστεμμένους πρὸς ἱκετείαν χωρεῖν, ἵν' αἰδέσιμοι, δοκῶν τοῖς ὧν ἱκέτευον: *Mos erat antiquis coronatos ad preces incedere, ut venerabiles iis, quibus supplicabant, apparerent. Livius dec. 4. lib. 10.* Decemviri supplicationem in biduum valetudinis causa in urbe & per omnia fora edixerunt: Majores duodecim annis omnes coronati & lauream in manu tenentes supplicaverunt. Laminas autem fabricabant teste *Isaac. Casaubon. in animadvers. ad Athenæ, lib. 15. fol. m. 952.* quibus pro coronis utebantur. Porro jussit Deus *Exod. 28. 37.* ut lamina hæc ad tiaram Pontificiam vitta hyacinthina adstringeretur, unde a quibusdam διάδημα dicitur. Græci enim vittas capiti impositas διαδήματα vocarunt *Plutarch. in Lucullo*. Capitis diadema arripiens *Monima* uxor *Mithridatis*, collo aptavit & seipsam suspenddit. Qui plura de vestibus Sacerdot. scire cupit, adeat *comment. in Exod. cap. 28. & cap. 29. & Torath. Cohanim. ad finem Parasath. Tetsauve & Korban Ahron. & Maimonid. in Hilcoth Kale Hammikdasch. Joseph. lib. 3. antiq. cap. 8.*

[10] *Feminalia.*) מכנסי Michnesei i. e. constrictoria dicunt, pro quo *Josephus* habet *Manachasen*, quod interpretatur συνακτῆρας seu ὥσπερ ἀναξυρίδας *quasi braccas*, quæ sursum attrahuntur. *LXX.* περισκελῆ λίνα a cruribus ambiendis appellarunt. Feminalia vero erant lineæ braccæ, quibus femora & pudenda velabant, superne circa cor, ut *Targum Jonathanis* habet, ast *Ezech. 44. v. 18.* constrictæ. *Joseph. lib. 3. cap. 8. antiquit. Judaic.* ait, *circum ilia constricta fuisse*. Partes enim corporis, quæ facile sudorem emittunt, ita linteis fuere contectæ, ut vestes sacræ sudore isthoc fœtido inquinari non possent. *Ezech. 44. 18.* ubi *Kimchi tradit, cum accingebant, non accingebant infra lumbos nec supra axillas, sed prope axillas. Inferne ipsa genua attingebant ut femoralia, quæ nunc sunt in usu. Exod. 28. 42.* ירכים legitur, quo genua intelligi asserunt Rabbini. R. *Levi Barsellonimus in Parashath. Tetsauve*. Idem habet *Hieronym. ad Fabiol.* Lineis feminalibus, quæ usque ad genua & poplites veniunt, verenda celantur, feminalia *Cicero subligacula* vocat, alii braccas. *Cerda in adversar. sacr. cap. 67. num. 2.* existimat campestria & succinctoria, quæ pudendorum velamenta sunt, cum feminalibus convenire; sed figura ab his differunt vid. *Joseph. lib. 3. cap. 8.* de campestribus & succinctoriis *Isidor. Origin. lib. 19. cap. 22. & 23.*

[11] *In quo erat doctrina & veritas.*) Alias Urim & Thummim, quæ nomina primum consideranda veniunt. אורים a luce derivatur, quippe Urim extraordinaria luce insigniter fulgebat. vid. *Joh. Frischmuth. dissert. de vestitu Pontif. §. 5. D. Daniel. Clasen. in tract. de oracul. cap. 7. pag. m. 20.* ait, Urim denotat doctrinam sanctam, quæ vitæ nostræ verum lumen. *Sixtin. Amam. antibarb bibl. cap. 28. lib. 2. pag. m. 359.* Nonnulli existimant verbis exprimi non posse quid fuerit *Urim & Thummim. Philo lib. 3. de vita Mos. & lib. 2. de Monarch. q. 517. Andr. Willet. comment. upon Exodus. chap. 28. fol. m. 534.* Thummim perfectionem denotat. vid. *Paul. Fagius ad paraphras. Chald. Exod. 28. Lyra in hunc locum. Johan. Frischmuth. l. c. Sixtin. Amam. antibarb. bibl. l. c. D. Daniel. Clasen. d. l.* & ita optime cum priori verbo convenit. Nam doctrina illu-

minat

minat universum terrarum orbem, & hominem quoad intellectum & quoad voluntatem perficit. *Tostatus quæst.* 13. hæc verba ad responsiones claras refert, quas Sacerdotes consulentes Deum edebant, quæ non erant adeo ambiguæ, ut Oraculi *Apollinis*, sed clarissimæ. R. Abraham Ezra in eo versatur errore, quasi Urim & Thummim fuerint laminæ, altera ex argento, altera ex auro, confectæ, quibus Astrologia inscripta insculptaque esset. *R. Salom.* arbitratur Urim & Thummim fuisse nomen יהוה inscriptum, Ephodoque impositum, idque Hebræos ante Christum natum accepisse, ad Trinitatem exprimendam. Primam enim literam Jod volunt denotare Deum Patrem, He, Filium (per hanc autem literam duplicatam indicari dicunt duas naturas humanam & divinam) Vau Spiritum Sanctum. *Paulus Fagius* hanc fovet opinionem, quod *Urim & Tummim* expositionem nominis Jehovah denotet. *Hugo de S. Victore* putat *characteres diversis literis scriptos fuisse*. Aliqui *Urim & Thummim* pectorali insculpta fuisse asserunt, quos inter *Philo Judæus lib.* 3. *de vit. Mos.* ubi *Urim & Thummim* duas virtutes depictas vocat, sed hic error ex ipso textu facile convellitur. *Suidas* opinatur Adamantem fuisse, grato divino responso edito insigniter radiantem. Alii alios preciosos fuisse lapides contendunt pectorali insitos. Verum enim vero lapides illi qui quatuor ordinibus dispositi erant, locum his duobus commodum vix reliquerunt. *Simler. Oleaster, Lippoman, Osiander* dicunt, ipsos lapides fuisse vocatos *Urim & Thummim. Thomas l.* 2. *qu.* 102. *art.* 5. *ad* 9. inquit: Quædam describebantur in rationali concernentia veritatem & justitiam & doctrinam. Alii *Urim & Thummim* rem fuisse varia figura distinctam, claram non humana arte factam sed divinitus Mosi datam. Huic variarum opinionum farragini finem imponet *Gallasii* sententia, quæ ita se habet. *Urim & Thummim diversum aliquid fuisse a lapidibus & catenis minime dubium est*.

[12] *Qualia vero vestimenta*.) De his tractare & aliquid addere non est instituti nostri cum hoc accurate præstiterit celeberr. *Braun in libr. eruditissimo de vestitu Sacerdot. Hebr.*

[13] *Qui splendescere desierunt*.) Quando cessarint Urim & Thummim de eo scriptores inter se non conveniunt. In secundo Templo quinque res defuerunt, inquit *Petr. Galatin. de arcan. cathol. veritat. lib.* 4. *cap.* 9. *fol. m.* 211. ubi verba *R. Salom.* adfert. Quinque res defuerunt in ultimo templo, quod probatur ex *Hagæo cap.* 1. ubi ה in fine omissum, quod quinque denotat. *Hierosol. Taanith fol.* 6. 1. Et *Babyl. Joma fol.* 21. 2. In templo secundo defuerunt, ignis de cœlo, Arca cum propitiatorio & Cherubinis, Urim & Thummim, שכינה divina gloria, & Spiritus Sanctus, atque etiam oleum unctionis. Ministrabat quidem Summus Pontifex sub templo secundo in vestimentis *Jom. fol.* 71. 2. inter quæ etiam Pectorale & Rationale, quæ margaritis fulgebant (ex quibus casu decidit aliquando Jaspis, quæ amissa est. *Hierosol. Peah, fol.*15. 2. *Bab Kidduschin. fol.* 60. 2.) sed nunquam redditum est Pontifici oraculum per *Urim & Thummim*, vid. *Esr.* 2. 63. *Nehem.* 7. 65. Si vero hoc non est factum in diebus Esræ & Nehemiæ, multo minus seculis sequentibus, conf. *Joan. Lightfoot hor. Talmud. pag. m.* 979. *Dieter. antiquit. bibl. ex.* 1. *Reg.* 8. *v.* 13. *fol. m.* 367. *R. David Kimchi in Hag.* 1. 7. templum secundum caruisse ait arca Urim & Thummim, igne cœlesti, præsentia divinæ Majestatis, & Spiritu Sancto. In *Talmud.* Jerosolymit. *cod. Maccoth. cap.* 11. *circa finem fol.* 32. *R. Samuel. nomine Acha*: חמשה דברים Quinque res defuerunt in Templo posteriori, juxta id quod scriptum est *Hag.* 1. 7. Res primi templi longe majoris sunt æstimationis, quam opes templi secundi, inquit ex *Abarbanele Menasse, in Hag.* Autor *Meor Enajim R. Azarias*: Præsentia divinæ majestatis, & quinque res illæ pretiosæ, quæ fuerunt in æde priori, posteriorem, quæ iis carebat, non extulerunt ad tantam dignitatem, *Menasse lib. de creat. problem.* 11. *pag.* 48. Quarto die condita sunt duo luminaria magna, Sol, Luna & Stellæ: hæc designant duo templa, quæ fuerunt in quarto millenario, In primo templo fuerunt luminaria, quæ sua divinitate illustrabant mundum, nempe Prophetia, Spiritus S. Urim & Thummim, ignis cœlestis, arca fœderis, Cherubim & plures id genus res sacræ. Sed exigua luminaria fuerunt in secundo templo, saltem minus, quam priora ista, clara atque illustria. Stellæ autem significant Prophetas, qui tum floruerunt. Commentum autem est, quod de defectu literæ ה fingitur, vid. *Constant. L'Empereur in Codd. Midd. pag.* 154. *Amama de Keri & Chetib. Joh. Drus. jud. pag.* 159. De tempore quo cessaverunt Urim & Thummim, non convenit *Josephus* cum Hebræis. Ita enim ille *lib.* 3. *antiq. cap.* 9. Ἐπαύσατο μὲν οὖν ὅτε ἐσσὴν καὶ ὁ σαρδόνυξ, τοῦ λάμπειν ἔτεσι διακοσίοις πρότερον, ἢ ταύτην ἐμὲ συνθεῖναι γραφὴν τοῦ θεοῦ δυσχεράναντος ἐπὶ τῇ παραβάσει τῶν νόμων. Absolvit autem Josephus eos libros ut ipse refert, anno Domitiani 13. qui est Æræ Christianæ circiter 93. Inde colligitur quod vix centum ante Christum natum annis desierint Urim & Thummim. Sed hoc λίαν μέγα αἴτημα est, ideoque nemini facile Josephus, vir cæteroquin magnæ autoritatis, hic fidem faciet. Diserte enim, ait *Don. Is. Abarbanel. fol.* CC. *col.*1. *toto tempore, quo secundum templum stetit, Pontifex non respondit per Urim & Thummim*.

[14] *Consecratus per septem dies*. vid. *Codic. Jom. Talmud. & not. angl. Sheringham, pag. m.* 6. 7. Hic statim se offert quæstio illa. Num necesse fuerit ut Singuli Sacerdotes consecrarentur Synagogæ? Sunt qui asserunt, Summum Pontificem Hebræorum, Sacerdotesque inferiores & Levitas, semel pro se & posteris suis consecrationem in filios transmisisse, adeo ut filii Patribus defunctis succedentes nulla nova consecratione, ad Sacerdotalia munia obeunda, indigerent. Id enim inter ministros Synagogæ & Ecclesiæ discrimen erat, quod illi una cum tota posteritate semel Deo addicerentur, hi autem singuli consecratione indigerent. Ita censuerunt aliqui apud *Abulens. cap.* 8. *Num. q.* 19. & hic apud *Joseph. Stephan. Andreas Neophytus & Gulielmus Marcellus*, qui abjecta Judæorum perfidia & authoritate Rabbinica, fidem susceperunt Christianam. Cæterum mihi assertum hoc, Rabbinorum commentis, quam Sacræ Scripturæ, conformius apparet. Credibile enim, Judæorum Rabbinos, Templo & & sacrificiis destitutos hoc ita finxisse, ne sacerdotio quoque destituti viderentur. Certe duo sunt Scripturæ testimonia, quæ probant singulos Synagogæ summos Pontifices & Sacerdotes esse consecratos. Alterum est *Levit.* 16. alterum. 2. *Paralip. cap.* 19. Verum quidem est jus Sacerdotale ad posteros transmitti potuisse, sed de consecratione aliud dicendum.

[15] *Per septem dies*.) Deus ministros suos Sacerdotes non absque peculiari ritu inaugurari, consecrari & veluti ordinari voluit. Hinc Moses Aharonem & Aharonidas jussu sanctissimi Numinis solennibus septem dierum ritibus initiavit, & ad consecrationem eorum sacrificia adhibuit. Per septem dies igitur significabatur perfectio muneris, seu perfectio operis, uti pluribus demonstrat *Henric. Ainsworth in Levit.* 4.

[16] *Ad altare offerebatur*.) Sacerdos initiandus non in privato, sed publico loco consecrabatur. Jubet enim Deus ut Aharon ejusque filii in Orientali atrii parte, qua ingressus patebat Tabernaculi præsentarentur. *Exod.* 29. 9. *Levit.* 8. 6. Bene itaque *Ainsworthius* scribit *fol.* 121. *in Exod. Here the Priests were to be presented before God, and before the people, who were also there gathered together. So ministers of Christ, were ordained in the Churches. Act.* 14. 23. & 6. 5. 6. confer. *Joh. Georg. Dorsch. Dissertat. de ordinat. ministror. in Eccles. Argentor.* 1645. Hinc patet consecrationem in sacro loco fieri debuisse, quod & hodienum in Eccles. observatur, ubi Pastor Consecrandus coram altari sistitur & impositione manuum præsente populo, inauguratur.

[17] *Aqua lavabantur*.) Judæi & gentiles prius lavabantur quam sacra peragerent. Varias enim populo suo Deus mandaverat purificationes, de quibus sacer Codex *Levit.* 15. & 16. prolixe agit. Inter illas erat etiam lavatio, quam Aaron, una cum filiis suis, templum ingressurus, peragebat, ut corpore purus sacris vacaret. *Exod.* 30. 18. In templo Hierosolymitano æneum mare lavandis intrantibus inserviit 1. *Reg.* 7. 23. At perversa Judæorum so-

boles, vero cultu divino postposito, externam modo sequebatur mundationem. Hinc non solum in publicis sed etiam privatis ædibus hydrias habebant positas, quibus se purgarent singulis ferme horis, ut ait *Tertullianus in Johan.* Quando enim comederant, vel leprosum tetigerant, vel mortuum, aut rem habuerant cum muliere, abluebantur. Sed quoniam non multa flumina Palæstinam irrigarent, ideo hydrias aqua pura impletas domi reponebant, ut semper aquam in promtu haberent: Festo etiam quocunque Judæi aqua abluebantur. vid. *Buxtorff. Synagog. Judaic. c.* 4. 10. 18. 20. Pocok, & *Sheringham*, a *Geiero* citati *de superstit. c.* 3. §. 33. Hunc lavandi ritum gentiles sacra peracturi imitati sunt, vid. *Tibull. l.* 1. *eleg.* 3. *Virgil.* 12. *æneid.* & quidem diis superis sacrificaturi totius ablutione corporis purgabantur; inferis vero litaturi aqua tantum aspergebantur sacrificuli Romani, interdum vivo flumine perfundebantur. *Liv. lib.* 1. *cap.* 45. Ægyptiorum Sacerdotes tertio quoque die, corpus aqua frigida abluunt, ter die, noctu bis. *Alex. ab. Alexand. lib.* 6. *cap.* 12. Et vetitum erat, ne quis mane illotis manibus Jovi libaret vinum, ne sacrorum nitor pollueretur, ut ex *Hesiodo* recenset *Polydor. Virgil. lib.* 5. *de invent. cap.* 11. Idem confirmat *Theophrast. charact. mor. c.* 17. observandum autem lavantes orientem aspexisse, sicuti & orantes, vid. *Alex. ab Alex. lib.* 4. *cap.* 17. *Selden. l.* 3. *de Syn. c.* 16. Hildebrand. de *ritual. orant. c.* 1. unde *Virgil.* 12. *æneid.*

Illi ad surgentem conversi lumina solem
Dant fruges manibus salsas &c.

Imo animalia sacrificiis destinata aqua purgabantur. *Natal. Com. lib.* 1. *Mythol. cap.* 14. Preces lotionibus inchoant. *Ovid.* 4. *Fast. lib.* 7. *met. Pers. sat.* 2. Quippe putabant Gentiles simul cum externis interna ablui, ut testantur *Macrob. lib.* 3. *Sat. Tiraquell. de Nobil. cap.* 3. Nam scelera quævis, ut *Serv. lib.* 6. *æneid.* scribit, aqua expiabant. *Cat. orig.* 111. *Tertull. de bapt. cap.* 5. *Lactant. lib.* 5. *cap.* 30. *Senec. in Hercul. Furent. Apulej. Mil. lib.* 11. *Dion. lib.* 68. *Euripid. in Iphig. Taur. Clem. Alexand. lib.* 7. *stromat. El. Scheid. de diis Germ. pag.* 360. Nec non lotione manuum coram Deo innocentia, cæde perpetrata, declarabatur, quod Judaici moris erat, ut ex *Euthymio Ursinus in Pass. part.* 2. *itin.* 6. & *Casaubon. exerc.* 6. *n.* 75. observaverunt. Hinc recte *Anticlides lib.* 74. *redditu*um, quem citat *Schedius de diis German. pag.* 361. Mos erat antiquorum, qui nunc quoque servatur, ut qui cædem hominum, vel aliorum animalium commisissent, perenni aqua manus abluerint, ad commissi piaculi lustrationem, exemplo nobis est *Pontius Pilatus*. Omnia quippe per aquam lustrabant gentiles, ut habet *Ludovic. de la Cerda eclog.* 8. *Tertull. cap.* 5. *de baptis. Lyl. Gyrald. hist. deor. syntag.* 7. nec non Aventinus. Veteres aqua lustrica in expiationibus usos recenset *Chron. Bavar.* Originem hujus ritus Gentiles a Judæis sumserunt; Judæos enim jussu divino Moses aspergillo sanguine repleto consperfit. Inde peculiarem aquam lustralem ex vaccæ rubræ cineribus confecit, qua populus Dei expiabatur. *Num.* 19. quo ipso purificatio præprimis spiritualis præfigurata est, sanguine Christi peragenda, interprete *Paulo Hebr.* 9. Hanc solemnem Judæorum aspersionem, lustrationem, purificationemque, populo Judaico a Deo præceptam, per detestabilem κακοζηλίαν Diabolus apud gentiles imitatus est, de quo dudum *Tertullian. lib. adversus hæres. cap.* 4. *Si revolvamus*, inquit, *superstitiones gentilium*, *si sacerdotalia officia: insignia & privilegia*, *si sacrificia & alia ministeria*, *& instrumenta*, *& vasa*, *& ipsorum sacrificiorum ac piaculorum & votorum curiositates consideremus*, *nonne Diabolus manifeste morositatem illam Mosaicam legis imitatus est?* Et ob hanc causam Pontifex aqua ablutus est, ut castus & purus atrium ingrederetur, quia ad altare Domini nil immundi accedere debebat, *conf. cod. Jom. Sheringham*, *pag. m.* 49.

Aqua lavabatur.) scil. ex labro æneo, quod eum in finem in atrio inter aram holocausti & Tabernaculi consistebat. *Exod.* 30. 18. 19. Ritus autem lavandi in sacris cæremoniis tanquam præparatorius actus apud omnes fere gentes fuit usurpatus, unde & in sacris Gentilium frequens ejus mentio, qui manibus illotis sacra tractare nefas ducebant, *vid. de lustratione dissert. plur. Revend. Maii Fautoris nostri*, *& diss. M. Jerem. Hoffman. de lustrandi purgandique Gentil. ritibus*, *edit Witteb.* 1660. *Outram de Sacrif. lib.* 1. *c.* 5. *pag. m.* 50. *edit. Amstel.* 1678. *Don Filip. Picinell. dei lumi riflesf. par.* 1. *fol. m.* 102. *edit. Milan.* Quæ res uti improbabat ipsis impuritatem, propter quam lotione indigebant; ita insimul docebat, non nisi a bene purgatis lustratisque Sancta Domini tradenda esse, vid. *celeb. Witsii Miscell. Sacr. lib.* 2. *diss.* 2. *pag. m.* 482. Lavabatur Aharon ex labro sanctificato; prius enim ungebatur & locabatur in atrium Domini, antequam Sacerdotes consecrabantur. Et hoc inquit *Ainsworth* significabat lotionem a peccatis, quæ prima pars est purificationis, per sanguinem Christi, cujus participes esse debent illi, qui propius ad Deum accedere volunt in ministerio. *Heb.* 9. 13. 14.

[18] *Tum vestibus.*) Consecratio porro fiebat vestium induitione, de quarum materia & forma in præcedentibus actum. Videri etiam poterit, siquis plura desiderat, doctiss. *Braun. lib. de vestit. Sacerd. Hebr.* Priusquam hic vestibus indueretur, deponebat proprias suas vestes, quæ depositionem iniquitatum suarum denotabant. *Zach.* 3. 4. Et hæ sacræ, dona justitiæ & salutis, *Psalm.* 132. Ritus autem solennis vestiendi Pontificem & Sacerdotes juxta Sacras literas & morem receptum hic fuit; ut indutis primo *femoralibus*, vid. *Outram. de Sacrif. pag. m.* 51. *edit. Amstel.* & supra lumbos constrictis accederet *Tunica talaris*. Hac *cinguli* crebris plicaturis sub axillis circumligata, imponebatur *Cidaris* seu pileus Sacerdoti gregario. Sed Pontificis Tunicæ lineæ strictæ super induebatur pallium, cui appensa tintinnabula & mala punica. Huic Ephod seu Epomis imponebatur, ac tandem Cidaris seu Tiara capitis ornamentum, cui affixa lamina aurea seu corona. Cidaris enim Pontificalis non imponebatur Summo Sacerdoti nisi jam palliato & pectorali fulgido. Hisce amiculis & ornamentis Pontifex, cæterique Sacerdotes per dies septem continuos mane induebantur, vesperi autem exuebantur. Vide si placet *Gemar. Babylon. tit. Zebachim cap.* 11. *fol.* 19. *Maimonid. Halach. Celi Hammikdasch. c.* 10. *Mos. Mikoz. præcept. affirmat.* 173. *Selden. de success. in Pontific. Hebr. lib.* 2. *cap.* 8. *Outram de Sacrif. lib.* 1. *pag.* 51. *seqq.* Non autem sine ratione id fieri voluit Deus: Femoralia linea significabant *justitiam*, justitiam illam, quæ per fidem a Deo est, qua peccata teguntur, quæ abominatio sunt coram Deo. Imo induitionem Christi denotabant. *Rom.* 13. 14. *Cingulum*, quo arcte connectebantur signum erat fortitudinis & promtitudinis in corde, ad perficiendum munus. Sicuti autem omnis cinctura ad servitium multum prodest; ita speciatim cor Sacerdotis cinctum esse debet veritate, uti *Apostol. Ephes.* 6. 14. explicat, ita reliquæ vestes omnes & Christum, & dona ejus, & Christianas virtutes respiciebant, uti fuse ad oculum demonstravit *Henric. Ainsworth.* & *de la Haye. in Bibl. maxim. edit. Paris. in Levit.* Gentiles Hebræos imitantes pari modo vestibus Sacerdotes suos consecrabant, uti multis probarunt viri eruditiss. *Johann. Braun. de vestit. Sacerd. Saubert. de Sacrif. Dought. analect. Sacr. aliique.*

[19] *Capiti oleum sanctum infundebatur.*) Post lotionem Summus Pontifex oleo sancto inungebatur. Actus inaugurationis Sacerdotum *Exod.* 28. legitur. Et oleum unctionis fundes super caput ejus, atque hoc ritu consecrabitur. Nec aliud oleum unctionis intelligitur, quam sacrum illud unguentum, cujus supra mentionem feci, & cujus confectio *Exod.* 30. exstat. Et cunctorum consecrabis manus, ut sacerdotio fungantur mihi. Quod *Vatabl.* & alii interpretantur, Dabis eis in manus quod offerant. Ex his apparet inferiores Sacerdotes etiam inunctos fuisse, confer. *Salian. annal. Eccl. Veter. Test. an. mund.* 2545. *num.* 19. 20. 21. *seqq.* Solius Pontificis caput ungebatur, inde solus dictus est unctus *Levit.* 4. 3. Atque hoc sensu Aristobulus de gente Sacerdotum unctorum fuisse dicitur 2. *Maccab.* 1. 10. *Andr. Willet. cap.* 4. *Levit. fol. m.* 61. De modo inungendi Pontificem Autores discrepant. *Aben-Ezra* refert, oleum

oleum prius quam tiara capiti imponeretur, infuſum eſſe. *Gerundenſis* autem & *Abarbanel* contrariam tuentur ſententiam. Talmud hæc nobis tradit: Dicit *Rab. Menaſſe*, unctionem inſtar X. *Græci* fuiſſe factam. Alii tradunt primo oleum ſuper caput ejus fuſum & poſtea deductum inter palpebras oculorum. Alii primo illud oleum deductum inter palpebras oculorum poſteaque effuſum ſuper caput ejus. *Hamm. c.* 1. Quomodo ungebant Sacerdotem? affundebat oleum ſuper caput ejus & illinebat inde ſuper oculos ad formam *Chi* Græci. Idem *R. Mikotzi*, *præcept. affirm.* 166. ſcribit: Tradunt doctores noſtri: Quomodo ungebant reges? ad figuram coronæ. Quomodo vero Sacerdotes? Primum affundebant oleum ſuper caput ejus deinde illinebant oleum inter oculos ejus, poſteaque diducebant illud digito ſuo in utramque partem ut figura χ Græcorum fiat. Inſtar κ aut ϑ Græcorum unctionem factam refert *Andr. Willet. cap.* 8. *Levit. fol. m.* 130. *quæſt.* 12. *num.* 4. Nec ſic quidem male, cum figura literæ κ haud multum diſcrepet a figura τοῦ χ Græcanici.

[19] *Infundebatur.*) Oleum ſcil. ſacrum, de cujus confectura videatur *Exod. cap.* 30. *a verſ.* 22. *ad* 34. confer cl. *Weymer. diſſert.* de unctione *Pontif. celeb. Zoegæ diſſert. de eadem materia Lipſiæ habitam. D. Balthaſ. Scheid tract. de oleo unction. ſacr.* Hoc perſonæ ſacræ in conſecratione ſeu in auguratione ungebantur, quod & hoc loco factum eſſe cognoſcimus ex *Levit.* 7. 12. Effudit Moſes de illo oleo unctionis ſuper caput Aaronis & unxit eum ad conſecrandum eum. An vero ſolus Aaron, an etiam filii uncti fuerint, quæritur? *Heſychius in Levit.* & *Auguſtin. quæſt.* 14. *in eundem libr. Hugo Grot. in annot. ad Exod. cap.* 40. 13. *Balthaſ. Scheid. de oleo unctionis. Selden. de ſucceſſ. in Pontif. lib.* 2. *c.* 9. *D. Varen. Comment. in Exod. pag.* 417. aliique affirmant poſterius, ſcil. Aharonem non ſolum ſed filios etiam unctos fuiſſe, idque probant ex *Exod.* 28. 41. Unges illos, & *cap.* 40. 15. Hoc tamen diſcrimen in unctione fuiſſe, ut Summus Sacerdos copioſius inungeretur, reliqui autem oleo unctionis ſanguine mixto aſpergerentur uti prolixe diſſerit *Quenſted. in antiq. Bibl.* Alii autem dicunt, filios Aharonis tantum aſperſos oleo ſanguine mixto, & probant ſuam ſententiam ex ſilentio Scripturæ *Exod. cap.* 29. *Levit.* 8. ubi nullius Aharonidarum in inveſtitura unctionis mentio fit, ita *Dn. Calov. in bibl. illuſtrat. ad cap.* 29. *Exod. Rivet. Comment. in Exod. cap.* 29. ubi docet effuſionem Pontifici peculiarem eſſe, aſperſionem reliquis communem. Et probabile videtur quia Pontifex erat typus Chriſti, qui præ conſortibus unctus eſt. Forma qua inungebatur, erat X. Græc. uti *Carpzov. in not. ad Schickard. Seld. de ſucceſſ. Hottinger. in legibus Hebr.* aliique probant. Videatur cit. laudatus *Quenſted. l.* 1. Unctio hæc typus & figura fuit Donorum Spiritus in Chriſtum & Eccleſiam. *Eſa.* 61. 1. 1. *Joh.* 2. 20. 27. ita etiam communicationis Donorum Spiritus. conf. *Ainsworth. comment. in Exod.* 29. *fol.* 121. *cl. Hermann. Witſii Miſcell. Sacr. pag. m.* 496.

[20] *Sacrificio præcipuo facto.*) Pontificis & Sacerdotum conſecratio ſingulari complebatur ſacrificio, & quidem tres ſacrificiorum ſpecies pro conſecrandis Sacerdotibus recenſentur, quarum prima pertinet ad ſacrificia piacularia & expiatoria; ſecunda ad holocauſta; tertia ad pacifica. vid. *Outram. de Sacrificiis lib.* 1. *cap.* 5. *pag. m.* 56. *edit. Amſtel.* Ritus itaque primi ſacrificii iſte eſt, ut (1) adducto juvenco ſeu filio bovis coram Tabernaculo publico loco Aharon & filii ejus, pro quibus offerebatur, manus ſuas ei imponant. Juvencus Sacrificium piaculare erat ſolius Pontificis. vid. *verſ.* 14. Sic omnia Sacrificia Summi Sacerdotis pro peccatis oblata erant Juvenci vid. *Levit.* 4. 3. 23. 28. Verum hic notandum, quod hoc ſacrificium fuerit igne conſumendum, quamvis ſanguis non Sancto illatum ſit. Ratio unica hujus dari poteſt, ne Sacerdotes comedant proprium ſacrificium piaculare. *Levit.* 4. 3. 12. Quia illi non poterant portare vel tollere peccata propria, ſed opus habebant alio Salvatore uti reliqui homines. Ejus autem ſacrificii expiatorii ſignificabat expiationem peccatorum. *Levit.* 10. 17. Id quod Chriſtum reſpiciebat, qui verus Pontifex & tollere poſſit peccata. conf. *Ainsworth. in Levit.* 4. *fol.* 18. 19. Huic imponebant manus, quare confitebantur peccata. *Levit.* 5. 6. & 16. 21. quo ritu ſe ipſos a peccatis liberabant & illa imponebant capiti ſacrificii mactandi, teſte *Outramo*, & erat typus Chriſti, pro nobis occiſi, cui Jehova omnes iniquitates noſtras impoſuit. Hæc impoſitio manuum a quovis ſacrificium piaculare offerente, peragi poterat teſte *Maimod. de oblat. Sacrific. c.* 3. *ſect.* 11. confer. *Ainsworth. comment. in Exod. cap.* 29. *fol.* 122. (2) Moſes ſacerdotio extra ordinem fungens in hoc ſingulari actu jugulet ipſum. (3) de ſanguine ejus tingat cornua altaris, reliquum in baſin illius fundat. (4) adipem inteſtinorum & renum ipſoſque renes cum reticulo hepatis comburat. (5) carnem, pellem & fimum extra caſtra efferat. Ritus *holocauſti* hic eſſe debuit, ut (1) ex duobus arietibus alter duceretur ante tabernaculum (2) Moſes eum jugularet. (3) ſanguinem undique altari aſpergeret; (4) arietem in partes divideret: (5) partibus certo ordine diſpoſitis & inteſtinis cruribuſque lotis totum in holocauſtum adoleret & igne abſumeret, excepta pelle, quæ Sacerdotibus cedebat. *Euchariſticum* ſeu pacificum ita erat adornandum, ut (1) aries alter, qui *impletionis* ſive conſecrationis appellabatur ſiſteretur etiam coram Domino, (2) a Moſe mactaretur, qui (3) ſanguine ejus tum dextram auriculam, tum dextrum pollicem manuum pedumque conſecrandorum Sacerdotum illiniret & aram conſpergeret. Hæ erant ſpecies Sacrificiorum Sacerdotum conſecrandorum, de quibus in ſequentibus plura. Modo hoc loco *D. Varenii verba Comment. in Levit. cap.* 8. 14. *pag.* 38. adducemus, quæ merentur ut huc ſcribantur. *Incipiebat*, inquit, hic Actus a חטאת ſeu ſacro περὶ ἁμαρτίας (quo deinceps alios peccatores expiaturi, nunc expiabantur & ab omni reatu τῶν προγιγονόντων ἁμαρτημάτων purgati Sacerdotes publice declarabantur.) Continuabatur per ſacrum עלה ſeu holocauſtum (quo ſeipſos velut θυσίαν ζῶσαν cum humillima Majeſtatis Dei agnitione & Nominis divini glorificatione Sacerdotes repræſentabant) Abſolvebatur tertio, nempe impletione manuum. De his ſacrificiis diſſerit *R. Levi Ben Gerſon ad Exod.* 29. Obſervari debet ratio ordinis quo facta erant hæc ſacrificia. Nam primum omnium, in peccatorum expiationem factum erat ſacrificium piaculare. Cujus nihil, niſi aliquanto adeps, Deo offerebatur, quia offerentes nondum digni erant, a quibus Deus munus & donum acciperet. Poſtquam autem jam luſtrati erant, quo eos ſacro miniſterio devotos eſſe intelligeretur, holocauſtum, quod totum aræ datum eſt, Deo immolabant. Poſt holocauſtum autem ſacrificium ſimile ſalutari (cujus pars Deo, pars Sacerdotibus, pars offerentibus dari ſolet) eum in finem offerebant, ut eos jam in gratiam apud Deum eo uſque receptos eſſe conſtaret, ut communi cum eis menſa uterentur.

[21] *Ante fores Tabernaculi.*) Maluit Deus tabernaculi oſtium quam aram dicere, ne quod ad aras alibi poſitas immolabatur, rite immolatum cenſeretur. Id quod fieri potuiſſet, ſi aram ſolummodo nominaſſet, non Tentorii ſacri oſtium. Adde quod Tabernaculum nominans, propriam utique ipſius ædem, ac quidem Majeſtatis divinæ umbratile quoddam Domicilium, ſibi uni ſacrificandum eſſe, non Diis extraneis, admoneret. Quæ ſane ratio fuit, cur hunc ad locum victimas omnes adduci vellet. Homo inquit *Levit.* 17. 3. 4. quilibet de domo Iſrael, ſi occiderit bovem in caſtris vel extra caſtra & non obtulerit ad oſtium tabernaculi oblationem Domino, ſanguinis reus erit, &c. Hoc mandatum ſæpius repetitum fuit. *Deut.* 12. 5. 6. 14. 23. 26. 15. 19. 20. Cui Hebræorum canones aſſenſum præbent teſte *Maimonid. in Maaſ. hakorbanoth* ſeu de *oblat. Sacrific. c.* 18. *ſ.* 3. affirmantes, eum excidii pœna dignum eſſe, qui extra Sanctuarium mactet ſacrificium. Qua re Iſrael inſtruebatur Deo ſerviendum eſſe ſolum in Chriſto, quia ille verum tabernaculum ſit. *Hebr.* 9. 11. in quo Deus habitet inter homines, & cujus intuitu omnia ſacrificia noſtra Deo accepta. Per Tabernaculum etiam intelligi poteſt templum, in quo cultus divinus a populo ſit peragendus. 1. *Timot.* 3. 15. *Apocal.* 21. 3. *Epheſ.* 2. 20. 21. 22. vid. *Ezech.* 20. 49. Confer iterum *Maimonidem in Maaſ. hakorbanoth. capit.* 19.

pit. 19. *sect.* 16. vid. *Henry Ainsworth. fol.* 98. *in Levit.* 17.

[22] *Posuisset Aaron manus suas.*) Sacra lege sancitum, ut pecudis ad ostium Tentorii Sacri statæ capiti offerentis manus imponeretur, ac quidem si *Maimonidi in Maas. Korban. cap.* 3. fides habenda, manus utraque ac totis cujusque viribus, & quidem propriæ non vicariæ. Qua de re est in libro *Siphra*: Et imponet quisque manum suam, non manum servi sui, manum suam, non manum vicarii sui; manum suam, non manum uxoris suæ. Aliæ quoque cæremoniæ observabantur, quas adduxit *Outram. de sacrif. lib.* 1. *pag. m.* 153. Fiebat autem manuum impositio non nunquam vel precandi vel imprecandi causa. Atque ita fit, ut uno χειροθεσίας nomine preces sacræ passim designentur. Hinc illud *Aaronis Ben Chajim* ad Siphra in diburath, hachataoth *fol.* 95. Ubi non est peccatorum confessio, ibi non est impositio manuum, quia manuum impositio ad confessionem pertinet. vid. *Henric. Ainsworth.* l. 1. conf. etiam *Maimonid. in Maas. Korban. cap.* 3. Nullum enim est dubium, quin Judæi omnes statuant, nemini ad culpæ suæ veniam sacrificium ullum valuisse, nisi qui culpam expiandam prece supplici confiteretur. Ita *Abarbanel ad Levit.* 16. Certæ etiam formulæ adhibebantur & inprimis in hoc Pontificis sacrificio, ubi Pontifex peccata sua, suorumque totiusque familiæ Aaronis confitebatur teste *Maimonid.* Obsecro Domine, peccavimus, deliquimus, rebellavimus in conspectu tuo ego & familia mea, & filii Aaronis populus sanctus tuus: Obsecro Domine, remitte nunc peccata, delicta & rebelliones, quibus peccavimus, deliquimus & rebellavimus in conspectu tuo ego & familia mea & filii Aaronis populus sanctus tuus. Cui Pontificis orationi Sacerdotes ita respondebant; laudetur nomen venerabile regni ejus in sæcula sæculorum.

[23] *Tincto digito.*) Hic ritus digito spargendi sanguinem in cornua altaris communis & proprius erat omnibus sacrificiis expiatoriis non aliis sacrificiorum generibus. Hinc patet sanguinem juvenci piacularis pro tota familia Aaronica in adytum fuisse latum & versus propitiatorium semel superius, inferius septies digito sparsum esse uti demonstrat *Outram. de sacrific. lib.* 1. *cap.* 16. *pag.* 167. *edit. Amstel.* Modum Digito spargendi exhibet nobis *Henric. Ainsworth. ex Maimonide. Comment. in Levit.* 4. *fol. m.* 22. cujus verba, uti ex Hebræo versa Anglice recensebimus, ubi de Sacrificiis expiatoriis ita scribit: *Their blood was to be put on the foure hornes of the altar that stood without from the midst of the altar and upward. When the Priest took the blood in a bason, ha caried it to the Altar, and dipped the fore finger of his right hand in the blood, and put it upon the horne: and so did he to every horne. And he was bound to dip his finger at every horne. And when he had made an end of putting it upon the horne, he wipped his finger on the edge of the bason; and after that, he dipped the second time: for the blood that remained upon his finger, it was not law fall to put thereof upon another horne.* De his in præcedentibus actum.

[24] *Conditiones vero.*) Hæ possunt potissimum ad quinque referri capita: (1) ad natales (2) ad ætatem (3) ad corpus (4) ad animum (5) ad vitæ modum. Circa (1) notandum venit, quod Sacerdotibus atque *Pontifici M.* non licuerit quamcunque ducere uxorem, quippe certis limitibus circumscriptum erat a supremo Numine ipsorum matrimonium. Sic *Levit.* 21. *v.* 13. legitur: Pontifex Virginem ducat, puellam de populo suo. Imo *Pontifici M.* etiam vidua prohibita erat, quam tamen Sacerdotes gregarii licite in matrimonium ducebant. *Ezech.* 44. 27. vid. *Andr. Willet. chap.* 21. *on the booke of Leviticus. fol. m.* 430. *Joseph. l.* 3. *antiq. cap.* 10. inquit: in mandatis peculiaribus accepisse sacerdotale genus; μήτε γαμεῖν τὰς ἑταιρικὰς, μήτε δούλην μήτε αἰχμάλωτον καὶ τὰς ἐκ καπηλείας καὶ τοῦ πανδοκεύειν πεπορισμένας τὸν βίον, neque quæstum corpore facientes, neque ancillam, neque captivam, neque aliquam ex taberna, neque cauponariam uxorem ducere. Sed *Philo Judæus Alexandrin. lib.* 2. *de Monarch.* ulterius progreditur, & Pontifici M. virginem, ex Sacerdotibus ortam, ducendam esse asserit, ut sponsus & sponsa ex una domo & quodammodo ex uno sanguine sint, qua de re Hebræi tamen silent. Hoc autem præcipiunt, ut Pontifex M. sit μονόγαμος. Si vero duas uxores ante simul habuit, coactus fuit alteram ante festum expiationis repudiare, quia alias piaculare sacrum rite obire non potuit. vid. *Talmud. Masseeh. Joma cap.* 1. *Gemar. Babyl. ad tit. Jabimoth. cap.* 6. *Maimonid. halach. Isuri Bia. cap.* 17. *& Hal. Cele Hammik. cap.* 5. *Petr. Cun. lib.* 2. *cap.* 3. *de Republ. Hebr.* Itaque is qui ex ejusmodi conjugio natus, scilicet non ex scorto nec ex profana, vel vidua, vel expulsa, Pontificis munus adipisci poterat. *Joseph. lib.* 1. *advers. Appion. Selden. de success. & Pont. lib.* 2. *cap.* 2. (2) circa ætatem observandum, quod justa ætas functioni sacræ a Deo primitus constituta sit, annus scilicet XXV. uti patet ex *Num.* 8. 24. Postea vero numero Sacrificiorum adaucto ita, ut iis peragendis non sufficerent cum Levitæ tum Sacerdotes, annus XX. pro legitima ætate ad suscipiendam functionem sacram habebatur, ceu liquet ex 1. *Chron.* 24. 2. *Chron.* 31. 17. *Esd.* 3. 8. Hebræi tamen non admittebant viginti annos natum, nisi signa pubertatis, binos videlicet pubis pilos, haberet. Hisce enim anno XX. deficientibus, instar spadonis a dignitate Pontificia quis excludebatur. Quod si autem pili illi bini, ceu pubertatis signa, post decimum tertium apparerent annum, non arcebatur quis ab honore sacerdotii. Unde in *Gemar. Babylon. ad tit.* חולין *cap.* 1. dicitur: *Functionis idoneus est, post quam excreverunt ei pili bini, sed fratres sacerdotes eum in vices non accersunt ante ætatem XX. annorum.* Ex quibus colligitur, quod minori XIII. annis juxta recentiorem constitutionem, juxta vetustiorem autem, minori XX. ad sacra munia atque ad Pontificatum aditus non patuerit. Hæc consuetudo etiam apud Romanos invaluit siquidem apud *Livium* legere est: *Augur T. Sempronius Gracchus admodum adolescens, quod tunc perrarum in mandandis sacerdotiis erat.* Quanquam solis interdum pueris delata, juxta quarundam Gentium instituta, Sacerdotia; unde priscis temporibus apud Achivos Sacerdotium Jovis, puero forma præstanti creditum, cui pubescenti alius succedebat, ut observat *Pausanias in Achaicis*, & apud Thebanos pueri formæ egregiæ creati Sacerdotes annui, sicut alibi etiam refert idem autor in *Bœoticis*. Haud aliter nempe ac *Eliogabalus* adhuc juvenis forma, statura & Sacerdotio conspicuus a Capitolino traditur, quod probant ejusdem nummi, in quibus præter ejus vultum habetur hæc inscriptio. *Sacerdos Dei Solis Eliogabalus.* Hic *magno Scaligero* non adstipulandum, qui Pontificis maximi filium impuberem, Pontificem Maximum appellatum & actu etiam fuisse, asserit: illum autem, qui loco ejus huic officio præfuit, vicarium saltem seu סגן fuisse, ejusque vicibus ad pubertatis tantum, terminum functum fuisse. Ratio ejus hæc est, quod quamdiu ἀρχιερατικὸν genus stetit, Pontifices nascebantur, non fiebant. Verum hæc opinio & Scripturæ & Hebræorum Magistris repugnat. *Levit.* 21. 8. ubi non obscure indicatur, non sufficere ad Pontificem M. ut primogenitus sit inter fratres suos, sed requiri investituram. vid. *R. Bechai. comm. in Pentat.* Quando vestibus induebantur, Sacerdotes fiebant, quamdiu autem vestibus sacris non vestiebantur, nondum sacerdotes erant. imo erant sicut alienigenæ, de quibus scriptum est: *Num.* 18. 7. *& alienigena, qui appropinquabit morietur.* Utique ergo non solo jure nativitatis, sed mediante investituræ ritu ad hanc dignitatem evehebantur. (3) Impedimentum in corpore erat, si defectus vel nævus aliquis inveniebatur in corpore ejus, de quo vid. *Levit.* 21. *v.* 17. *seqq.* Variæ autem hic Autorum opiniones. *Hesychius ex LXX. Interp.* duodecim defectus recense, & ad requisita Episcoporum a *Paulo* recitata 1. *Timot.* 3. referre laborat. Verum Hebræi plura vitia exprimunt, distribuuntque eadem in tres classes. Primæ classis erant, quæ tam Sacerdotes quam bestias maculabant, ut neque hæ rite offerri, neque illi legitime ministerio fungi potuerint. Hujus generis L. fecerunt, quorum 5. in aure, in palpebris 3. in oculo 8. in naso 3. in ore 6. in vasis seminariis 12. in manibus pedibusque 6. in superficie corporis 4. constituerunt. His adjiciuntur: (1) tremor ab ætate seu senio, (2) tremor ex morbo (3) sordes & inquinamenta.

Secundæ classis erant, *quæ violabant* hominem tantum, ut a sacra functione arceretur: hujus classis XC. enumerant: scilicet in capite 8. in collo 2. in aure 4. in superciliis 5. in palpebris 4. in oculis 11. in naso 6. in labiis 3. in ventre 3. in dorso. 3. in manibus 6. in vasis seminariis 4. in cruribus & pedibus 15. in corpore toto 4. in cute & carne 8. Adduntur his surditas, fatuitas seu insania, Epilepsia, Spiritus immundus. Tertiæ classis vitia sunt, quæ non vitiabant hominem, nisi quod deformem ipsum in conspectu redderent. vid. *Misn. & Gemar. Babyl. ad tit.* בכורות *cap. 6. & 7. Maimonid. Halach.* המקדש *cap. 6. & 7. R. Bechai. Com. in Pent. ad Lev. 21. Johan. Selden. de success. Pontif. cap. 5. Andr. Willet. commentar. on the booke of Levit. cap. 21. quæst. 20. fol. m. 533.* In sacris bibliis vero *Lev. 21.* hæc leguntur. *Pontifex non erit mancus, debilis, cæcus, claudus, habens maculam, albuginem &c.* Non cæcus, ubi in Hebr. עור Græc. τυφλὸς & 19. vitia in oculis agnoscunt & 7. in palpebris; Ratio autem ejus hæc esse videtur, quia cæcus facile errare posset in offerendis sacrificiis. *Claudus* פסח Anglice halt, & videtur a Græco ἅλλομαι salto, LXX. per χωλὸς verterunt, qui scilicet baculo aut alio modo incedit. Quidam naturaliter claudi dicuntur, ut Pallad. χωλὸν ἔχεις τὸν νοῦν, ὡς τὸ πόδα, *Animam claudam ut & pedes habes.* Quando vero contingebat, ut Sacerdos in ipso ministerio claudus fieret, non ejiciebatur ex ordine, sed alius in locum ejus substituebatur. Qui habet nasum aduncum Hebr. חרום & שרוע. dicitur. Charem Hebræi interpretantur eum, qui habet nasum plane depressum in radice oculorum, quem latine *Simum* vocamus. *Sarua* autem, qui habet membrum aliquod excessivum, vel nimis parvum, vel nimis magnum: ut si unus oculus major sit altero, aut una tibia longior sit altera, vel si quatuor aut sex digitos habeat. *Andr. Willet. in Levit. chap. 21. fol. m. 536.* Addebatur etiam שבר qui scilicet manus fractas pedesque habebat. LXX. appellant συντετριμμένα. Ita apud Canonicos cui manus deficiebat aut digitus irregularis habebatur. Ratio hæc erat, quia hi ad sacrificia perficienda inidonei. *Sueton. in Galb.* Accedo etiam ad גבן gibbum, גבן autem alterum denotat locum: Quidam referente *Paulo Fagio ad Levit. 21. paraph. Chald. n. 20.* vocem Hebræam exponunt pro deformitate palpebrarum sive superciliorum; Sunt enim qui plane nulla habent supercilia, sunt alii, qui tam magna habent, ut oculos operiant, sunt qui tantum unum habent, sunt rursum qui diversi coloris habent. Alii pro gibbo interpretantut, quod & convenire cum latino gibbo videtur. Nec admittebatur qui læsos oculos habebat. Hebr. דק *Cajetan.* putat fuisse *phthisicum Vatabl. Oleast. & Paul. Fag.* pro pellicula tenui in oculo, alii pro puncto ut *Maimonid.* ponunt. *LXX. Interpretes* per ἔφηλος transtulerunt, qui punctula, nævos, &c. in facie habet. *Latinus* reddit *lippus*, i. e. qui aquosos oculos habet. Tales *Horatius* habuit, ideoque cum *Augustus* inter *Horatium* & *Virgilium* sedisset, dicitur sedisse inter *suspiria & lachrymas*. Accedit & alia macula nomine תבלל, quod quidam pro albugine, rectius autem pro vitioso oculo accipiunt ut *Vatablus*, *Cajetan. Paulus Fagius ad Paraphras. Chald. in Levit. 21. n. 20.* maculam albam, quæ nigredinem oculi turbat, exponit, a בלל, quod confundere significat. In corpore quoque Scabies impedimentum erat, quam Hebr. גרב Græc. ἀγρία. Quidam scabiem purulentam exponunt. *Pagnin. Vatabl.* Sed melius cum *Paulo Fagio d. l.* & *Andr.* Willet. *comment. in Levit. cap. 21. n. 10. fol. m. 535.* dicendum, Scabiem foris & intus siccam fuisse, quæ instar scalæ perrumpat carnem devoretque, ut *Fernelius 7. Pathol. cap. 4.* pejor quam scabies est, inquit *Oleaster. h. l.* & species lepræ proxima. *Syri* vocant *garbin* ab Hebræo גרב *scabies sicca in modum circuli*. Alia quoque legitur vox ילפת, *jalaphet* a ילף quæ adhærere, apprehendere, significat. *Vatablus* hanc aridam fuisse putat, *Fernelius l. c.* quatuor Scabiei genera facit (1) *impetiginem, Scabiem externam purulentam* (2) *pruritum* (3) *Psoram, scabiem siccam*, & denique (4) *lepram*. Hæc & alia vitia Pontificem a Pontificatu arcebant, qualia Hebræi 308. fingunt, de quibus *libellum præceptorum consul.* (5) circa animum potissimum duplex impedimentum fuit. (1) peccatum commissum contra præceptum de conjugio: si scil. lege divina sibi prohibitam mulierem Sacerdos duceret, Pontificatus honore excidebat. Sic Manassen, fratrem Jaddi, exclusum fuisse a Pontificatu ob ductam in uxorem Sanaballatis Cuthæi filiam, tradit *Joseph. lib. 11. antiq. c. 7.* (2) Peccatum idololatriæ, de quo *Maim. Hal. de rat. ad templi IX.* Quicunque Sacerdos cultum præstiterit extraneum, sive id sponte fecerit, sive ex errore, etiamsi pœnitentia perfecta reversus fuerit, ille tamen nunquam in sanctuario sacris operabitur: quoniam dicitur (*Ezech. 44. 13.*) non appropinquabunt ad me, ut sacerdotio fungantur mihi. De altero peccato habetur præceptum *in Misn. tit.* מנחות *c. 1. Sacerdotes, qui officio functi sunt in templo Oniæ, a functione in sanctuario Hierosolymitano arcendi sunt; multo magis ii, qui idola coluere, &c.* (6) impedimentum ultimum erat circa vitæ conditionem. Nempe si quis vel minus honestæ vel sordidæ vitæ generi se mancipasset, ad Pontificatum adspirare non poterat. Expressa hac de re sunt verba *Maimonid. Hal. Mel. 1. 6. Non constituunt sive Regem sive Pontificem eum, qui est aut lanio, aut tonsor, aut balneator, aut textor, aut coriarius. Non quod artes ejusmodi illegitimæ sint. Sed quoniam ob earum sordes populus in ejusmodi successione nunquam acquiesceret. Etiam qui die unico aliquam ex artibus ejusmodi exercuerit, minime idoneus redditur.*

[25] *Lucernas concinnaret.*) Antiquos non in uno loco, sed pluribus lucernas posuisse historiographi testantur, scil. in templis Deorum, intra muros ante Numinis imaginem, sub terras & ad aram. Etenim ardebant in Deorum Gentilium delubris antiquitus lucernæ *Carimachi* aurea in æde Minervæ apud Athenienses, aliæ in aris apud Delphos, aliæ in templo Veneris, &c. vid. *Fortun. Licet. lib. 3. de recondit. antiquor. Lucern. cap. 4. fol. m. 181.* Hoc apud omnes gentes usitatum est, ut ignis ante aras & divorum imagines honoris cultusque gratia ardeat, ceu docet *Porphyr. lib. 2. de abstin. ab esu carn.* ubi inquit *Sacrificio ignis cœlestis Deos a Veteribus excipi & igne heroes ipsos immortalitati consecratos; quia & in templis ignis immortalis conservari soleat, quippe cœlestibus simillimus sit. Seneca* autem *epistol. 95.* ex *Marco Bruto* inquit. Accendere aliquam lucernam Sabbathis prohibemur, quoniam nec lumine egent dii. Ad quem locum *Lipsius* addit; Lucernam accendere in honorem Deorum, festis diebus, mos apud Romanos: sed ut apparet, paulatim Judaici ritus invaluere & Sabbathi diem illa superstitione coluerunt. Causas cur positæ sint lucernæ duas reperio: Altera est, quod in signum grati animi Deo summo a quo omnia bona, accenderentur. Altera, quia vitæ Symbolum. *Fortunat. Licet. fol. 415. seqq. & lib. 1. fol. 39. seqq.* Hoc loco teste Bartenora aptare lucernas idem ac accendere vid. *Cod. Jom. pag. m. 166.*

[26] *Adoleret.*) Mandatum ab ipso Deo *Exod. 30.* ut adoleret Aaron in altari, non intra Sanctum Sanctorum ante arcam posito, ut putant *Orig. hom. 9. in Exod. Augustin. qu. 133. 136. 137. in Exod. Rupert. lib. 4. in Exod. cap. 9.* sed ante velum, quod ante arcam, testibus *Theoph. in Heb. 9. Bed. lib. 3. de Taber. cap. 11. & 12. Cornel. a lapid. in Exod. fol. 600. Varen. Decad. Mos. in Exod. p. 420. Osiand. comment. in Exod. fol. 305.* Bis quotidie adolendum erat; vid. *Philo Jud. lib. de victim.* Modum adolendi *Rabbini* describunt: Primo ibat sacerdos ad aram holocaustorum, e cujus cornibus pendebant thuribula, igniumque receptacula & in illud thuribulum prunas ignis ex altari holocaustorum imponebat. Aliunde enim carbones non erant sumendi; Huic igni Sacerdos aromata injiciebat, jussus prius ab Antistite quodam Sacerdotum, teste *Maimonid. Hal. Temid. cap. 3.* Non adolebat suffitor usque dum ei dixerat Præpositus, adole. Et si Sacerdos magnus munus suffiendi obibat, dicebat ad eum Præfectus hic: Domine mi Sacerdos M. adole. Et postquam hoc dixerat, secedebat omnis populus; Suffitor vero suffiebat, quo peracto genibus flexis exibat. Populo enim tempore suffiminis in templo manere non licebat, ut videre est *Luc. 1. 10.*

[27] *Semel autem in anno.*) Errat *Epiphanius*, cum dicat, Summum Pontificem *Ter* in anno, *Paschate*,

schate, *Pentecoste* & *Tabernaculorum*, festo ingredi Sanctum Sanctorum, cum nunquam illis diebus illud ingressus fuerit. Ingrediebatur enim S. Sanctorum solo die X. *Tisri* uti epistola ad Hebr. clare testatur. Verum hic eruditi in diversas abeunt sententias & non tantum de ingressu anniversario, sed & quotidiano disceptant. *Augustinus* hanc fovit sententiam, quod Pontifex quotidie Sanctum Sanctorum intraverit, quia vero semel in anno duntaxat Pontificem intrasse Author Epistolæ ad Hebræos dicit, retulit id ad anniversariam expiationem quæ sanguine fiebat: Hunc secutus *Carolus Sigonius* verba epistolæ ἅπαξ ἐνιαυτοῦ in perversissimum distorsit sensum, quasi quidem Pontifex quotidie Sacerdotum comitatu stipatus, semel tamen quotannis solus intraverit. Quem errorem *Petr. Cunæus* vir judicii profundi *lib.* 2. *de Republ. Jud. cap.* 4. non solum atro notavit carbone, sed & felicissime confutavit. Verum qui plura desiderat evolvat *annot. in Godwini Mosen & Aaron*.

[28] *Sacris vestibus indutus*.) Extra dubitationis aleam ponimus Autorem nostrum intelligere omnes vestes Pontificales, quia nullum discrimen addit. Verum crassum errorem hic committit *Sigonius* uti & multi hic errarunt *Epiphanius* dicit: Summum Pontificem S. Sanctorum ingredi humerali & pectorali gemmato, *in libello de duodecim lapidibus* ubi expressis verbis docet Pontificem ingressum fuisse in S. Sanctorum cum *Adamante*, quem putat fuisse *Urim* & *Thummim*. In eodem errore etiam versantur multi alii viri doctrina gravissimi, inter quos reperimus *Augustinum*, *Epiphanium*, *Hieronymum*, *Bertramum*, *Sigonium*, *Buxtorffium*, *Magium*, *Dallæum*. Verum falluntur hi omnes cum Pontifex non nisi vestibus albis intraverit Sanctum Sanctorum, quibus non nisi semel usus. Finita autem ista die eis nunquam usus per totam vitam uti pluribus probavit vir exquisita eruditione *Johann. Braun. lib.* 2. *cap.* 25. *pag.* 856. 857. *de vestit. Sacerd. Hebr.* & *lib.* 2. *cap.* 26. *pag.* 932. ubi comparationem Pontificis & Christi mysticam eleganter adduxit.

[29] *Preces funderet*.) Quando fumus aromaticus propitiatorium impleverat, Sacerdos (ut recutiti arbitrantur) preces suas coram Domino fundebat, & nomen τετραγραμμάτου secundum literas & vocales suas diserte decies pronuntiabat, ceu *R. Bechai comment. in Pentat.* expresse ait ita disserens: הי״ה מזכיר עשרה פעמים המוקדש ביום הכפורים *pronuntiabat illud denis vicibus in die expiationis*. Præterea Pontifex in S. Sanctorum juxta traditionem Hebræorum alias precatiunculus brevissimas orabat, (quod moris esset, paucis se expedire a conspectu Domini) petebatque (1) bona ac felicia tempora. (2) ne a tribu Juda sceptrum auferretur (3) ne quis populo egeret. (4) ne Deus exaudiret stultas hominum preces, quæ bono publico essent noxiæ, *v.* 9. qui proficiscuntur serenam auram optant atque petunt, cum forte, terræ & bono communi magis pluvia conveniat. Horum verba *Fagius Comment. in Levit. ex libris Talmudicis* attulit, quæ & hic placuit referre. *Sit bona voluntas coram te, Domine Deus noster, ut sit annus hic calidus & pluviosus. Non auferatur, qui facit potestatem de Domo Judæ. Neque indigeat populus tuus, ut alius alium cibet, nec ingrediatur in conspectum tuum oratio eorum qui iter faciunt*.

[30] *Sacerdotum comitatu stipatum &c.*) Quæritur hic an Pontifex sanctum sanctorum semel quotannis, an vero quotidie intrarit? Aut an festo expiationis non semel sed bis ter aut quater id intrarit? De hac quæstione inter scriptores non convenit. *Augustin.* hanc fovet opinionem, quod Pontifex quotidie Sanctum Sanctorum ingressus sit, & semel festo anniversariæ expiationis. Hunc secutus Sigonius noster, sed male; vid. *Petrus Cunæus lib.* 2. *de de Republ. Hebr. cap.* 4. ubi contrarium statuit. Deinde asserunt Hebræi, Pontificem non quidem quotidie, sed illis diebus, quando ex re nata necessarium id fuerit, ad consulendum Deum, & quater solenni expiationis festo, intimum sacrarium intrasse. Ita *R. Mos. Kotzens. fol.* 83. scribit: *Quoties ingressus est die expiationis? quater. Si quinquies ingrederetur cœlitus morte est affectus*. Cujus mentem *Grotius in comment. ad Hebr.* 19. 7. hisce verbis explicat: Id intelligendum, quod uno tantum die intraverit, non quod aliquoties exierit & rursus intrarit. Primum enim intrare eum oportuit quantilli inferendi causa, deinde suffitus, sanguinis vitulini, & deinde hircini. Itaque quater eo die intrasse ait *Mos. Kotzens.* Alii sunt qui ter hoc festo Sacerdodotem S. intra velum intrasse autumant, inter quos *Quistorpius in Comment. in Lev.* cui senteneiæ *J. A. Osiander* assentitur. Verum demonstrari nequit ex diversa aspersione, diversos fuisse ingressus teste *Cl. Varen. Decad. Bibl. in Levit. pag.* 92. *conf. Isaac. Casaubon. exerc.* 1. *ad annal. Baron. Clar. Johan. Frischmuth. dissert. de Hirco emissar.*

[31] *Rerum sacrarum procurationem tantum gessisse*.) Ad Dei honorem Sacerdotium administrabant teste *Clem. Rom. lib.* 2. *constit. c.* 34. Ex quo patet, Civilem & Ecclesiasticam potestatem distinctam fuisse. Audiamus *Osium Cordubens. Episcop.* qui ita ad *Constantium Imperatorem* scripsisse fertur referente *Athanas. epist. ad sol. vit. agent. Ne te misceas Ecclesiasticis, neque nobis in hoc genere præcipe, &c. Neque nobis fas est in terris imperium gerere, neque tu thymiamatum & sacrorum potestatem habes Imperator.* Idem sentiunt *Hilar. libell. ad Constant. August. Nazianzen. Epiphan. in opere quod Panar. inscripsit hær.* 20. *Gynes. Episc. Ptolemaidis epist.* 57. *advers. Andron. Isidor. Pelusi. lib.* 3. *epist.* 249. *Gelas. Papa epist. ad Anastas. Imp. apud Bini. Sym. Papa epist.* 4. *Apol. ad Anastas. Imperat. Plura qui desiderat evolvat Guiliel. Apollon. de jur. majest. circa sacra, & Guilielm. Beyer. de Hierarch. Ecclesiast.* Quod officia & munia Sacerdotum & Regum etiam sub V. T. specie diversa fuerint, confirmat *clar. Wallæus*. Verba ejus hæc sunt: *Neque solum ministeria, sed & κριτήρια ecclesiastica, distingui a politicis Deum voluisse facile perspicimus, tum ex Mose, qui controversias quæ inter Israelitas exorituræ essent, deferri ad Pontificem jubet. Deut.* 17. 16. Apparet hoc etiam 2. *Paralip.* 19. 11. ubi *Sebadias* præficitur illis, qui lites dijudicabant; *Amazia* vero sacerdos primarius negotio Jehovæ.

[32] *Et Sacra & Rempublicam*.) Eadem verba refert *Nicolaus I.* Olim Sacerdotium cum Imperio conjunctum fuisse, & apud Regem illum Melchisedecum, & apud Cæsares docet sed veri Regis & Pontificis adventu factam esse & dignitatum & munerum divisionem, non vero subjectionem aut subordinationem. Negari non potest in familia Hasamonæorum apud Judæos usque ad Herodis Regis tempora, perpetuam Regni & Pontificatus conjunctionem fuisse. Sed frustra sunt veteres, qui a reditu ex captivitate babylonica ad seculum, quo natus est Christus, toto illo intervallo genti Hebræorum Pontifices præfuisse existimant. Utut enim de Jaddua Summo Pontifice, cum quo Alexander Macedo fœdus iniit, apud Josephum hoc affirmari possit, & de Jasone, quem Antiochus Epiphanes Rex Syriæ Pontificem atque Ethnarchum Judæis præfecit: de cæteris tamen in universum Pontificibus hoc dici nequit. Non moror Justinum & Diodorum, qui ab ipso Mose hunc morem Judæis fuisse putant, ut eosdem Reges & Sacerdotes haberent, quorum error inde excusari potest, quod ad Hebræorum politiam respicerent, quæ sub Hasamonæis viguit, apud quos honor Sacerdotii firmamentum potentiæ assumebat, ut monet *Tacit. lib.* 5. *histor. plur. vid. apud Guliel. Apollon. de jur. Majest. circa sacra.*

[33] *Anna & Caipha pontificibus*.) Quinque opiniones quare Pontifices dicantur, circumferuntur; (1) eorum qui dignitatem pontificiam, ex jure communi tantum debitam, violatis jam sub Romanis sacris Hebræorum legibus, sive binis simul sive alternatim eodem anno donatam fuisse contendunt (2) quod annuo pontificio munere hi defuncti sint. vid. *Niceph. in Caiph. Euseb. Histor. Eccl. lib.* 1. *cap.* 10. *Dionys. Petav. lib.* 10. *de doct. tempor. cap.* 56. (3) quia Anna aut nomen officii retinuit, aut quia stationis alicujus Sacerdotalis princeps fuit, & hæc est *nostri Sigonii* sententia (4) Annam fuisse Pontificem secundarium סגן seu vicarium *Caiphæ*, & ob hanc causam Pontificem dictum, quale exemplum nobis præsto est in *Josepho Ellemi filio*, qui *Matthiæ Theophili filio* in sacris vicarius per unicum diem, a *Josepho Pontifex alter* dicitur. vid. *lib.* 17. *cap.* 8. *Et in Rabbinorum commentar. Vicarius Pontificis* ipse Pontifex dicitur, vid. *Joseph. Scalig. in*

prole-

prolegom. Thesaut. tempor. præfix. Constant. L'Empereur ad tit. Talmud. Middoth. pag. m. 180. *Joan. Lightfoot hor. Talmud. cap.* 3. *in Evangel. S. Luc. pag. m.* 77. (5) est *Baronii*, Quod vero has rationes adductas attinet, ad (1) respondendum, nullibi binorum simul Pontificum, pari jure simul utentium, mentionem exstare. vid. *Gemar. Hierosolym. ad tit. Horajioth. cap.* 3. 47. *col.* 4. *Gemar. ad tit. Joma cap.* 11. *fol.* 38. *col.* 4. *& ad tit. Megilla. c.* 1. *fol.* 72. *item Maim. halach. Celi hammikdasch. cap.* 14. Neque tempore illo, quo hæc dignitas venalis, boni admissi sunt. Ad (2) quod scilicet commixti fuerint annuo tempore in Scriptis *Rabb.* licet *Josepho* contrarietur, invenitur. Etenim de annui Pontificatus usu, in posteriori templi secundi ævo, expressa est mentio in *Gemar. Babylon. ad tit. Jom. cap.* 1. *fol.* 8. ubi Pontificatu pretio redimi solito agitur. Verba sunt. *Et permutabant (Pontificatum) singulis annis.* vid. *ad Misch.* eandem *Obad. Bartenor.* sed nullibi legitur lege aut more hoc ita sancitum fuisse. Ad (3) & (4) quod attinet, Certum est, Pontificio munere functos, seu Vicarios eodem nomine insigniri, ut videre est apud *Holosc. lib.* 2. *cap.* 21. *qui de Numidio Quadrato Syriæ Præside, ad Cæsarem*, inquit, *misit Pontifices Jonathanem & Ananiam*, cum tamen *Jonathas* exauctoratus, & *Ananias* Pontificatum gerebat. Ad (5) respondet Wallæus comment. ad N. T. *pag. m.* 568. Hanc, tametsi a nonnullis viris doctis rejecta sit, cæteris præferendam duco. Notandum hic est, nomen ἀρχιερεὺς in Rep. Hebraica denotasse aut functionem sacram, aut civilem aliquam dignitatem, qua ipsi *Pontifices* præ cæteris eminebant. Proinde si conjecturæ locus detur, existimarim, *Annam* & *Caipham Pontifices simul a Divo Luca* dictos, non quatenus sacræ functionis dignitas per illud nomen tantum hic denotatur, sed quatenus civilis etiam eorum administratio ipsum annum durans indicatur. conf. *Gerhard. Harmon. Evangel. cap.* 186. *pag.* 1799-1800. *Wallæ. comment. in Luc. cap.* 3. *pag. m.* 569. *Joan. Selden. de Synedr. Hebr. Hammond. in Luc. cap.* 3. *ubi plura.*

CAPUT TERTIUM.

De Sacerdotibus.

UT autem unus & summus exstitit pontifex, sic sacerdotes & multi fuere, & minore dignitate atque auctoritate, quam pontifex, id autem planum fiet, si in his eadem considerabimus, quæ in Pontifice exquisivimus, nempe vestitum, consecrationem, conditiones, atque officia.

Ac [1] vestes quidem sacerdotum eæ fuere, quas cum pontificibus communes diximus tunica linea, baltheus, mitra, feminalia, de quibus sic præcipitur Exodi XXIX. *Filios quoque Aaron applicabis, & indues tunicis lineis, cingesque baltheo, & impones eis mitras eruntque sacerdotes mihi lege perpetua*; & cap. præcedenti: *Facies & feminalia linea, ut operiant carnem turpitudinis suæ a renibus usque ad femora, & utentur eis Aaron, & filii ejus, quando ingrediuntur Tabernaculum Testimonii, vel quando appropinquant altari, ut ministrent in Sanctuario, ne iniquitatis rei moriantur.* Factum autem narratur VIII. Levitici: *Filios Aaronis oblatos vestivit tunicis lineis, & cinxit baltheis, imposuitque mitras, ut jusserat Deus.*

Extra ordinem etiam [2] sacerdotes induere Ephod, id est Superhumerale, sed lineum, XXII. primi Regum: *Irruit in Sacerdotes, & trucidavit octoginta quinque viros vestitos Ephod lineo.* Ubi notavit S. Hieronymus, EPHOD illud fuisse lineum, non autem ex hyacintho, bysso, cocco, purpura, & auro, ut pontificium. *Ephod* enim, ut inquit S. Eucherius, *duo genera; unum lineum, & simplex, quod sacerdotes habebant, alterum diversis coloribus ex auro, purpura, bysso, hyacintho, gemmisque contextum, quo soli pontifices utebantur. Sacerdotale vocatur Ephod bad, id est Superhumerale lineum.*

[3] Ritus autem Consecrationis [4] idem fuit atque pontificis, nempe ut offerrentur, lavarentur, vestirentur, ungerentur, & consecrarentur. Exodi XXIX. *Filios quoque Aaronis applicabis ad ostium Tabernaculi, cumque laveris eos aqua, indues vestimentis suis, tunicis lineis, cinges baltheo, impones mitras; postquam initiaveris manus eorum applicabis & vitulum coram Tabernaculo Testimonii*; & VIII. Levitici: *Filios quoque oblatos vestivit tunicis lineis, & cinxit baltheis, imposuitque mitras, ut jusserat Dominus.* Inde refertur sacrificium vituli & arietis, quod in consecratione fiebat, de quo consecratione pontificis diximus, eodem enim modo & sacerdotes & pontifex consecrati sunt per septem dies.

[5] Conditiones porro hæ sacerdotibus impositæ, Levitici X. *Dixit Dominus ad Aaron; Vinum, & omne quod inebriare potest, non bibetis tu & filii tui, quando intrabitis in Tabernaculum Testimonii, ne moriamini*; & XXI. *Ne contaminetur sacerdos in mortibus civium suorum, nisi tantum in consanguineis, ac propinquis, id est super patrem, & matrem, & filium, ac filiam, fratrem quoque & sororem virginem; sed nec in principe populi sui contaminabitur, nec radent caput, nec barbam, neque in carnibus suis facient incisuras. Sancti erunt Deo suo, & non polluent nomen ejus, incensum enim*

Do-

Domini, & panes Dei sui offerunt, & ideo sancti erunt. Scortum, nec vile prostibulum ducet uxorem, nec etiam quæ repudiata est a marito, sacerdotis filia si deprehensa fuerit in stupro, & violaverit nomen patris sui, flammis exuretur. Hinc Josephus VI. Belli: *Ad altare, templumque accedebant carentes omni vitio sacerdotes, veste amicti byssina, maxime vero mero abstinentes, ac sobrii religionis metu, nequid rem divinam faciendo peccarent.*

6 Officia vero eorum hæc fuere, ut olea conservarent, vasa Tabernaculi inspicerent, quotidie incensum offerrent, & sacrificium quotidianum facerent, & si quando extra ordinem pro populo, aut pro privatis offerendum esset, ipsi offerrent, & diebus festis sacrificium populi agerent, & pelles Holocaustorum detraherent.

De incenso, & sacrificio quotidiano, & oleis, & 7 vasis sic traditur quarto Numerorum: *Ad curam Eleazar filii Aaron sacerdotis pertinet oleum ad concinnandas lucernas, & compositionis incensum, & sacrificium quod quotidie offertur, & oleum unctionis, & inspectio totius tabernaculi, & omnium vasorum quæ in Tabernaculo sunt.* Et sexto primi Paralip. ut diximus: *Aaron & filii ejus adolebant incensum super altare holocausti, & super altare thymiamatis in omne opus Sancti Sanctorum; & ut precarentur pro Israel juxta omnia quæ præceperat Moyses.* Et secundi XXVI. *Ozias rex ingressus templum Domini adolere voluit incensum super altare thymiamatis statimque post eum ingressus est Azarias pontifex, & cum eo sacerdotes Domini octoginta viri fortissimi, restiterunt ergo, atque dixerunt: Non est tui officii Ozia, ut adoleas incensum Domino, sed sacerdotum, hoc est filiorum Aaron, qui consecrati sunt ad hujusmodi ministerium, egredere de Sanctuario, ne contemseris: quia non reputabitur tibi in gloriam hoc a Deo, iratusque Ozias, & tenens in manu thuribulum ut adoleret incensum, minabatur sacerdotibus in domo Domini super altare thymiamatis, cumque respexisset eum Azarias pontifex, & omnes reliqui sacerdotes, viderunt lepram in fronte ejus, & expulerunt eum.* Horum autem utrumque post confirmavit, regnante Joa, Jojada pontifex, de quo scriptum est: *Mandavit custodiam templi sacerdotibus & Levitis secundum præscriptum Davidis; jubens eos in die inferre constituta holocaustorum sacrificia, & adolere incensum secundum legem.* Unde S. Lucas primo: *Cum sacerdotio fungeretur Zacharias in ordine vicis suæ ante Deum secundum consuetudinem sacerdotii, sorte exiit, ut incensum poneret ingressus in templum Domini*; & S. Paulus VIII. ad Hebræos: *Christus pontifex non habet necessitatem quotidie, quemadmodum reliqui sacerdotes, prius pro suis delictis hostias offerre, deinde pro populi.*

De sacrificio vero pro populo, & pro privatis extra ordinem offerendo, ad ea quæ supra retulimus, cum de Holocaustis & cæteris sacrificiis scribebamus, hoc etiam adjungemus. Pro populo, XXIX. secundi Paralip. cum Ezechias rex dixisset filiis Aaron, ut offerrent super altare Domini, inde sic pergitur: *Mactaverunt tauros & susceperunt sanguinem sacerdotes, & fuderunt illum super altare, mactaverunt etiam arietes, & illorum sanguinem super altare fuderunt, immolaverunt agnos, & fuderunt super altare sanguinem, applicuerunt hircos pro peccato coram rege & universa multitudine, imposueruntque manus suas super eos, & immolaverunt illos sacerdotes, & asperserunt sanguinem coram altari pro piaculo universi Israelis, pro omni quippe Israel præceperat rex, ut Holocaustum fieret, & pro peccato.* Pro privato autem, Levitici XVII. lex traditur: *Homo quilibet de domo Israel si occiderit bovem, aut ovem, sive capram in castris, vel extra castra, & non obtulerit ad ostium Tabernaculi oblationem Domino, sanguinis reus erit. Ideo sacerdoti offerre debent filii Israel hostias suas, quas occidunt in agro, ut sanctificentur Domino ante ostium Tabernaculi Testimonii, & immolent eas hostias pacificas Domino, & nequaquam ultra immolabunt hostias suas dæmonibus, cum quibus fornicati sunt.*

De sacrificiis festis diebus faciendis supra in Pontificibus dictum est.

De pellibus autem Holocaustorum detrahendis primo Levitici, ubi agitur de Holocausto per pontificem offerendo: *Immolabit pontifex vitulum coram Domino; & offerent filii Aaron sacerdotis sanguinem ejus fundentes per altaris circuitum, detractaque pelle hostiæ artus in frusta concident, & subjicient in altari ignem, strue lignorum ante composita, & membra quæ sunt cæsa, desuper ordinantes*; & secundo Paralipomenon XXIX. *Sacerdotes vero pauci erant, nec poterant sufficere, ut pelles Holocaustorum detraherent.*

Hæc vero omnia renovavit Deus, postquam ab exilio Babylonico reverterunt, ut scriptum XLIV. Ezechielis: *Sacerdotes filii Sadoc, qui custodierunt cæremonias Sanctuarii mei, cum errarent filii Israel a me, ipsi accedent ad me, ut ministrent mihi, & stabunt in conspectu meo, ut offerant mihi adipem, & sanguinem, ipsi ingredientur Sanctuarium meum, & accedent ad mensam meam, ut ministrent mihi, & custodiant cæremonias meas. Cumque ingredientur portas atrii interioris, stolis lineis induentur, nec ascen-*

adscendet super eos quidquam laneum, quando ministrant in portis atrii interioris, vittæ lineæ erunt in capitibus eorum, & feminalia linea erunt in lumbis eorum, & non accingentur in sudore, cumque egredientur in atrium exterius ad populum, exuent se stolis suis in quibus ministraverunt, & reponent eas in excelsis Sanctuarii, & vestient se stolis aliis, & non sanctificabunt populum in vestibus suis. Caput autem suum non radent, neque comam nudabunt, sed cooperientes cooperient capita sua. Et vinum non bibet omnis sacerdos, quando ingressurus est atrium interius, & viduam, & repudiatam non accipient uxores, sed virgines de semine domus Israel; sed & viduam, quæ fuerit vidua a sacerdote, accipient. Et ad mortuum hominem non ingredientur, ne polluantur, nisi ad patrem, & matrem, & filium, & filiam, & fratrem, & sororem, quæ alterum virum non habuerit; in quibus contaminabantur, & postquam fuerit emundatus, septem dies numerabuntur ei. Et in die introitus sui in Sanctuarium ad atrium interius, ut ministret mihi in Sanctuario, offeret pro peccato suo: non erit autem eis hæreditas: ego hæreditas eorum, & possessionem non dabitis eis in Israel: ego enim possessio eorum. Victimas & pro peccato, & pro delicto ipsi comedent: & omne votum in Israel ipsorum erit, & primitiva omnium primogenitorum, & omnia libamenta ex omnibus quæ offeruntur, sacerdotum erunt, & primitiva ciborum vestrorum dabitis sacerdoti, ut reponat benedictionem domui suæ, omne morticinum, & captum a bestia de avibus, & de pecoribus, non comedent sacerdotes.

His explicitis, nunc ex quo genere sacerdotes lecti sint, & ut in [8] classes XXIV. distributi sint, ostendamus. [9] Primi ergo sacerdotes fuere Nadab, Abiu, Eleazar, & Ithamar filii Aaronis, ex mandato Dei vestiti & consecrati. Exstinctis vero Nadab & Abiu, quod ignem alienum, non sacrum, sacrificiis intulissent, remansere [10] Eleazar & Ithamar, qui pontificiam & [11] sacerdotum progeniem prodiderunt.

[12] David autem, cum [13] ætate sua sexdecim essent familiæ ab Eleazaro profectæ, octo vero ab Ithamaro, omnes Sacerdotes [14] in XXIV. classes destinavit, atque eis nomen imposuit ab eo qui tum illius familiæ principatum gerebat. Ordo vero earum [15] sorte ductus est, ut una diceretur prima, altera secunda, & sic deinceps unde viginti quatuor sortes a S. Eucherio dictæ.

Nomina vero eorum qui [16] familiarum principes nomen classibus dederunt, hæc, atque [17] hoc ordine fuerunt, ut scriptum est XXIV. primi Paralip. *Exivit sors prima Joarib, secunda Jedei, tertia Charim*, & quæ sequuntur [18] hoc modo:

1	Joarib.	13	Oppha.
2	Jedias.	14	Jesbaab.
3	Charim.	15	Belga.
4	Seorim.	16	Emer.
5	Melechias.	17	Hezir.
6	Maiman.	18	Aphses.
7	Accos.	19	Phettias.
8	Abias.	20	Jeziel.
9	Jesua.	21	Achin.
10	Sechenia.	22	Gamul.
11	Eliasib.	23	Dalias.
12	Jacim.	24	Maaziau.

Meminit vero etiam [19] primæ classis Joarib Josephus in Antiquitatibus scribens; Matthatiam Assamonæi nepotem sacerdotem fuisse de classe Joarib Hierosolymitanum, & in Vita sua, cum dixit: *Mihi non solum est genus a sacerdotibus, sed etiam ex prima classe Joarib viginti quatuor*; [20] & octavæ, quæ fuit Abiæ, meminit S. Lucas: *Sacerdos quidam nomine Zacharias* [21] *de vice Abiæ*. Quas enim nos more Romano vocavimus classes, Latinus interpres vertit modo vices, modo turmas, [22] ἐφημερίας, & ἐφημερίδας, ut postea apparebit. Fuere autem, teste Theophylacto, [23] ephemeriæ idem quod hebdomadæ. Quod ex XXIV. secundi Paralip. declaratur: *Jojada sacerdos non dimiserat abire turmas, quæ sibi per singulas hebdomadas succedere consueverant*. Græcus enim pro turmis habet ephemerias: ut XXV. secundi Paralip. *Secundum ephemerias nostras constitutas a Davide*. Quas vero vices, sive classes David instituit, eas post Salomon ipse ex illius auctoritate descripsit, ut proditum est V. secundi Paralip. *Tempore Salomonis, dum Arca in templum inferebatur, non adhuc vices, & ministeriorum ordo inter sacerdotes divisus erat*; & octavo: *Salomon constituit juxta dispositionem patris sui officia sacerdotum in ministeriis suis*. Hujus vero instituti hæc ratio fuisse videtur. David omnes sacerdotes quotidie ministeriis sacris noluit

occupari, sed singulas classes [24] singulis hebdomadibus operari, ac primum ordinem classium [25] sorte duxit, deinde sacerdotes [26] singularum sortiri classium voluit, [27] quo quisque officio in sua hebdomada fungeretur, exempli gratia, quis incensum poneret, quis sacrificaret. Sic enim scriptum est apud S. Lucam: *Cum Zacharias sacerdotio fungeretur in ordine vicis suæ ante Deum, secundum consuetudinem sacerdotii sui, sorte exiit, ut incensum poneret ingressus in templum*; & apud Josephum secundo contra Appionem: *Licet sint viginti quatuor classes sacerdotum, quarum singulæ plus quam quinque millia hominum habeant, per certos tamen dies particularis fit observatio, quibus transactis alii succedentes ad sacrificia veniunt, & convocati in templum meridie a præcedentibus claves templi, & ad numerum vasa omnia accipiunt, nulla re, quæ ad esum aut potum attineat, in templum illata*. Quod vero S. Ambrosius, & S. Augustinus censuerunt, Zachariam [28] summum pontificem fuisse, nixi ea conjectura, quod incensum adolevit, quod nemini facere licuerit, [29] nisi pontifici, de eo jure dubitari fortasse possit. Neque enim Zacharias potuit esse pontifex, cum illo anno, teste Iosepho, Ioazarus pontificatum administrarit: neque de summo pontifice dixisset S. Lucas, *Sacerdos quidam*, nec pontifices habebant vices & sortem, ut sacerdotes; & incensum non minus adolebant sacerdotes, quam pontifex, ut supra demonstravimus. Quare simpliciter sacerdotem fuisse, necesse est. Mentio porro harum etiam vicium fit Esdræ VI. *Fecerunt sacerdotes in ordinibus suis, & Levitas in vicibus suis*; & primo tertii: *Fecit Josias Pascha statuens sacerdotes per vices dierum stolis amictos in templo Domini*.

Iam vero singulis classibus sacerdotum [30] quidam præerant sacerdotes, qui etiam communi nomine cum summo pontifice [31] ἀρχιερεῖς, a Latino vero interprete principes sacerdotum, & pontifices versi sunt. Quæ res miras huic doctrinæ offudit tenebras. Sic autem loquutus est Esdra octavo: *Custodite, donec appendatis coram principibus sacerdotum, & Levitarum, & ducibus familiarum in Hierusalem*; & S. Marcus XIV. *Adduxerunt Jesum ad summum sacerdotem Caifam, summi vero sacerdotes quærebant adversus Jesum testimonium*. Atque omnino in universo illo Christi judicio alius est summus pontifex, alii sunt principes sacerdotum, qui ad summum sacerdotem convenisse dicuntur. Talis vero fuit Esdra, qui princeps sacerdotum dicitur, nec tamen pontificatum maximum gessit. Tales Ioannes, & Alexander; de quibus IV. Actuum: *Et Annas princeps sacerdotum, & Caifas, & Joannes, & Alexander, & quotquot erant e genere sacerdotali*. Nam [32] Caifas erat vere pontifex, Annas pontificius, ut supra dictum est, reliqui principes classium sacerdotalium, quod expressum est in Græco, ἐκ γένους ἀρχιερατικοῦ, i. e. ex genere principum sacerdotum, nam concilium, de quo ibi agitur, inibant non solum pontifex, sed etiam principes classium sacerdotalium, ut postea demonstrabimus. Talis demum Sceva Actuum XIX. *Erant cujusdam Judæi nomine Scevæ, principis sacerdotum, septem filii*, neque enim Sceva ullus pontificatum maximum gessit, aut gerere Ephesi, de qua ibi agitur potuit.

Cum ergo sacerdotes omnes ex posteris essent Eleazari, & Ithamari, satis constat, eosdem ex tribu Levi fuisse, quæ a Deo sevocata in sacerdotium fuerat. Unde S. Paulus VII. ad Hebræos scripsit: *Is, in quo hæc dicuntur, de alia tribu est, de qua nullus altari præsto fuit, manifestum est enim, quod ex Juda ortus sit Dominus noster, in qua tribu nihil de sacerdotibus Moyses noster loquutus est*. De toto vero sacerdotum genere sic scripsit Iosephus primo contra Appionem: *Non solum ab initio probatissimos viros, & in Dei placatione præparatos ad hæc exercenda constituerunt, sed ut genus sacerdotum sine admixtione consisteret, providerunt, oportet enim eum qui sacerdotium habiturus est, ex ejus gentis nasci muliere, & genus per antiquam lineam, & multis testibus approbare. Quod scilicet agimus non solum in ipsa Judæa, sed ubicunque nostra gens reperitur, etiam ibi integritas circa nuptias sacerdotum servatur, hoc est in Ægypto, & Babylonia, & ubicumque quilibet de sacerdotum genere dispersi sunt, mittunt enim Hierosolymam conscribentes a patre nomen nuptæ, & antiquorum progenitorum, qui hujus rei testimonia præbuere. Si autem bella eveniant, tunc qui de sacerdotibus supersunt, probant mulieres quæ relinquuntur: non enim ad captivas accedunt, & alienigenarum consortia formidantes. Ac pontifices apud nos a bis mille annis denominati filii a patre conscripti sunt. Si quis vero prævaricetur, interdicitur, ne aut ad altare accedat, aut alia sanctificatione fungatur*.

NO-

NOTÆ AD CAPUT TERTIUM.

[1] *Vestes.*) Quatuor habebant Sacerdotes vestes, de quibus *celeber. Joh. Braun. de vestit. Sacerd. Hebr. lib. 2. c. 2. 3.* videndus, conf. *Frischmuth. dissert. de re vestiar. Pontific. Quensted. antiquit. Bibl. Godwin. Mos. & Aaron. lib. 1. c. 5. pag. 34. edit. Bremens.* His vestibus tantum in templo utebantur, nec in urbe Hierusalem *Gemar. Babyl. Cod. Jom. c. 7.* & *Cod. Tamid. c. 1. ad Misch.* 1. exertis verbis docet; Vetitum esse abire in Provinciam vestibus Sacerdotalibus; sed in Templo sive sit hora ministerii, sive non, licet, vid. *Braun. de vestit. Hebr. Sacerdot. & annot. nost. ad Godwin. Mos. & Aaron.* Ministerio peracto eas in templo deponere debebant. Extraordinarium fuisse asserunt, quod tempore Alexandri M. factum, quo Pontifex cum reliquis Sacerdotibus vestimentis sacris indutus obviam illi iverit ad impetrandam pacem.

[2] *Sacerdotes induere Ephod.*) *Ephod* hoc non fuit tale, quale Summus Pontifex solus gestabat, sed plane aliud, de quo *Cl.* Johann. *Braun. lib. 2. c. o. pag. 603.* Præter hoc Summi Pontificis *Ephod*, alterius etiam mentio in Sacro Codice occurrit, quod a dicto Ephod non modo materia; (quia illud Pontificis ex auro, hyacinthino, purpura, coccino & bysso retorta; hoc vero ex lino confectum, ideo אפוד בד *Ephod lineum* dictum fuit;) Verum etiam forma procul dubio differebat: Non enim legimus illud habuisse talia humeralia, cingulum, pectorale, & quæ sunt hujusmodi. Hoc אפוד בד non tam honoris causa, quam ut a reliquo populo discerni possent in faciendis sacris, non modo Sacerdotes & Levitæ, sed & qui ex aliis tribubus Deo serviebant, usi leguntur: David enim *2. Sam. 6. 14.* ante arcam Domini præcedens *Ephod* indutus erat. Unde R. David Kimchi in hunc locum: לא חידה לובש נורך המלכים אלא אפוד בד כאחד הכוהנים המשרתים לפני הארון i. e. *Non erat indutus more Regum, sed Ephod lineo, tanquam aliquis ex Sacerdotibus coram arca ministrantibus.* Tali Ephod lineo induti quoque dicuntur *Samuel*, puer etiam tum Deo serviens *1. Sam. 2. 18.* & Sacerdotes LXXXV. a *Saule* interfecti *1. Sam. 22. 8.* Denique *Gideonem* quoque (*Jud. 8. 27.*) in victoriæ a Midianitis partæ monumentum ex monilibus aureis a populo Israelitico sibi datis, & *Micham* ex pecunia a matre sibi relicta *Ephod* fecisse legimus.

[3] *Ritus consecrationis*) Antequam consecrarentur Sacerdotes, examinabantur a Synedrio Magno an legitime essent nati; deinde an ullo laborarent vitio. Vitia autem erant 240. *Maimonid. Biat Mikdasch, c. 8.* Si aliquis perfecte non poterat probare se ex stirpe Sacerdotali natum esse, induebatur vestimento nigro, & obvolvebatur velo nigro & ita pullatus dimittebatur nec unquam reverti poterat. Quod si vero legitime natus, vitio tamen aliquo corporis laboraret, relegabatur ad conclave lignorum & ad ligna a vermibus purganda adhibebatur, ne immundi quid veniret super altare. Quod si perfectus & legitimus esset, sacrificium pro se offerebat & induebatur vestibus albis, nomenque ejus albo inscribebatur *Middot. c. 5. Maimonid. Hil. Hamikdasch. c. 8.*

[4] *Idem fuit.*) Ac Pontificis Maximi. Fiebat (1) in Sacro loco in orientali atrii parte, qua ingressus patebat Tabernaculi. (2) Singulari complebantur Sacerdotes Sacrificio, cujus materia Exod. 29. forma seu ritus *vers.* 10. describitur, conf. *Quensted antiq. Bibl. pag. n. 53. 54.* (3) Aqua lavabantur *Levit. 9.* ex magno illo labro æneo, quod eum in finem in atrio inter aram holocausti & tabernaculi consistebat. *Exod. 30. vid. Thym. de labro æneo*, conf. *Quensted. antiq. Bibl. pag. 49. Ainsworth in h. l. Godwin. Mos. & Aaron.* (4) Vestiebantur vestibus sacris *Exod. 28. 41. 29. 5. Levit. 8. 7. 8. 9.* (5) Ungebantur. Non quidem eo modo, uti Summus Pontifex; sed unguento sanguine mixto aspergebantur uti fuse probat prælaudatus *Quensted. antiq. bibl. pag. 51. Cl. Dn. M. Daniel Weymar. diss. de unction. Sacra. cap. 3.*

[5] *Conditiones - - - impositæ*) Variæ hæ fuerunt conditiones quæ a Sacerdotibus requirebantur. (1) Abstinere debebant a vino, quando intrare deberent in Tabernaculum Testimonii. *Baal-Hatturim* in h. l. & alii Rabbinorum putant, Deum ob hanc causam Sacerdotibus vinum interdixisse, quia filii Aaronis peccavissent, nimium vini bibentes, sive res ita se habeat nec ne, Deus hoc præcepto voluit, ut sobrii essent Sacerdotes, uti etiam *Paulus 1. Timoth. 3.* testatur. Domi itaque & extra ministerium vinum bibere licebat. Viri ordinis ministerio vacantes poterant bibere vinum noctu non interdiu, si nimirum accidisset, ut cultus diei gravior esset, quam ut paterna familia omnia perficere posset. Alias si bibisset in ministerio exterminii reus habebatur juxta *Maimonid. in Biath Hammikdash. c. 1. sect. 1. 3.* (2) Abstinere debebant a luctu exceptis sex mortuorum speciebus teste *Gejero de luctu Hebr. pag. m. 40. 41 Quensted. de Sacerdot. pag. 35.* non debebant tonderi *Maim. l. 1. c. 1.* (3) Virgines ducendæ illis erant ex honoratioribus familiis non vilioris conditionis. Personæ interdictæ sacerdotibus erant (1) repudiata (2) quocunque modo profanata (3) meretrix seu prostibulum. Unde *Cod. Sanhedrin. c. 1.* qui potest elocare filiam Sacerdoti, potest quoque recipi in Synedrium Magnum.

[5] *Officia.*) Sacerdotum officia erant omnia sacra in Templo peragere, præter sacrificium decimo die Mensis Tisri. In ministerio quotidiano requirebatur, ut ad Cameram ante ortam lucem irent, in qua parabantur munera sartaginis Sacerdotis Summi cujusmodi munus dimidia pars matutino tempore, dimidia autem vespertino offerebatur: Deinde convocabantur Sacerdotes ad conclave vasorum lapideorum, ubi a præfecto sortium munera per sortes dividebantur. Qua vero sorte utebantur? Præfectus dicebat ipsis: (Micate digitis; quos autem digitos tollebant? unum aut duos:) producite digitos vestros quilibet vestrum exhibeat digitum suum, quod faciebant consistendo in orbem: tunc accedens præfectus sumebat *cidarim* alicujus Sacerdotis & ab eodem incipiebat sortem numerare, ac in quem ultimus cadebat numerus electus sorte dicebatur, vid. *de his plur. Rever. Martini Mauritii, tract. de Sortit. vet. Hebr. cap. 24. §. 2. pag.* 314. Quatuor autem sortes fuerunt: Prima sors de eo erat, qui altare suffitus purgaturus esset. Et licet ante institutionem cuivis liceret purgare altare uti *Codex Tamid. cap. 1. §. 2.* testatur, attamen post ordinationem sorte ad hoc munus eligebatur Sacerdos teste *Michael. Arnold. in not. ad hunc locum.* Ille etiam disponebat ordine struem lignorum; ipse etiam apportabat duo segmenta lignorum in altare, atque inferebat thuribulum plenum igne ab altari exteriori in altare aureum, ad suffitum faciendum super eo, vid. *cl. Maurit. pag. m.* 315. Secunda erat, quis mactaret sacrificium juge, quis spargeret sanguinem, quis cinerem removeret in altari interiori, & quis decineraret candelabrum, quis afferret ad gradus altaris membra agni, caput, pedem, duos armos, extremum spinæ dorsi, & pedem sinistrum; pectus, guttur, duas costas cum contiguis, similam, sartaginem, vinum. Tredecim Sacerdotes designabantur in hac sortitione secunda, conf. *Tamid. cap. 3. edit. Franeq. & annot. Michael. Arnoldi ad h. l.* celeb. *Maurit. pag. m.* 316. 317. Tertia *sors* erat; novi ad suffitum venerunt & sortiti sunt, vid. *Tamid. cap. 5. §. 2.* ubi & notas cl. *Arnoldi* perlustra. Et quarta sors erat, qua novi cum priscis venerunt, quis ex iis offerret membra a gradu altaris in altare. Quæ omnia diligentissime colligit vir prælaudatus *Maurit. pag. 317. seqq. conf. not. Arnoldi ad Tamid.* Postquam sortilegium priorum duarum sortium finitum esset, Sacerdos purgaturus altare illud decinerabat & incendebat acervos ignis, quo facto, vasa omnia, quotquot ad unius diei ministerium requirebantur ex conclavi vasorum afferebantur, & portabatur agnus in juge sacrificium offerendus. Postea qui mactaturus illum erat, ducebat illum in locum mactationis,

quem sequebantur illi Sacerdotes, qui deportaturi ejus membra in altare erant, tum mactabatur ille agnus & simul portæ templi aperiebantur. At ingrediebantur templum Sacerdotes duo, decineraturus altare suffitus & decineraturus candelabrum aureum. Decineraturus altare suffitus decinerabat illud tempore mactationis Juge-sacrificii & aspersione sanguinis, ab illo tempore aspersionis simul Sacerdos decineraturus candelabrum quinque ejus lucernas aptabat & postea simul illi duo exibant. Tum excoriabatur agnus & in partes dissectus deportabatur in inferiorem scalæ altaris partem versus Occidentem, ubi sale condiebatur & simul sal in scalam ipsam aspergebatur ne Sacerdotum pedes titubarent. Membris in altaris scalam deportatis in conclave vasorum lapideorum iterum convocabantur Sacerdotes & incipiebant recitare benedictiones. Finitis benedictionibus *sors tertia* projiciebatur in facientem suffitum, qui suffitum adolebat, ut & *quarta* in purgaturum candelabrum, qui duas reliquas lucernas aptabat. Qui duo deinde ad scalam superiorem porticus pergebant cum aliis Sacerdotibus, quorum unus illud ingens tympanum inter porticum & altare situm pulsabat, ut animi audientium ad benedictionem solennem *Num. 6.* nomine Dei tetragrammato exprimendam præpararentur. Tum munus similæ cum libaminibus, quæ ad juge-Sacrificium pertinebant offerebantur, quo tempore Levitæ incipiebant canere & Musici pulsare fides. *Maimon. de Juge-sacrif. c. 4. num. 1. ad 8. exclus. & cap. 6. n. 1. -- 8. exclus.* Hæc ita se habebant in ministerio quotidiano.

Officia.) Recte Autor noster recenset munia Sacerdotum, quorum (1) erat, *offerre Sacrificia*. Nam nemo in Lege Veteri Sacrificium offerre poterat nisi Sacerdos, imo capitalis pœna decernebatur in eum, qui, cum non sit Sacerdos, Sacerdotale munus usurparit. Debuisse enim Sacrificia offerri per Sacerdotes pro peccatis illorum, qui dona & victimas ad fidei suæ in Deum per Mediatorem promissum testimonium, adducebant in cultu adorationis publico divinitus instituto, docet non solum divinus Codex V. T. passim, sed & confirmat Apostolus *Hebr.* 5. 1. confer. *lib. 4. c. 8. pag.* 619. *Francisc. Burmann. Oecon. fœder. edit. Traject. ad Rhen.* 1671. *Francisc. de Mendozza, fol.* 381. *in lib.* 1. *Reg.* (2) θυμιάματα seu suffimenta aromatica singulis diebus vesperi & mane adolere. *Exod.* 30. 7. *Num.* 4. 6. 1. *Paral.* 6. 49. & 2. *Paral.* 26. 18. ubi Azarias Pontifex ad Oziam Regem dicit: Non est tui officii ut adoleas incensum Domino, sed Sacerdotum. (3) Ignem in Tabernaculo perpetuo servare subjiciendo ei quotidie ligna *Levit.* 6. 12. 13. Unde Hebræorum Canones dicunt, referente *Maimonid. in tract. de sacrif. quotid. c. 2. s. 6.* Qui ignem super altare exstinguit, flagellandus est. Lignum autem quo ignis alendus eligebatur, ne a vermibus corruptum nec ad ædificandum paratum, verum novum sit. *Maim. in Issurei Mitzbeach cap. 6. sect.* 2. Modum nobis monstrat *Maimonid. in tract. de Sacrif. quotid. cap. 2. sect.* 2. 4. 5. (4) Lucernas affuso puro & defæcato oleo concinnare. *Exod.* 27. 21. *Num.* 4. 16. id testatur *Maim. Hilc. Taamid. Umnsaph. cap. 3. sect.* 12. 13. (5) Singulis septimanis panes propositionis apponere *Levit.* 24. 5. de quibus *Maimonid. in Tamid. cap. 5. sect.* 5. 9. & *sect.* 10. de illorum ordine videntur *Maim. in Tamid. c. 5. s.* 2. 4. 5. (6) Leprosos inspicere & dijudicare *Levit.* 13. *Matth.* 8. (7) mundare *leprosos*, expiare puerperas. (8) Docere populum divinam legem & (9) preces publicas pro populo fundere eique benedicere, conf. *Quensted. antiquit. Bibl. pag. num.* 37. *Robinson. annal. mundi fol.* 318. *lib.* 5.

[7] *Et vasis sic traditur.*) Recenset hic autor officia specialia Sacerdotum, inter quæ (1) est *Sacrificia offerre*. Debuisse enim Sacrificia offerri per Sacerdotes pro peccatis illorum, qui dona & victimas ad fidei suæ in Deum per Mediatorem promissum testificationem, adducebant in cultu adorationis publico divinitus instituto, docet non solum divinus Codex V. Test. passim, sed & confirmat *Apostolus Hebr.* 5. 1. (2) *Suffimenta aromatica singulis diebus vesperi & mane adolere Exod.* 30. 7. *Num.* 4 vid. *Weimari differt. de suffitu aromatico* §. 3. ubi hic ritus fuse explicatur. Hebræi enim dicunt, quod hæc quatuor Eleazaro portanda fuerint ut *R. Elias* in *Reshith Chocmah tract. de timore c.* 16. refert (1) *oleum lucernarum* & (2) *oleum unctionis*, unum dextra, alterum sinistra. (3) *incensum in gremio* & (4) *munus in humeris*. Verum etiam adhuc alia Sacerdotum munia erant (3) ignem in Tabernaculo perpetuo servare *Levit.* 6. 12. 13. (4) Lucernas, affuso oleo puro, concinnare. *Exod.* 27. 21. *Num.* 4. (5) Singulis septimanis panes propositionis apponere. *Levit.* 24. *vers.* 5. (6) Leprosos inspicere & dijudicare *Levit.* 13. 2. (7) *mundare & expiare leprosos, puerperas menstruatas*, *Levit.* 12. 14. 15. (8) Docere populum legem divinam & illustrare promissiones de venturo mulieris semine. *Malach.* 2. (9) Preces pro populo fundere eique benedicere *Levit.* 5. 6. *n.* 6.

[8] *Classes.*) Merito hic quæritur, cur Deus Tribum Levi & ex illa stirpem Aaronis elegerit? Ad hanc quæstionem cum *plur. Reverendo D. Majo Profess. Theol. Giss.* Fautore nostro respondemus, quod forte hæc ratio dari posset, quod ille post Mosen ex Tribu Levi solus fuerit, qui sincera cordis fiducia, proque animi affectu ipsum veneratus sit, vel saltem reliquos omnes, sanctissimo Dei amore & timore præcelluerit, quod vel ex nomine ipsius colligere quis posset. *Aaron* enim significat *Sanctus Domini*. *Psalm.* 106. *vers.* 16. vid. *Differt. de Ephemer. pag.* 31. *cit. Autor.* ubi significationem classis evolutam & explicatam videbis.

[9] *Primi ergo Sacerdotes*) Autor in hoc paragrapho Sacerdotes in certas classes dividit, & scribit primos fuisse Sacerdotes Nadab, Abiu, Eleazar, & Ithamar, exstinctis autem duobus, duos tantum filios remansisse & duas classes; & ab his originem reliquas duxisse classes. His Hebræi non contenti sunt; sed ajunt, Mosen octo constituisse ex his duabus, nimirum ex singulis quatuor: sententiam horum *Petrus Cunæus, lib. 2. c. 8.* sic refert: Fuere Sacerdotes ex Levitis selecti, uti oblationes & sacrificia facerent, eorumque erant VIII. stationes a Mose constitutæ, e quibus quatuor ab Eleazare, totidemque ab Ithamaro gentem suam deduxere. Fusius hæc tractat *Seldenus de success. in Pontific. lib. 1. c. 1.* ubi adducit, quosdam tradere, Mosen in octo, alios in sedecim, ut singulæ familiæ distribuerentur, divisisse. Sed plures sunt qui in octo; videri de hac re poterit differt. sub præsidio plur. *Rever. D. Maii Fautoris nostri Gissæ habita* 1692. §. 6. Verum cum nihil certi de his reperiatur; hinc vix certi aliquid de numero classium haberi posse sub Mose cum viris doctis asserimus: Interim tamen non negamus plane nullum ordinem fuisse, cum tempore isto Sacerdotum magnus numerus fuerit.

[10] *Eleazar & Ithamar.*) Ab his duobus, tota progenies Sacerdotum, quæ tempore Davidis in vivis erat originem trahit. Illa autem duo capita familiarum sacerdotalium, duos habebant hoc tempore principes, Eleazar Sadocum, qui postea factus est Pontifex, & Ithamar Achimelechum, filium Abjatharis pontificis, qui hoc ipso anno de pontificatu dejectus est. Hæc est ergo primaria divisio Sacerdotum in Eleazareos & Ithamaritas. Altera divisio fuit Eleazaritarum in familias sedecim, & Ithamaræorum in octo familias. Seorsim enim numerati fuerunt omnes Eleazaritæ, & Ithamaritæ seorsim, & in illis inventæ sunt sedecim particulares familiæ, quæ suum habebant singulæ principem: In istis autem octo duntaxat: sicque factæ sunt XXIV. omnino familiæ.

[11] *Sacerdotum progeniem.*) Ex illa *Aaronis* prosapia non omnes filii, sed solum *Eleazar* & *Ithamar* in officio successere quoniam *Nadab* & *Abiu* mortui sunt. vid. *Num.* 3. 4. Et quia nulli ipsis prorsus erant filii, hinc etiam ex familia *Eleazaris* & *Ithamaris* tantum hæ Sacerdotum classes sunt constitutæ.

[12] *David autem.*) Liquidior res est distributio classium sacrarum a Davide facta, utpote satis aperte in S. historia consignata 1. *Paral.* 24. quod in XXIV. classes diviserit, quarum singulis hebdomadibus una Hierosolymam adscendebat, ut officio fungeretur in templo. Continebat quælibet classis 5000. homines teste *Josepho*. Hæc distributio in XXIV. classes per sortes facta expresse memoratur. Administrator sortium erat Schemajah, filius Nethaniel,

thaniel, Notarius publicus, de hujus nomine, parentibus, prosapia evolvendus est plur. *Rever. D. Majus. pag. 13. cit. dissert. de Ephemeriis*. Materia erant schedæ scriptæ & urnæ injectæ: unde dicuntur projectæ scilicet in urnam, & inde exivisse, ex quibus ipsa forma & modus sortitionis istius patet; hinc *R. David Kimchi ad 24. 1. Paral.* Et scripsit eas Schemajah fil. Nethaniel, scriba, nimirum 24. custodias & familiam primatum, misitque illas in urnam, unde exiit sors prima &c. Personæ pro quibus sortes jactæ, erant Sacerdotes omnes & Levitæ excepto Pontifice. Horum munia ita distributa erant ut inter illos nulla esset æmulatio, nullus enim altero superior constituebatur. vid. *celeb. Mauritii tract. de Sortileg. Hebr. vet. pag. m. 299.* ubi plura de hoc ritu legenda occurrunt, conf. *Quensted. de Sacerdot. in antiq. Bibl. pag. m. 39.*

[13] *Ætate sua.*) Hinc patet classes Sacerdotum ante Davidem fuisse; a quo autem institutæ fuerint, Scriptores pugnant. Quidam asserunt, institutas a *Mose* esse primitus octo earundem classes, quarum quatuor *Eleazar* & reliquis *Ithamar* præfuerit. Alii contra, partitionem earundem ab eodem in XVI. classes factam esse, sentiunt, ut octo ad *Eleazaris* & totidem ad *Ithamaris* familiam pertinuerint. Qua de re confer Angl. *Joh. Lightfoot. in harm. 4. Evangel. fol. 2591. & seq.* & *descript. Templ. Hierosol. cap. 6. pag. 691.* Ipse vero *Lightfoot l. c.* cum *R. Salomone* & *David Kimchi* putat, divisionem hanc posteriorem ipsum Textum, licet autorem celet, non obscure subindicare videri. Nam de Davidis divisione propter auctum illorum numerum verba 1. *Paralip.* 24. 6. tantundem valere ac si diceretur, quod singulis classibus sub Eleazare, integra familia (sive ordo) de novo adjuncta sit, ut propterea hujus ordinis sint sedecim Classes. At vero in ordine Ithamaris nihil innovatum, adeo, ut hujus, ut olim, non fuerint ultra octo classes, unde oritur integer XXIV. Classium numerus. Quoniam autem in textu nihil definitum sit, in contrarium potius innuere nobis videtur, nos tamen in suspenso relinquimus, tacente enim Scriptura nihil certi definire possumus. Illud tamen silentio non prætereundum, quod illi, qui Mosen tantum octo Classes constituisse contendunt, *Samuelem* octo alias addidisse existiment, adeo ut eo tempore sedecim essent, quem denique numerum *David* additis iterum octo, ad viginti quatuor auxerit. Qui vero Mosen sedecim constituisse Classes dicunt, *Davidem* & *Samuelem* octo alias iis accensuisse putant. Plura qui de hac re legere desiderat evolvat *dissert. cit. Authoris*, confer *tractat. exquisit. erudit. cl. Mauritii. de sortitione Veter. Hebr. pag. m. 297.* ubi sententia nostra confirmatur.

[14] *In XXIV. Classes.*) Cum Scriptura aperte doceat hasce classes Sacerdotum, a familiarum numero petitas fuisse, non existimandum, eas omnes numero pares, vid. *Abulens. q. 24. in c. 24. 1. Paral.* Vix contingit, ut duæ tresve familiæ numero partes inter se sint, nedum *XXIV.* & utut essent, distrahendæ tamen forent familiæ in diversas classes contra mentem Davidis, qui eas accurate discrevit, suo cuique classi sive familiæ principe attributo. Nec fieri potuit, ut sortes æquales essent, cum familiæ aliæ augerentur, aliæ minuerentur, aliæ etiam interirent; itaque necessarium fuit, ut retentis *XXIV.* classibus, illæ quæ numero abundarent diminutas supplerent, puta patre uno cum filiis ad cognatam vicem transeunte, ita tamen ut *Eleazaritæ* non transirent ad *Ithamaræos*.

[15] *Sorte ductus est.*) Sortitio maxime duobus his modis peragebatur. Prior ita se habebat. *XXIV.* schedulis sibi invicem omnino æqualibus in urnam conjectis, ac inter se bene permixtis, quarum singulis nomen alicujus ordinis inscriptum erat, nimirum primus, secundus, tertius ad vigesimum quartum usque, accersebatur unus ex qualibet familia, ut schedulam, ex urna depromeret, qui si schedulam in qua scriptum aut primus, aut sextus, aut vigesimus apprehendisset atque extraxisset, tum illa familia fiebat aut prima, aut sexta, aut vigesima, prout in schedula illa scriptum erat. Posterior modus ita fiebat: *XXIV.* schedulis nomina *XXIV. principum familiarum* inscribebantur, & complicatæ conjiciebantur in urnam, qua aliquoties versata puer aliquis in omnium oculis innocens ex urna unam schedulam depromebat, & illa quæ primo loco extracta erat familia, fiebat prima, quæ secundo loco, secunda, quæ postremo loco, postrema. Alium sortiendi ritum describit *Joan. Lightfoot horis Talmud. in Evangel. S. Lucæ. pag. m. 714.*

[16] *Familiarum Principes.*) Cuilibet Classi, quæ ex pluribus Patrum Domibus constabat præficiebatur ראש המשמר Princeps classis, qui juxta *Lightfootum*, omnibus præerat & repræsentabat virum illum eximium, ex quo Classis nomen sumserat, *vid. plur. Rer. Majum. §. 3. cit. dissert.* Confirmat etiam hos *Stolberg. in quæst. Philolog. edit. Witteb. 1670.* hic verbis: singulis classibus certi constituebantur Præfecti, a quorum primis denominationem sortiebantur. Sub iis sua quemlibet subire oportebat munia, ceu hæc omnia fuse recenset 1. *Chron.* LXX. vocant ἄρχοντας τ̃ πατριῶν τ̃ ἱερέων. Et 2. *Par.* 36. 14. per שרי הכהנים Principes Sacerdotum sine dubio hi ipsi intelliguntur Præfecti.

[17] *Hoc ordine fuerunt.*) Vide si plura petis *Seldenum de success. in Pontificat.* & *Excell. D. Wagenseil. Sot. pag. 944. seqq. Cunæum* qui ad Josephum *Scaligerum* provocat, qui omnia divine pertractaverit in Isagogicis Canonibus, quos in Eusebium publicavit: qua laude eum quoque mactat celeberr. *D. Wagenseil.* Quæ omnia cum Hebræorum unanimi consensu concordant, nec opus ut quicquam addatur.

[18] *Hoc modo.*) Ordinem recenset *Cl. Maurit. in tract. de sortit. veter. Hebr. pag. m. 297. 298.* vide etiam si plura petis *Selden. de success. in Pontificat.* & *Doctiss. Wagenseil. Sot. pag. m. 944. seqq. Cunæum* etiam qui ad *Joseph. Scalig.* provocat.

[19] *Primæ classis Joarib.*) Cum templum Salomonis funditus eversum flammisque deletum a Nebucadnezare esset, & Israelitæ longum tempus in captivitate tenerentur, ita ut Sacerdotes reduces genealogiam suam indicare atque docere nequiverint *Esr. 2. 61.* merito dubitatur, qui fieri potuerit, ut *Esra* omnes classes secundum ordinem Davidicum restauraverit. Hic ex utraque parte litigantes reperiuntur, qui affirmant, & qui negant. Qui affirmant & ajunt *Esram* hoc præstitisse, ut omnes ordines secundum nomina & numeros suos ad pristinas familias & classes redierint & ad extrema templi secundi fata permanserint, producunt Locum *Luc. l. 5. v. 9.* & conferunt hunc cum 1. *Paral.* 24. 10. Et exiit *Abiæ* sors octava, adde 2. *Paral. cap.* 23. 8. & *Esr.* 6. 18. *Nehem.* 12. 24. ubi ordinem a Davide introductum ab *Esra* denuo restauratum legimus. Accedit testimonium *Josephi lib. 7. c. 11.* Idem *Josephus* alibi meminit familiæ seu classis *Jojaribh* omnium primæ, quem & Autor noster adducit. Similiter *lib. 12. antiq. c. 7.* ex Jojaribh scribit fuisse Matthatiam. Quibus vestigiis insistentes *Joseph. Scaliger Carol. Sigonius* & alii, asseverant eundem ordinem fuisse classium templi secundi, quam primi. Sunt etiam alii, qui certis rationibus moti huic sententiæ suffragari nolunt, ut *Seldenus de success. in Pontif.* & alii, cum ex Esra constet, non omnes *XXIV. Classes* rediisse uti fuse demonstrat. *celeb. Maurit. in tract. de Sortitione Hebr. pag. m. 303. seq.* cum quo etiam statuimus in hac intricata materia: Esram ordinem XXIV. classium ad exemplum XXIV. Classium a Davide constitutarum innovasse ita, ut quamvis nesciret, qui Sacerdotes, reduces ex captivitate, & ad quam classem veterem pertinerent, ad certam aliquam novam reduxerit, retinuisse autem & numerum & nomina & ordinem veterum classium: ita ut quæ classis dicta fuerit prima & Jehojaribh, quæ octava & *Abiæ* &c. etiam templi secundi tempore hoc modo fuerit appellata per omnes XXIV. Ephemerias uti pluribus *pag. 308. 309. cit. cl. Autor probat.* conf. *dissert. sub præsidio. plur. Reve. D. Maji Patroni nostri de Ephemer.*

[20] *Et octavæ.*) Postquam numerus a *Davide* institutus in captivitate Babylonica ruptus uti ex Thalmude recensent *Johann. Lightfoot & Maurit. pag. m. 304. seq. tractat. scil. Thosaphoth ad Taanith*, quatuor tantum ex Babylonica captivitate rediissent scil. Classis *Jedajæ*, *Harim*, *Pashur*, *Immer*, viginti illæ quatuor classes inter quatuor memoratas familias

milias sunt distributæ, vid. *cit. Maurit. pag.* 305. Fecerunt igitur viginti quatuor sortes & inscripserunt eis nomina viginti quatuor capitum Classium illarum & in pixidem eas injecerunt. *Jedaja* eduxit quinque, quibus ipse additus sex effecit. *Harim* eduxit quinque, quibus ipse additus effecit sex &c. vid. *pag.* 307. *cit. authoris*. Hac vero nova Ephemeriarum restitutione, nihilominus ordo classium non fuit mutatus, ita ut quæ *Jehojaribh* in primo templo dicta fuerit eodem nomine in secundo vocata fuerit, & hinc octava *Abias*; videantur *Lightfoot. Mauritius* aliique.

[21] *De vice Abiæ*.) Zachariam Patrem Johannis Baptistæ fuisse ex classe *Abiæ* constat ex Evangelista *Luca c.* 1. Cum autem *Abiæ* familia non amplius post captivitatem inter Classes numeraretur, neque ulla mentio fieret inter Sacerdotes, qui rediere ex Captivitate: ideoque Evangelista ait: *Zachariam* fuisse non ex ejus familia, sed ex ejus classe, hoc est, ex classe, quæ nomen ejus gerebat, confer. *plur. Rever. Majum in dissertat.* §. 2. *de Ephemer. Mauritium de sort. vet. Hebr.* vid. *Stolber. quæst. Philol.* §. 5.

[22] Ἐφημερίας.) Constat Ephemeriam esse origine Græcam, ortam a particula ἐπὶ inflexa (ob sequentem in voce ἡμέρα vocalem & spiritum asperum) in ἐφ' & ἡμέρα dies, & sic vi vocis nihil aliud significat, quam id quod fit in die. Hinc ἐφημέριος unicum diem durans, a quo ἐφήμερος quotidianus, diurnus, unde ἐφημέριοι unius diei homines. Et ἐφημερία notante *Erasmo* est certa & præscripta classis, Germanice ein umb-oder abwechselung; secundum id quod *Plinius* dicit: nihil est in opere naturæ, quod non aliquas feriarum *Vices* velit. Sunt quidam, qui vocem hanc Hellenisticam esse volunt uti *Grotius*; Verum firmiter concludimus, non Hellenisticam sed puram esse vocem hanc. Vox etenim Ἐφημερία & apud alios, quamvis non in significatione *abstractiva*, quatenus *substantive* accipitur, tamen *concretiva* & quatenus *adjective* sumitur inter Græcos reperiatur Autores. Voces Latinas *classes* & *vices* quod concernit, varie accipiuntur vel *late* vel *stricte*. Vel enim sumitur vox in significatione *strictissima* pro unius diei classe; vel *latissima* pro quavis *Vice* vel *Classe*, classe scil. *unius diei*, *septimanæ*, *mensis*. Hoc loco autem speciatim hebdomadalem vel septem dierum classem denotat. Unde *Scultetus in Exercit.* ex Theophylact. notat: *Ephemerias* idem quod hebdomadas esse. *conf.* §. 4. *seq. cit. dissert.*

[23] *Ephemeriæ*.) Vox Ἐφημερία apud scriptores externos non reperitur, sed sacris tantum usitata est. LXX. sic reddiderunt voces varias Hebraicas v. g. מחלקת 1. *Paral.* 23. 6. 28. 13. 21. & 2. *Paral.* 5. 10. מלאכה vox generica ita quandoque explicatur, ut 2. *Paral.* 13. 11. & משמרת sæpius 1. *Paral.* 25. 8. *Nehem.* 12. 9. & alibi. Alias פקידה & מעמד ἐπισκοπή, στάσις, λειτουργία. Ἐφήμερος ἐφημέριος & ἐφημερινὸς Græcis proprie *diurnus*. Hinc ἐφήμερα *animalia* apud *Eustathium*, ἐφήμερα σώματα & χρήματα apud *Thucydidem*. Ἐφημέριοι i. e. βροτείκα ἐφημερινὰ εἰδότες i. e. mortales earum rerum periti, quæ in dies fiunt. Etymologicum magnum ἐφημερία ἡ πατρία, melius φατρία. משפחה vel φατρία φρατρία. φατρία est μέρος τῆς φυλῆς, φράτορες vero οἱ τῆς αὐτῆς φατρίας μετέχοντες. Ἐφημερία etiam aliquando idem est ac ἡ τῆς ἡμέρας λειτουργία. *Suid.* διὰ τὸ ἀμετάβλητον, πρὸς τὴν τῆς ἑκάστης ἡμέρας κατάστασιν. Ἐφημερία ergo duo notat, primario familiam, secundario familiæ functionem certo & exiguo tempore circumscriptam. Τάξιν vero hebdomadicam ἐφημερίας cujusque, de qua *Lucas*, religiose servatam contendit Scaliger, adeo quidem ut nulla familia alienas partes invaderet, imo cum anno excidii templi quædam familia, quam ordo tangebat, ut ministerio fungeretur, deficeret, solenne jejunium propterea indicerent. Adeo pertinaciter isti ordini inhæsere *judæi* cum tamen in deficientis familiæ locum potius substituere debuissent illam, quæ proxime erat functa ministerio, vel sequentem, quam ut sacrum solenne omitterent. Sed obstabat *Canon* vetus: כל כהן וכל לוי שנכנס בעבודת חברו חייב מיתה *Omnis sacerdos & omnis Levita, qui se immiscuerit in functionem alterius.* ἔνοχοι θανάτῳ ἔσω.

[24] *Singulis hebdomadibus*, &c.) Visum est Regi & proceribus tam clericis quam Laicis, coram quibus hæc disceptabantur, ut non ultra hebdomadam quælibet familia ministraret, ita ut minimum bis quotannis eadem familia sacerdotali munere in templo fungeretur. Ne vero ulla familiarium præ cæteris primum locum in ministrando sibi arrogaret, sorti rem committere placuit, ut refert *Tamid. cap.* 3. *hal.* 1. *Joma*, *fol.* 25. 1. confer. *Lightfoot. hor. Talmud. pag. m.* 417. Die Sabbathi, ait *Abulens.* incipiebat ministerium, seu ut *Scaliger de emendat. tempor. in not. A matutino sacrificio Sabbathi, ad matutinum sacrificium sequentis Sabbathi*. Toto ministerii tempore habitabant in exedris templi, de quibus vid. *Salian. annal. Eccles. vet. Testam. an. mundi.* 3021. *n.* 30.

[25] *Sorte duxit*.) Ne igitur de Præcedentia rixæ inter eas suborirentur, aut contentiones, cuinam classi hac septimana officio esset defungendum, & cui altera, item quis in hoc officiorum genere debeat esse occupatus, quis in alio, quis prior, quis posterior; hinc a *Davide* conclusum est, ut sorte omnes distribuerentur.

[26] *Singularum classium*.) Sortes quibus classes Sacerdotii Levitici distributæ erant semel tantum a Mose, Samuele, Davide & Esra adhibitas fuisse constat; at illa quibus ipsa ministeria seu functiones sacræ & res aliæ in Sanctuario dispensabantur, quotidie consulebantur.

[27] *Quo quisque officio*.) Sortiti igitur inter se sunt quis stato tempore ligna ad incendenda sacrificia, aut alios ignes in Sanctuario fovendos, afferret, finderet in domo lignorum, de qua vid. *Codex Jom.* templo inferret, accenderet, &c. Legitur enim in *Codic. Talmud. Tamid. edit. Franequer.* 1680. *cap.* 3. Præfectum Sacerdotibus dixisse: *Venite & sortimini*, quis sit mactaturus; quis sparsurus, quis cinerem ab altari interiori abducturus, quis lucernas purgaturus, quis membra ad ponticulum portaturus, caput & pedem & duas manus spinam dorsi & pedem & pectus & gulam, duas costas & intestina, similam & frixa & vinum, sortiti sunt, is obtinet, cui sorte obtingit. Quatuor fuisse sortes in domo Sanctuarii docet *Joma*, quarum *prima* erat de decineratione altaris exterioris. vid. *cl. Maurit. tract. de sortit. veter. Hebr. pag. m.* 315. ubi ex *Temidim Vemusaph. cap.* 4. hæc protulit: Sors prima erat, quisnam decineraret altare, sortiti sunt, & quem sors dignum judicavit, is quoque dignus erat decineratione. Ille idem quoque disponebat ordine struem lignorum, &c. Sortitio secunda erat, quis mactaret sacrificium juge quis spargeret sanguinem, hujus modum adduximus paulo ante, confer. *Tamid. Jom. & Maurit. p.* 316. Sors tertia erat quæ ex *Mischna*. 3. *fol.* 26. 1. ita recensetur: Sors tertia erat suffitus, novi ad suffitum venerunt & sortiti sunt: vide *Rambam in Jadh* qui ita scribit: Sors tertia erat, quando Præfectus dicebat ad omnes collegas familiæ, cujus eo die erat ministrare, Qui nunquam adhuc per vitam suam adolevit suffitum, veniat ut sortiatur. conf. *Tamid. cap.* 5. *edit. Franequer. & annot. Michael. Arnold. ad h. l.* Quarta *sors* erat, qua novi cum priscis venerunt sortientes, quis ex iis offerret membra a gradu altaris in altare: vid. *cl. Maurit. c. l. p.* 317. de his omnibus fuse egit *Cod. Tamid.* qui evolvendus.

[28] *Summum Pontificem*.) Recte Autor noster sententiam Augustini rejicit statuentis Zachariam fuisse Summum Pontificem: vide *Quensted. antiq. Bibl. pag. m.* 40. aliosque.

[29] *Nisi Pontifici*.) Vix inde probabit *Sigonius* Pontificatum Zachariæ, cum & suffitum incendere aliis etiam Sacerdotibus convenerit, ut ex *Tamid.* satis constat; Sorte quippe eligebatur, qui incensum faceret, quod & hic factum in *Zacharia* de quo *Luc.* 1. exstat: Sortitus est munus suffitus faciendi. Ex quo etiam patet, Zachariam Sacerdotis solum, non Pontificis dignitate fuisse præditum, ut *Augustin.* & *Ambrosius* aliique docuerunt. Nam Sacerdotibus minoribus sorte obveniebat tantum incensum; Sacerdoti vero M. perpetua ratione officii. *Levit.* 16. sicuti quoque a *Luca* ἱερεύς τις Sacerdos quidam & non ἀρχιερεύς appellatur, additque ipsum posuisse incensum non intra velum coram arca, sed in altari thymiamatis. vid. de hoc *Harmon. Evangel. Che-*

Chemnitio-Lyserian-Gerhard. Tom. 1. *pag.* 47. & *Corael. Jansen. in Comment. ad Luc. Godwin. Mos. & Aaron.*

30 *Quidam præerant.*) Habebat enim quæque classis suos φατριάρχυς τὺς τῆς φατρίας ἄρχοντας : Erat cuique Ephemeriæ suus *Patriarcha*. Vocantur autem illi ab Evangelistis communi cum S. Pontifice nomine ἀρχιερεῖς ab Hebræis ראשי אבות capita familiarum Sacerdotalium. Notum enim est vocabulum ἀρχιερεὺς varie accipi in Scriptura, *late & stricte*. Stricte sumitur pro *Pontifice Maximo: Late* autem sumtum de variis dici potest, uti *Balthas. Stolberg. Græc. Ling. in Academ. Witteberg. Prof. celeberr. in dissert. quam inscripsit Triga quæstion. Philolog. Witteb.* 1670. §. 8. 9. 10. 11. Et in hoc sensu accipit *Sigonius* noster, qui capita XXIV. Ephemeriarum seu ordinum Sacerdotalium ἀρχιερεῖς vocat. Hebr. ראשי משמרות *Principes Liturgiarum* ac ראשי בתי אבות *Principes Ephemeriarum*. בית אב Talmudicis nihil aliud est, quam cœtus certorum Sacerdotum & Levitarum uno septimanæ die ministrantium, quandoquidem unaquæque Liturgia hebdmadalis in septem בתי אבות dicente *Glossa ad tit. Taanith. fol.* 15. *l.* 10. ac *Maimonid. cap.* 3. §. 9. subdividatur: ac *Joseph. Caro in Cesepb. Mischn. ad Maimonid. l. c. fol.* 179. *col.* 3. *l.* 6. *fin.* inquit: ראש המשמר Princeps cujuslibet Liturgiæ distribuit viros istius Liturgiæ in בתי אבות *Ephemerias*, ut unaquæque Ephemeria uno certo septimanæ die ministret. Et mox. Princeps Liturgiæ dividit viros *Liturgiæ* suæ in septem בית אב *Ephemerias*. Quanquam enim in una *Liturgia* plures sint viri, non tamen distribuit illos nisi in partes septem : pars unaquæque vocatur בית אב licet in Scriptura tam ἐφημερίας vox quam בית אב occurrat. Ἀρχιερεῖς seu שרי הכהנים Principes Sacerdotum dicuntur, qui *Talmudicis* ac generatim Scriptoribus profanis שרי המשמרות Capita Liturgiarum hebdomadalium vocantur. Atque hinc est, ut ἀρχιερεῖς tam sæpe in plurali efferantur.

31 Ἀρχιερεῖς.) Recte Autor noster asserit, per ἀρχιερεῖς etiam Præfectos XXIV. *Ephemeriarum* intelligi posse. Hi enim 2. *Paralip.* 36. 14. vocantur שרי הכהנים, quo nomine commodissime exprimuntur. Eodem sensu etiam vox hæc sumitur apud *Josephum*. Qua de re audiamus *Grotium ad Matth.* 2. 4. neque aliter, inquientem, utitur hac voce *Josephus Originum* 20. 8. ubi seditionem narrat ortam inter ἀρχιερέας & ἱερέας, inde quod οἱ ἀρχιερεῖς omnes decimas ad se pertraherent ac cæteros Sacerdotes rerum necessariarum inopia consumi paterentur. Rem aptissimam facit alter ejusdem *Josephi* locus, *belli Judaic. l.* 4. ubi a seditiosis narrat lectos sorte ἀρχιερέας ex quaque familia, cum is honos nascendi ordine deferri soleret. *Late* igitur sumta voce appellabantur etiam ἀρχιερεῖς illi qui erant Principes sive capita viginti quatuor Ephemeriarum seu ordinum Sacerdotalium qui Hebraice ראשי משמרות Principes Liturgiarum, ac ראשי בתי אבות Principes Ephemeriarum vocabantur. vid. de his celeber *Danzius Profess. Orient.* Jenens. *famigerat. in dissert. de Funct. Pontif. in templo*, ubi plura lectu digna recensentur.

32 *Caiphas Pontifex.*) de hac re pluribus egi in *dissert. mea de Sagane Vicario Pontif.* quam vide.

CAPUT QUARTUM.

De Levitis.

SAcerdotes porrò sequuntur Levitæ. Hi vero duobus modis accipiuntur, nam & omnes ex tribu [1] Levi Levitæ dicti sunt, sub quam vocem etiam pontifices, & sacerdotes subjiciuntur, & præter pontifices ac sacerdotes, reliqui, qui præcipuum sibi sacrorum ministerium vindicarunt: de quibus nunc agendum est. Levitæ igitur omnes ejusmodi ex posteris quidem Levi, verum non ex familiis Eleazari, aut Ithamari genus traxerunt. Levi enim filios reliquit tres, Gerson, Cahat, & Merari. Cahat vero Amram, Iesaar, Hebron, & Oziel. Ex Amram natus est Moyses & Aaron, ex Aarone Eleazar & Ithamar. Ut autem ab Aarone pontificum & sacerdotum genus per posteros Eleazari & Ithamari est propagatum, sic per reliquos Levi filios ac nepotes reliquum genus sacrorum ministrorum, quos Levitas vocamus.

Horum autem ordo duplex fuit, unus a Moyse institutus, alter a Davide. Dicam prius de priore. [2] His Levitis commisit Deus curam Tabernaculi, & vasorum, & instrumentorum ejus, & Arcæ fœderis, ut ea deferrent, & custodirent, & ut sacerdotibus ministrarent. Numerorum primo: *Tribum Levi noli numerare, neque pones summam eorum cum filiis Israel, sed constitues eos super Tabernaculum Testimonii, & cuncta vasa ejus, & erunt in ministerio, ac per gyrum Tabernaculi metabuntur. Cum proficiscendum fuerit, deponent Levitæ Tabernaculum; cum castra metanda, erigent, quisquis externorum accesserit, occidetur*; & tertio: *Applica tribum Levi, & fac stare in conspectu Aaron sacerdotis, ut ministrent ei, & excubent, & observent, quidquid ad cultum pertinet multitudinis coram Tabernaculo Testimonii, servientes in ministerio ejus, dabisque dono Levitas Aaron & filiis ejus, quibus traditi sunt a filiis Israel. Aaron autem & filios ejus constitues super cultum sacerdotii. Externus qui ad ministrandum accesserit morietur. Ego tuli Levitas a filiis Israel pro omni primogenito qui aperit vulvam in filiis Israel: eruntque Levitæ mei, meum est enim omne primogenitum, ex quo percussi primogenitos in terra Ægypti: sanctificavi mihi quidquid primum nascitur in Israel: ab homine usque ad pecus, mei sunt.* Inde officia singulis familiis Levitarum distribuit, inquiens: *Numera filios*

Levi

Levi per domos patrum suorum , & familias , omne masculum ab uno mense , & supra. Numeravit Moyses, & inventi sunt filii Levi per nomina sua, Gerson, & Cahat, & Merari. Filii Gerson, Lebni, & Semei, filii Cahat, Amram, Jesaar, Hebron, & Oziel. Filii Merari, Moholi, & Musi &c. Lebnitæ & Semeitæ tabernaculum metabuntur ad occidentem sub principe Heliasaph filio Lael , & habebunt excubias in Tabernaculo fœderis, ipsum Tabernaculum, & operimentum ejus : tentorium quod trahitur ante fores tecti fœderis, & cortinas atrii, tentorium quoque quod appenditur in introitu atrii Tabernaculi, & quidquid ad ritum altaris pertinet, funes Tabernaculi, & omnia utensilia ejus. Amramitæ, Isaaritæ, Hebronitæ, & Ozielitæ habebunt excubias Sanctuarii, & castra metabuntur ad meridianam plagam; principesque erit eorum Elisaphan filius Oziel , & custodient arcam, mensamque, candelabrum, altaria, & vasa Sanctuarii , in quibus ministratur; & velum, cunctamque ejuscemodi supellectilem . Moholitæ & Musitæ sub principe Suriel filio Abihael in plaga septentrionali castra metabuntur , erunt sub custodia eorum tabulæ Tabernaculi, & vectes, & columnæ, ac bases earum , & omnia quæ ad cultum hujuscemodi pertinent , columnæque atrii per circuitum cum basibus suis , & paxilli cum funibus . Princeps principum Levitarum Eleazar filius Aaron sacerdotis erit super excubitores custodiæ Sanctuarii, castra metabuntur ante Tabernaculum fœderis , id est ad orientalem plagam; Moyses & Aaron cum filiis suis, habentes custodiam Sanctuarii in medio filiorum Israel, quisquis alienus accesserit, morietur . Deinde cap. IV. exponit, quid eorum quisque agere & [3] portare debeat , arcam , velum , mensam , [4] cortinas, tectum Tabernaculi, tentorium, funiculos, vasa, tabulas, vectes, [5] columnas, bases, totam suppellectilem. Demum cap. VIII. legem affert: *Hæc est lex Levitarum. A viginti quinque annis, & supra ingredientur , ut ministrent in Tabernaculo fœderis, & custodiant quæ ibi fuerint mandata , opera autem ipsa non facient .* Atque in his quidem officiis manserunt usque ad tempora Davidis , ita ut tempore Josuæ ipsi arcam trans amnem Jordanem tulerint, ubi sacerdotes Leviticæ stirpis , nomine sacerdotis late accepto, dicuntur.

David inde Levitarum [6] ordinem alterum instituit, priore illo quodammodo abrogato. Nam arcæ ferendæ onere sublato Levitas alios sacerdotum & templi ministros, qui proprie Levitæ dicti sunt, alios Cantores, alios Janitores, alios Scribas & Judices esse constituit ; ministrorum vigintiquatuor millia , Scribarum & [7] Judicum sex millia , Cantorum quatuor millia , & totidem Janitorum . Hoc scriptum reperitur XXIII. primi Paralip. *Congregavit David omnes principes Israel , & Sacerdotes , & Levitas, numeratique sunt Levitæ a viginti annis, & supra, & inventa sunt triginta octo millia virorum. Ex his electi sunt , & distributi in ministerium domus Domini viginti quatuor millia, Scribarum autem & Judicum sex millia, porro quatuor millia Janitores, & totidem Psaltes canentes Domino in organis quæ fecerant ad canendum : & distribuit eos David per vices filiorum Levi, Gerson, Cahat, & Merari*; & post; *Dixit David Requiem dedit Dominus Deus Israel populo suo , & habitationem Hierusalem in æternum. Nec erit officii Levitarum, ut ultra portent Tabernaculum , & omnia vasa ejus ad ministrandum. Juxta præcepta quoque David novissima supputabitur numerus filiorum Levi a viginti annis , & supra , & erunt sub manu filiorum Aaron in cultum domus Domini, in vestibulis, & in exedris, & in loco purificationis, & in sanctuario, & in universis operibus templi Domini, sacerdotes autem super panes Propositionis , & ad similæ sacrificium, & ad lagana, & azyma, & sartaginem , & ad torrendum, & super omne pondus , & mensuram . Levitæ vero ut stent mane ad confitendum & canendum Domino , similiterque ad vesperam tam in oblatione Holocaustorum Domini , quam in Sabbatis, & Kalendis, & solennitatibus reliquis juxta numerum & cæremonias uniuscujusque rei jugiter coram Domino, & custodient observationes Tabernaculi fœderis, & ritum Sanctuarii, & observationem filiorum Aaron fratrum suorum, ut ministrent in domo Domini.* Item nono ejusdem: *De genere quoque Levitarum erunt super vasa ministerii, ad numerum enim efferentur vasa, & inferentur. De ipsis & qui credita habebunt utensilia Sanctuarii , præerunt similæ , & vino , & oleo, & thuri, & aromatibus, filii autem sacerdotum unguenta ex aromatibus conficient. Et Matthatias Levites primogenitus Sellum Coritæ, præfectus erat eorum quæ in sartagine frigebantur . Porro de filiis Cahat, & fratribus eorum , super panes erunt Propositionis , ut semper novos per singula sabbata præpararent .* Atque hos item ministros David in XXIV. classes destinavit , easque a Gersonitis, Cahatitis, & Meraritis nominavit, unde principes non minus Levitarum, quam Sacerdotum primi Esdræ octavo commemorantur.

Hæc vero ita instituta a Davide, post perfecta sunt a Salomone VIII. secundi Paralipom. *Constituit juxta dispositionem patris sui officia Sacerdotum in ministeriis suis , Levitas in ordine suo, ut laudarent & ministrarent coram sacerdotibus juxta ritum uniuscujus-*

- *Gerson duos tantum procreavit filios, Libni & Simei, 1. Paralip. 7. 17. Exod. 6. 17. Num. 3. 18. & 21. Quicunque igitur præter nominatos istos duos reperitur, is aut non est immediatus ejus filius, aut est unus illorum sub alio nomine.*
  - *Libni primogenitus Gersonis, ex quo progenitus Jahath, pater Simæ, qui genuit Joah, patrem Idonis, cujus filius Serah, ex quo Jeathrai procreatus 1. Paralip. 7. 20. 21. & seq.*
  - *Simei posteritas habetur 1. Paral. 7. 40. & seq.*
- Caath *longa posterorum serie, in qua omnes Pontifices & Sacerdotes fuerunt, præ cæteris clarus, vixit annos 133. & quatuor filios procreavit, Amram, Jezehar, Hebron, Usiel. Exod. 6. 18. Num. 3. 19. & 27. 1. Paral. 7. 2. & 18. De Aminadab 1. Paralip. 7. 22. dicitur, quod sit filius Caath. Verum enim vero, quin sit unus ex quatuor jam nominatis, cui diversum ab istis nomen sit inditum, nullus dubito, vid. Abulens. ad all. i. 1. Par. 7. 22.*
  - *Amram primogenitus Caath, natus in Ægypto & denatus, postquam vixisset annos 137. Ex Jochebeth uxore sua habuit tres liberos, Exod. 6. 20. Num. 26. 59. 1. Paralip. 7. 3. Mich. 6. 4.*
    - *Mirjam Prophetis Exod. 15. 20. Uxor Hur, Joseph. l. 3. antiq. c. 2. quæ ex illo peperit filium Uri, patrem Bezaleel de tribu Juda, Exod. 31. 2. septem annis ante Moysen nata est in Ægypto, in deserto vero Sin demortua atque sepulta est, Num. 20. 1. postquam vixisset annos 127.*
    - *Aaron primus Pontifex, qui ex Eliseba, filia Aminadab de tribu Juda, procreavit 4. liberos Exod. 6. 23. it. 28. 1. Num. 3. 2. it. 26. 60. Mortuus est in monte Hor, Num. 20. 25. & seq.*
      - *Nadab & Abiu ambo in deserto igne cœlitus misso consumti sunt, propterea quod ipsi suffimentum Domino, contra divinum præceptum, offerebant, Levit. 10. 2.*
      - *Eleasar secundus Pontifex, quem deinde sequitur Eli 1. Reg. 1.*
      - *Ithamar sacerdos.*
    - *Moses Legislator & Dux populi Israelitici, in lucem editus anno patris sui 79., duos ex uxore sua Zipora habuit filios Exod. 2. 21. & vitam in monte Nebo finiit annos natus 120. Deut. 34.*
      - *Gerson, qui plures genuit filios, sed unius tantum meminit scriptura.*
        - *Sebuel 1. Paral. 24. 16.*
      - *Elieser qui unicum habuit filium.*
        - *Rehabia, qui numerosam sobolem habuit 1. Paral. 24. v. 17.*
  - *Jezehar, qui & Aminadab. 1. Paral. 7. 22. audit, tres procreavit filios, Korah, Nepheg, Sichri, Exod. 6. 21. Salomith enim, cujus etiam mentio fit in sacris literis, quod fuerit filius Jezehar, vel ad tempora Davidis referendus est, vel cum Abulensi statuendum, illum esse eundem cum Korah.*
    - *Korah fax & tuba seditiosorum male cum sociis periit, Num. 16. tres filios habuit, Exod. 6. 24. qui divinitus conservati Num. 26. 11.*
      - *Assir primogenitus. 1. Par. 7. 12.*
      - *Elcana cujus posteri a Moyse non memorantur.*
      - *Abiassaph, a quo derivatur Heman cantor 1. Paral. 7. 33.*
    - *Nepheg & Sichri Moyses silentio præteriit, ideoque nihil de posteris illorum dicere habemus.*
  - *Hebron, tertius filiorum Caath, quatuor filios genuit 1. Paralip. 24. 19.*
    - *Jereia primogenitus.*
    - *Amaria secundo genitus.*
    - *Jehasiel tertius filiorum Hebron.*
    - *Jacmea quartus.*
  - *Usiel quartus filiorum Caath tres habuit filios Exod. 6. 22. Nam duo illi, qui 1. Paralip. 24. 20. memorantur, non sunt immediati, sed pertinent ad Davidis tempora.*
    - *Misael, Usielis filiorum primus, cum fratre suo Elzaphan exportat corpora exanima filiorum improborum Aaronis, consobrinorum suorum extra castra Levit. 10. 4.*
    - *Elzaphan vel Elisaphan, Princeps Levitarum, qui castra metabantur in deserto ad sanctuarii plagam australem Num. 3. 30.*
    - *Sithri tertius Usielis filius.*
- *Merari duos genuit filios Exod. 6. 19. Num. 3. 20. & 33. & in Ægypto mortuus est.*
  - *Maheli primogenitus, cujus posteritas in sextam usque generationem recensetur 1. Paral. 7. 29.*
  - *Musi secundus; cujus posteritas. 1. Par. 7. 44. recensetur.*

cujuſque diei, *& Janitores in diviſionibus ſuis per portam & portam*. Itaque Ezechias rex exoletum Dei cultum reſtituturus accivit ſacerdotes, & Levitas, dixitque ad eos ſecundo Paralip. XXIX. *Audite me Levitæ*, *& ſanctificamini: mundate domum Domini*, *auferte omnem immunditiam de Sanctuario*, *filii mei nolite negligere*, *vos elegit Dominus*, *ut ſtetis coram eo*, *& miniſtretis illi*, *collatiſque eum*, *& cremetis ei incenſum*. Inde ita pergitur: *Surrexerunt Levitæ*, *& congregaverunt fratres ſuos*, *& ſanctificati ſunt*, *& ingreſſi ſunt*, *ut expiarent domum Dei*. *Sacerdotes quoque ingreſſi templum*, *ut ſanctificarent illud*, *extulerunt omnem immunditiam*, *ſanctificaverunt Domino boves ſexcentos*, *& oves tria millia*, *ſacerdotes vero pauci erant*, *nec poterant ſufficere*, *ut pelles Holocauſtorum detraherent: unde & Levitæ fratres eorum adjuverunt eos*, *donec impleretur opus*, *& ſanctificarentur antiſtites*. *Levitæ quoque faciliore ritu ſanctificantur*, *quam ſacerdotes*. Inde XXXI. ſcriptum eſt, *Ezechias conſtituit turmas* (*id eſt ephemerias*, *ſeu vices*) *ſacerdotales*, *& Leviticas per diviſiones ſuas*, *unumquemque in officio proprio tam ſacerdotum*, *quam Levitarum ad Holocauſta*, *& Pacifica*, *ut miniſtrarent*, *& confiterentur*, *canerentque in portis caſtrorum Domini*. Poſt Joſias inſtaurato templo Levitarum quoque munera renovavit, ſic enim ſcriptum eſt XXXV. *Levitis quoque*, *ad quorum eruditionem omnis Iſrael ſanctificabatur Domino*, *locutus eſt*: *Ponite arcam in Sanctuario Templi*, *quod ædificavit Salomon*, *nequaquam enim eam ultra portabitis*, *nunc autem miniſtrate Deo veſtro*, *& populo ejus Iſrael*, *& præparate vos per domos & cognationes veſtras in diviſionibus ſingulorum*, *ſicut præcepit David*, *& deſcripſit Salomon*, *& miniſtrate in ſanctuario per familias*, *turmaſque Leviticas*, *& ſanctificati immolate Phaſe*. In primis vero mandaſſe videtur Levitis, ut vice ſacerdotum detraherent pelles Holocauſtorum, nam paullo poſt additur: *Levitæ ſteterunt in turmis juxta regis imperium*, *& detraxerunt pelles Holocauſtorum*. Nam niſi Joſiæ inſtituto hoc factum dicemus, ad Ezechiæ tempus rejiciemus, quo propter paucitatem ſacerdotum Levitæ hoc oneris ſubierunt. Neque enim adhuc reperi, unde S. Hieronymus illud hauſerit, quod in eum locum ſcripſit, moris fuiſſe, ut Levitæ [8] detraherent pelles Holocauſtorum; ſacerdotes autem, quando pro peccatis fiebat ſacrificium. Nam perpetuum fuiſſe ultimis temporibus hoc Levitarum onus, oſtendere videtur Ezechiel XLIV. inquiens: *Levitæ ernut in ſanctuario meo æditui*, *& janitores portarum domus*, *& miniſtri domus*, *ipſi mactabunt Holocauſtum*, *& victimas populi*, *& ipſi ſtabunt in conſpectu eorum*, *ut miniſtrent eis*, *non appropinquabunt ad me*, *ut ſacerdotio fungantur mihi*, *neque accedent ad omne Sanctuarium meum juxta Sancta Sanctorum*.

NOTÆ AD CAPUT QUARTUM.

[1] *Levi*.) Jacobi & Leæ filius tertius vocatur ita ex lætitia mulieris, quæ ob natum hunc filium maritum eo lubentius ſecum cohabitaturum putabat: LXX. verba lætantis mulieris exprimunt per πρὸς ἐμὲ i. e. Apud me erit vir meus. Aquila interpretatur: applicabitur mihi vir meus, quod Hebraice ילוה dicitur. Doctores Hebræorum hoc ita interpretari ſolent: proſequetur me vir meus, vel erit mihi in hac vita comes. Joſephus vocem Levi exponit per βεβαιώτὴν κοινωνίας, firmatorem ſocietatis. Erit ergo Levi, conſociatio, copulatio, Conjunctio, animorum ſc. & corporum. Annum vigeſimum octavum Levi agens, ut autor libri Patriarcharum c. 3. ſcribit, uxorem Melcham duxit, ex qua tres ſuſcepit liberos, Gerſon, Caath, Merari. Hic ſchema genealogiæ Leviticæ reponere allubeſcit. Tavola genealogica.

[2] *His Levitis oommiſit curam Tabernaculi &c.*) Duplex fuit officium circa Sanctuarium, alterum dum illud in loco aliquo ſubſiſtebat, alterum dum columnæ monitu, alio transferendum erat. Quando illud in loco certo erat conſtitutum, tum *Sacerdotes* miniſtrabant ſanctuario, ſacrificando in altari holocauſtorum, accendendo, exſtinguendo, componendo lucernas mane & veſperi, offerendo incenſum in altari Thymiamatis &c. *Levitæ* autem ſerviebant tabernaculo, cum præpararent juſſu *Sacerdotum* illa, quæ ad peragendum ſacrum miniſterium erant neceſſaria v. g. hoſtias, panes, oleum, thymiama, aliaque id genus, & Sacerdotibus ut æditui inſerviebant. Deinde excubabant pro tabernaculo teſtimonii, Ideoque prope Sanctuarium caſtra metabantur, ut ex vicinitate loci expeditiores eſſent ad accipienda & exequenda Sacerdotum mandata. Huic excubandi officio conjuncta fuit cuſtodia Tabernaculi, vaſorumque ejus, ne quoddam eorum periret, vel vento, igne, pluvia corrumperetur, vel ab hominibus aut beſtiis, quæ ducuntur ad ſacrificia, per imprudentiam aut violentiam macularetur frangereturve.

[3] *Portare debeat &c.*) Officium *Caathitarum* fuit arcam fœderis a Sacerdotibus triplici velamento involutam, menſam, candelabrum, altare holocauſtorum, & labrum æneum cum omnibus cæteris vaſis humeris ſuis portare. Iis autem præfectus erat *Eleazar* filius *Aaronis*, qui ſua cuique onera diſtribuebat. conf. *Paul. Fag. cap. 4. Paraphr. Chald.*

[4] *Cortinas &c.*) Intelliguntur hic tum cortinæ inferiores, cum ſuperiores, quæ ex pilis caprinis contextæ. Operimentum vero tabernaculi pelles erant rubricatæ, quæ inſtar tecti totum tabernaculum obtegebant. Gerſonitarum familiæ injunctum erat portare cortinas, & vela omnia, cum tabernaculi, tum atrii, iiſque præpoſitus erat *Ithamar*, qui cuique onus ſuum imponebat. Omnia vela & operimenta, quæ ad altare, & alias res ſacras pertinebant, portare debebant Gerſonitæ. Nam in Hebræo & Chaldæo eſt: *Et cortinas*, ſeu *periſtromata atrii*, *& aulæum oſtii portæ atrii*, *quod eſt circa tabernaculum & altare*, *portabunt*.

[5] *Columnas &c.*) *Meraritæ* curam habuerunt columnarum atrii, & tabernaculi, cum baſibus & capitellis ſuis, item tabularum, quæ ligneos tabernaculi parietes componebant.

[6] *Ordinem alterum inſtituit*.) Levitæ in recenſitis officiis manſerunt uſque ad tempora Davidis, qui adhibito conſilio *Gadis* & *Nathanis* Prophetarum 2. *Paral.* 29. 25. alterum Levitarum ordinem inſtituit, priore illo quodammodo abrogato. Cum enim ob tem-

templum stabile constructum munus circumferendi Tabernaculi & cæterorum, quæ ad illud pertinebant sublatum esset, præter Sacerdotes & Templi ministros, qui proprie Levitæ dicti sunt, alios Cantores alios Janitores constituit. videat. *D. Quensted. Antiq. bibl. pag. m.* 64.

7 *Judicum sex millia.*) A Davide in Levitis præpositorum judicum sex millia fuerunt constituta. Joseph. κριτὰς vocat γραμματεῖς, sicut & *LXX.* Unum & idem officium duobus nominibus significatur, alterum est dignitatis, alterum vero muneris judicialis *Lyran. & Abul. qu.* 13. *cum Cajetan.* De his cum cæteris fere omnibus interpretibus statuimus, eos Sacerdotum socios in minoribus causis dijudicandis in universo regno exstitisse, vid. *Joseph. lib.* 4. *antiq.* 8. Saliarr. annal. sacr. V. T. *tom.* 2. *fol. m.* 369. *Cajetanus* autem existimat, *Levitas* ordinarios templi judices fuisse, nec quicqnam negotii ipsis cum Synedrio intercessisse.

8 *Detraherent pelles.*) Pelle nudare holocausta Sacerdotum erat, ut colligitur ex *Levit.* 1. 6. & 8. 8. tempore vero *Ezechiæ & Josiæ* propter Sacerdotum paucitatem & victimarum multitudinem Levitæ hoc oneris subjerunt & vice Sacerdotum pelles holocaustorum detraxerunt, atque ita urgente necessitate partem muneris Sacerdotalis in se receperunt, hostiasque præpararunt, ut a Sacerdotibus tantum dimembrandæ essent & ignibus immittendæ.

CAPUT QUINTUM.

De Cantoribus.

CAntores autem [1] a Davide diximus institutos, ut confiterentur, & [2] canerent in organis Domino. Hæc autem [3] organa diversi generis erant, [4] tubæ, [5] cymbala, [6] psalteria, citharæ, & quæ præcipue organa dicebantur. Canebant autem [7] voce hymnos, quos David, Asaph, Idithun, Heman, & Hetan [8] composuerant, & in confessione verba illa crebro usurpabant: *Confitemini Domino, quoniam bonus, quoniam in sæculum misericordia ejus.* [9] Tunicis porro byssinis induebantur, atque ita a sacerdotibus lineas habentibus distinguebantur. Hoc autem munus assignavit David tribus filiis Johel, qui genus trahebant a Gersone, nempe [10] Asaph, Heman, & Idithun, quorum XXIV. erant filii, quatuor Asaph, sex Idithun, quatuordecim Heman, qui pariter sorte ducti singulis [11] vicenis quaternis classibus nomen dederunt. De his autem sic scriptum est 1. Paralip. XXIV. *Isti sunt filii Levi secundum domos familiarum suarum, miseruntque & ipsi sortes contra fratres suos filios Aaron, coram David rege, & Sadoc, & Achimelec, & principibus familiarum sacerdotalium, & Leviticarum, tam majores, quam minores. Omnes sors æqualiter dividebat. Igitur David & præfecti exercitus segregaverunt in ministerium filios Asaph, & Heman, & Idithun, qui prophetarent in citharis, & psalteriis, & cymbalis secundum numerum suum sibi dedicato officio servientes, filii Asaph quatuor, sub manu Asaph, prophetantes juxta regem: filii Idithun sex, qui in cithara prophetabant super confitentes & laudantes Dominum: filii Heman quatuordecim, Videntis regis in sermonibus Dei, ut exaltaret cornu. Universi sub manu patris sui ad cantandum in templo Domini distributi erant in cymbalis, & psalteriis, & citharis, in ministeria domus Domini juxta regem. Fuit autem numerus eorum cum fratribus suis qui eruditi erant in Cantico Domini, ducenti octoginta octo, miseruntque eis sortem ephemeriarum secundum magnum, & parvum, perfectorum, & discentium,* atque inde ordinem earum (sunt autem vices XXIV.) persequitur hoc modo.

1 Joseph.
2 Godolias.
3 Zaccur.
4 Isari.
5 Nathanias.
6 Bocciau.
7 Isreela.
8 Jesajas.
9 Mathanias.
10 Semejas.
11 Azareel.
12 Hasabias.
13 Subael.
14 Matthatias.
15 Jerimoth.
16 Hananias.
17 Jesbacassas.
18 Hanani.
19 Mellothi.
20 Eliatha.
21 Othir.
22 Gedelthi.
23 Mahazioth.
24 Romemthiezer.

Officia vero eorum descripta multis in locis reperiuntur, præcipue autem in septimo secundi Paralip. regnante Salomone: *Sacerdotes stabant in officiis suis, & Levitæ in organis carminum Domini, quæ fecit David rex, hymnos canentes per manus suas, porro sacerdotes canebant tubis ante eos*; & v. *Egressis autem sacerdotibus de Sanctuario*

rio (omnes enim ſacerdotes qui ibi potuerant inveniri , ſanctificati ſunt , nec adhuc in illo tempore vices , & miniſteriorum ordo inter eos diviſus erat) tam Levitæ , quam Cantores, id eſt & qui ſub Aſaph erant , & qui ſub Heman , & qui ſub Idithun, filii, & fratres eorum veſtiti byſſinis , cymbalis, & pſalteriis , & citharis concrepabant , [12] *ſtantes ad orientalem plagam altaris , & cum eis ſacerdotes centum viginti canentes tubis. Igitur cunctis pariter & tubis, & voce, & cymbalis, & organis , & diverſi generis muſicorum concinentibus, & vocem in ſublime tollentibus, longe ſonitus audiebatur, ita ut cum Dominum laudare cœpiſſent , & dicere , Confitemini Domino , quoniam bonus, quoniam in ſæculum miſericordia ejus: impleretur domus Dei nube , nec poſſent ſacerdotes ſtare, & miniſtrare propter caliginem*; item XX. *Joſaphat rex ſtatuit cantores Domini, ut laudarent eum in turmis ſuis, & antecederent exercitum , ac voce conſona dicerent, Confitemini Domino, quoniam in æternum miſericordia ejus.* Item tertio primi Eſdræ: *Concinebant in hymnis, & confeſſione Domino , quoniam bonus, quoniam in ſæculum miſericordia ejus* ; & XIII. *In diebus David & Aſaph ab exordio erant principes conſtituti cantorum carmine laudantium & confitentium Deo.*

Addit etiam Joſephus lib. VIII. eundem Salomonem ſtolas Levitarum hymnos canentium ex byſſo ducenties mille feciſſe , libro autem XX. eoſdem pro ſtola byſſina lineam ſacerdotalem impetraviſſe tempore Agrippæ regis Judææ: *Ex tribu*, inquit , *quicunque hymnorum cantores erant, regi ſuaſerunt, ut convocato Concilio ſibi concederet ſtola linea uti, perinde ac ſacerdotibus licebat. Rex autem, ex ſententia eorum qui Concilium inibant, permiſit, ut priore veſte poſita, liniam induerent , parte autem tribus in templo operante, & his conceſſit, ut hymnos ediſcerent , quemadmodum monebant , quorum utrumque legibus erat adverſum.*

NOTÆ AD CAPUT QUINTUM.

[1] *A Davide inſtitutos.*) Verum enim vero tempore Tabernaculi cantores quoque fuiſſe, ſatis apparet ex Scriptura ſacra, idem confirmat *Fonſec. in cap.* 2. *Num.* apud *Cajetan.* Excubabant Levitæ in ſanctuario per ordines: *Hujuſmodi autem excubias pro laudibus Deo noctu reddendis præceptas eſſe, credibile eſt. Nam in templo Salomonis , quod poſtmodum eſt extructum , matutinas laudes ante lucem Deo oblatas eſſe legimus. Ideoque veriſimile eſt, eundem morem tempore tabernaculi viguiſſe , quippe Salomon templi ſui cultum, ad exemplar cultus illius , qui in tabernaculo Deo offerebatur , accommodavit.*

[2] *Canerent.*) Voce & inſtrumentis. De diviſione Muſicorum vid. 1. *Chron.* 25. De fundamento Muſices in lege diſputant *Gemariſtæ* in *Erachim fol.* 11. Fundamentum (principalis cantus pars) muſices (templi) debebat fieri voce, inquit *Maimonid.* in *Kele Mikdaſch. c.* 3. quo tamen inſtrumenta non excluſit, ſed vult illa ſolummodo tanquam appendices ad voces acceſſiſſe. Quoad cantores ipſos, refert nobis in l. c. fuiſſe illos partim Levitas, partim vero Iſraelitas præſtantes & qui conjugio juncti erant Sacerdotibus; ad cantorum enim ſcamna nullum accedere debuiſſe, niſi eſſet vir notabilis & ingenuus. *Miſchn. in Erach.* docet , Iſraelitas ſolummodo inſtrumentis luſiſſe & Levitis Muſicam vocalem reliquiſſe. Familias autem illorum cantorum fuiſſe illam פגרים *Pegaræorum* & צפוריה *Zipporiæ* in *Emmaus*.

[3] *Organa diverſi generis.*) Inſtrumenta quibus utebantur erant duplicia , vel illa quæ *flatu* vel illa , quæ *fidibus* tractabantur. Prioris generis erant *tubæ*, quarum mentio fit 2. *Chronic.* 7. 6. & 29. 26. & in pluribus aliis locis : ipſarum numerus non debebat eſſe minor quam 2. , nec 120. ſuperare . *Maimonid. in Kele Mikdaſch. c.* 2. Præceptum de clangendis *tubis* in feſtis ſolennibus & noviluniis exſtat *Num.* 10. 10. vid. *Ainsworth* in h. l. qui quam plurima e Rabbinorum ſcriptis protulit. confer etiam diſſertat. docte elabor. cl. *M. Chriſtian. Zoegæ. de buccina.*

[4] *Tubæ.*) Tubæ (Trummeten) ſuum ת״תת *Taratantara* ſonabant ſingulis horis matutinis , cum porta *Nicanoris* & reliquæ atrii portæ aperirentur . *Succah. cap.* 5. *in Miſchn.* & *Gloſſ. ibid.* Hoc tubarum ſigno viri ſtationarii ad ſua officia vocabantur , & populo campanarum inſtar indicium incipientis cultus divini dabatur . Clangebant duo Sacerdotes ſecunda vice, tempore libationis vini , vid. *Tamid. cap.* 7. *v.* 3. Omnes etiam reliquæ Muſicæ partes tunc demum incipiebant , cum ſacrificium holocauſti & libamen oblatum erat *Levitæ* dicebant canticum . Notabile interim eſt , Levitas tum demum cantaſſe, quando Sacerdos Magnus libabat vinum ſecundum illud *Jud.* 9. 14. Canticum autem quod recitabant Levitæ in Sanctuario nobis exhibet *Tamid. cap.* 7. *in fine*, quod his verbis cl. *Michael Arnoldi* recenſet : Primo die dicebant ; Domini eſt terra & plenitudo ejus orbis & incolæ ejus : ſecundo die dicebant : Magnus eſt Dominus & laudatus valde in urbe Dei noſtri , monte ſanctitatis ejus , &c.

[5] *Cymbala.*) Hebræis צלצלים a tinnitu dicta . Antiquorum cymbala cujus figuræ fuerint nos hodie latet ; certiſſimum tamen eſt , aliam habuiſſe ſpeciem refert *Dieter. in antiquit. Bibl. fol. m.* 351. Apud Gentilium ſacrificia uſitatiſſima fuerunt Κύμβαλα; unde in Sacris *Bacchi* aliorumque deorum adhibebantur teſte *Arriano*. צלצל igitur ſeu *cymbalum* vas fuiſſe aliquod æneum inſtar hodiernorum Cymbalorum aſſerit *Joham. Henric. Otho in Lexic. Philolog. pag. m.* 394. niſi forte quod ita affabre factum erat , ut multo ſuaviorem ſonum ediderit . De *cymbalo* loquuntur Rabb. in *Erachim fol.* 10. & *Talm. Hieroſ. in Succah fol.* 55. Erat cymbalum in templo confectum ex ære, ſonuſque ejus erat amæniſſimus . Sed accidit ut fiſſura hiaret ; Senatores miſerunt Alexandriam & inde opifices accerſiverunt, qui illud repararunt , ſed ſonus ejus non amplius tam gratus erat , ut fuerat antea . Ad ordinariam Muſicam ſufficit unum adhibere. *Maim. Kele Hammikdaſch. c.* 3. Videtur Cymbalum Baſſus & vocis infimæ loco fuiſſe , vide de his *Buxtorſ. in Lexic. Rabb. fol.* 1916.

[7] *Pſalteria & Cytharæ.*) De his inſtrumentis ſic *Joſeph. lib.* 7. *c.* 10. definit: Νάβλα δώδεκα φθόγγους ἔχουσα τοῖς δακτύλοις κρούεται Κιννύρα δεκαχόρδαις . Sunt qui hic nullum diſcrimen agnoſcunt & Pſalterium pro cythara & cytharam pro Pſalterio ponunt ; imo idem eſſe putant *Pſalterium* & *Nablium* probantque ex *Ovidio lib.* 3. *de art. amandi*:

Diſce etiam duplici genialia Nablia palma
Vertere: conveniunt dulcibus illa jocis.

Quod *Cœli. Rhodigin. Lection. antiq. lib.* 9. *c.* 4. affirmat

firmat, dum scribit: *Psalterium alio modo Naula dicitur, unde Naulia deducuntur diminutiva forma.* Quin & ipse ex Patribus *Hilarius* hujus convenientiæ adstipulator est. Nec tamen hoc afferto, omne ubique discrimen inter *Psalterium* & *Citharam* expunctum cupimus. Si enim rigide rem omnem examinamus, fidem debemus Autori Commentariorum in Psalmos, quæ inter Hieronymi opera hæc nobis suppeditant. Psalterium proprie genus est organi musici, quod est quasi Cithara. Similitudinem quidem habet *citharæ*, sed non est *cithara*. Quamvis igitur hæc duo instrumenta ambo fides sive chordas habuerint, nihilominus aliquam inter ipsa fuisse differentiam; nam primo unum percutiebatur aliqua pennula, vel frustulo ligni vel arcu ut nostræ citharæ & violæ (geigen). Alterum vero percutiebatur digitis, ut Chelis (lauten) Secundo notas unius pulsus & motus, alterius vero per ipsam chordarum differentiam. *Nablium* duodecim habebat chordas; *Cithara* vero decem solum fides habuit, & digitorum motu diversificabatur, vid. *Stephan. le Moyne var. Sacr. edit. Lugd. Batav. pag. m.* 880. conf. cl. *Johan. Gabriel Dreschler. dissert. de Cithar. Davidic. edit. Lips.* 1671. §. 7.

7 *Voce hymnos.*) Psalmi quos ordinarie cantabant, erant sequentes. Die primo septimanæ *Psalm.* 24. Secundo *Psalm.* 48. Tertio *Psalm.* 82. Quarto 94. Quinto 81. Sexto 93. Die Sabbathi vero 92. Rationes cur hos *Psalmos* elegerint, vid. in *Rosch Haschanna fol.* 31. *Maim. in Tamid. cap.* 6. Unumquemque ex his Psalmis in tres partes Cantores dividebant, in quibus Pausas faciebant, quas Talmudici פרקים nominant, in his pausis tubis canebant & populus adorabat, secundum illud: In unaquaque Pausa erat taratantara tubæ, & apud unamquamque taratantaram adoratio populi vid. *Tamid. cap. 7. edit. Franequer*, & *Rosch Haschan.* In ipso Sabbatho tempore sacrificii additionalis de quo *Num.* 28. 9. 10. Levitæ cantabant canticum Mosis *Deut.* 32. *Maim. in Tamid. cap.* 6. In Paschate vero canebant *Hallel.* confer huc fuse differentem *Stephan. le Moyne. in var. Sacr. pag. m.* 887. 888. *seq.*

8 *Composuerant.*) Cantorum principes, seu ut *Grotius* vocat, κορυφαῖοι χόρυ, præfecti chori Musici tres erant, ex tribus familiis Leviticis, videlicet *Heman*, *Assaph* & *Ethan*. *Heman* in familia *Caathitarum*, *Assaph* in familia Gersonitarum & *Ethan* in familia *Meraritarum* 1. *Par.* 6. 31. *cap.* 25. 1. & 6. 2. *Paral.* 5. 11. Et in qualibet harum familiarum erant multi Cantores per vices & choros distributi, ita tamen, ut quotidie ex qualibet familia aliqui essent, qui cum aliis ex reliquis familiis coram Arca canerent Domino, sic ut tres choros constituerent, ut ait *Menoch. ad* 1. *Paral. cap.* 6. Qui præerant aliis Cantatoribus dicuntur 1. *Paralip.* 25. 7. docti Cantici, sive in Cantico Domini. Vulg. qui erudiebant Canticum i. e. exponente *Tirino*, qui cæteros in Canticis, cum canendis tum concinnendis instruebant. Præterea multi psalmorum, qui Davidis vulgo sub nomine veniunt hisce Authoribus debentur; post *Psalm.* 72. undecim a Spiritu S. adscribuntur *Asapho*, octogesimus octavus *Hemani*, sequens *Ethano*, nonnulli *Jeduthuno*. Diversos proinde Psalmorum Authores notavit Kimchius: vid. plur. *pag.* 47. *dissert. de Prophet.* Johann. *Wandalini. edit. Hafn.* 1686.

9 *Tunicis byssinis.*) Expresse *Num.* 8. 2. *Paral.* 5. 12. refertur de Levitis quod vestiti fuerint byssinis. Et *Joseph. lib.* 8. *antiquit. c.* 2. scribit; Salomonem Levitis hymnos canentibus stolas byssinas ducenties mille fieri curasse. Refert quoque idem *Joseph. lib.* 20. *Antiq. cap.* 8. Levitas aliquot, quorum ministerium præcipuum erat sacros hymnos in templo canere, adito Rege *Agrippa* induxisse eum precibus, ut habito Synedrio seu Consessu decerneret eis usum stolæ lineæ, quæ tum solis erat concessa Sacerdotibus. Permisisse quoque Regem ex Concilii sententia illis hymnodis, ut deposito priore habitu, lineam sumerent. *Sigonius* noster affirmat, Levitas hymnorum Cantores indutos fuisse tunicis byssinis, atque ita a Sacerdotibus lineas habentibus distinctos fuisse, conf. *antiq. bibl. Quensted.*

10 *Asaph, Heman & Idithum &c.*) Hi tres viri scientia psalmos canendi præ cæteris commendantur. Primus eorum ad familiam *Gerson*, alter ad domum *Caathi*, tertius ad familiam *Merari* pertinet, vid. *Abul. q.* 5. & 8. *in c.* 25. 1. *Par.* Numerabantur in Israelitis 4000. Cantores, quos David in 24. classes digessit, utque ordo inter eos servaretur constituit, ut cantorum sortes sacerdotum sortibus responderent, vid. *Salian. annal. sacr. an. mund.* 3021. *fol. m.* 327. *tom.* 3.

11 *Vicenis quaternis.*) Cantorum sortes, vicesve viginti quatuor constituit *David*, ut eorum una sors, uni Sacerdotum sorti canendo & modulando ministraret diurno nocturnoque tempore 1. *Paral.* 9. 33. *Menochius ad* 1. *Paral.* 23. 6. inquit: Distributi erant Cantores per viginti quatuor vices, atque ita hebdomada evoluta novi succedebant iis, qui ministerium suum absolverant.

12 *Stantes ad orientalem plagam.*) Locus in quo cantabant & instrumenta Musica pulsabant intra atrium Sacerdotum fuisse videtur. Ita sentit *Alphonsus Tostat. ad* 2. *Paral.* 5. *quæst.* 36. & colligitur ex eo quod 2. *Paral.* 5. 12. dicuntur Levitæ Musici ad Orientalem plagam altaris holocaustorum stetisse & cum eis Sacerdotes tubis canentes. Non vero uno in loco. Sacerdotes enim non stabant prope Levitas, sed in altero latere altaris, & clangentes facies obversas habebant Levitis, hi autem & illi versus altare erant conversi. Locus stationis ipsorum erat שולחן חלבון *Tabula pinguedinis*, & ad minimum duo ibi stare & clangere debebant *Tamid. c.* 7. *Arias Montan. in apparat. Sacr. Bibl. libro de templi fabrica & structura pag.* 15. inquit: Fuisse in Templo suggestum inter Sacerdotum & Israelis atrium constitutum: in quo Levitæ musicis instrumentis solennium & quotidianorum sacrificiorum tempore canerent. Conf. *Constant. L'Empereur ad Codic. Middoth. pag.* 75.

CAPUT SEXTUM.

De Janitoribus.

[1] JAnitores porro ministri fuerunt, qui ad januas templi excubabant, & [2] sacras arculas observabant; de quibus in primo Paralipomenωn IX. hoc modo: *Janitores autem Sellum, & Accub, & Telmon, & Ahiman, & frater eorum Sellum princeps; usque ad illud tempus in porta regis ad orientem observabant per vices suas de filiis Levi, Sellum filius Core cum fratribus super opera ministerii, custodes vestibulorum tabernaculi, & familiæ eorum per vices castrorum Domini custodientes introitum. Phinees filius Eleazari erat dux eorum coram Domino. Zacharias filius Mosolamiæ, janitor portæ Tabernaculi Testimonii. Omnes hi electi in Ostiarios per portas ducenti duodecim, & descripti in villis propriis; quos constituerunt David & Samuel Videns in fide sua tam ipsos, quam filios eorum in ostiis domus Domini, & in Tabernaculo vicibus suis. Per quatuor ventos erant ostiarii, id est ad orientem, & ad occidentem, & ad aquilonem, & ad austrum. His quatuor Levitis creditus erat omnis numerus janitorum, & erant super exedras, & thesauros domus Domini, per gyrum quoque templi Domini morabantur in custodiis suis, ut, cum tempus fuisset, ipsi mane aperirent fores.*

Hi vero in viginti quatuor quoque classes, sive cives, divisi sunt, ut scriptum est XXVI. Quarum septem primæ nominatæ sunt a filiis Meselemiæ, Zacharia, Zadihel, Zabadia, Jathanael, Ælam, Johanan, Elioenai, octo sequentes a filiis Obededom, Semeja, Jozabad, Joaha, Sachar, Nathanael, Ammiel, Issachar, Phollathi; & a filiis Semejæ primogeniti sex, Othni, Raphael, Obed, Elzabad, Eliu, & Samachia: reliquas a filiis Hosæ, Semri, Helcia, Tabelia, Zacharia. Quibus expositis additur: *Hi divisi sunt in janitores, ut essent principes custodiarum, sicut & fratres eorum, ut ministrarent in domo Domini. Missæ sunt ergo sortes ex æquo & parvis & magnis per familias suas in unamquamque portarum. Cecidit ergo sors orientalis Selemiæ, Zachariæ filio ejus septentrionalis: Obededom vero, & filiis ejus ad austrum: in qua parte domus erat Seniorum Concilium. Sedhim & Hosa ad occidentem, juxta portam quæ ducit ad viam ascensionis, custodia contra custodiam, ad orientem vero Levitæ sex, & ad aquilonem quatuor per diem: atque ad meridiem similiter in die quatuor: & ubi erat Concilium, bini, & bini. In cellulis quoque janitorum ad occidentem quatuor in via, binique per cellulas. Hæ sunt divisiones janitorum filiorum Core & Merari.* His expletis inde de custodia sacræ pecuniæ additur: *Et Levitæ fratres eorum super thesauros domus Domini, & thesauros sanctificatorum. Subael præpositus thesauris: Eliezer, & fratres ejus super thesauros Sanctorum, quæ sanctificavit David rex, & principes familiarum, & tribuni, & centuriones, & duces exercitus de bellis, & manubiis præliorum, quæ consecraverant ad instaurationem & supellectilem templi Domini.*

Jojada inde pontifex, regnante Joa, constituit quosdam Levitas janitores ad custodiam templi, ut neminem contaminatum ingredi sinerent, ut XXIII. secundi Paralipomenωn invenitur. Eosdem vero janitores sacram pecuniam collegisse, indicat caput XXII. quarti Regum, ubi ita est: *Vade ad Helciam sacerdotem magnum, ut conflετur pecunia quæ illata est in templum Domini, quam collegerunt janitores templi a populo.* De his vero sic Philo de præmiis sacerdotum: *Æditui alii janitorum officio functi sunt, alii vestibulum observarunt, alii nocturnas diurnasque custodias templi vices sortiti, egerunt; quibusdam curæ fuit, porticus, atriumque vertere, & scobes ac quisquilias exportare, munditiemque curare.*

Jam vero officia Sacerdotum, Levitarum, Cantorum, & Janitorum adhuc apertius referuntur XXXV. secundi Paralipomenωn, ubi de nobili Pascha a Josia rege celebrato differitur. *Præparatum* (inquit) *est ministerium, & steterunt sacerdotes in officio suo, Levitæ quoque in turmis,* (Græce in divisionibus suis) *juxta regis imperium, & immolatum est Phase. Et effuderunt sacerdotes manu sua sanguinem. Et Levitæ detraxerunt pelles holocaustorum, & separaverunt ea, ut darent per domos & familias singulorum, ut offerrentur Domino, sicut scriptum est in lege Moysi, & assaverunt Phase super ignem, juxta quod in lege scriptum est. Pacificas vero hostias coxerunt in lebetibus, & cacabis, & ollis, & festinato distribuerunt universæ plebi; sibi autem & sacerdotibus postea paraverunt, nam in oblatione holocaustorum & adipum usque ad noctem sacerdotes fuerunt occu-*

occupati, unde Levitæ sibi & sacerdotibus filiis Aaron paraverunt novissimis. Porro cantores filii Asaph stabant in ordine suo juxta præceptum David, & Asaph, & Heman, & Idithun prophetarum David. Janitores vero per portas singulas observabant, ita ut ne puncto quidem discederent a ministerio, quamobrem & fratres eorum Levitæ paraverunt eis cibum, omnis igitur cultura Domini rite completa est in die illa, ut facerent Phase, & offerrent holocausta super altare Domini juxta præceptum regis Josiæ.

NOTÆ AD CAPUT SEXTUM.

[1] *Janitores.*) Sequuntur custodes portarum, qui officium suum extra Sanctuarium peragebant. Scriptura duas familias custodibus portarum præfuisse asseverat, prima filiorum est Core, qui in seditione contra Mosem & Aaronem male perierat, secunda filiorum Merari. Prior familia duo agnovit capita, Meselemium & Obededonem. Meselemius genuit filios septem, fratres vero habuit undecim, qui omnes fuerunt Janitorum principes. Obededon autem filios fratres, & nepotes habuit numero LXII. Posterior Hosæ familia filiis tredecim aucta erat. His 93. Janitorum principibus cæteri parebant. *A Saliano* quinque generalia loca memorantur, quibus Janitores addicti erant, quatuor portæ ad quatuor mundi plagas obversæ, & exedræ non paucæ. De numero in portis constituendo multis etiam agit *Salian. annal. Eccles. anno mundi 3021. fol. m.372. n. 38.*

[2] *Sacras arculas observabant.*) Quoniam in exedris continebantur thesauri templi, ideoque janitores custodientes exedras plerumque erant præpositi thesauris, & quatenus janitores, habebant curam portarum, quatenus thesaurarii vero rerum repositarum curam gerebant. Duo autem genera thesaurorum in templo erant, alterum ad præsentem templi usum, alterum ad futurum spectabat. Ad præsentem usum pertinebant vasa omnia. Ad futurum usum, aurum, æs, argentum, aliudve metallum, sive infectum & rude, sive factum signatumve, gemmæ item, lapidesque pretiosi.

CAPUT SEPTIMUM.

De Nathinæis.

1 NAthinæos inde Janitoribus adhæsisse, docet Esdra cap. secundo, ubi ordine recenset Sacerdotes, Levitas, Cantores, Janitores, & Nathinæos, qui e Babylonia redierunt. Ut autem Levitæ Sacerdotibus, sic Nathinæi Levitis operam ministerii præstiterunt, itaque ut illi diaconi, sic hi subdiaconi vocari possunt, de quibus cap. IX. primi Paralip. *Qui habitarunt primi in possessionibus, & urbibus suis, Israel, & sacerdotes, & Levitæ, & Nathinæi;* & primi Esdræ cap. II. *Omnes Nathinæi, & filii servorum Salomonis trecenti nonaginta duo.* Hi olim dicti Gabaonitæ, de quibus Josuæ v. IX. & XX. *Liberavit Josua Gabaonitas de manu filiorum Israel, ut non occiderentur, decrevitque in illo die, eos esse in ministerio cuncti populi, & altaris Domini, cædentes ligna, & aquas comportantes usque in præsens tempus, in loco quem elegisset Dominus.* David auctor fuit novi nominis, non officii, ac pro Gabaonitis Nathinæos vocavit, ut apparet ex primo Esdræ, cap. VIII. *De Nathinæis, quos dederat David, & principes ad ministeria Levitarum.* Unde cap. II. scripsit: *Habitaverunt Sacerdotes, & Levitæ, & Cantores, & Janitores, & Nathinæi, in urbibus suis.*

NOTÆ AD CAPUT SEPTIMUM.

[1] *Nathinæos*) Quam odiosum fuerit nomen servi apud Hebræos ex sacro Codice constat. Hic quæritur, an servitus cadere potuerit in proselytos? aff. de servitute publica, quæ utique cadebat in proselytos justitiæ: vid. *Rambam Issuri biah. cap.* 12. citatus a cl. *Domino Alting. pag. m.* 269. ubi ait: Quisquis proselytus justitiæ fit ex septem gentibus Cananæis, non prohibetur per legem venire in Ecclesiam. Constat autem non factum esse ex illis proselytum, præter *Gabaonitas*. De his tamen statuit *Josua*, quod interdictum iis Israelitarum sit connubio, sive mares sive fœminæ sint *Josu. 9. v.* 23. & cædentes ligna & haurientes aquam pro Domo Dei mei. Hi dicuntur Nethinim, quia ministerium Sanctuarii iis incubuit. Postea nullo existente Sanctuario *David* decrevit, ne illi venirent in congregationem in æternum, vid. *Ezr.* 8. 20. ubi dicitur, & ex Nethinim, quos *David & Principes* dederunt ad ministerium *Levitarum*. A conjugiis verorum Israelitarum Nathinæi arcebantur binis decretis, quorum alterum ab ipsomet Josua conditum, quod quidem temporarium tantum fuit; alterum deinde a Davide, sed quod semper observari debebat ob illam Gibeonitarum crudelitatem, quæ haud alia ratione, quam suspendio septem filiorum *Saulis*, placari poterat. vid. *cl. Wagenseil. excerpt. Gem. c.*1. *pag.* 143. & *Mischn. c.* 4. *pag.* 568. *Nathinæorum* posteros libertinos, quorum mentio fit in *Act. Apost. c. 6.v.* 9. intelligi crediderim. Hi simul cum aliis ex Babylone reversi sunt, ut refert *Mischn. Kiddasch. cap.* 4. §. 1. Decem hominum genera ex Babylone redierunt (1) Sacerdotes (2) Levitæ (3) Israelitæ (4) Polluti. (5) Proselyti (justitiæ videlicet, non nisi semel religionis ergo baptizati] (6) Manumissi (ser-

si [servi gentiles , sed post servitutem per baptismum secundum libertati initiati non minus quam religioni) (7) Mamzeri (natalium vitium habentes) (8) Nathinæi (9) Silentes (patre incerto nati) (10) Collecti (qui cum expositi fuissent tollebantur , utroque parente incerto) Libertinis istis Synagoga singularis erat & ab aliis secreta , atque adeo negatum iis jus לבא בקהל , veniendi in congregationem Ecclesiasticam, & multo magis in consanguinitatem.

CAPUT OCTAVUM.

De Nazaræis.

HActenus dictum sit de iis qui sacris ministerium præbuerunt. Fuit præterea quoddam aliud genus hominum, qui Deo etiam operam suam dicarunt, licet sacra non attigerunt. Hi vero aut corpus suum Deo consecrarunt, aut oracula Dei fuderunt, aut legem Dei exposuerunt, quorum primi [1] Nazaræi, secundi Prophetæ, tertii Scribæ vocati sunt, qui deinde diversas sectas intulerunt, Sadducæos, Scribas, Pharisæos, Herodianos, & alios.

Fuere igitur Nazaræi homines, [2] qui se Deo voto consecraverant, ea ratione, qua docetur Numerorum cap. VI. *Vir, sive mulier,* [3] *cum fecerint votum, ut sanctificentur, & se voluerint Deo consecrare,* [4] *a vino, & omni* [5] *quod inebriare potest, abstinebunt.* [6] *Acetum ex vino, & ex qualibet alia potione, & quidquid de uva exprimitur non bibent, uvas recentes, siccasque non comedent cunctis diebus, quibus ex voto Domino consecrantur, quidquid ex vinea esse potest, ab uva passa* [7] *usque ad acinum, non comedent. Omni tempore separationis suæ* [8] *novacula non transibit super caput ejus usque ad completum diem quo Domino consecratur. Sanctus erit, crescente cæsarie capitis ejus. Omni tempore consecrationis suæ* [9] *super mortuum non ingredietur, nec super patris quidem, & matris, & fratris, sororisque funere contaminabitur: quia consecratio Dei sui super caput ejus est. Omnibus diebus separationis suæ sanctus erit Domino. Sin autem mortuus fuerit subito quispiam coram eo, polluetur caput consecrationis ejus; quod radet illico in eadem die purgationis suæ, & rursum septima, in octava autem die offeret duos turtures, vel duos pullos columbæ sacerdoti in introitu fœderis testimonii, facietque sacerdos unum pro peccato, & alterum in Holocaustum, & deprecabitur pro eo, quia peccavit super mortuo, sanctificabitque caput ejus in die illo, & consecrabit Domino, dies priores irriti fiant, quoniam polluta est sanctificatio ejus.* Tres autem potissimum Nazaræos apud Hebræos invenio, [10] Samsonem, Samuelem, & Jacobum Justum fratrem Domini. De Samsone cap. XIII. Judicum: *Cave ne bibas vinum, & siceram, nec immundum quidquam comedas; quia concipies, & paries filium, cujus non tanget caput novacula: erit enim Nazaræus Dei ab infantia sua.* De Samuele primo Regum Anna vovit filium Deo his verbis: *Dabo eum Domino omnibus diebus vitæ ejus, & novacula non ascendet super caput ejus.* De Jacobo sic Egesippus, teste Clemente Alexandrino: *Ex utero matris suæ sanctus fuit, vinum & siceram non bibit; sed neque animal manducavit: ferrum in caput ejus non ascendit.* Cæterum de voto ejusmodi sanctificationis præclare scripsit Philo in libro de sacrificiis. *Cum aliquis,* inquit, *sacravit omnium rerum suarum primitias, ac decimas, non habens amplius materiam, in qua pietatem exerceat, seipsum dedicat: ideo magnum hoc votum appellatur, nihil enim quisquam possidet seipso pretiosius, qua possessione tunc ceditur; hujus voti reo præcipiuntur hæc: primum, ne mero utatur, aliove potu ex uvis factitio; deinde ad præstitutam diem rite offerat tres votivas victimas, agnum, agnam, & arietem, illum in holocaustum, illam pro peccato, arietem vero in salutis hostiam, nam voventi conveniunt hæc omnia; holocautoma, quia non sua solum, sed se quoque Deo dicat; pro peccato victima, quia homo cum sit quantumlibet perfectus, peccato non caret; pro salute autem, quia salutem suam acceptam refert Deo vero salvatori.*

NO.

NOTÆ AD CAPUT OCTAVUM.

[1] *Nazaræi.*) Quatuor sunt hominum classes, quibus hoc nomen competit (1) *Judæis*, qui ad certas leges, vel vota vel alias res se adstringebant. (2) oriundis ex urbe *Nazareth*, *vid. Lightfoot hor. Talmud. pag.* 918. *conf. disput. de Nazar. Dn. Georg. Frid. Meinhard. disq.* 1. §. 2. *Spanhem. dub. Evangel. pag. m.* 610. *edit. Genev.* (3) *illis qui διακεχωρισμένως* Ναζαραῖοι a V. Syr. נסר rescindere, abolere *vid. Hotting. Thes. Phil. sect. V.* dicti quod institutis ab aliis segregarentur. Sunt nonnulli (4) qui sicuti nomina *Nasiræus*, vel juxta alios, qui Christum Ναζαραῖον, a נציר dictum putant nominum impositorum causas, ita res ipsas nominibus designatas confundunt, *conf.* §. 4. *cit. disp.* Natales suos debet נזר separavit, abstraxit, singulari voto se adstrinxit, ita ut נציר vi originis, separatum denotet, conf. *Jalkut. fol.* 209. *c.* 3. *R. Mos. Kotzens. in* סמג *fol.* 73. *col.*4. *R. Salom. Jarch. in bibl. Buxtorff. Schindl. in lex. suo pentagl. in rad.* נצר addit & cæsariem significare, & ut *Buxtorff.* qui a radendo abstinet. Relicta varia vocis hujus significatione, sermo hic est de נזיר κατ' ἐξοχὴν dicto, qui ut *Paul. Fagius* a communi usu vivendi segregatus. Variam scribendi rationem prædict. *Dn. Meinhard.* luculenter adducit, §. 4. 5. *seqq.*

Nazaræi.) Originem horum antiquam esse, nemo est, qui ambigat; attamen frustra sunt illi qui ad Josephum referunt uti *Spanhemius*, qui ita de Josepho & Simsone loquens, scribit: Uterque diserte Nazaræus vocatur, ille *Gen.* 49. 26. *Deut.* 33. 16. iste *Judic.* 13. 5. uterque typum Christi gessit. Verum nobis inde Nazareatus Originem sumsisse non persuadebit vir alias doctus, quippe Josephus per totam vitam Nasiræum non egit nec leges Nazareatus observavit. Bibit etenim vinum *Gen.* 43. funeribus interfuit *Gen.* 50. vid. *dissert. cl. Joh. Clodii de jure Nazar. cap.* 2. Interim tamen negandum non est, antiquam originem esse.

[2] *Qui voto se Deo consecraverant.*] A separatione nomen habent *Nasiræi* quod se separarint Deo. Erant itaque homines, qui, ut liberius vacarent legi discendæ & expendendæ benignitati Dei, aliorum commercio sese abdicarunt, Domino se totos consecrarunt, atque vino aliisque rebus prorsus abstinuerunt. conf. Angl. *Henric. Ainsworth. Comment. in Num.* 6. *fol. m.* 35. Proinde Nasiræus in genere erit religionis causa separatus, & solitarie ut plurimum agens & seclusus quasi a commercio hominum profano. Agnovit id *R. Maimonid. in More Nevoch. part.* 3. *c.* 51. quando ex versione *Buxtorff.* ita differit: Post apprehensionem Dei nihil aliud requiritur, quam ut homo se totum ei tradat, & cogitationes suas intellectuales perpetuo in ejus desiderio collocet, id quod melius fieri nequit, quam per solitudinem & separationem. Additur *voto*: Nam duplices erant *Nasiræi. Nativi & votivi. Votivus* erat *temporarius*: *Nativus* perpetuus, vid. cl. *Joh. Clodii dissert. de jure Nazareatus, cap.* 3.

[3] *Cum fecerint votum.*) Judæi varia agnoscebant vota: quatuor autem recensentur, quibus se Deo obstringebant, vid. *Mischna in Massech. Nedarim, Maimon. in Hilk. Nedar. c.* 1. duo votorum genera constituit, unum votum *consecrationis*, alterum *obligationis* vel *prohibitionis*. Non immerito quæritur ad quodnam illorum *Nasiræatus* referri possit? primo intuitu quis arbitrari posset ad votum *consecrationis* referendum, cum sc. se ipsum ad oblationem, vovens Nasiræatum, adstringit. Verum re penitius inspecta ad votum *obligationis* referendum autumo, teste *R. Maim. hal. c.* 1. *Durrius in Theol. morali* vota ad tria genera revocat, & primum facit eorum, quæ Deo pro liberatione ex afflictionibus sunt nuncupata, quale fuit illud *in Act. Apostol. cap.* 21. *teste Wallæo ad h. l. pag. m.* 1241. & *Berenic. Agrippæ Regis sororis*, cujus meminit *Joseph. lib.* 2. *de bell. judaic. cap.* 15. Alterum genus ob studium glorificandi Deum & cultum ejus amplificandi. *Maimonid. more Nevoch. part.* 3. *c.* 48. *Paul. Fag. Paraph. Chald. Onkelos.* Tertium quando homines ad accendenda pietatis exercitia jejunium voverunt, conf. *Martin. Chemnit. part.* 2. *Loc. Theol. de castit. pag.* 511. *Brochmannum Grawerum & alios.* Votum vero *Nasireatus* non facere poterant, qui adhuc erant in potestate patris, conf. *Jalkut. fol.* 208. *col.* 4. *Philo. lib. de special. leg. pag.* 596. Quod si impubes voti religione se obstringeret, illud non ratum & firmum habebatur teste *Maimon. cap.* 2. *Hilk. Nas.* Contra patri licebat filium, etsi nondum excesserat ex ephebis, *Nasiræatui* addicere vid. *Hornbek. in lib. de convert. jud. in proleg. Buxtorff. in præf. in Mor. Nevoch.* ni filius patri resisteret, quod si faceret, voto exemtus erat. *Rambam.* Non enim valet votum nisi exierit e labiis ejus, qui obligatur. *Maimonid. in Hilk. Nas. c.* 1. §. 5.

[4] *A vino &c.*) Quid per vinum intelligatur variant Rabbinorum magistri. Quidam novum & vetus intelligunt, inter quos *Paraph. Chald. Jonath. & Onkel.* conf. *Paul. Fagius, ad d. l. & Scultetus in delit. Evangel. c.* 8. *pag.* 34. Vinum esse, teste *Wallæo*, omnes Hebræi fatentur. Cur vero vinum sicera vocetur, *Kimch. in lib. radic.* rationem addit, propterea quod inebriet. conf. *Jalkut. c.* 2. *fol.* 309. Quidam mixtum putant ut *R. Eleaser & Jalkut, fol.* 209. & per *Caphar* interpretantur. Plurimi arbitrantur omnem potionem significare, quæ ebrietatem afferre potest. Apud Hebræos sicera dicitur. *Græc.* σίκερα vid. *Wall. in Comment. in N. T. pag. m.* 510. Derivatur a שכר inebriatus est, temulentus fuit, quod Arabes eodem modo exprimant, vid. *Golii Lex Arab. fol.* 1191. *Lut.* starch Getranche vertit. Ejusmodi potus apud varios populos varie paratur, ideo *Hieronym.* scribit ad *Nepotian. Sicera Hebræo sermone omnis potio appellatur quæ inebriare potest; sive ex frumento, sive pomorum succo sit.* Et in se comprehendit omne genus vini factitii, vid. *Plin. lib.* 4. *c.* 16. De ejus modi vinis factitiis videri possunt *Rupert. lib.* 3. *de gent. ritib. Joan. Boem. Ægypt: lib.* 1. *p.* 10. *Assyrior. lib.* 1. *fol.* 18. *Olaus Magn. histor. Septent. lib.* 12. *pag.* 370. *Joan. Guil. Stuck. antiq. convival. lib.* 3. *c.* 9.

[4] *Quod inebriare potest.*) Rabbini ut *Aben Ezra & R. D. Kimchi* per *Siceram* interpretantur, dicentes, quod *Sicera* (שכר Schechar) omne sit illud, ex quo inebrietur homo. Nec dissentiunt ab his adeo, quæ, citante *Buxtorffio in Lexic.* sub שכר habet ad *Deut.* 24. ubi scribit: esse potum fortem factitium ex melle & dactylis aut tritico & hordeo. Cui consonat *R. David Kimchi* ad 1. *Sam.* 1. qui שכר rectius potum ex fructibus exponendum censet, quam aliud quid. Sequitur horum sententiam *Hieronym. ad Nepotian.* cujus verba a *Buxtorffio* citata leges. Nobis hac de re ita statuendum videtur, τὸ שכר a יין differre ut genus a specie, ita ut שכר sit omne illud, quod ebrietatem inducere valet, sive illud ex uvis sit, eoque (יין) vinum, seu non ex uvis, eoque aliud ut Zythum Ægyptiorum ἐκ κριθῶν μέθυ, *Æschylo* supplicibus, & *Babyloniorum* potus e palmis. Conveniunt in generali vocis notione & Rabbini & Patres. Targum in l. c. Levit. מרוא inebrians quodcunque vertit. Ex Patribus nominamus *Basilium* (Græcum) & *Hieronymum* (Latinum.) Κατὰ μεθυόντων Basilius ait: Σίκερα πᾶν τὸ δυνάμενον μέθην ἐμποιῆσαι, τοῖς ἑβραίοις ὀνομάζειν συνηθές. Stridonensis autem Pater lib. de nom. Hebr. Omne in eum sensum inquit, *quod inebriare potest, apud Hebræos* Sicera dicitur. Favet generali isti acceptioni vel maxime radix שכר, quæ non minus apud Arabes & Æthiopes quam Hebræos μεθύειν significat, confer. *Henric. Ainsworth. Comment. in Num.* 6. *fol. m.* 36. *edit. Londin. Clod. de jure Nasiræatus*, qui fuse egit de his. Mendoza, in 1. *Samuel* ubi plurima legi possunt.

[6] *Acetum ex vino non bibet &c.*) Ubi iterum *Jonathan & Onkelos* habent *acetum vini novi, & acetum vini veteris. Hieronymus* vero notante *Drusio* acetum ex qualibet potione intelligit. His additur משרת quod per madefactionem redditur, & juxta *Rabbinorum* sententiam erit, quicquid maceratur vino, ut quando buccellam vino intingam. Ita *Raschi Bibl. Basil. fol.* 155. *c.* 2. *Maimonid. c.* 5. §. 5.

5. §. 5. Alii per hoc vinum ſecundarium intelligunt, liquorem ſcil. illum ex uvarum folliculis & acinis, vino ante expreſſo, & aqua affuſa, confectum. Et hunc in ſenſum videtur accipi in *Jalkut ex Talm. Syrus* reddidit וכל חנינא רענבא *& omne ſecundarium ex uvis*. Sunt qui potum coctum explicant, quod adducit *Aben Ezra*. *Targum Jonath. & Hieroſolymitanum* potum omnem ex uvis expreſſum & maceratis confectum innuere videntur: illud habet, omnem potum, in quo maceratæ ſunt uvæ.

Acetum ex vino.) Varia de aceto protulit *Joh. Henric. Urſin. tom. 1. Analect. part. 3. pag. m.* 161. ubi etiam hujus meminit ſcil. Nazaræorum quem benevol. Lector evolvat, confer. cl. *Clod. de jur. Naſir*, ubi prolixe vocabula & ſenſus ex Rabbinorum Scriptis examinantur. Res vero ſummatim huc redit: Abſtinendum eſſe Naſiræo, vi primæ legis a vino, uvis, aceto vini, vinaceis, omni quod ad vitem quocunque modo ſpectat, quinimo ab omni potu inebriante.

7 *Uſque ad acinum.*] Quid חרצן, quid זג ſignificet, eruditi certant & adhuc lis eſt ſub judice. Cum enim affirmante *Aben-Ezra ad h.l.* tum חרצן cum זג in ſcripturis non amplius occurrant, non mirandum, eruditos in explicandis his in diverſas abire partes. Alii volunt per חרצנים denotari exterius, ſive exteriorem cutem, per זג interius, & ipſa granula in uva: *aliis* contrarium placet. Illud vult *R. Jehuda:* hoc *R. Joſe*, ceu verba eorum in *Jalkut, fol.* 209. *c.* 4. docent. Eadem habent *Sepher Mitzvod. fol. 73. col. 4. R. Salom.* Jarchi. *R. David Kimch.* plura, *vid. diſp. cl. M. Meinhardi de Naſir. diſſert.* 2. §. *6.* Senſus autem videtur eſſe, non comedat neque exteriorem uvæ corticem, neque interiorem ejus medullam, quæ calcando exprimi ſolet:

8 *Novacula non tranſibit caput ejus*) Capillorum nutritio, pro ſigno nutritionis interioris virtutum reputabatur. Cui ſententiæ fere ſimilis eſt *Gregorii l. 2. Mor. c. 6.* putantis, factum eſſe propter myſterium, ut dum aleretur capillus, virtutes quoque augendas eſſe ſignificaretur, conf. *Dn. D. Abraham Calovius in bibl. illuſtr. in h. l. Georg. Crauſer. in Phoſph. N. T. pag.* 513. Non quidem ob decus ſeu ornamentum, ſed ut *R. Bechai*, ad triſtitiam & pœnitentiam indicandam. Porro Hebræi quandam differentiam inter tonſuram *Naſiræi* ſeculi & dierum faciunt, teſte *Maimon. hilk. Naſ.* §. 12. Huic non conceſſa eſt tonſura uſque ad finem naſiræatus ſui. Hæc verba etiam in *Seph. Mitzv. grad. f.* ער *c.* 3.

9 *Super mortuum non ingredietur.*) Quærunt *Hebræi* an tantum hominis an etiam bruti cadaver intelligatur? De hoc ad verba hæc in Jalkut. *fol.* 210. *v.* 3. dicitur: ad cadaver mortui non accedat: percipio ego, etiam animam bruti ſecundum rem intelligi, quia dicitur: percutiens animam bruti: *Talmud* reſpondet, dicitut: in anima mortui: de anima hominis ſcriptura loquitur. *R. Iſmael* dicit: non eſt neceſſe quærere, nam ecce Scriptura dicit: ne accedas ſive appropinques: loquitur de anima hominis, quæ in acceſſu vel appropinquatione inquinat, *vid. diſput. cit. diſſert.* 7.

10 *Samſonem, Samuelem, & Jacobum Juſtum &c.*) De Samſone & Samuele agit *R. Maimonid.* in יד חזקה *part. 3. in* ספר הפלאה *in Hilk. de Naſ. c. 3.* De illo §. 13. *fol.* 38. *c.* 1. habet: *Samſon non fuit Naſiræus perfectus: non quia ipſe naſiræatum vovit, ſed angelus eum ab immunditie ſeparavit*, conf. Schindl. Lex Pentaglott. in nomine נזיר p. 1102. De Samuele ita habet Rambam: Samuel Ramathæus fuit Naſiræus perpetuus. Adde *Blaſium de Viegas in Comment. in Apocal. c. 19. D. Heerbrand in not. ad A. Oſiand Bibl. lat. adject. ad lib. 1. Sam.* 1. Huc videntur facere, quæ *Philo*, judicio *Joſephi antiq. Jud. lib.* 18. *cit.* & ex illis cl. *M. Meinhard. diſp.* 1. affert.

CAPUT NONUM.

[1] *De Prophetis.*

SEquuntur homines, [2] qui ſpiritu divino repleti Hebræis [3] juſſu Dei futura bona malave pronuntiarunt: quos primo [4] Videntes, deinde [5] Prophetas dixerunt, ut ſcriptum eſt libro primo Regum cap. IX. *Olim in Iſrael ſic loquebatur unuſquiſque vadens conſulere Deum, Venite, & eamus ad Videntem. Qui enim Propheta dicitur hodie, vocabatur olim Videns.* Ut autem reliquos tutores ſe daturum Hebræis Deus oſtendit, ſic præcipue quoque Prophetas [6] ex medio illorum excitaturum promiſit. Quin etiam antequam Prophetas lege promiſſos mitteret, multos quoque patres ſpiritu prophetico exornavit, ut Abraham, Iſaac, Jacob, & Joſeph: quorum vaticinia exſtant ſacris literarum monumentis conſignata, neque multo poſt etiam [7] inter exteros [8] Balaam, & Job, alioſque nonnullos eo munere inſignivit.

Primum autem prophetam, eumque omnium præſtantiſſimum, dedit [9] Moyſem; de quo ſic loquutus eſt Num. XII. *Si quis fuerit inter vos Propheta Domini,* [10] *in viſione apparebo ei, vel per ſomnium loquar ad illum. At non talis ſervus meus Moyſes:* [11] *ore enim ad os, loquor ei, & palam, & non* [12] *per ænigmata &* [13] *figuras Dominum videt.* Poſt Moyſem inde [14] alios ſe excitaturum oſtendit, atque etiam excitavit; ut ipſe Moyſes teſtatur XIIX. Deuteronomii: *Prophetam ſuſcitabo eis de medio fratrum ſuorum ſimilem tui, & ponam verba mea in ore ejus, loqueturque ad vos omnia quæ præcepero illi, qui autem verba ejus quæ lequetur in nomine meo, audire noluerit,* [15] *ego ultor exiſtam. Propheta autem qui arrogantia depravatus voluerit loqui in nomine meo, quæ ego non præcepi illi ut diceret, aut ex nomine alienorum Deorum,* [16] *interficietur. Quod ſi tacita cogitatione reſponderes, Quomodo poſſum intelligere verbum quod Dominus non eſt loquutus? hoc habebis ſignum: Quod in nomine Domini propheta ille prædixerit, & non evenerit, hoc Dominus non eſt loquutus; ſed per tumorem*

ani-

animi sui Propheta confinxit, & idcirco non timebis eam; & ibidem dicit Moyses: *Prophetam de gente tua, & de fratribus tuis, sicut me, suscitabit tibi Dominus Deus tuus: ipsum audies*; & XXXIV. *Et non surrexit ultra Propheta in Israel, sicut Moyses.*

Hic vero spiritus Propheticus, quo Deus præcipue Moysem ipsum afflavit a Moyse ad Seniores LXX. translatus est, ita ut & ipsi [17] vaticinium edere cœperint. Quod declaratur Numerorum XI. *Venit Moyses, & narravit populo verba Domini, congregans septuaginta viros de senibus Israel, quos stare fecit circa Tabernaculum, descenditque Dominus per nubem, & loquutus est ad eum, auferens de spiritu, qui erat in Moyse, & dans septuaginta viris, cumque requievisset in eis spiritus, Prophetarunt, nec ultra cessarunt, remanserant autem in castris duo viri, quorum unus vocabatur Eldad, & alter Medad, super quos requievit spiritus, nam & ipsi descripti fuerant, & non exierant, cumque prophetarent in castris, cucurrit puer, & nuntiavit Moysi, Eldad & Medad prophetant in castris. Statim Josua filius Nun, minister Moysis, & electus e pluribus, ait: Domine mi Moyses prohibe eos. At ille, Quid, inquit, æmularis pro me? quis tribuat, ut omnis populus prophetet, quando det eis Dominus spiritum suum?*

Tempore inde Judicum [17] mentio fit Deboræ cap. IV. quæ Prophetis fuisse, atque una populum judicasse dicitur; & VI. alterius cujusdam his verbis: *Populus clamavit ad Dominum postulans auxilium contra Madianitas, qui misit ad eos virum Prophetam, & locutus est: Hæc dicit Dominus.*

Demum Samuel prodiit, qui omnes ea gloria superavit, cujus tempore *Sermo Domini erat pretiosus, non erat visio manifesta*. Regum primo, cap. tertio. *Abiit Samuel, & dormivit, [19] & vocavit eum Dominus ter, & dixit: Ecce ego facio verbum in Israel, quod quicunque audierit, tinnient ambæ aures ejus. Crevit inde Samuel, & Dominus erat cum eo, & cognovit universus Israel, quod fidelis esset Propheta Domini.* Ab illo inde ordinarium quoddam quasi [20] Prophetarum collegium exstitit, ita ut in singulis ætatibus & civitatibus greges prophetarum invenirentur. Unde XXIIX. primi Regum: *Saul consuluit Dominum, & non respondit ei neque per somnia, neque per sacerdotes, neque per prophetas.* Convenerunt autem ad Samuelem multi scripturæ exponendæ studio se dicantes, quibus ille præfuit: atque ex eis aliquot Deus suscitavit, qui prophetæ officium exercerent. Itaque post Samuelem perpetua successione prophetæ fuerunt [21] usque ad Malachiam tempore Darii, cum templum est restitutum. De conventu autem virorum ad Samuelem, & ut eos Deus inspiraverit, sic X. primi Regum, ubi Samuel ita loquitur ad Saulem: *Venies in collem Dei, ubi est statio Philistæorum; &, cum ingressus fueris ibi urbem, obvium habebis gregem prophetarum descendentium de Excelso, & ante eos psalterium, & tympanum, & tibiam, & citharam, ipsosque prophetantes, & insiliet in te spiritus Domini, & prophetabis cum eis, & mutaberis in virum alium*; & paulo post: *Venerunt ad prædictum collem, & ecce cuneus prophetarum obvius est ei, & insiluit super eum spiritus Domini, & prophetavit in medio eorum. Videntes autem eum omnes qui noverant eum heri & nudius tertius, quod esset cum prophetis, & prophetaret, dixerunt ad invicem: Quænam res accidit filio Cis? num & Saul inter prophetas?* & XIX. *Misit Saul ad Ramatha, ut raperent David: qui, cum vidissent cuneum prophetarum vaticinantium, & Samuelem stantem super eos, factus est etiam spiritus Domini in illis, & prophetare cœperunt etiam ipsi. Quod cum nuntiatum esset Sauli, misit & alios nuncios, prophetarunt autem & illi. Et rursum misit Saul tertios nuncios: qui & ipsi prophetarunt. Et iratus iracundia Saul abiit etiam ipse in Ramatha, & factus est etiam super eum spiritus Domini, & ambulabat ingrediens, & prophetabat usque dum veniret in Naioth; & expoliavit etiam ipse se vestimentis suis, & prophetavit cum ceteris coram Samuele, & cecidit nudus tota die illa & nocte. Unde & exivit proverbium, Num & Saul inter prophetas?* Ergo post Samuelem magnus fuit prophetarum proventus, quorum omnium nomina non sunt literis prodita. Indicat caput II. quarti Regum, in quo scriptum est: *Helias sic alloquutus est Helisæum: Sede hic, quia Dominus misit me usque in Bethel; cumque descendissent Bethel, egressi sunt filii prophetarum, qui erant in Bethel.* Item: *Sede hic, quia Dominus misit me in Hierico, cumque venissent Hierico, accesserunt filii prophetarum, qui erant in Hierico;* & post: *Sede hic, quia Dominus misit me in Hierico, cumque venissent Hierico, accesserunt filii prophetarum, qui erant in Hierico;* & post: *Sede hic, quia Dominus misit me usque ad Jordanem. Ierunt igitur & quinquaginta filii prophetarum sequuti sunt eos.* Et post raptum Heliæ: *Videntes filii prophetarum qui erant in Hierico, dixerunt, Requievit spiritus Heliæ super Helisæum.* Nomina vero prophetarum, qui sub Regum imperio, aut in servitute Babylonica floruerunt, hæc ferme fuere. Gad, Nathan, Asaph, Idithun, Ahias, Samajas,

jas, Jad, Azarias, Hanani, Jehu, Jaziel, Eliezer, Zacharias, Helias, & Helisæus, quorum nullius exstant vaticiniorum editi commentarii. At qui prophetias suas memoriæ prodiderunt, fuere, Osee, Joel, Amos, Abdias, Jonas, Michæas, Nahum, Abacuc, Sophonias, Aggæus, Zacharias, & Malachias; qui minores prophetæ dicuntur, quod breviores vaticiniorum libros reliquerint: & Isaias, Hieremias, Ezechiel, & Daniel; qui majores appellantur, quod volumina prophetiarum grandiora conscripserint. Hi vero de calamitatibus, quæ regnis Israel & Judæ venturæ erant, prædixerunt, multaque de Christo venturo adjecerunt, quorum finis fuit in Malachia, qui præcursorem Christi ita pronuntiavit: *Ecce ego mitto angelum meum, & præparabit viam ante faciem meam*. Neque inde usque [22] ad Joannem Baptistam ab illo prædictum insignis ullus propheta in populo Judæorum est numeratus.

Quoniam autem de prophetis dicere cœpi, quos præcipue adibant, cum Deum ipsum consulere cupiebant, ut hæc dilucidior disputatio fiat, placet de universa quoque consulendi Dei ratione adjungere. Consuluere ergo Deum Hebræi maxime [23] per oraculum. Oraculum autem tum consulere dicebantur, cum ad Propitiatorium Arcæ fœderis accedebant, atque ibi [24] Deum rogabant, & ille respondebat, quod ipse Exodi vicesimo quinto admonuerat, ubi sic loquitur ad Moysem: *Loquar ad te supra Propitiatorium, ac de medio duorum Cherubim, qui erunt super arcam Testimonii, cunctaque quæ mandabo filiis Israel*. Quod vero tum præcepit Deus ut fieret, id post fecit Moyses Numerorum septimo: *Cumque ingrederetur Moyses tabernaculum fœderis, ut consuleret oraculum, audiebat vocem loquentis ad se de Propitiatorio, quod erat super arcam Testimonii inter duos Cherubim, unde & loquebatur ei*. Item Judicum primo: *Consuluerunt filii Israel Dominum dicentes, Quis ascendet ante nos contra Chananæum, & erit dux belli? dixitque Dominus, Judas*. Et vicesimo: *Venerunt in domum Dei, hoc est in Silo, ubi erat arca, consulueruntque Dominum, atque dixerunt, Quis erit in exercitu nostro princeps certaminis contra filios Beniamin? Quibus Dominus respondit, Judas*; & post: *Prius ascenderunt, & fleverunt coram Domino, & consuluerunt eum dicentes, Debeo ultra procedere ad dimicandum contra filios Beniamin fratres meos, an non? Quibus ait Deus: Ascende*. Et decimo primo Regum: *Consuluerunt Dominum, utrumnam Saul venturus esset illuc, responditque Dominus, Ecce absconditus est domi*. Et vicesimo primo secundi: *David consuluit oraculum Domini, dixitque Dominus*. Hæc vero [25] oraculi consulendi ratio stante solum primo templo servata est; nam in secundo Talmudici negant arcam ullam fuisse, [26] sed lapidem, ut dixi, solum e terra tres digitos eminentem.

Excepto vero oraculo consultus Deus respondit modo per prophetas, modo per sacerdotes, modo per somnia, unde scriptum est, ut dixi: *Saul consuluit Dominum, & non respondit ei neque per somnia, neque per sacerdotes, neque per prophetas*. Per sacerdotes autem, id est per pontificem, illud, credo, significat, quod tricesimo primi Regum refertur de Abiathar pontifice: *Ait David ad Abiathar sacerdotem: applica ad me Ephod. & applicavit Abiathar Ephod ad David: & consuluit David Dominum dicens, Persequar latrunculos hos, & comprehendam eos, an non? Dixitque ei Dominus, Persequere, absque dubio enim comprehendes eos, & excuties prædam*. Eodem pertinet illud octavi decimi Judicum: *Rogarunt sacerdotem, ut consuleret Dominum, ut scire possent, an prospero itinere pergerent. Qui respondit eis, Ite in pace*. Hic vero sacerdos post dicitur habuisse Ephod. Et quoniam scriptum est Exodi vicesimo quinto, institutos esse lapides onychinos, & gemmas ad ornandum Ephod, & Rationale, addidere Talmudici, lapides Urim & Thummim, sive Doctrinam, & Veritatem, in Pectorali pontificis exstitisse, quorum conspectu sacerdotes occulta intelligerent, & populo traderent, dum plus solito prælucerent, nam retento naturali colore nihil immutandum significasse: atque hos etiam lapides secundo templo constructo lucere desiisse, ut supra diximus.

De prophetis jam dictum est. *Olim*, inquit primo Regum, *sic loquebatur unusquisque vadens consulere Deum: Venite, eamus ad Videntem, id est ad prophetam*; & quarti octavo: *Vade in occursum viri Dei, & consule Dominum per eum dicens: Si evadere potero de infirmitate mea hac?* Inseram hic quoque locum insignem de prophetis consultis a Josaphat & Achab regibus, octavo decimo secundi Paralip. *Congregavit Achab rex Israel prophetarum quadringentos viros, & dixit ad eos? In Ramoth Galaad ad bellandum ire debemus, an quiescere? at illi, Ascende, inquiunt, & tradet Deus in manu regis. Advocatus inde Michæas primum dixit eadem, deinde adjuratus, ut vera diceret, adjecit: Dominus dedit spiritum mendacii in ore omnium prophetarum tuorum, & Dominus locutus est de te mala; accessit autem Sedecias, unus de prophetis qui prospera nuntiarant, & percussit Michææ maxillam, & ait: Per quam viam transivit spi-*

ritus Domini a me, ut loqueretur tibi? dixit Michæas: Tu videbis, inde ad regem: Si reversus fueris in pace, non est locutus Dominus in me. Verum prophetæ quoque post secundi templi constructionem defecerunt, ut ante diximus.

27 Somniorum porro ratio fuit hujusmodi. Observationem somniorum Deus prohibuit, divinam in somnis nunciationem negligi noluit, prohibuit autem Deuteronomii octavo decimo: *Nec inveniatur,* 28 *qui ariolos sciscitetur, & observet somnia, atque* 29 *auguria, nec sit* 30 *maleficus, nec* 31 *incantator, nec* 32 *qui pythones consulat;* 33 *nec divinos, nec quærat* 34 *a mortuis veritatem. Omnia enim hæc abominatur Dominus.* Itaque secundo Paralipomenon tricesimo tertio, rex Manasses reprehenditur, quod somnia observaret, & maleficis artibus inserviret, & XXIII. Hieremiæ scriptum est: *Propheta, qui habet somnium, narrat somnium; & qui habet sermonem meum, loquitur sermonem meum vere. Quid paleis ad triticum? dicit Dominus.* De spontanea vero Dei monitione per somnium multa supersunt testimonia. Numerorum duodecimo: *Si quis fuerit inter vos propheta Domini, in visione apparebo ei, vel per somnium loquar ad illum: at non talis servus meus Moyses, ore enim ad os loquor ei: & palam, non per ænigmata & figuras Dominum videt.* Itaque Gedeon septimo Judicum, somnium se vidisse narrans, expositionem quoque veram accepit, & tertio tertii Regum: *Apparuit Dominus Salomoni per somnium dicens: Postula quod vis ut dem tibi, & ille: Da mihi cor docile. Igitur ut evigilavit Salomon, & intellexit, quod esset somnium, profectus Hierusalem stetit coram arca fœderis.* Hæc autem 35 ratio monendorum hominum servata est a Deo usque ad extremum. Siquidem scribit S. Matthæus: *Hæc cogitante Joseph, ecce angelus Domini apparuit ei in somnis, dicens: Joseph fili David noli timere accipere Mariam conjugem tuam;* & II. Joel: *Et erit in novissimis diebus, dicit Dominus, effundam de spiritu meo super omnem carnem, prophetabunt filii vestri, & filiæ vestræ, & juvenes vestri visiones videbunt, & seniores vestri somniabunt.* Naturalium ergo somniorum, ut quæ plerumque incerta sint, & ab incerta caussa proficiscantur, nullam habendam esse rationem, censuit Deus, non autem eorum quæ ipse immisit. Quod cum fecit, simul etiam id egit, ut homo intelligeret, somnium illud non oportere contemni, sed veri aliquid ab illo portendi, ut ea 36 quæ Joseph & Daniel tanta cum laude ingenii conjecerunt.

Quatuor autem modis Deus sive consultus hominibus respondit, sive non consultus verba ad eos fecit, aut enim 37 ipsis simpliciter est loquutus 38 aut per visionem & somnium alloquutus; 39 aut angelus simpliciter est affatus, aut per visionem somniumve affatus. Primi sit exemplum: *Dixit Dominus ad Abraham, Jacob, Josue.* Secundi: *Factus est sermo Domini ad Abraham per visionem dicens.* Tertii: *Et Angelus Domini de cœlo clamavit dicens Abraham.* Quarti: *Apparuit angelus Domini Joseph in somnis dicens.*

Deum vero verba fecisse interpretantur sacrarum literarum expositores, eum non verba quæ auribus percipi possent, fecisse, sed eorum ad quos loquutus est, mentem ita informasse, ut non solum res, tanquam præsentes, oculis cernerent, sed etiam se a Deo divinitus moneri sentirent, & perinde afficerentur, ac si Deum loquentem audirent, & intelligerent quæ diceret. Quæ vero hoc modo dicta sunt, prophetiæ fuerunt, & quibus hæc dicta sunt, prophetæ vocati sunt. Unde tertiodecimo tertii Regum dixit propheta quidam: *Loquutus est Dominus ad me in sermone Domini dicens: Non comedes panem, & non bibes aquam ibi, tum propheta quidam ait illi: Et ego propheta sum similis tui, & angelus est mihi in sermone Domini, dicens: Reduc eum tecum in domum, ut comedat panem, & bibat aquam.* Quod autem de verbo Dei dixi, id S. Basilius scripsit in commentario psalmi XXVIII. *Vox Dei diversa est ab iis vocibus quæ in sensum aurium cadunt id enim accidit, cum mens hominum, quibus ille vocem suam tradere vult, visione quadam informatur, perinde atque in somniis, nam ut in his animus noster quorundam veluti verborum notis imbuitur, nulla voce ad sensum aurium accedente, sed ipsa mente quibusdam rerum insignibus informata; sic putanda est Dei vox, quam prophetæ audisse dicuntur.* Neque vero omnes, de quibus scriptum est, *Dixit Dominus ad eos*, illud a Deo ipso loquente acceperunt, sed a Propheta aliquo, cujus mentem Deus imbuerat, illud hauserunt. Cum autem dicitur 40 Dominus venisse ad aliquem, ea non prophetia putatur, sed simplex monitio, ut Laban & Abimelech.

Prophetæ igitur aut per visionem vigilantes, aut per somnium dormientes edocti de rebus futuris sunt, idque aut per angelum, aut sine angelo, visione (ut vocant) imaginaria, excepto uno Moyse, qui sine somnio & angelo, visione (ut appellant) intellectuali creditur instructus fuisse, atque ea quæ edidit, prædixisse. Verum sacer sermo, ut inquit Philo de somniis: aut tanquam rex facienda imperavit; aut tanquam

quam præceptor utiliter instituit; aut tanquam consiliarius opportune eos admonuit, qui sibi ipsi non poterant consilium capere; aut tanquam amicus arcana communicavit, quæ profanos audire nefas erat; aut demum ex quibusdam aliquid requisivit, ut de Adamo. Scriptura vero, quæ semper de Deo loqui reverenter est solita, tamen ut rudes homines erudiret, homini eum comparavit, atque ei membra, motus & voces, non veritatem, sed utilitatem discentium respiciens, tribuit, quia plerique nequeunt Deum sine corpore cogitare, neque alio modo ad officium se referre, nisi audiant, Deum ire, redire, irasci, ulcisci ac tela ad vindicandos sceleratos in promtu habere, atque interdum etiam hominem appellare.

NOTÆ AD CAPUT NONUM.

[1] *De Prophetis.*) Græco nomine vocantur, cum Hebraico idiomate varia sortiti sint nomina; unde Latinis Propheta sequioris ævi Scriptoribus & Ecclesiasticis, sed purius *Vates* quasi *Fates* (forsan a Græco φατὴς apud Hesych. loquutulejus, loquax, per κατάχρησιν pro fatidico) quod futura faretur, sive *fata* prædiceret, docente *Perotto*. cl. David. *Clod. Profess. Giss. in dissert. de Prophetis* nomen a verbo πρόφημι deducit. Τὸ πρόφημι autem componi a πρὸ & φημὶ *dico*, neminem vel Græcæ linguæ notitia leviter saltem tinctum latere potest. Ut adeo προφήτης & προφῆτις proprie loquendo sit, qui, vel quæ futura prædicit attestante *Stephano thesaur. T.* 4. *pag.* 63. 64. ubi profanorum Scriptorum testimonia affatim.

[2] *Qui spiritu divino repleti.*) Quidam ait: *Si ce n'est peut estre que quelque reveur s'imagine, que les Prophetes avoient un Esprit plus qu'humain dans un Corps d'homme, & que les operations de ces deux parties estoient en eux d'une matiere toute autre, que la nostre*; & alio in loco *il s'ensuit, que les Prophetes n'avoient pas un Esprit ny plus excellent, ny plus perfait, que le reste des hommes*, scilicet non excellentiori Spiritu exornatos fuisse. Verum Sacram Scripturam intuentes, inspirationem Prophetis per Spiritum Dei factam, omniaque ab iis Spiritus S. instinctu prolata esse haud negabunt. Audiamus hac de re *opiniones* Judæorum. *R. Mos. Maimonid. de fuandament. leg. pag.* 96. asserit: *Non vaticinabantur sc. Prophetæ, quolibet tempore, quo volebant, sed disponebant intellectum suum, ac læto bonoque animo solutarii considebant.* Prophetia enim non cadit in mœstos, & ut *Sabbath. cap.* 2. *Nedarim. c.* 4. *Peschim c.* 7. Spiritus Sanctus inter mœrores non habitat, sed in medio lætitiæ.

[3] *Jussu Dei.*) Quæcunque igitur illi jussu Dei dixerunt, verissima fuisse, nemo, nisi impie malus, ambigat. *Propheta* in Sacris dicitur, qui aliquid sibi a Deo revelatum profert, aliisque annuntiat. conf. lib. *Cosri pag.* 15. Duo enim, ut verbis *Curcellæi Tract. de Eccles. cap.* 8. §. 2. utar, ad constituendum Prophetam specialiter sic dictum requiruntur. *Primo singularis aliqua revelatio divina. Deinde mandatum revelationem istam aliis communicandi.* Unde qui alterutro istorum destitutus est, non videtur Propheta appellandus. Quod autem *Curcellæus* dicat, qui mandatum non habet, in eo a *Maimonid.* recte dissentit; cujus verba *lib. de fundam. legis cap.* 7. §. 11. *pag. m.* 107 leguntur: Propheta potest esse, cujus fuit Prophetia tantum de seipso, ad dilatandam mentem & augendam notitiam suam, usque dum cognoscat, quod antea ipsi erat incognitum de istis rebus magnis: conf. *Anton. Borremans dial. lit. de Poet. & Proph. p.* 108. *Hornbeck. de convert. judæ. pag. m.* 237.

[4] *Videntes.*) Dicti primo fuerant prophetæ. Heb. חוזה vel ראה *videus*: Ein Seher: prævidebant enim Prophetæ futura. Atque hæc antiquissima Prophetarum nomenclatura, vid. 1. *Sam.* 9. *v.* 6. & *Maim. præf. in Misch. p.* 2. *c.* 2. & *Weltwik. itin. p.* 62.

Videntes.) (β) Propheta primum appellatus fuit חוזה *videns* Deo scil. revelante. Sic 1. *Chron.* 29. 29. *Gad.* quem Prophetam fuisse constat ex 2. *Samuel.* 24. 11. vocatur החוזה, & tota *Esaiæ* Prophetia nuncupatur חזון *Habac.* 2. 3. expressis verbis חזון de futuris rebus. *Daniel.* 9. 24. חזון ונביא visio & Propheta vel Prophetia per locutionem Metonym. tanquam Synonima conjunguntur. Rursus Prophetæ etiam ראים vocari solebant, quod ipsum expressis verbis legitur 1. *Sam.* 9. *vers.* 9. ubi Samuel a Saule dicitur *videns*.

[5] *Prophetas.*) נביאים Hebraice seu נביא *Propheta collective*. Natales hujus vocis, quamvis varie a variis ervantur, obtinuit tamen *Aben-Ezræ* opinio, quæ verbum נבא *prophetavit*, pro radice & τὸ א pro radicali habet, quod tamen a נוב *progerminavit* est, unde ניב *fructus & sermo, qui fructus est labiorum seu linguæ* conf. *M. Samuel. Jobl. ad Malach. Prophet. p.* 12. 22. 23. Usurpatur hæc vox interdum καταχρηστικῶς de profanis falsisque Prophetis. *Deut.* 18. 20. *Jer.* 14. 14. Sacrorum Ethnicorum Antistibus, quales erant Prophetæ Baalis. 1. *Reg.* 18. 19. Eodem hoc modo etiam *Epimenides Vates*, *Propheta* dicitur. *Tit.* 1. 12. Usu tamen genvino & sacro in genere sic dicuntur *Doctores Ecclesiæ* 1. Cor. 14. 5. qui peculiari dono interpretandi instructi sunt. Hinc Gallus quidam in libello inscripto: *Traitte des Ceremonies superstitieuses des Juifs tant anciens que modernes chapitre* 1. *pag.* 1. hæc habet. *Le Prophete signifie en Hebreux* נבי, *c'est a dire orateur, & interpretemais dans l'Escriture il se prend toujours pour l'interprete de Dieu.* Specialiter autem sunt ii, qui cum Deo collocuti, rerum futurarum revelationem acceperunt.

Prophetas) (β) נביאים. A qua radice originem trahat, diversa est Autorum sententia. Inter *Judæos R. Salom.* Jarchi *Comment. in Exod.* 7. 1. & *R. Abarbanel* in ea sunt opinione, ac si vocabulum נבואה vel נביא descendat a radice נוב quæ significat *provenire, fructum proferre* & per Metaph. denique usurpatur pro *eloqui*. Unde *R. Salomoni* נביא nihil est aliud, quam *Orator, Præco eloquens, concionem habens ad populum*. Verum non videmus quid cogat, vocabulum hoc operose a נוב deducere cum contra sint, quæ suadeant, ut cum *R. Aben-Ezra Comment. in Exod.* 7. 1. & *R. Elia Germano in animadvers.* ad *lib. radic. Kimchi* aliisque *Buxtorff. Lexic. Hebr. pag.* 435. *Frischmuth. disput. de divis. Script.* in *Leg. Prophet.* & *Hagiograph. c.* 2. §. 5. *Cocej. Lexic. p.* 460. *Schindler. Lexic. Pentaglott. p.* 1056. *Castell. Lex. fol.* 2182. dicatur, radicem ejus esse נבא. Significat autem hæc radix in *Niphal* in genere *vaticinari*, vel ut *Schindler.* vult: *Prophetiam a Deo accipere & mandatum loquendi ad alios*: vel ut mavult *Coccejus actum a Spiritu Dei loqui*. Adeoque נביא in genere eum denotaret qui instinctu Dei loqueretur ad alios futura scil. divinitus revelata cujuscunque generis. Deinde etiam prædictionem terminum simul involvit uti multis exposuit *B. David. Clod. in dissert. de Prophet. edit. Giss.* Nomen Propheta etiam Gentilibus notum fuisse demonstrat *Johann. Wandelin. in dissert. de Propheta edit. Hafn.* 1989. *pag. m.* 10. 11.

[6] *E medio illorum.*) Scil. Judæis uti *Rambam* explicat his verbis: e *medio tui* vult dicere Deus, ut possis verbis illorum tuto fidere, quia illi sunt e medio tui, e fratribus, fideles; conf. dissert. de Propheta Mosi pare, sub præsidio Frischmut. Autore *plur. Rever. Meinhardo. edit. Jen.* 1975.

[7] *Inter exteros.*) *Epimenides* legitur a *Paulo Propheta* vocatus. Quidam per jocum hoc factum asse-

runt

runt, nonnulli propter oracula, alii quod a *Cretensibus* talis habitus fuerit. Mihi inquit *Heinsius Exercit. Sac. fol.* 528. cum non tam de *Cretensibus* simpliciter, quam de *Judæis*, qui in *Creta*, aut Cretensibus judaizantibus hic Apostolus agat, eleganter more Judæorum, non *Poetam*, non *Philosophum*, sed *Prophetam* videtur dixisse. Hunc quem Paulus & Dio Chrysostomus Prophetam vocarunt *Plato* divinum, *Diodor. Sicul.* Theologum, dicunt, siquidem prædicendi scientia excellebat *Diogen Laert. in vit. ipsius*, vid. *Physiolog. sacr. Joann. de Mey cujus Par. V. loc.* 23. hæc habentur: *Richardus Montacutius Anal. exerc.* 4. existimat, etiam gentes suos habuisse vates, licet rariores, qui res futuras, non in suis caussis deprehensas, nec a Judæorum vatibus acceptas, sed simpliciter prævisas & a Deo revelatas enuntiabant. Erant, inquit, illa quidem extra ordinem collata *Prophetiæ* dona, quasi præviæ prædictiones, fore ut gentes aliquando de fonte biberent cœlesti. Ad hanc sententiam propius accedunt, qui *Philosophos* pro *Prophetis* habent; Imo qui Propheticum aliquid proferrent, etiamsi præter mentem suam, modo motu divino ut videre est in *Caipha Joan.* 11. 51. Neque insolens est apud Ethnicos Diis suis Prophetas tribui. *Origen. lib.* 1. *contra Culsum* prophetidis cujusdam meminit, quæ olim apud *Miletum* fuit. Fuerunt etiam *Delphis Apollini* viri quidam prophetæ, uti bene ab *Ouzelio* scriptum ad *Min. Felic. P.* 152. illud quoque scitu non indignum, antiquum *Tarquinii* prisci augurem *Navium* fuisse dictum. Illud nomen autem quis negat esse Hebræum נביא *Nabi*; vid. plur. *Anton. Borremans dial. lit. de Poet. & Prophet. pag.* 74. 75. *seq.*

[8] *Balaam.*) Quidam statuunt ariolum, Magum, ac Prophetam diaboli fuisse, ita ex veteribus *Ambros. l. 6. epist.* 37. *Gregor. Nyssen. l. de vit. Moys. Cyrill. lib. 6. de orat. August. q.* 48. *in Num.* Ex Catholicis *Cornel a lapid. in Num. fol.* 863. Ex Nostratibus *Brent. tom.* 1. *oper. fol.* 977. *D. Affelmann in Syntag. part.* 1. *pag.* 19. *Glass. Exeges. Evangel. tom.* 1. *Fest. Epiphan.* Ex reformatis *Ravanell. biblioth. Sacr. fol.* 281. *part.* 1. Contra, non pauci sunt, qui rationibus non levibus probant *Bileam* fuisse verum Prophetam, avaritiæ tamen & aliis vitiis deditum. Ita ex Veteribus *Tertull. lib. 4. contr. Marc. cap.* 45. *pag.* 304. *Hieron. in quæst. Hebr. ex Num.* 21. *Josephus lib. 4. Antiquit. Judaic. cap. 6. pag.* 96. quibus etiam Hebræorum non pauci adstipulantur. Sic *Menachem Ricinens. fol.* 185. *col.* 2. *Sanhedr. cap. Helec. Tanchum.* 76. 2. Ex Catholicis *Tostat. ad c.* 22. *q.* 3. *fol.* 55. *Estius in hunc locum pag.* 134. *Jacob. Tirin. Comment. in hunc loc. fol.* 165. Ex reformatis *Calvinus* apud *Marloratum ad cap. 2. epist. 2. Petr. p.* 1075. *Drus. in loc. difficil. ad cap.* 24. *Num.* Ex Nostratibus *Lut. super Genes. fol.* 320. & 2. *tom. Jenens. German. fol.* 125. *D. Lucas Osiander in paraphras. super h. l. D. Nicol. Hunnius in Harm. Evangel. D. Gerhard. in Comment. super 2. epist. Petr. c.* 2. *p.* 285. & huic sententiæ calculum addere nostrum sequentes ob rationes non dubitamus (1) quia evidenter hoc constat ex eo, quod Apostolus *Petr. 2. epist. 2. v.* 15. vocet illum absolute *Prophetam* Dei, nec reprehendat in eo Idololatriam, sed avaritiam. (2) ex descriptione *Mosaica*, in qua responsa sua se a vero Deo petiisse & impetrasse memoratur. (3) ex oraculo quod de Messia protulit. *cap.* 24. *v.* 17. & ab omnibus Interpretibus pro divino reputatur. (4) Non parum etiam confirmat hanc sententiam, quod *Hieron. Ambros. Chrysostom. Nyssen. Cornel. a lapid.* Magos istos ex oriente venientes, fuisse posteros *Bileami* statuant. Mentem *Walteri vid. offic. bibl. pag.* 899. *conf. Frantz. de interpretat. Scriptur. S. Orac. XII. pag.* 330. Ex his satis elucet Bileam verum ac genuinum fuisse Prophetam Dei.

[9] *Moysen*) Hanc Prophetiam non tantum Judæi cæteris multis modis præferunt, sed & Christiani eandem merito maximi faciunt, *Maimonid. Mosen* appellat *Magistrum omnium Prophetarum*: Alii Patrem omnium *Prophetarum*; Item Patrem in lege, *patrem in Sapientia*, Patrem in Prophetiis. Sic in *Schem. Rabba*. Unusquisque vaticinatus est ex fonte Prophetiæ Mosis. Apud *Euseb. histor. Eccl. lib.* 1. *pag.* 3. Moses Μέγας προφήτης audit, & in *Bethgaza*, libro Syriace scripto manu Mosis *Meredinæi pag.* 48. πρῶτος προφήτης vocatur: quæ elogia ipsi propterea tribuuntur, quia (1) cæteri Prophetæ vaticinabantur in somnio, vel in visione; sed Moses M. vigilans. vid. Maimon. de fundam. leg. c. 7. §. 6. & *Vorstius* ad hunc locum inter *Mosen* & *Bileam* comparationem faciens, in *Midbar, raba para.* 14. *fol.* 177. Tradit *scil. R. Jehuda*: Et non surrexit propheta amplius in Israele sicut Moses. (2) *Omnes cæteri prophetæ opera Angeli prophetizabant, idcirco quicquid videbant, istud in ænigmate intuebantur. Moses vero non interventu Angeli vaticinatus est, quippe de ore ad os locutus cum Deo dicitur.* Omnes Prophetæ viderunt per speculum obscurum, at *Moses M.* vidit in speculum lucidum Jebham. *fol.* 49. *Anton. Borreman. Dial. lit. de Poet. & Prophet. pag. m.* 78. quibus addesis librum Gallice scriptum, cui titulus: *traitte des ceremonies superstitieuses des Juifs tant anciens que modernes pag. m.* 58. *seq.* (3) Omnes Prophetæ exhorrescebant, atque attoniti erant: Moses M. autem non similiter, conf. *Hotting. philol. clav. pag. m.* 569. *R. Mos. Maimonid. de fundam. leg. pag. m.* 92. Imo apud Gentiles vates extra se rapti videbantur, ideoque vocabantur ἔνθεοι, i. e. numine afflati, ut de *Hesiodo* aliisque *Celsus apud Origin. lib. 4. pag.* 168. *Virgil. Æneid. lib. 6. v.* 77. & *lib.* 3. *vers.* 441. *Horat. lib. 1. od.* 16. *Plin. lib.* 21. *cap.* 31. quippe hac in parte Diabolus prophetas suos divinis exæquabat, ut se Dei simiam præstaret. Hinc inquit *D. Bochart. Geograph. Sacr. par. post. lib.* 2. *c.* 15. Etiam veri Prophetæ divino spiritu pleni ita extra se rapiebantur, ut pro insanis haberentur, vid. *Kimch. 2. Reg.* 9. 11. *conf. Molinæi vates lib.* 1. *cap.* 9. (4) Moses omni tempore divinabat, vid. *Maimonid. all. l.* §. 9. Atque hæc sunt prærogativæ Moysis præ cæteris Prophetis, vid. *Buxtorff. Synag. jud. p. 9. Schickard. bech. happer. p. 2. lib. Nizz. p.* 100. *Hackspan. de usu Rabb. p.* 266.

[10] *In visione vel per somnium*) Prophetiæ omnes duabus speciebus, somnio & visione comprehenduntur, vid. *Lud. Mich. Crocius ad Obad. prophet. pag.* 51. Visio autem prophetica, absolute ראיה visio dicitur, de qua Rabbi Lipmann. in lib. Nizachon *p.* 92. Et ecce *R. Eliezer*, autor libri *Rokeach*, & alii *Kabbalistæ* scripserunt, quod in visionibus Propheticis, Prophetæ in luce splendida gloriæ Dei Benedicti quæ שכינה i. e. Majestas appellatur, videant ideas secundum visionem Propheticam. Deum enim videre, nihil aliud est quam Deum cognoscere *Maim. More Nevoch. p.* 1. *cap.* 4. ait: Verbum ראה de Deo sumtum, non intelligendum de corporali visione, sed apprehensione intellectus, conf. *Hottinger. clav. Phil. pag. m.* 571. *Vorst in not. ad Maimonid. de fundament. leg. pag. m.* 93. *Sic quoque sentit Albo lib.* 3. *Ikkarim & Abarban. in Daniel.* Somnium propheticum הנבאי dicitur, ad differentiam טבעי naturalis, aut קסמי divinatorii, aut צורק justum declarantis, cujusmodi *Maimonid.* fuisse vult *Josephi* somnium vid. *Vorstii all. l. pag. m.* 93. *Hotting. de Prophet. lib. 2. pag. m.* 571. 572.

[11] *Ore ad os.*) פה אל פה Nihil inde aliud concludi potest, quam clara distinctaque secretorum cœlestium patefactio, quæ quidem multo in *Mosis* intellectu, quam reliquorum Prophetarum fuit illustrior. Ille namque οὐ δι' αἰνιγμάτων (quod *Philo* notat *lib. Quis rerum divinarum hæres sit*) nec per hieroglyphicas rerum impressiones & imagines, quæ visa & somnia ut maxime comitantur, sed ἀμέσως objectorum perspicuitate perfectoque mentis habitu divina percepit oracula. Quod desumta a speculo similitudine tradidere Rabbin. Commentatores *R. Jehudah in Vajikra Rabba*: *Per decem specula viderunt Prophetæ, Moses autem vidit tantum per speculum unum.* Quod quale fuerit accipe. Ajunt Magistri nostri omnes Prophetas vidisse speculo maculato, Mosen vero speculo nitido. *R. Sal. Jarchi*, de alio quovis vatum hoc negat, & verba Dei *Num.* 12. 6. במראה אליו אתוד tali modo παραφράζει: שכינה שמי אין נגלית עליו באספקלריא המאירה אלא בחלום וחזיון *Majestas mea non revelabitur ei in speculo illustri, sed tantum in somnio & visione*: additque deinde ad Θεοφανείαν Mosis declarandam: In visione & non ænigmatibus i. e. quæ talis est visio, quam vox articulata comitatur: nam exponam ei eo modo verba mea per claras velut ad oculum visiones, quæ obvenient ei; nec ullis eadem ænigma-

tibus

tibus involvam, ſicut *Ezechieli* dictum eſt, *c.* 17. 2. propone ænigma, conſ. *Angl. doctiſſ. Henric. Ainſworth comment. in Num.* 12. *fol. m.* 75. *qui plurima e Rabbin.* protulit, *diſſert. ſub præſidio Friſchmuth. a D. Meinhard. habit. de Prophet. Moſi pare, edit.* Jenenſ. 1675. *cap.* 2.

[12] *Per ænigmata.*) בחידות, ubi per חידה ænigma, vel ut Anglus reddit: *a darke ſpeech, or hidden riddle* intelligit. Originem trahit a חדד quod acuere acutum eſſe ſignificat, vid. *Buxtorff. Lexic. Rabbin. Talm. fol. m.* 710. quia acumen ingenii poſtulat tam in proponendo quam exponendo, uti exemplum exſtat *Jud.* 14. quale etiam illud *Ezech.* 17. 3. *aquilæ magnæ*. Deus itaque cum Moſe non locutus eſt per ænigmata uti *Aben-Ezra* dicit his verbis. Deum clarius mentem ſuam Moſi propoſuiſſe, quam aliis, cum quibus vix actum fuit niſi per ænigmata, conſ. *Ainſworth, fol.* 76. vid. *Maimonid. conſtit. de fundam. leg. edit. Amſtel.* 1638. *pag. m.* 101.

[13] *Figuras.* (Moſes præ aliis Prophetis hanc prærogativam habuit, ut videret figuram ſeu ſimilitudinem. Nimirum indicat cœleſte Numen *Num.* 12. tale conſpiciendum a Moſe fore, quale conſpici a mortali oculo poſſit; quod niſi vigilanti non contigiſſe putandum. Unde in hæc ultima verba *Aben-Ezra*: Ita ſc. viſum a Moſe Deum, ut is petit *Exod.* 33. 18. fac videam gloriam tuam (*Maimonid.* pro Eſſentia ac veritate Dei accipit in *More Nevoch.* & *Jeſud Hattorah.* §. 10. digniſſimus qui legatur) vel quia videret inſomnis. Bene autem *Raſchi* תמנת יהוה exponit de viſione poſteriorum Dei. Hoc igitur iſtud eſt diſcrimen inter Moſen dum a Deo informaretur, vigilantem, cæteroſque omnes Prophetas in ſomniis, plerumque cum ſenſus eſſent ἀργοὶ divinantes, quod obſervat *Ben-Maim. Jeſude Hattorah* §. 7. quem librum eruditis annotationibus illuſtravit *Guil. Vorſtius, Amſtel.* 1638.

[14] *Alios ſe excitaturum.*) Author noſter ſubſequentibus verbis probare vult, Dei promiſſionem generalem hoc loco eſſe de quibuſvis Prophetis, quod etiam *R. Maimonid.* in הלכות יסודי התורה *cap.* 9. *pag. m.* 125. *edit. Amſtel.* 1638. Suſcitabo Prophetam illi e medio fratrum eorum, ſicut tu. Non ad ferendum legem ipſe veniet, ſed ad præcipiendum verba legis & admonendum populum, ne illa violet. De quovis in genere Propheta, Moſen ſecuturo, videtur Autor hoc promiſſum accipere, quem ſecutus *Sigonius*, quam ſententiam etiam multi Judæorum amplexi ſunt, ita ut per enallagen numeri נביא intelligatur de נביאים vel Prophetis nunc hoc, nunc illo tempore ſuſcitandi. Verum hanc extenſionem non convenire reliquis, ſed ſoli Meſſiæ pluribus demonſtrarunt *Guilielm. Vorſtius in annotat. ad hunc locum*, plur. *Rever. Meinhard. in diſſert. de Prophet. Moſ. par. Jenæ ſub præſidio Friſchmuth*, habita. *Henric. Ainſworth. Comm. in Deut.* 18. *fol. m.* 73. *i will raiſe up a Prophet meaning Chriſt him ſelfe.*

[15] *Ego ultor exiſtam.*) Hebr. ego requiram ſcil. punitionem, nam ſæpe τὸ *requirere* eandem ſignificationem habet *Gen.* 9. 5. & 42. 22. Græcus hoc loco vertit, *vindictam ſumam*; & Apoſtolus *Act.* 3. 23. ita exponit: *Omnis anima, quæ non audierit Prophetam illum exterminetur a populo.* Chaldæus interpretatur hoc modo: Verbum meum (id eſt Chriſtus) requiret ab ipſo; & Hebræorum Doctores, referente *Maimonide in Jeſude Hattorah c.* 9. hæc proferunt: Qui tranſgreditur verba illius (Prophetæ) is morti per manus Dei adjudicatur. Ubi *Guilielm. Vorſtius* addidit: Mors hæc definitore *Maimonid. ad cap.* 9. *Sanhedr.* eſt minor exterminio, qui enim reus eſt exterminii, ei pœna poſt obitum reſervata eſt. Proprie tamen ex uſu Hebræorum denotat mortem repentinam, inſoliti plane atque horrendi exempli, cujuſmodi dici poteſt *Prophetæ* 1. *Reg.* 13. 25. fit tamen quandoque cum exterminio, conſ. cit. *Vorſtii annot. pag. m.* 127. Hoc repletum in populo *Judaico* cum templum & civitas deſtructa *Daniel.* 9. *Luc.* 19. 44.

[16] *Interficietur*) Scil. falſus Propheta, qui non mandata a Deo profert, nec a Deo miſſus eſt. Qualis autem pœna fuerit? Rabbini docent. *Maimonid. in Jeſud. Hattorah* ex verſione *Guilielm. Vorſtii pag.* 124. *edit. Amſtel.* dicit illum *ſtrangulationis nece* afficiendum eſſe. De hoc ſupplicii genere quidem in falſos vates exercendo, nihil in lege ſtatutum legitur, ſed ſimpliciter tantum mortis fit mentio; eam tamen de ſtrangulatione intelligendam eſſe, ex hac Magiſtrorum regula docent: *Omnis mors* abſolute dicta in lege, non eſt alia niſi ſtrangulatio, confer. *Maimonid. tr. de Idololat. cap.* 5. *ſect.* 7. 8. vid. *Henric. Ainſworth. Comment. in Deut.* 18. *fol. m.* 74. *edit. Londin.*

[17] *Vaticinium edere cæperint*) *LXX.* a *Moſe* electis, Spiritum Prophetiæ communicatum aſſerunt Doctores, ſed non Spiritum ſummæ ſeu perfectiſſimæ Prophetiæ ut Moyſi, vid. *Joan. Selden. lib.* 2. *de Syned. cap.* 4. *pag. m.* 117. Imprimis autem de duobus viris *Eldad* & *Medad* id ſtatuunt, quos ſuper S. Spiritus vel Prophetiæ requievit. Quinam vero iſti viri fuerint, ſcriptura non exprimit. Magiſtri quidam Moyſis uterinos fratres fuiſſe dicunt. Alii *Eldad* qui & *Elidad*, filius *Cislon*, dicitur *Num.* 34. 21. & *Medad* qui *Kemuel* filius *Shiphtan*, fuiſſe illos perhibent. vid. *Midbar Rabba Paraſh.* 16. *fol.* 265. *col.* 2.

[18] *Mentio fit Deboræ*) *Onuphrius* de Debora muliere Hebræa ſequentia tradit. (1) quod fuerit *Prophetiſſa*, quæ e mente & voluntate Domini Hebræis futura prædixit. (2) Quod fuerit uxor *Lapidoth* cujus mentio fit c. 4. v. 4 lib. Judic. Notat hic *Vatabl.* quoſdam exiſtimare, quaſi *Lapidoth* ac *Barac* idem fuerit, ſcil. maritus *Deboræ*: qui plenus ſpiritu prophetico ad tempus procul ab ea habitavit. Alii tamen mulierem *Lappidoth*, ita exponunt, quaſi illa concinnaverit ellychnia in templo Domini. *Græci* reddunt γύνη λαφιδώθ. Scribi etiam poteſt ex antiquitate *Lapphidoth*, ſicuti ſcribimus *Sepphora* pro *Sephora*. Pro Uxor *Lappidoth*, recentior editio habet, *Lapidothana* D. Claſenius l. 3. de Orac. Sybill. p. 660. hæc habet. *Lapidoth* eſt nomen viri, quem *Hebræi* putant fuiſſe *Barac*, in quo ſignificatio fulguris latet. Sed obſtat huic opinioni quod *Debora Barac* accerſiverat aliunde. Nam ſi maritus ejus fuiſſet, ſimul habitaſſent, conſ. *Edward. Simſon. Chron. Cathol. part.* 2. *ann. Mund.* 2682. *ante Chriſt.* 1321. *fol.* 22.

[19] *Et vocavit eum Dominus ter.*) Diſquiritur hic an ab ipſo Deo immediate vel per Angelum hoc factum? Ajunt Hebr. doctores, ſub initio afflatus Prophetici adſtitiſſe imaginem Angeli vel hominis; tum vocem auditam aliquando vehementiorem, aliquando demiſſiorem, ut docet *Rambam in More Nevoch. p.* 11. *c.* 44. conſ. *Wandalin. diſſert. de Prophet. edit. Hafnienſ. pag. m.* 32. Conſentiunt doctores alii *Riber. in c.* 2. *epiſt. ad Hebr. n.* 3. *Perer. in cap.* 32. *Geneſ. diſput.* 1. & *in cap.* 3. *Exod. diſp.* 6. *Pined. in c.* 1. *Job v.* 6. *Lorin. in c.* 7. *Act. n.* 30. *Petr. Thyræ. lib. de ſpirituum apparition. c.* 4. & *lib.* 1. *de apparit. viſibil. cap.* 24. & *lib.* 2. *de apparit. vocali, cap.* 15. & *lib.* 3. *de apparit. imagin. cap.* 15. *Delr. de Mag. lib.* 4. *c.* 1. aliique.

[20] *Prophetarum collegium.*) Certa apud Hebræos Prophetarum fuiſſe collegia, in quibus unus aliquis eximius *Propheta*, pollens autoritate, cæteros erudiebat, ex ſcriptura patet. Illi autem qui ſub eminentioris alicujus Prophetæ diſciplina erant, ejus filii dicebantur i. e. *diſcipuli Prophetarum*. R. *Maimon. More Nevoch. l.* 1. *c.* 7. *pag. m.* 11. *edit. Buxtorff.* ait. Qui docet alium eumque juvat, eo reſpectu quo ipſum in aliqua ſententia juvat, eum quaſi genuiſſe videtur, quatenus nempe ille opinionis ſeu ſententiæ communicatæ eſt author. Atque hoc ſenſu appellantur Prophetarum filii qui a Prophetis erudiuntur vid. *R. David Kimchi & Ralbag.* 2. *Reg.* 2. *Iſag. Hotting. ad lect. patr. aph.* 1. conſ. *Molinæi vates lib.* 1. *cap.* 18.

[21] *Uſque ad Malachiam.*) Qui ultimus Prophetarum fuit, quos Deus populo ſuo dedit, non Angelus proprie dictus, non Aggai, non Ezra, ſed homo Propheta, adeoque cum *R. Aben-Ezra* facimus aſſerente: vixiſſe ultimum poſt omnes alios Prophetas, domo ſecunda plene ac plane exſtructa, deficiente jam paululum populo a vero Zelo cultus ſui. Verba *Aben-Ezræ* hæc ſunt: *Eſtque hic ultimus Prophetarum, & idcirco monet: mementote legis Moſis ſervi mei. Nam cum moreretur ipſe, ceſſavit Prophetia in Iſrael.* Quibus conſentit *R. David Kimchi* ſcribens: Chaggai, Zacharias & Malachi ſunt illi, qui Prophetarunt in domo ſecunda, & in Chaggai & Zacharia ſcriptum eſt tempus Prophetiæ eorum, at in Malachi non ſcriptum eſt, & poteſt eſſe, quod fue-

fuerit ultimus inter ipsos, vide *dissert. in caput ultim. Malach. sub præsidio Balthas. Scheidii defens. a Christoph. Mauritio edit. Argentorat.* 1664.

[22] *Ad Johann. Baptistam.*) Johannem fuisse illum Prophetam & Præcursorem contra Judæos nervose & docte probavit *Scheid. in Malach. cap. ult. in dissertat. cit.* quam videre velit L.

[23] *Per oraculum.*) Quid sit oraculum edocet *D. Daniel Clasen. in de oracul. Sybill. lib.* 1. *c.* 2. *pag. m.* 6. 7. 8. Consulturus Deum accedebat ad arcam fœderis, ut *Exod.* 25. *v.* 12. *Num. cap.* 7. *v.* 89. Hic *Paulo Fag. in Targ. Onkel. in h. l.* minime adstipulamur asserenti, vocem cœlitus venientem auditam esse ex propitiatorio. Eo ipso enim loco formatam eam supernaturaliter fuisse censemus. An vero ab Angelo vox profecta sit an Deo quæritur. Prius affirmat *Abulens. quæst.* 22. *&* 23. *in cap.* 7. *Num. & quæst.* 4. qui contendit Cherubim ideo expansis alis fuisse, ut spatium illud super propitiatorio tegeretur, in quo erat corpus aereum formatum & ab Angelo ad tempus assumtum, ut voces inde emitterentur, quandoquidem per rei naturam non posset fieri, ut vox a Deo immediate crearetur. Ne vero Angelus, quem Moses sæpe vidit, a Pontifice animadverteretur, thymiamatis fumo, die expiationis excitato, efficiebatur. *Levit. cap.* 16. *v.* 2. Verum Respond. cum *clar. Dn. Joan. Frischmuth. disput. de arc. fœder.* §. 4. Si prærogativam Mosis præ cæteris Prophetis aspicimus, dicendum videtur Deum ipsum מוחש קול *vocem sensibilem* miraculose formasse. vid. verba *Num. c.* 12. *v.* 6. 7. 8. Add. *Exod. c.* 33. *v.* 11. Et hoc vult *R. Abarbanel* sic loquens: *Prophetia Mosis e medio Cherubim non est facta per angelum, uti reliquorum Prophetarum. R. Salomon* quidem participium illud conjugat. *Hithpael* esse contendit de quibus, prædictus autor. De discrimine *Mosis* & aliorum *Prophetarum* conf. *Villalpand, tom.* 2. *in Ezech. part.* 2. *fol.* 10. 11. *& alios*.

[24] *Deum rogabant.*) Modum rogandi Oraculum nobis exhibet *Maimonid. Hal-Kele-hammikdasch circa fin. cap. ult.* his verbis: Quo modo consulunt? Stat Pontifex facie sua versus arcam & consulens retro illum vultu ad tergum Sacerdotis directo, rogatque: Adscendamne aut non adscendam? Confestim Spiritus sacer induit Pontificem respicientem ad pectorale, in quo cernit per visionem propheticam; Adscende aut non adscende: dum literæ promicant e pectorali adversus faciem suam. Tunc respondet Sacerdos, Abi vel on Abi. vid. Schikard. משפט המלך. *cap.* 1. *Theor.* 2. *pag. m.* 22. *edit. Lips. cum not. Carpzov.* conf. *Frischm. dissert. de arca fœder. pag.* 25.

[25] *Oraculi consulendi Ratio.*) Intelligit Urim & Thummim, addita ratione ob quam institutum. Illud enim inserviebat rite consulentibus, ut certo scire possent, numquid cœptam rem sustinere, vel ab eadem desistere deberent. Proinde credendum *Gerardo a Renesse l.* 2. *ad Cod. LL. Hebr.* qui sequentia tradit: *Urim & Thummim simulacra quædam vel symbola fuerunt, per quæ Deus de rebus futuris debito modo quæsitus summo Sacerdoti suam revelavit voluntatem, & quidem longe alia ratione, quam per insomnia, visiones & Prophetias. Ut ita illud certum ac distinctum fuerit genus oraculi in populo Hebræo, quo illi, qui de re ardua & difficili, sed incertum exitum habente, Deum consulerent, de futuro istius eventu, subsidio illius oraculi, per summum Sacerdotem edocerentur.* Hic quæritur an soli Pontifici licuerit oraculum hoc consulere, an vero, urgente maxima necessitate, etiam aliis hoc permissum fuerit? Posterius affirmant viri Clarissimi *Hugo Grot. lib. de jure Sacr. cap.* 6. *pag.* 126. & *Petr. Cunæus lib.* 1. *de Republ. Hebræor. cap.* 14. *D. Daniel Clasen. cap.* 7. *de oracul. Sybill. pag.* 73. qui, ut potestatem Regum Hebræorum circa sacra eveherent, tam longe progressi sunt, statueruntque Davidem in Regem unctum usurpasse decus Archieraticum; indutoque amiculo, num copias in hostem auspicato foret educturus, ex Numine quæsivisse. Eadem opinio quoque arridet *Simoni Episcopio lib.* 3. *instit. Theol. sect.* 4. *cap.* 17. *fol.* 196. Sed Scripturæ S. hæc opinio refragari videtur. *Cunæus* quidem multus in eo est, ut eam ex 1. *Sam.* 30. *v.* 7. probet, ideoque ad omnes literarum Hebraicarum peritos provocat: sed pace tanti viri asserimus eam opinionem inde non posse elici. Quod enim ibi dicatur Abjatharem attulisse *Ephod* ad *Davidem*, inde non sequitur hoc propterea factum, ut Rex id indueret, quin potius ut pontifex id indueret, Dominumque consuleret. Particula לי parum efficit, quæ est pure expletiva, hominis imperantis, & alibi sæpius adhibita, ceu exemplis docet *R. Bechai fol.* 162. *col.* 3. Verissima etiam sunt, quæ *ad cap.* 20. *Judic. Abarbanel* commentatur: *Præceptum de Urim & Thummim spectabat Pontificem, sicut dictum est Num.* 27. 19. 21. *Et coram Eleasare Sacerdote stabit, qui erat Pontifex.* Modus consulendi a *R. Maimonid. Hilcoth.* כלי המקדש *cap.* 10. *& a R. Bechai loc. cit.* perspicue his verbis traditur: Veniente aliquo ad Pontificem consultum per *Urim & Thummim*, sic res agitur. Stat Pontifex facie ad arcam conversa; Consulens a tergo Sacerdotis, qui non utitur voce nimis elata, nec nimis summissa, & intus immurmurante, sed qualis est hominis secum orantis. Statim igitur ut ore suo rem profert, Spiritu S. indutus Pontifex, oculis in pectorale defixis, videt in eo visione prophetica: *Adscende aut ne adscende*, literis e pectorali protuberantibus. Notandum hic etiam, quod Oraculum hoc non de rebus exiguis & ad privatum negotium spectantibus consuleretur sed de rebus arduis & totius Reipubl. aut populi salutem concernentibus, præcipue si subitaneum desideraretur consilium. *R. Mos. Maimonid.* dicit: *Per Urim & Thummim responsa nulla data privatis super negotiis, neque vero alio sciscitante, quam qui publico cum imperio esset*; conf. *D. Clasen. lib.* 1. *cap.* 7. *de oracul. Sybillin. pag.* 35. *seqq.*

[26] *Sed lapidem*) Recte Autor noster cum plurimis statuit, Arcam undequaque auro obductam a Chaldæis fuisse direptam, at nunquam restitutam vid. *Frischmuth. dissert. de non speranda arca fœderis restitutione Jen. habit.* & *Carpzov. de quæst.* quonam arca fœderis pervenerit? *cap.* 2. verum an loco hujus lapis fuerit erectus dubitatur. *In Mischna Massechet Joma cap.* 5. §. 2. hæc legimus: Ex quo abducta est arca, lapis ibi erat a diebus priorum Prophetarum & lapis fundationis fuit vocatus, altus e terra tribus digitis, & super ipsum locabat thuribulum. Verum quam ridicula hæc sint de lapide fundationis e Rabbinorum Scriptis refutarunt *Robert Sheringham. in not. ad Jom. edit. Franequer.* 1696. *pag. m.* 53. 54. *Carpzov. in quæst. quonam arca fœderis venerit cap.* 2. qui fuse de hac materia disserit.

[27] *Somniorum porro ratio.*) Tria sunt *genera somniorum* (1) *Naturalia*, quæ ex causis naturalibus orta, & sunt vel ἀσήμαντα vel σημαντικά. (2) *Divina* & *hyperphysica*, cum Deus per somnia revelat oracula, quale *Adami* fuit. (3) *Mixta* quando sopor est naturalis, sed eo utitur Deus ad occulta revelanda, qualia Prophetarum. Aut ut Judæi tria faciunt somniorum genera החלום הנבואי i. e. somnium Propheticum: החלום הפשוט i. e. *somnium simplex*: החלום הקסמי somnium divinatorium Prophetarum falsorum. vid. *dissert. cl. M. Valent. Friderici de* בת קול. *edit. Lips.* 1670.

[28] *Qui ariolos sciscitetur.*) *Junius & Teremell.* reddunt utens divinationibus & Anglus *a diviner, a forenseer or presager*. Hebr. קוסמים *Kosemin*. Qui inter præstigiatores Idololatricos generali magis nomine notantur, sunt illi qui hoc loco a Sigonio adducto appellantur קוסמים ubi sacer textus habet קוסם קסמים מעונן ומנחש ומכשף quibus tunc subjungit ubi vulgata versio habet: *Nec divinus, qui divinando futura prædicit, nec Mathematicus, nec Veneficus nec maleficus*. Generali magis interpretatione vocatur קוסם קסמים divinans divinationes. Varias sortitur significationes tam in Sacra Scriptura quam *Lexic. R. David de Pomis*: unde & prætensi LXX. Interpretes hic non male vertunt μαντευόμενος μαντείαν, conf. *Henry Ainsworth. comment. in Deut. cap.* 18. 71. *edit. Londin.* Nam & λεκανομαντείαν, & ῥαβδομαντείαν, & κατοπτρομαντείαν, & γενεθλιακλῶ, & κληδονισμὸν, Sortilegia & plura alia divinationum genera comprehendit, unde ita late sumitur 2. *Reg.* 17. *Ezech.* 13. 6. 9. *&* 23. 21. 26. *&* 34. 22. 28. *Jerem. cap.* 14. 14. *Mich.* 3. 11. aliisque pluribus in locis. Hoc autem citato loco non pro quacunque Divinationis specie sumi, ostendunt satis sequentia verba, per quæ aliæ ac quidem singulares divinationis

tionis species denotantur: unde & Vulgata hic reddit. Qui *Hariolos sciscitetur*: atque ad hæc verba *Munster.* hæc sequentia optime annotat: per קוסם quidam intelligunt בורק Experimentatorem, qui Sortilegio, aut stipulatione investigat, num bonum sit iter arripere aut opus aliquod inchoare. Alii putant esse generale vocabulum ad omnium divinationum species. Certum tamen est hoc loco pro singulari divinationis specie sumi. Quales autem fuerint istæ *divinationes*, quæ quandoque per קסם vel potius, quot species divinationum sub קסם comprehendantur, non quidem accuratissime definiri potest. Verum si Arabes consulamus, testante id saltem *Edmundo Castello in Lexic. suo heptaglotto fol. m.* 3391. ubi pro distributione sortium sumitur, uti, in genere, alias pro divisione ac distributione ac si consulamus *R. Mos. Maimonid.* videbimus ipsum, *cap.* 11. *sect.* 6. *Havoda Sara* ita loqui: *Cujusmodi est* קוסם *divinator? qui hoc vel illud agit cogitationibus, nulli intentus rei, donec futura prædixerit, statuendo hoc vel illud futurum, aut isthoc vel aliud facere oportere.* A cujusmodi cavendum nobis. Et *Sect.* 7. *Sunt inter* קוסמים *divinatores qui utantur arena vel lapidibus sunt item, qui humi procumbentes*, alii etiam qui speculum ferreum vel vitreum vas inspiciunt, ac, ubi secum cogitarunt proloquantur. Sunt itidem qui arrepto in manum baculo eidem innitantur, moxque terram percutiant, donec cogitata proferant. *R. Salom. Jarchi ad Deut.* 18. ita scribit: Quisnam dicitur: קוסם? qui apprehendit baculum suum atque dicit: ibo, annon? i. e. interprete *Chaskuni*, qui metiens baculum digito aut manu alternis vicibus dicit: ibo, non ibo, atque ita experitur in extremo baculi, utrum ire debeat, an non. conf. *Anton. van Dale dissert. de orig. & progress. Idol. edit. Amstel.* 1696. *pag. m.* 448. 449. *seqq. Ursin. in Hos.*

[29] *Auguria*) In Hebræo legitur citato loco מעונן. Anglus reddidit *an observer of time or Soothsaier, an observer of the clouds and of the planets a Planetary*, *or an observer of the flying of fowles*; *an Augur*, vid. *Ainsworth comment. in Deut.* 18. *fol. m.* 71. Ut autem verbum hoc diversimode vertitur sic quoque voces עוננים & מעוננים quæ an originem & appellationem habeant a radice ענא *tempus*, an ab ענא *respondere*, an vero ab ענן *nubes*, an denique ab עין *oculus* inter se discrepant Hebræi, ac pro diversa radicis ratione ipsis attributæ, diversas illis significationes attribuunt. Qui originem eorum repetunt ab ענא respondere, pro *Hariolis* divinis habere simpliciter debent, vel ejusmodi nominibus, qui, ut *Augures* atque *Haruspices* olim super dubiis Prodigiis interrogati respondebant. Qui ab עונה *tempus* voces eas derivant *observatores cœli* interpretantur. Quam tamen significationem alii ab ענן *nubes* ipsis petitam attribuunt. Unde & Chaldæorum verbum ענן *augurari ex nubibus* ortum habet. Qui vero hic originem ab עין oculus derivant ejusmodi homines pro præstigiatoribus habent, qui agilitate manuum aliorumque membrorum oculos spectatorum ludunt & obstupefaciunt. Ita per מעונן intelligunt hominem qui ex עננים i. e. ex nubibus aut astris responsa dat, quique (ut ait *Munster. in Deut.* 18. *v.* 10.) dicit, hunc illumve diem cavendum in his vel illis electionibus, quæ tamen astrorum influentiis non subjiciuntur: puta si uxorem duxeris, aut domus fundamenta jeceris sub illa constellatione, inauspicatissimam feceris rem. Hinc quoque *R. Moses Maimonid. Havoda Sara cap.* 9. ita loquitur: Cujusmodi est עינים? sunt ii, qui distinguunt tempora & ex Astris prædicunt hunc illumve diem faustum vel infaustum, vel annum hunc aut mensem certo negotio vel convenire, vel infaustum fore. Maimonidem autem non huic soli originationi insistere ostendunt verba *Sectionis* 10. ubi hæc sunt: *Tempus certis rebus assignare, etsi (secundum hoc) non opereris, nefas est: sed vanitas ejus detegenda, quando quid pro re vera ac Sapientum sententia, habent stolidi. Quicunque autem juxta tempus ab Astrologis statutum operatur iterve suscipit, vapulat.* Quia dicitur: ne tempora observetis. Itidem qui *oculos perstringit, ita ut aspicientibus videatur miranda agere, cum nihil agat*, sub nomine מעונן comprehenditur. Posteriora verba enim indicant, *Maimonidem* non adversatum quoque derivationem vocis עין, adeoque pro præstigiatore accipere. Interim verba *Johan. Henric. Hottinger.* licet hic adducere, quæ ad præcepta negativa habet & sunt sequentia: *Repetitur hoc præceptum Deut. c.* 18. 10. *Referunt huc Magistri* אוחז עינים *retinentem oculos, qui velocitate manuum ita fascinat spectatorem, ut existimet, magna solertia eum efficere miracula*, i. e. res naturæ cursum superantes &c. Horum vero operum malorum quodlibet prohibitum est, & qui facit hoc, retentor oculorum dicitur. Rationem addit *Hottinger.* prohibitionis, quod facile homines cum veris confundant miraculis, adeoque ad ipsum Atheismum viam sternant. Addit Sacer Codex ומנחש Angl. reddidit *an observer of fortunes*, quem bene descripsit Anglus *Henry Ainsworth Comment. in Deut.* 18. *fol. m.* 71. *edit. Londin.* his verbis: *one that curiously searcheth, observeth and telleth signes of good or evill luck, which are learned by experience.* Hebræi מנחש exponunt quærere & reperire per experientiam, quamobrem ille qui sciscitatur rem seu מנחש *that too curiously observeth and abuseth things that doe fall out.* His consentiunt Judæi qui מנחש *in Siphri* explicant: מנחש Augur est, qui dicit: excidit bolus meus ex ore meo, baculus manui meæ; prætergressus est dextram meam Serpens & sinistram vulpes; propterea abstinet ab omni operis executione. Et in Siphra: Ne auguremini sic explicant: More illorum qui faciunt conjecturam ex mustela, ex avibus, ex stellis & similibus; hæc ibi: Ejusdem farinæ est cum fex fatui vulgi inquit: Quod cum a via qua profectus eram reverterer, aut caprea in fine ejus occurrisset, aut corvus crocitans transvolasset caput ejus: aut quia initio hujus diei vidi hoc vel illud, non recreabo me; aut quod aliquid adversi ei contingeret. Hæc & id genus alia, hoc negativo comprehenduntur. Eundem plane in modum loquitur *R. Maimonid. cap.* 11. *sect.* 4. *de Idol.* Sic quoque *Sect.* 5. confer. *Ainsworth. fol.* 71. *in Deut.* 18.

[30] *Maleficus*.) In Hebræo extat מכשף veneficus. Hujus vocis radix est כשף quod verbum a Lexicographis *Munstero*, *Schindlero*, *Buxtorffio*, *Castello* aliisque redditur *præstigiari* & *fascinare*; hincque מכשף *Præstigiator* & *Fascinator* adeoque qui præstringit vel tenet oculos, atque ita confunditur cum קוסם seu cujuscunque demum generis divinatoribus Magicæve artis peritis, sic ut quidem specie differant, at in uno tertio conveniant. Notatu digna sunt illa, quæ in *Deut.* 18. habent tam Jonathan *Ben-Uziel* quam *Targum Hierosolymitan.* quorum primus sequenti paraphrasi utitur. Non invenietur inter vos transire faciens filios suos per ignem, non divinantes divinationes, nec præstigiatores, nec observantes Divinationes & Auguria, qui incantent vel ligent serpentes aut scorpiones, aut omnes species reptilium aut interrogantes Ob per ossa &c. Munsterus per מכשף intelligit eum, qui Magica arte sub oculis rem aliquam mutat, sicut Magi Pharaonis virgas in serpentes. De qua re pluribus videndus cl. *Anton. van. Dale de Idol. & Superstit. edit. Amstel.* 1696. *pag. m.* 565. *seqq. Ainsworth. comment. in Deut.* 18. *fol. m.* 71. 72. *edit. Londin.*

[31] *Incantator.*] Hebr. Codex habet חובר, quam vocem Anglus reddit *charmeth a charme or inchanteth an inchantment*. Necromanticis proxime conjungitur, ubi nominatur חובר חבר *incantans incantationem* ubi & *Onkelos* vertit רטן רטין a רטן quod Syriace *Murmurare* ac mussitare significat, uti apud Rabbinos verbum לחש *mussitare*, *susurrare* clam ac silenter aliquid dicere vel incantare mussitando denotat; unde הלוחש על המכה qui vulneribus incantant. Græci Ἐπαείδοντες ἐπαοιδὴν. Unde & *Sanhedrin cap.* 11. §. 1. Qui adsusurrat plagæ hæc verba *Exod.* 15. 16 *Omnem morbum quem imposui Ægyptiis, non imponam tibi. Nam ego Dominus medens tibi.* De cujusmodi hominibus dicitur, eos non habituros sortem in futuro seculo. Nonnulli autem inter Hebræos per חובר חבר ajunt intelligendum esse testante *Munstero Conjuratorem Dæmonum*: alii vero dicunt per חובר intelligendum eum, qui *Serpentes & Scorpiones* in unum congregare potest per suas adjurationes. Hinc in *Talmude Sanhed.* 65. duplex est incantatio, magna qua magna animalia, parva qua reptilia, Serpentes, Scorpii incantando so-

sociantur. Quousque autem se extendant hæc audiamus *Maimonid. in Havoda Zara cap.* 11. §. 11. ita loquitur: Qualis est חובר Incantator? qui verbis utitur nulli genti usitatis & nihil significantibus, stultitiaque hac aliis it persuasum, verba ista prodesse. Ita dicunt, si quis hæc vel ista præfatus sit coram serpente aut scorpione, nihil damni dabit; vel si protulerit in virum, nocere is non poterit. Sunt in his etiam, qui clavem arripiunt, aut nummum, aut hujus generis aliud. Omnia hæc nefaria habentur. Pergit idem *Sect.* 12. hoc modo: Incantator aliquid manu prehendens aut verbis receptis opus peragens, vel etiam digito quid demonstrans, plectendus est, quia *Deut.* 18. 10. dicitur ne inveniatur inter vos incantans incantationem. Videamus & alias species ex eodem Autore *Sect.* 14. Qui vulneribus incantarit, e lege versum legendo; quive super puero legerit ne conturbetur, aut qui librum Legis vel Phylacteria puerulo imposuerit ut somnum capiat: hi ut generali Conjectorum ac Incantantium appellatione continentur; ita etiam comprehenduntur amplo eorum vocabulo, qui legem negant. Confer. huc *Anton. van. Dale de Idol. & Superstit. pag.* 492. *seqq. Ainsworth. fol.* 72. *ad cit. loc.*

32 *Qui Pythones &c.*) Expendamus verba a Mose conjunctim prolata h. l. quando inquit: *Et interrogans Ob & Jideoni & quærens a mortuis. Onkelos* & rogans per mendaces & per Sachourou & quærens a mortuis. *Jonathan.* Et interrogantes Ob impurum & quærentes a mortuis. Quale autem istud *Opus Pythonis* docent nos veteres Judæi: inter quos *Maimonid. Havoda Sara cap.* 6. §. 2. illud hoc sequenti modo describit: Cujusmodi est opus Pythonis? Est qui consistat & offerat certum suffitus genus; is manu sua virgam vibrat Myrteam; ac concepta quædam Incantationis verba profert: mox consulit alium quasi loquentem secum & interrogatis respondentem quasi e terra, submissa admodum voce, quam auribus percipere non valeat, sed cogitatione tantum consequatur. Similiter est, qui cranio mortui arrepto illud suffitu imbuat & incantet, donec præeuntem audiat vocem quæ exeat quasi ex axillis, & respondeatur ei. Hujusmodi omnia sunt Pythonica. Quinque significationes in Scriptura habet אוב vid. *Beyer. annot. ad Selden. de diis Syris, pag. m.* 208. 209. 210. *edit. Lips.* ubi fuse de hac materia egit. conf. *Ainsworth. Comment. in Deut.* 17. *Anton. van Dale de Idol. & Superst. pag.* 615. *seqq.*

33 *Nec divinos.*) Hebr. ידעונים *Jidionei.* Hic audiamus *Maimonid. cit. loc.* §. 3. *de jideon.* qui ita loquitur: Quod est opus Harioli (Jideonei)? Os avis cujus nomen est Jaduah inserit ori suo & suffitum aliaque facit, donec fiat mente commotus, & loquatur quæ videntur eventura. Universa sunt Idololatrici generis: atque eorum interdictum habemus. Notandum tamen est istud prætensum animal *Jadua* pro ave habitum nonnullis fuisse, nonnullis vero longe diversi generis, uti ex hisce Rabbinorum dictis liquet: Jideoni, sive *Ariolus* dicitur homo, qui ponit Os animantis cui nomen est Jadua in os suum, quod postea, a semetipso loquitur. Ajunt autem quod quasi magnus funis egrediatur ex radice terræ, quæ crescit eo in loco, ubi istud animal provenit, præ se ferens quantitatem seu formam cucumerum: habetque istud animal *Jadua* appellatum hominis figuram ex omni parte, quod faciem, corpus, manus, pedes reliquaque membra attinet. Atque umbilico suo alligatum est ad funem prodeuntem ex radice. Neque quisquam est, qui audet propius ad ipsum accedere, quam funis ille extendatur; quia rapit & interficit omnia. Totum quoque istud spatium quod extensio funis illius amplectitur circumquaque depascit. Et cum veniunt, qui volunt illud venari, jaculis eminus petunt funem ejus, donec solvatur is, quo facto moritur. Verum cum multum discrepent *Rabbini* certum quid statuere non licet.

34 *A mortuis.*) Quid de consultatione hac Idololatrica Gentibus etiam usitata loquantur *Maimonid. Havod. Sara cap.* 11. *sect.* 15. literis tradit: Quis est qui mortuos consulit? qui ubi fame se afflixit, in cæmiterium abit, atque ibi decumbit, donec in somno ei mortuus appareat & indicet quod quærebat. Tales quoque sunt, qui certo vestis genere induti, verba conficta proferunt, & ex more suffitum faciunt, hincque soli dormiunt, quo mortuus quem expetunt accedat, ac in somniis sermonem secum habent. Sic *Aben-Ezra* ait: eos ire ad cæmiteria atque accipere inde os Mortui, & ex imaginatione ejus & insania apparere illis similitudinem formarum etiam cum jam experrecti sunt.

35 *Ratio monendorum.*] Autor noster Somnium Salomonis ad classem hanc refert, ubi ipsum Numen primum phantasiæ motum incipit, & secreto modo res insusurrat, nobis ignotas, sibi vero notas. Verum qui somnium ad hanc classem referunt, ut divinæ originis non bene conscium, eo quod expergefactus dixerit ille: *Ecce somnium erat*; absunt a vero: Nam & materia somnii notissima *Salomoni* & ipsa origo: quippe qui Deo promissionis in somnio Autori eucharistica solvit eodem versu.

36 *Quæ Joseph & Daniel.*) Dicunt quidam somnium *Josephi* fuisse, cum mens Prophetæ somniantis in rerum occultarum inspiratione mere est passiva. Quale somninm a *Philone* putatur fuisse *Josephi*, quippe istic subministrata Χρησμοῖς σαφέσιν ἐοικότα Dei oraculis certis similia, non ut *Gelenius* vertit convenientia. Et Josepho quidam occultam fuisse somnii sui significationem concludit ex verbο ᾤμην videre mihi visus sum, quod pro חנה Hebr. textus substituunt LXX. Danielis somnium scribit Maimonides simpliciter naturale & justum declarans, quod tamen refutat *Abarbanel in Daniel.* vid. *annotat. Guiliel. Vorstii. ad Maim. pag. m.* 95.

37 *Ipse est locutus*) Revelatio extraordinaria *vocalis*, qua Dei vox percipiebatur. Vox Dei inquam, non qua secum ipse loquitur, sed qua extrinsecus aures hominum ferit. Hanc *R. Bechai* citante *Joh. Henric. Hanero in dissert. de* בת קול *edit. Jen.* 1673. Bath Kol vocat quæ inter gradus Prophet. quatuor primus sit, hoc modo sæpius se revelavit *Abrahamo*, *Mosi*, idque variis mediis & modis, per nubem *Exod.* 16. 11. Locutus autem est Dominus ad Mosen. *Cap.* 19. 9. *Exod.* conf. *Maim. in Mischn. in Jesud. hatorah. cap.* 8. *sect.* 1. *Num.* 16. 43. 44. Dixit Dominus ad Mosen. *Deut.* 31. 15. 16. Interdum per rubum ardentem *Exod.* 3. 4. & alii qui sunt modi quos recensuit *cl. M. Valentin. Friderici in disput. Philol. Lips.* 1670. *hab. de* בת קול.

38 *Aut per visionem & somnium allocutus.*) Ipse Deus *Num.* 12. 6. dicit: *Si quisquam fuerit inter nos Propheta, per visionem apparebo ei, in somnio alloquar eum.* Rabbini enim dicunt, omnes Prophetas in somniis plerumque divinantes fuisse, quod observat *Maimod. Jesude Hattorah.* §. 8. quem librum eruditis notis illustravit *Guil. Vorstius.* Audiamus verba: Quænam est differentia inter Prophetiam Mosis & reliquorum omnium Vatum? ℞. Omnes Prophetæ per somnia visionem prophetabant, sed Moses dum staret & vigilaret. vid. *cap. Gen.* 15. Nonnihil autem discriminis inter *Visionem* & *Somnium*, magis quoad circumstantias, quam ad ipsam essentiam annotavit *Maimonid. Mor. Nevoch. part.* 2. *cap.* 45. In somnio auditam frequentissime vocem *in visione non item*. At utrobique nos vel per objecta sensibus symbola, vel narrativa voce repræsentari divina deprehendimus, quemadmodum & vix ullum visionis expers somnium. Nam licet visio vigilanti nonnunquam offeratur Prophetæ, eadem tamen externos ei sensus ita confestim defatigat agitatque ut soporem inducat. Eoque sæpe accidit ut in vera somnia visiones declinant, quod *Maimonid.* haud nescivit, qui in *Jesude. Hattorah. cap.* 7. §. 3. inquit: Nunquam Propheticam exhiberi visionem nisi in somnio, per visa nocturna, aut interdiu quidem, sed postquam gravis in eos sopor irruit, probat autem hoc exemplo adducto *Abrahami*, cujus Θεοφαντίαν somno terminatam legimus.

39 *Aut Angelus.*) De Angelo humana forma visionis comite præter Scripturam habent quoque Autores Hebræorum, imprimis *Maimonid. in Jesud. Hattorah. Prophetia est influxus promanans a Deo in Prophetam, interventu Angelorum ultimi gradus qui sunt Jschim.* vid. annot. *cl. Gulielm. Vorstii pag. m.* 90. *edit. Amstel.* ubi somnium Rabbinicum de אישים Angelis ut quod & nihil ad rem, facessere jubeo. Hic quidem tales inter se dimicant *R. Mos. Maimonides & R. Nachmanides*: *Hic* ex catalogo Prophetarum omnes excludit, quibus Angeli apparuerunt: *ille* contra nullam Prophetiam, excepta Mosis,

ſis; niſi Angelorum miniſterio oblatam contendit. *Lib. More Nevoch* diſtinguit inter Angelorum reales & imaginarias ὀπτασίας. Reales Angelorum viſiones, quæ pio homini digneque præparato & inſomni obveniunt ad eum gradum pertinere, qui viſionibus imaginariis Prophetarum inferior ſit, blaterant Nugivenduli, uti videre eſt apud *R. Jehudah Levit. in libr. Coſri*. Nec aliter ſe explicat ipſe *Moſes Gerundenſis* in ביאור על התורה *Gen.* 18. *Danielem* idcirco numero Prophetarum eximens, quod cum Angelo Gabriele vigil videnſque egerit. Ubi tamen expreſſam de viſione *Danielis* ſomno conjuncta aut certe terminata, relationem *Dan.* 10. 9. audacter eludit, vid. *Jachiad. Paraphraſ. in Daniel.* 7. At præter *Moſen Egyptium R. Bechai in Paraſcha Teruma ſive in Exod.* 25. non aliter, quam de fidei quodam articulo, certum eſſe aſſerit, nunquam abſque Angelorum miniſterio traditam expoſitamque Prophetiam, adeo ut, qui id neget, ipſam deſtruat Prophetiam. Nunc vero caſtigandus eſt *R. David Kimchi in* 1. *Sam.* 3. 8. ubi hæc commentus eſt הבין עלי כי קול מלאך יי׳ היה וגו׳ *intellexit Eli vocem eam fuiſſe Angeli Dei* ſcilicet quæ ter Samuelem compellaverat. Majorem in Kimchio cautionem deſideramus: quis enim Angelum *Samueli* locutum crederet, vel de Angelo ſuſpicatum Eli, qui *Samuelem* ita inſtruit? Quin totus textus reclamat non Angelum Samueli auditum, ſed ipſum Deum, cujus proprium nomen יהוה nulli creaturæ abſolute competere certi ſumus ſed ſoli Deo. Conſentiunt *Rabbini* apud *Manaſſ. Ben Iſrael Concil. ad Exod.* 2. *q.* 3. Conf. *Gerhard. Exeg. pag.* 623. *Dorſch. diſſert. de nom. Dei Jehovah. th.* 15. *Danhaver. Chriſtoſ. ſect.* 1. *art.* 1. Multo ſanius *Aben-Ezra* ipſo citante *Kimchio*: *fuit. vox Prophetica Dei ſonum edentis*. Scimus non ſemper utut plerumque ad Propheticam viſionem Angeli imaginem vel præſentiam concurriſſe & ipſe id *Kimchius præfat. in Tillim* tradit. Ipſum autem Deum ſeu potius filium Dei hominis forma κατ' οἰκονομίαν indutum cum Patribus locutum eſſe nullus dubito & probat e Scripturis *Juſtin. Martyr. in ſuo cum Tryphone Dialogo.* item *Hilar. lib.* 4. *Trin. Nazianzen. or.* 2. *de Theol. Euſeb. lib.* 5. *Demonſtr. Evangel. Theodor. qu.* 68. *in Gen.* & alii, ut de recentioribus nihil dicam. Unde & Angelus pluribus locis nuncupatus. Veruntamen frequens Angelorum miniſterium in Prophetiis fuiſſe, Hebræis facile concedimus. *Eſaiæ* unus ex *Seraphim* labia purgavit, *cap.* 6. *Zacharias* & *Ezechiel*, ſæpe inter Angelos ſe eſſe cernunt, loquuntur, populo um fata diſcunt. *Danielem* inſtruxit *Gabriel*. Valeat ergo Maimonides cum ſuis *Iſchim* inferioribus ut nugatur, Angelis, conf. Haner diſſert. de בת קול Jen. habit.

4° *Dominus veniſſe.*) De his ſomniis *Maimonid. in More Nevoch. P.* 2. *c.* 41. ſic ait: Quando dicitur Deus veniſſe ad hunc vel illum in ſomnio noctis, tum Prophetia minime nuncupanda, neque vir talis Propheta. Alius enim non eſt ſenſus, quam admonitionem homini tali datam, & quidem in ſomnio. Hujuſmodi generis fuiſſe aſſerit, quæ ſomnia narrantur *Pharaonis*, *Nebucadnezaris*, *Abimelechi* & *Labanis*: deque ultimis duobus cautionem addit *Onkelos* qui utrobique *Gen.* 20. 3. & 31. 24. vertit: Et *venit verbum a Domino*, non vero, ut alias; cum ſomnia ſunt Prophetica, & revelavit ſe Dominus. Rationem cur Prophetica eſſe negent Rabbini, vide apud cl. *Wandal. de Prophet. pag. m.* 23. *edit. Hafn.* conf. huc *clar. Frideric. diſſert. de* בת קול *Lipſ. habit.* §. 2. *q.*

CAPUT DECIMUM.

De Scribis.

UT porro prophetæ voluntatem Dei prænunciarunt ſic [1] Scribæ [2] legem ejus interpretati ſunt. Hujus autem rei primordia [3] ab ipſo quoque Moyſe ſunt introducta. Is enim alia voce populo tradidit, alia in ſcriptum contulit. Prima traditiones, ſecunda lex dicta. Quæ vero voce Moyſes docuit, ea primum cum Joſue communicavit, Joſue inde cum Senioribus, Seniores cum Prophetis, Prophetæ cum Scribis. Has traditiones poſterior Hebræorum ſchola [4] Cabalam hiſtoricam appellavit. De traditionibus Moyſis exſtat teſtimonium S. Lucæ ſexto Actuum: *Audivimus hæc dicentem, quoniam Jeſus Nazarenus hic mutabit traditiones, quas tradidit nobis Moyſes.* [5] Somniorum horum quoque mentio uſurpatur ſecundo Judicum: *Servierunt Iſraelitæ Domino cunctis diebus Joſuæ, & Seniorum, qui poſt eum vixerunt omnia opera Domini, quæ fecerat in Iſrael.* De traditionibus autem eorum loquitur S. Matthæus, & S. Marcus: *Quare diſcipuli tui tranſgrediuntur traditionem Seniorum? non enim lavant manus ſuas, cum panem manducant. Jeſus autem reſpondens ait illis: Quare vos tranſgredimini mandatum Dei propter traditionem veſtram?* Item: *Phariſæi, & omnes Judæi, niſi crebro laverint manus, non manducant, tenentes traditionem Seniorum.*

Ut etiam Moyſes primus legem dedit, ſic etiam primus expoſuit. Indicat id quod ſcriptum eſt in Evangelio de cathedra Moyſis, atque inde ſequuti reliqui principes [6] in eadem obſervatione ſteterunt. Unde Levitici x. ſcriptum eſt: *Dixit Dominus ad Aaron: Vinum, & omne quod inebriare poteſt, non bibetis tu & filii tui, quando intrabitis in Tabernaculum Teſtimonii, ne moriamini, & ut habeatis ſcientiam diſcernendi inter ſanctum & profanum, inter pollutum & mundum; doceatiſque filios Iſrael omnia legitima mea, quæ locutus eſt Dominus ad eos per manum Moyſi.* Quare Joſephus quoque ſcriptum reliquit ſecundo adverſus Appionem: *Legislator* [7] *non ſemel legem ſuos audire voluit, ſed in unaquaque ſeptimana alia opera relinquentes ad legem audiendam congregari, eamque perfecte diſcere.* Quod idem ſcripſit quoque [8] Philo lib. III. de vita Moyſi: *Moris* (inquit) *fuit, Sabbatis operam dare philoſophiæ, principe antecedente,*

dente, ac docente quæ opus facto ac dicto essent, reliquis audientibus, ex quo nunc etiam philosophantur Sabbatis patrio more: nam oratoria in civitatibus scholæ sunt omnium virtutum, quibus divina humanaque intelliguntur & corriguntur. Ex mandato etiam legis, septimo quoque anno Levitæ verba legis populo tradere tenebantur.

His ita constitutis successit David, qui ut cæteras reip. partes, sic hanc quoque formavit. Etenim cum Levitarum numerum iniisset, ex his sexies mille scribas ac judices fecit, cumque mox sacra Levitarum officia familiis distribueret, quasdam etiam super Israel constituit, *ad docendum, & judicandum*, ut XXIII. & XXVI. primi Paralip. continetur. Qui vero hi scribæ ac judices fuerint, qui & docuerint, nemo adhuc, quod sciam, ostendit. Græcus autem interpres priore loco eos γραμματεῖς, & κριτὰς, posteriore τοῦ γραμματεύειν & διακρίνειν scripsit quibus verbis duo officia exprimuntur eorum qui legem interpretabantur; unum, ut verba legis legerent; alterum, ut, si opus expositione esset, exponerent. Itaque γραμματεῖς aptius verterentur Lectores, quam vocem Ecclesia quoque Christiana servavit, quam Scribæ. Quod probatur ex III. Esdræ, ubi Esdra dicitur ἀναγνώστης τῆς νόμου, i. e. lector legis, cum alibi dicatur γραμματεὺς, id est scriba, & ex decimo S. Lucæ, ubi loquens Christus ad legis peritum, sive scribam quendam, qui dixerat. *Doce, quid faciens vitam æternam possidebo, respondit, quid est scriptum in lege? quomodo legis?* id est quomodo profiteris munus interpretis, si hoc nescis quod sciscitaris? Quin etiam idem cap. V. VI. X. & XI. ejusmodi homines vocavit ? γραμματεῖς νομικοὺς, & νομοδιδασκάλους, id est scribas legis peritos, & legis doctores. Quod vero iidem dicantur κριταὶ id est judices, & διακρίνειν, id est dijudicare, sive distinguere, id omnino ad interpretationis rationem refertur, quæ dijudicationem & distinctionem desideravit, præsertim vero in lingua Hebræa, in qua constat, voces paucissimas esse, atque ex notarum & dispunctionum varietate varias significationes recipere. Probat hoc Philo in eo libro, qui inscribitur, omnes probos esse liberos, sic enim de Essæis Judæis loquitur. *Constitutam maxime septimam habent diem, in qua ab aliis quiescunt operibus, in qua ad sacra loca adeuntes, quæ synagogæ vocantur, ordine ætatis juvenes senioribus subsident, decoro cum ornatu audientes, deinde unus Biblia sumens legit, alter vero ex peritissimis minime ignota exponit; nam pleraque per symbola antiqua imitatione apud eos traduntur.* Probat item ejusdem cum Essæis ætatis S. Paulus, qui ei consuetudini congruenter ad Corinthios scripsit: *Prophetæ duo, aut tres in Ecclesia dicant, cæteri dijudicent.* Græce διακρινέτωσαν id est duo legant, reliqui explicent. Inde post Davidem Josaphat rex, cum morem hunc exolevisse, ac legem plerisque incognitam esse videret, *Sacerdotes ac Levitas per omnes civitates Judæ dimisit, qui eam docerent.* Secundo Paralip. XVII. *Tertio anno regni sui misit de principibus suis, ut docerent in civitatibus Juda, & cum eis Levitas, & cum eis sacerdotes, docebantque populum in Juda, habentes librum legis Domini, & circuibant cunctas urbes Juda, atque erudiebant populum.* Idem post etiam fecit Josias rex, invento in templo, quod evanuisse putabant, Deuteronomio; quarto Regum XXIII. *Adscendit rex templum Domini, & omnes viri Juda, & universi qui habitabant in Hierusalem, cum eo sacerdotes, & prophetæ, & omnis populus, legitque omnibus audientibus omnia verba libri fœderis, qui inventus est in domo Domini.* Successit inde post aliquot annos calamitas Babylonica. Qua post annos LXX. perfuncti in patriam sunt restituti. [10] Ab illo tempore aperte lex permissa videtur principibus sacerdotum & scribis; quod ex iis quæ dicentur, intelligetur, in illa certe rerum confusione lex aut amissa, aut neglecta, aut corrupta, potissimum aut cognitionis aut correctionis indiguit. Itaque Esdra, qui & sacerdos, & scriba, & princeps sacerdotum ac scribarum dicitur, in patriam jam restituto templo reversus legis codices superiore exilio ac clade amissos investigavit, ac depravatos emendavit, atque, ut nunc sunt, ex Hebræorum traditione distinxit: idemque populo inscio legem tradidit. Sic enim scriptum est apud eum: *Esdra paravit cor suum, ut investigaret legem Domini, & faceret, & doceret præceptum & judicium.* Item: *Congregati sunt principes familiarum universi populi, sacerdotes, & Levitæ apud Esdram Scribam, ut interpretaretur eis verba legis;* & nono tertii: *Stetit Esdras sacerdos & lector legis super ligneum tribunal quod fabricatum erat, & assumsit librum coram omni multitudine.* Ab Esdra vero [11] alii instituti putantur, qui legem explanarent, difficultates tollerent, librosque custodirent, ne rursus corrumperentur, siquidem eodem in loco sic pergitur: *Dixit Esdræ principi sacerdotum & lectori, & Levitis qui docent multitudinem.* Ecce, ut Esdra, qui sacerdos & scriba dictus est, jam princeps sacerdotum & lector legis dicatur, nam pro *Levitis qui docent multitudinem*, nimirum ipsos principes sacerdotum, & scribas intellexit. Hi vero ab Esdra advocati communi cum eo consilio quædam loca sacrorum librorum male affecta sanarunt, & canonem

scri-

scripserunt eorum librorum qui maxime probarentur, ut Talmudistæ asserunt. Ergo ab illo tempore Principes sacerdotum & Scribæ legis exponendæ munus præcipue obierunt, legisque doctores, ut dicti, sic etiam habiti sunt, unde illud est Matthæi XIII. *Omnis scriba doctus in regno cœlorum similis est homini patrifamilias, qui profert de thesauro suo nova & vetera*; & XVI. *Quid ergo scribæ dicunt, quod Heliam oporteat primum venire?* & Marcus XVI. *Quomodo dicunt scribæ, Christum filium esse David.* Quare merito Herodes rex, homo proselytus, id est Judæus ascitus, cum de Christo nato audisset, nec locum, ubi oriturus erat, teneret, ea de re Principes sacerdotum [12] & Scribas consuluit, siquidem, ut scribit S. Matthæus, convocatis principibus sacerdotum & scribis sciscitatus est, ubi nasceretur Christus? Post autem cum Christus docere in templo cœpisset, qui nec princeps sacerdotum, nec scriba, nec Levites esset, præcipue principum sacerdotum & scribarum oculos in se convertit. Quare hi potissimum, cujusnam auctoritate id faceret, quæsiverunt, nam S. Lucas XX. sic prodidit; *Docente Jesu populum in templo, & evangelizante, conveniunt principes sacerdotum & scribæ dicentes: Dic nobis, in qua potestate hæc facis? quis est qui dedit tibi hanc potestatem?* Itaque S. Matthæus & S. Marcus huic quæstioni quasi occurrentes scripserunt, Christum docuisse, non tanquam scribam, sed tanquam potestatem habentem, i. e. non tanquam interpretem legis, sed tanquam legislatorem. Interpretes enim illa verba in ore habere solebant: *Dicit Dominus*. Christus autem: *Dictum est antiquis, ego autem dico*. Ejusmodi vero scriba fuit ille, de quo S. Paulus prima ad Corinthios: *Ubi sapiens, ubi scriba*? id est legis peritus, ejusmodi doctor fuit Nicodemus, quem Christus legis magistrum vocavit, & redarguit tales doctores illi quibuscum Christus duodecennis in templo de lege disseruit, talis Pharisæus ille, de quo S. Matthæus XXII. *Interrogavit unus ex Pharisæis, nomine Gamaliel, legis doctor honorabilis universæ plebi.* Denique ejusmodi quoque fuit Josias scriba Pharisæus, de quo in vita S. Jacobi majoris: *Josias unus e scribis Pharisæorum, misit funem in collum Apostoli, & post conversus, martyrio cum eo affectus est.*

Legem porro docuere Scribæ duobus in locis, in templo, & synagogis. [13] De templo indicat S. Lucas, cum inquit, Christum inventum in templo inter doctores percontantem, & respondentem: item omnes Evangelistæ, qui tradiderunt, illum sæpe in templo docuisse ac concionatum esse. Unde apud S. Joannem XIIX. ipse de se dixit: *Ego docui semper in synagoga, & in templo, quo omnes Judæi conveniunt*. Et S. Paulus Actuum XXIV. *Neque in templo invenerunt me disputantem, neque in synagogis*. Ea caussa fecit, ut scribæ quidam scribæ templi vocati sint, quod indicat decretum Antiochi Magni apud Josephum lib. XII. *Senatus, sacerdotes, scribæ templi, & sacri cantores sint immunes a tributo, quod pro suo capite debent*. Quin etiam Helcias pontifex *legem a se inventam dedit Saphan scribæ templi, ut regi Josiæ legeret*. Et Josias rex misit scribam templi ad Helciam pontificem, ut pecuniam in templi instaurationem erogaret; IV. Regum.

[14] Synagogæ autem, ut dixi, fuerunt ædes, quo Judæi [15] diebus Sabbatorum convenire instituerunt, [16] ut legem audirent. Unde illud Actuum XV. *Moyses a temporibus antiquis habet in singulis civitatibus, qui eum prædicent in synagogis, ubi per omne sabbatum legitur*. [17] De more vero docendi in synagogis, ad ea quæ supra diximus, elici potest ex eo quod narrat Philo de Essæis, & ex eo quod de Christo scripserunt Evangelistæ [18] synagogas Galilææ percursante, atque ibi veritatem nunciante. S. Matthæus IV. *Circuivit Jesus totam Galilæam docens in synagogis eorum, & prædicans evangelium regni*. Lucas V. *Jesus venit Nazareth, & intravit secundum consuetudinem suam die Sabbati in synagogam, & traditus est illi liber Isaiæ prophetæ. Et descendit in Capharnaum civitatem Galilææ, ibique docebat illos sabbatis, & stupebant in doctrina ejus, quia cum potestate erat sermo ipsius*. Item XIII. *Erat Jesus docens in synagogis Judæorum sabbatis, & mulierem sanavit, respondens autem archisynagogus indignatus est, quia sabbato curasset*. Hæc vivente Christo. Post mortem vero ejus hæc doctrinæ in synagogis tradendæ [19] extra Judæam & Galilæam memoria celebratur. Actuum IX. *Saulus petiit a pontifice epistolas in Damascum ad synagogas, ut si quos invenisset hujus viæ viros ac mulieres, vinctos perduceret in Hierusalem, inde conversus, & ingressus in synagogas prædicabat Jesum, quoniam hic est filius Dei*; & XIII. *Paulus & Barnabas cum venissent Salaminem, prædicabant verbum Dei in synagogis Judæorum*. Item: *Venerunt Antiochiam Pisidiæ, & ingressi synagogam die sabbatorum sederunt, post lectionem autem legis & prophetarum miserunt principes synagogæ ad eos, cumque dimissa esset synagoga, sequuti sunt multi Judæorum, sequenti vero sabbato pene universa civitas convenit audire verbum Dei*; & XIV. *Factum est in Iconio, ut simul introirent in synagogam Judæorum, & loquerentur, ita ut crederet Ju-*

dæo-

dæorum & Græcorum copiosa multitudo ; & XVII. *Venerant Thessalonicam , ubi erat synagoga Judæorum , secundum autem consuetudinem Paulus introivit ad eos , & per sabbatha tria disserebat eis de scripturis. Cum autem venissent Berrhaam , in synagogam Judæorum introierunt , cum autem cognovissent in Thessalonica Judæi , quia & Berrhææ prædicatum est verbum a Paulo , venerunt & illuc . Paulus inde* XIIX. *disputavit Corinthi in synagoga per omne sabbatum interponens nomen Domini Jesu , & migrans inde intravit in domum cujusdam nomine Titi Justi , colentis Deum , cujus domus conjuncta erat synagogæ. Crispus autem archisynagogus credidit Domino cum omni domo sua . Devenit inde Ephesum , & ingressus in synagogam disputavit cum Judæis* ; inde XIX. *Ephesi ingressus in synagogam cum fiducia locutus est per tres menses disputans , & suadens de regno Dei* . Neque vero solum in Asia , sed etiam [20] Romæ synagogæ Judæorum fuerunt , & præsertim Libertinorum , qui , ut patet ex Actibus , synagogam quoque Hierosolymis habuerunt . Testis est Philo in legatione ad Cajum : *Tiberius non dissimulavit , probari sibi Judæos qui abominarentur adulationem , alioquin passus non fuisset , trans Tiberim bonam urbis partem teneri a Judæis . Romani vero hi erant , plerique libertini , nam captivi in Italiam abducti a dominis libertate donati fuerant , haudquaquam aliquid ex patriis institutis mutare coacti , sciebat enim eos habere oratoria , & convenire in ea , & maxime septimo quoque die , quando publice patriam docentur philosophiam . Sciebat & sacras eos ex primitiis coacervare pecunias , ac Hierosolyma mittere . Sed tamen neque Romanam civitatem eis ademit , neque in oratoria novi aliquid molitus est , neque convenire eos vetuit ad legum interpretationes* . Atque hæc quidem de scribis, id est legis doctoribus, hactenus.

NOTÆ AD CAPUT DECIMUM.

[1] *Scribæ*) Vis & significatio hujus vocis non a *Græcis* petenda , sed ab usu , quem habet apud Interpretes *Veteris Testamenti* , a quibus Scriptores N. T. hanc vocem & innumeras alias sunt mutuati . *LXX.* evolventibus obvium erit , illos non tantum vocem סופר vertere *γραμματέα* , *Scribam* , sed & alias voces laxiores שוטר , h. e. *ῥαβδοῦχος præfectus* vel *apparitor* , & עשה מלאכה i. e. *faciens opus* . Sic שטרים illis *γραμματεῖς* 1. *Par.* 23. 4. & *γραμματοεισαγωγεῖς Deut.* 1. 15. qui & שפטים *κριταὶ* His vocibus respondent verba *γραμματεύειν* , *διακρίνειν* 1. *Par.* 24. 29. Nomen illud verbale abstractum שטר *Syro χειρόγραφον* notat , vel instrumentum obligatorium. *Col.* II. 14. Ex *Paraphraste Chaldæo* discere est , in *Targum* hanc vocem frequenter respondere Hebrææ נביא *Prophetæ* : הנביאים *Chaldæo* sunt ספרין & ספריא , quod observat *Elias Levita* in suo *Meturgeman* , in quo voces Chaldaicas explicat per Hebræas . Interdum vocabulum סופרים redditur a *Chaldæo* לבלרין ut *Esth.* 3. 12. *cap.* 8. *v.* 9. quæ vox, ut & aliæ Chaldaicæ & Syriacæ , latinam originem habet , & respondet *libellario* , *librario* . A ספר enim *liber* , סופרים dicitur quasi *libellarii* , vel *libelliones* , illi qui tractant ordinarie libros & scripta quævis in genere. In *Glossario* alias *librarius* est *γραφεὺς* , quod pictorem proprie designat : sic *γραφεὺς Suidæ* est *Ζωγράφος* i. e. pictor, *γραφεῖον penicillus* . Notat etiam *Elias Levita* נביא verti per ספר vel ספרא , præterquam ubi sermo de illis , quos vocat הידועים לנביאים qui nobiles maxime & illustres inter Prophetas , qualis *Nathan* , *Jeremias* , *Habacuc* & alii illis similes , quando enim de illis sermo , retineri eandem vocem in *Targumim* , nimirum נביא , quando de aliis , substitui vocem ספרא vel ספריא . Quæ observatio levior videtur , nam multi sunt Prophetæ alii æque eximii, imo illustriores, qui tamen vocantur ספריא *γραμματεῖς* . Melior longe annotatio *Valentini Schindleri* , qui observat in *Targumim* נביא reddi per סופר quando in genere ponitur , nec certum aliquem Prophetam denotat. Quamvis nec hoc sit perpetuum . Verum cæteroquin , quod notat *Elias Levita* , in voce נבא *Propheta* per *Scribam* verti solet . Est ergo סופר interdum נביא propheta , interdum מלף pro מאלף per syncopen Doctor . Sic *Elias Levita* in suo *Thisbite* . *Scribæ sunt sapientes , qui etiam vocantur Rabbanim Doctores vel Magistri* . In *Talmud* per סופרים *Scribas* intelliguntur sæpe *Viri Synagogæ magnæ* : His *Esdra* præfuisse creditur cum *Zorobabele* & tribus Prophetis . *Haggæo* , *Zacharia* & *Malachia* , in qua classe etiam *Nehemia* , *Josua* filius *Jozedec* , aliique . Judæi non paucas observationes criticas habent circa lectionem & litteras hujus vocis , & crebram etiam faciunt mentionem scribarum . Sic *Masorethæ* vocantur סופרים *Doctores & recensitores* sacrorum voluminum , qui in numerato habebant omnes versus, voces , literas & omnes apices contextus sacri , *& sunt veri Hebræorum Critici* , de quorum origine *vid. clar. Johan. Buxtorff. Comment. Masoret* . Hinc patet vocem סופר latissimam esse , ut & verbum ספר , quod reddunt *LXX.* generaliter per *ἀναγγέλλειν* , enuntiare . Alia itaque latitudo verbi ספר alia *τὸ γράφειν* , nec vox *γραμματέως* inter angustias verbi græci coercenda , sed significatio ejus arcessenda a latitudine vocis Hebrææ , cui respondet . conf. *Hotting. Philol. lib.* 1. *cap.* 11. *pag. m.* 75.

[2] *Legem Interpretati*) Intelligit Ecclesiasticos , qui pro origine & latitudine vocis Hebrææ erant Prophetæ , Doctores, Interpretes, & expositores legis , quorum erat , testibus *Cornel. Bertr. & Pet. Cunæo de Republ. Hebræor. Scalig. Elench. Trihær. c.* 11. *Scultet. exerc. Evangel. l.* 1. *c.* 54. sacras Scripturas exponere , vindicare a corruptelis , illas prælegere populo in Templo & Synagogis, & interpretationem obscurorum , ubi opus , adjicere , populum instituere , dubia ex Mose & Prophetis objecta solvere , perplexas quæstiones enodare , genealogias tribuum Regiæ maxime stirpis asservare, & alias hujusmodi munia sacra obire. Sic *Scaphan* Scriba prælegit librum legis *Josiæ* 2. *Reg.* 22. 10. & *Esdras* legis peritus instituit populum in lege . Sed Christus dicitur docuisse cum *ἐξουσίᾳ* , non ut Scribæ. *Matth.* 7. 29. *Joseph. Scaliger in Elench. Trihæres.* observat Paulum 1. *Cor.* 1. 20. ad tria Doctorum genera alusisse, videl. ad sapientes, scribas, & Prophetas, quos Christus ipse distinguere videtur *Matth.* 23. 34. *conf. Fessel. advers. bibl. part.* 1. *pag. m.* 16.

[3] *Ab ipso quoque Mose* .) De origine Scribarum diversæ Authorum sunt sententiæ ; *Alii* a promulgatione legis eam arcessunt , ut *noster h. l.* , qua tradita, scribis opus fuit , eandem & describentibus & interpretantibus . *Alii* ad tempora *Davidis* eos referunt argumento 1. *Paral.* 23. & 24. *Alii* ad *Josaphatem* descendunt , qui Sacerdotes & Levitas ad docendum populum misisse legitur 2. *Paral.* 17. 7. 8. 9. *Alii* secuti *Hieronymum* scribarum Patriarchas *Hillelem* & *Schammai* jactant. Nobis illorum sententia arridet, qui ab *Esra* eos deducunt, *conf. Hottinger. pag.* 76. *Philol.*

Ab ipso Mose) Plane hæc sententia caret fundamento: quod enim Legis Mosaicæ interpretationem attinet, illam iis temporibus Sacerdotibus commissam fuisse constat, ut adeo peculiari Scribarum ordine non fuerit opus. Dicas a Mose Scribarum primordia utique esse deducenda, cum illum Scriptura bis scil. *Num.* 21. 18. *Deut. cap.* 33. 21. vocet מחוקק de qua voce septies in Scriptura reperta *Kimchius in radic.* (teste *Altingio in Schilo*, *l.* 3. *c.* 4.) generatim pronuntiat: כלם ענין כתיבה i.e. *Omnia habent significationem Scribendi. Nimirum eo sensu, quo* סופר *Scriba in Sacris dicitur : non qui actu scribit, sed cujus functio circa Scripturam occupatur, sive concipiendam & adornandam, sive duntaxat interpretandam*. Sunt verba cl. *Altingii*. Posset etiam urgeri, quod *Chaldæus Paraphrast.* vocem מחוקק per ספרא Scribam reddiderit, quam sententiam amplexus *Sigonius* noster. Sed hæc ut incerta, assensum non merentur. Quod enim initio attinet significationem vocis מחוקק, quam Scribam contendunt *Altingius* & *Sigonius* de ea adhuc sub judice lis est. Plurimi certe Interpretes divortium faciunt vocem illam per ἄρχοντα, ἡγούμενον, βασιλέα ut LXX. per *Ducem* & Vulgat. per Legislatorem, atque per eam non tam Legis Doctorem vel Interpretem, quam νομοθέτην qui leges & jura condit & dat populo חקים intelligentes. Vid. *Gregor. Eric. Phaletrani Exercit. Histor-Philolog. de Sceptr. Judaic. ablat. p.* 9. Deinde nobis de origine Scribarum differentibus notandum sermonem esse de integro & florente Scribarum ordine a Prophetis distincto, qualem in N. Test. fuisse constat. Quem sane temporibus Mosis ortum esse non dixerim. Concedimus quidem *Sigonio*, *Mosen* legis simul interpretem fuisse, eum vero Scribarum ordinem instituisse negamus.

4 *Cabalam.*) De *Cabala* erudite differuit *plur. Rever. Mauritius Fautor noster æstumatissimus in dissertatione de Cabala edit. Argentin.* quam vide. Hanc Judæi magni æstimant teste *Saubert. in Palæstra. pag. m.* 52. *seq.* Hinc Scribas Patres traditionum vocant, uti liquet ex *Hor. Talmud.* ad *Matth. c.* 2. 4. *Johan. Lightfoot*, qui refert ex Rabbinorum scriptis: *Verba* Scribarum sunt amabiliora, quam verba legis i. e. Traditiones præstant Legi Scriptæ h. e. dictis Scribarum i. e. hoc est ex decretis traditionalibus. Quod traditionibus traditi nimis fuerint testatur *Epiphan. Heres.* 15. ubi postquam dixerat, Scribas ὁ κατὰ νόμον, ἀλλὰ πρεσβύτερον vixisse, atque plurimas traditiones narrarat, tandem ita differit: *Expositiones autem s. repetitiones apud ipsos quatuor erant: Una in nomen Mosis Prophetæ: secunda in Præceptorem ipsorum Acibam appellatum sive Paraciban: Tertia in Andan s. Annan qui & Judas: Quarta in filios Assamonai. Ex his quatuor repetitionibus seu expositionibus sunt, quæ apud ipsos receptæ sunt sapientiæ opinione, pleraque vero insipientiæ nomina jactantur ac celebrantur: Quædam etiam loco electæ doctrinæ prædicantur & divulgantur*.

5 *Seniorum horum*) De quibus vide sis *Dan. Fesselium in advers. bibl. pag. m.* 12. *parte* 1. *Masii Commentar. in Jos. c.* 1. *p.* 26. *Nicol. Fuller. Miscell. sac. lib.* 3. *c.* 19.

6 *In eadem observatione steterunt.*) Erat pars ministerii Sacerdotum docere & de lege Domini respondere *Levit.* 10. 11. uti bene etiam *Ainsworth in citat. locum scribit: a part of the Priests office was to teach the people* uti hic & *Deut.* 33. 10. *Malach.* 2. 7. Post captivitatem vero Babylonicam cum Sacerdotes occupati politica gubernatione, officium suum in docendo non facerent, eam partem ministerii Scribis fuisse commendatam. Publico autem Doctorum munere functos esse Scribas constat ex *Matth.* 7. 29. *Marc. cap.* 1. 22. Hoc sensu dicuntur Scribæ in cathedra Mosis sedere *Matth.* 23. 2. scil. tam regendi & judicandi, quam docendi populum causa.

7 *Legem suos audire*) Primarium studium in Synagogis est studium Legis. Ut enim Legem ab oblivione vindicarent, in Synagogis conveniebant. Unde *Joseph. lib.* 2. *contra Appionem* hoc loco hæc protulit verba, quæ Autor adduxit. Sub voce *legis* vero comprehenduntur hic etiam Prophetæ, qui neutiquam excludendi. Nam non tantum libros quinque *Mosis* ibi tractant, sed & Prophetarum Scripta evolvunt. Sic *Lucas* 4. 17. memorat, *Esaiæ* librum Christo fuisse traditum. Et *Act. cap.* 13. *v.* 14. & 15. mentio fit ἀναγνώσεως non tantum *Legis*, sed & *Prophetarum*.

8 *Philo*) Cum lectione Interpretationem conjunctam fuisse, non solum *Talmudici* probant, sed etiam cum Philone alii. Talmudici lib. נדרים *cap.* 4. & *l.* מגלה *c.* 1. hunc sensum eruunt: Quid est quod scriptum extat & legerunt in libro illo in lege Dei explanate & apposuerunt intellectum ut intelligerent eam. Idem exemplum Christi comprobat *Marc.* 1. 22. Probat & id *Philo* in locis variis. Hinc l. *de Essenis pag.* 679. Unus, inquit, Biblia sumens legit, alter vero ex peritissimis minime ignota exponit, & *lib.* 3. *de vita Mosis*, quem locum Autor retulit, ubi omnino *Philosophia* pro Legali genere quæstionum, pro scitis & expositionibus Judaicis accipi debet. Neque infrequens est hæc vocis acceptio, apud antiquiores præsertim. Ita *Joseph. lib.* 2. *ἀλ. c.* 12. & Ἀρχ. *lib.* 18. *c.* 2. Τρία παρὰ Ἰουδαίοις εἴδη φιλοσοφεῖται. Et *Chalcidius Platonicus* nec non Clemens Alexandrin. Magnus in Christianismo Philosophus *Philosophiæ* Hebræorum mentionem injiciunt citante *Seldeno lib.* 1. *de J. N. c.* 1. *pag.* 10. Quin & ipsa Christiana Religio Philosophia fuit dicta, quemadmodum legi potest apud *Casaubon. ad Athen. pag.* 282. vid. *Bornit. Exerc.* 3. §. 10. *de Synag.*

9 Γραμματεῖς νομικὸς & νομοδιδασκάλους) Quæritur hic an isthæc duo vocabula eandem habeant significationem? facilis est ex scriptura decisio, liquet enim ex collatione *Matth.* 22. 35. cum *Marc.* 12. 28. hæc nomina promiscue sumi, quippe ille qui a *Matthæo* vocatur νομικὸς, a *Marco* dicitur fuisse εἷς τῶν γραμματέων. Nihilominus sunt non pauci magni nominis viri, ut *Forsterus*, *Scaliger*, *Drusius*, *Chemnitius*, *Camero*, qui differentiam faciunt inter τοὺς νομικοὺς & τοὺς γραμματεῖς, nixi authoritate Scripturæ, sc. *Luc.* 11. 4. 5. ubi, cum Christus graviter inveheretur in *Scribas* & *Pharisæos*, dicitur quidam τῶν νομικῶν intercessisse inquiens, *Magister, cum hæc dicis etiam nos afficis injuria*, respondit Christus: *Væ vobis quoque legis interpretibus*. Sic etiam *Epiphan. Hæres.* 15. & 16. distinguere videtur inter scribas & νομικοὺς, quamvis non faciat differentiam inter γραμματεῖς & νομοδιδασκάλους. Unde *Josephus Scaliger* nomina etiam illa diversimode interpretatur in *Elencho Trihæres.* & contendit νομοδιδασκάλους dictos fuisse illos, qui legem interpretabantur, νομικοὺς vero formulas juris præscripsisse, & rationes civiles docuisse, & forensia magis tractasse, ideoque vocatos γραμματεῖς, quia hoc proprium γραμματέων. Sed hæc distinctio non probatur *Wallæo, comment. in Matth. c.* 20. *pag. m.* 547. *Camero in notis in cap.* 22. *Matth.* aliter distinguit νομικοὺς & γραμματεῖς, asserens scribas fuisse Legis interpretes, publice in Synagogis leges exponentes: Νομικοὺς vero fuisse illos, quos Hebræi חכמים sapientes vocant, qui legem quidem interpretabantur, sed privatim. Hanc differentiam colligit ex verbis Christi *Vers.* 12. *Væ vobis Legis peritis quia sustulistis clavem scientiæ*, quæ olim insigne doctoratus erat. Sed hæc distinctio in Scriptura non semper observata, quia clavis scientiæ etiam scribis tribuitur. *Matth.* 23. 13. *conf. Spanhem. dub. Evangel. part.* 2. *dub.* 38. 39. *pag. m.* 399.

10 *Ab illo tempore*) Post captivitatem Babylonicam ortos quidam putant circa tempus illud, quo Prophetiæ donum in Malachia exspiravit, & Sacerdotes cœpere plus negotiis politicis & gubernationi civili vacare, quam meditationi legis & institutioni plebis. Hanc itaque ministerii partem reservatam fuisse certo hominum generi, qui dicebantur סופרים h. e. *expositores*. Antiquissimum sane *Scribarum* nomen fuisse certo constat ex Scriptura. *Esdras* enim ὁμόχρονος *Zachariæ Haggæi* & *Malachiæ*, diserte sæpe vocatur סופר, & cum ἐπιτάσει סופר מהיר *Scriba velox*, exercitatus in lege. *Esd.* 7. *c.* Et qui in libro *Canonico Esdræ* vocatur סופר γραμματεύς, in libro *Apocrypho tertio*, *cui Esdræ nomen præscribitur* vocatur ordinarie ἀναγνώστης τοῦ νόμου *cap.* 8. 9. 10. 11. & 9. 39. 42. Hinc procul dubio ab Esdræ temporibus origo Scribarum derivanda erit, conf. *Spanhem. in N. Test. Wallæus in locum Matth.* 22. *pag.* 347.

11 *Alii instituti*) Non alii uti Autor noster vult, sed *Esdra Scribarum* primus Autor fuit, quippe Or-

do Scribarum demum post Captivitatem Babylonicam cœpit. Hujus asserti non obscura apparent in sacris literis vestigia. *Esdræ c.* 7. 20. dicitur: *Esdra paraverat cor* &c. & *verſ.* 11. vocatur peritus rerum, quas *præcipit Jehova*. Et alibi propter eandem causam vocatur סופר Scriba. Hic cum viris Sanctis aliis, qui אנשי כנסת הגדולה viri Synagogæ magnæ vocantur, quos inter fuisse dicuntur *Zacharias*, *Haggæus* & *Malachias*, operam posuisse dicitur summam in voluminibus sacris describendis, excutiendis, adornandis, interpretandis. Unde Judæi dicunt eum restituisse את ברק התורה *rupturam Legis*: Illi igitur, qui ex ejus instituto & cum ipso & post ipsum hac in re suam elocabant operam κατ' ἐξοχὴν הסופרים *Scribæ* salutabantur.

[12] *Et Scribas consuluit*) Inter νομικὰς & γραμματεῖς nullum discrimen intercedere ex eo patet, quod *Herodes*, nuntio percepto de Rege novo nascituro, *Scribas* convocaverit, non quidem ob rem politicam, sed sacram indagandam, ubi scil. Christus nasciturus esset. At si scribæ tantum homines politici fuissent, talis quæstio illis minime proponi potuisset. Sin tamen aliqua distinctio facienda inter νομικὰς & γραμματεῖς, dicendum, quod omnes quidem νομικοὶ fuerint *Scribæ*, non tamen omnes *Scribæ* νομικοὶ: quippe Scribæ homines θεωρητικοὶ, contemplationi legis & quæstionibus theoreticis potissimum vacabant: νομικοὶ vero quæstionibus practicis dediti erant. Ideoque γραμματεῖς ab *Herode* interrogantur de loco nascituri Christi, non νομικοὶ. Et γραμματεῖς de Eliæ adventu disseruisse leguntur *Matth.* 17. 10. Potest etiam dici νομικὰς illos dictos fuisse *Scribas*, qui tantum affixi erant legi, nec curabant δευτερώσεις majorum. Unde νομικὸς ille vocatur *Matth.* 22. 36. qui quærit quod sit magnum mandatum in lege, conf. *Wall. ad Matth. cap.* 2. *Spanhem. dub. Evangel. d. l. Daniel Feſſel. adverſ. Sacr. lib.* 1. *c.* 1. *pag. m.* 18.

[13] *De templo*) In area atrii Israelitarum locus erat docentium & discentium: Licet enim multæ Hierosolymis essent Synagogæ & Auditoria in quibus docebantur res divinæ, nihilo tamen minus in templo locus erat docentium & discentium, in quo & Christus ipse & Apostoli docuerunt. Quam in rem Porticus in lateribus illius atrii fabricatæ erant, ut ab interveniente pluvia tuti essent, qui aderant, quæ porticus ex marmore candido confectæ & laquearibus cedrinis tectæ erant, vid. *L' Empereur in tr. de menſ. templi pag.* 45. ubi observetur, quod communiter in tribus festis solennibus peracta festivitate peregrini eruditi viri Hierosolymis manerent, ut de casibus conscientiæ inter se conferrent & disputarent.

[14] *Synagogæ*) Synagogæ vox hic ipsum locum seu ædificium notat, in quo Judæi docendi causa & discendi legem Domini convenire solent. Ita accipitur *Luc.* 7. 5. *Act.* 18. 7. Apud Talmudicos & Rabbinos sæpe occurrit בית הכנסת domus congregationis, Synagogæ, *R. David Kimchi in libr. radic.* in rad. כנס ait: Vocant locum ubi preces funduntur, Synagogam quia congregantur ibi ad preces, vid. erudite different, cl. *David Clod.* in differt. Gissæ hab. de Synagog. Bornit. differt. tres de Synag. edit. Witteberg. & clar. *exquiſitæ erudit. virum Vitring.* de Synagog. veter. & nov.

[15] *Diebus Sabbathorum*) Judæi in Synagogis suis convenire solebant quotidie, inprimis vero Sabbatho, deinde etiam aliis diebus. Sabbathis convenisse certum est ex *Act.* 15. 21. Christum & Apostolos *Sabbatho* intrasse Synagogas Evangelistarum historiæ testantur. *Luc. cap.* 6. *v.* 16. *Act.* 13. 14. 17. 1. Testantur illud Scriptores Ecclesiastici. *Euſeb. l.* 8. *c.* 12. *de præparat. Evangel. Philo lib.* 3. *de vita Moſis*, *pag.*530. & *de Eſſen. pag.* 629. Idem *de Legat. ad Cajum pag.* 785. Præter diem *Sabbathi* die *Lunæ* & *Jovis* quoque in Synagogis congregabantur docente *Buxtorffio in Lexic. Talmud. fol.* 1055. vid. pluribus *Clodii diſſert. de Synagog. cap.*4. §. 2.

[16] *Ut legem audirent*) Non solum ut legem audirent & interpretarentur sed etiam ut preces funderent; majorem enim vim adscribebant precibus quæ in templo vel Synagoga ad Deum mittebantur, vid. *Rabben. Aſcher in Prak.* super *Maſſecheth Bar. cap.* 1. *fol.* 1. *col.* 3. *Saubert. Palæſtr. Philol. Theol. pag.* 112. cl. *Wagenſeil. Sot. pag.* 690. *Maimonid. Hilc. Tfill. cap.* 8. §. 1.

[17] *De more docendi*) Librum legis חזן, qui Æedituum fere nostrum repræsentat ex תיבה seu arca depromit, & mensæ quæ in בימה sive אלמימר collocata imponit. Deinde qui complicationis munus licitatus est (quem סגן vocant) pannos Codicis removet & librum explicat; Accedit postmodum alius, qui medio horum duorum se sistens, libro osculum figit, non tamen nudæ membranæ, sed solis pannis, duobusque lignis inferioribus in manum acceptis Deum elata voce celebrat. Postea Præcentor Sectionem ex libro legit, vid. *Buxtorff. Synag. Judaic. c.* 9. *p. m.* 216. *ſeq.* Est & publicus minister cui incumbit attendere, quomodo Lector legat. Nam hoc notandum, publicum Synagogæ ministrum legem non prælegisse, sed unoquoque Sabbatho septem e Synagogis evocasse, quos ad hoc idoneos judicarit. Legentibus autem ipse adstitit, sollicite observans ne quid perperam legeretur, aut incongrue pronuntiaretur revocansque & corrigens, si quid esset erratum. Erat & תורגמן i. e. Interpres in Synagoga, qui linguarum peritus, legenti in lege adstans vernacule ea reddidit, quæ lecta sunt e fonte Hebræo, aliquando in Paraphrasin exspatiatus. Hujus officium officiique regulæ legi possunt in *Megillah. c.* 4. & ap. *Maimonid. in Hilc. Tfillah. c.* 12. Eum clar. *Lightfoot. Hor. Talm. in Matth. pag.* 72. *Eſdræ* temporibus constitutum arbitratur, allegans *Megillah fol.* 74. *col.* 4. conf. *Clod. diſſ. de Synagog. pag.* 39.

[18] *Synagogas Galilææ*) In reliqua Judæa & Galilæa Judæi proprias habuerunt Synagogas. Ita Christus διδάσκων ἐν ταῖς συναγωγαῖς αὐτῶν scil. Galilæorum *Matth.* 4. Idem *Nazarethi* docebat in Synagoga *Luc.* 4. 16. ut & *Capernaumi Marc.* 1. 21. & *Joh.* 6. quam Synagogam Centurio Romanus *ſtruxerat Luc.* 7.

[19] *Extra Judæam & Galilæam.*) Non demum post Christi mortem extra Judæam & Galilæam Synagogas ædificatas esse, sed etiam ante ipsum natum testatur cl. *Clodius* in differt. de *Synagogis*, ubi fuse & multis verbis de variarum Regionum Synagogis differit.

[20] *Romæ Synagogæ*) Romæ certe Synagogæ Judæorum fuerunt. Et Judæos quidem multos *Romæ* fuisse docent nos *Cicero* & *Horatius* vid. *Grot. in annotat. ad Act.* 2. 11. Certe *Tiberii Claudii* tempore 8000. Judæos Romæ fuisse scribit *Joſeph. lib.* 17. *Antiq. c.* 12. qui quanquam propter paucorum hominum scelera omnes urbe cedere coacti sunt anno 9. *Imperii Claud.* 51. *nativ. Chriſti*. Tandem tamen intercedentibus *Agrippa* & *Herode* Regibus ab eodem *Claudio* restituti sunt teste *Joſepho lib.* 19. *Antiq. c.* 4. Hos autem Judæos Romæ non absque Synagoga fuisse testis est *Philo Legat. ad Cajum*.

CAPUT UNDECIMUM.

De septem Judæorum hæresibus.

LOcus inde admonet, quoniam de legis interpretibus diximus, ut de doctrina quoque Judæorum agamus, quæ ultimis celebrata temporibus, in septem partes divisa fuit, quas septem hæreses appellarunt, fuerunt autem, teste S. Epiphanio, hæ: Sadducæi, Scribæ, Pharisæi, Hemerobaptistæ, Nazaræi, Osseni, & Herodiani, de quibus primum sigillatim, deinde conjunctim edisseremus.

[1] Sadducæi nomen a Sadoc accepere, Antigoni discipulo, qui cum defecisset ad templum montis Garizin a Manasse inter Samaritas constructum, Alexandro Magno regnante hæresim intulit Sadducæorum, teste Rabbi Abraham in Cabala historica. Hi vero, ut inquit Josephus, [2] fatum negarunt, atque [3] omnia nostro arbitrio subjecerunt, [4] animas mortales esse, & propterea [5] resurrecturas non esse, dixerunt. Deum mala [6] omnia videre negarunt, & [7] inhumani, ac longe [8] ab omni communione aversi fuerunt &, ut addit S. Epiphanius [9] angelos & spiritum sanctum ignorarunt, atque [10] omnia [11] æqualiter cum Samaritis observarunt, cum tamen Judæi essent, & Hierosolymis sacrificium facerent.

[12] Scribæ vero, inquit S. Epiphanius, *Legis expositores fuere, velut grammaticam quandam scientiam exponentes, reliqua quidem, velut Judæi, facientes, verum superfluam quandam & sophisticam interpretationem inducentes, non solum secundum legem viventes, sed etiam abundantius: ut qui urceorum demersiones ac purificationes servarent, poculorum item, ac patinarum, & aliorum ministerii vasorum, & tanquam videlicet ad sinceritatem ac sanctitatem dispositi, crebro manus lavarent, crebroque purificationes quasdam per lavacra adhiberent. Habebant autem fimbrias quasdam significantes politiam ipsorum ad ostentationem elationis, & laudem spectantium, & phylacteria apud seipsos palliis addebant, hoc est latas notas purpuræ. Expositiones autem apud ipsos quatuor erant, una in nomen Mosis prophetæ, secunda in præceptorem ipsorum Acibam appellatum, sive Baracibam, tertia in Andan, sive Annan, qui & Judas, quarta in filios Assamonæi.* Neque vero dubium est, quin hi ex eorum numero fuerint, quos legis doctores diximus.

[13] Pharisæi porro, auctore Josepho, *certiorem* [14] *legalium rituum cognitionem professi sunt*, [15] *vitam abjectam egerunt*, [16] *nihil molle, nihil delicatum adhibentes.* [17] *fato omnia tribuerunt, nec tamen liberum hominis arbitrium sustulerunt, judicium Dei futurum censuerunt, quo homines pro meritis præmia pœnasque consequerentur, animas immortales duxerunt, earumque post mortem alias æterno carceri destinandas, alias in vitam reversuras, ita ut bonorum animæ in corpora hominum remigrarent, malorum autem in pecudum.* De his sic S. Epiphanius: *Pharisæi eadem cum scribis sentiebant, conversabantur enim cum eis. Virginitati & continentiæ studebant, frequenter orabant: caventes, ne qua se labe corporis macularent, durissimis stratis cubabant bis in sabbato jejunabant, secunda & quinta die, decimabant decimationes, dabant primitias, trigesimas, & quinquagesimas, sacrificia ac vota exactissime persolvebant, in prædicto vero scribarum habitu incedebant per amicula, & alios ornatus, ac muliebria pallia, in latis crepidis, & calceamentorum ligulis procedentes. Dicebantur autem Pharisæi, eo quod separati essent ab aliis propter spontaneam superfluam religionem apud ipsos receptam. Phares enim Hebraica lingua separationem significat.*

[18] Hemerobaptistæ *autem eadem cum Scribis & Pharisæis senserunt, & cum Sadducæis resurrectionem mortuorum abnuerunt. Præcipui vero illud habuerunt, quod se quotidie baptizarunt, unde nomen etiam acceperunt.*

Jam vero Nazaræi *a Galaaditide, & Basanitide regione, & e locis ultra Jordanem originem trahentes, in omnibus instituta* Judæorum *servabant, circumcisionem, sabbatum, festivitates omnes, victimas autem non mactabant, neque animatis vescebantur. Patres accipiebant, de quibus scribitur in quinque libris Moysis, ipsos autem libros Moysis non probabant: dicebantque Moysen fuisse, sed aliam legem, quam quæ tradita esset, accepisse.*

[19] Osseni [20] *originem duxerunt a Nabatica regione, Ituræa, Moabitide, & Areilitide, quæ est ultra mare mortuum, Judæi quidem genere, sed moribus hypocritæ, mentis industria versuti.* Hi a Josepho Essæi dicuntur, atque secundo Belli his verbis describuntur: *Essæi* [21] *nuptias respuerunt, alienos vero filios adoptarunt, divitias spernentes haud certas urbes quas incolerent, habuerunt,* [22] *bona sua cum sociis suis communicarunt,*

runt, nec vestem, nec calceum novum, nisi veteribus attritis, sumserunt. Commerciorum *nullus inter eos usus, egentibus præsto fuere, eandem ab illis beneficentiam relaturi, religionem mirifice coluere frigida aqua se quotidie abluentes, inter vescendum summum silentium adhibuere, non nisi probata continentia homines in societatem recepere, receptos autem magnis execrationibus obstrinxere, se Deum, fidem justitiamque culturos, deprehensos in peccatis societate deturbavere, ac ne cibum delatum caperent, vetuere, judicia severissime exercuere, mortem & cruciatus contemsere, animas bonorum ad fortunatas insulas abire, malorum ad loca inferna, putavere.* In libro autem Antiquitatum XIIX. ita: *Essæi cuncta ad Deum referunt, immortalem animam censent, in templo anathemata prohibent* [23] *sacrificia cum populo non celebrant, quod se putant* [24] *munditia & sanctitate illis præstare, moribus optimis sunt,* [25] *agriculturæ student, omnia habent communia; neque uxoribus, neque servis utuntur, sacerdotes* [26] *viros optimos eligunt.* [27] *cibum simplicem, atque* [28] *habitum parcum & mundum adhibent*; & Plinius libro V. *Ab occidente littora Esseni fugitant usque qua nocent, gens sola, & in toto orbe præter cæteras mira, sine ulla fœmina, omni Venere abdicata, sine pecunia, socia palmarum. In diem ex æquo convenarum turba renascitur, large frequentantibus, quos vita fessos ad mores eorum fortunæ fluctus agitat. Ita per sæculorum millia (incredile dictu) gens æterna est, in qua nemo nascitur, tam fœcunda illis aliorum vitæ pœnitentia est, infra hos Engadda oppidum fuit, secundum ab Hierosolymis fertilitate, palmetorumque nemoribus, nunc alterum bustum. Inde Masada castellum in rupe, & ipsum haud procul Asphaltite.* Sed multo præclarius Philo in eo libro quem inscripsit. Omnes probos esse liberos. *In Syria,* inquit, *& Palæstina, quæ partes Judæorum sunt haud modicæ, dicuntur quidam nomine Essæi, numero ultra quatuor millia, a voce Græca Essæi, quasi* ὅσιοι, *id est sancti, vocati, quoniam Dei cultores præcipue sunt, nulla animalia sacrificantes, sed mentes suas sacras efficiendas existimantes. Hi vicatim habitant, urbes vitantes propter eorum qui tractant civitates, improbitates, eorum alii agriculturæ student, alii artes exercent quæ pacis sociæ sunt, neque aurum, neque argentum sibi condunt, neque agros latos parant cupiditate redditauum, sed necessitate victus. Nemo bellicorum armorum apud eos est opifex, sed neque in pace ullum mercaturæ genus attingunt, servos non habent, sed liberi omnes sunt mutua ministeria suppetentes. Rationalem & naturalem philosophiam respuunt, divinam amplectuntur. Morali maxime student patriarum legum auxilio usi: quas præcipue septima die docentur. Imbuuntur autem sanctitate, justitia, ceterisque virtutibus tres regulas adhibentes, Dei, virtutis, hominumque amorem. Quod Deum diligant, illud est indicio, quod perpetuam castitatem adhibent, jusjurandum, & mendacium non dicunt; & quod bonorum omnium, nullius vero mali auctorem esse Deum arbitrantur. Quod virtutis studiosi sint, ex eo perspici potest, quod pecuniam & gloriam negligunt, quod voluptates respuunt, & constantiam præstant. Quod hominum caritate flagrent, indicat amor & societas inter eos, una enim est omnibus domus, una vestis, unum ærarium, unus sumtus; communis victus, & vita, quin etiam quæstus in commune conferunt, ægrotantes communiter curant, &* [29] *seniores loco parentum habent.*

Herodiani vero, ut inquit Epiphanius, *omnino Judæi erant, sed vani, atque hypocritæ, verum Herodem putabant Christum Dominum, qui in omnibus scripturis, legeque, ac prophetis expectatur, & ob ipsum decepti Herodem jactabant inducti ex dicto hoc: Non deficiet princeps ex Juda, atque dux ex femoribus ipsius, donec venerit cui reservatur; huic reservatum esse dicentes, qui erat alienigena.* Item Tertullianus de Præscriptionibus: *Pharisæi additamenta quædam legis astruendo, a Judæis divisi sunt. Herodiani Christum Herodem esse dixerunt.*

Ex his autem omnibus præcipue floruere ante Christi adventum Pharisæi, & Sadducæi, itaque Hierosolymis, ut inquit Josephus, populares Pharisæis, optimates Sadducæis se adjunxerunt. Pharisæorum autem extraordinarias in rep. opes ægre inde ferens Joannes Princeps leges ab eis allatas (hæ novæ [30] traditiones erant præter antiquas Mosaicas) sustulit, & ad Sadducæos se contulit. Pharisæi tamen adeo potentia valuerunt, ut post auxilio Demetrii Eucæri, Syriæ regis, bellum Alexandro regi Judæorum intulerint, & Moabitide ac Galaatide terra ipsum cedere compulerint, inde mortuo illo, Alexandram reginam sibi obsequentem adepti, leges suas recuperarunt, ac multo vehementius sævire in urbe & regno toto instituerunt: quousque res ad duos fratres regios recidit, Hyrcanum, & Aristobulum, quorum alter Pharisæus, alter Sadducæus fuit. Cum autem Christus Evangelium suum pandere populo cæpit, Scribæ, Pharisæi, Sadducæi & Herodiani præcipue viguerunt: ac propterea soli in Evangelio memorantur, ut qui Christo novam doctrinam prædicanti præcipue objicerent, atque ut ipsi sæpe illum tentandi caussa variis interrogationibus fatigarunt,

runt, ac verbis irretire conati sunt, sic & ipse illos insectatus, & hypocrisin ac doctrinam eorum, ut parum vitæ congruentem detegere nixus est. Recitabo ordine ipsa Evangelii loca, ut res clarissime cognoscatur. S. Marcus cap. III. *Exeuntes Pharisæi cum Herodianis consilium faciebant adversus eum, quomodo perderent eum*; & VII. *Pharisæi, & quidam de Scribis cum vidissent quosdam de discipulis Domini communibus manibus, id est non lotis, manducare panes, vituperaverunt. Pharisæi enim & omnes Judæi, nisi crebro laverint manus, non manducant tenentes traditionem Seniorum, & a foro venientes, nisi baptizentur, non comedunt, & alia multa quæ tradita sunt illis servare, baptismata calicum, & urceorum, & æramentorum, & lectorum*. S. Lucas XI. *Vos Pharisæi quod deforis est calicis & catini, mundatis*. S. Matthæus XV. *Tunc accesserunt ad Jesum Hierosolymis Scribæ & Pharisæi dicentes: Quare discipuli tui transgrediuntur traditiones seniorum? non enim lavant manus suas, cum panem manducant, ipse autem respondens ait illis: Quare & vos transgredimini mandatum Dei propter traditionem vestram? Nam Deus dixit: Honora patrem tuum & matrem: &, Qui male dixerit patri, vel matri, moriatur. Vos autem dicitis: Quicunque dixerit patri, vel matri, Munus quodcunque est ex me, tibi proderit, & non honorificabit patrem suum, &c. & irritum fecistis mandatum Dei propter traditionem vestram*. Quas traditiones declarans S. Hieronymus epistola CLI. sic inquit: *Quantæ traditiones Pharisæorum sint, quas hodie vocant* δευτερώσεις: *& quam aniles fabulæ, evolvere nequeo, neque enim libri patitur magnitudo, & pleraque tam turpia sunt, ut erubescam dicere, dicam tamen unum in ignominiam gentis inimicæ: Præpositos habent synagogis sapientissimos quosque, fœdo operi delegatos, ut sanguinem virginis, sive menstruatæ, mundum, vel immundum, si oculis discernere non potuerint, gustu prælibent. Præterea, quia justum est, ut diebus sabbatorum sedeat unusquisque in domo sua, & non egrediatur, neque ambulet de loco in quo habitat: si quando eos juxta literam cœperimus arctare, ut non jaceant, nec ambulent, non stent, sed tantum sedeant, si velint præcepta servare; solent respondere, Rab. Akiba, & Symeon, & Hille magistri nostri tradiderunt nobis, ut bis mille pedes ambulemus in Sabbato, & cætera hujusmodi, doctrinas hominum præferentes doctrinæ Dei.* Hinc scripsit S. Eucherius super primum Actuum: *Sabbati habens iter*, Sabbati iter significare mille passus quia sabbato usque ad montem Oliveti ire Judæis licitum erat, vel certe, sicubi fuissent, tanto spatio deambulandi licentiam præsumebant. Jam vero S. Marcus VIII. *Cavete a fermento Pharisæorum, Sadducæorum, & Herodianorum*. S. Matthæus XVI. *Accesserunt ad eum Pharisæi & Sadducæi tentantes, & rogaverunt eum, ut signum de cœlo ostenderet eis. Itaque dixit: Intuemini, & cavete a fermentis Pharisæorum & Sadducæorum, tunc intellexerunt, quia non dixit, cavendum a fermento panum; sed a doctrina Pharisæorum & Sadducæorum*; & XII. *Pharisæi videntes discipulos legere spicas sabbato, dixerunt ei, Ecce discipuli tui faciunt, quod non licet facere in sabbatis*. Item: *Tunc responderunt ei quidam de Scribis & Pharisæis, Magister volumus a te signum videre*; & XXII. *Accesserunt ad eum Sadducæi, qui dicunt non esse resurrectionem, & interrogaverunt eum, In resurrectione, cujus erit de septem uxor? omnes enim habuerunt eam*; & post: *Pharisæi autem audientes, quod imposuisset silentium Sadducæis, convenerunt in unum, & interrogavit unus ex eis legis doctor tentans eum*; & S. Marcus XII. *Mittunt ad eos quosdam ex Pharisæis & Herodianis, dicentes, Licet tributa dare Cæsari, an non?* His ergo tentationibus irritatus Christus mores eorum ac vitam demonstravit, inquiens XXIII. S. Matthæi, & S. Lucæ XX. *Super cathedram Moysi sederunt Scribæ & Pharisæi, omnia ergo quæ dixerint vobis, servate, & facite; secundum opera vero eorum nolite facere, dicunt enim, & non faciunt, alligant autem onera graviora & importabilia in humeros hominum, digito autem suo nolunt ea movere. Omnia vero opera sua faciunt, ut videantur ab hominibus, dilatant enim phylacteria sua, & magnificant fimbrias, amant autem primos recubitus in cœnis, & primas cathedras in synagogis, & salutationes in foro, & vocari ab hominibus Rabbi. Væ vobis Scribæ & Pharisæi hypocritæ, quia comeditis domos viduarum, oratione longa orantes; quia circuitis mare, & aridam, ut faciatis unum proselytum, & cum fuerit factus, facitis eum filium gehennæ duplo quam vos; quia decimatis mentam, & anethum, cyminum, & reliquistis, quæ sunt graviora legis, judicium, misericordiam, & fidem: hæc oportuit facere, & illa non omittere: quia mundatis quod deforis est calicis & paropsidis, intus autem pleni estis rapina & immunditia; quia similes estis sepulchris dealbatis, quæ a foris parent hominibus speciosa, intus vero plena sunt ossibus mortuorum, & omni spurcitia; quia ædificatis sepulchra prophetarum, & ornatis monumenta justorum*.[31] Quas autem fimbrias & phylacteria Pharisæorum nominavit, de iis sic mandarat Deus Numerorum XV. *Loquere filiis Israel, & dices ad eos, ut faciant sibi fimbrias per angulos palliorum ponentes in eis vittas hyacinthinas; quas cum viderint, recordentur omnium mandatorum*

Domini, *nec sequantur cogitationes suas*. Consuetudinem vero totam Pharisæorum sic explicuit S. Epiphanius: *Habebant fimbrias quasdam significantes politias ipsorum ad ostentationem elationis*, *& laudem spectantium*, *& phylacteria palliis suis addebant*, *hoc est latas notas purpuræ*, *fimbriæ enim oræ & margines sunt*; *phylacteria vero signa ac notæ ipsius purpuræ*, *quæ inquit Dominus dilatata fuisse*, *nam fimbrias & prætextus quosdam in quatuor alis amiculi unusquisque habebat ex ipso stamine alligatos*, *quo tempore continenter agebant*, *ac virginitatem exercebant*. In Actis inde horum etiam mentio celebratur, ut cap. IV. *Loquentibus Apostolis Hierosolymis ad populum supervenerunt sacerdotes*; *dolentes quod docerent populum & annunciarent in Jesu resurrectionem ex mortuis*; & V. *Exurgens pontifex*, *& omnes qui cum eo erant*, *quæ est hæresis Sadducæorum*, *repleti sunt zelo*; & XXIV. *Sciens Paulus*, *quia una pars erat Sadducaeorum*, *& altera Pharisæorum*, *exclamavit in Concilio*: *Viri fratres ego Pharisæus sum*, *filius Pharisæi*, *de spe & resurrectione mortuorum ego judicor*, *& cum hæc dixisset*, *facta est dissensio inter Pharisæos & Sadducæos*. *Sadducæi enim dicunt*, *non esse resurrectionem mortuorum*, *neque angelum*, *neque spiritum*. *Pharisæi autem utrumque confitentur*. Hactenus de septem hæresibus dictum sit.

Pharisæis autem adjuncti sunt Gaulonitæ. Hi Herode Magno regnante suborti sunt. Ea vero res ab hoc fonte profecta est. Cæsar Augustus sublatis vectigalibus tributa ordinaria in caput & agros indixit, atque ob id totum censeri orbem Romanum instituit, ita ut Judæam etiam, quam Herodi regi a se appellato subjecerat, censeri, ac tributum in caput pendere jusserit. Quo facto Judas quidam exstitit, qui adjuncto Sadoco Pharisæo, negavit, populum Dei alium Dominum, quam Deum, agnoscere debere, nec censum Augusto solvendum esse, quod servitutem ostenderet. Hunc vero qui sectati sunt, populum, ne tributum Cæsari daret, sollicitarunt, mortem vero & supplicia contemserunt, in vestitu & cæteris cum Pharisæis consenserunt. Unde Pharisæi quoque aliquando Christum tentandi gratia sciscitati sunt, num dandum esset tributum Cæsari, quod ea res per ea tempora varie jactaretur. Christus autem respondit, dandum esse, quod esset Cæsaris, Cæsari, & quod Dei, Deo; atque ipse quoque in censum didrachma pro se & pro S. Petro pependit. Præcipue autem Judas sicarios & zelotas concitavit, qui gladio & sica eam opinionem tuebantur, & vitam repugnantibus adimebant, nec ullis suppliciis deduci de sententia poterant, adeo ut pueri illa opinione imbuti pertinaci tormentorum patientia spectatores obstupefacerent. Hæc S. Lucas II. S. Matthæus XVII. Josephus libro Antiq. XVIII. & Belli VII. Isidorus libro Etymologiarum quinto, cap. XXXVI.

Atque hoc quidem modo cultus, qui Deo ab hominibus sancta in civitate debetur, est constitutus, cujus summa eo demum refertur, ut vita recte instituatur, atque ex illius præscripto & voluntate formetur. Quod quidem facile obtinebitur, si assidue lex ejus in ore, pectore, manibusque versabitur, id est si dicta, consilia, factaque nostra cum ea consentient: atque ea demum diligentia adhibebitur, ut & Deum diligamus, & Deo dilecti esse conemur, prout ille se velle ostendit, cum fœdere cum Hebræis icto se illis futurum in Deum, Hebræos vero sibi in populum, demonstravit.

NOTÆ AD CAPUT UNDECIMUM.

[1] *Sadducæi nomen a Sadoc*) Qui primi inter Judæos hæretici habentur. *R. Abra. Lev. in Cabb. c.* 1. *clar. Hotting. exercit. anti-Mor.* De his observandum venit (1) quod minus recte *ab Epiphanio hæres.* 14. ceu monet *Nicol. Lyran. in Acta Apost. cap.* 5. a צדק deriventur; repugnat enim vox illa vitæ illorum pravæ, vid. *Drus. de trib. sect. pag.* 140. (2) male etiam a זדון i. e. superbia, deducuntur *vid. Ravanell. biblioth. sacr. fol. m.* 521. Genuina illorum origo desumenda est *a Sadoko*, *Drus. lib. cit. pag.* 120. *Frid. Spanhem. dub. Evangel. part.* 3. *dub.* 29. *num.* 2. *pag. m.* 109. *R. Juda in Cosr. pag.* 29. *Lightfoot hor. Talmud. in Evangel. Matth. p.* 235. *Hammond. in annotat. ad h. l. Theophylactus* de Saducæis, ait quod dicantur ἀπὸ Σαδὼκ αἱρεσιάρχου. Cui consentit *Epiphan.* item Paul. *Burgensis* his verbis: *Sicut Arriani dicuntur ab Arrio*, *qui fuit primus inventor hæresis*: *sic Sadducæi dicuntur a quodam*, *qui nominabatur Sadoc*, *qui fuit primus inventor hæresis Sadducæorum*, *ut habetur in glossa super librum Talmud*, qui dicitur *Avoth*. In commentar. super *Avoth.* a *Sadoc* & *Baithos* vocati sunt discipuli eorum *Sadducæi & Baithusæi*, conf. *Joan. Lightfoot hor. Talmud. p.* 235. *R. Nathan. libri Aruch autor*; Vocantur *Sadducæi* de nomine *Sadoc*. Hi Sadducæi Muhammedanis tam exosi fuerunt, ut obvios quosque sine ullo redemtionis pretio occiderint, vid. *histor. Saracen. pag. m.* 107. Quin etiam expressus in illorum jure canon est talis: *Occidatur Sadducæus neque acceptetur ab eo pœnitentia*, conf. *Schickard. Taarich Pers. pag.* 134. Vixit autem *Sadoc* sub *Antigono Sochæo*, qui *Simeoni* justo successit, & ab Hebræis cum *Jaddua* confunditur; Sed *Josephus* illum ab hoc distinguit. *Edward Simson* refert illum ad *annum Mundi* 3896. *ante Christum* 107. *fol. m.* 33. *part.* 6. Condiscipulum Sadoc habuit quendam *Baithos* nomine, a quo *Baithusæi*. Meminit horum commentarius in *Avoth* per hæc verba; *Coram Antigono sedebant duo discipuli Sadoc & Baithos*, *discipuli Antigoni*: *hoc caput & initium hæreseos*, *nam abierunt tempore Antigoni præceptoris sui*, *ad sanctuarium montis Garizin*, *fueruntque ibi capita sive primores*: & *Baal Aruch*. Expositum est in *Avoth R. Nathan*, Antigonum virum Socho oriundum duos discipulos habuisse, quorum

rum nomina *Sadoc* & *Baithos* : e quibus exierunt duæ familiæ malæ *Sadducæorum* & *Baithusæorum*. Dicti autem *Sadducæi* a *Sadoc*, & *Baithusæi* a *Baithos*. Occasionem & initium hujus sectæ arcessunt scriptores a verbis quibusdam *Antigoni*, bene quidem prolatis , sed in malum sensum a *Zadoko* & *Baithoso* detortis, verba illa *Antigoni* habentur in *Pirke Avoth c.* 1. Ne estote sicut servi , qui serviunt Domino propter mercedem , ut nempe accipiant præmium : Sed estote, sicut qui ministrant principi suo , hac conditione, ne accipiant præmium, & sit Dei timor super vos. *Drus. lib.* 3. *de sectis Hebr. pag.* 120. *seq.* Ex hoc dicto duo isti prænominati sequelam talem formabant . Si Deo nullo mercedis intuitu aut retributionis spe serviendum , Ergo nulla resurrectio mortuorum exspectanda, conf. *R. Samuel Jarchi* . *R. Maimonid. Abraham Zachut lex Talmud. Rabbin. Buxtorff. pag.* 303. *Frid. Spanhem. dub. Evangel. dub.* 29. *part.* 3. *pag. m.* 109.

[2] *Fatum negarunt*) hoc est teste *Josepho Providentiam* divinam , quam Autor noster ut Christianus non bene per *fatum* exprimit Gentilium more . Hanc Numinis Ter Optimi Maximi Providentiam improbissima negatione involvebant teste *Joseph. lib.* 13. *Antiq. Judaic. cap.* 9. & *lib.* 2. *de Bell. Judaic. cap.* 7. Idem de Sadducæis testatur *R. Abrah. Sachut Salmaticensis in Juchasin pag.* 139. & *Anton. Giggæus in Thesaur. Arab. pag.* 135. Unde etiam Muhammedanis exosi: in jure enim ipsorum hic Canon exstat : Occidatur Sadducæus & non accipiatur pro eo pœnitentia vid. cl. *Hottinger. Histor. Oriental. l.* 1. *c.* 8. *pag.* 169.

[3] *Omnia nostro arbitrio* .) In facultatibus animæ *Libertatem arbitrii* ita statuebant, ut nullo discrimine objecti naturalis , moralis , civilis aut spiritualis habito , solius hominis potestati relinquerent boni malique electionem , adeo ut nullam Dei actionem ea in re censerent intervenire , uti ex *Joseph. lib.* 2. *de bell. cap.* 7. modo adducto manifeste colligitur. Ita vires *liberi arbitrii* nimium laudando , *Originale* peccatum penitus tollebant nec fœdissimam ejus labem ac gravissimum reatum agnoscebant.

[4] *Animas mortales*) Putabant enim *Sadducæi* animam nihil aliud esse quam *crasin* , seu *temperamentum quoddam humorum*, in quo errore teste *Theodor.* multi medici versati sunt, vid. *D.Gerhard. Harmon. Evangel. cap.* 157. *fol.* 449. *Josephus lib.* 11. *c.* 12. de *Sadducæis* ita : ψυχῆς δὲ τὴν διαμονὴν ἀναιροῦσι. Non dicit τὴν ὑπόστασιν , sed διαμονὴν , quippe credebant Sadducæi animam una cum corpore interire . Idem *Orig. lib.* 18. *cap.* 11. confirmat his verbis Σαδδουκαῖοι καὶ τὰς ψυχὰς συναφανίζει σώμασι , conf. Joseph. *lib.* 18. *antiq. jud. cap.* 11. & *lib.* 2. *de bell. judaic. c.* 7.

Animas mortales) Anima illis temperamentum sive crasis naturalis elementorum erat , quæ cum corpore interiret seu in nihilum rediret , non autem essentia Spiritualis, quæ a corpore separata post mortem adhuc existeret . Hinc *Joseph. lib.* 18. *cap.* 11. Σαδδουκαίοις δὲ τὰς ψυχὰς ὁ λόγος συναφανίζει τοῖς σώμασι confer. *Muller. Judaism. pag.* 78. *Hackspan. Hottinger. Pfeiffer.* aliosque . Fons erroris erat optimi Præceptoris moniti crassa ignorantia , ac in sequiorem partem detorsio, ut & Scripturæ Sacræ dictorum eo facientium στρεβλότης . Temere ad Scripturæ silentium confugiebat , ut olim *Sadducæorum*, ita nunc *Anabaptistarum* cœtus, ut & *Grotius lib.*2. *de Verit. Relig. Christian.* qui promissiones modo temporales asserit , confer. *disp. Philol. M. Johann. Reiske. Jenæ habit.* 1666. *cap.* 2. §. 3. *Pfeiffer Trihæres. edit. Witteberg.*

[5] *Resurrecturas non esse*) Vid. Hotting. *Thesaur. Philol. pag. m.* 35. de Sadducæis . Quæ secta etiam Muhammedismum infecit, ut patet ex iis , quæ de *Zindiceis* prædictus autor in *histor. Oriental. pag. m.* 360. dixit , cujus & præter meritum insimulabatur insignis ille Arabum Poeta *Abulola Moatriensis* , *de quo Pocok. Miscell. p.* 238. Confirmat hoc & ipsa Scriptura *Matth.* 22. *v.* 23. Σαδδουκαῖοι, οἱ λέγοντες μὴ ἀνάστασιν . Hoc tantopere *Junium* offendit , ut simplicissimum fore arbitraretur , si pronomen לה acceperimus pro לנפשה i. e. sibi ipsi , apud se & cum animo suo. Etenim, inquit, fieri non potest , ut, qui de resurgentium conditione quæsituri erant, tam intempestive resurrectionem negarent futuram esse. At, inquam , fieri non potest , ut ad plurale אמרין referatur eo sensu affixum singulare לה , sed dicendum fuerat להון & hoc accipiendum pro לנפשהון. Ad hunc errorem stabiliendum verba *Job* 7. 9. adducebant. *Deficit nubes & abit , sic qui descendit in sepulchrum, non adscendit*, vid. *Tanchuma fol.* 2.*col.* 4. *Gilber. Genebrard. lib.* 2. *Chronol. pag.* 248.

Resurrecturas non esse] Judæi sacro-sanctum habent resurrectionis dogma, negantemque extra limites vitæ æternæ proscribunt in *Codic. Sanhedr. cap.* 11. *Buxtorff. Synag. Judaic. cap.*3. conf. *plur. Rever. Dassov. tract. de resurrectione mortuorum edit. Witteberg.* 1675. Attamen hi per negatam animæ immortalitatem arctissime cum doctrina hac de resurrectione conjunctam affirmare non poterant , sed pertinaciter inficiabantur. Docet id luculenter Scriptura S. *Matth.* 22. 23. *Marc.* 12. 18. *Luc.* 20.27. *Act.* 23. 6. Hinc etiam *Joseph. lib.* 18. *Antiquit. Judaic. cap.* 11. & *lib.* 2. *de bell. Judai. cap.* 7. *Irenæ. lib.* 4. *c.* 11. *Tertull. de præscript. cap.* 45. *Epiphan. Hæres.* 14. *Hieronym. Dialog. advers. Lucifer. pag.* 146. Inde *Talmud Babyl. Cod. Sanhedr. cap.* 11. *fol.* 90. *cap.* 2. *Rambam R. Abrah. Zachut. R. Nathan & Aruch* . Equidem pestilentissimorum hujusmodi farraginem sine salutis dispendio non colligebant ; sed nec sine præsentissimo vitæ periculo publice , directe ac quovis loco profiteri poterant, uti verba *Maimonidis* declarant . Nihilominus vere ac pro virili impugnabant istud dogma , quamcunque ex Mose deductam consequentiam inficiendo , ac diserta Prophetarum verba in allegoricum , historicum aut alium aliquem sensum detorquendo.

[6] *Omnia videre negarunt*) Omniscientiam Dei itaque negarunt Sadducæi quam gentiles agnoverunt. Consentiunt cum sacris literis de omnimoda scientia Dei Ethnici & profanarum disciplinarum interpretes cujuscunque fuerint religionis . Inter illos *Averroes* qui *in distinct. disp.* 13. ita disserit : *Deus gloriosus est actus , purus & non comparatur scientia ejus scientiæ humanæ & aliquo modo non intelligit aliud præter se , ex quo ipsemet est scientia activ.* Et *Proclus* in *Alcibiade* primum *Platonis* . Persuasum est , inquit , omnibus hominibus , naturaliter ipsam divinitatem omnia nosse animarum intima occultaque momenta. *Cicer.* 2. *de divin.* Ignorare Deus non potest, qua quisque mente sit; & iterum *lib.* 3. *de natur. Deor.* Obscurum Deo nihil potest esse . Conferantur huc etiam Poetæ , *Ovid.* 1. *de Ponto*, & *lib.* 13. *Metamorph. Plaut. in Captiv. Syli. lib.*5. *Sylvar. Simplic. in* 8. *Physic. c.* 408. Cecinit eleganter & Orpheus de Deo : Omnia videt , omnia audit, omnia remunerat . Et Porphyr. libr. ἐκλογίων φιλοσοφίας refert , dæmonem interrogatum , an quis peccator Deum latere posset, respondisse: *Deum nemo fallit, visum non effugit acrem , qui versare dolos verbis factisque paratus*. Ex his constat Sadducæos pejores fuisse Ethnicis.

[7] *Inhumani* .) Hinc moribus suis duritiem & incultam quandam asperitatem contraxerunt teste Josepho ἀρχ. *lib.* 2. *cap.* 12. Σαδδουκαίων δὲ πρὸς ἀλλήλους τὸ ἦθος ἀγριώτερον , αἵ τε ἐπιμιξίαι πρὸς τοὺς ὁμοίους ὡς πρὸς ἀλλοτρίους: *Sadducæi sunt feris moribus inter se discrepantes: Conversatio autem eorum circa exteros inhumana* . Hinc recte *Ambros. lib.* 9. *in Luc.* 20. Sadducæi fuerunt detestabilior Judæorum portio . Quibus accedit *Abrah. Zachut. in Juchas. pag.* 139. inquiens: *Sadducæi fuerunt improbi pessimisque moribus præditi*. Ubi ad judicium deventum, cunctis ad rigorem expensis omnem æquitatis temperaturam neglexisse dicuntur, parum a crudelitate alieni . Unde non absona omnino conjectura *Grotii ad Joh.* 7. qui secessionem re tamen infecta factam Sadducæis autoribus adscribit rigidis in jure dicendo, exequendo. Plura qui desiderat evolvat erudit. dissert. cl. *Joh. Willemer. de Sadduc. pag. m.* 44. 45.

[8] *Ab omni communione aversi*.) Tanta animi arrogantia laborabant ut solos se sapientes ac felices prædicarent, alios alto supercilio contemnerent , sectas vero contrarias velut nimis onerosas atque stolidas prorsus condemnarent.

[9] *Angelos & Spiritum S. ignorarunt* .) Apparet hoc ex dicto isthoc *Act. cap.* 23. *v.* 8. Μηδὲ ἄγγελον μήτε πνεῦμα. Ubi quidam per πνεῦμα *Spiritum S.* intelligunt . Quos juvat ejusdem cap. versus sequens: εἰ δὲ πνεῦμα ἐλάλησεν αὐτῷ ἢ ἄγγελος. Neque

etiam

etiam inusitatum est in scripura, vocabulum πνεῦμα absque articulo positum Spiritum S. denotare, vid. *Joh.* 3. 5. *&* 4. 24. *Rom.* 1. 4. *Josephus Scaliger* autem docet, quod quemadmodum angelus hic indefinite pro omnibus angelis dicitur, ita πνεῦμα quoque indefinite hic accipiendum sit. Angelus enim species est, πνεῦμα genus, quatenus sub eo Angeli continentur. Sensus igitur alleg. dicti scripturæ secundum *Scaligerum* erit: Tantum abest ut Angelum, ut ne Spiritum quidem ullum credant. Hanc sententiam præ cæteris amplectendam esse arbitramur, siquidem Sadducæi Deum ipsum corporeum esse asserere non verebantur, ut scribit *Nicol. Act.* 13. *& Theophilact.* confer. *Wall. in Matth. cap.* 22. *pag. m.* 243. *& Hornbek. de convert. Jud. lib.* 4. *c.* 1. *pag. m.* 309. 310. 317.

Angelos ignorarunt.) Omnem in universum Spiritum negabant. Cum igitur. *Act.* 23. extet. μηδὲ ἄγγελον μήτε πνεῦμα, constat nullum omnino spiritum, adeoque nec animam rationalem superstitem post mortem credidisse. Præstat itaque literali sensui inhærere & per ἄγγελον tam malos quam bonos, per πνεῦμα cum indefinite quemcunque Spiritum tum sigillatim animam rationalem a corpore solutam intelligere. An autem per πνεῦμα Spiritus Sanctus cum *Sigonio nostro* sit intelligendus quæritur? & disceptatum fuit inter Eruditos. *Epiphanius* narratum de Sadducæis reliquit citante *Reiskio*: πνεῦμα δὲ ἅγιον ἐκ ἴσασιν, quod indicat, Spiritum Sanctum non esse Sadducæos credidisse; hæc itaque in præsidium sententiæ convertuntur. Et quid miri? Judæi enim fingunt Spiritum S. non personam, sed oraculi divini genus fuisse & cum primo templo esse desiisse. Hoc loco autem non videtur dicendum, Spiritum Sanctum præcise intelligi. Vix enim in Scripturis N. T. Spiritus S. absolute & simpliciter Spiritus dicitur, sed cum addito Spiritus Domini, uti fuse probavit Johann. Philipp. Pfeiffer. in dissert. Philol. Regiomonte habita §. 2. Illustri *Scaligero* Hellenismum sapit *Elench. Trihæres. cap.* 16. vox ista hæc, insuper ut communior Angelis proxime adposita. Qua fronte negarint Angelos, cum diserte in lege expressum nomen Angeli *Exod.* 8. & alibi? Sistit hic *Vossius lib.* 1. *de Orig. & progress. Idololat. cap.* 6. inquiens. *Verosimile* mihi fit, Sadducæos omnia hæc ex lege eludere solitos: cujus rei gemina ratio occurrit. Una est ut per Angelos intellexerint qualitates a Deo productas in imaginatione ejus, quem de re aliqua velit docere. Altera est, ut putarint Deum producere Spiritus, quando eorum opera uti velit, postea eos destruere: ac producere quidem separando ab anima mundana, quod postea redeat in naturam generalem. Concesserunt quidem Angelos fuisse, commenti autem simul sunt, Angelos fuisse substantias ratione & corpore subtiliori præditas, quæ moriente Mose in nihilum evanuerint penitusque esse desierint, vid. plur. *cit. Pfeiffer. cit. dissert.*

[10] *Omnia æqualiter cum Samaritis.*) Textum Mosis tantum recipiebant, prophetarum vaticinia respuentes: *Tertullian. de præscript. adversus hæret. lib.* 1. ait. *Taceo judaismi hæreticos: Dositheum, inquam, Samaritanum, qui primus ausus est Prophetas, quasi non in Spiritu Sancto locutos, repudiare. Taceo Sadducæos, qui ex hujus erroris radice surgentes, ausi sunt ad hanc hæresin etiam resurrectionem carnis negare. Gorionides capit.* 29. dicit. *Ecce Sadducæi dicunt, ne credamus & ne audiamus ullam traditionem, aut ullam expositionem, nisi legem Moseos solam.* Quibus assentiuntur *Elias Levita in Thisbi Drus. de tribus sectis. Frid. Spanhem. dub. Evangel.* Hos & alios errores Sadducæi cum Samaritanis communes habuisse dicuntur, licet ex Chronico Samaritano, cujus meminit *clar. Hottinger. de resurrect. pag. m.* 11. *&* 12. contrarium eluceat. Sed huic chronico contradicit *R. Eliezer filius R. Joseph. in tractat. Sanhedrin*, quem *lib.* 1. *de resurrect. mortuor. cap.* 1. *num.* 1. *refert Manasse Ben Israel*, in quo affirmat, Samaritanos resurrectionem mortuorum inficiari, ac propterea pluribus argumentis contra illos insurgit, quibus recensitis, subdit *Manasse: His dictis videtur Samaritanis os obturasse.* Joannes quoque *Episcopus Darensis lib.* 1. *de resurrect. corpor. cap.* 1. inter negantes Resurrectionem mortuorum Samaritanos refert. conf. *Joan. Hornbeck. lib.* 1. *cap.* 1. *contra Judæos pag.* 71. 72. *seq.*

[11] *Æqualiter.*) Vix hic stare possunt hæc, cum omnibus Sadducæis omnia Samaritanorum dogmata minime tribuenda sint. Quod autem omnes in universum Sadducæi ætate Christi non fuerint Samaritani, evincit Judæorum odium plusquam vatinianum in Samaritanos, quo vid. *Joseph. lib.* 11. *Antiq. Judaic. cap.* 8. *D. Quistorp. ad Joh. cap.* 4. 9. *pag.* 155. *Hottinger. Thesaur. Philol. pag.* 45. *Sadducæi* enim inter Judæos non tantum publice & libere versabantur, sed populi etiam suffragio summis sæpe honoribus fungebantur. Quod vero quidam Sadducæorum nomine ac censu Samaritanorum tum venerint, confirmant *Textus Talmud.* in hanc rem adducti a cl. *Lightfoot. Hor. Hebr. in Joh.* 4. ubi simul erudite demonstrat, *Samaritanos* illius ætatis præter Pentateuchum Mosis alios Scripturæ libros etiam legisse & pro divinis agnovisse, vid. *plur. cl.* Willemer. *diss. de Sadduc. pag.* 11. *&* 12. *Reisk. de Sadduc.* in fine. *Pfeiffer. de Trihæres.*

[12] *Scribæ.*) Supra aliquid de his dictum, hoc in loco fere omnia cum Pharisæis communia habent, de quibus videatur Joan. *Lightfoot hor. Talmud. pag. m.* 812. *seq. ubi* quamplurima ex Rabbinis adducuntur *M. Johan. Henningi in antiquit. variis Passion. Jesu Christi pag. m.* 12. *seqq. Gerhard. Harmon. Evangel. fol.* 291. *fol.* 412. *Lightfoot. pag. m.* 204. *Drus. de sectis.*

[13] *Pharisæi.*) Nomen quod attinet, rejiciendas censemus origines ejus adulterinas (1) φαρισαίους dictos nunnulli putant, quasi פרוצים ἀποκεκομμένους, quod placet Theophylacto, ἐδόκουν γὰρ, inquit, ἐν τῷ βίῳ καὶ τῇ γνώσει ἀποκεκόφθαι καὶ ὑπερέχειν τῶν ἄλλων, nec enim separatio illorum violenta erat, sed voluntaria (2) Alii existimant illos ita vocatos quasi המ פרשים את התורת פורשים ἐξηγητὰς τοῦ νόμου, tum quia interpretes Hebræis מפרשים potius, quam פורשים, tum quia non omnes inter Pharisæos erant סופרים ἐξήγηται τοῦ νόμου. Sed verosimilius est φαρισαίους dictos quasi פרושים, vel potius פרישין, sive פרישא ἀφωρισμένος a פרש *Chaldæorum & Syrorum*, quod quandoque *transitivum*, & quandoque *intransitivum*, modo significat separare, modo separare se. Proinde פרוש & פריש ἀφωρισμένος *Pharisæus* ex terminatione Syra tunc frequente פרישא, homo vel vitæ instituto, vel sanctitate, separatus ab aliis. Hanc autem vim nominis esse patet ex eo, quod verbum פרש etsi divisionem & separationem notet, non tamen quamlibet, sed eam, quæ fit subtili quadam ratione, significet, vide *Camer. in h. l. Spanhem. dub.* 28. *pag. m.* 105. Joan. *Lightfoot. hor. Talmud. Edward. Simson. Chron. cathol. an. mund.* 3896. *ante Christ.* 107. *part.* 6. *fol. m.* 33. *Scalig. elench. trihæres. cap.* 6. *Hotting. lib.* 1. *c.* 1. *de relig. origin. sect.* 5. *p. m.* 26. *Drus. lib.* 2. *pag. m.* 27. *seq. de Sectis Hebr.*

Pharisæi.) Quo tempore hæc secta cœperit definire non licet. Certum est eam ab excessu Prophetarum ortam esse. Nam ipsorum tempore sectas fuisse nullas erudite demonstrat *Cunæus de Republ. Hebr. lib.* 2. *c.* 17. *pag.* 256. Quod si tamen intimius in Pharisæorum originem inquirere velimus, placet nobis cum plur. *Rever. Opitio* eorum mens qui Pharisæos reliquias fuisse piorum Judæorum affirmare sustinent, illorum scilicet qui vocabantur חסידים a beneficiis, quæ in templa aliasque res sacras conferebant, vid. *Scalig. Elench. Trihæres. Serar. c.* 22. *Drus. de Trib. Sect. Hebr. l.* 1. *c.* 8. conf. *dissert.* Joach. *Von Dam Lips. habit.* 1699. *sub. præsidio doctiss. Rechenbergii.* §. 3. Hi namque turbulentis & funestis Machabæorum temporibus in loca solitaria se recepere; dehinc posteri *Hasidæorum* pristinæ restituti vitæ consuetudini & opinione inflati, proprium sibi vivendi institutum condere cœpere. Eorum opinionem statuentium ex *Tribu Simeonis* ortos fuisse rejectam videbis in dissert. sub præsid. *celeber. Opitii & Rechenbergii.* Tradit vero *Casaubon. contra Baron. pag.* 56. Pharisæos non multo juniores fuisse *Sadducæis. Sadducæi* autem jam extitire annis ante Christum natum nimirum ducentis. *Joseph. lib.* 13. *antiq. c.* 9. propius determinat tempus ortus sectæ hujus: Scilicet meminit Pharisæos temporibus *Jonathæ Assamonæi*, adeoque annis ante nativitatem Christi nimirum 140. extitisse, conf. celeber. *Opitii dissert.* §. 2. ubi plura. conf. *Salden. otia Theol. exer.* 9. *pag. m.* 564.

[14] *Legalium rituum.*) Perſuadebant enim ſibi ſtrictiorem Legis obſervationem. Inde glorioſa ventoſi Phariſæi vox in Evangelio: Ago gratias quod non ſim ſicut cæteri homines. Conſona habet *Elias Germanus in Thisbi*. Peruſchim ſeu Phariſæi ſic dicti, quod eſſent ſeparati a viis hujus mundi. Ritus oſtendit *Pſeiff. in Tribæreſ. aſſert.* 4. *edit. Witterb.* conf. *Joachim von Dam diſſert. ſub. præſidio celeber. Rechenberg hab.* §. 7. *edit. Lipſ.* 1699.

[15] *Vitam abjectam egerunt.*) Vid. *Epiphan. hæreſ.* 16. *de dotrantalibus tabulis*, ſuper quibus ſomnum capere ſolebant, ne diu quieſcerent, ſed tabulis iſtis collapſis ſtatim ad preces excitarentur. Nonnunquam etiam lapillos vel ſpinas ſibi ſubſtraverunt, ne dulci ſomno nimium indulgerent Druſ. all. l.

[16] *Nihil molle nihil delicatum.*) Initio ob vilem victum & amictum quo contenti erant, magni æſtimabantur. *Gloſſ. in Chagig. fol.* 18. 2. dicit: Phariſæi ſunt האוכלי חוליהן בטהרה illi qui comedunt communem victum ſuum in munditia.

[17] *Fato omnia*) Fatum Hebræis vocatur מזל i. e. planeta vel aſtrum, quod ſic agit, ut tamen non cogat. Dicere ſolent Hebræi הכל תרלו במזל omnia pendent a fato, quod Chaldæus ita reddit כלא במזליא הליא, Omnia pendent ab aſtris: quo ſignificant omnia ſubeſſe imperio aſtrorum. Vox מזל etiam fortunam ſignificat, ut cum dicitur מזל טוב i. e. ἀγαθὴ τύχη, quod Seneca explicat, benignius aſtrum & fortunæ influentis donum, quippe *Buxtorffius in Lexic. Hebr. Chaldaico fol. m.* 458. planetas vocat in inferiora influentes a radice נזל fluxit, diffluxit. Sunt etiam qui ab אזל eundo & errando deducunt planetas, litera Aleph eliſa. *Rabbini* & duodecim ſigna cœleſtia & fortunam bonam ſic appellant. *Zonaras de Phariſæis ait:* 189. Fatum eſſe docent, hoc tamen ei tribuentes, ut illius impulſus vincere poſſint. Fato ita tribuunt omnia, ut nihilominus homini non adimant liberum arbitrium, ſive ad bonum, ſive ad malum. Joſeph. orig. jud. lib. 18. Abraham Zachut dicit: Credunt quidem planetam juvare, nihilominus relinquitur liberum arbitrium in manu hominis; vid. *Voſſ. de Idol. lib.* 2. *p.* 560. 561. *ſeqq.*

Omnia fato) In prioribus annotatis communem opinionem Doctorum ſecuti ſumus aſſerentes, Phariſæos omnia fato tribuiſſe. Sunt etiam alii qui cum limitatione quadam aſſerunt uti etiam affirmat *plur. Rever. Opitius in diſſert. Philol. de Phariſæis Kilon.* habit. quando in hæc prorumpit verba: Omnia vel ſaltem *pleraque* fato & aſtris regi credebant, ita tamen ut nihilominus ſartam tectam homini relinquerent libertatem. *Pleraque* dicimus, non *omnia* ut voluiſſe videtur *Joſeph lib.*18. *c.*2. Πράσσεσθαι τε εἱμαρμένῃ τὰ πάντα ἀξιοῦντες, οὐδὲ τ ἀνθρώπῳ τὸ βουλόμενον τῆς ἐπ' αὐτ' ὁρμῆς ἀφαιροῦνται: *fato quæcunque geruntur tribuunt, nec tamen homini voluntatis aſſenſum adimunt.*

[18] *Hemerobaptiſtæ*) Dicti ſunt apud judæos, qui religionis cauſa quotidie lavabantur. De *Bano Eremita* illo, cujus ζηλωτὴς initio vitæ ſuæ *Joſephus*, perhibent ſcriptores illum ψυχρῷ ὕδατι τὴν ἡμέραν κὶ τὴν νύκτα πολλάκις λούεσθαι πρὸς ἁγνείαν, purificationis cauſa frequenter interdiu & noctu frigida ablutum. Idem quoque faciebant *Sacerdotes Ægyptii*, ut videre eſt apud *Herodot.* 2. 37. conf. *Joh. Marſham. Chron. Canon. ſecul.* 9. *pag.*218. A *Phariſæis* hæc Hemerobaptiſtarum ſecta originem trahit, qui lotionibus admodum dediti erant, toties ſe abluentes quoties a foro recedebant, quo coram plebe religioſiores viderentur vid. *Daniel Heinſius in Ariſtarch. ſac. fol. m.* 743. 744. *William Atterſol. comment. in Num. cap.* 3. *fol. m.* 149. ita dicit: *Hemerobaptiſts, or quotidian Waſhers, Who tought that noman could be ſaved, if hee not were waſhed every day, that he might be clenſed from the impurity and filthineſſe of ſinne.* Confirmat hoc *Druſ. de trib. Sectis, lib.* 2. *cap.* 15. verbo græco βαπτίζεσθαι, ſed hoc eſt elumbe argumentum. Non tamen negamus inter שבל & נטל diſcrimen intercedere vid. *Eduard Pocok. c.* 9. *Miſcell. p.* 390. *ſeqq.* Adſcribam tamen verba *Eduard. Pocock. cap.* 9. *miſcell pag.*410. hæc habet. Neſcio an ab ea lotione, qua ſe pararent, ut cibo capiendo magis idonei eſſent, Hemerobaptiſtæ nomen meruerint. Si vim vocis capio proprie Hebræorum טבול יום eo die lotum denotat.

[19] *Oſſeni*) Alias *Eſſeni* dicuntur, qui unde deriventur haud facile dictu eſt, ob diverſam nominis hujus variationem. Hebraice namque teſte *Hottingero in theſ. Philol. l.*1. *c.*1. *ſect.*5. *p.*33. audiunt איסיאי. In libro *Juchaſin* vocantur אשינוש. *Scaligero vero in Elench. Tribæreſ. c.* 26. *pag. m.* 338. dicuntur חשיא. Eadem quoque diverſitas apud Græcos Scriptores occurrit; Siquidem apud Joſeph. *lib.*15. ἀρχαιολ. *c.*13. *edit. Baſ. pag.*481. ſcribitur Ἐσσαῖοι Ἐσσηνοί, Ἐσσηνοὶ *lib.* 13. ἀρχαιολ. *c.*9. & *l.* 18. *c.*11. neque non *l.*11. ἁλώ. *c.*12. ſemper vocantur Ἐσσηνοί, quamvis in ultimo loco MS. Codex Cæſareanus, quem *Augerius Buſbequius* ſibi *Conſtantinopoli* comparavit, habeat Ἐσσηνοί. Apud *Georg. Syncell. in Chronographia pag.* 295. legitur Ἐσσηνῶν. Non minor nominis diverſitas apud Latinos reperire eſt. *Martinus Delrio in adag.* 1130. *pag.* 605. Eſſæni ſcribit. In indiculo hæreſeon, qui tribuitur *Hieronym. Eſſeni* legitur. Apud *Rabanum lib.* 2. *de Cler. inſtit. c.* 98. *Eſnæi* vel *Eſnæiſtæ*. Apud *Iſidor. l.* 8. *Etym. c.* 4. conſimiliter *Eſnæi* dicuntur. Communis lectio eſt *Eſſæni* ſive *Eſſæi*. *Druſius in lib. de trib. ſect. & Johan. Leuſden in Philol. Hebræo p.* 38. malunt pronuntiare Heſſeni ſive *Heſſæi*, quam *Eſſeni* ſive *Eſſæi*. Melior tamen *Sculteti* & *Joan. Camer.* opinio, qui ſine adſpiratione Eſſeni ſcribunt. His de diverſa hujus vocis lectione præmiſſis, ad ejus Etymologiam indagandam progredimur. *Matth. Cheſneux in ſpeculo Chronol. l.* 5. *pag.* 411. ab *Eliſæo* nomen *Eſſæorum* deſcendere autumat, quæ deductio conſenſum haud meretur. Longius a vero abit Jac. Bouldouch Pariſinus *in Eccleſ. ante & poſt leg. l.* 1. 13. 14. ubi ab Enos eos derivat, ajens, Eſſæiſmi dicuntur quaſi Enoscæiſmi. *Valentin. Schindl. lexic. Pentaglott.* ad vocem חסיר *pag.* 618. ait Aſidæos poſtea dictos fuiſſe חשונים i. e. rebelles, & inde eſſe vocabulum Eſſeni. *Epipham.* a Jeſſe Davidis patre, vel a Jeſu Servatore noſtro, teſte *Serario*, deducit. Verum hac in re erraſſe *Serrarium* patet, quia *Epiphan. hæreſ.* 29. *l.* 1. *tom.* 2. *pag.* 117. ex profeſſo de Nazaræis agit, quo nomine omnes Chriſtianos primitus inſignitos fuiſſe docet. *Philippus Melanchton. l.* 2. *Chronol.* Eſſæos ab עשה *operari*, deducit. Quem ſequuntur *Matth. Dreſſer. in Iſag. hiſtor. p.* 299. *Henr. Gutberleht. in Chronol. p.* 182. *Althoferus in Harmon. p.* 822. *Georg. Fabri. l.* 10. *hiſtor. ſacr. p.* 474. *Lambert. Danæ. comment. in Auguſt. de hæreſ. David Chytræus* in *Onomaſti. Theol.* *ſed Scalig. in elench. Tribæreſ. c.* 17. *p.* 291. *Scultet. in Exercit. Evangel. c.* 27. *Martin. in Lex. Philol.* non omnino hanc derivationem approbant. *Fuller. miſcell. ſacr. lib.* 1. *c.* 3. *pag.* 31. non incommode Eſſæos ab אסא i. e. ſanare, curare deducit innixus autoritati *Philon. in lib. de vit. contempl.* Forſan & huc reſpexit *Alexander Roſſæus in tract. de relig. p.* 34. quando ait, eos ſcilicet dictos a peritia ſanandi morbos. Complurimi conjectant *Eſſenorum* nomen ortum eſſe a voce Syriaca חסיר, quæ denotat *pium*, *ſanctum*. Huic ſententiæ conſentiunt *Rainoldus prælect.* 179. *de libr. Apocryph. p.* 808. *Serarius lib.* 3. *tribæreſ. cap.* 2. *p.* 179. *Bertram. de Republ. Hebr. cap. ult. p.* 340. *Jacob. Capell. in hiſtor. ſacr. Salmaſii in exercit. Plin. ad cap.* 35. *Solini*, ſententia eſt, Eſsenos nec ab autore ſectæ, nec ab ulla re, quæ huic ſectæ congruat, nominari potuiſse, quia appellatio iſthæc gentilis eſt, ideoque autumat, Eſsenos a loco ſeu oppido ita vocatos eſse.

[20] *Originem duxerunt.*) *Plin. lib.* 5. *hiſtor. natur. c.* 17. & C. Jul. *Solinus in Polyhiſtor. c.* 35. nimiam Eſſenis vetuſtatem tribuunt. Quibus *Serarius l.* 3. *Tribær. c.* 9. *pag.* 158. contradicit demonſtrans Eſſenos ſtatim poſt exitum ex Ægypto cœpiſſe. Iisdem refragantur *Baron. in annal. ad ann. Chriſti* 64. *n.* 6. *R. Salom. Jarchi & R. David Kimchi*. Alii *Eſſenos* a *Rechabitis* deſcendere putant. Hanc opinionem tenent *Suidas*, *Baron.* all. l. *n.* 7. *Heurnius*, *lib. de primord. Philoſ. Babylon. Matth. Cheſneux in ſpec. Chronol.* quæ dupliciter intelligi poteſt, primo, quod Eſſeni a Rechabitis propagati ſint, vel ſecundo quod Eſſeni Rechabitarum imitatores fuerint. Hoc concedi quodammodo poſſe videtur; illud neutiquam. Siquidem tempore *Jeremiæ ſectas nullas* fuiſſe demonſtrat *Petr. Cunæus*

de

de Republ. Hebr. l. 2. *p.* 148. Exiſtimamus tamen cum *M. Eberhard. Rudolph. Roht. diſſ. de Eſſæis* §. 8. haud abſurdum, ſi dicatur: Eſſenos a Pythagoræ inſtitutis nonnulla ad ſua transtuliſſe. *Scaliger Eſſenorum originem* arguto penicillo adumbrat *Tribær, c.* 22. *p.* 214. cui pollicem premunt *Edward. Simſon. Chron. cathol. part.* 6. *ad ann. mund.* 3891. *pag. m.* 33. *Martin Delrio in adag. lib. adag.* 1030. *p.* 605. *Sixtin. Amama apud Druſ. de trib. Sect.* Alii in ea verſantur opinione, Eſſenos poſt *Antiochi* tyrannidem coortos eſſe, h. e. ſub initia principatus *Maccabaici*. Ita ſentit *Montacut. appar. ad orig. Eccl.* 7. *p.* 244. *Hotting. Theſ. Philol. p.* 39. *Fuller. Miſcell. ſacr. c.* 3. *p.* 341. *Joh. Leuſden Spicil. Philol. cent.* 4. *p.* 389. Verum probabilius videtur, Eſſenos demum poſt Eſdræ tempora natos, quod ſtatuit *Auguſtin. Torniell. in Annal. ſacr. tom.* 1. *ad a. m.* 2545. *p.* 519. Et non diu ante Haſmonæorum tempora ſemina ſectæ Eſſenorum ſparſa fuiſſe ex Rabbinis conſtat, vid. *diſput. cit.* §. 10.

21 *Nuptias reſpuerunt.*) Hinc diſſenſio inter illos nata, quippe alii erant ἄγαμοι, quos de majori collegio fuiſſe ait *Joan. Selden. de jur. nat. & Gent. l.* 5. *c.* 3. *p.* 570. alii ἔγγαμοι. Hi exiſtimabant genus humanum interiturum, ſi nullæ uxores ducerentur, ideo procreandæ ſobolis cauſa matrimonia celebrabant. Illi vero arbitrabantur, ne ullam quidem fœminam in rerum natura eſſe, quæ fidem viro ſervaret. *Joſeph. l. 6. antiq.* Sed ſi nullæ apud Eſſenos nuptiæ, etiam ſunt nulli liberi, cum vetita Venere nequaquam uterentur, quippe apud quos caſtitas, & aliæ virtutes divinæ florebant. Unde igitur illorum cœtus ſuſtentabatur? Joſeph. reſpondet alienos filios illos adoptaſſe.

22 *Bona ſua cum ſociis.*) Sic etiam *Joſeph. lib.* 2. *ἁλώσ c.* 12. Item *lib.* 18. *antiq. c.* 11. ſtatuit. Ratio hujus eſt, quia hoc modo fit, ne vel paupertatis humilitas, vel divitiarum dignitas appareat, ſed permixtis facultatibus velut inter fratres unum ſit omnium patrimonium, conf. *Euſeb. lib.* 8. *præp. Evangel. c.* 12. *p.* 283. Obſervandum vero, quod non omnes omnia habuerint communia, quippe qui adhuc ſub probatione erant, a communi menſa excludebantur. Itaque hoc ſolum de exploratis & probatis intelligendum venit. Sed ſi omnimoda apud Eſſenos bonorum communio fuerit, facile contingere potuiſſet, ut bona illa immodicis conviviis abſumta fuiſſent. Reſpondetur, Eſſenos exactiſſimam illorum bonorum curam geſſiſſe vid. *Joſeph.* all. l. Quemadmodum vero nihil proprii apud eos erat, ita quoque emtio, venditio, aliique contractus exulabant.

23 *Sacrificia cum populo non celebrant.*) Quanquam Eſſeni non immolarint, tamen Sabbathum magna animi devotione colebant ita ut ne quidem vas de loco in locum moverent, ne Deorum conſpectum offendere viderentur Joſeph. l. 2. ἁλώσ c. 12. *Genebrard. vertit* ita: *a celle fin, qu' ils ne faſſent injure aux rayons que dieu donne par le Soleil.* Ex his fortaſſis *Scalig. Elench. Tribæreſ. c.* 20. *p.* 307. probare conatur, Eſſenos ſolem adoraſſe, quem ſequitur *Abrah. Scultetus in Exerc. Evang. l.* 1. *c.* 22. *p.* 78. Verum huic ſententiæ minime adſtipulandum, quippe a *Philone* & *Joſepho* ſancti dicuntur, & in nullam aliam rem majorem impendiſſe operam, quam in cultum Dei. Hoc confirmat *Georg. Cedrenus in hiſtor. compend. p.* 198. Clarius *Salmanticenſ. his verbis: antequam oriretur ſol, non loquebantur niſi de laudibus Dei benedicti.* Item *Genebrardus*, qui ita ait: *devant que le Soleil ſoit leve, ils ne parlent d' aucune choſe profane: mais il luy c' eſt a dire au Dieu, font des voeux & oraiſons a la facon du pays, a ce qu' il luy plaiſe faire luire ſa face ſur eux.*

24 *Munditie & ſanctitate &c.*) Studioſi munditiei erant, *conferatur Joſeph.* all. ſæpe l. quem *Rufinus* ita vertit *linteiſque præcincti velaminibus ita corpus aquis frigidis abluunt.* Cauſam ſubdit *Salmaticenſis*: Lavant corpus aqua frigida ad debilitandum deſiderium coitus, expanduntque ſuper caput ſudarium album.

25 *Agriculturæ ſtudent.*) *Euſeb. lib.* 8. *præparat. Evangel. c.* 11. refert, alios agriculturæ deditos fuiſſe, alios paſcendis gregibus operam impendiſſe. Sed priori maxime operam dabant teſte *Joſeph. lib.* 18. *antiq, c.* 2. Fallitur igitur *Petav. miſcell. Exerc. c.* 2. *p.* 350. ſcribens Eſſenos Agricolas fuiſſe, a Joſepho literis non eſſe proditum.

26 *Viros optimos eligunt.*) Non temere aliquem in ſuum ordinem, cooptabant, ſed magna cautione adhibita exploratum aſſumebant vid. *Joſeph. lib.* 2. *ἁλώσ. c.* 12. quem *Ruffin.* ita reddidit. *Cum Sectæ ſuæ ſtudioſis non ſtatim una collectio, ſed per annum integrum extrinſecus commoranti, cuique eundem victus ordinem tribuunt, dolabram quoque, & quod prædictum eſt, perizoma & albam veſtem. Cum vero ſucceſſu temporis experimentum continentiæ dederit, accedit etiam ad communem cibum & purioribus, ob caſtificationem, ſc. aquis participat. Neque tamen in convictum aſſumitur. Poſt oſtenſionem continentiæ, duobus annis aliis mores ejus probantur: cumque dignus apparuerit, tunc demum in conſortium aſſumitur*; de variatione textus videri poteſt prædicta *diſput. ubi pluribus* de hac re agitur. Audiamus etiam *Joan. Druſ. lib.* 4. *de trib. ſect. Jud. c.* 22. *p.* 193. ubi ita diſſerit. Cum aliqui volunt ingredi morem & ritum eorum, non ſtatim aut e veſtigio recipiunt eos, ſed cibum & potum eis præbent annum integrum, & dant in manum eorum ſecurim, induuntque eos indumento candido. Poſt exactum annum ſi viderint mores illorum bonos eſſe, adducunt eos in medium cœtus ſui, docentque baptizare, ut aſſueſcant eſſe ſancti. Denuo poſt biennium introducunt eos in cœtum ſuum.

27 *Cibum ſimplicem.*) Erant frugalitatis amatores. Nam a Joſepho eis tribuitur perpetua ſobrietas, & edendi ac potandi modus temperatus *Hieronym. lib.* 2. contra *Jovianum* ſcribit, *Joſephum* Eſſenos miris laudibus efferre, propterea quod & ab uxoribus, & vino, & carnibus ſemper abſtinuerint, & quotidianum jejunium in naturam verterint. Verum enim vero, quod pace Sancti patris dictum ſit, in tota Eſſenorum deſcriptione *Joſephus* nullius a vino carneve abſtinentiæ mentionem facit, ſed deſcribit tantum νήφειν, hoc eſt ſobrietatem, frugalitatem & temperantiam eorum. *Porphyr. de abſtin. animal. c.* 4. *de* Eſſenorum victus temperantia pluribus agit: Cujus mentem *Lucas Holſteinius* his paucis exprimit: *tanta eſt eorum in victu ſimplicitas, ut die ſeptimo non opus habeant, ut ventrem levent.*

28 *Habitum parcum.*) In veſtibus minime ſumtuoſi erant. Hieme enim, teſte *Euſeb. lib.* 8. *præpar. Evangel. c.* 11. hirſutis ac villoſis: æſtate vero ſimplicioribus & levioribus palliolis induebantur. *Joſeph.* all. l. Interprete *Rufino* ita loquitur: *Amictus cultuſque corporis omnibus pueris, in metu ſub cura Magiſtri agentibus, par eſt.* Senſus *Joſephi* eſt: Habitus corporis & amictus *Eſſenorum* non abſimilis eſt pueris, qui ſub pædagogo informantur, h. e. utebantur *Eſſeni* unica veſte, & quidem æquali, ſicut pueri, qui ab ipſis erudiebantur. Vel *Eſſenis* erat habitus vilis, omnibus æqualis, modeſtus, non ſplendidus, ſicuti pueri, qui ſub ferula magiſtri ſunt, pretioſa veſte uti non ſolent. Utebantur autem veſte candida, cujus rei ratio poteſt ab illo *Salomonis Eccleſ.* 9. 8. derivari. *Omni tempore ſint veſtimenta tua candida.* Id quod tamen aliter intelligendum eſſe docet *Druſius in quæſt. ad h. l.* Præterea Eſſeni nec veſtes, nec calceos mutant, niſi aut omnino conſumtis prioribus, aut longi temporis uſu contritis.

29 *Seniores loco parentum habent.*) Senibus obedientes debitam obſervantiam præſtabant, de quo Philo & Joſeph teſtimonium dicunt. Ille in libro quod omnis probus liber p. 679. pro ætatis ordine juniores ad ſeniorum pedes conſidunt, & ad audiendum ſe componunt. Et ex intervallo juniores ſenioribus debitam curam, honorem, reverentiam exhibent, tanquam germani filii, labantem eorum ætatem fulcientes modis omnibus, tam conſiliis quam miniſteriis. Hic lib. 2. ἁλώσ c. 12. & licet hic aliqua ſit controverſia de genvino ejus ſenſu, attamen non abſurdum fuerit ſi ita vertatur. Senioribus obſecundare, laudi ducunt. Si ergo una ſedeant decem, nemo invitis novem reliquis loquetur.


30 *Traditiones.*) Judæi legem oralem fingunt te-

ſte

ſte Joan *Hornbeck. lib.* 1. *c.* 1. *cont. jud. pag.* 60. de qua librum conſcripſit *R. Jebuda* per aphoriſmos compoſitum, nempe *Miſchnajoth* appellavit, δευτέρωσιν. De utraque lege diſtincte agit *Iſaac Abarbanel lib. de capit. fidei cap.* 8. & *Maimonid. in halachot Jeſude thora*, *ſive de fundament. leg. cap.* 9. §. 8. Pſeudoprophetam, ait, dignum eſſe ut laqueo ſtranguletur, qui aliquid eradicarit ex verbis, quæ traditione accepimus. Et alibi inter Apoſtatas, legis abnegatores ponit, eoque refert etiam negantes expoſitionem, ſive legem oralem.

[31] *Quas fimbrias & phylacteria Phariſæorum.*) In novo Teſtamento fimbria vocatur κράσπεδον. *Deut.* 22. 2. in Hebræo eſt כנפות, quod a *LXX.* vertitur χρασπέδιον, vid. *Walle. comment. in Matth. cap.* 23. *pag. m.* 252. Alias ab Hebræis ejuſmodi veſtis ציצית Zizith vocatur. In Talmud. שלית quia ſupra omnes veſtes. In veſte hac exteriori intextæ ſunt fimbriæ iſtæ memorativæ legis. Hinc illud *Babyl. Shabb. fol.* 23. 2. Qui curat de peniculamentis, meretur bonam tunicam; vid. *Joan. Lightf. hor. Talmud. p. m.*283. *ſeq.* Qui de candela Sabbathina curat, futuri ſunt ejus filii diſcipuli ſapientum: quippe de ציצית fimbriis veſtimento attexendis adipiſcetur bonam tunicam. *Paul. Fag. in Paraphraſ. Onkel. cap.* 15. *Num.* ſic diſſerit. ציצית *eſt tanquam cinnus capitis*, *ſuntque fila retortæ*, *vel extremitas veſtis*; h. e. quod relinquitur poſt texturam in panno, quodque pendet ab illo vocatur zizith, in qua ſententia eſt *R. David Kimchi*. Prolixe explicatur libro *Arbaturim in tract. Orach Chajim Gerhard. harm. Evangel. fol.* 394. *cap.* 153. conf. *Menaſſ. Theſouro dos dinim. part.* 1. *cap.* 3. *Maimonid. halach. Tzizith.* Phylacteria autem Hebraice *Tephillim* ſunt ligamenta coriacea, quibus includitur membrana, inſcriptas habens quatuor legis ſectiones, non vero ut *Hieronym.* putat Decalogum. Porro φυλακτήριον Græcis eſt περίαμμα amuletum, quod alligatur corpori adverſus faſcinationes. conf. *Druſ. lib.* 2. *de trib. ſecti. pag.* 103. *R. David Kimchi* vocat *Totaphoth.* Nam טט in lingua Ægyptiaca duo & פת in lingua Africana etiam duo, & ex mente *R. Salo. Exod.* 13. 16. Totaphoth ſic dicta quod quatuor habeant domos. Ligamenta vero illa precaturi apponunt fronti & brachio ſiniſtro: illud תפלין של ראש *frontale*: iſtud appellant תפלין של יד *Manuale*. Legis ſectiones ſunt *Exod.* 13. *verſ.* 2. uſque ad 9. Alterum ex eodem capite a *verſ.* 11. *ad* 16. de hac Etymol. vid. *Fuller. Miſcell. lib.* 5. *cap.* 8. *Petit. var. lect.* 11. *cap.* 3. Tertiam ſectionem ſumunt ex *Deut.* 6. *a verſ.* 4. *ad* 9. Ultima denique ſectio eſt *Deut.* 11. 13. *ad verſ.* 20. plura qui de hac re deſiderat, evolvat allegatos autores.





I. N. J.

CAROLI SIGONII
DE
REPUBLICA HEBRÆORUM
LIBER VI.
Qui de Consiliis & Judiciis inscribitur.

CAPUT PRIMUM.

De Civitate.

MAXIMA ac difficillima hujus disputationis parte perfecta, id est Religione satis, ut judicare possumus, perpolita, tempus est ad reliquam aggredi, sequitur enim, ut de [1] Civitate, id est de ratione administrandæ a civibus reip. disseratur. Neque enim cum M. Varrone, eruditissimo quondam viro, sentimus, qui de rebus divinis humanisque disputaturus, ab humanis propterea se ordiri testatus est, quod prius civitates extitissent, deinde religionem instituissent, cum potius contra sit, atque ille putavit. Vera enim, ut S. inquit Augustinus, religio non a terrena aliqua civitate instituta est, sed plane cœlestem ipsam instituit civitatem, eam vero inspirat ac docet verus [2] largitor vitæ æternæ Deus, quem Varro cum suis æqualibus ignoravit. Civitatem ergo post religionem expositur, universam tractationem in tres partes dividimus; Consilia, Judicia, & Magistratus. Sic enim in iis quoque libris fecimus, quos de rep. Atheniensium composuimus. Qua in re hanc potissimum rationem consiliumque sequuti sumus: Omnis civilis societas, ut inquit in Politicis Aristoteles, utilis ac justi communione conciliatur. Harum enim duarum rerum soli homines notionem adepti sunt, quod soli etiam [3] sermonis compotes facti sint, quo illa inter se, re postulante, communicarent. Utilitatem autem Consilia, æquitatem Judicia perscrutantur. Quoniam autem hæc

hæc cœtus quidam ſive Conſultorum, ſive Judicum ſunt, propterea duce ac principe aliquo eguerunt qui eos convocaret, atque ad eos, quæ eſſent de utilitate & jure diſcutienda, referret. Neque enim multitudo regi ſine capite aliquo poteſt. Qui vero aut Conſiliis, aut Judiciis præfuerunt, Magiſtratus appellati ſunt. Quamobrem duobus ſequentibus libris ita civilem hanc Hebræorum reip. adminiſtrationem perſequemur, ut hæc tria præcipue, Conſilia inquam, Judicia, & Magiſtratus, ediſſeramus.

NOTÆ AD CAPUT PRIMUM.

[1] *De civitate.*) Hebræi Civitates, urbes oppidaque triplici etiam nomine deſignant כפרים & כרכים & עיירות quibus apud Evangeliſtas reſpondent *πόλεις* & *κώμαι* & *κωμοπόλεις*. כרכים redduntur per *πόλεις* & עיירות per *κωμοπόλεις* ex ſenſu eorum, quæ leguntur *Bab. Chetub. fol.* 110. *Vir non poteſt uxorem cogere, ut eum ſequatur habitatum* לא מעיר לכרך ולא מכרך לעיר *non ex oppido in civitatem, nec ex civitate in urbem*. Cujus rei ratio eſt reſpectu כרך civitatis, quia in civitate reperienda & habenda ſunt quælibet, אלא בעיר aſt in oppido non habenda ſunt quælibet, nam ſecundum Gloſs. כרך major eſt עיר oppido & in כרך civitate locus eſt platearum quo conveniunt omnes circum habitantes ad forum ibique habenda ſunt quælibet. Rem in compendio ſic habeto: Urbes terræ Iſraeliticæ diſtinguuntur in כרכים oppida mœnibus cincta in diebus Joſuæ & עיירות urbes ſive munitæ ſint, nec ne, ſive vocentur גדולות *magnæ* ſive קטנות parvæ, modo ibi ſint decem homines otii, orantes & legentes legem.

[2] *Largitor æternæ vitæ* Deus.) Quemadmodum omnia entia eſſe ſuum dependens habent a ſummo illo Ente, ita & Imperia ab unico hoc fonte promanant. *Patric. l.* 1. *de regno cap.* 11. Deus varias Rerumpubl. formas, vices & mutationes ordinat, gaudetque diſtinctione ſtatuum & ordinata hominum, pro diverſitate donorum, in quemcumque eorum collatorum, diſpoſitione. Epicuri enim opinio jam dudum exploſa eſt, qui homines temere & fortuito caſu coaluiſſe ſomniabat. *Cic. lib.* 1. & 2. *de natura Deorum*. Genuina vero cauſa impulſiva ſocietatum humanarum eſt naturalis hominum inclinatio divino afflatu incitata; vid. Georg. Schonborn. *polit. lib.* 1. *cap.* 4. *pag. m.* 8. conf. Cyriac. Lentul. *polit. part. anter. p. m.* 147. *ſeqq.*

[3] *Sermonis compotes.*) ponit Autor noſter argumentum a ſermone, ceu communionis cauſa ſumtum *λόγον δὲ μόνον ἄνθρωπος ἔχει τῶν ζώων*. Solus omnium animalium homo ſermonis commercium habet. Sermo vero homini datus eſt ideo, ut ſignificare poſſit proximo quid in animo habeat, quid ſibi utile ſit, & ſoli etiam homini competit, ut ſocietatem colere poſſit. Huc faciunt egregia illa verba, quæ *Il Signor Stefano Guazzo, libro primo, della civile converſazione* habet, quæ huc reponere non pigrabor. *Se queſta non baſta, egli ſoggiunge, che la medeſima natura ha dato la favella all' uomo; non già perchè parli ſeco medeſimo, il che ſarebbe vano; ma perchè ſe ne ſerva con altri; e voi vedete, che di queſto inſtromento ci ſerviamo in inſegnare, in dimandare, in conferire, in negoziare, in conſigliare, in correggere, in diſputare, in giudicare ed iſprimere l' affetto dell' animo noſtro, con quali mezzi vengono gli uomini ad amarſi, ed a congiungerſi fra loro, e conchiudere alla fine, che non ſi può ricevere alcuna ſcienza ſe non ci è inſegnata da altrui.*

CAPUT SECUNDUM.

De Conſiliis.

CONSILIA ergo appello cœtus illos, qui ea præcipue ſtatuerunt, [1] quæ ſtatum reip. univerſæ continuerunt, ut bellum, pacem, annonam, fines, legum inſtitutionem, magiſtratuum creationem, & quæ generis ejuſmodi ſunt, quod eſt nihil aliud, quam de ſingulari utili diſceptare, quod comprehendi lege non potuit. Hæc vero Conſilia, ut in cæteris Rebuſpublicis, ſic in ipſa etiam Judaica, duo extiterunt, aut enim promiſcue ab omnibus, aut ſeorſum a paucis, iiſque natu grandioribus inita ſunt: & quidem, ſi ab univerſis, Concionem; ſi a parte, Senatum appellaverunt. Atque hoc etiam ſenſiſſe David in Pſalmis videtur. Etenim de laudibus Dei in omnibus cœtibus celebrandis agens, & Concionis & Senatus mentionem poetice fecit, ut cum inquit: *Confitebor tibi Domine in toto corde meo, in conſilio juſtorum, & congregatione.* Et alibi: *Exaltent eum in Eccleſia plebis, & in cathedra ſeniorum laudent eum.* Item: *Odivi Eccleſiam malignantium, cum impiis non ſedebo.* Pro concione enim dixit congregationem, Græce *συναγωγήν*, & Eccleſiam; pro ſenatu conſilium, ſeu Βȣλὴν, & cathedram ſeniorum; tertium etiam adjuncturus, ſi uſus ſuæ, quam intuebatur reip. permiſiſſet.

NOTÆ AD CAPUT SECUNDUM.

[1] *Quæ statum Reipubl. &c.* —— *creationem Magistratuum &c.* i. e. qui summam in Republica habebant potestatem, vel Majestatem. Inter Jura ex quibus illa constituitur, præcipuum est jus legum ferendarum (2) jurisdictio sine provocatione, quia frustra ferrentur leges, si essent absque potestate exequendi & in delinquentes, animadvertendi, ut ait Jacob. *VI. lib.* 2. *βασιλ. δωρ.* (3) potestas instituendi magistratus inferiores. Nam qui imperium & *τὸ κύριον* in Rep. habent, Magistratum constituere possunt. Hinc *Zonara* inquit: *Creatio Magistratuum pars maxima est muneris Imperatorii*. (4) potestas exigendi tributa & vectigalia. (5) *Potestas belli gerendi*, *pacis pangendæ*, *armorum tractandorum*, quæ consistit non tantum in cura armamentarii publici, sed ut Cicero *pro Rabir.* In potestate disponendi & statuendi de indicendo gerendoque bello; de qua Plato *in XII. de legib.* sanxit: si quis consilio suo absque authoritate communi pacem inivit, aut bellum movit, ultimo supplicio condemnetur. Quæ enim universam Rempubl. attinent, sine periculo privato cuipiam concedi nequeunt. His alia plura jura Majestatica addi possunt, quæ vide sis apud scriptores juris publici.

CAPUT TERTIUM.

De Concione.

POPULI porro Concio in sacris libris duabus vocibus Græcis plerumque est explicata, [1] Synagoga, & [2] Ecclesia, ut ex locis quoque modo prolatis cognoscitur. Neque enim adhuc erat illa inter Synagogam & Ecclesiam differentia, quæ post traditum a Christo Evangelium intercessit. Ut autem tres, quemadmodum ab initio dixi, Hebræorum quasi respublicæ fuerunt, totius populi, singularum tribuum, & singularum in quaque tribu civitatum; sic tres quoque populi Conciones extiterunt, una, in quam omnes tribus Israel convenerunt; altera, in quam omnes unius tribus familiæ; tertia, in quam universi cujusque civitatis viri, de quibus sigillatim, quod nobis compertum sit, exponemus.

Universi igitur populi Concio a Deo est instituta. Hujus rei illa testimonio sunt, quod is sæpe Moysen in Exodo alloquens dixit: *Loquere filiis Israel. Loquere ad universum cœtum Israel*, & quod populus respondit: *Quæ locutus est Dominus, faciemus, & obedientes erimus.* Quin etiam cum Deus omnia Mandata, Præcepta, Justificationes, Judicia, & Testimonia sua exponi jussit omnibus filiis Israel, sane popularem hanc, de qua agimus, Concionem instituit. Unde illa sunt Exodi XXXV. *Congregata omni turba filiorum Israel*; & Numerorum XXVII. *Josue stabit coram Eleazaro sacerdote, & omni multitudine, & dabit ei præcepta cunctis videntibus, & partem gloriæ suæ, ut audiat eum omnis synagoga filiorum Israel*; & Deuteronom. IX. *Dedit mihi Dominus duas tabulas lapideas, quando concio populi congregata est.*

Hanc autem universi populi Concionem nemo convocare potuit, [3] nisi qui summo cum imperio fuit, ut Duces, Judices, Reges, & Principes. De Duce elicitur ex XXIII. Josue: *Vocavit Josue omnem Israelem, Seniores, Principes, Judices, & Magistros eorum.* Et sequenti: *Congregavit Josue omnes tribus Israel in Sichem, & vocavit Seniores, ac Principes, & Judices, ac Magistros.* De Judice ex VII. primi Regum: *Dixit Samuel Judex, congregate omnem Israelem in Masphat.* De Rege ex XIII. secundi; *Congregavit David rex omnem populum.* Et XV. secundi Paralip. *Congregavit omnem Israel in Hierusalem.* Inde post decem tribuum divortium XI. tertii: *Venit Roboam rex in Hierusalem, & convocavit universam domum Juda, & Benjamin.* Demum de Principe diserte expressum est in decreto, quo Simon Princeps factus est, primo Maccabæorum, ubi dicitur: *Ut nemini advocare populum liceat sine ipso.*

Itaque de [4] ratione etiam convocandi populi scriptum fuit in lege, ut cum populus acciretur, vario tubæ occentu advocaretur: *Fac tibi* (inquit Deus Numerorum X.) *duas tubas argenteas ductiles, quibus convocare possis multitudinem, quando movenda sunt castra, cumque increpueris tubis, congregabitur ad te omnis turba ad ostium Tabernaculi fœderis, si semel clangueris, venient ad te principes, & capita multitudinis Israel; si autem prolixior ac concisior clangor increpuerit, movebunt castra primi, qui sunt ad orientalem plagam, in secundo autem sonitu, & pari ululatu tubæ levabunt tentoria, qui habitant ad meridiem. Quando autem congregandus est populus, simplex tubarum clangor erit, & non concise ululabunt, filii Aaron clangent tubis.*

Convenire autem consuevit populus tribus de caussis, [5] ad audiendum, [6] ad orandum, & ad agendum. Ad audiendum, ut cum a principio convenit ad audienda mandata Dei, ut Deuteronomii IV. *Congrega ad me populum, ut audiant sermones meos*. Quare scriptum est primo Paralip. XXIX. *Locutusque est David rex ad omnem Ecclesiam*.

Ubi vero ad orandum convenit, maxime in oppido Judæ nomine [7] Masspha convenire solitus fuit, ut XI. Judicum: *Jephte locutus est omnes sermones suos coram Domino in Masspha*. Et primo Maccabæorum tertio: *Et congregati sunt, & venerunt in Masspha contra Hierusalem, qui locus orationis erat in Masspha ante in Israel. Et jejunarunt illa die, & induerunt se ciliciis, & cinerem imposuerunt capiti suo, & disciderunt vestimenta sua*. Recte sic enim dixerat Samuel primo Regum septimo; *Congregate universum Israel in Masspha, ut orem pro vobis Dominum*. Quoniam autem in Massphas neque Tabernaculum, neque Arca tum fuit, sed in Silo, quia, ut scriptum est Judicum XX. *discedentes e Masspha venerunt ad domum Domini in Silo, & in conspectu ejus sedentes flere cœperunt*; sequitur, ut altare aliquod ibi statutum sit, quemadmodum in Excelsis erat, cujus caussa ad Dominum venisse dicantur, cum eo orationis caussa venerunt. Sic enim sequenti quoque capite dixit: *Et perrexit omnis populus in Galgala, immolaverunt ibi victimas pacificas coram Domino*; cum tamen in Galgalis Tabernaculum tum non esset. Et XV. *Et in frusta concidit eum Samuel coram Domino in Galgalis*; nam etiam in Ramatha Samuel altare construxit, septimo primi Regum.

Ad agendum autem convenerunt duabus de caussis, una [8] creandi Judicis, Regis, & Principis; altera, jubendi, aut gerendi belli. De Judice creando scriptum est Judicum VIII. *Populus ad Gedeonem dixit: Impera nobis*. De rege, primo Regum X. *Convocavit Samuel populum ad Dominum in Masspha, & ait ad filios Israel: Hæc dicit Dominus Deus Israel: Ego eduxi Israel de Ægypto, vos autem projecistis Deum vestrum, & dixistis, Regem constitue super nos. Nunc ergo state coram Domino per tribus vestras, & familias*; & post: *Et statim misit populus, qui Saulem domi abscondictum convenirent, atque eo Masspha adducto clamavit: Vivat rex*. De Principe vero sic secundo primi Maccabæorum: *Nunc te hodie eligimus esse pro Juda nobis in Principem*.

Convenere autem etiam in Masspha belli caussa primum contra Ammonitas deinde contra Benjamitas, tum adversus Philistæos. De Ammonitis X. Judicum: *Filii Israel congregati contra Ammonitas in Masspha castra metati sunt*. De Benjamitis e Gabaa XX. *Viri Israel quasi vir unus de Dan usque Bersabee, & terra Galaad congregati sunt ad Dominum in Masspha: omnesque anguli populorum & cunctæ tribus Israel in Ecclesiam populi Dei convenerunt quadringenta millia peditum pugnatorum, ad quos Levita dixit: Adestis omnes filii Israel, decernite quid facere debeatis, stansque omnis populus, quasi unius sermone respondit: Non recedemus in tabernacula nostra, nec suam quisque intrabit domum, sed contra Gabaa in commune faciemus*. Et sequenti de eadem re: *Jurarunt filii Israel in Masspha. Nullus nostrum dabit filiis Benjamin de filiabus suis uxorem*; & post: *Quis est de universis tribubus Israel, qui non adscendit ad Dominum in Masspha?* De Philistæis vero dixit Samuel primo Regum septimo: *Congregate universum Israel in Masspha, ut orem pro vobis Dominum, & convenerunt in Masspha, hauseruntque aquam, & effuderunt in conspectu Domini, & jejunaverunt in die illa, & dixerunt illi, Peccavimus Domino. Judicavitque Samuel filios Israel in Masspha, & egressi filii Israel de Masspha, persecuti sunt Philistæos*. Hactenus de populo tribuum universo.

De populo vero singularum tribuum, [9] verisimile admodum videtur, cum singulæ tribus principes suos habuerint, ipsas ex eorum auctoritate convenisse, consultasse, judicia fecisse, & bella gessisse. Atque aliarum quidem rerum post vestigia indagabimus, ubi de principibus tribuum disseremus. Belli autem gesti duo hæc monumenta habemus. Josue XIX. *Danitæ proprium bellum gesserunt contra Lesem urbem, eamque ceperunt*. Inde Ephraimitæ adversus Jephte Judicem ita egerunt Judicum XII. *Ecce in Ephraim orta est seditio, nam transeuntes contra Aquilonem dixerunt ad Jephte, Quare vadens ad pugnam contra filios Ammon vocare nos noluisti, ut pergeremus tecum? Quibus ille: Quid commerui, ut adversus me consurgatis in prælium? Vocatis itaque ad se cunctis viris Galaad pugnavit contra Ephraim*.

Fuisse præterea in singulis civitatibus populum aliquem qui corpus ejus civitatis confecerit, ex eo colligi potest, quod in iisdem [10] fuere quoque magistratus, quos Civitatum principes appellarunt, qui ei populo præfuerunt. Populi certe Hierosolymitani illustris est mentio, ut XXX. secundi Paralipomenωn: *Inito consilio regis, &*

prin-

principum, & universæ synagogæ Hierusalem decrevere; & mox: *Decrevit rex, & Principes, & tota Ecclesia in Hierusalem, ut facerent Pascha;* & IIX. tertii Regum: *Stetit Salomon ante altare Domini in conspectu ecclesiæ Israel.* Quibus ex locis apparet, alium esse populum Hierosolymitanum, alium Israeliticum, sive Judaicum. Quoniam vero resp. Hebræorum omnino [11] popularis non fuit verum [12] aut optimatium, [13] aut regia, ut supra dictum est, propterea haud magnas admodum illa opes habuit, cum in aristocratia Senatus, in regno Rex prævaluerit. Quod si quid nervorum, aut majestatis in populo fuit, maxime post deletum Babylonico exilio regnum id fuit tum, cum populus Assamonæos Principes sibi ascivit, & remp. Græco more constituit. Nam primo secundi Maccabæorum scriptum est, literas publice missas esse, cum hoc indice: *Populus qui est Hierosolymis, & Senatus, & Judas, Aristobulo magistro Ptolomæi regis salutem;* & XIV. *Simoni pontifici, & Senioribus, & cuncto populo;* & libro XX. Josephi: *Claudius Cæsar Principibus, Senatui, populo, gentique Judæorum,* quasi vero populus partem aliquam reip. haberet. Item *Pharisæi steterunt cum populo contra regem;* & apud Ciceronem pro Flacco: *Multitudinem Judæorum flagrantem nonnunquam in concionibus pro rep. contemnere, gravitatis summæ fuit.* Quin etiam quantas turbas populus Hierosolymitanus in judicio Christi concitatus conciverit, notum est.

Ex quo apparet, non solum, dum Judæa regibus suis obtemperavit, sed etiam cum populo atque Imperatori Romano paruit, juris aliquid populari concioni fuisse, perinde atque in cæteris etiam Asiæ civitatibus, in quibus & jurisdictionem, & rei capitalis cognitionem proconsul Romanus forum agens exercuit, alia vero populus advocata legitima concione cognovit. [14] Legitima vero concio dicta est, quæ ex lege certis diebus coacta; ut [15] confusa, quæ temere & extra ordinem est vocata. Hæc vero probantur non solum testimoniis Romanorum & Græcorum, quæ in libros de jure provinciarum, & de rep. Atheniensium conjecimus, ubi de foris & conventibus agendis, ubi de habenda concione docuimus, sed etiam S. Lucæ, qui peritus Græci & Romani moris de conventibus Rom. & legitima Ephesiorum concione, quam illi ecclesiam nominabant, sic scripsit Actuum XIX. *His auditis repleti sunt ira, & exclamarunt dicentes: Magna Diana Ephesiorum, & impleta est civitas tota confusione, & impetum fecerunt uno animo in theatrum. Paulo autem volente intrare in populum, non permiserunt discipuli. Erat enim ecclesia confusa;* & mox: *Et cum sedasset scriba turbas, dixit: Si Demetrius, & qui cum eo sunt artifices, habent adversus aliquem caussam, conventus forenses aguntur, & proconsules sunt, accusent invicem, si quid autem alterius rei quæritis, legitima ecclesia poterit absolvi. Et cum hæc dixisset, dimisit ecclesiam.* Quo in loco si interpres pro ecclesia concionem reddidisset, sine dubio sententiam multo clarius expressisset. Has vero duas conciones, confusam, & legitimam, significavit etiam [16] Æschines in oratione de ementita legatione, inquiens: *Plures conciones* (sive ecclesias) *evocatas coacti estis inire cum metu & tumultu, quam constitutas a legibus.* Ulpianus autem in Demosthenem prodidit, singulis mensibus ternas ex lege conciones habitas esse: quod etiam S. Joannes Chrysostomus scribens in Acta confirmavit. Quare merito sedato tumultu dixit scribens ad Ephesios, qui confusam concionem inierant, si crimen adversus aliquem habetis, quod [17] deferre velitis, proconsulem Asiæ adite, cum forum aget, & conventum habebit, id est cum jus dicet Ephesi. Sin autem alia caussa est, expectate legitimam Ephesini populi concionem, atque apud eam agite. Atque his dictis dimisit concionem quæ confusa erat, id est temere & non ex lege convenerat. De [18] foris porro & conventibus Asiæ sic Strabo libro XIII. *Phrygiæ, Lydiæ, & Cariæ, & Mysiæ loca ægre distingui possunt, quod inter se coeant, ad eorum vero confusionem non parum attulere Romani, qui non ex gentibus eos diviserunt, sed alio modo diœceses descripserunt, in quibus fora agunt, & jus dicunt.* Diœceses porro, sive conventus, sive fora Asiæ, teste Plinio, fuerunt Laodicensis, Synnadensis, Apamensis, Alabandensis, Sardiana, Smyrnæa, Ephesina, Adramyttena, & Pergamena. De concionibus autem Asiæ & Græciæ fluctuantibus sic Cicero pro Flacco: *Græcorum totæ respublicæ sedentis concionis temeritate administrantur, vetus illa Græcia hoc uno malo concidit, libertate immoderata, ac licentia concionum, cum in theatro imperiti homines, rerum omnium rudes, ignarique consederant. Quod si hæc Athenis accidere sunt solita, quam moderationem putatis in Phrygia, aut in Mysia concionum fuisse? nostras conciones illarum nationum homines plerumque perturbant, quid cum soli sunt ipsi, tandem fieri putatis?*

NO-

NOTÆ AD CAPUT TERTIUM.

[1] *Synagoga.*) vox *συναγωγὴ* varias habet significationes (1) enim *συναγωγὴ*, si ipsa notio attendatur, generale vocabulum est, quamvis collectionem seu congregationem denotet, Versamlung / a Græco verbo *συνάγειν* colligere, congregare auf einem hauffen zu sammen bringen. Unde *συναγωγὴ γάλακτος* apud *Alex. Aphrod.* pro lactis copia; *συναγωγὴ πολέμου* apud *Thucyd. lib.* 2. *Histor.* (2) Pro hominum promiscua multitudine accipitur. Ita Isaacus Jacobo in Mesopotamiam proficiscenti inter alia precatur, ut fiat *συναγωγὴ ἐθνῶν* Gen. 28. 3. *Et Jerem.* 50. 9. prædixit, fore ut adversus Babylonem adducantur *συναγωγαὶ ἐθνῶν*. Hinc & factum, ut universus Israelitarum populus nomine *συναγωγῆς* veniat, dicitur enim. *Exod.* 12. 47. *Levit.* 4. 13. *πᾶσα συναγωγὴ τῶν υἱῶν Ἰσραὴλ*. Et simpliciter *συναγωγὴ* *Levit.* 8. 4. *Num.* 14. 27. Unde *ἄρχοντες πατρῶν τῆς συναγωγῆς* *Jos.* 9. 15. & 18. Huc refer, quod & pro *Tribu aliqua* LXX. Interp. accipiant. Ita enim legitur 1. *Reg.* 12. 21. Rehabeamum congregasse *πᾶσαν τὴν συναγωγὴν Ἰούδα*, ubi Sacer Codex בירת adhibet. (3) Vox hæc quemlibet conventum Judæorum sive civilem, sive Ecclesiasticum denotat conf. 1. *Maccab.* 7. 12.

[2] *Ecclesia.*) *Συναγωγὴ* sumitur etiam pro cœtu seu Ecclesia Christianorum *Jacob.* 2. 2. Uti & vox *ἐπισυναγωγὴ* *Hebr.* 10. 25. Quia est congregatio seu cœtus hominum per verbum ex genere humano congregatorum. Bellarminus quidem, *lib.* 3. *de Eccles. Instut. cap.* 3. *disput.* allegans pro sententia sua *Augustin. in Psalm.* 82. *Populum V. T. dici proprie Synagogam i. e. congregationem, populum vero N. T. nusquam dici Synagogam, sed semper Ecclesiam i. e. evocationem. Congregari enim commune esse cum bestiis, ut evocari proprie est hominum.* Verum quam inepta & vana sit subtilitas hæc ad oculum demonstravit *David. Clodius LL. Oo. Profess. Giss. in dissert. de Synagoga pag.* 6. Doctissimus *D. Sebast. Schmidius in exquisitæ eruditionis tractatu in Epist. ad Hebr. cap.* 10. 25. *pag.* 1158. Populo V. T. & *ἐκκλησίας* & *συναγωγῆς* nomen tribuit. LXX. Interpret. vocem קהל quæ de congregatione fidelium V. T. usurpatur promiscue reddiderunt per *συναγωγὴν* *Exod.* 16. 3. *Levit.* 4. 13. *Num.* 10. 7. & *ἐκκλησίαν* *Deut.* 31. 30. *Jos.* 8. 35. *Jud.* 20. 2. *Esaias cap.* 56. 8. De vocatione Gentium vaticinans, Ecclesiam N. T. intelligit maxime cum dicit: *συνάξω ἐπ' αὐτὸν συναγωγήν*. Quod ad *Augustinum* attinet, idem *ἐπανόρθωσιν* quandam in enarr. Psalm. 77. addit, quando inquit. *Quanquam dicitur propriè Synagoga Judæorum, Ecclesia vero Christianorum, quia congregatio magis pecorum, convocatio magis hominum intelligi solet; tamen & illam dictam invenimus Ecclesiam & nobis fortasse potius convenit dicere, salva nos Domine Deus noster & congrega nos de Gentibus.* Neque Scriptores Ecclesiastici dubitarunt cœtum Christianorum Synagogam appellare. Ita *Ignat. epist.* 1. *Justin. Dial. f.* 223. *Iren. l.* 3. *c.* 6. Suffragatur *Theoph.* 1. *l.* 2. *contra Autolyc. f.* 307. *Grot. in Matth.* 4. 23. Vide etiam *Chemnit. LL. Theol. P.* 3. *L. de Eccles. D. Gerhard. LL. Theol. T. V. de Eccles.* §. 5. & 6. *Conrad. Kirchner. in erudit. Tract. de Concordant. Bibl. usu. Danhauer. Hodes. pag.* 72. *Bebel. in antiq. Eccles. sec.* 3. *art.* 3. *pag.* 308.

[3] *Nisi qui summo imperio.*) Nemo populum seu cœtum universalem convocare poterat, quam qui præditus erat imperio summo & ipsi hoc jus conveniebat, uti ex variis locis Scripturæ constat.

[4] *Ratione convocandi.*) Tubæ argenteæ fuerunt instrumenta, quorum subsidio populus convocabatur. Vid. *Joh. Meyer.* diatrib. de festis *pag. m.* 321. 322. *edit. Amstel.* 1693. Calculum addit Anglus doctiss. *Ainsworth. in Comment. ad Num.* 10. *fol. m.* 61. *edit. Londin.* Tubæ erant instrumenta *For to call together the Congregation* ad convocandam congregationem. Pergit enim Author ita: *This was the first of the foure speciall uses of the trumpets, when the people rested, to assemble them unto the Lord in his Sanctuarie.* Signum autem quod tuba dabatur, erat sonus rectus, fractus autem belli signum erat, uti recenset *Ainsworth. fol.* 62. *Equal sound was for their quiet assembling unto the service of God and hearing of his Law.*

[5] *Ad Audiendum.* Hæc etiam adfert *Henric. Ainsworth* in *Comment. ad Num.* 10. *fol. m.* 6 . His verbis: Congregabatur populus seu conveniebat *For to heare his word, to pray, and to doe him worship.* Ut audiat verbum Dei, precetur & cultum peragat. Ita etiam Carthusianus triplicem finem distinguit: ad renovandum pactum cum Deo, & populum ad orandum Deum, ad tractandum de communi bono. Ad orandum Deum. *Jos. Jos.* 7. 6. *Jud.* 20. 18. Ad renovandum pactum *Exod.* 24. 3. *Jos.* 8. 33. Ad tractandum de communi bono *Deut.* 4. 1. *Jos.* 24.

Ad audiendum.) Conveniebat populus ad audienda mandata Dei *Exod.* 35. 1. 2. Et aliis in locis hoc injungitur populo, ut in congregatione audiant, uti & hodienum in Ecclesia fieri debet.

[6] *Ad orandum convenit.*) Precum causa populus conveniebat. Majorem enim vim & efficaciam adscripsit precibus, quæ veluti olim in conventu publico, postea in templo Hierosolymit. & Synagogis peragebantur, & conjunctis cordium viribus ad Deum mittebantur. Hinc *Rabbenu Ascher in Prakmi super Mass. Brach. c.* 1. *fol.* 1. *col.* 3. ex versione *Clodii.* Ait R. Jochanan nomine R. Josæ: Nullius preces exaudiuntur, nisi in Synagoga, quemadmodum dicitur Psalm. *69.* 14. Et ego oratione mea ad Te Domine tempore beneplaciti, quando autem tempus beneplaciti? Illud quo Ecclesia orare solet. Desumta sunt hæc ex *Mass. Birach. fol.* 8. *col.* 1. *confer. Saubert. Pal. Phil. Theol. pag.* 112. Et Doctiss. *Wagenseil Sota pag.* 690. seqq. Quin & *Maimonid. Hilc. Tfilla. c.* 8. §. 1. Preces Synagogæ semper exaudiri asserit quando ait: Preces Synagogæ semper exaudiuntur, & licet sint in ea peccatores, tamen Deus benedictus non spernit preces multorum, quapropter necessum est ut homo adjungat se Synagogæ, neque precetur solus.

[7] *Maspha.*) Maspha oppidum tribus Benjamin in monte Siloh excelso loco, tanquam in spelunca situm, ubi Comitia populi prope sedem arcæ fœderis in Siloh plerumque habebantur. *Jos.* 18. 1. *Reg.* 7. Congregate universum Israel in Maspha. 1. *Reg.* 10. Convocavit Samuel populum ad Dominum in *Maspha*. Judic. xx. Congregati sunt ad Dominum in Maspha. 1. *Maccab.* 3. Cum propter Antiochi Tyrannidem populus Hierosolymis aufugisset convenerunt ad Judam Maccabæum in Maspha (quæ circiter 40. stadia seu duarum horarum itinere ab Hierosolymis versus occasum distabat) quia *locus orationis in Maspha* jam olim in Israel. *Jerem.* 40. 46. Consecravit Samuel hunc locum ut orationis locus haberetur. Unde multis post annis Israelitæ bellicis cladibus attriti venerunt in Maspha contra Jerusalem. Vid. rationes plurimas apud *Mendoz. Comment. in lib. Samuel. fol. m.* 468. *part.* 2.

[8] *Creandi Judicis; &c.*) Jus eligendi Reges Maimonides adscribit Synedrio Magno. Idem asserit Breviar. Pseudo-Philonis. Confidentius adhuc hic *Sigonius*, *Guilielm. Barclajus*, *lib.* 3. *contra Monarchomach. Menerz. in lib.* 1. *Sam. cap.* 9. *fol. m.* 226. *Tom.* 3. Suffragiis populi universi creatos primum Reges Hebræorum asserunt. Si enim accurate examinamus, constabit, aut (1) per expressam electionem divinam creatos esse Reges v.g. Saulem 1. Sam. 9. 17. 10. 1. 24. *Davidem* 1. *Sam.* 13. 14. *Jeroboam.* 1. *Reg.* 11. 31, aut (2) per Successionem ad imperium pervenisse, aut (3) regnum per vim & tyrannidem occupasse, aut denique (4) a Gentilium Regibus constitutos. Nullum reperies sine populi sive magnatum aut seniorum suffragiis primitus electum, vid. *Frischmuth de rege eligendo & deponendo & Carpzov. in not. ad Schickardi* משפט המלך *pag. num.* 17. *edit. Lips.*

[9] *Verisimile.*) Singulas Tribus conventionem habuisse testatur Scriptura *Levit.* 3. 14. *Cum innotuerit peccatum quo peccaverint contra mandatum illud,*

tunc

tunc offerrat Ecclesia Juvencum; ubi Hebræorum doctores non modo duodecim Tribus per Ecclesiam intelligunt, sed singulam Tribum, quæ vocatur קהל Ecclesia, uti scriptum 2. *Chron.* 20. 5. Tunc stans Jahosaphat in congregatione Jehudæ, confer. *Ainsworth Comment. in Levit.* 4. *fol. m.* 21. ubi ex Rabbinis fuse rem explicat.

[10] *Fuere Magistratus.*) In omnibus urbibus Senatum 23. virorum constitutum fuisse testatur *Selden.* Sic *Gemar. Babyl. Tit. Sanhedr. cap.* 10. *fol.* 88. 2. Et reliqua Synedria Viginti trium viralium sederunt in cunctis urbibus Israelis. Non autem in omnibus, sed iis ubi minimum incolæ (Patres-familias) centum viginti, vide *Quensted. antiq. Bibl. pag.* 47. *Selden. de Synedriis Hebr.* De divisione Tribuum videatur *Arnis. pag. m.* 262. 263.

[11] *Popularis non fuit*) Hanc itaque *Theocratiam* fuisse eamque novam plane formam excepisse. Non quod post Judices Theocratia plane desierit, siquidem totus hic conventus quam late patet, unius Dei imperio obnoxius, omnisque potestas civilis juxta illud Gentium Doctoris Rom. 13. ipsi soli accepta ferenda adeoque imperium illud adhuc originaliter, authoritative & principaliter eidem sit adscribendum, quod colligitur tam ex ipsa lege divina, qua Deus jus eligendi & constituendi Regem sibi soli peculiariter reservabat *Deut.* 17. quam ex subsecuta Reg. Hebræorum constitutione, qui Majestatem suam ἀμέσως a Deo consecuti sunt, conf. *Conring. tract. de Rep. Hebr.*

[12] *Aut optimatium.*) Plærique statuunt & existimant, formam Reipubl. Hebræorum fuisse Aristocraticam omni ante Reges tempestate, inter quos sunt Petrus Galatin. Carolus Sigon. Angel. Caninius, Joachim. Stephani, Calvinus, Martyr, Danæus, quos *Hening. Arnisæus Relect.* 11. *c.* 4. *Sect.* 5. allegat, quam sententiam refutatam leges apud *Conringium de Republ. Hebr.* §. 41. 42. *seqq.* quem vide.

[13] *Aut regia.*) Tempore Regum veram stricte ac proprie dictam Monarchiam obtinuisse, cum accuratioribus Theologis, Philolog. & Philosoph. nominatim D. *Vvandalin. de jure Regio, Dn. Johanne Frischmuth in Tract. etiam Voetii* judicio egregio, *de Rege eligendo & deponendo statuendum.*

[14] *Legitima concio.*) Concionum aliæ fuerunt ordinariæ, aliæ extraordinariæ: quarum illæ statis cujusque Prytaneæ diebus, de certis rebus ab uno semper magistratu habebantur dicebanturque ἐκκλησίαι: hæ vero contrario modo se habebant, appellabanturque, κατακλησίαι καὶ σύγκλητοι ἐκκλησίαι. Quamvis *Suidas* in voce Ἐκκλησίαις testetur etiam generali appellatione ordinarias quidem conciones κυρίας fuisse nuncupatas. Sic enim ille Ἐκκλησίαι αἱ λεγόμεναι κυρίαι τρεῖς τοῦ μηνὸς Ἀθήνησιν. ἡ πρώτη &c. *Sunt autem legitimæ conciones, quæ vocantur* κυρίαι *tres, quæ solebant haberi singulis mensibus Athenis.* Quibus habendis destinatus cujusque mensis dies primus & decimus & trigesimus, vid. *Francis. Rous. Archeolog. Attic. lib.* 3. *cap.* 1. *pag. m.* 103. *edit. Oxon.*

[15] *Confusa.*) Seu extraordinaria, quæ circumeuntibus & convocantibus quibusdam repente habebatur. *Ulpian. enarrat. in Orat. Demosthen. de falsa legatione f.* 372. Ternæ singulis mensibus statæ conciones habebantur, sed σύγκλητος non destinata erat. Vocata est concio σύγκλητος, quod in legitimis & consuetis ultro populus concurrebat. Cum vero ex necessitate aliqua habebatur, quidam circumibant & convocabant. Atque hæ quidem conciones σύγκλητοι cum plerumque de bello cogerentur, a Prætoribus habebantur, aut, si Senatus mandasset, etiam a Prytanibus, a quibus statæ semper instituebantur.

[16] *Æschines.*) de Prytanibus *Æschines* testatur in *orat.* contra *Ctesiphontem*, ubi Demostheni objicit, quod decretum in Senatu scripserit, ut Prytanes concionem octavo die mensis Elapheboliorum, cum *Æsculapio* res divina fieret, haberent. Et in *orat.* de ementita legatione, quod decretum scripserit; ut Prytanes post Dionysia Urbana & in theatro Dionysii duas proscriberent conciones, unam octavo decimo, alteram nono decimo die, vide de his pluribus different. *Pfeiffer. in antiquit. Græc. lib.* 2. *cap.* 35. *pag. m.* 294.

[17] *Deferre velitis.*) Ibi enim licebat populo proferre accusationem siquid contra leges factum, uti pluribus demonstravit Pfeiffer in antiq. Græc. pag. m. 298. 299. quem vide.

[18] *De foris.*) Locus hic indicatur, ubi conciones habebantur. De foro testis est *Harpocratio* in voce πάνδημος qui ita scribit: priscis temporibus concionem in foro fuisse habitam, eaque de causa, tum concionem ἀγορὰν esse appellatam, vide de his & aliis locis *Pfeiffer. in antiq. Bibl. pag. m.* 295.

CAPUT QUARTUM.

De Senatu.

EXPOSITA Concione, dicendum est de Senatu. Hunc vero habuere etiam Hebræi, eumque, ut populum, triplicem; unum, in quem convenere Seniores populi universi; alterum, in quem qui erant tribuum singularum; tertium, in quem qui erant singularum civitatum.

[1] Senatus universi populi constitutus est a Deo ex septuaginta hominibus, qui cæteris ætate in toto Israele præstarent. Sic enim ille dixit Numer. XI. *Congrega mihi* LXX. *de Senioribus Israel, quos tu nosti, quod seniores populi sint, & scribas, & duces ad ostium Tabernaculi fœderis, faciesque ibi stare tecum, & descendam, & loquar tibi: & auferam de spiritu tuo, tradamque eis, ut sustentent tecum onus populi, & non tu solus graveris.* Itaque homines qui ex hoc ordine fuerunt, Græci senatum, senes, seniores, & [2] senatores vocarunt, consilium βουλὴν; consilii locum βουλευτήριον, homines βουλευτὰς appellarunt, quasi dicas Consilium, Consiliatorium, & Consiliarios. Assedere autem hi [3] in urbe metropoli summo reip. principi, atque ab eo adhibiti una cum principibus populi de summa rerum consilia inierunt, unde Josephus illud retulit ex lege; *Nihil agat rex sine pontificis ac senatorum sententia.* Horum consiliorum hæc testimonia sunt v. Deuteronomii inquit Moyses: *Accessistis ad me omnes principes tribuum, & seniores*; & XXVII. *Præcepit Moyses & seniores Israel populo dicentes: custodite omne mandatum, quod præcipio vobis.* Item Josue XXIII. *Vocavit Josue*

omnem

omnem Iſraelem, *ſeniores eorum*, *principes eorum*, *judices eorum*, & *ſcribas eorum*. Inde ſub Judicibus XXI. *Seniores ſtatuerunt*, *ut Benjamitæ raperent virgines Siloitarum in uxores*. Tum ſub Salomone rege ſeptimo tertii Regum: *Congregati ſunt omnes ſeniores Iſrael ad Regem Salomonem in Hieruſalem*; & primo ſecundi Paralip. *Ezechias rex iniit conſilium cum ſenioribus obturandi capita fontium*. Quamquam autem diviſo regno ſenatus Judæorum ex ſola tribu Juda & Benjamin eſt delectus, numerus tamen LXX. ſeniorum eſt conſervatus, ſiquidem Ezechiel VII. dixit: *Et ſeptuaginta viri de ſenioribus Iſrael*, cum tamen ætate Ezechielis decem tribus Iſrael in Aſſyria eſſent, & Hieremias XIX. ſeniores populi nominavit: *Accipe laguncułam figuli a ſenioribus populi*, & *ſenioribus ſacerdotum*. Neque vero ſolum ſtante regno hic viguit ſenatus, ſed etiam illo everſo poſt reditum Judæorum ex Babylonia idem eſt reſtitutus, ſiquidem apud Iſaiam primo ſcriptum eſt: *Reſtituam judices tuos*, & *conſiliarios tuos*, *ſicut antiquitus*; & apud Eſdram decimo: *Omnis qui non venerit in tribus diebus juxta conſilium principum & ſeniorum*, *auferetur omnis ſubſtantia ejus*; & XII. primi Maccabæorum: *Jonathas pontifex gentis*, & *ſeniores*, & *reliquus populus Judæorum*; & primo ſecundi: *Populus*, *qui eſt Hieroſolymis*, & *Senatus*, & *Judas Ariſtobulo magiſtro Ptolomæi regis ſalutem*; & XI. *Rex Antiochus Senatui Judæorum*, & *cæteris Judæis*; & XIV. *Simoni Pontifici*, & *ſenioribus*, & *cuncto populo*; & S. Lucas XII. *Seniores plebis ſummo mane vocati*. Græce [4] Presbyterium populi. Narrat etiam Joſephus, ultimis urbis temporibus Florum Judææ procuratorem, advocatis principibus ſenatorum & ſenatu dixiſſe, ſe velle urbe decedere; additque, cum templo curiam etiam conflagraſſe, quam ille Buleuterium nominat. Quanquam autem ſenatus hic conſultandi gratia ſemper manſit, eſt tamen intelligendum, reges, qui in poteſtate remp. habuerunt neque obnoxii legibus fuerunt, etiam ſine ſenatus auctoritate decreta feciſſe, ut qui cum ſummo imperio eſſent, non quales Deus præſcripſiſſet, ſed quales ipſi optaſſent.

[5] Tribus porro ſingulas ſuos habuiſſe ſenatores, ab iis qui univerſi populi erant diverſos, conjectura probabilius, quam auctoritate certius eſt. Quanquam enim ſcriptum eſt XX. quarti Regum; *Congregati ſunt ad regem Joſiam omnes ſeniores Judæ*, & *Hieruſalem*: & XXX. primi, *David miſit dona de præda ſenioribus Judæ proximis ſuis*: & XIX. Hieremiæ dixit Deus, *Occidam Conſilium Judæ*; fieri tamen poteſt, ut qui Judæ Seniores dicuntur, iidem ſint cum ſenioribus populi.

Civitates autem ſine dubio ſuos quæque ſenatores adeptæ ſunt, ab illis, quos diximus, ſeparatos, unde illa: *Congregati ſunt ad regem Joſiam omnes ſeniores Judæ*, & *Hieruſalem*; & Joſephus lib. XI. *Seniores Hieruſalem graviter ferebant*, *fratrem Jaddi pontificis mulierem alienigenam in matrimonio habere*; & Judicum XI. *Perrexerunt ſeniores de Galaad*, *ut tollerent in auxilium ſuum Jephte*, *dixeruntque ad eum*: *Veni*, & *eſto Princeps noſter*; & IIX. *Apprehendit puerum de viris Socoth*, *interrogavitque nomina principum & ſeniorum Socoth*; & Ruth. IV. *Tollens Booz decem viros de ſenioribus civitatis Bethleem*, *dixit ad eos*.

NOTÆ AD CAPUT QUARTUM.

[1] *Senatus* LXX. *Hominum a Deo conſtitutus*.) Illud quod in textu אספה לי congrega mihi, a Numine dictum, interpretantur Magiſtri *Sepher Siphri fol.* 13. *col.* 5. שתהא סנהדרין לשמי *ut ſit mihi ſeu nomini meo Synedrium*, mihi ſcil. factum, perpetuum, atque in Republ. quam inſtitui, per omnia ſecula duraturum. Sic enim interpretandum volunt לי mihi. שבכל מקום שנ׳ לי קיים לעלם ולעולמי עולמים *Ubicumque ſic dicitur*, *Mihi*, *res ſtabilita habetur in perpetuum & in ſecula ſeculorum*. Similes de primogenitis, Sanctuario, Altari, oleo ſacro, Oblationibus in ſacra Scriptura loquendi formulas adducunt Exod. 28. 41. Num. 3. 12. Lev. 25. 55. Quod ad perſonas conſtitutas attinet, de hiſce non conveniunt Autores. Alii volunt Presbyteros fuiſſe illos, qui a populo Iſraelitico, cum is in Ægypto operibus lateritiis vacare cogeretur, electi erant. Hinc paraphraſis *Jonathanis* habet: *Præfecti ejus in Ægypto*. Ita *in Midbar Rabba Paraſh.* 16. *fol.* 265. *col.* 2. & 3. Verum an illi intelligantur, adhuc dubium eſt. LXX. his viris, ſi Moſes Princeps omnium annumeretur totum Conſiſtorium ex ſeptuaginta & uno conſtat, vid. *Miſna Babylonic. tit. Sanhedr. cap.* 1. *fol.* 2. 1. *Miſn. Hieroſolymit. tit. Sanhed. cap.* 1. §. 6. *Maimonid. tit. Sanhed. cap.* 1. §. 3. *Mikotzi præcept. affirmat.* 97. *fol.* 186. *col.* 2. *Rabbi Menachem. Recanatenſ. in Midbar*, *cap.* 11. Sunt tamen nonnulli qui aſſerunt LXXII. fuiſſe conſtitutos, inter quos eſt Cæſar Baron. *tom.* 1. *ann.* 31. §. 10. *Henric. Spondan.* & alii ex Catholicis. Nicolaus Serrarius de numero dubitanter nimis loquitur, ubi, *ille*, inquit *conſtabat initio* 70. 71. & 72. *capitibus*. Huic rotundo numero aſſentiuntur Johan. Druſius *Prætcrit. in Luc.* 10. 2. Hugo Grotius *in Matth.* 22. & *Luc.* 10. Johan. Selden. *de Syned. Hebr. lib.* 2. *cap.* 4. *pag. m.* 168. 169. *ſeq.*

[2] *Senatores vocarunt*.) γέροντες ſenes, unde γερουσία Senatus, γέροντες & πρέσβυται ſunt poſitivi, πρεσβύτεροι vero eſt comparativus. Sed poſitivus hic & comparativus pro eodem habentur. Sic vocem *grandior* poſitivi ſignificationem interdum habere aſſerit Donatus ad *Terentii Phorm. Act.* 2. *ſcen.* 3. ubi exemplum item de Seniore affert ex illo Virgilii *Æneid.* 6. de Charonte:

Jam Senior; *ſed cruda Deo viridiſque ſenectus.*

Seniores vero olim diſtinguebantur quoad mores, In-

Ingenium, Scientiam, dignitatemque. Hinc *Seniores* dicti non quoad annorum rationem, sed dignitatis præcellentiam, uti ex *Canonibus Ælfrici ad Wulfinum Episcopum* anglicanis literis vetustis excusis patet. Verba hic adscribam. *Presbyter est Sacerdos aut Senior, non a Senectute sic dictus, sed quod senili gaudet prudentia*. Cognoscitur hoc etiam ex Carthaginensium Senatoribus, de quibus Aristoteles *polit. 2. cap. 9.* κατ' ἀρετὴν αἱρετὰς μᾶλλον ἢ καθ' ἡλικίαν, *eligi ob virtutem magis merentur, quam ætatem*, Vox γέροντες nonnunquam *Optimates* designat, apud *Homerum* in Achillis Scuto *Iliad. 6. & β.*

——— οἱ δὲ Γέροντες
Εἵατ' ἐπὶ ξεστοῖσι λίθοις ἱερῷ ἐνὶ κύκλῳ.

Seniores sedebant in politis lapidibus sacro in circulo atque alibi sæpius. Et Eustathius inquit *ad Iliad. β. fol. 167.* γέροντες *Homero esse honoratiores*, conf. Selden. *de Syned. Hebr. lib. 1. cap. 14. pag. m. 593.*

3 *In urbe Metropoli*.) Scil. Hierosolyma, teste Maimonid. Halach. Sanhed. cap. 1. v. 3. Collocabant, inquit, domum judicii in templo, templum autem nullibi quam Hierosolymis habebatur. Cui adstipulatur *Misna tit. Sanhed. cap. 10. Babylon. fol. 86. 2.* Unum Synedrium in *Liskat hagazith* conclavi saxeo, quo dConsessui proprium in templo solenni, ut passim *Talmudici* referunt.

4 *Presbyterium*.) Πρεσβυτέριον duplicem significationem habet (1) dignitatem ipsam seu honorem Presbyterii significat, uti videre est in *Susannæ* historia: Dixerunt Presbyteri (scil. qui in Senatu) —— *quia Deus tibi* dedit Presbyterium, i. e. Presbyterii dignitatem, ubi honorem senectutis habet vulgata: *the honor of old age*. Angli recentiores, the Office of an Elder, i. e. *officium Senioris*. Lu. Richter-Ampt interpretatur. Non quod nomen hoc ex natura sua potestatem aliquam judiciariam denotet, sed quia ibi de Præfectura juridica expresse agitur. Hoc sensu etiam legitur in *Joseph. advers. Appion. lib. 2.* Altera significatio est, qua *Presbyterium* ordinarium cœtum, seu consessum, aut collegium qualecunque denotat, ut *Luc. 22. 66. Act. c. 22. 5.* vid. Joan. Selden. *De Syned. Hebræ. pag. m. 487. & pag. 591. c. 14. lib. 1.* ubi ait: *Utcunque autem res se habuerit, satis liquet*, tum ex veterrimo orientalium ritu, Collegium seu Consistorium significare. In Pentateuchi *versione Tavvasiana* seu *Persica* Presbyteri appellantur פירן *Piran*. Apud Gentiles hic mos etiam in usu fuit, ut testis est Herodian. *lib. 3.* ubi ait: *Septimium Severum Getam filium judiciis in Britannia præfecisse, ac ei dedisse Synedros seu adsessores ex amicorum Presbyteris ac Senioribus*. Quod & *Arabes* nomine *Alsheich* Senioris & Presbyteri indicare volunt, vid. Leunclav. *pandect. Turc. cap. 81. Edward.* Pocock. *in Auth. nomencl. pag. 364.* Petr. Kirsten. *Grammat. Arab. fol. m. 10. lib. 10.* Apud Romanos nihil tritius, quam ut, qui dignitate & prudentia alios superant, Senatores dicantur, vid. *Cic. in Caton. Major.* Virgil. *æneid. 5. 6. 8.* Liv. *lib. 26. c. 22.* Sigon. *de antiquo jure Civ. Rom. cap. 3.* Rosin. *antiq. Rom. lib. 7. c. 5.* Cassiodor. *var. 9.* Brisson. *de verbo. significat. lib. 17. in Senat.*

5 *Tribus habuisse senatores*. Hoc partim ex Rabbinis partim ex Scriptura probatur, quamvis autor noster id tantum conjecturam vocet. Audiamus Abarbanel *in priush Tora fol. 166. col. 3. Mihi persuasissimum* (inquit) *ideo dici præfectos seu principes mille, & præfectos centum, & præfectos quinquaginta, & præfectos decem, quoniam fuere præfecti Principes seu judices mille, e quibus conficiebatur Concilium unicum, uti & centum, e quibus centum virorum Concilium aliud, & quinquaginta virorum aliud atque aliud demum decem virorum idque per tribus singulas* (unde singulis sua constarentur tum Synedria) *nec omnino pependisse numerum ex eis, qui præfecturis juridicis suberant, sed ex ipsis qui judiciis præficerentur* &c. Et sane quod tribuum rationem attinet, vetus est Rabbinorum aliquot, quos inter *Gemar. Hierosolym. ad tit. Sanhed. cap. 1. fol. 19. col. 3.* sententia, institutionem illam tribuum ideo factam שיהא שם שנים עשר סנהדריות שלשים עשר שבטים על גביהן *ut ibi forent duodecim Synedria, tribus duodecim, quibus interim cunctis Moyses ipse præesset ut supremus*. Atque Moyses hanc sententiam etiam confirmavit Deut. 1. 15. Ubi inquit: Et tuli *capita tribuum vestrarum, & posui* אותם *Eos super vos principes centum, & principes quinquaginta, & principes decem*, ושוטרים לשבטכם *& Shoterim tribubus vestris, seu juxta tribus vestras* conf. Johan. Selden. *lib. 1. cap. 15. pag. 618. de Synedriis Hebræorum*.

CAPUT QUINTUM.

De Judiciis.

DIXIMUS de Consiliis, in quibus præcipue de utilitate civitatis est disceptatum, deinceps dicendum est de judiciis, in quibus singularis æquitas definita est, quæ lege aut provideri, aut præscribi non potuit. Hæc autem Judicia Græci Bibliorum interpretes modo [1] κρίσιν, modo δίκην verterunt, nimirum vim ipsam duplicem judiciorum spectantes, in quibus condemnatio & absolutio continetur: quas his duabus vocibus, judicio & Justitia, sive Justificatione, ut supra ostendimus, expresserunt.

Judiciorum porro tribunalia apud Hebræos fuere duo, unum in singulis civitatibus κρίσις vocatum, alterum præcipue Hierosolymis συνέδριον nominatum, quæ Latinus interpres vertit Judicium, & Concilium, unde dixit Christus apud S. Matthæum: *Omnis qui irascitur fratri suo, reus erit Judicio, qui autem dixerit rhaca, reus erit Concilio*. Aliud vero fuisse Judicium a Concilio, ostendit David in primo Psalmo, cum dixit: *Ideo non resurgent impii in Judicio, neque peccatores in Concilio justorum*.

NOTÆ AD CAPUT QUINTUM:

[1] Κρίσιν) vocabulum Κρίσις, quod usurpat Matth. cap. II. quidam volunt significare Evangelium totum, veram religionem, verum modum Deum colendi, de quo videatur. H. Hammond. *in annotat. ad Matth. cap. II. fol. m. 68.* Verum hoc in loco eo sensu non accipitur.

CAPUT SEXTUM.

De Judiciis civitatum.

AGAMUS autem primum de Judiciis civitatum, deinde de Concilio Hierosolymitano, quando instituta, confirmataque sint, quinam ea inierint, qui præfuerint, ubi convenerint & quo demum ordine caussas cognoverint.

Dico ergo, Judices civitatum cum principibus suis, qui Græce [1] *γραμματοεισαγωγεῖς* dicti sunt, [2] institutos esse in solitudine a Moyse, primum ex auctoritate soceri sui Jethro, deinde [3] ex Dei præcepto. Cum enim Moyses anno primo in deserto ad caussas audiendas assedisset, monitus est a Jethro socero, ut labori illi parceret, ac viros sapientes, gnaros, & prudentes pro se ad judicandum statueret, ac sibi tantum rerum graviorum cognitionem reservaret. Itaque ille tum principes, de quibus post dicetur, tribunos, centuriones, quinquagenarios, & decanos, sive, ut Græcus edit, chiliarchos, hecatontarchos, pentecontarchos, & decarchos, judicibus caussarum introductores, sive grammatoisagogeos præposuit: Exodi XVIII. *Et electis viris strenuis de cuncto Israel, constituit eos principes populi, tribunos, & centuriones, & quinquagenarios, & decanos, qui judicarent plebem omni tempore*. Quamobrem post annum quadragesimum commemorans populo quæ a se acta fuissent, intulit primo Deuteronomii: *Dixi vobis, Non valeo solus negotia vestra sustinere, & pondus, ac jurgia. Date ex vobis viros sapientes, & gnaros, & quorum conversatio sit probata in tribubus vestris, ut ponam eos vobis principes. Tunc respondistis mihi. Bona res est, quam vis facere. Tulique de tribubus vestris viros sapientes, & nobiles, & constitui eos principes, tribunos, & centuriones, & quinquagenarios, & decanos, qui docerent vos singula, praecepique eis dicens: Audite illos & quod justum est judicate, sive civis ille sit, sive peregrinus nulla erit distantia personarum, ita parvum audietis, ut magnum; nec accipietis cujusquam personam, quia Dei judicium est. Quod si difficile vobis visum aliquid fuerit, referte ad me, & ego audiam*. Græce autem illud apertius & ad horum judicium rationem explicandam accommodatius: *Et constitui eos praeesse super vos chiliarchos, & hecatontarchos, & decarchos, & grammatoisagogeos judicibus vestris*. Pro eo enim quod Latinus vertit. *Qui docerent vos singula*, Græcus refert, *Grammatoisagogeos judicibus vestris.* Accessit inde lex Dei, qua de judicibus hisce cautum est cap. XVI. his verbis: *Judices & magistros constitues tibi in omnibus civitatibus tuis, quas Dominus Deus dat tibi secundum tribus, & judicabunt populum justo judicio, neque flectent judicium, neque agnoscent personam, neque accipient munera*. Et hoc loco pro *Magistris* Græcus edit *Grammatoisagogeos*. Hanc autem legem sic retulit Josephus, ut judices etiam sorte fuisse lectos ostendat: *Sint etiam, qui ad judicandum sorte exierunt, civitatibus in summo honore: & præsentibus convicia non dicantur. Judices autem jus habeant pronuntiandi quod senserint, præterquam si quis eos accepisse munera ad judicandum ostenderit, aut aliam non recti judicii caussam attulerit.*

Ut autem eos Moyses instituit, sic postea [4] Josaphat rex in regno Judæ confirmavit; ut traditum est XIX. secundi Paralip. *Constituit judices terræ in cunctis civitatibus Judæ munitis per singula loca, & præcipiens Judicibus, Videte, inquit, quid faciatis, non enim hominis exercetis judicium, sed Domini: & quodcunque judicaveritis, in vos redundabit. Sit timor Domini vobiscum: & cum diligentia cuncta facite, non est apud Dominum Deum nostrum iniquitas, nec personarum acceptio, nec cupiditas munerum.*

[5] Perturbatis inde in Babylonica terra Judiciis, Judæi, postquam in patriam redierunt; ut cætera, sic hæc quoque restituerunt. Quod fore præmonuerat Isaias capite primo, cum has Dei voces ediderat: *Et restituam judices tuos, ut fuerunt prius;* & de-

& deinde ut ita fieret, rex Artaxerxes mandavit, sic enim scripsit VI. apud Esdram: *Constitue judices, & scribas ut judicent omni populo*. Scribas enim vocavit ipsos, quos diximus, grammatoisagogeos. Restitutos inde lætatus est Psalmista, auctore S. Athanasio, qui urbe Hierosolyma reædificata, & judiciis restitutis, prout a Domino prædictum fuerat, lætitia exultans cecinit Psalmo CXXI. *Lætatus sum in iis quæ dicta sunt mihi, in domum Domini ibimus. Stantes erant pedes nostri in atriis tuis Hierusalem; Hierusalem, quæ ædificatur, ut civitas; cujus participatio ejus in idipsum. Illuc enim adscenderunt tribus, tribus Domini testimonium Israel ad confitendum nomini Domini. Quia illic sederunt sedes in judicio* (vel in judicium, ut Græcus habet) *sedes super domum David*. Atque ita deinde usque ad extrema tempora Judæorum.

Judices autem hi e corpore senatorum cujusque civitatis [6] videntur fuisse lecti: quemadmodum a primis etiam temporibus apud Romanos judicia a senatoribus agitata sunt. Docet lex ipsa multis in locis. Deuteron. XIX. *Si fugerit percussor ad unam de prædictis urbibus, mittent seniores civitatis illius, & arripient eum de loco effugii*; & XXI. *Quando inventum fuerit cadaver, & occisor ignorabitur, exibit senatus civitatis ejus & metientur a loco cadaveris*. Unde IV. Ruth: *Tollens Booz decem viros de senioribus civitatis Bethleem, dixit ad eos: Sedete hic, & testes estote. Respondit populus, qui erat in porta & seniores. Nos testes sumus. Et coram eis accepit possessionem Elimelech*.

Conditiones porro proborum judicum quatuor ex lege elicuit Philo in libro de Judice: Unam, [7] ne vanos auditus excipiant. Quod in lege interpres vertit XXIII. Exodi: *Non suscipies vocem mendacii*. Cujus præcepti Philo hanc rationem reddidit, quia *oculi*, inquit, *rebus ipsis intersunt, & contrectant quodammodo negotia adjuvante luce, per quam illustrantur, deprehenduntur que omnia, aures autem, sicut recte dixit quidam e veteribus, minus fidei habent, quam oculi, ut quibus non cum rebus ipsis sit commercium, sed cum verbis, rerum interpretibus, non semper veritatem sectantibus*. Alteram [8] ne munera accipiant, quod excæcent etiam prudentes, & subvertant verba justorum. Nam muneribus induci ad injustitiam, est scelerati hominis; semimali, non reddere jus absque operæ præmio. Sunt enim quidam inter justos injustosque medii instituti ad tuendos oppressos ab oppressoribus, qui tamen nolunt gratis ferre sententiam pro caussa meliore, oportet autem ut sententia judicis sit non solum legitima, sed etiam incorrupta. Tertiam, [9] ut caussas partium examinent ante judicium semoto omni personarum respectu, sive sint cives, amici, familiares, sive contra: ne quid benevolentia, vel odium cognitioni officiat. Quartam, [10] ne in judicio pauperis misericordia moveantur, sic enim inquit lex: *Non misereberis pauperis in judicio*, cujus dicti rationem hanc idem affert. Pauperis in solo judicio misereri nefas, nam misericordia debetur infelicibus, quisquis autem sponte male fecit, non infelix, sed iniquus est, iniquis autem pœna, justis præmium proponitur. Itaque nemini misero propter suam inopiam pœna remittatur, quia non misericordiam, sed iram meretur, & qui ad judicandum accedit, debet more boni nummularii naturas negotiorum discernere, ne turbatis signis confundantur proba cum improbis. Hæc de Judicibus.

Judicia porro in porta civitatum, quæ Judicii dicebatur, exercita sunt. Indicat lex Deuteronomii XXV. *Si noluerit accipere uxorem fratris sui, quæ ei lege debetur, perget mulier ad portam civitatis, & vocabit senatum*. Item XXI. *Si quis genuerit filium contumacem, qui parentes non audiat, apprehendent eum, & ducent ad Seniores civitatis ejus, & ad portam Judicii, & dicent ad eos, Filius noster inobediens est*; & sequenti: *Si quis odio uxoris objiciat ei, quod virgo non sit, parentes ferent secum signa virginitatis ejus ad seniores urbis, qui in porta sunt*; & XXV. *Perget mulier ad portam civitatis, & loquetur senioribus urbis illius*. Quin etiam Josue IIX. ita scriptum: *Stabit ante portam civitatis, & loquetur senioribus urbis illius*; & IV. Ruth: *Tollens Booz decem viros de senioribus civitatis Bethleem, dixit ad eos: Sedete hic, & testes estote. Respondit populus, qui erat in porta, & seniores: Nos testes sumus, & coram eis accepit possessionem Elimelech*. Hinc Proverb. XXII. *Non conteres egenum in porta, quia judicabit Deus caussam ejus*; & XXXI. *Nobilis in porta vir ejus, quando sederit cum senatoribus terræ*; & Psalmo CXXVI. *Non confundetur, cum loquetur inimicis suis in porta*.

Hæc vero hoc modo peracta sunt. Qui litem alteri intendere cupiebat, is aliquem ex principibus Judicum, qui Grammatoisagogei dicebantur, adibat, & caussam suam exponebat, ab eoque, ut eam ad judices introduceret, postulabat. Ille vero, si controversiam recepisset, (nam & respuere poterat) eam statuto die ad judices introducebat, unde nomen Introductoris accepit. Hæc autem eo loco probabo, in quo de Prin-

Principibus Judicum disputabo, neque enim eadem bis repetenda videntur, sed suo quæque loco, eoque maxime idoneo dispensanda. Talmudistæ vero rem ita actam esse prodiderunt. Qui jus poscebant, primum ad judices suæ civitatis adibant, quibus non audientibus, ad propinquioris accedebant. Quod si ne illi quidem aures præbuissent, tum ad Judices Hierosolymitanos se conferebant, qui duabus in portis sedebant, inde ab eis, si ne ita quidem voti sui compotes facti fuissent, ad Concilium confugiebant, quod Sanhedrin appellabant. Verba eorum, qualia a Petro Galatino homine aliquando Hebræo referuntur, hæc sunt: *In principio non erat controversia in Israel, sed domus Judicii* LXX. *Judicum in diversis locis sedebat, una enim earum sedebat in porta montis domus, id est, templi, altera vero in porta Atrii, reliquæ autem domus Judiciorum* XXIII *Judicum sedebant in singulis civitatibus Israel. Cum vero aliquid poscendum erat, a domo Judicii, quæ in civitate propria erat, poscebatur, si audiebant, dicebant: sin minus, ad illum ordinem veniebant, qui in propinquiore civitate erat, qui si audiebant, dicebant apud eos: sin minus, ad illum ordinem ibant, qui in porta montis domus erat; dicebantque, Sic exposui, & sic socii mei exposuerunt; sic docui, & sic socii mei docuerunt, qui si audiebant, dicebant apud eos, sin minus, ad eum ordinem veniebant, qui porta Atrii domus Domini erat, dicebantque, Sic exposui, & sic socii mei exposuerunt; sic docui, & sic socii mei docuerunt. Qui si audiebant, dicebant apud eos: sin minus & isti, & illi ibant ad consistorium Gazith, in quo Sanhedrin a mane usque ad vesperam sedebant, in Sabbatis autem, & diebus solennibus in muro sedebant.* Hactenus Talmudistæ.

Porro autem [11] de testibus audiendis hæc in lege sunt. Deut. XVII. *In ore duorum aut trium testium peribit, qui interficietur, nemo occidatur uno contra se dicente testimonium;* & XIX. *Non stabit testis unus contra aliquem, quidquid illud peccati & facinoris fuerit, sed in ore duorum aut trium stabit omne verbum;* atque inde addit [12] de falsis testibus judicio severissimo vindicandis. Unde eadem explicans dixit Josephus: *Uni testi fides non habeatur, sed tribus, aut duobus, quorum vita spectata sit. Mulieribus propter levitatem, aut temeritatem non credatur, neque servis propter generis humilitatem: quos aut lucro, aut timore ad testimonium dicendum adduci videtur verisimile est, si quis testatus falsum deprehendetur, eadem pœna afficiatur, qua ille afficiendus fuit, pro quo testimonium dixit.* Eadem etiam lege sanctum, ne quis damnaretur indicta caussa, sic enim Nicodemus apud S. Joannem septimo: *Nunquid lex nostra judicat hominem, nisi prius audierit ab ipso, & cognoverit, quid fecerit?* Exstat demum lex de sententia ferenda his verbis Deuteronomii cap. XXV. *Si fuerit caussa inter aliquos, & interpellaverint judices; quem justum esse perspexerint, illi justitiæ palmam dabunt; quem impium, condemnabunt impietatis, sin autem eum qui peccavit, dignum viderint plagis, prosternent, & coram se facient verberari. Pro mensura peccati erit & plagarum modus, ita duntaxat, ut quadragenarium numerum non excedant, ne fœde laceratus ante oculos tuos abeat frater tuus.*

NOTÆ AD CAPUT SEXTUM.

[1] *Γραμματεισαγωγεῖς dicti.*) Vulgata vertit Magistros, Chaldæi פורענבן vindices & סרכין uti Hierosolymitani, Jonathan דיינין קשיטין ותרכין אלימין judices veraces & exactores seu *vindices potentes* habet, Syrus Scribas, Arabs *judices* & præfectos. Samaritanus interpretatur, *qui discordias dirimunt*, Judæi Hispanienf. *Juezes y alguaziles*, Germanici Judæi, *judices & mandatorum executores*, Lut. Richter und Amptleute. Introductores seu dispositores litium, actionum, postulationum, & quæ id genus judiciis aut necessaria, aut pro re nata magis idonea, uti apud Athenienses test. *Jul. polluc. lib.* 28. *c.* 9. §. 6. fuere εἰσαγωγεῖς qui actiones ad judices introducebant. Præceptores vertit Lippom. *Exod.* 5. Notarios, actuarios Masius in *Josuæ cap.* 1. Credibile est γραμματεισαγωγεῖς hoc muneris habuisse, ut vel libellos supplices acciperent, & illis responderent, vel fuisse judicum Adsessores, qui Mosaicæ legis periti ex Levitica tribu judicibus præsto erant ne a præscripto legis divinæ aberrarent, vid. Joan. Steph. Menoch. *de Republ. Hebr. fol. m.* 43. *cap.* 6. Joan. Selden. *de Synedr. Heb. lib.* 1. *pag.* 622.

[2] *Institutos a Moyse &c.*) Constat ex 19. Exod. quod in deserto facta sit suasu Jethronis, confer. de his Johan. Selden. *lib.* 1. *cap.* 15. *de Syned. Heb. pag. m.* 613. 614. *seqq.*

[3] *Ex Dei præcepto.*) Non solum autoritate Mosis hi sunt electi, sed jussu ipsius Dei dicentis, *Constitues tibi in omnibus portis tuis judices.* Angli all thy gates; Belgæ in alle uwe Poorten. Sed Græci hoc vertunt, ἐν πάσαις πόλεσί σου, *in omnibus Civitatibus tuis*, alibique non raro שער per civitatem seu urbem vertunt. Onkelos item בכל קרויכון & Jonathan בכל קרויכון in omnibus civitatibus vestris. Porta per Synechdochen partis pro toto pro ipsa urbe sumitur, Gemar. Babylon. *ad tit. Sanhed. cap.* 1. *fol.* 16. 2. Sed præcepti de judiciis, Tribunalibus constituendis hic faciunt Magistri. Nam scriptum est Numer. 35. 29. *& hæc sint vobis præcepta judicialia pro generationibus vestris, per cunctas habitationes vestras*, unde Onkelos: *Et sint hæc vobis in Decretum judicii per generationes vestras in cunctis habitationibus vestris.* Samaritan. & Jonath. *Et sint hæ indicationes vobis in Decretum judiciorum.* Concordant hic *Rabba Dabarim fol.* 268. & Zohar *edit.* *Man-*

Mantuan. fol. 274. 2. Moses Kotzensis *precept. affir.* 77. Et Maimonid. *tit. Sanhed. cap.* 1. *Præceptum affirmativum legis est, ut constituant judices & Ministros seu Præfectos in qualibet Urbe, & in qualibet provincia, seu tractu, ex eo quod scriptum est: Judices & Ministros constitues tibi in omnibus portis tuis. Judices hi sunt, qui collocantur in domo judicii, ubi litigantes coram eis se sistunt.* Ex Præcepto *Deuteron.* velut primario sic nasci volunt Magistri סנהדריות הקטנות *Synedria illa minora*, quæ revera duplicia fuere, Vigintitriumviralia, & Triumviralia, quæ licet haud Synedria dici soleant, nihilominus Synedria vera fuere.

4 *Josaphat Rex confirmavit.*) Observandum hoc de Josaphato Rege, quod cum legem sacram & Rempublicam corruptam emendare moliretur, Lucos Diis gentium sacratos juxta præscriptum *Deut.* 16. 21. exstirpare, prima ipsi fuerit cura. Ex versu autem 18. ejusdem, cap. 16. occasionem arripuit bene errores ac corruptelas corrigendi, defectus supplendi, qui circa tribunalia per urbes regni sui serpserant, atque inde evenit quod testatur de eo Scriptura. 2. *Paralip.* 19. 5. quem locum *Sigonius* noster adducit. Ex Hebræorum *vero mente* ita vertitur. *Et quodcunque judicaveritis in vos redundabit*, atque apud Græcos, καὶ μεθ' ὑμῶν λόγοι τῆς κρίσεως, *& cum vobis causæ judicii. Nunc igitur sit pavor Domini super vos, cavete & agite; quoniam non est perversitas aliqua apud Dominum Deum nostrum, nec personarum acceptio nec munerum. Sed & Hierosolymis constituit Josaphat ex Levitis & Sacerdotibus & ex principibus familiarum Israel* (Patriarchæ vocantur Græcis) *ad judicium Domini & ad controversias.* Josephus *lib.* 9. *cap.* 1. hac de re Josaphatum ait constituisse generatim, δικαστὰς ἐν ἑκάστῃ πόλει τῶν βασιλευομένων ἐπ' αὐτῶν, *in civitate seu oppido quolibet ditionis suæ* adjecto. ὑπέστρεψεν εἰς Ἱεροσόλυμα, *reversus est Hierosolyma.* Et Dein, κατέστησε δὲ ἐν τούτοις κριτὰς, ἐκ τῶν ἱερέων καὶ ἐκ τῶν λευιτῶν καὶ τῶν τὰ πρῶτα πλῆθος φερομένων παραινέσας ἐπιμελῶς καὶ δικαίως ποιεῖσθαι πάσας μετὰ τὰς κρίσεις, illic (Hierosolymis) *constituit judices, ex Sacerdotibus & ex Levitis, & ex eis qui primas apud populum tenuere, monuitque eos ut accurate & juste in judiciis cunctis se gererent.* Et paulo post: *Horum autem principem constituit Amasiam* (pro Amariam) *Sacerdotem, & Zabadiam ex tribu Judæ, qui ex amicis suis summis.* Idem de eodem Rege *lib.* 8. *cap.* 9. συγκαλέσας τοὺς ἡγεμόνας καὶ τοὺς ἱερεῖς τῆς χώρας ἐκέλευσε τὸν λαὸν τὴν γῆν περιελθόντας ἅπαντα, τὸν περὶ αὐτὸν διδάξαι κατὰ πόλεις τοὺς Μωυσέως νόμους &c. *Convocatis principibus & Sacerdotibus Regionis illius; præcepit illis perlustrare Terram & populum universum passim docere Mosis leges.*

5 *Perturbatis inde in Babylonia Judiciis &c.*) In ipso captivitatis etiam tempore Synedrii Magni & reliquorum potestas viguit, vid. Ezr. *cap.* 4. Joseph. *lib.* 11. *cap.* 4. De Ezra, Baruchi successore, sic ajunt: עזרא ובית דינו קבלו מברוך בן נריה ובית דינו. *Et Ezra & Synedrium ejus receperunt a Barucho Filio Neriæ & Synedrio ejus.* Quale fuerit Synedrium tempore restitutionis cognosci potest ex diplomate Artaxerxiano. *Ezr.* 7. 9. Apud Talmudicos legere est Ezram tunc & alios viros Synagogæ seu Concilii magni vocatos fuisse, quo significari videtur *pristinam magnificentiam, statum, & splendorem Synedrium recuperasse* vid. *Gem. Hierosolym. ad tit. Megilla cap.* 3. *fol.* 74. *Gem. Babylon. ad tit. Joma c.* 7. *Sepher Juchasin fol.* 13. D. Hieronym. in Esa. *lib.* 1. *cap.* 1. ait. *Post captivitatem Babylonicam sub Zorobabel & Esdra* & *Nehemia Israel reversus est in Judæam & antiquum recepit statum.* Idemque ad illud Esaiæ quod *Sigonius* noster habet, *Restituam &c. Restituet ergo Judicum similitudinem post captivitatem Babylonicam, ut Judæi volunt, Sorobabel Esdram & Nehemiam & cæteros principes, qui usque ad Hyrcanum populo præfuerunt.* Cum, inquam, hæc, aliaque hujusmodi de reditu apud veteres dicta sint, certe veritati consentaneum judices ex indultu Regis Hierosolymis alibique, Republ. renascente, constitutos fuisse, & tam Synedrium Magnum, quam alia Synedria reviviscere cœpisse. Quod confirmatur cap. 10. 8. Esr. ubi ex consilio Principum & Seniorum totam substantiam ejus, qui intra triduum non veniret, auferri debere decretum est, vid. Joan. Selden. *lib.* 2. *cap.* 16. *pag. m.* 677. *seqq. de Synedr. Hebræorum.*

6 *Videntur fuisse lecti.*) Scilicet e tribus ordinibus, de quibus *Maim. Hilc. Sanhedr. cap.* 1. 7. & 8. fusius agit: *In quolibet Synedrio minore collocabant tres Ordines Discipulorum sapientum singulos ex viginti tribus viris constantes. Ordo primus proximus erat Synedrio ipsi, Secundus primo inferior, Tertius secundo. In quolibet autem ordine considebant secundum dignitatem & sapientiam. Quando vero deficiebat aliquis tum seligebant unum ex populo, eumque collocabant in tertii ordinis loco infimo.* Hi vocantur ἀρχαὶ *Deut.* 21. 2. quam vocem ipse Josephus de Judicibus & Presbyteris usurpat, αἱ ἀρχαὶ inquit τῶν πόλεων τῶν πλησίον τῇ χώρᾳ ἐν ᾗ φόνος ἐπράχθη καὶ ἡ γερουσία συνελθόντες μετρείτωσαν, quod Rufinus vertit. *Principes civitatum vicinarum regionis illius, in qua cædes facta est & Seniores convenientes metiantur.*

7 *Ne vanos auditus excipiant.*) Debet judex æqualiter utramque partem audire, sicut Heliastæ judices apud Athenienses jurabant: καὶ ἀκροάσομαι τοῦ τε κατηγόρου, καὶ τοῦ ἀπολογουμένου ὁμοίως ἀμφοῖν. *Demosth. in Timor. qui & in orat.* 1. *de C.* æquissimum censet, præbere seipsum æqualem judicem utrique & communem ἀκροατὴν, imitatus præceptum *Platon.* Ne judica nisi utrosque audieris. *Alexander M.* cum controversias audiret, aurem alteram obturasse fertur, ut eam reo integram reservaret. *Plut. in Alex. Lex.* 12. *erat*: Ante meridiem causam conscito, cum perorant ambo præsentes. *Gell. lib.* 17. *cap.* 2. Unde merito *Sen. de mor. Claud.* Claudium insectatur, quod tam cito causas diremerit una parte tantum audita, sæpe & neutra: Antequam scruteris, ait *Salom. Eccles.* 11. Ne reprehendas, intellige prius, & tunc increpa: antequam audieris, ne respondeas: & ex eo *Damasus Pap. cap.* Eorum 11. *q.* 3. Eorum qui accusantur, caussas discutere non licet prius quam canonice vocati ad Synodum & præsens per præsentem agnoscat veritatem, & intelligat, quæ ei objiciuntur.

8 *Ne munera accipiant.*) Non solum S. Scriptura severe prohibet judicibus, ne munera accipiant *Esa.* 5. *v.* 23. *Esai.* 10. *v.* 1. *Es.* 33. *v.* 15. *Jerem.* 22. *Amos.* 5. 7. *Mich.* 3. 1. *Zach.* 7. 9. *Deut.* 15. verum etiam saniores gentes, quæ hanc ob causam justitiam cœcam & sine manibus pinxerunt, uti de Ægyptiis, & Thebanis scribit *Diodor. Sic. lib.* 1. ne ii, qui justitiæ præessent interprete Plutarcho, vel munera caperent, vel in cujusquam gratiam a tramite justitiæ deflecterent, conf. Joan. Stobæus, *sermon.* 44. *de magistr. ol. m.* 308. qui ita ait: Ἐν δὲ Θήβαις εἰκόνες εἰσὶν ἀνακείμεναι δικαστῶν ἄχειρες, ὁ δὲ τῶν ἀρχιδικαστοῦ μύουσα τοῖς ὄμμασιν, ὡς ἄδωρον ἅμα τὴν δικαιοσύνην καὶ ἀνέντευκτον οὖσαν i. e. *Thebis judicum imagines visuntur absque manibus & summi judicis oculi connivent, eo quod justitia nec muneribus capiatur, nec hominum vultu flectatur.* Hinc *Euripides* teste Stobæo *sermon.* 44. *de magistrat. fol.* 307. inquit:

> φίλων δὲ χρυσὸν πολλάκις δωρουμένων,
> οὐκ εἰσεδέξατ' οἶκον, οὐδὲ τοὺς τρόπους,
> δούλους παρέσχε χρημάτων πεισθεὶς ὕπο.

I. e. *Amicis sæpe donantibus aurum, non recepit ad se: neque mores serviles exhibuit pecuniis persuasus.* Hoc etiam prohibetur *in legib. Eccles. Ætheredi R. apud Habam. fol. m.* 532. *edit. Henr. Spelman.* ubi hæc exstant verba: *judicia debent esse sine omni Haderunga, nihil injustius est, quam susceptio munerum in judicio subvertendo: Occœcant homines munera, & a recto virtutis tramite abducunt.* Deprehendimus ait Georg. Schonborn. *polit. lib.* 6. *cap.* 11. *de ducib. pag. m.* 583. hoc in Pausania, quem Xerxiana munera rapuerunt in transversum: videmusque Aratum Achæorum Ducem nonnihil a justitia deflexisse, quod a Ptolomæo Philopatore Rege Ægypti decem talenta dono accepisset. *Plut. in Arato.* Prohibent & hoc leges Civiles, quas adduxit Arnis. Pol. *cap.* 16. *de magist. p. m.* 383. Imo judex qui sese corrumpi patitur muneribus, sive per se, sive per suos domesticos & manipularios repetundarum reus sit. Non autem hoc intelligendum ac si judici omnino

nino non liceat aliquid sumere ; Sed distinctione hic opus . Aut eum in finem judici munus offertur , ut corrumpatur, justitiaque, cujus sincerus antistes esse debet , depravetur , & tum oblatum munus respuere tenetur : aut vero amicitiæ conservandæ causa ipsi donum datur , quod accipere non prohibetur , vid. *Myns. cent.* 2. *obser.* 75. *num.* 6. Verum quia Deus Optimus Maximus testatut sapientissimi cujusque mentem corrumpi , & æquissimi animum muneribus oblatis perverti Exod. 23. ideo Deum tentare , & eo prudentior esse videtur judex qui acceptis muneribus recte se judicaturum sibi persuadet . *Johan. Koppen. d. observat. num.* 3. *&* 4. Hinc bene nonnullis in locis constitutum est , ut , antequam aliquis ad *Prætoris* Officium admittatur , omnia omnino munera abjuret, vid. D. Philippi *usus pract. Instit. lib.* 4. *tit.* 18. *eclog.* 94. *pag.* 1076. In Hispania judici munus aliquod accipere prohibitum est vide Gundisalvum *in tr. de hæret. n.* 8. 9. Cum judex non propter munera , sed propter virtutem , veram sententiam pronuntiare debeat *Castel.* 4. *de off. reg. c.* 4. *add. egreg. can.* 64. *caus.* 2. *quæst.* 3. qui recte judicat & præmium remunerationis expectat , fraudem in Deum perpetrat , quia justitiam , quam gratis impertiri debuit , acceptione pecuniæ vendidit. Bonis male utuntur, qui pro temporali lucro juste judicant : tales quippe ad veritatem non justitiæ defensio , sed amor pretii provocat , quibus si spes nummi subtrahitur; confestim a justitiæ confessione recedunt .

[9] *Ut causas examinent* .) Ad officium Judicis etiam requiritur , ut diligenter causas ponderet , ceu docet Imperator Constant. *in l. C. de Judic.* Et non debet nimis festinanter procedere ; quia justitiæ noverca est præcipitatio , & nimia festinatio , judiciorum labes. Nihil enim, ait *Demosthen.* tam contrarium est judicio , quam subito sine judicio decernere: & *Senec. in prov.* Ad pœnitendum properat, qui cito judicat . Unde *Antoninus Philosophus* etiam in minimis rebus diem consumsit , ratus non oportere Imp. quicquam propere agere . *Dion. in Anton.* Et Tiberius vetuit damnatos ante 10. diem puniri : *Dion. lib.* 57. *Suet. in Tib.* Augusto vero, cum præceps ad iram ferretur , consilium dedit præceptor , ne condemnationem ratam esse juberet , antequam literas 24. recensuisset, alia exempla lege sis apud *Victor. in Theodor. Zonar. in Theodor. Gell. lib.* 17. *c.* 2. *Thom. Mor. in Utop. Thuc. lib.* 1. Hoc etiam indicare vult Stobæus *serm.* 64. *de magistr. fol.* 309.

[10] *Ne misericordia moveantur.*] Porro in ipso judicio maxime necesse est a judice justitiæ rationem haberi, quoniam inde judicis nomen derivatur. *Isidor. Etymol.* Cum vero affectus justitiæ maxime obsint , quippe qui juxta *Senec.* 8. *epist.* 60. rem consilio & cogitatione videri non sinunt , omnes affectus a tribunalibus longe absint necesse est. Propterea judices solent sedere. *Nov.* 71. *c.* 1. *l.* 6. *§. ult. C. de postul.* ut tranquillitatis animi admoneantur . Apud Areopagitas eadem de causa , *ἄνευ πάθους καὶ προοιμίων* causæ perorabantur. *Lucian. in Hermot. Alex. ab Alex. quo omnes excluderentur perturbationes.*

[11] *De testibus audiendis* .) Magnam in producendis testibus adhibebant curam , an idonei an inidonei essent ? Rejiciebantur igitur , (1) aleator , (2) fœneratores , (3) qui columbas volare docebant . (4) Nundinatores fructuum anni septimi , qui ad usum non ad quæstum concessi . Ex propinquis repudiabantur frater , patruus , avunculus , amita & matertera , &c. Intelligunt enim Hebræi , ut *Maimonides halach. Heduth* explicat , per propinquos, illos, *qui ex una stirpe prognati sunt , ut fratres qui vocantur* ראשון בראשון , *hi adversus se invicem testimonium dicere prohibentur . Atque hic gradus primus est . Secundus est eorum , qui ex fratribus sororibusque nati sunt . Quos denotant Talmudici his vocibus :* שני בשני , *Hi quoque adversus se invicem testimonium non perhibent . Tertius est eorum , qui ex fratrum filiis generantur, quos indigitant;* שלישי בשלישי . *Horum testimonium admittitur* . Idem Maimonid. *tract. Heduth. cap.* 9. 10. 11. & refert , quod non idonei sint decem genera . (1) *Fœminæ* (2) *Servi* (3) *Minores* (4) *Fatui* . (5) *Surdi* , (quibus jungunt mutos) (6) *Cæci* (7) *Impii* (8) *Impudentiores* (9) *Propinqui* (10) *falsi ante convicti* . His adde *Amicos* & *Inimicos* . Quomodo examinentur testes monstrat *Sanhedrin, cap.* 3. §. 6. Intro vocatis terrorem incutiunt, scil. *ne quid ex confectura aut rumore dicant , etiamsi ex ore alterius fide digni audisse se affirment.* Item: *Forte ignoratis , nos pervestigaturos tandem vos esse inquisitione & indagatione . Ne sitis nescii , aliter se habere judicia , quæ de pecunia , quam quæ de capite habentur* , conf. Johan. Coch. *ad tit. Talmud. Sanhed. & Maccoth. not. cap.* 6. *pag. m.* 32. Hoc facto maximum natu testium ita alloquuntur : *Cedo , qui nosti , hunc illi debere?* Si responderit ; *Ipse mihi dixit : Ego isti debeo* : aut , *Alius id mihi recitavit* , nihil testatus est : usque eo dum dicat ; *Nobis præsentibus fassus est adversario suo , se ipsi debere ducentas drachmas*. Septem quæstionibus testes examinantur , qua heptacteride ; quo anno , mense, quoto die mensis , quo die , qua hora , quo loco ? R. Jose ait*: quo die , qua hora , quo loco ; nostisne illum ? præmonuistisne illum?* Quando testimonia non conveniunt , non accipiuntur , conf. *Sanhed. cap.* 5. *p.* 48. Ex ore igitur duorum aut trium testium interficietur , qui mortem meritus est . Unus testis ad testimonii dictionem non admittitur vid. Joan. Selden. *lib.* 2. *de Syned. Hebræor. pag. m.* 519. *cap.* 12. nisi in Sota , i. e. muliere adulterii rea , ne bibat aquas amaras & in junice decollanda , ne id fiat . Cæterum unicus testis, qui quidem ad dicendum testimonium non ineptus sit , eatenus in pecuniariis admittitur , ut is , in quem dicit , ad juramentum adigatur. Objicit *Maccoth. cap.* 1. *§.* 7. *pag.* 93. Si duorum testimonium stat , quid opus erat Scripturam speciatim ternos definire ? *Non aliam ob causam , nisi ut trium testificationem cum duorum ex æquo comparet . Nam uti tres convincunt binos , ita tres bini* . Quid bini? Si reperiatur inter illos unus, vel ob necessitudinem vel alia de ratione rejectaneus, fides testimonio non est: ita si inter tres eadem ratione. Si de diversis bini spectarint fenestris, aliusque in medio præmonuerit ; quando se mutuo conspexerint, una testificatio est; sin non, duæ sunt testificationes . Quare si unum par inveniatur mentitum esse , iste præmonitor cum ipsis interficitur , alterum par impune est. *R. Jose* ait*: Nemo unquam interficitur , nisi ore suo uterque testis admonuerit* , plura legi poterunt *in Paraph. Chald. not.* Paul. Fag. *in Deut.* 13. 8. Maimonid. *Hilcoth. Sanhed. c.* 11. Joan. Coch. *in not. ad Maccoth. cap.* 1. *p. m.* 101. Joan. Selden. *de Syned. Hebr. loc. cit.*

[12] *De falsis testibus Judicio severissimo judicandis.*) Expressum in Scriptura S. habetur mandatum. Deut. 19. 19. *Omnino facietis ei , quemadmodum molitus erat facere fratri suo* . Hinc Rabbini testes pro falsariis puniendos esse dicunt, qui falsum testimonium perhibent e. g. Si dicant; *Testamur adversus N. N. quod sit filius expulsæ, aut filius ejus matris, cui calceus traditus est*: tum non statuunt judices, ut vicem alterius , de quo testati erant falso , subeant , sed infligunt ipsis XL. plagas , vid. Maccoth *cap.* 1. §. 1. 2. Tripertito pecunia quidem solvenda ipsis injungitur , at non tripertito plagæ dividuntur . Hoc etiam volunt *leges Eccles. Inæ R. Occiduor. Saxon. vetusto Anglorum idiomate excus. fol. m.* 182. 183. *Si quis coram Episcopo testimonium aut pignus suum falso produxerit*, 120. *solidis compensato*; & in capit, incertæ editionis *fol.* 602. 27. *de falso testimonio legitur: Dicendum est eis , ut a falso testimonio abstineant: scientes & hoc gravissimum scelus esse , & ab ipso Domino in monte Sinai prohibitum , dicente ipso Domino , non falsum testimonium dixeris , sive testis falsus non erit impunitus : sciat se etiam quisquis hoc perpetravit , aut tali pœnitentia purgandum , ut de perjurio dicitur, scil. quod ab Ecclesia sit repellendus a consortio , ut nullus cum eo comedat , neque bibat , neque oret , neque eum in sua domo recipiat* . Testes , inquit , *Maccoth cap.* 1. §. 5. *pag. m.* 93. si alii convincant mendacii, atque illos vicissim alii, licet centum sint , omnes interficiendi sunt . R. Jehuda inquit : *Iniquum hoc quidem esse , sed non interficitur nisi per manus testium duntaxat* . Verum observat *Joh. Coch. ad hunc titulum ex Maimonide* inquiens: *Non* obtinet R. Jehudæ sententia , sed sapientum, ita *si primi testes testati sint, quod Ruben Simeonem occiderit : hosque Levi & Dan fraudis insimulaverint : itidem , si secundum tertiumve par testium consenserit in testimonio cum primis , atque hoc quoque testentur Levi & Dan præsentes non fuisse &c.*

ex

ex horum testimonio omnes interficiuntur, plur. cit. loc. pag. m. 99. conf. Maimonid. *hilch. Eduth. cap. 20. princ.* Imo & elementa ipsa ad pœnas traxerunt impios atque pessimos homines, qui susque deque conscientiam habentes pejerarunt, de quibus Alexander ab Alexand. *genial. dier. cum not. Andr. Tiraquell. lib. 5. cap. 10. fol. m. 482.* Jul. Solin. polyhistor. *cap. fol. m. 76.*

CAPUT SEPTIMUM.

De Concilio Hierosolymitano.

CONSISTORIUM autem [1] Gazith, quod Græci συνέδριον & Cathedram, Latini Concilium, Talmudistæ [2] Sanhedrin nominarunt, fuit tribunal omnium & dignitate judicum amplissimum in ea urbe quam Deus elegit, ac caput esse sanctitatis atque imperii statuit, id est primum in Silo, deinde Hierosolymis, sive primum in tribu Ephraim, deinde Juda, eo consilio constitutum, ut a Judicibus civitatum singularum variantibus de jure factove sententiis definiri non possent, huc denique referrentur. De hoc vero tribunali acturus, primum omnia quæ a Talmudistis dicuntur, exponam; deinde, quid ipse apud sacros scriptores legendo compererim, addam. Sic igitur variis in locis illi: *Tempore Moysis Dei jussu* LXX. *seniores ætate provecti, ac scientia probati delecti fuerunt, qui ipsius Moysis in populi regimine coadjutores essent, ad quos & omnes legis difficultates declarare, ac definire, & in rebus gravibus, & caussis arduis judicare pertinebat. De quibus illud Deuteronomio scriptum est: Si difficile atque ambiguum apud te judicium esse perspexeris, surge, & adscende ad locum quem elegerit Dominus Deus tuus, ut ibi nomen ejus evoces. Hi autem Sanhedrin vocabantur, & sedebant in consistorio Gazith ad judicandum judicia animarum, dicebantur quoque Meokekim, id est scribæ, sive legum latores, eo quod quidquid tradebant, & scribebant, tamquam lex ab aliis haberetur. Quorum collegium sceptrum datum a Spiritu Sancto domui Jacob repræsentabat, & in ipsis sceptrum ipsum pendebat. Quare non solum sub regibus & ducibus residentes judicandi potestatem exercuerunt, verum nullo etiam rege aut duce apud Judæos existente, eorum tamen duravit auctoritas. Quatuor autem modi occidendi traditi sunt eis, lapidare, comburere, occidere & strangulare. Unde habebant, quod quando interfecissent animam, id est cum aliquem occidendum judicassent, tota die illa nihil gustarent. Judicia porro de pecuniis & bonis mobilibus fiebant per tres judices, animarum per viginti tres. Nemo autem judicabat tribum, sceptrum, pseudoprophetam, aut sacerdotem magnum, nisi domus judicii* LXXI. *judicum, nec egrediebatur ad bellum, nisi secundum os domus judicii* LXX. *judicum, nec addebant civitati, nec salariis templi nisi per eosdem, nec faciebant Sanhedrioth, id est conventus judicum tribubus nisi per eosdem. Collegium magnum erat* LXXI. *judicum, minus* XXIII. *erant autem* LXX. *seniores, de quibus Numerorum* XI. *Congrega mihi* LXX. *seniores, & unus Moses. Minor ipsorum Sanhedrin conventus non poterat, nisi a* LXX. *majorum conventu ordinari, ipsi namque judices* LXX. *ordinabant aliorum judicum conventus, qui in aliis civitatibus & locis circumquaque populum regebant, hac tamen conditione, ut unusquisque cujusque regionis conventus magno majorum conventui Hierusalem, & in loco Gazith vocato existenti subesset. Judices autem manuum impositione legebantur, ita ut quinque necessarii essent, qui id munus præstarent. Hos vero Sanhedrin Herodes rex sustulit. Inde alii substituti sunt, sed sine potestate sanguinis; unde Pilato responderunt. Nobis non licet interficere quenquam. Inde ob falsum Christi judicium annos quadraginta ante, quam templum a Romanis incenderetur, ex consistorio Gazith expulsi sunt, & in Hanuth consederunt, non licebat autem de capite agere nisi in Gazith, ut Deuteronomii* XVII. *Et facies secundum verbum oris, quod nuntiabunt tibi de loco illo. Item: Et surges, & adscendes ad locum. Ad extremum hi judices quoque omnes a Romanis iterum interfecti sunt.* Atque hæc quidem Talmudistæ, qui certam harum rerum sibi notitiam vendicant, Petro Galatino auctore.

Nos autem hæc ad ea quæ illi quasi oculis comperta scripserunt, ex sacris & veteris & novi Testamenti thesauris, ac præterea ex Josephi monumentis adjungimus, quibus institutionem, confirmationem, jus, ac potestatem hujus Concilii explicemus. In primis ergo hoc tribunal a Deo institutum esse apparet, ut a Judicio Judicum ad Concilium Seniorum & Sacerdotum veniretur: ut scriptum est XVII. Deuteronomii. Sic enim ibi Moyses ad populum ex Dei præscripto loquitur: *Si vero difficile, atque am-*

ambiguum apud te judicium esse perspexeris inter sanguinem & sanguinem, caussam & caussam, lepram & non lepram, & judicum intra portas tuas videris verba variari; surge, & adscende ad locum quem elegerit Dominus Deus tuus, ut ibi nomen ejus evoces, veniesque 3 *ad sacerdotes Levitici generis, & ad Judicem qui fuerit illo tempore, quæresque ab eis, qui indicabunt tibi judicii veritatem, & facies quodcunque dixerint, qui præsunt loco quem elegerit Dominus, & docuerint te juxta legem ejus, sequerisque sententiam eorum, nec declinabis ad dextram, neque ad sinistram, qui autem superbierit nolens obedire sacerdotis imperio, qui eo tempore ministrat Domino Deo suo, ex decreto Judicis morietur homo ille.* Ex his apparet, hoc judicium mandatum esse regi; sacerdotibus, & senioribus populi: hi enim præcipui erant, qui præerant loco quem elegerat Dominus. Itaque Josephus sic hanc legem reddidit, ut præcipuam senatus mentionem fecerit, sic enim scripsit: *Si vero judices nesciunt de rebus ad se delatis pronuntiare, integram caussam in urbem sanctam mittent, convenientes pontifex, & propheta, & senatus, quod visum sit, pronuntient.* Post autem Moyses aperte judices nominat ipsos, quos diximus, sacerdotes, XIX. inquiens: *Si steterit testis mendax contra hominem, accusans eum prævaricationis, stabunt ambo ante Dominum coram sacerdotibus, & coram judicibus, qui erunt in illis diebus.* Josephus autem ipsos etiam sacerdotes commemoravit libro secundo ad Appionem, cum scripsit: *Sacerdotes inspectores omnium, judices controversiarum, punitores damnatorum constituti sunt a Moyse.*

Quin etiam 4 Moyses ipse in Consilio caussam cognovit ejus qui Sabbato ligna collegerat, Levitici XV. Sic enim inquit Philo III. de vita Moysis: *Comprehensum hominem adduxerunt ad principem, cui assidebant in Consilio sacerdotes, aderat vero universa multitudo ad audiendum in die sabbati. Moyses autem, quo supplicio dignus esset ignarus, Deum consuluit, qui lapidibus cædendum esse respondit.*

Ut autem hoc tribunal Moyses instituit, sic postea Josaphat rex Judæ sancivit, quomodo etiam Judicia in civitatibus confirmarat, sic enim scriptum est in secundo Paralip. XIX. *In Hierusalem quoque constituit Levitas, & Sacerdotes, & Patriarchas ex Israel, ut judicium & caussam Domini judicarent habitatoribus ejus, præcepitque eis dicens: Sic agetis in timore Domini fideliter, & corde perfecto. Omnem caussam quæ venerit ad vos fratrum vestrorum, qui habitant in urbibus suis, inter cognationem & cognationem, ubicunque quæstio est de lege, de mandato, de cæremoniis, de justificationibus* (in Græca translatione est de præcepto, mandato, justificationibus, & judiciis) *ostendite eis, ut non peccent in Dominum, & ne veniat ira super vos, & super fratres vestros. Sic ergo agentes non peccabitis. Amarias autem pontifex vester in iis quæ ad Deum pertinent, præsidebit. Zabadias filius Ismael, qui est dux in tribu Juda, super ea opera erit quæ ad regis officia pertinent, magistri* (Græce scribæ) *Levitæ erunt coram illis.*

Inivere ergo hoc Concilium, ut ex his apparet, Rex cum Principibus populi, ac LXX. Senioribus populi, & Pontifex cum Principibus sacerdotum, & Scribis, id est legis doctoribus, ut perspicere licet ex Evangeliis, ubi agitur de judicio Christi. Voco autem Principes populi duodecim principes tribuum, qui regi assidebant: Seniores vero ipsos, quos dixi, LXX. populi senatores. Quare Joseph ab Arimathia, senator, sive decurio nobilis, idem Concilii particeps fuit, siquidem scriptum est, ipsum cum cæteris assensum damnationi Christi non præbuisse. Principes autem sacerdotum dico illos, qui vicenis quaternis sacerdotum classibus, seu vicibus, singuli singulis præerant: Scribas vero ipsos legis doctores, quos prophetas Josephus vocavit.

Deleto inde Babylonica transmigratione Concilio, cum reversis in patriam Judæis reliqua instituta restituerentur, etiam 5 sacerdotibus potestas in Concilio judicandi est data, quod præmonuit Ezechiel cap. XLIV. mandato Dei inquiens: *Sacerdotes populum meum docebunt, quid intersit inter sanctum & profanum, & inter impurum ac purum, indicabunt eis, & circa judicium sanguinis ipsi insistent, & justificationes meas justificabunt, & judicia mea judicabunt, & leges meas, & præcepta mea in omnibus diebus festis meis custodient*, id est de caussis religiosis & capitalibus cognoscent, atque *homines justificabunt*, id est absolvent, & *judicabunt*, id est condemnabunt, prout ego in lege faciendum esse præscripsi, ubi qui digni venia, & qui pœna essent, demonstravi. Sunt autem qui hoc Concilium post e familia Davidis lectum fuisse dicant, atque eos postea 6 ab Herode rege fuisse sublatos. Quod si ita est, videndum est, num eo verba psalmi in restitutione urbis Hierosolymitanæ, teste S. Athanasio, cantata, referri possint: *Quia illic*, id est in Hierusalem, *sederunt sedes ad judicium, sedes super domum David*, id est sedes e domo David.

Advocarunt vero hoc Concilium aut Rex, aut Pontifex, prout crimen delatum, aut civitatem attigit, aut religionem.

Cæterum ordo rei apud hos judices peragendæ ferme fuit hujusmodi. Qui nomen deferre alterius cupiebat, is ferme aut regem, aut pontificem, aut principes adibat, reumque denuntiabat. Quo facto illi ministros ad hominem capiendum mittebant, &, si res tulisset, cohortem etiam a præfecto templi acceptam adjiciebant: eumque ad se adductum ferme in carcere, atque in custodia militari habebant, donec de illo judicaretur. Inde universo convocato Concilio opera cognitioni dabatur. Intendebatur autem ab accusatore crimen, & pœna his verbis: *Judicium mortis est viro huic, quia hoc, aut illud fecit*. Repellebatur autem a defensore, his: *Judicium mortis non est viro huic, quia illud non fecit, aut quia juste fecit*. Ubi vero perorata utrinque caussa erat, tum judicibus suffragia dabantur, atque ille pro numero sententiarum aut condemnabatur, aut absolvebatur. Ubi vero res ad Romanos redacta est, [7] Concilio relicta tantum est condemnatio, animadversio vero erepta, sed procuratori Romano permissa. Quod in judicio Christi evenit. Nam [8] Concilium damnavit Christum, & morti addixit, populus vero a Concilio incitatus a Pilato procuratore poposcit, ut crucifigeretur: atque ille, ut ita fieret, judicavit.

Formula porro intendendi aut repellendi criminis est XXVI. Hieremiæ: *Loquuti sunt sacerdotes, & prophetæ ad principes Judæ dicentes: Judicium mortis est viro huic, quia prophetavit adversus civitatem istam. Et dixere principes ad sacerdotes: Non est viro huic judicium mortis, quia in nomine Domini Dei nostri locutus est ad nos*. Formula vero damnationis est apud S. Matthæum XXVI. *Ecce nunc audistis blasphemiam, quid vobis videtur? at illi respondentes dixerunt: Reus est mortis*. Quod Marcus dixit: *Qui omnes condemnaverunt, eum esse reum mortis*. Verum hæc quæ dixi, omnia clarius cognoscentur, si singula, quæ ab hoc ordine judicia facta sunt, de quibus literis proditum sit, exponentur.

Mentio ergo Judicii & Concilii fit in psalmo primo: *Ideo non resurgent impii in Judicio, neque peccatores in Concilio justorum*.

Primum autem [9] judicium, quod nominatim peractum a Concilio sit, in ipso Assamonæorum imperio, nempe Hyrcano regnante, apud Josephum libro XIV. traditur, cum Herodes reus factus est, is qui postea rex fuit. Quo tempore vigebat lex, cujus idem meminit: Ne cui nocenti vita eriperetur, nisi Concilii sive (ut Græco vocabulo utar) Synedrii sententia condemnato. *Herodes*, inquit, *Antipatri filius quosdam latrones sine Concilii sententia interfecerat, ac potentia sua terrorem omnibus inferebat. Quare multi Hyrcanum regem & populum hortati sunt, ut ipsum caussam dicere in Concilio cogerent. Hyrcanus autem Herodem ad caussam in Concilio dicendam adesse jussit. Ille vero in Concilium cum coborte sua progressus adeo terruit omnes, ut nemo ad accusandum accedere auderet. Silentibus autem omnibus unus Sameas, vir justus, dixit: Viri ex Concilio, & Rex, credo neminem vestrum vidisse unquam similem huic aliquem in hoc Concilio consistentem. Nam qui huc accedere consueverunt, ut caussam dicant, humiliter astare, & misericordiam a vobis poscere capillis promissis, & veste atrata soliti sunt, hic vero de cæde caussam dicturus, adest purpuratus, & capite ornato, armisque stipatus, ut si condemnatus ex lege fuerit, nos morte afficiat, ipse vero vi facta veritati evadat: Verum Herodem non accuso, siquidem commodo suo, non legi consuluit: sed vos, aut regem, qui ei tantam licentiam tribuistis; Unum scitote, maximum esse Deum. Quare hic, quem nunc propter Hyrcanum dimittere vultis, quandoque vos, & ipsum regem torquebit. Hyrcanus autem cum vidisset judices ad necem Herodis propendentes, judicium in posterum diem distulit, & clam monuit, ut urbe abiret*.

Judæa inde post Aristobulum victum in potestatem Rom. redacta, ac provincia facta, Antipatrum Herodis patrem procuratorem accepit, eo jure ut nec pontifex Concilium ipso inscio atque invito procuratore convocare, nec Concilium sine auctoritate procuratoris Rom. in damnatum animadvertere possent: ut scribit Josephus libro vicesimo, ubi de sancto Jacobo fratre Domini loquitur.

Inde P. Gabinius, ut idem prodit, Syriæ proconsul ab Alexandro Aristobuli filio provocatus nova victoria parta rursus Judæam constituit, etenim quatuor Conciliis additis gentem in quinque partes distribuit, quarum una, teste Josepho, Hierosolymis egit, altera Gadaris, tertia Amathunte, quarta Hiericunte, quinta Sephoris Galilææ. Quare cum quinque concilia essent, merito Christus ad Apostolos dixit X. apud S. Matthæum: *Cavete ab hominibus, tradent enim vos in conciliis*, (Græce εἰς συνέδρια, id est in Concilia) *& in synagogis flagellabunt vos*.

Post autem Herodes rex a Romanis appellatus, ac Hierosolymorum potitus, ut idem tradit Josephus, epistolas quasdam Hyrcani suspiciosas huic Concilio indicavit, atque illum jam regno orbatum, ut Sameas vaticinatus fuerat, interemit, & LXX. seniores morte affecit: atque eis humiliores alios subdidit, ut Talmudistæ quoque

cum

cum Philone notarunt, qui scripsit in libro de Temporibus: *Herodes anno* XXX. *principatus sui Sanhedrin ex domo David sustulit.*

Mortuo inde Herode, atque Archelao filio ejus rege ab Augusto Imp. Viennam relegato, Judæa iterum provincia Romanorum facta procuratori subjecta, Herode Antipa Herodis regis filio Galilæam nomine Tetrarchæ tenente. Quo tempore Pharisæi & Sadducæi magnas in Concilio opes habuerunt, (hæ duæ hæreses Assamæorum, ut dixi, iis temporibus excitatæ tum civitatem præcipue obtinebant) quod ex senioribus, sacerdotibus, scribis, & principibus alii in una, alii in altera hæresi versarentur. Quare Christus, qui per hos annos Evangelium docuit, sæpe hujus Concilii, & eorum qui illud inierunt, mentionem fecit. Primum enim cum quodam die sermonem longum in monte instituisset, ac correctionem veteris legis afferret, novasque pœnas homicidio constitueret, peritus moris Judaici, spirituales pœnas temporariis ipsis, quæ tum ex lege usurpabantur, expressit, Judicium nominans, & Concilium. Quemadmodum enim dictum erat in psalmo, *Impii non resurgent in Judicio, neque peccatores in Concilio justorum*: sic ipse dixit. *Audistis dictum esse antiquis. Non occides: qui autem occiderit, reus erit Judicio. Ego autem dico vobis, quod omnis qui irascitur fratri suo, reus erit Judicio, qui autem dixerit fratri suo racha, reus erit Concilio, qui autem dixerit fatue, reus erit gehennæ ignis.* Quibus verbis significavit, majus periculum impendere ei qui reus ad Concilium adducatur, quam ei qui ad Judicium, quorum illud συνέδριον, hoc κρίσιν S. Matthæus vocavit, nam ut in Judicio crimina leviora, in Concilio graviora disquirebantur, sic in illo pœnæ leviores, in hoc acerbiores infligebantur, nam [10] gehennam locum fuisse tradunt, quo cadavera damnatorum cremanda projiciebantur. S. autem Augustinus longe aliter interpretatur inquiens: *Tres reatus sunt, judicii, concilii, & gehennæ ignis. Nam in judicio adhuc defensioni datur locus, in concilio autem, quanquam & judicium esse soleat, tamen quia interesse aliquid hoc loco fateri cogit ipsa distinctio, videtur ad Concilium pertinere sententiæ prolatio, quando non jam cum ipso reo agitur, utrum damnandus sit, sed inter se qui judicant, conferunt, quo supplicio damnari oporteat, quem constat esse damnandum.* Apparet autem, ipsum judicialis rationis Hebraicæ notionem non habuisse. Alio inde loco Christus præmonens discipulos suos de morte, qua afficiendus esset a Concilio Hierosolymitano, dixit item apud S. Matthæum XVI. *Se oportere ire Hierosolymam, & multa pati a Senioribus, & Scribis, & Principibus sacerdotum, & occidi, & tertia die resurgere.*

Inde cum prædicatio ejus omnibus innotuisset, ac legi veteri officere videretur, præcipue hoc Concilium ei obsistere institit. Sic enim scripsit S. Lucas XX. *Principes sacerdotum & Scribæ cum Senioribus quæsiverunt a Christo: Dic nobis, in qua potestate hæc facis? aut quis dedit tibi hanc potestatem? cumque eo modo capere non potuissent, observantes miserunt insidiatores, qui se justos simularent, ut caperent eum in sermone, & traderent illum principatui & potestati præsidis, & interrogaverunt eum dicentes: Licet nobis tributum dare Cæsari, an non?* Et Joannes XI. *Quidam ex ipsis abierunt ad Pharisæos, & dixerunt eis quæ fecit Jesus. Collegerunt ergo Principes sacerdotum & Pharisæi Concilium, & dicebant. Quid facimus? quia hic homo multa signa facit, si dimittimus eum sic, omnes credent in eum, & venient Romani, & tollent locum nostrum, & gentem. Unus autem ex ipsis Caiphas nomine, cum esset pontifex anni illius, dixit eis: Vos nescitis quidquam, nec cogitatis, quia expedit vobis, ut unus homo moriatur pro populo, & non tota gens pereat; ab illo ergo die cogitaverunt, ut interficerent eum*; & post. *Dederunt Principes sacerdotum & Pharisæi mandatum, ut si quis cognoverit, ubi sit, indicet, & apprehendant eum.*

Inde sequutum est ipsum Concilii judicium omnium celebratissimum, in quo idem morte condemnatus atque affectus est. Id vero pluribus locis Evangelistarum in unum collatis exponetur, quod ex eo mos hujus Judicii facilius, quam ex ullo alio, percipi possit. Ordinem autem actæ rei, nullo citato præcipuo loco, quod singula notissima sint, exequemur. Convocati quippe sunt Principes sacerdotum, & Scribæ, & Seniores populi in atrium Pontificis, qui dicebatur Caifas, & consilium inierunt, quemadmodum Christum dolo tenerent, & interficerent. Judas autem unus de duodecim discipulis Christi accessit ad eos tum, & pollicitus est, se illum traditurum, si sibi triginta denarios darent, & accepta pecunia abiit, quærens opportunitatem tradendi eum sine turbis. Interim Jesus pascha cum discipulis suis celebravit, cœnamque ultimam fecit, in qua se proditum iri ab uno eorum dixit, tum mysteriis omnibus perfectis exiit cum Petro & filiis Zebedæi in hortum extra urbem, atque orationi se tradidit. Tum Judas ministris & cohorte a Principibus sacerdotum, & Senioribus populi, & Magistratibus templi acceptis, nocte accessit, atque illum prodidit.

didit. Jesus autem dixit ad eas quæ ad se convenerant turbas: Tanquam ad latronem exiistis cum gladiis, & fustibus, ut me caperetis; cum quotidie essem vobiscum in Templo, in me manus non injecistis. Cohors autem, & tribunus, & ministri Judæorum eum corripuerunt, & vinctum adduxerunt ad Caifam, qui erat pontifex illius anni, pontifex autem interrogavit illum de discipulis, & doctrina sua, qui vero tenebant eum, illuserunt ei cædentes eum, alii vero Petrum discipulum ejus ad focum stantem varie fatigaverunt. Ubi vero illuxit, convenere Seniores populi, Principes sacerdotum, & Scribæ cum universo Concilio, ut eum morti traderent, & duxerunt illum in Concilium suum, quærentes falsum testimonium adversus eum, & non invenerunt. Tum dixerunt; Si tu es Christus, dic nobis. Quibus ille: Si dixero vobis, non credetis mihi, neque dimittetis, ex hoc autem erit filius hominis sedens a dextris virtutis Dei. Dixerunt autem omnes: Tu ergo filius Dei es? qui respondit: Vos dicitis, quia ego sum. Tum illi dixerunt: Quid desideramus testimonium? ipsi enim audivimus ex ore ejus, & reum mortis condemnaverunt. Et surgens omnis multitudo duxerunt eum a Caipha in prætorium ad Pilatum præsidem, ut eum morti traderent. Exivit autem Pilatus ad eos foras, & dixit: Quod crimen objecistis homini huic? responderunt, Si non esset hic facinorosus, non tradidissemus eum tibi. Dixit eis Pilatus: Accipite eum vos, & secundum legem vestram judicate. Dixere Judæi: Non licet nobis interficere quenquam. Hunc invenimus subvertentem gentem nostram, & prohibentem tributa dari Cæsari, & dicentem se Christum esse regem. Pilatus autem rogavit eum, num esset Christus rex Judæorum? Cui ille: Tu dicis. Pilatus autem ad Principes sacerdotum, & turbam: Nullum crimen invenio in hoc homine. At illi invalescebant dicentes: Commovet populum docens per universam Judæam incipiens a Galilæa usque huc. Pilatus autem audiens Galilæam, rogavit, num Galilæus esset: & ut cognovit eum Herodis ditionis esse, misit ad Herodem qui Hierosolymis erat. Herodes autem cum nullum responsum ab eo elicere potuisset, sprevit, & remisit eum indutum veste alba. Pilatus autem convocatis Principibus sacerdotum, & Senioribus, & populo, dixit: Obtulistis mihi hominem hunc, quasi avertentem populum, ego vero nullum crimen invenio, sed neque Herodes. Cum autem moris esset, ut per diem festum præses vinctum unum populo dimitteret quem vellent, & latronem insignem in vinculis haberet, nomine Barrabam, rogavit populum, utrum vellet dimitti, Barrabam, an Jesum? illi a Principibus sacerdotum & Senioribus incitati, dixere, Barrabam. Tum ille: Quid faciam de Jesu? dixerunt, Crucifigatur. Tum Pilatus: Nullum crimen invenio in eo. Responderunt: Nos legem habemus, & secundum legem debet mori, quia filium Dei se fecit. Quærente autem Pilato dimittere Jesum, clamavere Judæi: Si hunc dimittis, non es amicus Cæsaris. Omnis enim qui regem se facit, contradicit Cæsari. Videns autem Pilatus se nihil proficere, sedens pro tribunali, lavit manus coram populo dicens: Innocens ego sum a sanguine hujus, vos videbitis, respondit autem universus populus: Sanguis ejus super nos & super filios nostros. Tunc Pilatus volens populo satisfacere, adjudicavit fieri petitionem eorum, ut crucifigeretur. Tunc milites susceperunt Jesum, & eduxerunt eum portantem sibi crucem in Calvariæ locum, & hora sexta crucifixerunt. Ex his apparet, cum dictum est, convocatum esse summo mane Concilium, atque eos duxisse Christum in Concilium suum, convocatum esse in Gazith, atque eo e domo pontificis adductum esse Christum, ibique morti obnoxium esse, sancitum: inde a populo mortis genus esse indictum, eaque Pilati præsidis sententia comprobata.

Tertium inde hujus Concilii judicium, ut ordinem temporum persequamur, memoratur in Actis, ubi de S. Petro & S. Joanne agitur, cap. III. & IV. *Petrus & Joannes cum templum ingredientes claudum quendam ab utero matris sanassent, & mirante populo multa super ea re verba facerent, supervenere principes sacerdotum, magistratus templi, & Sadducæi dolentes, quod populum docerent, & annuntiarent in Jesu resurrectionem mortuorum, & injectis manibus condiderunt in carcerem. Postridie vero congregati sunt Principes eorum, Seniores, & Scribæ in Hierusalem, & Annas princeps sacerdotum, & Caifas, & Joannes, & Alexander, & quotquot erant ex genere sacerdotali, & statuentes eos in medio rogabant, in qua virtute hæc fecissent*; & mox: *Jusserunt autem eos extra Concilium secedere*. Hoc enim in loco Caifas erat pontifex, Anna pontificius, sed potestatem pontificis Caifæ generi sui gerebat; Joannes & Alexander, ut supra diximus, erant principes sacerdotum.

Quartum est cap. V. ubi agitur de Apostolis prodigia facientibus: *Exsurgens autem pontifex, & omnes Sadducæi qui cum illo erant, repleti sunt zelo, & injecerunt manus in Apostolos, & posuerunt eos in custodia publica. Adveniens autem pontifex, & qui cum*

cum eo erant, convocavere Concilium & omnes seniores (Græce πᾶσαν γερουσίαν) *filiorum Israel; & miserunt ad carcerem, ut adducerentur, &c. ut autem neminem in carcere inventum audiverunt, magistratus templi, & principes sacerdotum ambigebant de illis quidnam fieret &c. Tunc abiit magistratus cum ministris, & adduxit illos sine vi &c. & cum adduxissent, statuerunt in Concilio, quos monuit pontifex, ne verba facerent in nomine Jesu. Cum autem respondisset Petrus, Deo magis, quam illis, obedire oportere, surgens quidam in Concilio Pharisæus, nomine Gamaliel, legis doctor, jussit eos paululum foras secedere.* Demum: *Et convocantes Apostolos, cæsis denuntiaverunt, ne omnino loquerentur in nomine Jesu, & dimiserunt eos.*

Quintum judicium fuit S. Stephani cap. VI. *Tunc submiserunt viros qui dicerent, se audivisse eum dicentem verba blasphemiæ in Moysen & Deum, commoverunt itaque plebem, & seniores, & scribas & concurrentes rapuerunt eum, & adduxerunt in Concilium, & statuerunt falsos testes, qui dicerent: Homo iste non cessat loqui adversus locum sanctum & legem;* & post multa: *Exclamantes voce magna continuerunt aures suas, & impetum fecerunt unanimiter in eum.*

Sextum extitit S. Pauli cap. XXIII. *Tribunus timuit, postquam audivit Paulum civem Rom. esse, & vinctum, postridie vero scire cupiens diligentius, cur accusaretur a Judæis, solvit eum, & jussit principes sacerdotum convenire, & totum Concilium, intendens autem in Concilium Paulus, ait: Viri fratres, ego omni conscientia bona conversatus sum ante Deum usque in hodiernum diem. Ananias autem pontifex præcepit astantibus, ut os ejus percuterent. Tum Paulus dixit ad eum: Percutiet te Deus paries dealbate, & tu sedens judicas me secundum legem, & contra legem me percuti jubes. Et qui astabant, dixerunt. Summum sacerdotem Dei maledicis? Dixit autem Paulus: Nesciebam fratres, quia princeps est sacerdotum, scriptum est enim: Principem populi tui non maledices. Sciens autem Paulus, quia una pars esset Sadducæorum, & altera Pharisæorum, exclamavit in Concilio: Viri fratres, ego Pharisæus sum, filius Pharisæi, de spe & resurrectione mortuorum ego judicor, & cum hæc dixisset, facta est dissensio inter Pharisæos & Sadducæos, & soluta est multitudo.*

Septimum fuit S. Jacobi minoris, de quo sic Josephus lib. XX. *Ananus pontifex ab Agrippa rege factus audacia præstitit, & ut Sadducæus, acerbus in judiciis fuit, putans autem se idoneam occasionem nactum, quia Festus procurator vita cessisset, Albinus vero adhuc in itinere esset convocat concilium judicum, & ad id adducit Jacobum fratrem Jesu, qui dicebatur Christus, & quosdam alios, crimine oblato, quod legem violassent. Qui vero moribus erant mitioribus, ægre hoc tulerunt, & clam ad regem miserunt, hortantes, ut Ananum ab ejusmodi incepto revocaret. Quidam vero eorum etiam Albino obviam prodierunt, eumque docuerunt, non licere Anano injussu ejus concilium convocare. Quare Albinus mandavit Anano, ne quid tale tentaret, nisi pœnas dare vellet: atque ei propterea pontificatum ademit.*

Octavum fuit S. Matthiæ apostoli, ut est in vita ejus: *Cum Matthias instantius de Jesu sermonem faceret, Judæi zelo repleti duxerunt eum vincientes, & nuntiaverunt pontifici, & senioribus: Jesu discipulum comprehendimus, quem subvertentem populum in Synagogis deprehendimus, illi adduci jusserunt. Abeuntes igitur cum ministris adduxerunt in Concilium. Quem multis allocutus est pontifex, cui respondit Matthias, Christi servus sum. Tunc pontifex obturans aures suas, & stridens dentibus, ait; Blasphemavit Matthias. Audiat legem: Qui blasphemaverit nomen Domini, morte moriatur, lapidibus obruet eum omnis multitudo, atque ita damnatum ad locum lapidationis perduxerunt.*

Nonum judicium est apud Josephum lib. IV. Belli, ubi scribitur: *Septuaginta plebejorum honestissimos ex præcepto convocant ad judicum speciem, potestate carentes, & apud eos Zachariam, quasi res proderet Romanis, accusant.*

Decimi mentio fit anno eo, quo urbs Hierusalem a Tito eversa est, apud Josephum Gorionis. *Convocavit*, inquit, *Judices populi, & septuaginta Seniores, qui etiam Sanhedrin dicuntur, dixitque Jebocanan ad omnes sacerdotes, & seniores, & judices: Nisi judicaveritis quoscunque ad vos adducemus, pro arbitrio nostro, omnes moriemini.*

Atque hæc quidem de Concilio Hierosolymitano a nobis dicta sint: in quo rei capitalis præcipue apud Hebræos tractata cognitio est.

NO-

NOTÆ AD CAPUT SEPTIMUM.

[1] *Gazith.*) Conclave hoc alias dicebatur *Liſkat hagazith*, & forſan ita cognominatum eſt tam ſub primo quam ſecundo Templo. Duplex autem fuiſſe probat Seldenus *lib.* 2. *cap.* 15. *de Syned. Heb. pag. m.* 612. In Auſtrali parte Miſnæ verbis locatur. *Ad Auſtrum erant conclave ligni, conclave ſcaturiginis* ſeu *putei*, & *conclave hagazith* ſeu *ſaxi cæſi*. Alii aliter collocant, conf. Conſtant. l' Empereur *ad tit. Talm. Middoth. cap.* 5. *ſect.* 3. Nomen autem illud *Liſkath hagazith* interpretatur conclave ſaxis quadratario opere politis, ſeu dolatis inſigne, unde etiam lapides dolati גזית, & בית גזית *domus quadrato lapide conſtructa* dicuntur. Petrus Galatin. *de arcan. Cath. verit. lib.* 4. *c.* 6. vertit, *Camera dolata*, & interdum *Conſiſtorium Gazith*. Atque Synedrium ipſum a loco non ſemel apud Hieronymum de ſancta fide *Conſiſtorium de Guazit* & *Conſiſtorium Guazit* nuncupatur, vid. Joan. Selden. *de Syned. Hebr. lib.* 2. *cap.* 15. *pag.* 614. 615. *ſeqq.* & Ligthfoot, *hor. Talmud. pag.* 714. Συνέδριον Conclave dictum a Græcis vocabulis συνέδρια, συνέδρια, in Rabbiniſmum, adeoque Hebraiſmum cum plurimis ejuſmodi aliis antiquitus receptis, deformatiſque vid. *Cohen de Lara convenient. vocab. Rabbin. cum Græc.* Et bene Elias Levita והוא לשון יון ממש Eſtque plane Græcum vocabulum, vid. Joan. Selden. d. l. *pag.* 108.

[2] *Sanhedrin.*) Huic vocabulo variæ etymologiæ tribuuntur, quidam ſunt, qui nugas ſequuntur Magiſtrorum, & illud ex origine Hebræa colligere volunt, ut *in Peſikta Zotertha fol.* 45. ubi hæc exſtant verba: *Quod ad originationem vocis Sanhedrin attinet, San denotat legem, utpote quæ data eſt in Sinai* (quaſi סנ) *hedrin autem ex eo, quod repetebant legem, eam interpretando pulchreque explicando Scripturæ locum alterum cum altero*. Alii *Sanhedrin nomen judicum eſſe* dicunt, *ideo quoniam odio habent acceptationem vultus ſeu perſonarum in judicio*. Verum has derivationes frivolas eſſe, nemo cordatus ignorat. Nullibi ſiquidem in V. T. vox Sanhedrin reperitur, nec mirum, cum plane e Græca in Hebraicam linguam relata ſit.

[3] *Ad ſacerdotes*.) Multæ ſunt rationes quæ videntur probare Sacerdotes & Levitas in Synedrium receptos fuiſſe. Quod ad ſacram attinet Scripturam Deut. 17. 8. legitur. *Si res difficiles &c. ſurges & adſcendes ad locum quem elegerit Dominus Deus tuus, venieſque ad Sacerdotes & Levitas & ad judicem, qui erit in diebus iſtis &c.* Verum de Synedrio magno hic agi non pauci opinantur, vid. Abarbanel. *in Piruſh. Tora fol.* 363. Petr. Galatin. *de arcan. cath. verit. lib.* 4. *cap.* 5. Verba illa *ad Sacerdotes & Levitas*, *Jarch.* & *Aben-Ezra ad Deut.* 17. 8. & *paraph. Jonath.* ita interpretantur: *ad Sacerdotes e tribu Levi oriundos*, ſeu Sacerdotes Levitici generis. Syrus disjunctive transfert לות כהנא או לורח לונא *ad Sacerdotem aut Levitam*, conf. *Deut.* 19. 17. Apud *Ezech.* 44. 15. de Sacerdotibus & Levitis dicitur, *quod judicaturi ſint in judicio Domini*; ſic Deut. 33. 10. hæc exſtant: *Ipſi docebunt* Jacob *judicia tua & Iſrael legem tuam*, quibus conſentiunt Rabbini, quos apud Joh. Selden. vide ſis *pag.* 373. 374. *ſeq. lib.* 2. Ex his ſatis conſtat difficiliora judicia Levitis concredita fuiſſe. Nulli vero Tribulium aditus Synedrii præcluſus fuit, de quo fuſius agit Selden. all. l.

[4] *Moſes in Concilio cauſam cognovit*.) Talmudici *Sepher Siphri*, *fol.* 17. *In ſchola, auditorio, ſeu loco concionandi ubi legem exponebant, fuiſſe & ſtetiſſe coram eis*. Verum ad Moſen ſolum innuitur eos veniſſe, ut ad præfectum juridicum ſummum ſingularemque, (niſi dicas LXX. in tribunali eodem tempore tum conſediſſe, cui Moyſes præfectus erat.) Aſt *Peſiktha Zotertha* inquit: *Innuitur Moyſem conſtituiſſe aliquos, qui obſervarent miniſtros, & velut lictores reos in judicium de rebus hujuſmodi deducerent etc.* Philo *lib.* 3. *de vita Moyſis* ait, Reum adductum *ad Principem, qui cum ſederunt Sacerdotes* &c.

[5] *Sacerdotibus poteſtas Judicandi data*) Supra oſtendi, quod non ſolum Sacerdotes, ſed etiam Levitæ, in Synedrium recepti ſint. Huic opinioni adſtipulari videtur *Sepher Siphri*, *fol.* 243. *Verba illa docebunt judicia tua Jacob, denotant univerſa documenta ſeu dogmata non aliunde quam ex eorum* (Levitarum) *ore manaſſe: juxta illud etiam quod ſcriptum eſt, juxta verbum, aut os eorum, ſeu in ore eorum erit omnis cauſa & omnis plaga*. Sic vulgata vertit; *ad verbum eorum omne negotium & quicquid mundum vel immundum eſt, judicetur*. A Græcis ita effertur, πᾶσα ἀντιλογία καὶ πᾶσα ἀφή. conf. Iſaac Caſaubon. *exercit.* 13. *ad annal. Baron. pag. m.* 217.

[6] *Ab Herode Rege ſublatos*.) Cauſa ob quam Herodes Synedrium exſtirpaverit, hæc eſt. Herodes homicidii reus coram Synedrio peractus, ab eodem citatus, in gratiam Hyrcani Regis abſolvitur. Sed cum Herodes regno potiretur, vindicta adverſus Synedrium ardens omnia ejus membra, excepto Samea, internecione delevit Joſeph. lib. 14. c. 17. ita ait, πάντας ἀπέκτεινε τὺς ἐν τῷ Συνεδρίῳ, καὶ ὑρκανὸν αὐτὸν, χωρὶς τῦ Σαμία: add. Cluver. *hiſtor. mund. pag. m.* 245.

[7] *Concilio relicta eſt tantum condemnatio*.) Quidam in hac verſantur opinione quaſi 40. *annis* ante excidium templi ſecundi in deſuetudinem abierint judicia capitalia in Iſraelitis Maimonid. *halach. Sanhed. c.* 14. Moſes Cotzenſ. *præcept. affirm.* 102. Gemar. Hieroſol. *ad tit. Sanhed. cap.* 1. *fol.* 18. *col.* 1. & *ad cap.* 6. *fol.* 24. *Gemar. babylon.* & *gloſſ. ad tit. Sanhedr. cap.* 5. *fol.* 41. Inde a ſcriptoribus Eccleſiaſticis paſſim traditur Romanos omnimodam Judæis judiciorum Capitalium poteſtatem abſtuliſſe, adeo ut non ſolum non tractaverint Synedria cauſas vitam hominum concernentes, ſed nec jure eas omnino tractare potuerint Galatin. *lib.* 4. *cap.* 6. *de arcan. cathol. verit.* Poſtell. *de orb. concord. lib.* 4. Non quidem negandum tempore illo nulla privilegia judæis ademta fuiſſe; itaque poteſtatem cognoſcendi cauſas capitales penitus iis ſubtractam eſſe vix aſſerendum videtur. Aliud ſiquidem eſt jus omnino alicui adimere, ſeu judices judicandi poteſtate ita privare, ut nec judicare debeant, aut jure poſſint: aliud ipſum duntaxat judiciorum exercitium ad tempus impedire, ut judices tuto officio ſuo fungi nequeant, conf. Selden. *lib.* 2. *de Syned. Hebr. cap.* 15. *pag. m.* 636. Habebant Judæi hunc morem, ut capitis damnatum judici vinctum traderent, ceu teſtatur *Rupert. in text. Paſſion.* Condemnatum vero non poterant occidere, abſque Romani Præſidis conſenſu. Licebat quidem Judæis cauſas concernentes legem Moſaicam & cultum Leviticum cognoſcere, quod & Synedrium in cauſa blaſphemiæ adverſus Chriſtum fecit, vid. *Callion. in Act. cap.* 18. *v.* 12. Præterea minima coercitio ipſis relicta erat, ut reum in carcerem conjicere poſſent *Act.* 5. *v.* 18. *cap.* 9. *v.* 2. *Act.* 22. *v.* 4. 5. 24. 6. & 26. 10. Sed capitalia ſupplicia ſine conſenſu & authoritate Romani Præſidis exequi non valebant, vid. *diſp. Thomaſii cap.* 9. *contr. Stelleri Pontium Pilatum defens.*

[8] *Concilium damnavit Chriſtum*.) Ex ſupra dictis conſtat, Concilium non potuiſſe aliquem, ſine Præſidis Romani conſenſu, ultimo ſupplicio afficere. Hinc colligere eſt, quid ſentiendum ſit de eo, quod Hunnius *ad cap.* 18. *Joh. part.* 3. ait: Pontificem cum reliqua Sacerdotum & Phariſæorum factione, Jeſum, poſtquam ſeditioſum & blaſphemum ac proinde mortis reum proclamaſſent, ad locum cauſis forenſibus deſtinatum duxiſſe. Item de illo, quod *Fridlib. obſervat. in Harmon. Evangel. claſſ.* 6. de Chaipha dicit: ſummum Pontificem Judæorum Chriſtum Servatorem mundi damnaſſe, atque in ejus necem omnes conſpirarent populum omnibus ſuaſibus adduxiſſe. Quibus fere conſentit Sigonius noſter.

[9] *Judicium peractum a Conſilio*.) Quædam Synedrio magno adeo propriæ erant cauſæ, ut ne Regi quidem ipſi illarum cognitio & deciſio permitteretur. *Imo* (ſunt verba Magni Grotii *lib.* 1. *de jur. B. & P.*

B. & P. cap. 3. *& in Matth.* 5.) *& qui alia quavis de causa apud Synedrium reus factus esset, cum Rex judicio eximere non poterat. Ideo Hyrcanus judicium de Herode cum impedire non posset, arte elusit*. Nam cum Herodes variorum homicidiorum, præsertim Ezechiæ latronis, ejusque comitum necis accusaretur, Sinedri ita ajebant. *Jam non procuratores tuos amplius agunt, sed palam dominationem exercent. Nam & Herodes Ezechiam ejusque comites interfecit, contemtis legibus nostris, quæ hominem quantumvis scelestum non sinunt affici supplicio, nisi prius a Synedrio* (sive Magno sive Minori, saltem ex jure ordinario *Selden. lib.* 3. *de jure naturæ & Gent. cap.* 2.) *in Concilio condemnatus sit. Hoc autem ausus est etiam, iste potestate a te, Rex prius non accepta*. Citatus igitur Herodes comparet purpura vestitus, quem *Sameas* acriter perstrinxit. Habita hæc a Samea oratione judices incensi sunt ad Herodem condemnandum, quo cognito *Hircanus in alium diem judicium distulit*, Josippus *edit. Munst.* 80. ita hoc confirmat. *Et cum vidisset Hyrcanus Rex, quod Synedrium fere judicium capitale in eum ferre proclive esset, misertus est illius, dixitque non feramus sententiam hodie, sed cras, ut sic eriperet eum ex eorum potestate. Clam vero eum admonuit, ut fuga sibi consuleret*. Hinc quidam eruere conantur ac si Synedrium magnum potestate polluisset Regum causas cognoscendi & decidendi. Sed a veritate longe aberrant vid. Talmud. Massecheth Sanhed. in pereck. 2. quod incipit, *Cohen gadol*, ubi jura Pontificum & Regum accurate explanantur, & de Pontifice asseritur, quod *Judicet* & *Judicetur* &c. de Rege vero quod *nec judicet neque judicetur*, conf. Joan: Selden. *lib.* 2. *de Synedr. Hebr. cap.* 9. *pag. m.* 112.

[10] *Gehennam.*) *It is well known that this expression is taken from* גיא הנם *the valley of Hinnom* inquit *Joan. Lightfoot in præfat. lib. harm. chronic. N. T.* notandum hanc declarationem a valle Hinnom sumtam, de quo abominoso loco multoties in scriptura dictum : unde nonnulli *vallem Hinnom.* Jos. 18. 8. sive גי בן הנם *Geiben hinnom*, *vallem filii Hinnom*, vel גי הנם Jer. 7. 31. *Gei Hinnom vallem* dictum malunt potius, quam *ex nomine proprio*. Vallis Hinnom prope Jerusalem fuit teste *Ægid. Hunnio comment. in Evangel. de Jes. Christ. secund. Matth. cap.* 5. *pag. m.* 153. Calixto *concord. lib. cap.* 7. *pag. m.* 134. Joan. Selden. *de Diis Syris Syntag.* 1. *pag.* 172. Elia Schedio *de Diis German. pag. m.* 400. *cap.* 33. Erat locus, fœda infantum *Molocho* tostorum Idololatria, eorundemque miserrimo ululatu infamis. vid. Dilherr. *Eclog. Sacr. pag.* 129. atque ad horrorem inferni incutiendum quamaptissimus, ideo Judæi orcum, sive locum damnatorum per vocem גהנום *Gehinnom* efferunt, qua Scriptura etiam utitur, vid. Marc. 9. 43. 45. 49. *Luc.* 12. 5. conf. *Glass. Grammat. sacr. pag.* 878. & Hotting. *diss. de usu script. in N. T.* Chald. paraph. *in Isa.* 26. 15. *& in Esa.* 33. 14. R. Salom. *in Esa.* 24. 22. Targ. *in Ruth.* 2. 12. Midras Mishle. *fol.* 69. Baal Tur. in *Gen.* 1. 1.

CAPUT OCTAVUM.

De Pœnis.

HIs expositis; deinceps sequi videtur, ut pœnarum aut suppliciorum genera demonstremus. Harum vero in lege hæc ferme nomina inveniuntur, restitutio, multa, talio, verberatio, exilium, venditio, mors.

[1] Restitutio, ut Exodi XXII. *Si quis furatus fuerit bovem, aut ovem, & occiderit, vel vendiderit; quinque boves pro uno bove restituet, & quatuor oves pro una ove.*

Multa, ut ibidem cap. XXI. *Si quis percusserit mulierem prægnantem, & abortivum quidem fecerit, sed ipsa vixerit, subjacebit damno, quantum maritus mulieris expetiverit, & arbitri judicaverint.*

Talio, ut in iis quæ ibi subjiciuntur: *Sin autem mors ejus fuerit subsequuta, reddet animam pro anima, oculum pro oculo, dentem pro dente, manum pro manu, pedem pro pede, adustionem pro adustione, vulnus pro vulnere, livorem pro livore.*

[2] De verberatione Deuteron. XXV. *Sin autem eum qui peccavit, dignum viderint plagis, prosternent, & coram se facient verberari. Pro mensura autem peccati erit & plagarum modus: ita duntaxat, ut quadragenarium numerum non excedant, ne fœde laceratus ante oculos tuos abeat frater tuus.*

[3] Venditio, ut Exodii XXII. *Si fur non habuerit quod pro furto reddat, ipse* [4] *venundabitur.*

[5] Exilium, ut ibid. XXII. *Qui non est insidiatus, sed Deus illum tradidit in manus ejus, constituam tibi locum in quem effugere debeat.*

Necis autem genera tria in lege nominatim exprimuntur, combustio, crucifixio, & lapidatio, reliqua sub hoc nomine generali *Occisio.*

[6] Combustionis mentio fit Levitici XX. 14. *Qui supra uxorem filiam duxerit matrem ejus, scelus operatus est, vivus ardebit cum eis: nec permanebit tantum nefas in medio vestri.*

[7] Crucifixionis lex traditur a Deo, XXI. 22. Deuteronomii: *Quando peccaverit homo, quod morte plectendum est, & adjudicatus morti appensus fuerit in patibulo; non permanebit cadaver ejus in ligno, sed in eadem die sepelietur: quia maledictus a Deo est qui pendet in ligno: & nequaquam contaminabis terram tuam, quam Dominus Deus tuus dederit tibi in possessionem*. Inde scriptum est Josuæ octavo, 29. *Josua regem Hai suspendit in patibulo usque ad vesperam, & solis occasum; præcepitque Josue, & deposuerunt cadaver ejus de cruce, projeceruntque in ipso introitu civitatis*. Græcus autem

tem interpres neque patibulum, neque crucem nominat, sed lignum geminum vocat, quod ex duobus lignis crux constitueretur; & x. 26. *Suspendit Josue quinque reges super quinque stipites, fueruntque suspensi usque ad vesperam: cumque occumberet sol, præcepit sociis, ut deponerent eos de patibulis*. Inde secundo Regum XXI. 9. *Gabaonitæ crucifixerunt filios Saulis permittente Davide rege in monte coram Domino*, id est coram tabernaculo, quod tum erat in Gabaon, & VII. 9. Esther: *En lignum, quod paraverat Mardochæo, stat in domo Aman habens altitudinis quinquaginta cubitos, cui dixit rex: Appendite eum in eo, suspensus est itaque Aman in patibulo, quod paraverat Mardochæo*; & primo Esdræ cap. VI. 11. *A me positum est decretum, ut omnis homo qui hanc mutaverit jussionem, tollatur lignum de domo ipsius, & erigatur, & configatur in eo*. Et Actuum V. 30. de Christo: *Quem vos interemistis suspendentes in ligno*, de qua cruce dixit David psalmo XXI. 17. *Foderunt manus meas, & pedes meos, denumeraverunt omnia ossa mea*.

Nullum autem occurrit crucifixionis exemplum judicio constitutæ, nisi unum judicio Dei, alterum vero Concilii. 7 De priore scriptum est XXV. 4. Numerorum: *Iratus Dominus contra eos qui fornicati erant cum filiabus Moab, ait ad Moysem: Tolle cunctos principes populi, & suspende eos contra solem in patibulis, ut avertatur furor meus ab Israel*. De posteriore, quo Christus est condemnatus, agitur in Evangeliis. Nam qui e Concilio erant, postquam judicarunt eum reum esse mortis, adduxerunt ad Pilatum procuratorem, ut morti traderet, narrantes eum se regem Judæorum vocare. *Quibus demum Pilatus dixit: Quid ergo vultis faciam regi Judæornm? At illi clamaverunt, Crucifige eum. Pilatus autem volens populo satisfacere, tradidit Jesum flagellis cæsum, ut crucifigeretur, & titulum criminis inscripserunt:* REX JUDÆORUM, *& eum eo crucifigunt duos latrones, unum a dextris, & alium a sinistris. Judæi ergo, quoniam Parasceve erat, ut non remanerent in cruce corpora Sabbato, rogaverunt Pilatum, ut frangerentur eorum crura, & tollerentur. Venerunt ergo milites, & primi quidem fregerunt crura, & alterius qui crucifixus est cum eo, ad Jesum autem cum venissent, ut viderunt eum jam mortuum, non fregerunt ejus crura, sed unus militum lancea latus ejus aperuit, & continuo exivit sanguis & aqua*. Credo autem eos crucifigi postulasse non legibus suis, sed Romanis: nam qui [8] perduellionis erat compertus, is in crucem agebatur, ut in libris de Judiciis Romanorum ostendimus. Christus autem majestatis reum fecerant, quod se regem Judæorum assereret, cum solus rex esset Cæsar. Mos etiam fuit, ut crucifixi cognatis ad sepulturam concederentur, quod & in Christo servatum est, & in aliis, ut prodit Philo in Flaccum. *Novi quosdam*, inquit, *jam crucifixos instante festo Augustorum de cruce depositos, & ad sepulturam ex more cognatis redditos*.

De lapidatione autem hæc invenimus. [10] Lapidibus præcipue appetiti sunt, qui in Deum deliquerunt, id est [11] qui alienos Deos coluerunt, qui [12] Deo maledixerunt, qui sabbata neglexerunt, & qui adulterium commiserunt. Qui vero ejusmodi rem compertam habuit, is [13] testimonio reddito primus lapides jecit, populus vero excipiens hominem lapidibus extra urbem est persequutus, donec mortem oppeteret. Sic enim præcipitur Levitici XXIV. 14. *Educ blasphemum extra castra, & ponant omnes qui audierunt, manus super caput ejus, & lapidet eum universus populus. Nam qui maledixerit Deo suo, portabit peccatum suum; & qui blasphemaverit nomen Domini, morte morietur, lapidibus obruet eum omnis multitudo populi, sive ille civis, sive peregrinus fuerit*. Inde Deuteronomii XIII. 9. *Qui suaserit, ut serviatur Diis alienis, non parcat ei oculus tuus, ut miserearis & occultes eum, sed statim interficies, sit primum manus tua super eum, & post te omnis populus mittat manum, lapidibus obrutus necabitur*. Item XVII. 1. *Vir, aut mulier, qui facient malum in conspectu Domini Dei sui, & transgredientur pactum illius, ut vadant & serviant diis alienis, & adorent eos, & hoc tibi fuerit nunciatum, audiensque inquisiveris diligenter, & verum esse repereris, & abominatio facta est in Israel; educes virum ac mulierem, qui rem sceleratissimam perpetrarunt, ad portas civitatis tuæ, & lapidibus obruentur, in ore duorum aut trium testium peribit qui interficietur, nemo occidatur, uno contra se dicente testimonium, manus testium prima interficiet eum, & manus reliqui populi extrema mittetur, ut auferas malum de medio tui*; & XV. 32. Numerorum: *Cum essent filii Israel in solitudine, & invenissent hominem colligentem ligna in die sabbati, obtulerunt eum Moysi, & Aaron, & universæ multitudini. Qui recluserunt eum in carcerem, nescientes quid super eo facere deberent. Dixitque Dominus ad Moysem: Morte moriatur homo iste, obruat eum lapidibus omnis turba extra castra, cumque eduxissent eum foras, obruerunt eum lapidibus, & mortuus est*. De adulteris vero sic Deuteron. XXII. 23. *Si puellam virginem desponderit vir, & invenerit eam aliquis in civitate, & concubuerit cum ea, educes utrumque*

ad

ad portam civitatis illius, & lapidibus obruentur; puella, quia non clamavit, cum esset in civitate; vir, quia humiliavit uxorem proximi sui.

Hæc ferme de lapidatione scripta in lege reperiuntur. Extra legem etiam aliquot exempla ejus memoriæ consecrata sunt; ut blasphemiæ tertio Regum XXI. 13. *Viri diabolici dixerunt contra eum testimonium coram multitudine: Benedixit Naboth Deum, & regem, quamobrem eduxerunt eum extra civitatem, & lapidibus interfecerunt. Benedixit* bono vocabulo pro *maledixit* usurpabant. Item apud Joannem X. 33. *De bono opere non lapidamus te, sed de blasphemia*; & VI. 11. Actuum de S. Stephano: *Tunc submiserunt viros qui dicerent, se audivisse eum dicentem verba blasphemiæ in Moysem & Deum. Commoverunt itaque plebem, & seniores & scribas, & concurrentes rapuerunt eum, & adduxerunt in Concilium, & statuerunt falsos testes qui dicerent: Homo iste non cessat loqui verba adversus locum sanctum & legem*; & post ubi Stephanus verba fecit, subjicitur: *Exclamantes autem voce magna continuerunt aures suas, & impetum fecerunt unanimiter in eum, & ejicientes eum extra civitatem lapidabant: & testes deposuerunt vestimenta sua secus pedes adolescentis, qui vocabatur Saulus.* Item de S. Matthia apostolo, qui blasphemasse arguebatur: *Cum conduxissent ad locum lapidationis, testes duo secundum legis mandatum posuerunt manus suas super eum, ac primi lapides jecerunt.* De adultera sic Joannes IIX. 3. *Adducunt Scribæ & Pharisæi mulierem in adulterio deprehensam, & statuerunt eam in medio, & dixerunt ei: Magister, hæc mulier modo deprehensa est in adulterio, in lege autem Moyses mandavit nobis hujusmodi lapidare, Tu ergo quid dicis? Quibus ille dixit: Qui sine peccato est vestrum, primus in illam lapidem mittat.* Ergo, ut dixi, condemnatio ad Concilium, animadversio ad populum pertinebat.

Reliqua occisionis genera minus celebrata: ut decollatio, de qua S. Matth. XIV. 10. *Et decollavit Herodes rex Joannem in carcere*; nam [14] strangulationis, aut suspendii nulla mentio reperitur, nisi Judæ proditoris, qui *suspendio crepuit medius*. Ac de judiciis quidem hæc hactenus.

NOTÆ AD CAPUT OCTAVUM.

[1] *Restitutio.*) Cum hoc dicto *Exod.* 22. convenit lex 24. ex *Alfredi Mag.* legibus idiomate vetusto anglicano scriptis: *Qui bovem alterius surripuerit, mactaverit, vendideritve, duos boves pro uno reddito, & quatuor balantes pro una: Si non habet unde reddat, ipse pro furto venditor*; Leges Saxonicæ in quodam loco *de sacrilegio ita disponunt:* Qui die Dominico, festo nativitatis Domini aut Paschatis, sacrosancto jovis die, aut diebus lustrationis, furtum admiserit, perinde ac si tempore quadragesimæ id flagitii perpetrasset, *duplo noxam sarcito.* Ab hac dispositione non discedit Sanhedrin. *cap.* 1. *pag. m.* 1. *edit. Joan. Coch.* ubi restitutionem dupli, quadrupli & quintupli etiam statuit. Jus Justinianeum in eo non discrepat a Sanhedrin, quippe pro furti qualitate modo duplum, modo triplum, modo quadruplum, reddi sancivit, neque furto pœnam capitalem statuit. Inde nonnulli asserere non verentur, quod plane iniquum sit ultimo fures supplicio afficere, quia lege Mosaica, per supremum Legislatorem lata, fures non capitali, sed tantum dupli, quadrupli aut quintupli pœna afficiuntur; quin si adeo sint pauperes fures, ut nec simplum reddere queant, servituti ejus, cui rem abstulerunt, addicuntur. Ita statuunt Scotus *in* 4. *d.* 15. *q.* 3. *Andr.* Rivet. *in explicat.* 8. *præcept.* Ames. *de conscient. lib.* 5. *cap.* 52. Ant. Matth. *de crim. in l.* 48. *Digest. lit.* 1. *cap.* 2. *n.* 6. Verum iis responderi potest cum Molin. *de justit. & jure tract.* 3. *D.* 695. *n.* 1. Constitutiones Mosaicas nostras non obligare politias; siquidem illæ modo ad limitatum temporis spatium, Christi nimirum adventum, vim habuerunt. Ex eadem hac responsione crassus Carolstadii error refutari potest, qui ex lege Moysis res politicas nostras esse dijudicandas asserebat, vid. Zepper. *de legib. Mosaic. lib.* 1. *cap.* 2. *Calv.* 4. *Instit. cap.* 20. *sect.* 14. Leges enim Mosaicæ forenses non magis ad nos pertinent, quam Solonis & Draconis. Lut. *tom.* 1. *Witteb. latin. fol.* 7. *Fr.* Jun. *de Polit. Mos. observ. th.* 29. *&* 30. *Bucer. de Reg. Chr. lib.* 2. *cap.* 17. *Martin. Chemnit. part.* 2. *locor. Theolog. cap.* 4. *sub fin. Hasenreff. in loc. Theol. lib.* 3. *pag.* 459 Sed revertor unde discessi, & negantibus furtum pœna capitali affici posse secundo regero, quod ipse Deus in politia Mosaica satis ostenderit pœnam furti pro circumstantia rei ablatæ mitigari vel exasperari posse, vid. Carpzov. *prax. Criminal. p.* 2. *q.* 77. Petr. Theodoric. *judic. crim. pract. cap.* 2. *pag.* 152. D. Georg. Adam. Struv. *dissert. Crimin. II. de furt. pag.* 21. Si igitur sub politia Mosaica pro qualitate circumstantiarum pœna furti fuit mutabilis, quæ tamen forensibus legibus adstricta erat, quanto magis Magistratui Christiano, a legibus Mosaicis forensibus immuni, pro circumstantiarum varietate furti pœnam exasperare licebit. Sed urgent porro quod nulla sit proportio inter vitam, & rem furto ablatam, cum fortunæ bona vitæ æquiparari nequeant. Sed respondetur crescentibus delictis circa fortunæ bona, crescunt pœnæ. Et non modo res, quæ aufertur est consideranda, sed furtorum frequentia, ad quam coercendam asperioribus remediis opus est. Quod rationem Legis Mosaicæ attinet ob quam duplum & triplum &c. in furto reddendum erat hæc est ratio. Israelitæ ex Abrahami sanguine progeniti, inter se erant arcta necessitudine juncti & in terra Canaan vivebant: Quamvis igitur cuilibet Tribui portio sua data erat, tamen generalis assignatio terræ Canaan ad omnes ac singulos spectabat, & Tribus altera alteri succedere poterat. Eam ob causam Deus noluit capitaliter puniri fures in Israelitis ne in fratrem ob surreptionem boni, cujus aliquando hæres potuisset fieri, sævire videretur. Eodem etiam modo hodie in furto a consanguineo commisso ultimum supplicium locum non habet, salvo tamen cujusque judicio.

[2] *De verberatione.*) Verberum seu flagellationis pœna apud Orientales in frequenti usu fuit & hodienum est, de qua Maccoth *cap.* 3. *pag. m.* 116. ita loquitur: Hi vapulant: qui concumbit cum sorore sua. Levit. 18. 9. 11. *&* 20. 17. vel amita. Levit. 18. 12. 13. *&* 20. 19. Joan. Selden. *de Synedriis Hebræorum lib.* 2. *cap.* 13. *pag. m.* 546. *seq.*

Quot verberibus afficiatur ſons refert Maccoth. *cap.* 3. *pag. m.* 119. ſc. undequadraginta. De *numero quadragenario Deut.* 25. 2. 3. i. e. numero, qui proximus eſt quadragenario. Gemara ait. *Quare? ſi ſcriptum eſſet quadraginta in numero dicerem intelligi quadraginta numero: nunc vero quia ſcriptum eſt, cum numero quadraginta, intelligo numerum, qui numerat* 40. *Ait Rabba: Quam ſtulti ſunt reliqui mortales, qui coram libro legis aſſurgunt & non coram viro eminenti? Nam ecce in lege ſcriptum eſt*, 40. *& venerunt Magiſtri noſtri & detraxerunt unum.* Egregie! Alii pro ſigno habent, quod ארניך in numeris valet 39. Veriſſima ratio diminuti numeri eſt, quam revelat Maimon. *hilch. Sanhed. cap.* 17. Ne ſi lictor per errorem unam plagam ſupra quadraginta addidiſſet legem tranſgrederetur. Nam ultra 40. ictus procedere, lege prohibitum eſt: pauciores autem irrogare, non item eſt nefas. Quomodo flagellatio fiat refert Maccoth. all. l. pag. 120. Ambabus manibus ad columnam alligatis, veſtis a miniſtro publico detrahitur illi, qui loris cædi debet, & pectus ejus denudatur, tum lapis pone illum collocatur, in quo ſtat lictor manu tenens lorum bubulum complicatum, quo eum ferit non ſtantem vel ſedentem, ſed inclinatum. Lictor vero una manu, quantum poteſt, illum percutit, præcone clamante: Si non obſervaveris &c. Deut. 28. 58. 59. ſecundo plagas numerante, tertio lictorem ferire hoc verbo jubente: *Hakkehu* i. e. cæde illum, vid. D. Buxtorff. *in ep. dedic.* Si cæſus moritur ſub manu cædentis, liber eſt. Si unum lorum ſuperaddiderit & cæſus moriatur, in exilium mittitur percutiens.

[3] *Venditio.*) Qua ſcilicet ſe ſervituti mancipabat. Duplici autem modo Hebræus in ſervitutem redigebatur, *aliena*, vel *propria voluntate*. Maimon. *de ſervis cap.* 1. habet verba: *Servus Hebræus, de quo lex loquitur, eſt Iſraelita, quem vendiderunt Magiſtratus invitum, aut qui ſemetipſum vendidit ſua ſponte.* Aliena voluntate venditum ſic ibidem deſcribit: *Furem, cui nihil ſuppetit ad penſandam ſortem, Magiſtratus vendit: Neque quiſquam reperitur inter Iſraelitas, quem vendat Magiſtratus, præter ſolum furem*: quo refert dicta Exod. 21. 1. Deut. 15. 12. Idem *in Tractatu de furto cap.* 3. *Si fur nihil habeat, nec fundum, nec mobilia bona, Magiſtratus vendit eum, & pretium ejus dat pro damno quod dicitur* (Exod. 22. 3.) *ſi nihil ipſi ſit, vendetur pro furto ſuo. Vir venditur pro furto ſuo, ſed non mulier: atque hoc habemus ex traditione. Neque venditur fur niſi pro ſorte: ſed pro duplo, aut compenſatione quadrupli vel quintupli, non venditur: ſed hoc ipſi incumbit debitum, uſque dum ditior evadat. Sors ſeu ſumma rei furtivæ æquet centum, fur autem non valeat niſi quinquaginta: hic venditur quidem, ſed relinquitur tam ſors, quam hujus duplum debitum ipſi incumbens, uſque dum exeat anno ſeptimo, & ditior fiat, & rependat.* Ubi duo examinanda veniunt: *Unum*, quod neget mulierem vendi ob furtum: *Alterum*, quod affirmet neminem a Magiſtratu vendi niſi furem; quæ tamen aliter videntur ſe habere. Mulierem pro furto ſuo non vendi, non niſi Traditione probari agnoſcit. Sed hanc Traditionem Legi Dei contrariam oſtendit argumentum a pari, quod Maimonid. ſuppeditat *cap.* 1. *de furto* inquiens: *Par ratio eſt viri & mulieris, cum furantur, tenentur rependere compenſationes dupli, & compenſationes quadrupli &c. Si fuerit uxor viri, quæ quod rependat non habet, duplum ei incumbit ceu debitum, uſque dum repudietur aut moriatur ejus maritus; & tunc Magiſtratus ultionem ſumunt de illa.* Sed cum compenſatio dupli æque reſpiciat furem fœminam ac marem; quidni pariter utrique dicta ſit pœna venditionis pro furto, quæ Exod. 22. *v.* 1. 3. 4. ſcripta eſt. Præterea, cum de fure fœmina ultionem debeat ſumere Magiſtratus, poſtquam per repudium aut mariti mortem ſui juris facta eſt, ea ultio, ſi inopi reſtitutio rei ablatæ extorqueri nequit, per venditionem ipſius rite peragitur. Nam alias plane inultum & impunitum relinqueretur ejuſmodi furtum.

[4] *Venundabitur.*) Scilicet a judicibus, quod itidem Traditionibus adſcribendum eſt. Nam quæ furti, eadem ferme ratio eſt mali debiti; in utroque enim continetur detentio rei alienæ invito Domino: Et exactio excuſſioque tam mali debitoris, quam furis, Judicis authoritate inſtituenda eſt. Hi etiam, ſi non ſint ſolvendo, ſcil. fur & debitor venundari poſſunt, juxta illud *qui non habet in ære, luat in corpore.* Verum poſterioribus Hebræorum legibus id abolitum eſt. In ſervitutem vero detruſos eſſe obæratos debitores docet exemplum 2. *Reg.* 4. *v.* 1. Imo non ſolum ipſe debitor, ſed ejus etiam uxor & liberi ob æs alienum in ſervitutem rapiebantur Matth. 18. 25.

[5] *Exilium.*) Exempla quamplurima recenſet Maccoth. *cap.* 2. *pag. m.* 106. Qui aliquem imprudens interfecerit, in exilium mittitur. Lex hæc exſtat Exod. 21. *v.* 13. Rabbini more ſuo illam per oppoſita explicant, ut cum dicitur בשגגה *per errorem*, vulgo accipi ſolet Gemara פרט למזיד, ut opponatur illi, qui pervicaciter cædem perpetraverit. Sed quid? *pervicax homicida notorie mortis reus eſt.* Malunt alii imprudentem hic opponi ei, *qui licitum cenſet homicidium illud*, vid. Joan. Coch. *in not. ad tit. Talmud. Sanhed. & Maccoth. pag. m.* 111. Ejuſmodi homicidium JCti caſuale vocant, *quod caſu inopinato, nullo prorſus dolo, nullaque culpa interveniente vel præcedente, committitur*, vid. Pet. Theodor. *in colleg. crimin. diſp.* 7. *theſ.* 5. Carpzov. *part.* 1. *quæſt.* 27. *criminal. fol. m.* 142. & ordinaria pœna non afficitur.

[6] *Combuſtionis fit mentio.*) De iis, qui hoc ſupplicii genere afficiendi, agit pluribus *cap.* 9. *Sanhedr. pag. m.* 70. Herman. Conring. *de Republ. Hebræorum pag. m.* 113. Selden. *de Synedr. Hebr. loc. cit.* Modum comburendi quod attinet, is *cap.* 7. *Sanhedr. pag. m.* 52. §. 2. explicatur, quo benevolus lector remmittitur.

[7] *Crucifixionis lex.*) Hic humani quid patitur Sigonius, quippe crucifixio apud Judæos non erat uſitata teſtibus Rabbinis quatuor modo ſuppliciorum genera ſtatuentibus. *Talmud. Miſn.* §. *Sanhed. cap.* 7. §. 1. *R. Moſ. Ægypt. tom.* 4. *R. Moſ. Cotzenſ. præcept. affirmat.* 99. *edit. Munſt. R. Salom. in lib. Sanhed. Babylon. cap. Arba Middoth.* Unde ipſi Rabbini ita loqui ſolent: *Hic mos in Iſrael non valet, ut aliquis cruci affigatur.* Nobis hac in re pollicem premunt Hiſtoricorum phœnices Iſaac Caſaubon. *Exercit. ad Baron. annal.* 15. & Herman. Conring. *de Republ. Hebr.* all. l.

[8] *De priore Num.* 25.) Ex quo loco crucifixionem probare conatur autor noſter, ſed variam ejus explicationem evolve ſis apud Johan. Selden. *lib.* 2. *cap.* 1. *de Synedriis Hebræor. Veter.* Neque etiam exinde crucifixio probari poteſt, quod Joſua Reges Phœnicum ſuſpenderit 8. *v.* 29. *cap.* 10. *v.* 26. Etenim quos ſuſpendebant Hebræi, eos primum jugulabant, ſive humi proſtratos nervo injecto præfocabant, uti hodienum *Turcæ*, *Tartari*, *Mauri* & *Indi* facere ſolent. Inde cadavera ad lignum pendula, non quidem e collo, ſed ex utroque brachio, oſtentui exponebantur, eratque ejuſmodi ſuſpenſio non tam ſupplicium, quam ſupplicii conſequens. *Deut.* 21. *v.* 12. *Joſ.* 10. *v.* 26. *Talmudiſt. in lib. Sanhedrin. cap.* 6. *n.* 4. Non etiam obſtat, quod interpres V. T. *Num.* 25. *v.* 4. crucis meminerit. Nam ille lignum per crucem vertit; lignum vero eſt nomen generale, & non minus convenit arbori infelici, de qua rei ſuſpendebantur, quam cruci. Adducamus hic verba *Iſaac. Caſaubon. Si nullum veteris linguæ Hebræorum eſt verbum, quod crucem proprie dictam ſignificet: ſi nullum verbum actioni crucifigendi proprium: ſi denique in toto V. T. nullum exſtet certum de eo ſupplicii genere teſtimonium: ſequitur quod illi populo fuerit olim ea pœna ferme incognita*; conf. *M. Joan. Erneſt. Bornit. diſſ. de cruc. cap.* 1. §. 6. & 7.

[9] *Perduellionis.*) Crux apud Romanos ſeditioſorum pœna erat, *Paulus JCtus lib.* 5. *tit.* 22. Legibus Romanorum auctores ſeditionis & tumultus, pro qualitate dignitatis, aut in crucem tolluntur, aut beſtiis objiciuntur. Vid. *Flor. lib.* 3. *hiſtor. cap.* 19. *Apulej. lib.* 3. *Metamorph. Joſeph. lib.* 17. *antiq. cap.* 17. *& Ben Gorion. lib.* 2. *de bell. judaic. cap.* 14. *Valer. Maxim. lib.* 2. *cap.* 7. *lib.* 8. *cap.* 4. Item quoque latronum, *Petron. in Satyr.* Imperator juſſit latrones crucibus affigi. *Apulej. lib.* 8. *de Aſin.* Latronem iſtum, miſerorum pignorum meorum peremtorem, cruci affigatis.

[10] *Lapidibus appetiti.*) Qui rem habuit cum matre

tre, nuru, mare, jumento, lapidibus obruitur. Nec non mulier, quæ jumentum admittit, blasphemus, idololatra, qui dedit semen suum Molocho, hariolus, profanator sabbathi, qui maledicit patri vel matri suæ, qui violat puellam desponsatam, seductor, qui ad apostasiam impellit, magus, filius contumax & rebellis, vi lapidum opprimuntur. Atque hæc lex procul dubio est illa, quam *πάτριον νόμον*, *legem patriam*, in Concilio Berytensi nuncupavit Herodes, in quo filios accusabat, quod vitæ suæ insidias struerent, & de ejusmodi filiis legem patriam seu judaicam dixit præcipere, *ut si cui* (sic) *accusato* (filio) *parentes manus imponant, necesse habeant circumstantes saxis eum ferire, & in hunc modum interficere*. *Joseph. lib.* 16. *cap.* 17. Et hanc legem generatim *lib.* 4. *cap.* 8. intelligit de cunctis *τῶν νεωτέρων* juniorum, qui parentes contemserint, & debitum honorem præ pudore aut contumacia reddere eis neglexerint, & insuper contumaces & protervi in eos fuerint. De illo, qui rem habuit cum matre sua, vid. Sanhed. *cap.* 6. & 7. *pag. m.* 53. Joan. Lightfoot, *harmony of the New Testament. chap.* 7. *Act. fol. m.* 84.

[11] *Qui alienos Deos.*) scil. qui pro Deo Moloch colit. de quo fusius agit Johan. Selden. *de Diis Syris & Bayer. in not. ad hunc lib. Elias Scheid de Diis German. Athanas. Kircher. in Oedipo Ægypti.*

[12] *Deo maledixerunt.*) i. e. per nomen Deo propium שם עצם appellatum. Huc afferunt Levit. 24. 16. ונוקב שם בנקבו שם verbum enim נקב triplicem notionem sustinet (1) לישנא דברוכי הוא i. e. notat *exsecrationem*. Num. 23. 12. (2) notat מיברז *terebrare*, *perforare*, 2. *Reg.* 12. 10. Hac significatione volunt interdictum esse, ne quis cultro scindat nomen in membrana scriptum, argumento Deut. 12. 3. 4. Verum hæc significatio, ajunt, hic locum non habet, quia בעינן שם בשם Prima vero satis explicata est jam per illa verba לא תקלל אלהים. Ergo ad (3) decurrendum, quæ est פרושי *exprimere* secundum literas suas, ut *Num.* 1. 17 vid. Johan. Coch. *cap.* 7. *ad Sanhed. pag. m.* 61. Targum Hieros. Deut. 32. hæc habet verba: *Ait Moses: væ iis, qui in exsecrationibus proferunt nomen sanctum; siquidem nulli angelorum supernorum licet id enunciare, nisi quando τὸ τρισάγιον præmiserit, a quibus didicit Moses, ut non usurparet nomen Dei expressum, antequam* 21. *vocibus &* 85. *literis os suum initiasset*. Blasphemia autem fit vel *immediate* vel mediate: Immediate committitur, quando Deo tribuitur id, quod ejus proprietatibus non convenit, aut cum ei detrahitur, quod illi convenit.

[13] *Testimonio reddito.*) Innuitur his verbis modus lapidibus cædendi, quem ex *cap.* 6. *Sanhedrin pag.* 45. huc adscribere non pigrabor. Confecto judicio damnatum educunt, ut lapidibus obruatur. Locus lapidationis extra locum judicii erat, quia dicitur, educ blasphemum, de quibus verbis vid. Joan. Selden. *lib.* 2. *cap.* 1. *de Syned. Hebr.* In loco lapidationis officialium alter stabat ad ostium curiæ, tenens manu sudarium: alter equo insidebat, tantum inter lapidandum & se intervallum relinquens, ut commode eum videre posset. Tum si quis se offerebat, qui damnatum insontem esse doceret; curiæ foribus adstans sudario signum dabat ut eques concitato cursu damnatum retraheret. Quin etiam si ipse quid pro innocentia sua ostendenda se habere assereret, quater quinquiesve reducebatur, dummodo verbis ejus fides tribueretur. Si hoc modo innocentia ejus comprobaretur, liberum dimittebant, sin minus, prodibat lapidandus antecedente præcone atque ita exclamante: *Vir iste N.N. filius N.N. prodit lapidandus ob culpam hanc, suntque ejus facti testes N. N. & N. N. Quicunque eum insontem docere potest, accedat, rationesque suas exponat*. Quando decem pedes aberat a loco lapidationis jubebatur reus confiteri. Quod si nesciebat, quomodo edenda confessio esset, sic dicere debebat: *Sit mors mea expiationi pro omnibus peccatis meis*. R. Jehuda: Si sciebat, se testium mendacio gravatum, sic dicebat: *Sit mors mea expiationi pro omnibus peccatis meis, hoc uno excepto crimine*. Quando a loco lapidationis aberat quatuor pedes vestes ei exuebantur. Maris vero anteriora velabantur: fœminæ & posteriora, ceu putat *R. Jehuda*, vel mas nudus lapidibus obruebatur, non autem mulier. Locus lapidationis aliquot pedes in sublime erigebatur. Testium vero alter reum lapide percutiebat, ut resupinus caderet. Si pronus ceciderat, convertebatur, ut supinus esset. Hoc ictu si necabatur, satis factum erat legi: sin non, alter lapidem sublatum in pectus immittebat. Si vero neque hoc ictu interficiebatur, tum a toto Israele lapidibus cædebatur, conf. *Not. Johan. Coch. ad Sanhed. cap.* 6. & 8. Johan. Selden *de Syned. Hebr. Vet. cap.* 13. *lib.* 2. *pag. m.* 537. Joan. Lightfoot. *Harmony of the New Testam. fol.* 85. *Act.* 7.

[14] *Strangulationis nulla fit mentio*) Rabbinorum scripta evolventi liquet strangulationis sæpissime fieri mentionem vid. Sanhedr. *cap.* 10.





I. N. J.

CAROLI SIGONII DE REPUBLICA HEBRÆORUM

LIBER VII.

Qui inscribitur de Magistratibus.

CAPUT PRIMUM.

De generibus Magistratuum.

CONSILIIS ac Judiciis subjiciuntur ordine [1] Magistratus : quippe [2] qui Consiliis & Judiciis præfuerunt , aut omnino sua auctoritate partem publicæ Consultationis & Judicationis aliquam attigerunt . Hi a Græco interprete [3] ἄρχοντες , a Latino Principes convertuntur . Quoniam autem ἄρχειν est non solum præesse, ac ducem esse, sed etiam [4] imperare , atque jubere; propterea vis in magistratu insita duplex est ; una, ut populo præsit , eique quæ sunt [5] facienda præscribat; altera, ut [6] jus dicat, ac judicet , sive (ut scriptura loquitur) *judicium ac justitiam faciat*. Quare magistratus in sacra historia aliquando [7] duces populi , [8] aliquando judices appellantur. Id quod clare perspici potest in Regibus . Hi enim vere & populi duces fuisse, & populum judicasse dicuntur. De ducatu elicitur ex primo Regum nono, ubi Deus dicit de Saule: *Unges eum ducem super populum meum Israel*. Et quinto secundi ad Davidem: *Tu pasces populum meum Israel, & eris dux super Israel*; & post David de Salomone primo tertii: *Salomon regnabit pro me, illique præcipiam, ut sit dux super Israel, & super Judam* . De judicio vero exstat primo Regum, ubi dixit populus ad Samuelem: *Constitue nobis regem, ut judicet nos*; & octavo secundi: *David rex faciebat judicium & justitiam cuncto populo*. Et primo secundi Paralipomenωn ad Salomonem: *Idcirco Deus posuit te super Israel regem, ut facias judicium*

dicium & justitiam. Unde Psalmo IX. *Fecisti judicium meum, & justitiam meam, sedisti super thronum, qui judicas justitiam*: id est, præstitisti quæ tradidi tibi facienda in lege mea, omnibus enim his in locis est Græce κρίσις, δίκη, & δικαιοσύνη, quæ respondent illis verbis quæ damnavit Deus in lege [9] κρίματα, & δικαιώματα, id est Judicia, & Justificationes, quibus ratio præscribitur, qua [10] impius condemnetur, & innocens absolvatur. Est enim magistratus [11] animata & loquens lex, sive [12] legis executor & vindex. Atque utrumque quidem jus in magistratum convenire, & ducis, & judicis, docuit etiam Ægyptius quidam Exodi secundo adversus Moysem, qui hominem Ægyptium interfecerat, inquiens: *Quis te constituit principem, aut judicem super nos?* Ducatum vero exercuerunt [13] in bello gerendo & de rep. consultando, [14] judicationem in jure reddendo.

Hæc autem potestas sive [15] ducendi, sive judicandi primum [16] Moysi data est in populum Hebræorum, etiam antequam lex scriberetur, tum cum Deus ei mandavit, ut populum servitute regis oppressum ex Ægypto educeret. Itaque ille primis diebus volentem populum ac senatum ad consilia advocavit, & sine judicibus aut magistratibus ullis jura eisdem volentibus reddidit. Post autem cum Jethro socer ejus ad eum in solitudine agentem primo anno venisset, atque assiduam ejus operam in caussis cognoscendis animadvertisset, [17] auctor fuit, ut rerum leviorum cognitionem præfectis aliquot, viris sapientia atque æquitate præstantibus traderet, ipse vero sibi graviora, inprimisque ad Deum pertinentia reservaret. Quam jurisdictionem ille deinde moriens tradidit Josuæ Nave filio, ei qui populum in terram Chananæam induxit. Quo mortuo populus rep. a Deo tradita uti cœpit. Sic enim dixerat Moyses anno quadragesimo in terra Moab loquens de iis quæ facienda essent, ubi terram Chananæam obtinuissent: *Non facietis ibi, quæ nos hic facimus hodie, singuli quod sibi rectum videtur, neque enim usque in præseus tempus venistis ad requiem, & possessionem quam Dominus vester daturus est vobis*.

Ceterum, cum resp. triplex fuerit, nimirum universi populi, singularum tribuum, & singularum urbium, propterea magistratus in varia distributi genera sunt. Ac magistratus quidem universi populi fuere primum Judices, deinde Reges, tum Principes, denique iterum Reges, qui in urbe metropoli consederunt. In singulis autem tribubus Phylarchi, & Patriarchæ; in singulis vero urbibus Principes civitatum, sive judicum, nempe Tribuni, Centuriones, quinquagenarii, & Decani, de quibus singulis res postulat ut separatim agatur.

NOTÆ AD CAPUT PRIMUM.

[1] *Magistratus*.) Nomen Magistratus est a Magistro, quod vocabulum vel a *Magis* Persarum Sapientibus: vel ab adverbio *magis*, ut minister a minus descendit. Græci ἀρχὴ, quæ particula & principium & Principatum designat, vid. *Varron. lib. 4. de Latin. Ling. & Fest. lib.* 11. Dicebatur autem olim Magistratus, qui Judicium auspiciumque haberet, quemadmodum *Cicero in legib.* scribit. Magistratus omnes judicium auspiciumque habento. Postea vero dicti Magistratus, quibus Respubl. vel omnino, vel ex parte a populo vel Principe commissa esset.

[2] *Qui Consiliis & judiciis præfuerunt*.) Consentit *Aristotel. lib. 4. Politic.* 15. qui ita disserit: Magistratus sunt, quibus consulendi judicandi & imperandi potestas est tributa. Idem habet *Cicero lib. 3. de legib.* quando ita: *Videtis igitur* Magistratibus hanc esse vim, ut præsit præscribatque recta & utilia & conjuncta cum Legibus. Hi Magistratus teste *Herman. Conring. in dissert. de Republ. Hebr.* §. 14. ἀρχαὶ stricte ita dicti, vocabantur. Ex mente autem *Philosophi* ἀρχαὶ sive Magistratus maxime illi sunt appellandi, *quibus datum est deliberare de quibusdam & judicare sive statuere & mandare sive jubere*.

[3] Ἄρχοντες.) Hæc vox non raro in Scriptura occurrit, Matth. 9. 18. Luc. 18. Johan. 17. denotatque rectorem alicujus rei test. H. Hammond. *annot. in Mar. cap. 5. fol. m.* 151. Descendit ab ἄρχειν, præesse, imperare, principatum obtinere, Magistratum gerere, vid. Scapul. Lexic. Græc. fol. m. 199. confer. Isaac. Casaubon. *animadvers.* in Athenæ *lib. 13. fol. m.* 862. ubi hæc leguntur verba: Ἄρχειν ponitur pro ἐπιμελεῖσθαι *curare*: quia τῶν ἀρχόντων i. e. *Magistratuum officium est, curam habere eorum, quibus præsunt*. Ejusmodi Ἄρχοντας Athenienses habuerunt, de quibus Alexand. ab Alexand. *Genial. dier. lib. 3. cap. 16. fol. m. 276: cum not. Andr. Tiraquell.* Johan. Selden. *de Syned. Hebr. veter. lib. 2. cap. 3. pag. m.* 83. 84.

[4] *Imperare atque jubere*.) Vis imperandi propria Magistratui. Observandum autem quod Magistratus divisio sit multiplex: Alii sunt *Majores*; alii *Minores*. Majores sunt; qui Imperium potestatemque habent: id est, qui inobedientes subditos multa & vinculis coercere possunt. Minores autem sunt, quibus neque imperium neque potestas data, sed minor Reipubl. procuratio. Jam autem τὸ imperare & jubere teste *celeber. Conringio* ad Majestatem seu qui summam habet potestatem spectat.

[5] *Facienda præscribat*.) Magistratus in Republ. semper bonum civile respicit, ceu ad finem. Media autem quibus hoc bonum acquiritur sunt actiones. Illæ autem sunt vel *bonæ* vel *malæ*, hoc est, legibus conformes vel a legibus discrepantes. Ad bonas invitat præmiis, a malis pœnis deterret. Quia in Republ. subditi vel pauci vel nulli sponte sua virtuti dant operam, idcirco tam publicæ quam privatæ utilitatis interest, ut virtutes quasi armatæ, hoc est, legum præcepta vim habentia introducantur, vid. *Aristot. 10. Ethic. ult.* Is autem qui legibus vim addit easque fert, excellens & superior, nec non prudentia politica instructus esse summamque itidem potestatem ac vim puniendi judicandique habere debet. Hæc Majestas cum sit utilitatis publicæ directrix, ad tria potissimum respicere debet scil. *imperare*, *deliberare*, & *judicare*. Hæ sunt

illæ

illæ actiones, a quibus Reipubl. conditio dependet. In his tribus Politica prudentia, quæ de salute publica in regione procuranda prospicit, versatur, estque propterea triplex (1) legum latrix, (2) consultatrix (3) judiciaria. Legumlatrix qua subditis bonas leges præscribit, juxta quas vivere teneantur. Magistratus hæc vis est ut præsit & præscribat recta & utilia & conjuncta cum legibus: Ut enim Magistratibus leges, ita populo Magistratus præsunt, conf. *Melchior Jun. quæst. politic. pag. m.* 42. *quæst. de legib.* Henry *Ainsworth* Comment. in Deut. 16. fol. 63. ita dicit: *Their worke was to speake and proclaime, unto the people, what they ought to doe.*

[6] *Jus dicat*: Quod nihil aliud est, quam ut unicuique jus suum asserat, & tribuat, quod fit cognoscendo causas, cognitis causis decernendo & quod decretum fuit exequendo vel sententiam ferendo, qua utraque pars sive omnino sive quadantenus stare tenetur.

[7] *Duces populi.*] *Joseph. lib.* 5. *antiquit. c.* 2. vocat *δικαστὰς*, modo *ἄρχοντας*, modo *ἡγεμόνας*, interdum *στρατηγοὺς* & *μονάρχους lib.* 2. *c.* 5. in Græco, imo etiam *αὐτοκράτορας lib.* 5. *c.* 9. Imperatores, a *Chaldæo lib.* 2. *Reg.* 7. dicuntur & נגידין & *Ruth.* 1. 1. נגידיא i.e. *Duces*, *Ductores*, *Principes*. imo Reges vocantur *Jud.* 9. 6. Constituerunt Regem Abimelechum i. e. *δικαστήν*. Jud. 18. 1. E quibus locis fortassis *Josephus* suos *μονάρχας* extruit.

[8] *Aliquando Judices.*) Qui in Hebræorum Republica rerum summæ præfuere clavumque tenuere dicti peculiariter sunt שפטים Κριταί. Judices quos eo fine Deus suscitavit, ut populum suum a servitute, deque manu hostium suorum liberarent, in pristinam libertatem assererent, & sive pacis sive belli tempore judicio atque authoritate juxta legem & statuta Dei gubernarent.

[9] Κρίματα & *δικαιώματα*. *Sæpissime hæ voces in* lege conjunguntur & etiam dividuntur, ita ut prima significet ordinationes & statuta, ad cultum divinum pertinentia. *Exod.* 12. posterior autem leges ad coercendos transgressores vid. *Ainsworth*, variis in locis Judicia sunt causarum forensium penes leges censuræ & æstimationes, vid. *Heider. polit. pag.* 430.

[10] *Impius condemnatur & innocens absolvitur.*) Judicis est secundum institutam actionem simpliciter pronunciare, vel condemnando vel absolvendo, & hoc modo differt ab arbitro vid. *Conring. differt. de necessariis civitat. edit. Helmst.* 1679. *thes.* 14. *§.* 6. *Heider. Polit. pag.* 430. *& pag.* 560. 561.

[11] *Animata lex.*) Piccart. ad lib. 6. c. 8. Polit. Aristotel. teste *Conringio* l. c. Magistratum legem loquentem dicit, & confugere ad hunc est ad jus ipsum ire, qui jus quoddam animatum, lex loquens est. *Aristotel.* 5. *Ethic. c.* 4. *Cicer. lib.* 3. *de legib. test. Jun. in quæstion. polit. pag. m.* 126. Heider. *politic. p.* 288.

[12] *Legis executor & vindex.*) *Junius & Tremellius ad cap.* 2. *Judic. v.* 16. 17. 18. Vindices nominant. Satius est non proferre leges, quam prolatis non obtemperare scribit *Aristotel. lib.* 3. *polit.*. Si quid igitur in leges mali commissum, vindex esse debet ob rationes has (1) ut mali vel tollantur vel emendentur. *Senec. lib.* 1. *de ira c.* 16. (2) ut authoritas & dignitas defendatur ejus in quem peccatur. (3) Ut metu pœnarum alii similibus a peccatis deterreantur, quam ob rationem Παραδείγματα nuncupantur. Gell. 6. c. 14. conf. *Aristot.* 7. *Polit. c.* 13. His rationibus addi possunt Dei author. *Deut.* 19. *Proverb.* 24. *Gen.* 9.

[13] *In bello gerendo.* Duces ab antiquis semper quidem pro ductoribus Exercituum dicebantur; & erant duplicis generis: nam interdum Duces appellabantur, qui summum in militia imperium obtinebant, & hoc modo *Duces Hebræorum* vocandi. Interdum Dux appellatur, cui pars Imperii ab altero superiore mandata est. *Cicer. Offic.* 3. M. Attilius Regulus, cum Consul iterum in *Africa* ex insidiis captus esset, Duce *Xantippo Lacedæmonio* vide, *plur. Lexic. Jurid. ex antiq. ICtis. Brisson. Hotoman. Prate. collat. pag. m.* 346. *edit.* 1607.

[14] *Judicationem in jure reddendo.*) Optime itaque celeber. *Conringius in dissertat. de præcipuis negotiis in Comitiis edit. Helmstad.* 1666. §. 22. Etsi autem initio Ducum officium atque dignitas tantum fuerit militaris, ceu ex hisce disertis *Witichindi* verbis apparet: A tribus etiam Principibus totius gentis Ducatus administrabatur &c. Successu tamen temporis eandem cum Comitibus juris dicendi potestatem acceperunt, imo integras sæpe Provincias pluribus Comitibus coagmentatas, *civili* & *militari* imperio administrarunt, quod ex variis monumentis potest demonstrari. Ubi Autor duos recenset, primum ex *Eguihardo* in vita Caroli de *Thassilone Duce Bavariæ*. Alterum ex *Tacito Annal. Dagobertus tam per se quam per duces bene dispofuit.* Plura qui desiderat evolvat citatum authorem, confer huc etiam *Lexicon. Jurid. cit. pag.* 347. ubi lectu digna recensentur.

[15] *Ducendi & judicandi.*) Gessit ejusmodi Magistratum Moses in populo Israelitico primus omnium. Dux etenim erat, seu ut alii volunt Rex populi; deinde etiam potestatem habebat, peculiari tamen modo ab ipso Deo dependentem, deliberandi, statuendi & mandandi ac de controversiis judicandi in gente Hebræorum, quod ex historia Sacra, quam ipse scripsit abunde liquet. Cum per deserta Arabiæ Palæstinam tenderent Hebræi, aliquanto tempore solus Moses causas dijudicabat omnium. *Exod.* 18. 17. *seq.*

[16] *Moysi data.*) Apud Hebræos dubio caret Mosen ipsum, post migrationem ex Ægypto, aliquamdiu omnibus præfuisse, vid. Johan. Selden. *lib.* 1. *de Syned. Hebr. pag. m.* 610.

[17] *Autor fuit.*) Cum Jethro generum suum invisens animadverteret laborem, judicia aliter instituendi consilium ipsi dedit: Consilium soceri neutiquam Moses aspernatus, instituit non sine populi consensu Principes Chiliadum, Centuriarum, &c. Audierat Moses & dijudicarat causas suæ gentis promiscue minimas cum maximis. At ex consilio soceri in litibus magis liquidi juris judicandi laborem aliis delegavit, nulla judiciorum parte sibi reservata, nisi quando lex ipsa vel deficeret vel obscurior esset.

CAPUT SECUNDUM.

De Judicibus Israel.

QUi ergo primam Hebræorum remp. id est aristocratiam in terra Chananæa gesserunt, cum duplicem potestatem & ducendi, & judicandi haberent, tamen non a ducatu Duces, sed a judicio, tanquam a parte potiore, vocati Judices sunt, id est homines condemnandi & absolvendi jus atque auctoritatem ex lege habentes. Quod ut exprimerent Græci, duo verba adhibuerunt, κριτὴν & δικαστὴν, κρίνειν & δικάζειν, κρίσιν & δικαίωσιν, ut duo legis jussa in hoc magistratu præcipue inclusa significarent, Judicium, & Justificationem, quæ in lege, ut jam sæpe pro re præci-

pue

pue animadvertenda monui, κρίμα & δικαίωμα dicta sunt, siquidem de Othoniele, Aod, & [1] Debora dixerunt, ἔκρινον, id est *judicarunt* Israel; de Samuele vero ἐδίκαζε, & filios ejus a patre ad judicandum constitutos non κριτὰς ut cæteros, sed δικαστὰς appellarunt, & secundo Baruch dicuntur οἱ δικασταὶ οἱ δικάζοντες Ἰσραήλ.

Ergo horum Judicum hæc præcipua auctoritas fuit, ut judiciorum, consiliorum, & bellorum principatum tenerent. Ac judicii quidem potestatem in absolvendo & condemnando positam hi sine minorum etiam judicum consilio exercuerunt, quod Moyses ex soceri primum auctoritate instituit, deinde lege sua Deus confirmavit, ut supra demonstravimus, exercuerunt autem [2] non solum in iis urbibus, in quibus ipsi domicilium habuerunt (neque enim earum ætate Hierusalem sedes erat Imperii constituta) sed etiam tribus ipsas circumierunt, ac certis in urbibus conventus & fora egerunt, ibique jurisdictionem de qua diximus, absolverunt. Unde scriptum est quarto judicum: *Debora judicabat populum illo tempore, & sedebat sub palma inter Rama & Bethel in monte Ephraim, ascendebantque ad eam filii Israel in omne judicium*; & septimo primi Regum: *Judicabat Samuel Israelem cunctis diebus vitæ suæ, & ibat per singulos annos circumiens Bethel Galgala & Maspha, & judicabat Israelem in supradictis locis revertebaturque in Ramatha, ibi enim erat domus ejus, & ibi judicabat Israelem, ædificavit etiam ibi altare Domino*. Jus vero necis liberum haudquaquam habuerunt, quia in omnibus legem sequuti sunt, qua deinde soluti Reges fuerunt.

De potestate vero populi convocandi, & senatus habendi, atque ad utrumque quæ e rep. videbantur, agendi, observatio obscurior est. Quoniam autem id jus & Moyses, & Josua ante Reges Judices, & Reges post Judices habuerunt, propterea & eo Judices instructos fuisse, credibile est. Neque enim hæc singula expressa sunt in eo libro qui Judicum historiam continet, quod jejune adeo scriptus sit, ut vix successionem eorum ac bella gesta quædam attigerit.

Jam vero [3] belli gerendi auctoritate armatos fuisse, argumento est, quod scriptum est de Jephte Judicum XI. *Perrexerunt seniores de Galaad, ut tollerent in auxilium sui Jephte, dixeruntque ad eum: Veni, & esto princeps noster, & pugna contra filios Ammon*. Omnia certe bella quæ Judicum tempore contigerunt, ipsi Judices, tanquam summi duces, administrarunt, non tamen belli suscipiendi arbitrium habuerunt alioquin reges ipsos potestate æquassent, qui postea consequuti sunt.

Ceterum hic principatus [4] non fuit hæreditarius, sed studiis populi delatus, prout vir fortis indicatus a Deo fuit, quod expressum est iis verbis: *Deus suscitavit eis Salvatorem*. Quare nec semper in eadem familia, nec semper in eadem tribu mansit. Cum autem scriptum est, Deum populo hunc aut illum Salvatorem excitavisse, significat, Deum populo in mentem injecisse, ut hunc aut illum Judicem belli ducem designaret. Nam ad Gedeonem dixit angelus Domini. *Vade in hac fortitudine tua, & liberabis Israel de manu Madian, quasi virum unum*; & Seniores ad Jephten dixerunt: *Veni, & esto princeps noster, & pugna contra filios Ammon.*

Judices autem fuerunt hi, Othoniel ex tribu Judæ, Aod ex tribu Ephraim, Debora ex tribu Ephraim, cum Barac ex tribu Nephtalim, Gedeon ex tribu Manasses: inde Abimelech filius Gedeonis per vim, occisis fratribus, sed a civibus suis delectus, post Thola ex tribu Isachar, tum Jair ex tribu Manasses trans Jordanem, item Jephte, tum Hesebon ex oppido Bethlem, inde Ahialon Zabulonites, Labdon Ephraimites, Samson Danites, inde Heli, ac postremo Samuel, uterque Levites.

NOTÆ AD CAPUT SECUNDUM.

[1] *Debora judicabat*.) Quæstio hic oritur inter eruditos an etiam fœminæ judicia exercere liceat. Sunt qui affirmant ex Scripturæ loco *Jud. c.* 4. Sic *Germani* mulierum judicia admiserunt teste Cornel. Tacit. de morib. *German.* Spartani gravissimis in negotiis fœminarum adhibuerunt judicia. *Plutarch. in Lycurgo*. Qui negant, dicunt, quod *Deboræ* exemplum in Sacris singulare neque inde regula conficienda, vid. *Jun. Quæst. Polit. de Judic. pag. m.* 9.

[2] *Non solum in urbibus*.) Veteres judiciorum loca templis volebant esse vicina ut judices Dei & ultionis divinæ memores fidem & æquitatem tuerentur, Plat. *lib. 6. de LL.* Olim quoque locum illum a rebus venalibus purum & inaccessum esse voluerunt. Sed & sub dio, æthere cœloque aperto actæ causæ apud plerosque fuerunt teste *Junio in quæst. Polit. de Judic. quæst.* 85. *pag.* 27. Erant igitur jus dices ut in fori tribunalibus jus dicerent & litibu populi componendis præessent. Hinc dicuntur filii Israel accurisse ad *Deboram* judicii ergo *Judic.* 4. Samuel quoque domi suæ in Rama judicavit Israelem cunctis diebus vitæ suæ, & singulis annis circuivit *Bethelem*, *Gilgalem* & *Mitspam* & tribus illis locis quotannis jus dixit Israelitis ac de jure respondit. De *Gideone* inquit *Joseph. lib. 5. antiq. cap.* 8. in fine: *Gideon cum vellet imperium deponere, compulsus est id retinere per annos* 40. *dicendo jus & litibus finiendis occupatus, populo ratum habente quicquid in causis controversis pronuntiaret.*

[3] *Belli gerendi*.) Officium Judicum etiam fuit belli gerendi, ut scil. bella adversus hostes gererent.

[4] *Non fuit hæreditarius*;) Singulæ enim civitates, necessitate urgente, jus habuerunt sibi Ducem militiæ & vindicem eligendi. Quod supervacaneum, imo nec impunitum fuisset, si penes unum summum

Israe-

Israelis regimen stetisset. Jus autem hoc civitatum probatur ex historia Jephtæ, in exilium ob natalium maculam pulsi, deinde adversus Ammonitas in ducem electi, *cap.* II. Hunc ipsum, victoria licet insignem, non magnæ apud omnes autoritatis fuisse, monet arrogans Ephraemitarum expostulatio.

CAPUT TERTIUM.

De Regibus.

JUDICIBUS inde successere Reges, qui ab eis longe diversi fuerunt; quia & ratio creandi fuit alia, & potestas atque auctoritas multo major, ut quæ non tam a legibus, quam ab arbitrio & voluntate regis profecta sit, nam regem ipsi intellexerunt more Aristotelis, qui [1] solutus legibus plenissimo jure regnaret. Quod autem ad creationem pertinet, creatus est primum [2] suffragiis populi universi, deinde [3] oleo sancto inunctus, & in regali solio magna pompa locatus. Quod vero ad potestatem, primum XII. tribuum principatum obtinuit, sic enim dictum est Sauli: *Nonne cum parvulus esses in oculis tuis, caput in tribubus Israel factus es, unxitque te Dominus regem super Israel?* deinde judicavit ipsas tribus & cum Conciliis, & solus, atque omnino vitæ necisque potestatem arbitrariam habuit, & quodammodo superior legibus fuit: tum bella pro arbitratu suo & suscepit, & gessit. Hæc autem ut ordine doceam, historiam ipsam regiam a principio repetam, ut quid in Saule primo rege, quid in Davide secundo, quid in Salomone tertio observatum sit, ex sacris voluminibus afferam. Quibus explicitis, facile unusquisque quæ a me proposita sunt, cognoscere poterit.

Cum ergo Deus a principio providisset, fore, ut Hebræi Judicibus, id est Aristocratia non contenti regiam dominationem optarent, legem inter ceteras sanxit, qua uti Hebræi deberent, si quando Regis habendi cupiditate flagrassent, qua lege & rationem illius creandi, & creati jura [4] præscripsit, his verbis Deuteronomii XVII. *Cum ingressus fueris terram quam Dominus Deus dabit tibi, & possederis eam, habitaverisque in illa, & dixeris: Constituam super me regem, sicut habent omnes per circuitum nationes, eum constitues, quem Dominus Deus elegerit de numero fratrum tuorum. Non poteris alterius gentis hominem regem facere, qui non sit frater tuus, cum autem fuerit constitutus, non multiplicabit sibi equos, nec reducet populum in Ægyptum equitatus numero sublevatus, præsertim cum Dominus præceperit vobis, ut nequaquam amplius per eandem viam revertamini, non habebit uxores plurimas, quæ alliciant animam ejus, neque argenti & auri immensa pondera. Postquam sederit in solio regni sui, describet Deuteronomium legis hujus in volumine, accipiens exemplar a sacerdotibus Leviticæ tribus, & habebit secum, legetque illud omnibus diebus vitæ suæ, ut discat timere Dominum Deum suum, & custodire verba & justificationes ejus quæ in Lege præcepta sunt: nec elevetur cor ejus in superbiam super fratres suos, neque declinet in partem dextram, vel sinistram, ut longo tempore regnet ipse, & filii ejus super Israel.* Hanc vero legem sic reddidit Josephus libro IV. Antiquitatum: *Si vero regis cupiditas vos incesserit, is ex eadem gente sit, curam autem gerat justitiæ, & aliarum virtutum omnino. Caveat vero, ne plus legibus, aut Deo sapiat, nihil autem agat sine pontificis senatorumque sententia, neque nuptiis multis utatur, nec copiam pecuniarum equorumque sectetur, quibus partis super leges superbia efferatur, caveat etiam, si quid studio paraverit, ne utilitate vestra sit potentior.* Hæc ille. Quod ergo prospexit Deus fore, ut Hebræi aliquando Regis desiderio caperentur, id accidit tempore Samuelis prophetæ, & Judicis, ut enim scriptum est primo Regum, populo offenso injustis judiciis filiorum Samuelis Joel, & Abia, quos ille jam ætate confectus pro se jus dicere jusserat, seniores Samuelem adierunt, atque ab eo regem poposcerunt, qui sibi jura moderaretur, quemadmodum cæteræ gentes habebant. Quibus verbis regem legibus superiorem, sive [5] legibus scriptis solutum flagitarunt. Ea vero res his verbis tradita est: *Dixere seniores: Ecce tu senuisti, & filii tui non ambulant in viis tuis. Constitue nobis regem, ut judicet nos, sicut universæ habent nationes. Displicuit sermo in oculis Samuelis, & oravit ad Dominum, dixit autem Dominus ad Samuelem: Audi vocem populi, non enim te abjecerunt, sed me, ne regnem super eos. Veruntamen contestare eos, & prædic eis jus regis, qui regnaturus est super eos. Dixit itaque Samuel omnia verba Domini ad populum, qui petierat a se regem, & ait: Hoc erit jus regis qui imperaturus est vobis. Filios vestros tollet, & ponet in curribus suis, facietque sibi equites, & præcursores quadriga-*

drigarum ſuarum, & conſtituet ſibi tribunos, & centuriones, & aratores agrorum ſuorum, & meſſores ſegetum, & fabros armorum, & curruum ſuorum, filias quoque veſtras faciet ſibi unguentarias, & focarias, & panificas, agros quoque veſtros, & vineas, & oliveta optima tollet, & dabit ſervis ſuis, ſed & ſegetes veſtras & vinearum redditus addecimabit, ut det eunuchis & famulis ſuis. Servos etiam veſtros, & ancillas, & juvenes optimos, & aſinos auferet, & ponet in opere ſuo, greges quoque veſtros addecimabit, voſque eritis ei ſervi, & clamabitis die illa a facie regis veſtri quem elegiſtis vobis; & non exaudiet vos Dominus in die illa, quia petiſtis vobis regem. Noluit autem populus audire vocem Samuelis, ſed dixerunt: Nequaquam. Sed rex erit ſuper nos, & erimus nos quoque ſicut omnes gentes, & judicabit nos rex noſter, & egredietur ante nos, & pugnabit bella noſtra pro nobis. Et Samuel retulit verba populi Deo. Dixit autem Dominus ad Samuelem: Audi vocem eorum, & conſtitue ſuper eos regem, & ait Samuel ad viros Iſrael: Vadat unuſquiſque in civitatem ſuam. Interim vero duo præcipua & legitima munera regis detexit, principatum inquam judiciorum & belli, cum dixit populus: *Et judicabit nos rex noſter, & egredietur ante nos, & pugnabit bella noſtra pro nobis.* Atque hæc quidem ad jura regis confirmanda, quibus Judices ſuperavit, ſatis valere poſſunt, de quibus etiam ante ex Ariſtotelis ſententia diximus.

Nunc de electione, & unctione ejus cetera ſubtexamus. His actis Samuel Saulem filium Cis de tribu Benjamin ad ſe profectum, dum amiſſas patris aſinas indagaret, juſſu Domini oleo unxit, & [6] oſculatus eſt dicens: *Ecce unxit te Dominus ſuper hæreditatem ſuam in principem, & liberabis populum ſuum de manibus inimicorum ejus, qui in circuitu ejus ſunt, & ipum ſe exſpectare juſſit in Galgalis.* Inde convocavit populum in Maſpha, ut regem deligeret, ibi omnes tribus conjecit in ſortem, & exiit tribus Benjamin: & tribus Benjamin ſorti commiſſa eſt, & exiit cognatio Metri, atque inde pervenit ſortiendo uſque ad Saulem filium Cis, & ſtatim miſit populus, qui Saulem domi abſconditum convenirent, atque eo Maſpha adducto, [7] clamavit: *Vivat rex. Inde loquutus eſt Samuel ad populum legem regni, & ſcripſit in libro, & repoſuit coram Domino, & dimiſit omnem populum, ſingulos in domum ſuam.* Deinceps agit de conſecratione illius, quæ unctione fiebat, unde rex Chriſtus Domini ſæpe dicitur, ut pſalmo XVII. *Miſericordiam faciens Chriſto ſuo David*; & primo Regum XXIV. *Ne faciam hanc rem domino meo Chriſto Domini.* Cum autem quidam ſe parituros Sauli negaſſent, dixit Samuel ad populum: *Venite, & eamus in Gilgala, & innovemus ibi regnum, & perrexit omnis populus in Gilgala, & unxit Samuel regem Saulem, & immolaverunt ibi victimas pacificas.* Quod autem apud Latinum interpretem eſt. *Innovemus ibi regnum*, Græce eſt ἐγκαινίζωμεν, eſt autem ἐγκαινίζειν non ſolum renovare, ſed etiam conſecrare, ac dedicare; Unde conſecratio Templi dicitur Encænia, ut IV. primi Maccabæorum, ubi ſcriptum eſt: *Altare holocauſtorum eodem die renovatum eſt, quo fuerat profanatum.* Græce eſt ἐνεκαινίσθη, id eſt dedicatum eſt. Unde paulo poſt ἐγκαινισμὸς ab interprete dedicatio vertitur.

Saulem inde, quod contra inſtituta holocauſtum, non expectato ſacerdote, obtuliſſet, Deus reprobavit, & Davidem filium Jeſſe ex tribu Juda adhuc puerum, & paſtorem, regem deſtinavit, miſſo Samuele domum Jeſſe, ut inſpectis ſeptem filiis ejus illum demum inungeret. Ita David minimus fratrum ſuorum rex inunctus ad Saulem regem, tanquam citharœdus, accitus acceſſit, & poſt retentus multa pro eo fortiter ac ſtrenue geſſit, præcipue autem Goliam gigantem Philiſtæum ſingulari certamine provocantem perculit, ex quo invidiam Saulis adverſus ſe concitavit, & propterea perſecutiones ejus varias tulit. Occiſo inde Saule, David iterum a viris Judæ rex unctus eſt in Hebron in tribu Juda. Reliquæ vero tribus Isboſeth filium Saulis unxerunt, quo deinde a ſuis interfecto, David tertio ſuper totum Iſrael a cuncto populo unctus eſt, ut ſcriptum eſt deinceps quinto ſecundi Regum: *Venerunt univerſæ tribus Iſrael ad David in Hebron dicentes: Ecce nos os tuum, & caro tua ſumus. Venerunt quoque ſeniores Iſrael ad regem in Hebron, & percuſſit cum eis fœdus coram Domino, unxeruntque eum regem ſuper Iſrael. Erat triginta annorum, cum regnare cæpit, & XL. annis regnavit, in Hebron ſuper Judam ſeptem annis, & ſex menſibus; in Hieruſalem autem regnavit triginta tribus annis ſuper omnem Iſrael, & Judam.* Ubi vero regnum occepit, Jebuſæum, qui Hieruſalem tenebat, armis urbe dejecit, & arcem in monte Sion conſtruxit, ibique habitavit, unde Civitas Davidis appellata eſt, & arcam fœderis eo tranſtulit, & materiam templo ædificando paravit, & demum Salomonem filium regem ſibi ſublegit, eumque inungi præcepit, ſic enim proditur primo tertii Regum. *Dixit David ad Sadoc pontificem, Nathan prophetam, & Banaiam: Tollite vobiſcum ſervos domini veſtri, & imponite Salomonem filium meum ſuper mulam meam, & ducite eum in Gihon, ut ungat eum ibi Sadoc ſacerdos, & Nathan*

propheta in regem super Israel, & canetis buccina, & dicetis: Vivat rex Salomon, & adscendetis post eum, & venietis, & sedebit super solium meum, & ipse regnabit pro me illique præcipiam, ut sit Princeps super Israel, & super Judam. Atque hæc omnia ita, ut jussit, effecta sunt.

Mortuo deinde Davide regnavit Salomon, qui templum condidit, & Arcam in Sancto Sanctorum reposuit, atque opibus & gloria omnes longe superavit, ut scriptum est in secundo Paralipomenωn.

Salomone inde ex humanis rebus exempto convocatus est Israel in Sichem, ut Roboam filium ejus regem constitueret, Verum cum populus petisset, ut tributa a patre imposita tolleret, atque ille responsum acerbius reddidisset, decem tribus ab eo discesserunt, & Hieroboam filium Naboth ex tribu Ephraim sibi regem asciverunt. Quare regnum in duo distractum est; unum tribus Judæ, cui etiam tribus Benjamin erat adjuncta; alterum decem aliarum tribuum, quod comuni nomine regnum Israelis est vocitatum.

Regnum inde Judæ semper in eadem tribu, & familia Davidis mansit, ita ut filio pater ipsum ferme reliquerit. Regnum autem Israel ad diversas tribus, & diversas familias transiit, quia in lege Dei non mansit; sed ad cultum idolorum se contulit. Quamquam autem regnum Judæ hæreditarium fuit, tamen populi quoque suffragiis confirmatum est. Unde duodecimo tertii Regum: *In Sichem erat congregatus omnis Israel ad constituendum regem Roboam.* Et vicesimo tertio: *Habitatores Hierusalem constituerunt Ochoziam regem, filium pro patre*, sic in ceteris. Inter reges porro Judæ fuit Joas, de cujus creatione, quoniam insignis ad memoriam fuit, hæc placet quoque ex vicesimo tertio secundi Paralip. promere: *Eduxerunt Joam filium regis, & imposuerunt ei diadema, & testimonium, dederuntque in manum ejus tenendam legem, & constituerunt eum regem, unxitque illum Jojada pontifex, & filii ejus, imprecatique sunt ei, atque dixerunt: Vivat Rex;* & XXVI. *Tulit populus terræ Joachaz filium Josiæ, & unxerunt eum, & constituerunt eum regem pro patre suo.* Desiit inde regnum Israeliticum multo maturius, quam Judaicum, nam illud defecit in Osee, quem Salmanassar rex Assyriorum victor cum populo Israelitico in Assyriam transtulit; hoc vero multos post annos in Sedecia, qui a Nabuchodonosore rege Babyloniæ in Babyloniam cum omnibus Judæis traductus est.

Ex hac rerum expositione facile cognosci potest, quomodo Judæorum reges creati, & quo jure ornati fuerint, & ut non solum hæreditate, sed etiam suffragiis populi ad id fastigium dignitatis adscenderint. Quod idem clarius etiam unusquisque cognoverit, qui reliquorum quoque regum res gestas sigillatim attenderit.

Judicavit porro populum rex tripliciter, uno modo [8] solus; ut XV. secundi Regum; *Omnem virum qui habebat negotium, ut veniret ad regis judicium, vocabat Absolon ad se, faciebatque hoc omni Israel venienti ad judicium, ut audiretur a rege.* Itaque diximus supra, Davidem cuncto populo justitiam judiciumque fecisse. Quin etiam ipse David Salomoni regi sibi subjecto sic a Deo precatus est. *Deus judicium tuum regi da, & justitiam tuam filio regis, judicare populum tuum in justitia, & pauperes tuos in judicio*; neque id injuria, nam psalmo XCVI. scriptum est: *Justitia & judicium sunt throni Dei;* & XCIIX. *Tu parasti directiones, judicium & justitiam in Jacob tu fecisti.*

Altero modo judicavit rex, cum [9] una cum senioribus & sacerdotibus judiciale Concilium iniit, ut supra ostensum est. Tertio, cum senioribus & magistratibus advocatis cognovit, ac jura dixit, ut paulo post demonstrabitur, ubi de Principibus tribuum differetur.

Senatum autem ab regibus habitum, & populum ad conciones vocatum, supra declaratum.

Nam bella ejus [10] arbitratu suscepta, & ductu gesta, libri ipsi Regum, Prætermissorumque ostendunt, qui regiorum bellorum expositionibus pleni sunt. Quibus illud additur, quod dixere Hebræi postulantes regem: *Et judicabit nos rex noster, & egredietur ante nos, & pugnabit bella nostra pro nobis.*

NO-

NOTÆ AD CAPUT TERTIUM.

[1] *Solutus legibus.*) Sunt quidam qui hoc negare conantur, inter quos cl. Wilhelm. Schickard. *in lib. suo* משפט המלך *cap.* 2. *Theor.* 7. contra sunt, qui id affirmant cum autore nostro, inter quos est *clar.* Johan. Frischmuth. *de Rege eligendo & deponendo.* Joh. Wandalin. *de jure Regio.* Joh. Adam. Osiand. *ad Hug. Grot. de J. B. & P. lib.* 1. *c.* 3. *th.* 20. *p. m.* 510. *Benedict. Carpzov. in not. ad Schickardi* משפט המלך *pag. m.* 137. *usque* 139. Balthas. Cellar. *in polit. pag. m.* 3. *edit.* 1651.

[2] *Suffragiis populi.*) Schickardus in libro suo משפט המלך *cap.* 1. *theor.* 2. *pag. m.* 17. cum Maimonid. *Hal. Mel. c.* 1. *v.* 4. & *Halach. Sanhed. c.* 5. §. 1. electionem regis Synedrio magno adscribit. Idem asserit, teste *Carpzov. in annot. ad h. l.* breviarium Pseudo-Philonis. *Sigonius* vero populi suffragio illos creatos esse hic asserere nullus dubitat. Verum constitutiones Regum Hebræorum accuratius pensitanti (1) aut illos per expressam electionem divinam creatos esse, ut Saul 1. *Samuel.* 9. 17 10. 124. (2) aut per successionem ad solium evectos, ut *Salomon* & *Rehobeam*; aut (3) per vim & tyrannidem regnum occupasse ut *Athalia*, *Simri*; aut denique (4) a gentilium Regibus constitutos, ceu Pharao Joakimum instituit. 2. *Reg.* 23. 34. Non autem est reperire, quod vel populi vel magnatum suffragiis primitus Reges sint electi vid. Joh. Frischmuth. *libr. de Rege eligendo & deponendo Joh. de Pineda lib.* 11. *de reb. Salom. c.* 11. *f.* 77.

[3] *Oleo sancto unctus.*] De ritu ungendi egerunt Cunæus, *lib.* 1. *de Republ. Hebræor. c.* 14. *pag.* 121. seqq. Menochius, *lib.* 1. *de Republ. Hebræor. c.* 9. *q.* 3. *fol. m.* 59. Drusius *loc. diffic. Samuel. pag.* 499. Hottinger. *Jur. Hebr. Leg.* 107. *pag. m.* 136. 137. Episcopius, *lib.* 3. *Instit. Theol. sect.* 2. *c.* 2. *præcept. affirm.* 16. *Tom.* 1. Joan. Selden. *lib.* 11. *de success. in Pontif. c.* 9. *fol.* 256. *seqq.* Pineda, *lib. de reb. Salom. c.* 6. *fol.* 9. *Jos.* de Voisin. *Observ. ad pugion. fidei fol.* 247. Schickard. משפט המלך *cap.* 1. *theor.* 4. Hunc ritum etiam tangit H. Hammond. *annot. on. S. Matth. cap.* 26. *fol.* 130. De fine hujus ritus agit R. Abarbenel comment. in 1. Reg. 1. cujus verba hic inserere haud abs re erit. *Fuit unctio geminum ob usum & finem. Unus erat, ut esset signum divinæ electionis. Propterea enim, ut res aliqua, aut persona quam eligeret Deus, distingueretur a rebus aliis, & a fratribus suis, conveniens erat, ut fieret in ea quædam actio, qua distingueretur, & ea ipsa documento erat, electam esse. Atque idcirco ungebatur, ut illa unctio esset signum & indicium distinctionis ad exaltandum eum. Sic ergo & Regem, cujus electio juxta os Dei erat, decebat ungi*, ut sciremus eum electum esse. *Alter finis erat, ut disponeretur illud unctum ad accipiendum influxum divinum, & per hanc ipsam unctionem propius ei adesset providentia cœlestis. Annon enim vides, quod, ut in Mischna dicunt, super Pontifice maximo interrogante per Urim & Thummim, præsentia divina requieverit, locutusque ille sit per Spiritum Sanctum? Id quod similiter in regibus quoque videmus. Nam super Saulem, ut primum unctus esset, irruit Spiritus Dei, & prophetavit, & conversus est in virum alium, idque unctionis causa.* De oleo, quo inungebatur tractatum scripsit D. *Balthasar Scheidius Profess. Argentoratens.* quem vide, conf. Joh. Henr. Ursin. *arboret. bibl. cap.* 5. *pag. m.* 212. *seqq.* Notandus autem hic character unctionis, qui instar literæ O circa caput unguento illitus dicitur a *Guilielmo Schickard. cap.* 1. *Theor.* 4. משפט המלך *pag. m.* 75. ubi adducit Rabbinos sibi hac in re adstipulantes.

[4] *Præscripsit.*) Guilielm. Schickard. *cap.* 1. *de electione theor.* 1. inquit Dei mandatum esse; quod ex loco Deut. 17. 14. probare conatur. Adducit Rabbinos Bar Nachmon. *in desur. Rabba, parsch. Schophot. col. illius* 4. Mosche ben Maimon. *tom.* 2. *Halach. Malach. cap.* 1. *fol.* 759. Pergit hic autor *pag. m.* 3. Quamvis ita se hæc habeant, tamen non desunt inter Judæos, qui contradicunt, recensetque tres Rabbinos, *Bechai*, *Rabba Bar Nach*, & *Lev. ben Gerson*, qui rationes varias adducunt, quæ in notis Joh. Benedict. Carpzov. *ad prædict. lib. pag. m.* 3. leguntur. Omnes fere interpretes, cum Christiani tum Judæi, in conciliando hoc loco, in quo mandatum de rege eligendo contineri vulgo putant, cum illo altero 1. *Samuel.* 8. 5. *seqq.* in quo postulatio Regis reprehenditur, desudant, & varias conciliandi vias indagant, quos inter & R. Menass. Ben Israel. *in Conciliat. Deut. q.* 6. *pag.* 225. *seqq.* qui varias excogitavit conciliationes. Verum de his omnibus sæpe *laudatus* Joh. Benedict. Carpzov. *pag.* 5. *& seq. ad lib. dict.* ita ait: Ad duos fontes reduci possunt. Vel enim [1] in loco *Deut.* 17. 15. agnoscunt mandatum Dei, & hi in altero Samuelis loco Israelitas non ipsa Regis petitione, aut in jure petendi, sed in procedendi modo aberrasse contendunt. Vel (2) negant in priori loco contineri mandatum & hi facilius omnem Israelitarum conatum ipsamque petitionem peccati arguunt. Contra ostendit Abarbanel non contineri in his verbis mandatum, sed *prædictionem rei futuræ* in Scriptura nec vetitæ, nec mandatæ, Deumque in his, quæ rationem mandati habent, modum saltem definivisse illius, cujus aliquando cupiditatem Israelitas esse invasuram prævidit, conf. Dn. D. Calovius *in bibl. V. T. illustrat. ad loc. cit. Deut.*

[5] *Legibus scriptis solutum.*) *Cum Rex in terra* (inquit *Abarbanel*) *sit loco ipsius Dei Optimi Maximi, Regis totius mundi, propterea ei data est potestas absoluta ad puniendum etiam non juxta præscriptam legem, si quando necessitas adsit, & ad abrogandum legem universalem, perinde ut Deus Optimus Maximus, si necessitas postulat, impedit naturam, & facit mirabilia solus. Similiter enim Rex unus & solus est in Regno, sicuti unus & solus est Deus Optimus Maximus in mundo*, ad. Joh. Benedict. Carpzov. *ad* משפט המלך *& Wilhem. Schickard. cap.* 11. *theor.* 8. *pag. m.* 164. 165. Huc etiam pertinent verba *Salmasii in defensione Regia cap.* 5. Regum omnium, qui tunc nationibus imperabant, idem jus, eadem potestas fuit, in eo potissimum posita, ut *judicarent, & non judicarentur*. Aperte enim declarat propheta, Regem electum a populo, si in tyrannum degeneret, non nisi a solo Deo puniri posse, conf. Hulseman. *brev. Extens. cap.* 20. *de magist. polit.* §. 12. *p.* 411.

[6] *Osculatus.*) Varia sunt osculorum genera, quædam divina, quædam civilia. Hic quin civile intelligatur, nemo dubitat. Marc. Anton. Flamin. *in lib. Psalm.* 2. *pag. m.* 32. *edit. Lugd.* 1576. inquit: *Osculamini i. e. vestrum Regem agnoscite, illum summa pietate colite & veneramini: solemus enim osculandis principum manibus nostram erga eos observantiam testificari*, conf. Wollfang. Muscul. *comment. in Psalm.* 2. *David. fol. m.* 24. *edit. Basil.* 1573. Dieter. *antiquit. bibl. in Psalm.* 2. Petr. Galatin. *de arcan. cathol. verit.* Bartholom. Westhemer. *de tropis* S. Script. *pag. m.* 378. Osculo in potentibus utebantur, & de hoc honore accipio illud *Psalm.* 2. inquit *Johan. Drusius*. Favet huic sententiæ *Aben Ezra*, qui scribit hodie in India morem esse, ut subditi Regem deosculentur. Huc etiam spectat quod habetur 1. *Samuel.* 10. *Et os tuum osculabitur universus populus.*

[7] *Clamavit.*) Osculum sequitur applausus plebis. 1. *Reg.* 1. 39. *Acclamavit omnis populus* solemnem hanc formulam יחי המלך *Vivat Rex*. De hac congratulatione egit Joh. de Pineda, *lib.* 2. *de rebus Salomon. cap.* 6. *fol.* 91. 92. Joh. Steph. Menoch. *lib.* 1. *de Republ. Hebræorum cap.* 9. *q.* 8. *fol. m.* 61. 62. Quæ acclamatio in Oriente non solum, sed & in Occidente hodie in usu est. Solennis vero erat olim iis, qui Persarum Regem conveniebant, vid. Scheffer *not. ad Ælian. lib.* 1. *cap.* 1. Hinc Chaldæi apud Danielem Prophetam cap. 11. accersiti a Rege ut somnium ejus interpretarentur: *Rex* inquiunt, *in perpetuum vive*. Sic apud Curtium *lib.*

6. cap. 5. hæc leguntur : *Tu quidem Rex , Deos quæſo, perpetua felicitate floreas*. Cæterum Abulenſis *in 4. Reg. 9. q. 14. f.* 166. ſeptem ceremonias in Regum Hebræorum inauguratione ſervari ſolitas hoc ordine recenſet . *Prima* fuit ſolennis deductio ad fontem , vel arborem extra urbem : *ſecunda* , ipſa unctio : *tertia* , fauſta acclamatio *Vivat Rex : quarta* , collocatio in throno regio : *quinta*, traditio libri legis : *ſexta* , impoſitio diadematis ſeu coronatio : *ſeptima* , ſanctio fœderis cum Deo pariter & populo .

[8] *Solus* . Maimonides inquit : *Si quis in Regem Iſraelis contumax eſſet , Regi licuit eum morti tradere. Ut ſi decerneret Rex de quopiam , eundum ei ad locum talem , qui non iret , aut e domo ſua non exeundum illi erat , qui tamen exiret , inde mortis reus erat . Et pro arbitratu ſuo morte eum afficiebat Rex, ſecundum illud Joſ. cap.* 1. 18. vid. Joh. Selden. *lib.* 2. *cap.* 14. *De Synedr. Hebræor. pag. m.* 582. *ſeq.* Maimonid. *hal. Melakim. cap.* 3. *& More Nevoch. part. 3. cap.* 40.

[9] *Una cum ſenioribus* .) Scribit vir doctiſſimus Samuel Petitus *in diatrib. de Edict. Principum cap. 2. pag. 16. Princeps jus dicebat in iis qui ſuæ erant cognitionis , non ſolus , ſed una cum Senatoribus , ut ex Joſephi hiſtoria Archæolog. 4. cap. 8. conſtat. vid.* Johan. Selden. *lib. 3. cap. 9. de Synedr. Hebræor. Veter. pag. m.* 111.

[10] *Arbitratu & ductu* . Contradicit huic ſententiæ Seldenus *lib. 3. de Syned. Hebr. vater. cap.* 12. *pag.* 189. Schickard. *in lib.* משפט המלך *cap.* 5. *theor.* 17. *pag. m.* 313. Joſeph. Voiſin. *obſervat. ad pugion. fid. Raimund. Martini fol.* 268. Aſt clar. Joh. Friſchmuth. *in lib. de Rege eligendo & deponendo* eandem cum noſtro fovet ſententiam conſ. Carpzov. *in annotat. ad Schikardi jus Regium pag. m.* 313.

[11] *Procuratoribus Romanis* .) Græce *ἡγεμόνες* dicuntur , quod nonnulli per præſides explicant , verum minus recte ; Certum enim eſt Procuratores Cæſaris non minus *ἡγεμόνας* appellari , quam legatos vel præſides . Cujac. *l.* 19. *obſerv.* 13. & promiſcue Evangeliſtæ hoc vocabulo utuntur . Manet igitur firmum Pilatum Judææ Procuratorem , non Præſidem fuiſſe, vid. *Iſaac. Caſaubon. in not. ad Luc. cap. 3. v. 1. Hug. Grot. ibid. Abr. Scultet. Exercit. Evang. l. 1. cap. 14. Lipſ. annot. ad Tacit. pag. m.* 175. *Thomaſ. cap. 4. de officio Pilati* .

CAPUT QUARTUM.

De Principibus Judæorum, & Regibus ultimis.

ATQUE Ephraimitæ quidem numquam poſtea patrias ſedes repetiverunt, nec poteſtatem regiam receperunt . Judæi vero poſt ſeptuaginta ſervitutis annos permiſſu Cyri regis Perſarum domum ex Babylonica terra reverſi , Principatum , teſte Joſepho, ſuis pontificibus mandaverunt, cum reges primum Perſarum , deinde Ægyptiorum, tum Syrorum Judæam cum imperio obtinerent, ac tributa a Judæis exigerent. Tum exorta inter domeſticos de Pontificatu ipſo ſeditione , Antiocho Epiphani Syriæ regi, libertate ac religione orbati, per paucorum menſium ſpatium ſervierunt. Qua indignitate permoti Aſſamonæi , ex tribu Levi homines , rem Judæorum armis conſilioque recuperarunt, ac primum nomen ſibi Principis , deinde Regis aſciverunt . Principem vero cum dixerunt, belli ducem, & litium judicem intellexerunt, ſic enim ſcriptum eſt ſecundo primi Maccabæorum , cum ad Matthatiam Principatum detulerunt: *Tunc deſcenderunt multi quærentes judicium , & juſtitiam*, recte, cui enim poteſtas juſtitiæ ac judicii faciendi tribuitur, is Princeps, ſive Archon declaratur. Matthatiam inde Principem excepit Judas Maccabæus filius, qui Principatui pontificatum adjunxit, quem ſequutus eſt Jonathas frater, de quo ita ſcriptum eſt : *Nunc te hodie elegimus eſſe pro Juda nobis in principem, & ducem ad bellandum bellum noſtrum, & ſuſcepit Jonathas illo tempore principatum*. Inde Simon frater de quo ita : *Tu eſto dux noſter loco Judæ & Jonathæ fratris tui, pugna prælium noſtrum , & omnia quæcunque dixeris nobis, faciemus*. Item paullo poſt: *Judæi, & ſacerdotes eorum conſenſerunt, Simonem eſſe ducem ſuum, & pontificem in æternum , donec ſurgat propheta fidelis , & ut ſit ſuper eos dux, & ut cura ſit illi pro Sanctis ; & ut conſtitueret præpoſitos ſuper opera , & ſuper regionem, & ſuper arma, & ſuper præſidia, & ut audiatur ab omnibus ; & ſcribantur in nomine ejus omnes conſcriptiones in regione, & ut operiatur purpura , & auro , nec liceat ulli ex populo & ex ſacerdotibus irritum facere aliquid horum, & contradicere iis quæ ab eo dicuntur, aut convocare conventum in regione ſine ipſo, & veſtiri purpura, & uti fibula aurea , qui autem fecerit extra hæc , aut irritum fecerit aliquid horum, reus erit. Et complacuit omni populo ſtatuere Simonem, & facere ſecundum verba iſta. Et ſuſcepit Simon, & placuit ei , ut ſummo ſacerdotio fungeretur, & eſſet dux, & princeps gentis Judæorum, & ſacerdotum, & præeſſet omnibus, & ſcripturam iſtam dixerunt ponere in tabulis æneis , & ponere eas in peribolo Sanctorum, in loco celebri: exemplum autem eorum ponere in ærario , ut habeat Simon & filii ejus*. Demetrius inde rex Syriæ remiſit eis omnia tributa. Atque ita Judæi prorſus in antiquam ſub regibus ſuis libertatem ſunt vindicati , qua de re ſic in eodem libro: *Remittimus ignorantias & peccata uſque in hodiernum diem , & coronam quam de-*

debebatis, & siquid aliud erat tributarium: & sit inter nos pax. Inde sic infertur: *Anno centesimo septuagesimo ablatum est jugum gentium ab Israel, & cæpit populus Israel scribere in tabulis & actis publicis anno primo sub Simone pontifice, duce, & principe Judæorum*. Inde Antiochus Demetrii filius alia jura adjunxit, sic scribens: *Statuo tibi omnes oblationes quas remiserunt tibi ante me omnes reges, & quæcunque alia dona remiserunt. Etiam promitto tibi facere percussuram propriam numismatis in regione tua, Hierusalem autem sanctam esse, & liberam, & omnia arma quæ fabricata sunt, & præsidia quæ construxisti, quæ tenes, maneant tibi, & omne debitum regis, & quæ sunt futura regi, ex hoc etiam in totum tempus remittuntur tibi*.

Successit inde Simoni Joannes filius, & Joanni Aristobulus, qui, ut inquit Josephus, Principatum ad regiam dignitatem provexit, primusque sibi diadema imposuit, post CDLXXI. annos, & tres menses, ex quo captivitate Babylonica populus exemtus domum repetivit. Post Aristobulum inde frater ejus Alexander Janneus a Solina, sive Alexandra Aristobuli conjuge, quæ illi se connubio sociarat, evectus est. Quo vita functo, ipsa Alexandra regnum obtinuit, & post eam Hyrcanus filius, quem frater ejus Aristobulus expulit. Pompejus autem dux Romanus, cum bellum Mithridaticum gereret, Syria in potestatem redacta, atque Aristobulo rege capto, Judæam occupavit, & in provinciæ formam redegit, atque ei procuratorem Antipatrum Ascalonitam imposuit. Cum autem mox Antigonus Aristobuli filius urbe recepta regnum rursus invasisset, Romani adversus eum Herodem Antipatri filium regem appellaverunt, qui magnis rebus gestis decessit, ac regni partem filio reliquit Archelao. Hoc Herode regnante Jesus Christus jampridem a Deo promissus est natus. Archelao inde Viennam ob immodica imperia relegato, ab Augusto Imperatore Judæa iterum in provinciæ formam est adducta, & procuratoribus commissa. Quare mox Pontio Pilato procurante Christus est crucifixus. Inde Agrippa Herodes Aristobuli filius, Herodis N. a Claudio Imperatore rex Judææ appellatus est, quo mortuo tertium Judæa provinciali more a [1] procuratoribus Romanis administrata est, quo tempore imperante Vespasiano, & Gessio Floro procurante, urbs cum gente & templo deleta est. Nomina vero regum & principum hæc fuerunt.

REGES JUDÆ ET ISRAEL.

SAUL	rex prim. F. Cis ex tribu Benjamin, an. 20.
DAVID	Jesse F. ex tribu Juda, an. 40.
SALOMON	Davidis F. an. 40.

REGES JUDÆ EX FAMILIA DAVID.

ROBOAM	Salomonis F. an. 17.
ABIA	Roboami F. an. 3.
ASA	Abiæ F. an. 41.
JOSAPHAT	Asæ F. an. 25.
JORAM	Josaphat F. an. 8.
OCHOZIAS	Jorami F. an. 1.
ATHALIA	uxor Jorami, an. 7.
JOAS	Ochoziæ F. an. 40.
AMASIAS	Joæ F. an. 29.
AZARIAS	sive Ozias, Amasiæ F. an. 52.
JOATHAM	Azariæ F. an. 16.
ACHAS	Joathæ F. 16.
EZECHIAS	Achazis F. an. 29.
MANASSES	Ezechiæ F. an. 55.
AMMON	Manassis F. an. 2.
JOSIAS	Ammonis F. an. 31.
JOACHAZ	Josiæ F. mens. 3.
ELIACIM,	sive Joacim, Josiæ F. an. 11.
JOACHIM,	sive Jeconias, Joacim F. mens. 3.
SEDECIAS	Josiæ F. an. 11.

Transferuntur Judæi in Babyloniam, & post annos LXX. restituti parent pontificibus suis, inde Principatus Assamonæorum instituitur sub Antiocho Epiphane Syriæ rege.

PRINCIPES.

MATTHATIAS	Assamonæus an. 1.
JUDAS	Maccabæus Matthatiæ F. an. 4.
JONATHAS	Matthatiæ F. an. 18.
SIMON	Matthatiæ F. an. 8.
JOANNES	Hyrcanus Simonis F. an. 36.

REGES ITERUM.

ARISTOBULUS	Jo. Hyrcani F. se regem appellavit, an. 1.
ALEXANDER	Janneus Jo. Hyrcani F. an. 27.
SOLINA	seu Alexandra, uxor Alexandri, an. 9.
HYRCANUS	Alexandri F. mens. 3.
ARISTOBULUS	Alexandri F. pulsi Hyrcani F. an. 6.

JUDÆA SUB ROMANIS.

ANTIPATER	Ascalonita Judææ procurator, an. 3.

REGES TERTIUM.

ANTIGONUS	Aristobuli F. erepta urbe Romanis, ultimus ex Assomonæis, an. 3.
HERODES	Magnus Antipatri Ascalonitæ F. rex a Romanis contra Antigonum factus an. 37.

JESUS CHRISTUS NASCITUR.

ARCHELAUS	Herodis Magni F. rex Judææ, an. 9. Herodis Antipas frater Tetrarcha Galilææ, an. 34.

JUDÆA ITERUM SUB ROMANIS.

C. COPONIUS	procurator Judææ ab Augusto datus, an. 2.
M. AMBIVIUS	item an. 1.
ANNIUS RUFUS	item an. 1.
VALERIUS GRATUS	proc. a Tib. Imp. missus, an. 11.
PONTIUS PILATUS	item an. 10.

JESUS CHRISTUS PATITUR.

MARCELLUS	item. an. 3.

REGES QUARTUM.

AGRIPPA Herodes	Aristobuli F. Herodis Magni N. rex Judææ a Cajo Imp. factus, an. 10.

JUDÆA SUB ROMANIS TERTIUM.

CUSPIUS	Fadus proc. a Claudio Imp. missus, an. 3.
TIBERIUS	Alexander item an. 2.
CUMANUS	item an. 3.
ANTONIUS	Felix item an. 3.
PORCIUS	Festus a Nerone missus, an. 3.
ALBINUS	item an. 3.
GESSIUS	Florus item an. 3.

Urbs Hierusalem cum Templo a Tito Cæsare evertitur Imp. Vespasiano patre.

CAPUT QUINTUM.

De Principibus tribuum, seu Phylarchis.

SECUNDA Resp. principes tribuum & familiarum complexa est, de quibus deinceps differendum est. Principes autem tribuum fuere, qui singulas tribus duxerunt, earumque rationes administrarunt. Quare ut duodecim tribus, sic duodecim earum principes extiterunt, quibus nominatis Numerorum primo sic additur: *Hi sunt, quos numeraverunt Moyses, & Aaron, & duodecim principes Israel, singulos per domos cognationum suarum*; & quarto: *Recensuerunt Moyses, & Aaron, & principes synagogæ filiis Cahat*; & tertio decimo: *Egressi sunt Moyses, & Eleazar sacerdos, & omnes principes synagogæ*. Synagoga enim est universi populi concio & Josuæ XXII. *Miserunt ad filios Ruben & Gad, decem principes singulos de singulis tribubus*. Quoniam autem tribus φυλαὶ dictæ sunt, propterea Principes earum a LXX. interpretibus φύλαρχοι, ἀρχίφυλοι, ἄρχοντες, & ἀρχηγοὶ τῶν φυλῶν dicti sunt, atque iidem, etiam Principes Israel appellati. Nam VI. Numerorum, ubi Latina translatio habet, *Principes Israel*, Græca refert, *duodecim Principes Israel, Principes tribuum*. Unde Philo dixit in libro de profugis: *Principes generis duodecim sunt, qui Phylarchi dicuntur*. Licet autem XXVII. primi Paralip. duo principes nominentur tribus Manassis, & unus princeps tribus Levi, quibus adjunctis essent quatuordecim, rotundus tamen numerus magis celebratur, nempe duodecim.

Hi vero hæc consecuti jura sunt. Astitere lateribus regis, & cum eo sedentes partim consilia inierunt, partim jus singulis tribubus reddiderunt, & cum rege se obligarunt, si quid jurejurando publico sanciendum putarunt. De illis ad consilium adhibitis hæc sunt documento. Numerorum XXX. *Loquutus est Moyses ad principes tribuum filiorum Israel*; & quinto Deuteronomii: *Accessistis ad me omnes principes tribuum, & seniores*; & XXXI. *Advocate ad me phylarchos vestros, & seniores vestros*. Latinus autem minus apte: *Congregate ad me omnes majores natu per tribus vestras*; & XXIX. *Vos statis hodie cuncti coram Domino Deo vestro principes vestri, & tribus, & majores natu*: Græce ἀρχίφυλοι, & XXVIII. primi Paralip. *Congregavit David rex omnes principes Israel, duces tribuum*; & quinto secundi: *Convocavit Salomon rex omnes seniores Israel, & omnes principes tribuum*; & octavo tertii Regum: *Congregati sunt omnes seniores Israel cum principibus tribuum*. Huc autem allusit etiam David, cum de se rege creato loquens dixit: *Quis sicut Dominus Deus noster, qui in altis habitat, & humilia respicit in cœlo, & in terra: suscitans a terra inopem, & de stercore erigens pauperem, ut collocet eum cum principibus, cum principibus populi sui*: id est, sedere regem faciat inter duodecim principes tribuum illi assidentes. Sic enim Græce sonat.

De jure autem ab eis reddito hæc erunt testimonio. Psalm. CXXI. ubi agitur de Hierusalem, quæ restituta post cladem Babylonicam erat. *Illuc enim adscenderunt tribus, tribus Domini, testimonium Israel, ad confitendum nomini Domini, quia illic sederunt sedes in judicio: sedes super domum David*. Quo eodem allusit etiam Isaias tertio: *Sed jam stabit ad judicium Dominus, & sistet ad judicium populum suum, ipse Dominus ad judicium veniet, cum senioribus populi, & cum principibus ejus*; & XXXII. *Ecce rex justus regnabit, & principes cum judicio imperabunt*. Habuerunt autem singuli sedem suam, unde jus suæ quisque tribui dixit. Quod clarissime docuit Christus, cum huc intuens dixit, se, tanquam regem, in cœlesti throno majestatis sessurum, duodecim autem apostolos, tanquam duodecim phylarchos super sedes duodecim, ipsas duodecim tribus judicaturos, neque enim alio, quam ad veterem Hebræorum remp. respexit, quæ Davidis tempore floruit, sic autem dixit Matthæi XIX. *Amen dico vobis, quod vos qui sequuti estis me, in regeneratione, cum sederit filius hominis in sede majestatis suæ, sedebitis & vos super sedes duodecim judicantes duodecim tribus Israel*.

Locum autem his Judiciis tributum in templo a Salomone, apparet ex septimo tertii Regum, ubi scriptum est: *Porticum quoque fecit, in qua tribunal est, & domuncula, in qua sedebatur ad judicandum, erat in media porticu*. Græcus enim interpres habet pro tribunali thronos, id est sedes, & locum ipsum vocat κριτήριον, id est judicatorium.

De jurejurando porro liquet ex Josuæ nono decimo: *Josua fecit fœdus cum Gabaonitis*

nitis jurans, & ſimul principes ſynagogæ, id eſt populi. Ceterum decem tribubus ab ipſo reip. corpore avulſis, ac poſtmodum in Aſſyriæ regiones translatis, Judæi tamen ipſum duodecim principum tribuum numerum, ut etiam LXX. ſeniorum, retinuerunt. Oſtendit locus ſexto primi Eſdræ: *Judæi Babylone reverſi duodecim hircos ſacrificant pro peccatis totius Iſrael, juxta numerum tribuum Iſrael*; in ſeptimo vero tertii, ubi eadem res refertur, inquit: *Juxta numerum phylarchorum, id eſt principum tribuum Iſrael*; & ſequenti: *Et ſeparavi ex phylarchis, & ſacerdotibus duodecim viros*. Quare merito Chriſtus etiam dixit, *Apoſtolos, tanquam XII. phylarchos, duodecim tribus judicaturos*. Ut autem hi Principes Concilii participes eſſent, ſupra oſtenſum eſt.

CAPUT SEXTUM.

De Principibus familiarum, ſeu Patriarchis.

PRINCIPIBUS inde tribuum adhæſere Principes familiarum. Ut autem quinam hi ſint, cognoſcatur, prius, quæ familiæ dictæ ſint, cognoſcendum. Ut ergo populus Iſraelitarum in XII. tribus fuit diviſus, ſic ſingulæ tribus in multas familias, atque ut totus populus nomen accepit ab Iſraele, & ſingulæ tribus a filiis Iſraelis, ſic ſingulæ familiæ a nepotibus ejus. Has vero familias Latinus interpres nominibus diverſis expreſſit. Nam generationes, gentes, cognationes, domos, & familias vertit, pro quibus Græcus habet γενέσεις, συγγενείας, δήμους, οἴκους, & πατρίας ut primo Numerorum: *Capite ſummam congregationis filiorum Iſrael ſecundum cognationes eorum, & domos familiarum eorum. De Ruben per generationes, & familias, & domos ſuas, & nomina capitum ſingulorum numerati quadraginta ſex millia quingenti*. Nomina vero familiarum, quæ ex ſingulis filiis Iſraelis manarunt, hæc XXVI. Numerorum traduntur. Ex Ruben Henochitæ, Phalluitæ, Heſronitæ, Charmitæ. Ex Simeon Namuelitæ, Jaminitæ, Jachinitæ, Zareitæ, Saulitæ. Ex Gad Sephonitæ, Aggitæ, Sunitæ, Oznitæ, Heritæ, Aroditæ, Arielitæ. Ex Juda Selaitæ, Phareſitæ, Zareitæ, Heſronitæ, Hamulitæ. Ex Iſſachar Tholaitæ, Phuaitæ, Jaſubitæ, Semranitæ. Ex Zabulon Sareditæ, Elonitæ, Jalelitæ. Ex Manaſſe Machiritæ, Galaaditæ, Jezeritæ, Helecitæ, Aſrielitæ, Sechemitæ, Semidaitæ, Hepheritæ. Ex Ephraim Suthalaitæ, Becheritæ, Thehenitæ, Heranitæ. Ex Benjamin Belaitæ, Asbelitæ, Achiramitæ, Sophamitæ, Huphamitæ, Hereditæ, Nœmanitæ. Ex Dan Suhamitæ. Ex Aſer Jemnaitæ, Jeſſuitæ, Brieitæ, Heberitæ, Melchielitæ. Ex Nephtali Jeſielitæ, Gunitæ, Jeſeritæ, Sellemitæ. Ex Levi Gerſonitæ, Cahatitæ, Meraritæ. Hinc ſcriptum eſt VII. Joſuæ: *Congregamini omnes mane per gentes: & quamcunque tribum oſtenderit Dominus, producetis viritim. Et mane ſurrexit Joſua, produxitque populum per tribus ſuas, oſtenſaque eſt ei tribus Judæ; & productus eſt per cognationes Judas, oſtenſaque eſt ei cognatio Zaræ: & producta eſt cognatio Zaræ, & oſtenſa eſt familia Zabdi viritim*; & XIX. *Exiit ſors prima filiorum Benjamin per familias. Exiit ſors ſecunda filiorum Simeon per cognationes ſuas*; & XVII. Judicum: *Fuit adoleſcens in Bethleem Juda ex cognatione populi Judæ*; & X. primi Regum: *State coram Domino per tribus veſtras, & familias & produxit Samuel omnes tribus Iſrael, & exiit ſors Benjamin: & produxit tribum Benjamin, & cognationes ejus, & exiit cognatio Mattari, & pervenit uſque ad Saulem filium Cis*.

Hæ igitur ſunt familiæ Iſraelitarum, quæ in ſolitudine floruerunt, quarum aliæ poſtea interierunt, aliæ ſuccreverunt, ſiquidem inter alias in tribu Juda fuit familia David, quæ poſtea eſt exorta, unde ipſe dixit primo Paralip. XXVIII. *Deus de Juda elegit principes, porro de domo Juda domum patris mei*. Perierunt autem omnes ferme ex decem tribubus in Aſſyriaco exilio: conſervatæ autem ſunt reliquæ in Babylonico, unde regreſſæ domum, populum Judæorum reſtituerunt.

Hac diviſione ſic conſtituta, familias, ſivequo alio nomine voces, partes tribuum eſſe, ſequitur, ut, quemadmodum aliqui fuere principes tribuum, ſic quidam etiam extiterunt principes familiarum, qui item variis nominibus appellati ſunt δήμαρχοι, ἄρχοντες τῶν γενέσεων, ſive συγγενειῶν, πατριάρχαι, ἀρχιπατριῶται, ἄρχοντες τῶν πατριῶν, & τῶν οἴκων, id eſt principes populorum, generationum, cognationum, familiarum, & do-

& domorum, atque uno nomine [1] Patriarchæ. Horum vero etiam mentio frequentissima est; ut Numerorum primo. *Eruntque nobiscum principes tribuum ac domorum in cognationibus suis*; & VII. *Obtulerunt principes Israel, & capita familiarum quæ erant per singulas tribus, præfecti eorum qui numerati fuerunt*; & XXXVI. *Accesserunt principes familiarum Galaad, locutique sunt Moysi coram principibus Israel.* & Josuæ XIV. *Principes familiarum per tribus Israel.* & XIX. *Hæ sunt possessiones, quas sorte diviserunt principes familiarum, ac tribuum filiorum Israel in Silo.* & XXI. *Accesserunt principes familiarum Levi ad Eleazarum sacerdotem, & ad Josuam filium Nun, ad Duces cognationum per singulas tribus.* Græce ἀρχιπατριῶται, & ἀρχίφυλοι πατριῶν, & primo Paralipomenων XXIV. *Divisit filiis Eleazar principes per famlias sexdecim, & filiis Ithamar per familias & domos suas octo*; & VIII. loquens de Benjamitis: *Hi sunt patriarchæ, & cognationum principes, qui habitaverunt in Hierusalem.* Hactenus quæ fuerint familiæ, & qui principes familiarum, sit dictum.

[2] Officium vero eorum (nam hoc explicandum relinquitur) fuit, ut familias quibus præerant, convocarent, ad easque referrent, quæ ad remp. pertinerent, & duces earum in bello essent, præterea a regibus & ad consilia, & judicia peragenda adhibiti sunt. De relatione liquet ex eo, quod soli ex omnibus magistratibus in exilio Babylonico principatum suum aliqua ex parte retinuerunt, ut cum familiis quisque suis agerent, quæ e rep. essent. Quare cum populus fuit ex Babylonia reducendus, soli principes familiarum appellati, atque exciti per tribus dicuntur, quæ tres tantum erant, Juda, Benjamin, & Levi: ut in tertio Esdræ proditum est, ubi varie in Græca historia nominantur, nam cap. II. scribitur: *Archiphyli familiarum Judæ, & Benjamin, & sacerdotes, & Levitæ convocati sunt*; & V. *Electi sunt, ut adscenderent duces domorum familiarum secundum tribus suas.* Item: *Hæc nomina sunt eorum qui adscenderunt secundum familias suas ad principatum partis*, id est μεριδαρχίαν. Item: *Qui præsident in familiis.* Item: *Qui præcedunt in familiis suis.* Quam sententiam Latinus interpres non expressit, pro familiis pagos reddens, at vero VII. Nehemiæ scriptum est: *Et congregati sunt principes familiarum universi populi, sacerdotes, & Levitæ ad Esdram scribam, ut interpretaretur eis verba legis.* De ducatu militari apparet ex eo, quod, ut post dicetur, in exercitu tribuni militum fuere Patriarchæ. Principes autem familiarum ad consilia a regibus fuisse adhibitos, elicitur ex quinto secundi Paralipomenων, in quo scriptum est: *Convocavit Salomon rex omnes seniores Israel, & omnes principes tribuum, & præfectos familiarum filiorum Israel*; ad judicia vero ex capite XIX. *Josaphat rex constituit Levitas, & sacerdotes, & patriarchas ex Israel, ut judicium & caussam Domini judicarent.*

NOTÆ AD CAPUT SEXTUM.

[1] *Patriarchæ.*) Patriarcharum judaicorum non raro fit mentio *Cod. Theodos. de Judæis & Cælicolis, item quod Origen. Epiph. Cyrill. Theodoret. & Pallad.* Etenim distracti per varias Provincias Judæi, Alexandriæ & in Oriente quosdam sibi constituere præpositos sub Patriarcharum nomine, qui *spectabiles*, *clarissimi* & *illustres* ab Imperatoribus indigitabantur, & insignem dignitatem illam hæreditario jure ad posteros transmittebant, aurum coronarium per Apostolos suos exigentes.

[2] *Officium.*) Quod officium illorum concernit, disciplinæ & modestiæ curam gerebant, & quotidianis Judæorum actibus præerant: imo partem Synedrii Judaici constituebant. Neque etiam dubito quin conveniant cum iis, qui Proceres Judæorum vocantur *l.* 2. 8. 11. 13. 14. 15. 17. 22. *Codd. Theodos. de Jurisdict.* quia Principes a Judæis ipsis dicti בשיאים vib. *Origen. περὶ ἀρχῶν lib.* 4. *c.* 1. *Hieronim. lib.* 2. *Comment. in Esaiam.* At (1) observandum, non unius generis fuisse Patriarchas. Alii enim erant superiores, alii inferiores, quod diserte all. l. 13. demonstrat. Privilegia, inquit, his, qui Illustrium Patriarcharum ditioni subjecti sunt, Archi-Synagogis, Patriarchisque ac Presbyteris cæterisque, qui in ejus religionis Sacramento versantur, nutu nostri numinis perseverent ea, quæ venerandæ Christianæ legis primis Clericis sanctimonia deferuntur. Inferiores igitur Patriarchæ sub illustrium Patriarcharum ditione fuerunt, nempe Archy-Synagogis inferiores, Presbyteris superiores, (2) notandum iis Synagogas paruisse, constitutosque ab illis Primates legis Judaicæ. (3) Patriarchas assessores suos habuisse, quos Apostolos vocabant, ut docet *l.* 12. *Epiphan. in hæres. Ebionit.* 30. (4) Illos stato anni tempore a singulis Synagogis certam auri coronarii summam nomine anniversarii canonis exegisse. (5) Eos in sola Palæstina fuisse, non alibi in Oriente, multo minus in Occidente, quod tamen male a quibusdam statuitur. De juribus Patriarcharum agit *Petr. de Marca de concord. Sacerdot. & Imper. cap.* 3. *fol.* 11.

CAPUT SEPTIMUM.

De Principibus Civitatum, Tribunis, Centurionibus, Quinquagenariis, & Decanis.

TERTIA vero Resp. quæ singularum civitatum descriptionem continuit, proprios cujusque civitatis magistratus, sive principes habuit. Ut enim post tribus sequuntur familiæ, quæ partes earum fuerunt, sic familias excipiunt civitates, in quas partes familiarum conjectæ sunt, ut enim supra diximus, singulæ tribus multas nactæ sunt civitates, in quas ipsæ ejus tribus familiæ dispertitæ sunt. Civitatibus vero qui præfuerunt, ii principes civitatum vocati, ut nono Judicum, ubi de Ephraim urbe Sicima agitur: *Zebul princeps civitatis auditis sermonibus Galaad iratus est*; & mox: *Erat turris excelsa in media civitate, ad quam confugerunt simul viri, & mulieres, & omnes principes civitatis*; & vicesimo quarto: *Josua princeps civitatis*; id est unus ex principibus civitatis.

Hi vero Principes multi fuerunt, nempe [1] chiliarchi, hecatontarchi, pentecontarchi, & decadarchi, ad id instituti, ut consiliis judiciisque præessent. Quare aliquando Principes civitatum, aliquando Principes Judicum dicti sunt. Septenos autem in singulis civitatibus fuisse, Josephus adjecit. Chiliarchi porro fuere præfecti mille hominum, hecatontarchi centum, pentecontarchi quinquaginta, decadarchi decem: quos Latinus interpres more Romano vertit tribunos, & centuriones, quinquagenarios, & decanos.

Hos Moyses primùm instituit in Deserto, ac populo & judicibus præesse jussit primum consilio Jethro soceri sui, deinde etiam jussu Dei. Consilium datum est octavo decimo Exodi, repetitum vero a Moyse primo Deuteronomii, loco ante citato: *Dixi vobis illo tempore: Non possum sustinere negotia vestra, & pondus, & jurgia, date ex vobis ipsis viros sapientes, & gnaros, & prudentes in tribus vestras, ut ponam eos præesse vobis. Et respondistis mihi: Bona res est, quam facere vis, sumsique ex vobis viros sapientes, & gnaros, & prudentes, & constitui eos præesse super vos chiliarchos, & hecatontarchos, & pentecontarchos, & decadarchos, & grammatoisagogeos judicibus vestris*. Hæc nunc ex Græca versione expressa sunt: quæ aliquando clarior est quam Latina. Cum autem inquit: *Constitui præesse vobis chiliarchos, & hecatontarchos, pentecontarchos, & decadarchos*, unum principatum eorum in populum declaravit. Cum autem addidit, *& grammatoisagogeos judicibus vestris*, alterum principatum eorundem in judices indicavit. Ex quo efficitur, officium eorum fuisse duplex, unum, ut consiliis civitatum præessent; alterum, ut judiciis. Ceterum cum priore munere fungebantur, senatum convocabant ejus civitatis, in qua erant, eumque de rebus publicis consulebant; atque eatenus principes civitatum appellabantur: cum posteriore, ad aliquot eorum senatorum, tanquam ad legitimos judices caussas judicandas introducebant; atque eo tempore judicum Principes, & Grammatoisagogei, sive litium introductores nominabantur. Hanc vero doctrinam nobis præstantius Græca, quam Latina translatio, reddit. Quod ex utriusque collatione liquebit. De Principibus Judicum sic Exodi XIIX. *Moyses electis viris strenuis de cuncto Israel constituit eos principes populi, tribunos, & centuriones, & quinquagenarios, & decanos, qui judicarent plebem omni tempore*; & primo Paralip. XXIIX.: *Convocavit David omnes principes Israel, duces tribuum, & præpositos turmarum*. Græca autem plenius: *Convocavit omnes principes Israel, principes judicum, & tribuum, & omnes principes divisionum ephemeriarum*. De Grammatoisagogeis sic primo Deuteronomii: *Constitui principes tribunos, & centuriones, & quinquagenarios, & decanos, qui docerent vos singula*; & XVI. *Judices & magistros constitues tibi in omnibus civitatibus tuis*; & Deuteronomii XXIX.: *Vos statis hodie coram Domino Deo vestro, principes vestri, & tribus, ac majores natu, atque doctores*; & XXXI. *Congregate ad me omnes majores natu per tribus vestras, atque doctores*; & XXIII. Josuæ: *Vocavit omnem Israelem, majoresque natu, ac principes, duces, & magistros*; & XXIV.: *Vocavit majores natu, & principes, & duces, & magistros*. Hæc autem eadem in Græca translatione sic expressa sunt: *Constitui præesse grammatoisagogeos judicibus vestris*. Item: *Judices, & grammatoisagogeos constitues tibi in omnibus civitatibus tuis*. Item: *Vos stetistis hodie coram Domino Deo vestro, archiphyli vestri, & senatus vester, & judices vestri, & grammatoisagogei vestri*. Item: *Advo-*

Advocate ad me omnes phylarchos veſtros, & ſeniores veſtros, judices veſtros, & grammatoiſagogeos veſtros. Item: *Vocavit omnem Iſraelem, ſeniores, principes, & judices, & grammateos.* Item: *Vocavit ſeniores, & principes, & judices, & grammateos.* Ex quibus apparet, ſine dubio magiſtratum fuiſſe unum, qui [4] judicibus præpoſitus grammatoiſagogeus dictus fuerit. Qui vero hi γραμματοεισαγωγεῖς fuerint, adhuc parum compertum, ut video, fuit. Ceterum S. Auguſtinus in ſecundo Quæſtionum ſuper Exodum ſic ſcriptum reliquit: *Quos autem dicat γραμματοεισαγωγεῖς poſt decuriones, non facile ſciri poteſt, quoniam hoc nomen in nullo uſu habemus vel officiorum, vel magiſteriorum. Nam quidam doctores interpretati ſunt, ut intelligantur utique literati, qui introducant in literas, ſicut reſonat Græcum vocabulum. Hoc ſane ſignificatur, quod ante legem datam habuerunt Hebræi literas, quæ quando cæperint eſſe, neſcio, utrum valeat indagari, nonnullis enim videtur, a primis hominibus eas cœpiſſe, & perductas eſſe ad Noe, atque inde ad parentes Abrahæ, & inde ad populum Iſrael, ſed unde hoc probari poſſit, ignoro.* Et libro XIIX. cap. XXXIX. de civitate Dei: *Denique Moyſes in populo conſtituit, qui docendis literis præeſſent, priuſquam divinæ legis ullas literas noſſent. Hos appellat Scriptura grammatoiſagogeos, qui latine dici poſſunt literarum inductores, vel introductores, eo quod eas inducant, vel introducant quodammodo in corda diſcentium, vel potius in ipſos quos docent.* Ex his videtur S. Auguſtinus grammatoiſagogeos accepiſſe pro grammaticis, qui populum literas docuerint quo eodem alluſiſſe translatio antiqua videtur, cum vertit, *doctores, magiſtros, & qui docerent omnia.*

Quoniam vero hi non omni populo, ut ſentire videtur S. Auguſtinus, doctores conſtituti ſunt, ſed ex locis ſupra allatis judicibus tantummodo, propterea rectius grammatoiſagogei erunt doctores & magiſtri judicum. Quæ expoſitio ſi cui fortaſſe minus arriſerit, is paulliſper ab ea recedendo dicere poterit, grammatoiſagogeos fuiſſe, non qui literas judices docerent, ſed qui cauſſas ad eos introducerent, & principatum, ut diximus, in eos tenerent. Hoc autem innuere videtur lex Dei ſupra poſita: *Judices & grammatoiſagogeos conſtitues tibi in omnibus civitatibus tuis, & judicabunt populum juſto judicio.* Quam ſic explicuit Joſephus: *Imperent in ſingulis civitatibus ſeptem viri virtute & juſtitiæ ſtudio eminentes unicuique vero principi duo viri miniſtri dentur ex tribus Levi.* Item tertio Eſdræ: *Conſtitue judices, & præſides, qui judicent omni populo,* præſides, id eſt judicii moderatores.

Hi vero illa erant auctoritate ornati, ut cauſſas quæ ad ſe differrentur, recipere, & rejicere poſſent, & quas recepiſſent, ad Judices introducerent. Unde dixit Iſajas capite primo: *Principes omnes diligunt munera, ſequuntur retributiones, pupillos non judicant, & cauſſa viduæ non ingreditur ad illos.* Græce hoc quoque apertius, & aptius: *Et litem viduarum non accipiunt.* Hanc vero vocem LXX. interpretes ab Athenienſibus acceperunt, qui ſimiles magiſtratus habuerunt, quos εἰσαγωγεῖς τῶν γραφῶν appellarunt: prout nos latius in libris de Rep. Athenienſium ſcripſimus, ita ut quas illi γραφὰς vocant, hi γράμματα verterint. Fuere enim magiſtratus, qui cauſſas ſeu accuſationes ad judices ei judicio deſtinatos introduxerunt. Qua locutione uſus eſt etiam Cæſar libro primo Belli civilis. *Quaſcunque,* inquit, *controverſias inter ſe milites habuerunt, ſua ſponte ad Cæſarem introduxerunt.*

Quæ ſi ita ſunt, ſane ordo actionis, ut ſupra diximus, ſic conſtitutus fuiſſe videtur. Qui litem alicui intendere cupiebat, is adverſarium ad aliquem horum Principum adducebat, & quodammodo in jus rapiebat, qui ſi litem aut nomen recepiſſet, rem ad judicium introducebat. Judices vero cognita cauſſa aut abſolvebant reum, aut damnabant, damnatum autem [5] exactori tradebant, qui illum in carcerem conjiciebat, reus vero ibi manebat, donec ſolveret. Unde Chriſtus dixit XII. apud S. Lucam: *Cum vadis cum adverſario tuo ad Principem, in via da operam liberari ab illo, ne forte trahat te ad Judicem, & Judex tradat te exactori, & exactor mittat te in carcerem, unde non exibis, niſi ad unum quadrantem perſolveris.* Fuere ergo tribuni, centuriones, quinquagenarii, & decani magiſtratus, qui inter cetera ipſorum munera judicibus præpoſiti cauſſas ad eos introduxerunt, & fortaſſe etiam docuerunt; quod hodie quoque Venetiis faciunt, quos Advocatores Communis dicunt, unde ſcriptum eſt primo ſecundi Paralipomenwn *Præcepit Salomon univerſo Iſraeli, tribunis, & centurionibus, & judicibus.*

Tertium inde horum Principum munus fuit, ut a rege advocati cum eo & ceteris Principibus de rebus publicis conſultarent, & cum eodem quaſdam etiam cauſſas judicarent. De Conſiliis hæc teſtimonio ſunt, quæ ſupra in aliam ſententiam quoque proiata ſunt. Deuteronomii XXIX.: *Vos conſtitiſtis hodie cuncti coram Domino Deo, archiphyli veſtri, & ſenatus veſter, & judices veſtri, & grammatoiſagogei veſtri,* &

XXXI. *Advocate ad me phylarchos vestros, & grammatoisagogeos vestros*; & XIII. primi Paralip. *David de reducenda arca consilium cum tribunis, & centurionibus, & universis principibus iniit*; & XXXVIII. *Vocavit David omnes magistratus Israel, principes judicum, & tribuum*; & primo secundi: *Salomon advocavit inter ceteros principes tribunos ac centuriones iturus ad sacrificium faciendum*. De judiciis significatur XXIX. ejusdem libri Paralip. *Ezechias rex advocavit omnes principes Hierusalem, & adscendit in domum Domini*. Item apud Hieremiam XXXVI. *Cum Michæas detulisset ad Principes sedentes in domo regis ad Gazophylacium, se audisse Baruch legentem vaticinium Hieremiæ de excidio proximo urbis; principes Barucho accito mandarunt, ut librum legeret, quo audito obstupefacti ad regem Joacim accesserunt, remque totam exposuerunt; regique cupienti volumen illud exuri, aliquot e principibus restiterunt, sed nihil profecerunt*. Item XXXVII.*: Comprehendit Jerias Hieremiam, quasi fugeret ad Chaldæos, & adduxit ad Principes. Quamobrem cuncti principes Hieremiam cæsum miserunt in carcerem, deinde dixere regi: Rogamus, ut occidatur homo iste. Quibus Sedecias rex: Ecce in manibus vestris, nec enim fas est, regem vobis quidquam negare*; & XVIII. secundi Paralip. *Rex Achab misit Michæam ad Ammon principem civitatis, ut eum in carcerem traderet*; & XX. S. Lucæ: *Miserunt insidiatores, qui se justos simularent, ut caperent eum in sermone, & traderent eum principatui, & potestati præsidis*. Principatum enim cum dixit, magistratus Judæorum intellexit; cum præsidem, Romanum procuratorem.

Si ergo unus ex Principibus civitatis fuit Chiliarchus, id est princeps mille hominum, hinc declaratur locus insignis apud Michæam prophetam de Bethleem, ubi, & unde Christus erat oriturus, cap. V.. *Et tu Bethleem Ephrata parvulus es in millibus Judæ, ex te mihi egredietur, qui sit dominator in Israel*; apertius autem Græce*: Et tu Bethleem domus Ephrata parvulus es, ut sis in millibus Judæ, ex te mihi exibit, ut sit in principem Israelis*; hoc enim significat. Tu Bethleem, licet [6] parva urbs adeo sis, ut mille homines non habeas, & præfectum mille hominum, sive Chiliarchum creare non possis, tamen ex te exibit Christus archon, id est Princeps; non solum civitatis unius, sed etiam totius Israel.

NOTÆ AD CAPUT SEPTIMUM.

[1] *Chiliarchi &c.*) De quibus agit clar. Johan. Selden. *lib. 1. cap. 15. de Synedr. Hebræorum* & Hammond. *annot. in Luc. caput 22. fol. m. 261.* & *annot. in revelat.* Johan. *cap. 7. fol. m. 892. 893.*

[2] *Judicibus præpositus.*) *Sigonius* noster aliter hic illos locat, quam cæteri scriptores; & supra ipsos שפטים judices vocavit, ita ut non fuerint judicum ministri, sed horum & totius populi Principes, judiciorum Præsides imo illi ipsi, qui diverso respectu principatus, quem in populum habebant, appellabantur *Chiliarchi*, *hecatontarchi Deut. 1. v. 15.* respectu vero potestatis Judiciariæ שטרים, seu juxta translationem τῶν LXX. γραμματοεισαγωγεῖς τοῖς κριταῖς i. e. *Introductores litium seu causarum judicandarum vocabantur*. Hæc vox ab Atheniensibus, qui similes Magistratus habuerunt dictos Εἰσαγωγέας τῶν γραφῶν, desumta est. Officium eorum in Republ. Hebræorum triplex erat (1) in ordine ad populum scilicet præerant Conciliis Civitatum (2) in ordine ad judices præerant judiciis & causas ad judices introducebant. (3) in ordine ad Regem seu summum Principem. Ita *Sigonius* quem adeo in judicio שטרים abire a mente Josephi, nec velut ὁμόψηφον adjungendum ei esse patet. Imposuit *Sigonio* (quod mirum) translatio Græca *Deut. 1. 15.* quæ ibi vocem לשבטיכם i. e. per tribus vestras, unius literæ immutatione reddidit, ac si esset לשפטיכם i. e. τοῖς κριταῖς ὑμῶν, seu judicibus vestris: cumque ibi in fontibus tantum dicatur juxta singulas tribus fuisse שטרים electos, seu ex & in unaquaque tribu tales fuisse datos, tum interpretes Græci pro tribubus posuerunt judices, factum inde ut illi שטרים seu γραμματοεισαγωγεῖς fuerint præpositi ipsis שפטים, seu judicibus, velut superiores & Principes, æque ac illi ipsi Chiliarchi erant superiores cæteris Israelitis. Imposuit (2) *Sigonio* vulgatus Interpres ad eundem locum, juxta quem illi שטרים non habent peculiarem titulum & digaitatem a *Chiliarchis* & *Centurionibus* distinctam, sed sub his continentur. Oculatissimo etiam Grotio *in cap. 1. v. 15.* quædam ἀβλεψία hic offunditur; accusat ille quidem vulgatam versionem, quod non expresserit שטרים לשבטיכם, atque adeo in vulgatis desiderentur שטרים. At sane non desiderantur in vulgatis, sed cum superioribus confunduntur; quia שטרים alibi non semel nunc per *Magistros*, ut *Josu. 23. 2. 24. 1.* nunc per *Doctores*, ut *Deut. 29. 10.* exprimuntur.

[3] *Exactori tradunt.*) Quam odiosi fuerint Judæis publicani, qui pro bipedum nequissimis reputabantur, passim Evangelistæ docent. Maimon. *in* גזלה *cap. 5.* ait. Hominum de quibus præsumitur eos fures esse, præsumitur omnes eorum opes per rapinam congestas esse, opus suum totum esse opus rapacium, veluti publicanorum. Babyl. Sanhed. fol. 25. 2. inter eos qui nec ad judicandum idonei fuerunt, nec ad testimonium in judicio perhibendum, numerantur הגבאין והמוכסין *Exactores & Publicani*. Græcis vocantur exactores βάσανοι, inde forsan nostrum Germanicum ein *Fassan* deducitur, qui alibi dicuntur גבאין, solutionem accipientes ab homine sive volente, sivi invito, vid. Daniel. Heins. *exercit. sac. 13. fol. m. 62.* Hammond. vocat. *a keeper of a common gaol. in annot. ad Matth. cap. 18. m.* 93. Horum etiam meminit Wilhelm. Schickard. *in lib.* משפט המלך *cap. 4. theor. 14. pag. m. 241.* R. Mos. Kotzens. inquit: *Schophetim sunt judices decernentes judicium; at Schoterim sunt observatores populi, animadvertentes in eum ex illorum præscripto, baculo & loro.* Ita R. Jac. Abendana *in leket Schecha ad Michlat Jophi fol. 63. col. 2.* Sic R. Abarbanel. *comm. in leg. fol. 354. col. 4.* *Raschi*, Aben-Ezra. Unde & Scriptores inter illos Hebræo-Germanici ב״ טיל Beitel sive Bittel, Bedellos sive

Licto-

Lictores vertunt. Consentiunt e Christianorum Philologis Paul. Fag. *not. ad Targum*. *Num.* 11. 16. & *Deut. l.* 15. 15. *l.* 18. Sebast. Munster. ad *Deut.* 16. *fol.* 375. Nicol. Fuller. *lib.* 3. *Miscell. Sacr. cap.* 19. *pag.* 378. Johan. Selden. *lib.* 1. *de Syned. Hebræor. Vet. cap.* 13. *p.* 621. Joh. Lightfoot. *hor. Talmud. in Matt.* 5. 25. Daniel Fessel. *adverʃ. ʃacr. c.* 1. §. 9. *pag.* 12. Joh. Benedictus Carpzov. *in not. ad jus Reg. Schikardi pag.* 242.

[4] *Parva urbs*.) Quidam dubitant de hac phrasi οὐδαμῶς ἐλαχίςη εἶ, *Hebr.* צעיר להיות quod LXX. reddiderunt ὀλιγοστὸς εἶ, & Vulgatus, *Parvulus*. Sed Edward. Porok in miscell. suis vocabulum צעיר explicat plane contrario modo, & id usurpat pro *primario*. Ita Jerem. 48. 4. *Rabbi Tanchum*. צעירה reddit Principes & Gubernatores. Sic Paraphrasis Chaldaica סלטנהא *Sultanos*. Pari modo *Hebn. Jannahi*. conf. H. Hammond. *Annotations on S. Matthew. chap.* 2. *fol. m.* 11.

Quæ in sequentibus capitibus obscura occurrunt, ea in Jure Regio Schickardi cum notis Carpzovii bene illustrantur, quo benevolum lectorem remitto. Cæterum Colophonem his notis impono, & gratias Deo, quas possum maximas, ago pro viribus ad hunc laborem concessis, cui sit laus in seculorum secula.

CAPUT OCTAVUM.

De Scribis, id est Notariis.

JAM vero Scribas fuisse juris peritos, qui legem populo interpretarentur, Græce γραμματεῖς appellatos, supra scripsimus, cum de religione tractavimus. Nunc illud necessario addimus, scribas quoque fuisse homines, qui scriptum fecerunt ac scribendo operam magistratibus, populo, & senatui præstiterunt. Scriptum fecisse, docet Psalmus XLIV. *Lingua mea calamus scribæ velociter scribentis*. Et Hieremias XXXVI. ubi inquit, se dedisse prophetiam suam scribendam & recitandam Baruch scribæ, regem autem Joacim, ubi illam audivit, ipsam scalpello ipsius scribæ descidisse. Et VIII. ubi dixit: *Vere mendacium operatus est stylus scribarum mendax*. Num vero hi ex eorum quoque numero fuerint, qui legem interpretati sint, an aliud quoddam quasi corpus confecerint, parum compertum, illos certe publicos legis expositores fuisse, hos vero notarios quasi aliquos extitisse, apparet. Unusquisque vero cognitis scripturæ locis judicium suum adhibebit. Antiquissima porro scribarum memoria est Numerorum quintodecimo, dixit Deus ad Moysem: *Congrega mihi septuaginta viros de senioribus Israel, & scribas, & duces ad ostium Tabernaculi*. Altera Deuteronomii vicesimo: *Loquentur scribæ ad populum*; ubique Græce pro scribis est γραμματεῖς. An vero eodem modo dati sint populo, & senatui, & magistratibus, & an jus suggesserint, sive acta eorum in scripta literasque retulerint, non liquet, certe eis apparuisse, operamque commodasse suam videntur.

Ac primum quidem regem habuisse scribas, indicat Sarajas, qui fuit scriba regis Davidis, & Eliseph, & Abia, qui Salomonis, & Sobna, qui Ezechiæ, & XII. quarti Regum: *Cumque viderent nimiam pecuniam esse in gazophylacio, adscendebat scriba regis, & pontifex, effundebantque & numerabant pecuniam, quæ inveniebatur in domo Domini*. Item sæpe alias. Josephus quoque ostendit, Principibus tribuum affuisse scribas, cum inquit libro septimo Antiquitatum: *Joab præfectus Davidis regis descripturus numerum Hebræorum sumsit phylarchos, & scribas, & lustravit totum Israel*.

De Principibus vero civitatis idem testatur in recitanda lege, cum inquit: *Singulis Septem viris principibus civitatis adsint duo ministri ex tribu Levi*. Ministros enim nimirum intellexit duos scribas, qui acta referrent. Eos vero ex tribu Levi fuisse, ostendit etiam primus Paralipomenωn: ubi *monitores & scribæ ex tribu Levi* nominantur.

De scribis populi illa sunt argumento Deuteronomii vicesimo: *Loquentur scribæ ad populum*. Et Josuæ primo: *Præcepit Josua scribis populi, ut imperarent populo sibi præparare cibaria*. Item tertio: *Transierunt scribæ per castra, ut sequerentur Levitas portantes arcam*.

Fuis-

Fuisse autem qui populo ministrarint, & qui senatui, illud est documento, quod primo Paralipomenων vicesimo septimo scriptum est: *Tribuni*, *centuriones*, *&* *scribæ*, *qui ministrant populo*. Et Josephus libro v. belli nominat Aristæum, virum insignem, scribam Senatus. Et Hieremias LII. nominat de Hierusalem abductum *scribam*, *principem militum*, *qui probabat tyrones*. Græce τὸν γραμματέα τῶν δυνάμεων, τὸν γραμματεύοντα τῷ λαῷ πάσης τῆς γῆς, id est scribam copiarum, scriptum facientem populo totius terræ. Cæterum cum in Græca versione sit ubique vox γραμματεῖς, Latina tamen variat, ac *duces*, & *principes*, & *præcones*, vertit. Ex quo apparet, ne ipsi quidem interpreti satis constitisse, quid essent γραμματεῖς, neque ibi pro legis doctoribus accepisse. Fieri autem potuit, ut scriba idem qui scriptum faciebat, multis aliis officiis publicis inserviret.

CAPUT NONUM.

De re Bellica.

HACTENUS tradita sunt, quæ domi aut a populo, aut a Senatu, aut a Magistratibus peragenda fuerunt, nunc res postulare videtur, ut quæ foris, id est militiæ ratio rei gerendæ fuerit, exponamus, siquidem ut sacerdotes, & judices, sic etiam Imperatores partes præcipuæ sunt optimæ civitatis, ut Aristoteles litteris prodidit. Neque vero de hac re multa dicentur, quod sacræ litteræ non multa suppeditent, quæ dicantur. Primum autem quæ belli gerendi præcepta Deus reliquerit, deinde per quos res gesta sit, tum quæ bella ab Hebræis administrata sint, exequemur. De bello igitur gerendo sic Deus præcepit Deuteronomii xx. *Si exieris ad bellum contra hostes tuos, & videris equitatus, & currus, & majorem, quam tu habeas, adversarii exercitus multitudinem, non timebis eos, quia Dominus Deus tuus tecum est, qui eduxit te de terra Ægypti. Appropinquante autem jam prælio, stabit sacerdos ante aciem, & sic loquetur ad populum; Audi Israel, vos hodie contra inimicos vestros pugnam committitis, non pertimescat cor vestrum, nolite metuere, nolite cedere, nec formidetis eos: quia Dominus Deus vester in medio vestri est, & pro vobis contra adversarios dimicabit, ut eruat vos de periculo. Duces quoque per singulas turmas audiente exercitu proclamabunt: Quis est homo qui ædificavit domum novam & non dedicavit eam? vadat, & revertatur in domum suam, ne forte moriatur in bello, & alius dedicet. Quis est homo qui plantavit vineam, & nec dum fecit eam esse communem, de qua vesci omnibus liceat? vadat, & revertatur in domum suam, ne forte moriatur in bello, & alius homo ejus fungatur officio. Quis est homo qui despondit uxorem, & non accepit eam? vadat, & revertatur in domum suam, ne forte moriatur in bello: & alius homo accipiat eam. His dictis addent reliqua, & loquentur ad populum: Quis est homo formidolosus, & corde pavido? vadat, & revertatur in domum suam, ne pavere faciat corda fratrum suorum, sicut ipse timore perterritus est. Cumque siluerint duces exercitus, & finem loquendi fecerint, unusquisque suos ad bellandum cuneos præparabit. Si quando accesseris ad expugnandam civitatem, offeres ei primum pacem. Si receperit, & aperuerit tibi portas, cunctus populus qui in ea est, salvabitur, & serviet tibi sub tributo. Sin autem fœdus inire noluerit, & ceperit contra te bellum, oppugnabis eam. Cumque tradiderit Dominus Deus tuus illam in manu tua, percuties omne quod in ea generis masculini est, in ore gladii, absque mulieribus & infantibus, jumentis, & cæteris quæ in civitate sunt. Omnem prædam exercitui divides, & comedes de spoliis hostium tuorum, quæ Dominus Deus tuus dederit tibi. Sic facies cunctis civitatibus, quæ a te procul valde sunt, & non sunt de his urbibus quas in possessionem accepturus es. De his autem civitatibus quæ dabuntur tibi, nullum omnino permittes vivere, sed interficies in ore gladii, Hethæum videlicet, & Amorrhæum, & Chananæum, Pherezæum, & Hevæum, & Jebusæum, sicut præcepit tibi Dominus Deus tuus, ne forte doceant vos facere cunctas abominationes quas ipsi operati sunt Diis suis, & peccetis in Dominum Deum vestrum. Quando obsederis civitatem multo tempore, & munitionibus circumdederis, ut expugnes eam, non succides arbores, de quibus vesci potest, nec securibus per circuitum debes vastare regionem: quoniam lignum est, & non homo, nec potest bellantium contra te augere numerum, si quæ autem ligna non sunt pomifera, sed agrestia, & in cæteros*

apta

apta usus, succide, & instrue machinas, donec capias civitatem quæ contra te dimicat. *Ex his*, inquit Philo, *liquet Judæorum gentem amicam esse omnibus pacem amantibus, non contemnendam tamen, ut cui satis animorum sit ad repellendam injuriam, si quis ultro velit lacessere, discernit autem in bello, qui sibi infesti sunt, & qui non, nam cædibus sævire in immeritos, aut leviter noxios, immanis est ferocia, & iisdem cladibus mulieres cum viris involvere, tantus porro amor justitiæ est, ut ne agros quidem hostiles vastare liceat, & arbores cædere ad fructuum interitum.*

CAPUT DECIMUM.

De Principe militiæ.

INTER magistratus autem, qui operam rei militari dederunt primum locum tenuit Imperator, id est dux belli, is enim post regem summam in castris potestatem est nactus. Hic vero a Latino interprete Princeps militiæ dictus est, a Græco vero ἀρχιστρατηγὸς τῆς δυνάμεως, & ἄρχων πάντων ἀρχόντων τῆς δυνάμεως, id est primarius dux exercitus. Talis vero princeps principum omnium exercitus fuit Abner sub Saule rege, nam Regum secundo cap. II. *Abner filius Ner princeps exercitus Saul* dicitur. Et tertio, ὁ ἡγούμενος μέγας, id est dux magnus, a Davide appellatur. Talis sub Davide Joab, & Amasa, qui in eodem libro *principes militiæ Israel, & super omnem exercitum* fuisse dicuntur. De Joab sic XXIV. *David Joab principi militiæ mandavit, ut universum populum Hebræorum recenseret, & summam militum conciperet.* Ad Amasam vero XIX. dixit ita: *Hæc faciat mihi Deus, & hæc addat, si non magister militiæ fueris omni tempore.* Quin etiam XXIV. quarti scriptum est, Nabuzardan ducem Nabuchodonosoris transtulisse Babylonem Sopher principem exercitus, qui probabat tyrones de populo terræ. At Græcus habet, *scribam principis exercitus recensentem populum terræ.* Multum vero valuisse apud regem ipsum militiæ Principem, indicavit Helisæus, cum in quarto Regum Cap. quarto dixit ad viduam: *Habes negotium? vis ut loquar regi, aut Principi militiæ?*

CAPUT UNDECIMUM.

De Tribunis, & Centurionibus.

IMPERATORI porro paruere Chiliarchi, Hecatontarchi, Pentacontarchi, & Decadarchi. Hos vero instituit Moyses, ut præfecti essent mille hominibus, centum, quinquaginta, & decem: quos Latinus, ut dixi, interpres transtulit tribunos, centuriones, quinquagenarios, & decanos. Ex iis autem ferme fuere, qui principatum familiarum gesserunt, sic enim scriptum est primo Numerorum: *Phylarchi secundum familias suas sunt Chiliarchi Israel*, quasi vero dicat, ex eorum numero maxime evectos esse ad Chiliarchatum, qui in suis tribubus essent patriarchæ, neque enim omnes patriarchæ tribuni fuerunt. Chiliarchi vero dicuntur etiam ἄρχοντες, & ἀρχηγοὶ τῶν χιλιάδων, id est Principes chiliadum, ut XII. primi Paralipom. *Transfugerunt ad David de Manasse Eduas & Jezabud Principes chiliadum*; & XXIV. *David convocavit Principes chiliadum, ut arcam reduceret.* Chiliadis porro militaris mentio est in libro Judicum. Nam cum Gedeon vocatus esset ad Principatum, eum respuit dicens: *Chilias mea humilis est in Manasse, & ego in familia mea infirmus sum*,

item

item apud Michæam: *Et tu Bethleem parvulus es, ut sis in millibus*, id est ut Chiliadem, & Chiliarchum creare possis.

Centuriones autem, qui ἑκατόνταρχοι a Græco interprete versi sunt, iidem etiam ἄρχοντες τῶν ἑκατοντάδων, id est Principes Centuriarum vocati, ut XXVIII. secundi Paralipom. Ubi dicitur David convocasse Principes Chiliadum, & Centuriarum, id est Tribunos, & Centuriones. Tribunorum porro, & Centurionum belli caussa mentio fit sæpe: ut David exercitum contra Absalon filium emissurus XVIII. secundi Paralipom. considerato populo suo constituit super eos tribunos, & centuriones, & fecit tres partes populi sub tribus ducibus exercitus totius. Et quarto Regum XI. *Jojada ut Athaliam reginam opprimeret, centuriones accivit*, pro quibus in secundo Paralipom. XXIII. Principes familiarum advocati dicuntur. Et XXV. Amasias rex bellum moturus *congregavit Judam, & excitavit eos per domos familiarum suarum in tribunos, & centuriones in universo Juda, & Hierusalem, & numeravit eos a viginti annis, ut supra: & invenit eos, trecentas Chiliadas, qui exire ad bellum possent*. Et tertio primi Maccabæorum, Judas princeps bellum illaturus dicitur constituisse qui ducerent populum, tribunos, & centuriones. Atque hos quidem etiam ἄρχοντας τῆς δυνάμεως, & στρατηγούς, id est principes exercitus, aliquando scriptura vocavit; ut Numer. XXXI. *Iratus est Moyses principibus exercitus, tribunis, & centurionibus*, licet Græce non principibus, sed episcopis, id est inspectoribus, scriptum sit; Et XXIV. secundi Regum: *Egressusque est Joab, & Principes exercitus a facie regis, ut numerarent populum Israel*.

CAPUT DUODECIMUM.

De Quinquagenariis, & Decanis.

PENTECONTARCHI vero, & Decadarchi memoria usurpatur non solum in Exodo, ubi instituuntur a Moyse, sed etiam primo quarti Regum, cum inquit: *Ochoazias rex Judæ misit ad Heliam prophetam quinquagenarium principem cum quinquaginta militibus, inde alterum, inde tertium*. Item primo Maccabæorum: *Judas constituit super populo tribunos, centuriones, pentecontarchos, & decadarchos*.

Hi vero omnes pro arbitratu designabantur a rege. De principe militiæ liquet ex eo quod supra de Amasa scriptum est. De tribunis, & centurionibus illa sunt documento IIX. primi Regum: *Rex constituet sibi filios vestros tribunos, & centuriones*; & XXVIII. *Saul fecit sibi Davidem tribunum*; & XVIII. secundi: *David constituit super populo suo tribunos, & centuriones*; & post: *Stetit rex juxta portam, egrediebaturque populus per turmas suas centeni, & milleni*; & primo Paralipom. secundo: *David dixit: Qui percusserit Jebusæum, is erit mihi in principem & ducem*, Græce εἰς ἄρχοντα καὶ στρατηγόν, id est principem in civitate, & ducem in exercitu faciam; & XXV. secundi: *Amasias rex constituit Judæos per familias, tribunos, & centuriones*. Græce *excitavit per domos familiarum suarum in tribunos, & centuriones*. Ex quo apparet, non semper ex familiarum principibus tribunos esse delectos, sed ex familiis ipsis; & primo Maccabæorum tertio: *Judas constituit, qui ducerent populum, tribunos, centuriones, pentecontarchos, & decadarchos*.

CA-

CAPUT DECIMUMTERTIUM.

De Magistratu Templi.

Ex præfectis porro militaribus quidam fuere, qui Græce προστάται, & στρατηγοὶ τῦ ἱερῦ dicti, sunt, id est præsides templi, & præfecti exercitus templi. Hi vero præsidio templi præfuerunt, quod olim Judas Maccabæus imposuit, itemque turris Antoniæ, quam cum templo junctam illius posteri condiderunt. De præsidio Templi sic scriptum est primo Maccabæorum: *Judas ædificavit montem Sion, & per circuitum muros alios, & turres firmas, ne quando venirent gentes, & conculcarent eum, sicut ante fecerant, & collocavit illic exercitum, ut reservaret eum.* De Turri sic Josephus: *Principes Assamonæi turrim templo continentem præcipue communierunt, quam Barim dixerunt, atque ibi stolam pontificiam asservari jusserunt, quam turrim Herodes rex postea ad templi custodiam confirmavit, & in gratiam M. Antonii Triumviri amici sui Antoniam appellavit.* Habuisse autem Judæos ejusmodi custodiæ caussa milites, indicat etiam S. Matthæus XXVII. cum enim petissent Judæi a Pilato, ut juberet custodiri sepulchrum Christi usque in tertium diem; respondit Pilatus: *Habetis custodiam, ite, custodite, sicut scitis.* Huic vero præsidio præerat tribunus militum unus, aut fortasse etiam plures cum cohortibus suis, ut mox apparebit.

Præter milites vero qui templum custodiebant, erant quoque ministri, id est lictores, quos ad comprehendendos reos jussu Principum sacerdotum, & populi adhibebant. Quod si qui rei violati templi, aut contemtæ religionis, aut gravioris alicujus flagitii essent, aut eis opibus præditi, ut eos timerent; tum lictoribus custodes etiam milites adjungebant, lictores advocantes, ut manum injicerent, atque vincirent, milites, ut vim, sicunde forte ingrueret, propulsarent. Probantur hæc omnia historia Christi. Primum enim Judas proditor accessit ad Principes sacerdotum, & se, si sibi pretium darent, Christum illis proditurum esse, professus est: inde cum aliquot eorum adiit ad tribunum militum, & cohortem accepit, tum ministros sumsit, demum cum his omnibus contendit ad Christum capiendum. Loca Evangelii proferam, si lectorem ante monuero, Latinum interpretem στρατηγὸν magistratum videri parum apte vertisse; primum, quia militarem principatum non expressit, qui in voce στρατηγὸς continetur; deinde, quia confudit hunc cum principibus populi, qui post cum Senioribus eidem judicio affuerunt, & eodem Magistratus nomine afficiuntur, cum Græce non στρατηγοὶ, sed ἄρχοντες nominentur. Matthæus XXI. & Marcus X. V. *Abiit Judas ad Principes sacerdotum, & ait illis: Quid vultis mihi dare, & ego eum vobis tradam?* Lucas autem ipsis Principibus sacerdotum etiam Principes populi adjicit, quos interpres Magistratus appellat, inquiens: *Abiit Judas, & locutus est cum Principibus sacerdotum, & Magistratibus, quemadmodum illum traderet eis.* Joannes autem XVIII. *Judas, cum accepisset cohortem, & a Principibus sacerdotum, ac Pharisæis ministros venit illuc;* & mox: *Cohors autem, & Tribunus, & ministri Judæorum comprehenderunt Jesum, & ligaverunt eum.* Lucas XXII. *Dixit autem Jesus ad eos qui venerant ad se, Principes sacerdotum, & Magistratus templi, & Seniores.* Græce pro magistratus templi στρατηγὺς τῦ ἱερῦ. Ostendit item historia apostolorum, Actuum IV. *Loquentibus autem Apostolis ad populum, supervenerunt sacerdotes, magistratus templi* (id est στρατηγὸς τῦ ἱεροῦ) *& Sadducæi;* Et V. *Ut audierunt hos sermones Magistratus templi, & Principes sacerdotum, ambigebant de illis quidnam fieret, tunc abiit Magistratus cum ministris, & adduxit illos vi;* ex quibus liquet, Magistratus templi duces militares fuisse ad reos capiendos adhibitos. Atque hæc quidem mea est de Magistratu templi sententia: quæ si vera est, sequitur ut errent illi, qui his eisdem auctoritatibus fulti eos judices fuisse, qui in templo judicarent, asseruerunt.

CAPUT DECIMUMQUARTUM.

De bellis Judæorum.

His expositis sequitur, ut eorum etiam satisfaciam voluntati, qui bella ab Hebræis gesta summatim cognoscere cupiunt. Hæc vero in magna varietate versata sunt. Primum enim armis contendere Hebræi per Arabiam transeuntes duce Moyse cum ipsis Arabiæ incolis, antequam ad Jordanem transirent, ut cum Amalecitis, Arad rege Chananæorum, Seon rege Amorrhæorum, & Og rege Basan, cum Moabitis, & Madianitis. Deinde postquam Jordanem transierunt, Josue duce cum Amorrhæis, Chananæis, Gergesæis, Hettæis, Hevæis, Jebusæis, & Pheezæis, qui terram Chananæam, a Deo sibi promissam habitabant, eisque magna mole devictis eam in sortem conjecerunt. Divisa inde terra, ac sedibus in ea collocatis bella vicinorum diu passi sunt, regis Mesopotamiæ, Chananæorum, Madianitarum, Moabitarum, Ammonitarum, & Philistæorum, qui ultimi perpetui hostes fuerunt usque ad tempora Davidis, cum quinque urbes ad mare Syriacum obtinerent versus Ægyptum, Gazam, Ascalonem, Accaronem, Geth, & Azotum. Atque hæc ferme Judicibus rerum potientibus. Saul inde rex primus Naas regem Ammonitarum devicit, Philistæos fatigavit, & Agag regem Amalecitarum, licet longe positum, jussu Dei oppressit. Inde David certavit cum Isboseth filio Saulis rege a suis contra se acclamato, cum Jebusæis, quos urbe Hierusalem pepulit, cum Moabitis, & Ammonitis, cum filio Absolon, & Siba, quorum a se uterque defecerat, & quater cum Philistæis, quibus profligatis, ac Syria Damasci, & Idumæa ad regnum adjuncta, imperium ex omni parte pacatum filio Salomoni reliquit: sub quo pax solida fuit. Diviso inde post obitum ejus in duas partes regno, quarum una Judæ, altera Israel appellata est, utraque sæpe arma inter se civilia contulerunt. Externos vero hostes pertulerunt, eos reges, qui tum opibus excellebant, Ægypti, Assyriorum, Babyloniæ, ac Syriæ. Quibus cum resistere propter peccata non possent, Israelitæ demum, qui decem tribus obtinebant, ab Assyriis translati sunt Ninive, Judæi vero a Babyloniis Babylonem. Postquam autem Judæi concessu Cyri regis Persarum antiquum patriæ solum recuperarunt, primum Persis, deinde Macedonibus Alexandri Magni successoribus, Ægypti ac Syriæ regibus tributarii paruerunt, ad extremum ab Epiphane libertate ac religione multata, captis armis tamdiu reges ipsos Syriæ fatigarunt, donec libertatem integram receperunt. Tum vero subactis Idumæis, Samaritis, Ituræis, & Galaaditis, cum inter se contendere de regno cœpissent, arma contra se Romanorum traxerunt, tria vero præcipua ab eis bella perpessi sunt; unum Cn. Pompeii, qui urbem cepit: alterum C. Sosii, qui Aristobulo rege urbe pulso Herodem intulit; tertium Titi Cæsaris, a quo urbs eversa, gensque ita deleta est.

Ex quibus intelligi potest, & ducibus, & scientia militari opus Judæis fuisse, ut tantam molem, varietatem, ac perpetuitatem bellorum egregie sustinerent. Bellis vero alienis Judæi non affuerunt, nec gentium stipendia meruerunt, aut suis eas stipendiis asciverunt, quia quocunque modo commercium cum gentibus habere prohibiti lege sunt. Itaque Tiberius Cæsar, ut eos sibi militare propter patriæ legis custodiam abnuere vidit, summis tormentis affecit, ut Josephus XVIII. libro mandavit.

CAPUT DECIMUMQUARTUM.

De statu Judæorum extremo.

His explicitis, nunc quæ de statu Judæorum extremo Philo scriptum reliquerit, addam, atque hac quoque parte illustrata huic commentario finem imponam. In primis ergo quanta per omnes terras imperante Cajo Judæorum esset diffusa multitudo, docuit in libro de legatione ad Cajum: *Populosa*, inquit, *est Judæorum natio*,

tio, non, ut alia, comprehensa unius regionis spatio, sed totum pene orbem passim incolens, diffusa est enim per continentis provincias omnes, atque insulas, adeo ut non multo pauciores sint indigenis, absque eo quod ipsam Judæam innumera multitudo incolit, Babylon etiam, & multæ aliæ satrapiæ ab eis tenentur, qui singulis annis sacram pecuniam mittunt in templum primitiarum nomine, quanquam per vias difficiles. Adjicit inde de coloniis a Judæis in varias regiones deductis, hoc modo: *Sancta civitas metropolis est non unius regionis Judææ, sed & multorum propter colonias inde olim deductas vel propius in finitimam Ægyptum, Phœnicem, Syriam tum ceteram, tum eam quæ Cœle dicitur, vel longius in Pamphyliam, Ciliciam, plerasque Asiæ partes usque in Bithyniam, & Ponti sinus intimos, pari modo in Europæ Thessaliam, Bœotiam, Macedoniam, Ætoliam, Atticam, Argos Corinthumque Peloponnesi partes præcipuas; nec tantum continentis provinciæ plenæ sunt coloniis Judaicis, sed & insularum celeberrimæ, Eubœa, Cyprus, Creta, ne quid dicam de Transeuphratensibus, excepta enim parva parte Babylonis, & aliarum præfecturarum, omnes urbes quæ bonum agrum habent, a Judæis incoluntur.* Inde de Templi majestate sic intulit: *Templum jam inde ab initio nullam admisit manu factam effigiem, cum sit Dei domicilium, pictorum enim atque statuariorum opera sunt sensibilium Deorum imagines, illum autem invisibilem pingere, aut fingere, nefas duxerunt nostri majores. Agrippa illud invisit, & honoravit. Augustus per literas jussit, undecunque illuc mitti primitias; instituto ibi etiam quotidiano sacrificio. Non Græcus, non barbarus, non rex, satrapave ullus vel infensissimus, non seditio, non bellum, non captivitas, non vastatio, non alia res ulla tantam cladem intulit, ut contra veterem morem effigies manufacta in id importaretur, quamvis enim infensos haberet accolas, semper tamen sua religione tutum fuit, ut sacratum conditori, patrique rerum omnium, sciebant enim violationem ejus expiatam sæpe gravissimis calamitatibus.* Postremo subjicit & de synagogis hoc modo: *Augustus, cognito, quod negligerentur sacræ primitiæ, per literas mandavit provinciarum Asiæ procuratoribus, ut sinerent Judæos solos in synagogis cœtus facere, non enim hoc esse Bacchanalia, vel seditiosorum conventicula turbandæ pacis caussa, sed scholas justitiæ, temperantiæque, in quibus studium virtutis floreat; primitias vero quotannis conferri, unde fiant sacrificia, missa in hoc sacra legatione ad templum Hierosolyma, deinde edixit, ne quis sit impedimento Judæis cœtus, collectasve facientibus, aut Hierosolyma eas mittentibus more patrio.* Ut autem Judæi ritus patrios coluerint, idem etiam non dissimulat, inquiens: *Omnes gentes libenter servant ritus patrios, sed Judæi præ ceteris. Cum enim leges suas credant oraculis proditas, easque discant a pueritia, in animis circumferunt harum expressas imagines, & semper intuendo admirantur, ut honestissimas, alienigenas quoque harum observatores amplectuntur pro suis civibus, osores autem earum, aut vituperatores habent pro hostibus; & in tantum abhorrent a quavis re suis legibus vetita, ut omnibus fortunis, felicitatibusque humanis ad prævaricationem adduci nequeant, sed nihil religiosius; quam templum, colunt, vel hoc argumento, quod certissima mors proponitur ultra septum interius penetrantibus, nam intra exterius recipiunt undecunque venientes suæ gentis homines.* Hinc Rutilius in Judæos post Titi victoriam ubique dispersos scripsit:

Atque utinam nunquam Judæa subacta fuisset
Pompeii bellis, imperioque Titi!
Latius excisæ pestis contagia serpunt,
Victoresque suos natio victa premit.

ATQUE hæc quidem de rep. Hebræorum invenimus, quæ quam planissime ac distinctissime potuimus, explicuimus. Quibus diligenter mente ac ratione perceptis, si quis iterum se ad sacra volumina perlustranda contulerit, næ ille multo clarius multa ante tetra caligine mersa perspexerit, ac liquidiore illius doctrinæ haustu conceptam visceribus cœlestis scientiæ sitim sedarit. Ceterum si in his opportuna sacrarum literarum auctoritate firmandis paucis fortasse in locis Græcam interpretationem attulimus, aut aliquid ex tertio Esdræ libro testimonium depromsimus, id nobis censemus vitio verti non oportere, sic enim fecimus cum ob nimiam rerum quas tractabamus, obscuritatem, quæ plane alia dilucidari ratione non poterat, illustrandam, tum propter sanctorum patrum auctoritatem, qui septuaginta interpretes adhibuere, prodendam, & quidem cum non de dogmate ullo, sed de sola antiquitate disputaremus, quin etiam in veteribus institutis ac moribus declarandis lucem nos ex antiquissimo quoque monumento posse petere, judicavimus, quo consilio Philonis etiam, & Josephi, doctissimorum virorum, fidem sæpissime imploravimus, ut a qui-

bus multa eaque insignia priscæ memoriæ præsidia ac supplementa sanctos quoque patres cognovimus accepisse. Sed hæc, & ejusmodi alia utcunque animadversa prorsus exactæ Ecclesiæ censuræ judicioque remittimus. Illud quidem certe non dubitamus, quin ut multi plura desideraturi sint: qui semel ad tantas admissi epulas haud plane saturati discesserint, meliora vero parituri, qui his quæstionibus excitati præclara sua ingenia ad ejusmodi generis alia indaganda contulerint; sic multo felicius arcana, quæ his continentur, mysteria venaturi sint, qui faces ejusmodi secum ad abditas eorum latebras perscrutandas prætulerint. Mysteria vero intelligo, cœlestem vitam, atque æternam, quam S. Augustinus hac prænotatam rep. docuit, asserens populum Hebræum in unam esse remp. congregatum, quæ æternæ vitæ ageret sacramentum, omnes enim, inquit, prophetiæ, omnia præcepta vitæ, sacra demum sacerdotia, cæremoniæ, dies festi, significata, & prænuntiata sunt, quæ propter æternam vitam fidelium in Christo & impleta credimus, & impleri cernimus, & implenda confidimus. Utinam autem Deus ipse pro sua incredibili misericordia faxit, ut quam nos civitatem vivi descripsimus in terris, ejus post mortem conspectu confruamur in cœlis, ut læti ob ea quæ nobis dicta sunt, fore, ut in domum Domini veniremus, vere tandem dicere cum propheta possimus. *Sicut audivimus, sic vidimus in civitate Domini virtutum, in civitate Dei nostri. Beati, qui habitant in domo tua in secula seculorum laudabunt te.*



JOHAN-



JOHANNIS BUXTORFII PRÆFATIO

Ad Christianum Lectorem.

SUMMUM illud ingrati, inobsequentis, & obstinati animi vitium, quo semper Judaica gens laboravit, & cujus caussa a Mose, aliisque Prophetis graviter incusatur, non immerito, Christiane Lector, in mentem revocandum est, & diligenti ac seria meditatione perpendendum. Nec minus considerandæ veniunt horrendæ minæ & execrationes, in quas justo DEI judicio incursuri erant, nisi ex mandatorum ejus præscripto viverent, ut hac ratione, DEI misericordiam & beneficia grato admittenda esse animo, moneamur, nec turpissimo hoc ingrati animi vitio, DEI beneficiis nos indignos non solum præbeamus, sed etiam omnino privemus.

De ingratæ hujus gentis vitio, ita Moses ab initio prædixerat: *Et pinguis factus Jeschurum calcitravit: sane crassus factus es, obesus & adipe obductus dereliquit Deum factorem suum, & flocci fecit petram salutis suæ.* (*Deuter.* 32. 15.) Prophetarum more ita loquitur Moses, quasi id jam tunc temporis contigisset, etiamsi id demum, ubi a Josua in terram promissam sunt introducti, contigerit, quemadmodum id Prophetæ, & inter cæteros Hoseas, iisdem pene verbis testantur. (*Hos.* 13.)

Rebelles autem & inobsequentes illos fuisse, Deus per prophetam Jeremiam in hunc modum arguit: *Relapsi sunt ad iniquitates patrum suorum, qui renuerunt audire verba mea, & sectati sunt Deos alienos, ut servirent illis: sic domus Israel, & domus Juda, irritum semper fecerunt fœdus meum.* (*Jerem.* 11. 10.)

De illorum pertinacia & obstinatione, DEUS iterum ita conquestus est; *Sane ab eo die, quo egressi sunt patres vestri de terra Ægypti, ad hunc usque diem, continue ad vos misi omnes servos meos prophetas,* (*Jerem.* 7. 25.)

sed

ſed non audierunt me , neque inclinarunt aurem ſuam ; quin potius indurarunt cervicem ſuam , deteriores patribus ſuis facti .

Tandem vero ita refractarii evaſerunt , ut nullis omnino prophetis, qui eos ad pœnitentiam hortarentur, & peccatorum ſuorum redarguerent, amplius auſcultare vellent; quin potius eos perſequebantur, jugulabant, lapidibus obruebant, & interficiebant, ut apud Eſdram libro ſecundo ſcriptum eſt : *Illi autem rebelles facti, defecerunt a te , & abjecerunt Legem tuam poſt tergum ſuum, & occiderunt prophetas tuos, qui eos conteſtantes, conabantur ad te reducere : in ſumma, inſigniter te irritarunt* . Et apud Prophetam Jeremiam : *Omnes vos eſtis prævaricati in me , fruſtra percuſſi filios veſtros : diſciplinam ſiquidem non recipiunt, gladius veſter devoravit prophetas veſtros, ſicut Leo vaſtans.*

Nehem. 9. 25.

Jerem. 2. 30.

Quum igitur nulla emendationis ſpes amplius ſupereſſet, in pœnas, quas Moſes ſpiritu divino comminatus erat, tandem inciderunt. A Deo etenim & corpore , & fortunis graviter ſunt puniti ; peſtilentia, bello, annonæ caritate, fame, tempeſtatibus, morbis, internis diſſidiis & diſcordia ; denique etiam ex patria ſua, ex patria, inquam, quæ tota lacte & melle fluebat, expulſi, & in captivitatem abducti. Et primo quidem, ut in ſecundo libro Regum eſt legere, decem tribus Iſraelis cum Rege ſuo Hoſea , a Salmanaſſare , Aſſyriorum Rege, ex Chananæa in Aſſyriam ſunt tranſportatæ, paulo poſt reliquæ quoque duæ tribus Juda & Benjamin, quum poſt multas & varias Dei admonitiones reſipiſcere nollent , a Deo in manum Nabucadnetſaris regis Babel ſunt traditi, & in Babiloniam abducti Hieroſolyma deſtructa , & ſolo æquata, templum incendio abſumtum , uti iterum eodem libro legitur. Nihilominus tamen duæ iſtæ tribus, poſt annos ſeptuaginta , ex Babylonia ſunt liberatæ , & Hieroſolymam reductæ , quia tribum Judæ tamdiu conſervare voluit Deus , donec , juxta promiſſionem, Meſſias ex ea, & quidem in terra promiſſa, naſceretur. Sed nec hæ duæ tribus poſtea meliores factæ ſunt, nec a priſtino ingenio receſſerunt , ſed potius patrum ſuorum veſtigiis inhæſerunt , uti Prophetæ poſteriores, Haggæus, Zacharias, & Malachias de illis ſunt conqueſti ; Malachias præſertim , Sacerdotes impietatis accuſans , & extremam reprobationem populo denuntians.

2. Reg. 17.

2. Reg. 25.

His vero omnibus Judæi non ſolum corpore & fortunis , ſed & mente ſunt multati ; delirio ſcilicet , cæcitate & amentia , ita ut in meridie palpaverint , non ſecus atque oculis captus in tenebris palpare ſolet, quemadmodum Moſes illis minatus erat . Hinc factum eſt , *ut in Dei verbo cæcutierint* , uti de illis conqueritur Eſaias : *& ſapientiæ ſuæ ac humanæ prudentiæ ſint innixi, Deique mandatis prætermiſſis , ſibi novas doctrinas , leges , & ſtatuta conſtituerint, & ex legum illarum potius quam ex Dei præſcripto , vixerint* ; ut rurſus conqueritur Eſaias ; *nihilque recti amplius vel docuerint , vel cognoverint , ſiquidem Dei verbum repudiaverant* ; ut legere eſt apud Jeremiam . Sed quum tandem nullos quoque Prophetas amplius ad

Deut. 28.

Eſa. 42.

Eſa. 29.

Jerem. 8.

eos Deus mitteret, & Prophetiæ inter illos omnino ceſſarent, tunc indemum in ſenſum omnino reprobum, & horrendam cæcitatem inciderunt, atque a Dei mandatis plane receſſerunt, fideique ſuæ fundamentum non amplius in Dei verbo, ſed in Scribarum & Rabbinorum ſuorum doctrina, conſtitutionibus, & verbi divini expoſitionibus, poſuerunt, Verbumque Dei in meras fabulas immutarunt, turpiſſime illud contra omnem ſenſum detorquentes, & falſiſſime exponentes. In hæc aſperrime Chriſtus invectus eſt, & novarum illarum conſtitutionum cauſſa graviter eos vituperavit. Apoſtolus Paulus autem doctrinam de fide Judæorum βεβήλυς καὶ γραώδεις μύθυς, *prophanas & aniles fabulas &* ματαιολογίαν, id eſt, *inutilem garrulitatem* appellat: Judæos vero ipſos, in Epiſtola ad Titum, Ματαιολόγυς καὶ φρεναπάτας, ὅι τινες ὅικυς ἀνατρέπυσι, διδάσκοντες ἃ μὴ δεῖ, *vaniloquos, deceptores, qui totas domos ſubeverterunt, docentes quæ non oportet*. Titum etiam admonet, ut Cretenſes hortetur, ἵνα ὑγιαίνωσι ἐν τῇ πίςει μὴ προσέχοντες Ἰυδαϊκοῖς μύθοις, *ut ſani ſint in fide, non attendendo Judaicis fabulis, & hominum mandatis*.

1. Tim. 1. 4. 6.

Tit. I. 10.

Ut autem nobis Chriſtianis aliquando tandem notum & compertum fiat, an Judæi adeo ſancte ſeſe gerant, & tam arcte, tantoque cum zelo, ut videri volunt, Legi Moſis adhæreant, &, an illi ſoli ſint gens intelligens, ſancta, pura, & recta, veruſque Dei populus, uti ſpeciem præ ſe ferunt, & haberi affectant, in animum induxi, fidem & religionem illorum, *Judaicis fabulis*, ut Beati Apoſtoli loquuntur, refertam & ſcatentem, ob oculos omnium proponere; omnemque Judaicam vivendi & negotiandi rationem, ex ipſorum libris veriſſime, & ex ipſis fundamentis, exponere inſtitui. Idque *primo* & præcipue eam ob cauſam, ut hac Judæorum incredibilitate, ſtupiditate & induratione, nobis terribilem illam, quam ſibi contraxerunt, Dei iram & ſeveritatem, in animum revocemus, & hac ratione ad ſeriam, immenſæ Dei bonitatis & Miſericordiæ erga nos, conſiderationem, & debitam gratiarum actionem adducamur, ne a nobis quoque lumen veritatis cognitæ auferatur, ſi nos ingratos præſtiterimus, & ne in priſtinas tenebras, in quibus jacebamus, antequam nos Deus ſingulari miſericordia ad ſalutarem verbi ſui cognitionem appellaſſet, abjiciamur. *Secundo*, ut obſtinati & cæci Judæi in ſeipſos deſcendant, & tandem aliquando graviſſimam ſuam incredulitatem agnoſcere diſcant; ut eos ſtupiditatis plus quam pecuinæ, (quam in Scripturarum intelligentia oſtendunt) aniliumque illarum fabularum (quibus ut plurimum ſacrilege & contumelioſe Deus traducitur, & ſalutare illius verbum contra omnem humanam rationem, blaſpheme detorquetur) pudeat; inque totius orbis conſpectu, quod tam impudenter & ſtolide de Deo omnipotente, & ſalutari illius verbo loquantur & ſcribant, confundantur; ut denique expendere incipiant, quam graviter ad *Lapidem offendiculi, qui poſitus eſt in Tzion* & ad *Petram ſcandali*, impegerint; adeo ut inde penitus corruerint, contriti, irretiti,

& ca-

& capti ſint; Deuſque alti ſoporis ſpiritum illis miſcuerit, oculos eorum obſtruxerit, omnes Prophetæ, totaque Scriptura illis inſtar libri obſignati facta fuerit, *ſapientia a ſapientibus eorum perierit, & intelligentia prudentium evanuerit*, quemadmodum Eſaias iis prædixerat. DEUS autem miſericors eorum miſereatur, eoſque convertat; nos vero in vera ſui cognitione confirmet ac ſtabiliat, utpote per quam vitam æternam aſſequi ſperamus, uti Dominus noſter JESUS CHRISTUS ipſe pollicitus eſt, dicens: *Hæc eſt vita æterna, ut te ſolum verum Deum, & eum quem miſiſti Jeſum Chriſtum agnoſcant*. Illi ſi laus & gloria. Amen.

Eſa. 29.

Joh. 17. 3.





JOHANNIS BUXTORFII FILII PRÆFATIO

Priori Editioni præfixa.

LECTORI BENEVOLO

Salutem.



TRIGINTA ſeptem ſunt anni, quando *Synagogam* ſuam *Judaicam* de Judæorum Fide, Vita, Ritibus, Cæremoniis &c. in lucem primam edidit Pater meus JOHANNES BUXTORFIUS, ראשית אונו וראשית בכורי ארמתו *primum ingenii ſui fœtum publicum, & primitias profeſſionis ſuæ*; Idque eo fine, quem ipſe in Præfatione ſua expoſuit; & lingua Germanica, quod indoctis potius, quam doctis, hæc proponere & voluiſſet & e re duxiſſet, nec ullas ulteriores famæ aut gloriæ inde acquirendæ cogitationes animo concepiſſet, memor ſemper illius Sapientum Hebræorum dicti, נגד שמיה אבד שמיה. *Qui extendere cupit nomen ſuum, perdit ſæpe nomen ſuum.* Accidit autem, ut, inſcio & inconſulto ipſo, ſequenti ſtatim Anno 1604. in linguam latinam verteretur ſimul & ederetur Hanoviæ, opera & ſtudio Hermanni Germbergii, Scholæ, ni fallor, poſtea Corbacenſis Correctoris; affectu quidem optimo, ſed conſilio imprudentiori & effectu nonnihil diſpari, quod verſionem illam ſuam prius cum Authore non communicarit, ut ea quæ vel diſplicerent, vel ad mentem & lubitum ejus ſatis expreſſa non eſſent, emendari ab eo potuiſſent. Adeo ut verum ſemper ſit illud Hebræorum dictum, ההריסה בעניין רוא עון פלילי וסכנה גדולה quo innuere volunt, *Periculoſum eſſe, ſine vel neceſſaria præparatione, vel debita vocatione, negotium aliquod aggredi.* Et tritum eſt inter ipſos; אינו דומה מצווה ועושה כמי שאינו מצווה ועושה hoc eſt, *Longe alia eſt ratio ejus qui juſſus aliquid facit, quam illius, qui injuſſus.* Præter alia & hoc in illa verſione deſideratum fuit, quod a grata linguæ Latinæ elegantia & ſuavitate longius quandoque deflexerit. Interim vero optima voluntas in eo merito laudanda fuit, iterum ſecundum illud Hebræorum; מחשבה למצוה כעשה מצוה *Intentio & conatus boni operis, pro opere ipſo habenda*; inprimis cum hoc etiam pacto tam feliciter res ſucceſſerit, ut editionis illius exemplaria in varias terras longe lateque

 ſparſa

ſparſa, & jam pridem omnia diſtracta fuerint. Neque etiam nunc mihi animus eſt atro eam lapillo notare, ne ex ejus contemtu vel ignominia gloriam quærere velle videar, non ignorans, quantopere hoc vitium Hebræi quoque ſemper deteſtati & abominati fuerint, adeo ut dixerint; המתכבד בקלון חבירו אין לו חלק לעולם הבא *Qui ſe honorat ex ignominia ſocii ſui, nullam habet partem in ſeculo futuro.* Quia tamen animadvertit Parens, præter ſpem & eſpectationem ſuam, avide ſatis librum hunc expeti & requiri, ſemper in animo habuit, novam ejus verſionem Latinam cudere, quam pro ſua agnoſcere & venditare poſſet. Sed cum ad alia dein graviora & prolixiora ſtudia animum applicuiſſet, ſubinde propoſitum hoc ipſius dilatum & intermiſſum fuit. Id cum ex me olim intellexiſſet Vir Clariſſimus D. DAVID CLERICUS, Linguæ Hebrææ in Academia Genevenſi Profeſſor Doctiſſimus, & variarum linguarum callentiſſimus, Amicus meus fraterno amore mihi conjunctiſſimus, ſuam ad rem hanc perficiendam Parenti obtulit operam, quam ille non ſolum promto animo acceptavit, ſed ultro etiam ad id inſtigavit & hortatus eſt, deque illis, quæ in prima verſione deſideraret, amice monuit. Negotium itaque aggreſſus, brevi, pro incredibili ſua diligentia & φιλοπονία, confecit, & ad umbilicum dextre perduxit, Parente adhuc vivente, & verſionem ejus vidente, probante, atque ex parte etiam revidente. Morte autem ejus poſtea, & aliis, quæ hactenus in publicum dedimus, intervenientibus, factum fuit, ut in hunc uſque diem editio protelata fuerit. Cum vero jam diu exemplaria illius in utraque lingua deſiderarentur, & plurimi a me flagitarent, ut novam ejus editionem procurarem, quoſdam etiam veteris verſionis editionem novam moliri audirem; אמרתי עת לעשות viſum mihi opportunum fuit, hoc tempore laborem hunc ſuſcipere, quod hac ratione illorum quidem commodum & utilitatem promoveri, horum vero damnum, in quod incauti incidere potuiſſent; ſi veterem verſionem de novo excudere ſuſcepiſſent, averti poſſe cernerem. Nam ſi novam hanc verſionem cum vetere contuleris, mirum quantum, immo, quod Hebræi dicunt, כנובה הרים בינייהו *montium diſcrimen inter illas* reperies. Adeo verum eſt ſemper illud, *Duo cum faciunt idem, non eſt idem*, quod Hebræi pro more ſuo paulo conciſius, אינו דומה עושה כעושה. Primo etenim partim a Parente, partim a me, ſtudioſe cum Germanico eſt collata hæc verſio, & ad eam recognita, ut eam pro genuina & fideli aſſerere & venditare auſim: Linguæ etiam Latinæ puritatem & elegantiam, in priore deſideratam, hic vindicatam & reſtitutam eruditus Lector ipſemet deprehendet & inveniet. Ut nihil neceſſe ſit hederam hic ei ſuſpendere. בהיות הצוואר לבן אין צורך לענק *Quod per ſe pulchrum eſt & bonum, nullo alio encomio vel ornamento eget*, שלימות הפעולה מורה על שלימות הפועל *Perfectio operis docet de perfectione efficientis.* Et laudes vel commendationes ejuſmodi לא בלבד אינן מעלין ומורידין *non ſolum ſunt inutiles & ſupervacaneæ*, ſed quandoque etiam ſuſpectæ & damnoſæ; Nam מרגליתא טבא כל דמשבחה פגמה *Margaritam inæſtimabilem quicunque laudat, dehoneſtat eam.* Deinde in quibuſdam, quæ nempe ἐμφατικώτερα viſa fuerunt, ut, precationibus, in teſtimoniis nonnullis ſingularibus, & ſimilibus, ipſa verba Hebraica nonnunquam adducuntur, quod Linguæ Hebrææ ſtudioſos & cultores vel juvare vel delectare, cæteros vero nihil remorari poteſt, cum ad verbum omnia ſtatim Latine ſint expreſſa. Ad hæc iſtud quoque nova hæc habet verſio, quod pro ea poteſtate, quam mihi in eam libere & liberaliter conceſſit D. Clericus, ſparſim novas quaſdam obſervatiunculas aſperſerim, ſed parce & cum modo. Animus quidem erat ab initio, Appendicem novam annectere, de Judæorum cum erga omnes mundi nationes, tum inprimis contra Chriſtum & Chriſtianos, eorumque religionem, pluſquam Vatiniano odio, blaſphemiis, diris & execrationibus; idque ea præſertim de cauſa, quod non in uno loco Tractatus ejuſmodi in hoc & aliis Parentis libris ſit promiſſus, & quia plurima ad eam rem pertinentia in ſchedis jam conſignata habeam, quibus nil niſi forma & veſtitus externus deeſt. Sed temporis brevitas, & alia, hoc tempore tantum otii ad illa diſponenda & exornanda mihi non conceſſerunt. Longius namque & ex ipſis quaſi fundamentis rem deducere & demonſtrare cogitabam, ut ſic non ſolum appareret, qua ratione Judæi erga nos ſint affecti, ſed etiam fontes & ſcaturigines, ex quibus omnia hæc promanant, quaque ratione progreſſum & incrementum ſumſerint, palam innoteſcerent & aperirentur.

Natura hoc omnibus Judæis inſitum quaſi eſt & implantatum, ut magnifice admodum & ſuperbe de ſe ſentiant, ſeque ſupra omnes mundi nationes extollant, & contra, eas omnes infra ſe deſpiciant, contemnant, & quantum in ipſis eſt, ad necem uſque perſequantur.

Cauſæ hujus rei ſunt potiſſimum duæ, præconcepta de perſonæ propriæ *dignitate* & *ſanctitate* opinio: & Expreſſum Dei Omnipotentis mandatum, de

omni

omni commercio & conjunctione cum cæteris gentibus vitanda, illisque penitus exscindendis & internecioni devovendis, Deut. 7.

Personæ, stirpis, familiæ & conditionis suæ *Dignitatem* desumunt ex eo, quod ex nobilissimæ & illustrissimæ prosapiæ in toto orbe parentibus sint oriundi & prognati, Abrahamo videlicet, Isaaco, & Jacobo, & consequenter ex duodecim Patriarchis, quos Deus præ omnibus sub universo cœlorum convexo populis, peculiari cum illis erecto fœdere, sanctificavit, nobilitavit, & in peculium suum elegit. Hinc se omnium in toto orbe nobilissimos, imo solos nobiles, sanctumque & benedictum illud Abrahæ semen esse, sibi imaginantur, & intolerabili jactantia gloriantur, nec ulla ratione fieri posse arbitrantur, ut sanctum istud semen degenerare, & proinde exscindi, & a Deo reprobari queat. Carnalem hanc gloriationem, & Diabolicam superbiam nullus Propheta, imo ne Christus quidem ipse, gravissimis, & perpetuis suis concionibus, reprehensionibus & comminationibus, eximere aut imminuere unquam ipsis potuit, ut scripta Prophetica, & Evangelica historia testantur. Quicquid hi dixerunt, quicquid clamarunt, continuo illi exceperunt; Nos peculiaris ille sumus Dei populus, semen illud Abrahami, quod nunquam perire aut interire potest, sed in æternum permanebit. Nam, ut Rabbi Abraham Hispanus in libro *Tzeror hammor* scribit; *tam non potest mundus hic subsistere sine Israelitis, quam sine aere & ventis quatuor*. Imo tantum abest, ut vel Prophetæ suis concionibus & comminationibus, vel Deus suis pœnis, aliquid profecerint, ut eos hujus rei causa, ut & Christum ipsum, persecuti sint & occiderint, nec in hodiernum diem resipuerint, aut mentem aliam induerint. Hinc in precibus suis matutinis quotidie adhuc orant; *Benedictus Deus, quod me crearit Israelitam: Benedictus Deus, quod me non crearit* Goj, hoc est, Ethnicum, Gentilem vel Christianum, עלנו לשבח וכו׳ *Nos decet, nostrum est, laudare Dominum hujus universi, &c.* vid. pag. 216. hujus libri. Magna utique hæc erat dignitas, quam & Paulus (Rom. 9.) & Petrus (Act. 3.) imo Christus ipse (Joh. 4. 22.) illis relinquunt & concedunt: simul etiam docuerunt, hanc gloriam in carne præcipue non fuisse, ad Rom. 2. ℣. 28. Rom. 9. 7. &c.

Sanctitatis suæ duo Judæi struunt fundamenta. *Primum* positum est in Fœdere Circumcisionis, quam a Deo acceperunt pro signo, quo a cæteris nationibus discernerentur, & impresso quasi sigillo, pro peculiari Dei populo obsignarentur. Hoc illorum fuit scutum, quo se perpetuo contra Propheticarum concionum & objurgationum ictus sunt tutati, illosque retuderunt. Quotiescunque ab illis impietatis, infidelitatis, pertinaciæ & contumaciæ redarguebantur, continuo illi suam מילה *Circumcisionem* objecerunt, ac si impossibile esset, ut populus ille, qui hoc Divini fœderis signo est signatus, ullis peccatis contaminari, aut iterum ex Dei fœdere excidere & exscindi posset. Incredibile dictu est, quantopere circumcisionem hanc suam extollant, quam arroganter & impie eam passim jactent, & nos omnesque ערלים *incircumcisos*, contemnant & condemnent. Inter infinita alia dicunt, Circumcisionem causam esse, cur Deus preces ipsorum exaudiat; nostras vero, tanquam incircumcisorum, surda aure prætereat & negligat. De hoc legitur in libro *Menoras hamnaor*: גדולה מילה שבזכותה הקב״ה שומע תפילתן של ישראל וכו׳ *Tantum est meritum, tanta dignitas circumcisionis, ut propter eam Deus exaudiat preces Israelitarum. Hinc in precibus nostris dicimus; Quia tu exaudis* תפילת כל פה *precationem omnis* oris: ואינו שומע פה הגויים אלא של ישראל בזכות המילה. *Nequaquam vero exaudit os gentilium* (Christianorum) *sed Israelitarum, propter meritum Circumcisionis*. Qui scire avet, quomodo hoc Circumcisioni conveniat, notet, voculam Hebræam פה Peh *Os*, in Cabalistica ipsorum Arithmetica in numeris continere 85. tantundem valet מילה Milah *Circumcisio*, 85. Dum ergo dicunt; *Quia tu exaudis orationem omnis* פה Peh *oris*, perinde est ac si dicerent, *omnis* מהול Mahul *Circumcisi*. Verissime utique & appositissime! Nam quam promte Deus hactenus preces illorum exaudierit, dum per 1680. annos redemptionem ex captivitate hac accelerari, quotidianis precibus anxie petierunt, experientia testatur. In *Cad Hakkemach* legitur גדול כוח מצות מילה שכל מי שהוא מהול אינו יורד לגהנם. *Tanta est virtus Circumcisionis, ut nullus circumcisus in gehennam vel purgatorium descendat*: e contrario, כל הערלים יורדין לגהנם *Omnes præputiati descendunt in gehennam*. In Rabbi Bechai legitur: ועם האות הזה מתפרסמת מעלתם של ושראל והיותם נבדלים משאר האומות ערלי לב וערלי בשר שהם מצד השדים וישראל שהם מצד אל שדי hoc est, *Per signum hoc innotescit palam dignitas Israelitarum, qua ratione discernantur a cæteris nationibns incircumcisis corde & carne; Hæ enim sunt duntaxat notatæ signo* Schedim *Dæmonum vel Diabulorum, sed Israelitæ signo* Schaddai *Dei omnipotentis*. Quæ hic abstrusioris Theologiæ Judaicæ my-

steria lateant alias dicetur. Qui vero scire volet, quomodo Judæi signo *Schaddaj* sint notati, videat in libro מנורת המאור fol. 73. col. 3. Miseri vero & occæcati Judæi, annon Esau æque ac Jacob Isaacum circumcisum habuit patrem, æque ac Jacob ipse circumcisus fuit? Sed quid hoc ipsi profuit? Eo nihil obstante dixit Deus per Prophetam Malachiam: *Jacobum dilexi, Esavum vero odio habui*, cap. 1. Circumcisio carnis sine circumcisione cordis nihil prodest. Nam potissimum ubique Deus exigit & urget, Deuter. 10. 16. Jerem. 4. 4. & 9. 25. Actor. 7. 51. Rom. 2. 25. Et hoc est primum, in quo personæ suæ *Sanctitatem* Judæi fundant. *Alterum* est, quod Deus ipsemet oraliter cum illis est locutus, propriam & peculiarem illis in monte Sinai Legem, Terram, sanctam Urbem (Hierosolymam) Templumque, cui simile in toto orbe aliud nullum fuit, dedit, in quo Legis suæ exercitia haberent, Deum, juxta illius tenorem, sacrificiis, precationibus, aliisque ceremoniis, in Lege expresse descriptis & mandatis, colerent. Quam intolerabili fastu & arrogantia hic Judæi sese ob Legem acceptam semper jactaverint, atque etiamnum jactent, non solum lingua nulla effari, sed ne ratione quidem humana comprehendi potest. Præ hac gloriatione nullus Propheta unquam, imo ne Moses quidem ipse, per cujus tamen manum data erat, consistere unquam potuit, ut scripta illorum testantur. Hinc superbæ & putidæ illæ preces, quibus adhuc quotidie molestissime Deum obtundunt 3. באי׳ אמ׳ה אשר בחר בנו מכל העמים וכו׳. *Benedictus tu Domine Deus noster, qui nos elegisti præ omnibus populis, præceptis tuis sanctificasti, & Legem nobis dedisti, &c.* Item אהבת עולם בית ישראל עמך. *Amore æterno prosecutus es domum Israelis, populum tuum, Legem, Præcepta, statuta & judicia docuisti nos, &c.* Sabbatho incredibili fastu dicunt, אתה אחד ושמך אחד. *Tu es unus, & nomen tuum unum est: Quisnam populus similis est populo tuo Israel, &c.* Item: אשר יכם ישראל כי בכם בחר אל והנחלכם התורה מסיני מתנה וכו׳ *o vos beatos de domo Israel! vos enim Deus elegit, & Legem pro hæreditate vobis dedit de monte Sinai. &c.* Infinita in hanc rem in libris eorum est reperire. Hinc soli ipsi sunt עם קדוש חכם ונבון *Populus sanctus, sapiens, prudens, intelligens*: cæteri vero populi omnes stulti, bardi, stupidi, stipites, & asini, גוי נבל *Gens stulta*, שאין בהם תבונה *in quibus nulla intelligentia, aut sapientiæ mica* גוי אובד עצהי *sine omni consilio & prudentia, &c.* Imo non erubescunt scribere; Si inter multa millia ex populis aliis unicus vir sapiens reperiatur פלא הוא *id miraculum esse:* hoc vero esse פלא גמור *& omnem miraculorum modum excedere*, quod Israelitæ sint כולם חכמים כולם נבונים כולם יודעים את התורה *omnes sapientes, omnes intelligentes, omnes Legis periti*, ut R. Abraham scribit in *Fasciculo myrrhæ*, sectione ואתחנן. Sic consequenter idem faciunt de Terra sancta, Urbe Hierosolyma, & Templo. Sola terra Canaan ipsis est, ארץ קדושה *Terra sancta*, cæteræ ארץ טמאה *Terræ prophanæ & immundæ*, ארץ מליאה ריח רע וגלולים *plenæ fœtore malo & idololatria*, שאין השכינה שורה שם *in quibus majestatis divinæ scintillula nulla*. Hinc tritum illud, כל הדר בחוצה לארץ דומה כמי שאין לו אלוה. *Qui extra terram sanctam habitat, similis est ei qui nullum habet Deum*. Ita solum ipsorum Templum, sanctum, solum ipsorum Synagogæ sanctæ, & בית אל *Domus Dei*; omnium vero cæterorum populorum, præsertim Christianorum, Templa, non vocant בית אל, sed בית אלילים, vel בית עבודת אלילים. Domus idololatriæ, בית ע״ז, בית התפלה בית התורפה, *Bes hattiphlah*, non *hattephillah*, &c.

Secunda caussa, propter quam Judæi supra omnes reliquos populos sese efferunt, illosque implacabili odio persequuntur, est Mandatum Dei, quod ipsis dedit, cum terram Canaan hæreditario jure occupare deberent, & legi potest Deut. 7. ℣. 1. & seqq. item ℣. 23. & Deut. 20. 16. 17. Quis ejus mandati sensus sit & scopus, contextus ipse satis docet, nec opus aut instituti nostri est, prolixe nunc explicare. Judæi autem vero scopo relicto, in nudo præcepto externo hæserunt & substiterunt, quasi ipsi veri & soli essent mundi Domini, qui cæteras gentes omnes fugere, vitare, odisse, persequi, & internecioni dare deberent. Hoc sæpius tentarunt & exercuerunt in Vet. Testamento, præcipue autem feliciter & ex voto in Persia, tempore Reginæ Estheræ, quando uno die ultra 75000. hominum occisa fuerunt, cujus rei memoriam quotannis adhuc celebrant summis cum gaudiis & tripudiis 15. die Februarii. Hinc præ omnibus Sacræ Scripturæ libris Estheræ libellus ipsis carus est & acceptus. Et hoc in hodiernum usque diem summum & unicum ipsorum est votum; ut eodem modo nos *Gojim* tractare possint, sicuti Persis olim fecerunt. Nec ulla, hujus rei causa magis sanguinaria & vindictæ cupida sub sole gens est, quam Judaica, existimantes, ideo se esse Dei populum, ut cæteras gentes omnes perimant & occidant. Hoc unum quoque est ex præcipuis beneficiis, quæ a Messia suo exspectant, ut ipsorum manibus totum mundum ferro, gladio

dio & igne tollat & interimat. Illustrissima in Evangelica & Ecclesiastica historia hujus rei documenta exstant. Sed paginarum, quibus nos hic inclusimus, angustia, illa vel recensere vel adducere non permittit.

Quamvis autem Judæi, ex causis memoratis, cunctis temporibus omnes nationes superbe despexerint, oderint & persecuti sint; Historiæ tamen testantur, nullum populum in toto mundo unquam acerbius odisse, omnisque generis convitiis, blasphemiis, maledictis, execrationibus & diris quibuscunque incessisse, quam Christianos. Atque hoc odium non a Christianis demum, sed a Christo ipso inceperunt, imo ab ejus præcursore Johanne, cum ille divino instinctu in medium prodiret, Messiam præsentem publicis suis concionibus prædicaret, digitis Agnum illum Dei, qui pro mundi peccatis offerri debebat, ostenderet, Mosaicam Legem & Religionem nonnihil immutare, & loco Circumcisionis Baptismum introducere, Judæos de peccatis redarguere, ad pœnitentiam hortari, &c. inciperet. Christum vero ipsum, quamdiu in terris fuit, quantis odiis, convitiis & blasphemiis prosecuti fuerint & prosciderint, Evangelica historia locuples est testis. Causæ præcipuæ fuerunt; quod Legem Mosaicam ipsis videretur abrogare, novamque doctrinam & religionem introducere, gentes etiam pro populo Dei habere, atque seipsum Deum facere: quod carnali suo intellectu plane non possent capere, quomodo Deus Homo, aut Homo Deus esse vel fieri posset, unde pro Blasphemo ipsum habuerunt, cum Divinos sibi honores vindicaret: quod etiam, juxta exspectationem & votum ipsorum, non cum sceptro ferreo, ad gentes perimendas, sed nova doctrina & Evangelio, placide & benigne illis quoque gratiam Dei offerendo; non in externa pompa, sed humilitare, regnum suum inchoarit. Pari deinde odio processerunt erga ejus discipulos, & omnes eos, qui ejus doctrinam sunt amplexi, ut Acta Apostolorum evincunt. Et posteaquam ipsis gladius, sceptrum, omnisque potestas per Romanos fuere ademta, tum demum linguam suam venenatam contra Romanos & Christianos acuerunt, & precando, imprecando, execrando, maledicendo, quandoque etiam aliis mediis, ipsos persequi & e medio tollere studuerunt, uti hæc omnia ex propriis ipsorum libris demonstrari possunt. Sed hæc & alia in aliud commodius tempus, & melius otium, hac vice differimus. Tu interim, Lector Benevole, his quæ nunc damus utere, & studiis nostris benigne fave. Dabam Basileæ Calend. Aprilis, Anno 1641.



M. L.

DE JUDÆIS

Ad illa Prophetæ Micheæ;

FUturum est novissimis diebus, ut mons domus Domini præparetur in vertice montium, eleveturque supra colles, confluantque ad eum populi: Tum properabunt gentes multæ, & dicent: Agite, adscendamus in montem Domini Dei Jacob, & ille nos suas vias docebit, & in semitis ejus ambulabimus, quoniam lex e Tsione egredietur, & verbum Domini de Jerusalem, &c. sic scribit:

In hoc cardo rei vertitur, hinc illæ lacrymæ, hoc nempe Judæos in furorem & rabiem agit, eosque ad eam mentis perversitatem adigit, ut omnes insignes scripturæ locos corrumpant & depravent; quippe nos גוים Gojim sive Gentiles sibi coram Deo æquari & pares esse, & Messiam æque nostram atque suam consolationem dici, ferre nec volunt, nec possunt. Decem Messias & Christos potius crucifixuri, imo (si fieri posset) Deum ipsum cum omnibus Angelis & Creaturis, vel sub mille Inferorum pœna, occisuri, quam ut nos gentes (quas conspuere, execrari, abominari, probris maledictisque insectari solent) Messiæ divinarumque promissionum participes & cohæredes esse patiantur. Adeo humanæ mentis captum exsuperat induratissima nobilis illius sanguinis (ut videri gestiunt) patrum & circumcisorum sanctorum superbia: soli sibi Messiam habere volunt; soli mundi Dominium affectant: at maledictæ gentes (id est, Christiani) servi ipsorum erunt; Illæ desiderabilia sua, id est, Aurum & argentum suum omne Judæis dabunt & pecudum instar mactari se patientur. Judæi vero videntes scientesque æternam citius subibunt damnationem, quam ut a reproba hac mente deduci sustineant.





* JOHANNIS BUXTORFII DE SYNAGOGA JUDAICA.

CAPUT PRIMUM.

De duabus Judæorum hodiernorum Sectis.

AD rerum Judaicarum cognitionem sciendum est, duo Judæorum genera hodie in mundo reperiri; *Unum* nempe eorum, qui vocantur קראים *Karraaim*, Karræi; alterum eorum qui vocantur רבנים vel רבנאי *Rabbanim* Rabbanitæ, plane sicut olim tempore Christi fuerunt divisi in צדוקים *Sadducæos*, & פרושים *Pharisæos*.

Judæorum duæ classes.

Karræi sunt, qui soli literæ textus Scripturæ & Legis adhærent, totam Legem Oralem, h. e. omnes Rabbinorum Traditiones, Constitutiones, Glossas, rejicientes, & Scripturam pro suo lubitu exponentes. Ad nihil etiam aliud adstringi se patiuntur, quam quod diserte & expresse in Lege scriptum exstat; & proinde se jactant veros observatores Legis Mosaicæ. Et hinc nomen etiam קראים acceperunt, a מקרא Mikra, h. e. *Scriptura*, q. d. *Scripturarios*.

Karræi qui

Hi sunt propago veterum *Sadducæorum*, qui olim Animæ immortalitatem, & per consequens etiam Resurrectionem mortuorum, Paradisum & Infernum negarunt. Posteaquam enim ipsorum posteri animadvertissent, se his dogmatibus toti mundo, & apud omnes religiones, invisos esse, articulos hos deseruerunt, & in illis se cum cæteris Judæis conformarunt, Traditiones tamen non scriptas, & Legem oralem constanter rejicientes.

Karræis istis novis, post imminutam veterum Sadducæorum hæresin, originem dedisse ferunt quendam ענן *Ananem* cum *Saule* ejus filio, uti videre est apud authorem libri Cosri part. 3. §. 65. confirmante id R. Abrahamo bar Dior, in Cabala Historica fol. 31. col. 2.

Dissentiunt hi a reliquis Judæis in quamplurimis, circa Gradus consaguinitatis in Conjugiis, de Divortiis, & Purificationibus mulierum, de Novilunio figen-

* *Jo. Buxtorfius* de Judæis, si quisquam alius optime meritus, nescio quo consilio adductus in hunc librum inepta & absurda omnia, quæ in eorum scriptis offenduntur, congerere voluerit, ut huic genti invidiam, atque odium excitaret. Cl. *Dassovius* errare scribit eos, qui si in *Buxtorfii Synagoga Judaica*, aliisque ejusmodi recentioribus libellis multa ridicula, absurdaque legunt, statim illa Judæis omnibus impingunt, quamvis *Buxtorfius* non vivendi rationes Judæorum omnium describere intenderit, sed præcipue Germanorum hodiernorum, qui ad fæcem gentis Judaicæ referri debent, a quibus ad florentem Dei populum concludere velle esset absurdum. Nam Judæi Hispani, Lusitanique in plerisque dissentiunt ab istis Germanorum deliriis in *Synagoga Buxtorfiana* recensitis, ut videre est in *Menasseh ben Israel Thesouro dos Dinim*. Etiam Judæi in Barbaria ab istis deliramentis longissime absunt, teste *Lancelloto Addisonio* in libello *the present state of the Jews in Barbaria*. De Italicis videndus *Leo Mutinensis in historia rituum Hebræorum præsentis temporis*.

gendo, & Festis observandis, de Cibis vetitis & licitis, ut & in aliis.

Hinc etiam suos habent peculiares libros Rituales, Precum, & alios, quamvis hactenus illos libros mihi videre non contigerit. Exstare tamen, a fide dignis Judæis accepi.

Reliqui Judæi eos habent pro Hæreticis, Apostatis, eosque cane & angue pejus oderunt. Hinc sunt quos proprie vocant מינים *Minæos*, צדוקים *Tzaddukeos*, aliquando atiam כותיים *Kuthæos*, אפיקורסים *Epicuræos*, quos honorum titulos sæpe etiam ad Christianos applicant. Nullla cum ipsis ineunt connubia; quia pro ממזרים spuriis eos habent, nulla commercia, nullam conversationem; Imo tantopere eos abhorrent, ut si quando aliquis eorum velit se convertere & Rabbinata, seu Traditionarius Judæus fieri, eum non recipiant.

Horum hodie multos reperiri Constantinopoli, Cayri in Ægypto, alibique in Oriente, in Russia item, Italia, & aliis locis, testatur R. Leo de Modena in suo libro de Ritibus Hebræorum, ibique suas habere Synagogas, & secundum suos ritus vivere.

Qui de illis, & dogmatibus illorum, plura volet, adeat Lexicon Talmudicum in voce קראי, & notas nostras in librum Cosri, Parte tertia.

Rabbanitæ qui.

Rabbanitæ sunt, qui non tantum Legem Mosis scriptum, cum reliquis Prophetarum libris, amplectuntur, sed etiam Legem oralem tenent, constitutiones, traditiones, & expositiones Rabbinorum observant, & pro norma & regula fidei & vitæ suæ habent. Hi sunt genuini filii *Pharisæorum*, qui sic dicebantur a radice פרש *Parasch*, quæ *Separare* significat, quasi *Separatos* dicas; quia se a vitiis & prophanis mundi, & communis plebis moribus, per singularem vitæ sanctimoniam, & severam ac rigidam Legis & præceptorum observationem, separabant, vel saltem separare studebant. Postmodum superstitione invalescente, humilitate sancta in fastum & superbiam conversa, & sanctimonia vera tota in externis ritibus, traditionum humanarum observatione, & innumeris ἐθελοθρησκείαις, quæ speciem potius, quam rem ipsam Sanctitatis veræ habebant, constituta, hoc nomine se a cæteris hominibus de plebe, quos עם הארץ *Populum terræ*, vocabant, discernebant, & reliquos præ se ceu καθάρματα contemnebant, adeo ut non solum ab illorum, ceu prophanorum & pollutorum, conversatione & convictu, sed etiam contactu omni, abstinerent. Hinc Pharisæus ille in Evangelio gratias agit Deo, *quod non sit ut reliqui homines, &c.* Luc. 18. 11. Hinc Joh. 18. 28. *Pharisæi dicuntur non introivisse in prætorium, ne polluerentur*. Hinc etiam a *foro & turba hominum promiscua venientes, non edebant, nisi prius baptizati vel abluti fuerint*, Marci 7. ℣. 4. quia nempe, & Populum terræ ipsum, & vestimenta eorum pro immundis habebant, ut ab illorum contactu se pollui crediderint. Videntur autem hi successores aut æmuli fuisse veterum *Chasidæorum*, quorum mentio 1. Machab. 2. 42. & 7. 13. & 2. Machab. 14. 6. Hi nempe a Sanctitate, quam profitebantur, dicti fuerunt, חסידים, vel חסידאים, *Chasidaim*. Isti autem originem suam fortasse debent *Discipulis Prophetarum*, quorum mentio 2. Reg. cap. 2. quique sub Prophetarum ductu & auspiciis studiis sacris non tam Theoreticis quam Practicis, & Exercitiis pietatis & cultus divini, operam dederunt.

Tales Rabbanitæ sunt hodie plerique Judæi tenaciter legi non tantum Scriptæ, & Præceptis Mosaicis expressis, sed & Legi Orali, constitutionibusque majorum adhærentes. Et de hoc Judæorum genere, missis Karræis, in sequentibus, Deo dante, agere nobis est propositum.

CAPUT II.

De fundamentis, & differentia Rituum Judaicorum.

Ritus Judaici quotuplices.

Ritus Judaici, quos tum in Sacris, tum in Vita, moribus, & actionibus suis hodie observant, non omnes sunt ejusdem vel originis, vel authoritatis, vel observantiæ.

Ex lege Scripta.

Quidam illorum fundati in *Lege Mosis scripta*, & *Præceptis* ejus, idque vel *aperte & expresse*, vel saltem ex *mente & expositione Rabbinorum;* prout sequenti capite tertio explicabitur. Hæc vocant מצוות דאורייתא *Mizvos deorajeta* Præcepta Legis.

Ex lege orali.

Alii sunt, qui proficiscuntur ex *Lege orali*, & constitutione Rabbinorum & Sapientum suorum, priscorum maxime, per quos Legem oralem conservatam & propagatam esse volunt; qui Legi Scripturæ longe plura addiderunt, ad eam vel declarandam, vel perficiendam, vel etiam custodiendam. Hæc vocant מצוות דרבנן *Mizvos derabbauan*, Præcepta Rabbinorum, quorum summa continetur in Talmud, ex quo reliqui libri Rituales deinde sont consarcinati.

Quia

Quia enim ſingulorum Præceptorum circumſtantiæ obſervandæ non omnes ſunt in Lege ſcripta expreſſæ, dicunt, eas oraliter Moſi in monte Sinai a Deo revelatas, & ad Iſraelitas deferendas, traditas fuiſſe, ac proinde non minoris authoritatis eſſe, quam Legem ſcriptam ipſam.

Novelli quidam. His etiam progreſſu temporis *Tertio loco* plura alia addiderunt & obſervanda injunxerunt poſteriores Rabbini, maxime poſt captivitatem Babylonicam, ex qua alienorum Regum & Populorum imperio & dominationi ſubjecti fuerunt, Perſarum, Medorum, Græcorum & Romanorum.

Cauſæ hujuſmodi novellarum Conſtitutionum fuerunt præcipue duæ; *Primo*, ut Lex Divina tanto certius cuſtodiretur, & a tranſgreſſione præſervaretur, plura ſæpe vel facienda vel omittenda, ſub gravi pœna ordinarunt, quam ea præcipit vel vetat. Hæc vocant סיג לתורה *Sepem Legis*: quia hujuſmodi conſtitutionibus arcere voluerunt homines a Tranſgreſſione & Violatione ipſorum Præceptorum Divinorum. Sic ex. gr. in Gradibus Matrimonii, illis quos Lex nominavit, plures ſuperaddiderunt Rabbini, quo tanto minus circa gradus prohibitos peccaretur. Sic innumera alia. *Secundo*, multa prohibuerunt Rabbini, præter Legem, ut Judæi a reliquis populis ſemper diſcernerentur, & omnis cum illis communio & periculoſa conſuetudo, impediretur, ne forte ex nimis arcta cum illis converſatione vel convictu ipſorum moribus aſſueſcant, propius ſe cum illis commiſceant, atque tandem etiam connubia & matrimonia cum illis contrahant, vel ab illorum fide & religione non prorſus abhorreant. Hanc cauſam reddit R. Mordechai Japhe, cur panem gentilium, & alios quoſdam illorum cibos, de quibus Lex nihil præcipit, prohibuerint.

Sepes Legis.

Prima duo Rituum genera ſunt quaſi eſſentialia omnium conſenſu recepta, omnibuſque ſine exceptione, & ſine variatione, obſervanda incumbunt.

Ritus diverſi diverſarum nationum. Quod autem ad eos attinet, qui *Tertii* ſunt *generis*, illi quandoque variant pro ratione Temporum, Locorum, Nationum.

Hinc diverſa habent מנהגים *Minhagim* ſeu *Ritualia*; Sua habent Judæi Germani, Poloni, Bohemi, Moravi, Lituani, Ruſſi, qui inter ſe conveniunt: Alia habent Itali; Alia Hiſpani; Alia Orientales, in Turcia, Græcia, Barbaria, Mauritania; Alia Judæi Hieroſolymitani, &c. Sic ſingulæ hæ nationes etiam ſuos peculiares habent libros Precum, in quibus magna ſatis differentia, tum in Precibus ipſis, tum in illarum Ordine, tum etiam in praxi & uſu, deprehenditur. Tales aliquot ego habeo.

Sic in aliis quoque ſpecialibus variant, pro locorum vel temporum varietate, vel prout alius alio magis eſt aut minus ſuperſtitioſus & devotus.

Quædam etiam Præcepta ſunt, quæ ubivis locorum ſunt obſervanda, h. e. tam extra Terram ſanctam, quam in ea, alia nonniſi in Terra ſancta. Alia etiam omnibus ſunt præcepta, tam Viris, quam Mulieribus; alia Viris, quædam Mulieribus peculiariter: quædam omni tempore, alia nonniſi ſtante Templo & ſanctuario. Quorum omnium exempla in ſequentibus Capitibus paſſim occurrent.

Differentia in libris Precum Judaicarum. In libris Precum magna etiam differentia ſæpe conſpicitur inter libros veteres, tum manuſcriptos, tum editos, & recentiores. In illis enim paſſim multa acerba & virulenta reperiuntur in Chriſtum, & Chriſtianos expreſſe & aperte dicta, quæ in poſterioribus ſunt omiſſa vel emollita, aut tectis & ambiguis terminis occultata, tum quod per Cenſuram Chriſtianorum ea exprimere ipſis ubivis non liceret, tum quod animadverterent, poſteaquam Chriſtiani linguam Hebræam excolere, libros ipſorum legere, & hæc deprehendere cœperunt, magna hinc ſibi enaſci odia & pericula.

Talia inprimis occurrunt in *Machſorim* & *Selichos* manuſcriptis, ſicuti ex his multa ego habeo excerpta, & in adverſariis enotata. Hinc hodie vel illa negant apud rerum ſuarum minus gnaros, vel etiam improbant, & ſibi non imputari debere exiſtimant, quæ alii, ſervente nimis zelo ducti, peccarunt. Eundem tamen omnibus eſſe erga Chriſtianos animum & affectum, non eſt dubitandum.

CAPUT III.

De Judaicæ Fidei Articulis, Decem Præceptorum obſervatione, & incredulitatis cauſa.

Judaicæ gentis hypocriſis, obſtinatio & ignorantia. Eſa. 29. 13. 14.

QUOD Deus per Prophetam Eſajam de Judaicæ gentis hypocryſi, obſtinatione & ignorantia dixit: *Eo quod populus iſte ore ſuo ad me accedit, & labiis ſuis me honorifice prædicat, cor autem ejus longe abeſt a me, & eſt timor eorum erga me doctus præcepta hominum,*

num, ideo en ipse quoque addam ut mirifice agam cum populo isto, mira scilicet & portentosa, nempe peribit sapientia sapientum ejus, & intelligentia prudentium ejus evanescet: id revera ita contigisse comperimus. Nihil enim in divino illo, quem prætendunt, cultu reperire est, nisi meram hypocrysin, & falsitatem: in sapientissimis & prudentissimis illorum Doctoribus (רבנים *Rabbanim* appellant) & Scribis, nihil nisi ignorantiam, & ingentem stupiditatem; in Dei præsertim cognitione, & Verbi Divini expositione: in tota denique gente, nihil nisi horrendam & formidabilem obstinationem & pervicaciam, in omnibus pravis moribus & vitæ institutis. Nihilominus tamen pro vero & electo Dei populo haberi volunt, eos sese prædicant & jactitant, & Verbi divini, cognitionisque divinæ tam ardentem præ se ferunt zelum, ac si perfectissime in Deum crederent, & recta veraque fide illi soli, præ omnibus aliis nationibus, adhærerent, ut revera Apostolus Paulus hoc de illis testimonium perhibuerit; *Eos zelum quidem Dei habere, sed non ex notitia*. Ideo in hunc usque diem fixus immotusque sedet illorum animis, nec convelli ulla ratione potest, imaginarius iste, quem sibi finxerunt, cultus: Deumque omnipotentem, Cœli & terræ creatorem, qui sit Unicus, & cujus essentia sit Unica, quique nullos alios deos secum admittat, firma & indubitata fide colere se, profitentur. Judæorum autem fides tredecim עקרים *Ikkarim*, sive articulis comprehenditur, qui sic se habent, uti per compendium in illorum precibus consignati leguntur.

ad Rom. 10. 8.

Tredecim articuli fidei Judaicæ.

I.

אני מאמין באמונה שלימה שהבורא יתברך שמו הוא מנהיג ובורא לכל הברואים יהוא לבדו עשה ועושה ויעשה לכל המעשים: id est, *Fide perfecta credo, Creatorem, cujus nomen sit benedictum, Gubernatorem & Creatorem esse omnium creaturarum, illum solum omnia fecisse, facere, & facturum esse*.

II.

אני מאמין באמונה שלמה שהבורא יתברך שמי הוא יחיד ואין יחידות כמוהו בשום פנים והוא לבדו אלהינו היה הוה ויהיה: id est, *Fide perfecta credo, creatorem, cujus nomen sit benedictum, Unicum esse unitate, quæ nullam omnino similem habeat, illumque solum Deum nostrum fuisse, esse, & futurum esse*.

III.

אמ״בש ש״יש אינו גוף ולא ישיגוהו משיגי הגוף ואין לו שום דשיון כלל: id est, *Fide perfecta credo, Creatorem, cujus nomen sit benedictum, non esse corporeum, nec ulla ratione corporea comprehensibilem, & nihil omnino exstare, quod sit illi simile*.

IV.

אמ״בש ש״יש הוא ראשון והוא אחרון: id est, *Fide perfecta credo, Creatorem, cujus nomen sit benedictum, Primum esse, & Ultimum*.

V.

אמ״בש ש״יש לו לבדו ראוי להתפלל ואין לזולתו ראוי להתפלל: id est, *Fide perfecta credo, solum Creatorem, cujus nomen sit benedictum, & neminem præterea, adorandum esse*.

VI.

במ״בש שכל דברי נביאים אמת: id est, *Fide perfecta credo, omnia Prophetarum verba esse vera*.

VII.

אמ״בש שנבואות משה רבינו עליו השלום היו אמתיות ושהוא היה אב לחכמים לקודמים לפניו ולבאים אחריו: id est, *Fide perfecta credo, prophetias Mosis magistri nostri, qui requiescat in pace, veras esse, eumque esse patrem omnium sapientium, tum eorum qui præcesserunt, tum eorum qui subsequuti sunt eum*.

VIII.

אמ״בש שכל התורה המצויה עתה בידינו היא הנתונה למשה רבינו עליו השלום: id est, *Fide perfecta credo, totam Legem, quæ hodie in manibus nostris reperitur, traditam esse Mosi magistro nostro, qui requiescat in pace*.

IX.

אמ״בש שזאת התורה לא תהא מוחלפת ולא תהא תורה אחרת מאת הבורא יתברך שמו: id est, *Fide perfecta credo, Legem hanc nunquam mutatum iri, nec ullam aliam legem tradendam esse a Creatore, cujus nomen sit benedictum*.

X.

אמ״בש ש״יש יודע כל מעשה בני אדם וכל מחשבותיו שנאמר היוצר יחד לבם המבין אל

אל כל מעשיהם id est *Fide perfecta, credo, Creatorem, cujus nomen sit benedictum, cognoscere omnia opera hominum, & omnes cogitationes eorum; sicut dicitur;* Ipse omnium corda pariter finxit, intelligit omnia opera eorum.

Ps. 33. 15.

XI.

אמ״בש ש׳ גומל טוב למי שישמור מצוותיו ויענש למי שיעבור מצוותיו: id est, *Fide perfecta credo, Creatorem benedictum, bonum retribuere iis, qui ejus mandata observant; illos vero, qui ea transgrediuntur, punire.*

XII.

אמ״בש בביאת המשיח ואף על פי שיתמהמה אפילו הכי אחכה לו בכל יום שיבא: id est, *Fide perfecta adventum Messiæ credo, & etiamsi retardet; nihilominus semper illum expectabo, donec veniat.*

XIII.

אמ״בש שיהיה תחיית המתים בעת שתעלה רצון מאת הבורא יתברך שמו ויתעלה זכרו לעד ולנצח: id est, *Fide perfecta credo, mortuos vitæ restituendos esse, quando ita feret placitum Creatoris, cujus nomen sit benedictum, & cujus memoria extollatur in sæculum & æternitatem.*

Hæc est tredecim articulorum fidei Judaicæ summa, ut in precum Judaicarum libellis breviter & per Epitomen consignantur, in quibus miseri & cæci Judæi, cum magnis suspiriis, anxietate, dubitatione, & ejulatu misere moriuntur & pereunt. Ut vero facilius intelligi possit, quo præcipue hac sua fidei confessione colliment, articulos hos paulo latius diducam. Primum itaque observandum est, fidem Judaicam & Religionem Mosaicam, uti Judæi scribunt, his articulis semper quidem fundatam fuisse, sed a doctissimo Rabbi Mosche bar Maimon (qui Anno 4964. a Mundi creatione, juxta Judæorum supputationem, hoc est, Christi 1104. diem obiit) scriptis demum comprehensos, & in hunc ordinem redactos fuisse. Judæis vero serio injunctum est, ut in posterum omnes hac fidei confessione pro symbolo uterentur, in eaque viverent & morerentur. Ideo articulos illos fusissime exposuit, & ingentem de illis librum conscripsit, ex quo articuli illi, quos ante adduximus, paulo fusius excerpti, & typis editi, appositique sunt sub finem magnorum Bibliorum, quæ Venetiis Anno 1517. Felicis Pratensis opera prodierunt, excudente Daniele Bombergo, ubi eos, sequenti ratione expositos, leges licet.

Fusior explicatio 13. articulorum. 1. De Dei Existentia.

Primus Articulus est de DEO, qui omnium creaturarum Creator est, hoc est, Causa Causarum, Ens Entium, a quo & per quem omnia quæ sunt in cœlis supra, & in terris infra, creata sunt, & in quo solo subsistunt; Qui omnia simplici suo beneplacito fecit, & cujus voluntate omnia rursus dissolventur, atque in nihilum redigentur; Cujus essentia, etiamsi omnia prætereant, neque præterire, neque imminui, vel immutari potest. Essentia enim ejus est מציאות גמורה *Mezius gemurach*, essentia perfecta & absoluta, nullius rei, nullius auxilii, nullius opis indigens. Lux est æterna, potentia, robur & vita: Illius solius est dominum, & imperium: Ille revera unus est, & Rex super omnia laudatur. Hujus articuli fundamentum positum est in his verbis: *Ego sum Dominus Deus tuus, &c.*

Exod. 20. 2

2. De Dei Unitate.

Secundus Articulus est de *Dei Unitate*; quod scilicet Deus sit אחד ומיוחד, id est, Unus, & Unicus essentia, cujus unitati nulla res comparari potest, sive in hoc mundo, sive extra hunc mundum: Ille non est instar communis, aut peculiaris essentiæ & substantiæ, quæ plures species sub se comprehendit: neque etiam כאחד המורכב *sicut aliquid compositum*, aut instar essentiæ compositæ, quæ in alias partes dividi potest: neque etiam כגוף הפשוט *ut corpus simplex*, quod quidem numero unum est, majus tamen & minus recipit: sed est unus in una, perfecta & absoluta essentia, cui nulla alia essentia in ejusmodi unitate comparari potest. Hujus articuli fundamentum nititur illis verbis, *Audi Israel, Dominus Deus noster Deus Unus est &c.*

Deut. 6.

3. De Dei Incorporeitate.

Tertius Articulus est, *de Incorporeitate Dei*; nempe, Deo non esse assignandam מדות הגוף *Proprietatem corpoream*, nihilque etiam eorum quæ corpori accidunt, & ab illo rursus separari possunt; ut, Ire, Stare, Loqui, Silere, Sedere, Currere, &c. & quamvis aliquando Sacra Scriptura Deo res corporeas attribuat, illud fieri על דרך העברה hyperbolyce, & כלשון בני אדם, id est, hominibus usitato loquendi more, quo natura Divina ab hominibus facilius apprehendi & intelligi possit. Hujus articuli fundamentum sunt hæc verba; *Nullam enim similitudinem vidistis, &c.*

Deut. 4. 15

4. De Æternitate Dei.

Quartus Articulus simpliciter prout sonat est intelligendus; Deum nempe Creatorem קדמון *Primum* sive Æternum es-

se, & ab omni æternitate: reliqua vero omnia temporalia esse, & aliquando incepisse. Hic articulus illis verbis innititur, quibus Deus appellatur אלהי קדם *Deus æternitatis*. Item, *Ego sum primus & ultimus, & præter me nullus est Deus*.

Deut. 33. 27. Esa. 44. 6. 5. De Dei Adoratione.

Quintus est de *Dei Adoratione;* Deum solum adorandum esse, illum solum colendum, extollendum, laudandum, & celebrandum, nullumque alium hoc afficiendum honore, sive e beatis Angelis, sive e sideribus, sive ex iis, quæ quatuor Elementorum compositione constant: Hæc enim omnia ejus esse creaturas, circumscriptas, & finitas, ipsum vero solum esse Creatorem, principio & fine carentem, omnibusque creaturis necessitatem esse impositam, neque ullam ex iis sui Juris aut arbitrii esse; quippe quarum omnis voluntas & arbitrium a Deo pendeat, qui solus est liberrimum agens, & cujus voluntatem nemo remorari potest; ideoque etiam nullos מליצים *Melizim* Advocatos & mediatores inter eum & homines collocandos esse. Hæc autem omnia in eum finem adducunt, ut omnem Idololatriam procul amovendam moneant, cujuscemodi monitis tota Lex, & sacra Scriptura sunt refertæ.

6. De Prophetia.

Sextus Articulus vult, Deum gratia sua & mero beneplacito ex humano genere quosdam elegisse, quorum mentem & intellectum præ aliorum mentibus illuminaverit & purificaverit, spiritu Prophetiæ donaverit, eorumque intellectum Creatoris intellectui adhærere fecerit; ita ut per illos sit loquutus, & viam, per quam homines ambulare voluerit, illis revelaverit.

7. De Prophetia Mosis.

Septimus Articulus docet, *Mosem* inter Prophetas summum & præstantissimum fuisse, atque supremum sapientiæ, & humanæ perfectionis, dignitatisque gradum attigisse; adeo ut Angelis æquiparatus fuerit, ac ea propter ejus prophetiæ, in quatuor præcipue rebus aliorum Prophetarum prophetias superarint.

Differentia Prophetiæ Mosis, & cæterorum Prophetarum.

Primo, quod Deus cum aliis Prophetis loquutus sit per Angelum, qui medius inter Deum & illos intercessit; sed cum Mose ore ad os, facie ad faciem loquutus est. *Secundo*, aliis Prophetis prophetia contigit, aliquando per insomnia nocturna, aliquando per profundum soporem de die, ita ut omnia illorum membra, totumque adeo corpus diriguerint, & stupore perculsa fuerint; sola cogitatio vires suas retinuerit: Moses vero prophetias suas non ita accepit, ut de illo dictum est: *Si quis fuerit inter vos propheta Domini, in visione apparebo ei, vel per somnium loquar ad illum: at non ita servus meus Moses: ore enim ad os ei loquor: palam, & non per ænigmata & figuras Dominum videt Moyses:*

Num. 12. 6.

Itaque prophetias suas de die accepit, quum staret coram Cherubim; sicut scribitur: *Inde præcipiam, & loquar ad te supra propitiatorium, ac de medio duorum Cherubim, qui erunt super arcam testimonii, cuncta quæ mandabo per te filiis Israel.*

Exod. 25. 22.

Tertio, quando spiritus Propheticus alios Prophetas, vel per somnium, vel per visionem, vel per Angelum invasit; viribus omnibus & robore omni destituti, tantoque terrore & trepidatione correpti sunt, ut vix anima ipsorum in ipsis remanserit, uti de Propheta Daniele dicitur: *Vidi autem ego Daniel solus visionem: porro viri qui erant mecum, non viderunt, sed terror nimius irruit super eos, & fugerunt in absconditum, ego autem solus relictus vidi visionem grandem hanc, & non remansit in me fortitudo, sed & species mea mutata est in me, & emarcui, nec habui quicquam virium, & audivi vocem sermonum ejus, & audiens, jacebam consternatus super faciem meam, & vultus meus hærebat terræ.*

Dan. 10. 7.

Sed nullus terror irruit in Mosem, quando prophetias suas accipiebat: ideo Scriptura dicit de illo: *Loquebatur Dominus ad Mosem facie ad faciem, sicut solet loqui homo ad amicum suum*, hoc est, comiter & benigne, non autem cum terrore.

Exod. 33. 11.

Quarto, non prophetarunt alii Prophetæ arbitrio suo, quoties & quando voluerunt: sed demum, quando Deus jussit, & virtutem propheticam illis inspiravit. Unde sæpius Deum invocarunt, & ab illo spiritum propheticum petierunt; sæpius etiam non diu prophetarunt; interdum a prophetandi munere cessarunt; interdum quoque Musicis instrumentis recreari postularunt, ut Propheta Elisæus recreationis causa fecit.

2. Reg. 3.

Moses autem, quotiescunque voluit & necesse habuit, vaticinari potuit. Hinc scriptum est: *State, ut consulam quid præcipiat Dominus de vobis. Loquutusque est Dominus ad Mosem, dicens, &c.* Ita Moses omnes Prophetas superavit, nullusque Propheta unquam similis ei fuit.

Levit. 16. 2. Num. 9. 8.

8. De Lege Mosis.

Octavus Articulus agit de Lege, quæ Mosi ex ore Dei data est, ea ratione qua apud eos hodie invenitur. Quomodo autem hoc contigerit; An scilicet Deus scriptam Mosi tradiderit; an vero ipse Moses ex ore Dei exscripserit? certo sciri nequit. Siquidem autem omnia ex ore Dei profecta sunt: necessario vera esse oportet, nullaque est differentia inter

inter omnia vocabula, quæ in Lege scripta sunt. Ex. gratia; *Ego sum Dominus Deus tuus, &c.* Et, *Thimna concubina erat Eliphæ filii Esavi*: Item; *Filii Cham sunt Cusch, Mitsrajim, Put, & Canaan, &c.* Et, *Audi Israel Dominus Deus tuus Deus unus est*, & alia id genus; Omnia enim æque sunt sanctum & verum Dei verbum. Similiter etiam expositio Legis מפי הגבורה *Mippi haggevura* ex ore Dei profecta est; eo scilicet modo, quo hodie observatur in לולבין *Lulabbin* seu palmarum ramis, & aliis, quæ fieri solent in festo Tabernaculorum, in Tubæ inflatione, in ציצית & תפילין *Zizis & Tephillin*, Fimbriis & phylacteriis; aliisque ejusmodi rebus, quarum nulla expressa mentio fit in Lege Mosis, quæque hodie observantur, quemadmodum Deus Mosi, Moses vero illis exposuit, & oretenus declaravit. *Moses autem*, inquit Deus, *in omni domo mea fidelissimus est, & is de se dixit; In hoc scietis quod Dominus miserit me, ut facerem universa quæ cernitis, & non ex proprio corde ea protulerim.*

Exod. 20. 2. Gen. 36. 12. Gen. 10. 6. Deut. 6. 4. Num. 12. 7. Num. 16. 28.

9. De Legis immutabilitate.

Nonus Articulus agit *de Legis immutabilitate*; Legem nempe Mosis nunquam mutatum iri, nullam unquam aliam Legem illi adjiciendam, nihil illi, vel in Scriptura, quoad literas & apices, vel in expositione ac interpretatione addendum, aut detrahendum esse. Quapropter etiam Templum iterum instaurandum, Hierosolymam de novo ædificandam, sacrificia & Mosaicas Cæremonias omnes in pristinum suum statum restituendas, Judæos denique in patriam suam reducendos esse, ut illic Legem Mosis in æternum observent, &c.

10. De Scientia Dei.

Decimus Articulus, juxta literalem sensum, ex sacra Scriptura facile intelligi potest.

11. De Præmiis bonorum & malorum.

Undecimus Articulus, De bonorum malorumque operum Retributione agit. Et bonorum quidem operum merces maxima est עולם הבא *Olam habba* Seculum futurum, sive Vita æterna. Malorum vero operum pœna maxima æterna animarum est perditio: ideo scriptum: *Aut dimitte eis hanc noxam, aut si non facis, dele me de libro tuo quem scripsisti. Cui respondit Dominus: Qui peccaverit mihi, eum delebo de libro meo.*

Exod. 32. 32.

12. De Messia.

Duodecimus Articulus de Messia adhuc venturo agit, cujus adventus, etiamsi diutissime differatur, certissime tamen est sperandus. Nullus adventui ejus terminus, nullum præfixum tempus est ponendum, neque ex Scriptura inquirendum. Hinc Rabbinorum sapientissimi & doctissimi dixerunt: תפח רוחן של מחשבי קיצין *Rumpatur spiritus eorum qui supputant tempora.* Nihilominus tamen Messias credendus, amandus, celebrandus & invocandus est, ut cito veniat, quemadmodum omnes Prophetæ a Mose ad Malachiam usque Prophetarum ultimum, fecerunt. Qui vero de adventu ejus dubitat, הוא מכזיב התורה כולה *is totam Scripturam mendacii redarguit* (imo te, o cæce Judæe, Lex mendacii arguit, qui eum, qui jam pridem venit, venisse dubitas & credere recusas) quum apertissime promittatur in פרשה בלעם sectione *Bileam*, Numer. cap. 22. & in פרשה נצבים sectione *Nizzavim*, Deut. cap. 29. & 30. compluribusque aliis in locis.

13. De Resurrectione mortuorum.

Decimus tertius Articulus de mortuorum Resurrectione tractat, de qua nihil amplius hoc loco dicendum est.

Hæc ergo fundamenta qui perfecte credit, ille ad Israelitarum numerum pertinet, ejusmodi hominem amare, illius misereri, & omnia illi demonstrare oportet, quæ Deus Creator propinquo & fratri, ex vero amore, fraternitate, & amicitia demonstranda esse, præcepit. Homo autem talis, etsi omnia, quæ excogitari possunt, peccata, propter ingenitam humanæ naturæ pravitatem committat; is propter peccata quidem sua punietur, nihilominus tamen etiam futuri seculi erit particeps, & Israelitis peccatoribus annumerabitur. Qui vero vel unicum fundamentum, aut fidei articulum, concutere nititur, illique fidem non habet, is ad Ecclesiam Israelis nullo modo pertinet. Deum enim abnegat, & hæreticus atque Epicureus appellari debet; ut qui eradicet quod bene est plantatum, dignusque est qui expellatur, rejiciatur, & omnino perdatur. De ejusmodi enim dicitur in Scriptura: *Eos qui te oderunt odio sum prosequutus, Domine, & fastidivi illos qui in te insurgunt.*

Psal. 139. 12.

Hactenus Judaicæ fidei sensum fusius aliquanto deduxi e Rabbi Mosche filio Maimonis, qui vulgo apud Judæos רמבם *Rambam* appellatur, per scripturæ quoddam compendium, quod illi ראשי תיבות *Rasche Thebbos* appellant, ut hac ratione facilius perspici & cognosci possit, quonam præcipue Judaica hæc confessio spectet. Si enim diligenter hos articulos ex ipsorum libris perpendamus, facile animadvertere est, Maimonidem, quum hos articulos ita componeret, & sub Judaici nominis, & salutis æternæ jactura, serio omnibus præciperet & injungeret, ut illis pro fidei suæ symbolo uterentur, alio non collimasse, nisi ut Christianam fidem

Hæc Judaica fidei Confessio spectat ad fidem Christianorum convellendam.

fidem apud Judæos hac ratione convelleret, falsam & odiosam redderet, Judæosque ab illa averteret. Ita articuli illi, qui Deum Creatorem unum, incorporeum, & æternum asserunt, eo solum spectant, ut doctrinam Christianam de sacro-sancta Trinitate & Christi personа rejiciant & condemnent, quasi nos ex Trinitate tres Deos faciamus, & Christus non sit Deus, aut Divinam in se naturam habere non possit, quod non ab æterno, sed certo demum tempore humanum corpus assumserit. Quod si vero non sit Deus, non esse etiam invocandum: quum hoc Dei sit solius, ut habetur in articulo quinto: hominum etiam corda & cogitationes non novisse; siquidem Deus solus est cordium scrutator, prout articulus undecimus dicit. Pariter articulus sextus, septimus, octavus, & nonus, doctrinæ Christianæ, totique Novo Testamento ex adverso ponuntur, hucque faciunt, ut Christum verum Prophetam, vel doctorem divinum, Judæi negent; ut qui doctrinam suam non ex ore Dei, ut Moses, acceperit; imo contra Legem Mosis, quæ nunquam immutari debet, docuerit & prædicaverit, eamque multis in partibus immutaverit. Porro, si homo vitam æternam consequitur, eo quod pie vixerit, Dei præcepta observaverit, bonisque operibus studuerit: aut æternas pœnas promeretur, quod impie vixerit, & malis operibus deditus fuerit; quorsum Passio & mors Christi? Non cupio, (dicebat mihi nuperrime quidem Judæus) ut quisquam pro peccatis meis satisfaciat: Vulpecula, ut dicunt vulgo Germani, sua pelle luit. Ita huic doctrinæ adversatur articulus undecimus. Atque in hanc sententiam pedibus manibusque descendunt omnes reliqui docti Judæi, eamque publicis scriptis & libris consignant, inter quos vel præcipuus est Rabbi Joseph Albo Hispanus, qui Anno Christi 1425. librum conscripsit sub titulo ספר עקרים *Sepher Ikkarim*, id est, Liber fundamentorum, seu articulorum fidei, in quo fidem Judaicam strenue confirmat, & acerrimam adversus Christianorum fidem disputationem habet. Judaicam autem fidem tribus præcipue fundamentis inniti vult: *Primo*, על מציאות השם super Una unius Dei Essentia, quo pacto & Trinitatem, & Christi Deitatem negat. *Secundo*, על תורת משה מן השמים super Lege Mosis e cœlis data, & ex ore ipsius Dei promulgata. Ita Christi doctrinam, Novumque Testamentum rejicit, ac proinde innuit, Christum falsum fuisse Prophetam, non autem Messiam pro-

Fundamenta fidei Judaicæ tria secundum Joseph. Albo.

missum, ut etiam in duobus istis articulis, nempe de Trinitate, & Persona Christi, præcipua inter Judæos & Christianos sita est Controversia. *Tertio*, Judaicam fidem collocat על שכר ועונש super æterna remuneratione bonorum, & æterna pœna malorum operum; qua ratione Passionem & Mortem Christi, pro hominum peccatis, spernit. Huc etiam facit impurus ille & execrandus liber ניצחון *Nizzachon*, id est, Victoria, de Christianis scil. reportata, quem *Rabbi Lipman*, composuit, & ex ore ipsius diaboli dictantis excepit, anno Christi 1459. quo Evangelicam historiam quatuor Evangelistarum impugnat, & ex quo *Sebastianus Munsterus*, ante complures annos meus in hac Academia Antecessor, & linguæ sanctæ Professor, multa attulit & refutavit, in Evangelio Matthæi Hebraico a se Basileæ edito.

Liber Nizzachon,

Quum itaque Judæi, in hac sua induratione & cæcitate Christianam fidem abnegare, & falsitatis redarguere voluerunt, ipsimet in maximam incredulitatem inciderunt, & a vera in verum Deum fide omnino recesserunt, ita ut ipsimet, quid credant, ignorent. Etiamsi enim superbe de solida sua & perfecta in Deum Creatorem cœli & terræ, qui unus est, & cujus essentia una est, quique ab æterno, & in æternum, mansurus est, fide glorientur; ejusmodi tamen fidem, rectam fidem appellare non possumus: siquidem Deum, in quem se credere falso putant, non ea ratione agnoscunt, qua se in verbo suo agnoscendum præbuit. Moses enim & Prophetæ nobis in Veteri Testamento, quantumvis paulo obscurius quam in Novo, indicant, Deum in sua essentia quidem Unum esse, sed personis Trinum; nempe Deum Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum. Quandoquidem itaque Judæi in ejuscemodi Deum non credunt, (qui tamen rectus & verus Deus est, cœli & terræ Creator) sed in illo offenduntur, eumque Deum esse negant; necessario sequitur; eos in verum Deum non credere, sed potius in summa superstitione & incredulitate immersos jacere. Quod autem credunt, omnia quæ a Mose & Prophetis dicta scriptaque sunt, vera esse; nihil quoque illis addendum, nihil ab illis detrahendum; Mosen summum & præstantissimum Prophetam fuisse; omnia quidem illa vera sunt, & bene dicta, sed male ab illis & intelliguntur, & creduntur. Primum enim, non omnia illa solum, quæ in Mosis & Prophetarum libris scripta sunt, vera esse existimant; sed etiam sapientissimorum suorum Rabbinorum dogma-

Quomodo sua induratione Judæi in maximam incredulitatem inciderint.

ta

at vera esse credunt; immo plus illis fidei, quam ipsis Mosis verbis, tribuendum censent. Deinde, Traditiones Majorum suorum, non habent loco תוספות *Tosephos*, id est, Additamentorum Legis, sed pro ipsa Lege, quam Moses ex ore Dei exceperit, quamque ipse oretenus duntaxat alios docuerit, neque scriptis comprehenderit; ne scilicet Ethnici eam discerent, ac Legem Mosis se quoque observare, gloriarentur. Censent enim, Legem Mosis, absque orali ista expositione & Traditionibus, neque intelligi, neque observari perfecte posse, uti paulo post fusissime declarabitur. In eo etiam longe a scopo aberrant, quod existiment, nihil prorsus unquam in Lege immutandum esse. Lex enim cæremonialis Christum tantum indicabat, qui & ipsi finem imposuit: mox etiam ab illius impletione, Templum sanctum solo æquatum est, Hierosolyma cum sacris omnibus vastata & desolata, Judæi ex patria sua expulsi, & in omnes nationes dispersi sunt, ut sic tandem agnoscerent, nonnisi unum pastorem, unumque ovile esse, Ethnicos vero, & a Republica Israelis antea alienos, juxta multas insignes prophetias, ad communionem fidei in Deum omnipotentem, Creatorem cœli & terræ, venisse, & præstantissimi illius verbi divini thesauri, Judæis primum concrediti, participes factos esse. Similiter in eo valde peccant, quod Mosen tam magnum Prophetam fuisse censeant, ut Christus non tantum cum eo comparari non potuerit, sed & præ ipso quasi falsum docuerit. Experientia autem docet, plurimos Judæos in conscientia sua de hac falsitate convinci. Bene etiam credunt, in Mose & Prophetis Messiam promitti: sed in eo graviter hallucinantur, quod non solum credere nolint, illum jam ante multos annos venisse, sed etiam nesciant, cur, & cui bono Messias mittendus fuerit. De Messia enim tantummodo credunt, se ab illo, non secus atque a Mose & ab Aharone, ex hac corporea & terrestri captivitate liberandos, & in terram suam iterum deducendos esse, ne amplius absynthia tetra inter gentes bibere cogantur, sed potius dulcissimo lacte, & suavissimo melle Cananæo, satiari & recreari possint. Spiritualem autem peccatorum captivitatem non curant: possunt enim peccatorum pœnam in corpore ferre, vitamque æternam, præceptorum divinorum observatione, & bonorum operum studio, facillime promereri. Sunt enim, si credere fas est, גוי קדוש *Goi kadosch*, Gens sancta, & Deo accepta. Articulum undecimum quod attinet, persuasum illis est, eum, qui multa præcepta, & bona opera præstiterit, maximam in futuro seculo mercedem reportaturum, ut legitur in Talmude his verbis: כל ישראל יש להם הלק לעולם הבא שנ׳ ועמך כולם צדיקים לעולם ירשו ארץ נצר מטעי מע שדה ידי להתפאר: *Totus Israel partem habet futuri seculi, prout dicitur*: Populus tuus omnes justi sunt, in perpetuum hæreditabunt terram, germen plantationis meæ, opus manus meæ ad glorificandum. Nihilominus tamen, & priores & potiores sunt hujus partes in seculo futuro, quam illius: ille scilicet, qui plura bona opera fecerit, majorem in eo partem habebit: impii vero, qui nulla ducuntur pœnitentia, nulloque propter peccata sua mœrore premuntur, per duodecim menses in inferis sive purgatorio patientur, ac postea demum partem suam consequentur in vita æterna, sed non adeo magnam quam justi vel pii. Iis vero, qui Deum prorsus abnegant, & sanctum ejus nomen prophanant, (nempe qui a Judaica fide deficiunt & Christiani fiunt) præputium de novo crescit, quasi nunquam circumcisi fuissent, illosque volunt in æternum in inferis permanere. Qui moriens filium relinquit, lætus moritur, hac se consolatione sustentans, se a filio suo ex purgatorio liberatum iri. Liberatio autem hæc fit precatione quadam, quam קדיש *Kaddisch* vocant: eam si filius per integrum annum quotidie recitet, pater liberatur. Ita etiam pia uxor maritum suum mortuum potest ex inferis liberare. Interdum quoque contingit, maritum & uxorem pietate dissimiles esse, ita ut alterutra pars digniori loco in seculo futuro digna sit: tum Deus illorum miseretur, & simul eos in cœlum deducit, æqualibusque sedibus locat. In summa, omnes omnino Judæi participes erunt vitæ æternæ, in Cœlos ingredientur, sed alter alterum honore & dignitate superabit. Non secus atque apud regem aut principem, qui magno stipatus comitatu, urbem ingreditur, singulis quidem hospitia sua assignantur, singulis cibus & potus exhibetur; non iisdem tamen hospitiis, nec eodem cibo omnes excipiuntur, sed dignitatis singulorum ratio habetur. Eodem omnino modo quoque fiet in seculo futuro.

Tract. Sanhed. cap. 11. in princ.

Esa. 6. 21.

Cæcitas Judæorum in Articulo de Resurrectione.

In articulo de mortuorum Resurrectione, Judæi increduli viventes sunt mortui. Primum enim solos Israelitas, non etiam gentiles, resurrecturos asserunt. Hi-

Hinc in Rabbi Bechai, libro כד הקמח Kad hakkemach *Cadus farinæ*, legitur: ארבע מעלות פרטיות לישראל בלבד ולא בשאר האומות וכו׳ id est, *Quatuor speciales sunt Israelis dignitates, quas aliis gentibus Deus non est impartitus; nempe Terra Cananæa, Lex, Prophetia, & mortuorum Resurrectio*. Id repetit sectione legali *Schophetim* (Deut. 18.) his verbis: ד׳ דברים הן שלא זכתה להם שום אומה כי אם ישראל והן הנבואה והתורה וארץ ישראל ותחיית המתים וכו׳: id est, *Quatuor res sunt, quibus non fuit dignus ullus populus, nisi Israel, nempe, Prophetia, Lex, Terra Israel, & Vivificatio mortuorum*. Fusius idem diducit in parascha וזאת הברכה Deut. cap. 33. addens: כן מצינו בישעיה עליו השלום שהתנבא על אומות העות העולם ואמר מתים בל יחיו רפאים בל יקומו וחזר והתנבא על ישראל ואמר יחיו מתיך נבלתי יקומון הקיצו ורננו שוכני עפר כי טל אורות שלך: באר שאין תחית המתים אלא בישראל id est, *Sic etiam invenimus in Esaia (super quo sit pax) quod prophetavit de gentibus hujus mundi & dixit:* Mortui non reviviscent, qui obierunt, non resurgent. *De Israele autem dixit*: Reviviscent mortui tui, & cadavera mea resurgent: expergiscimini & laudate, qui habitatis in pulvere: nam ros olearum virentium ros tuus est, &c. *Quibus declarat, non fore resurrectionem, nisi Israelitis*. Ibidem mox ex Talmude, rem integram in hunc modum persequitur: שלוש כתות ליום הדין אחת של צדיקים גמורים ואחת של רשעים גמורים ואחת של בינוניים שעונותיהם וזכיותיהם שקולין: צדיקים גמורים נכתבים ונחתמים לאלתר לחיי העולם הבא: רשעים גמורים נכתבים ונחתמים לאלתר לגיהנם שנאמר ורבים מישני אדמת עפר יקיצי אלו לחיי עולם ואלו לחרפות וגומר; *Tres classes sistent se ad diem judicii futuri*; Prima eorum, qui perfecte sunt justi; Secunda improborum perfectorum: Tertia intermediorum, quorum iniquitates & justitiæ pares sunt. *Perfecte justi illico adscribentur & obsignabuntur ad vitam æternam. Impii perfecti scribentur & obsignabuntur illico ad gehennam, sicut dicitur*: Et multi de dormientibus in terræ pulvere evigilabunt, alii in vitam æternam, alii in opprobrium, &c. Adjungit Rabbi Bechai; והא למדת שיהיו אף הרשעים והתחיה ההיא לרעתם כי יהיו נדונין בגוף ובנפש בגיהנם וכו׳ id est, *Hinc discis, etiam impios (ex Israele) resurrecturos: verum hæc resurrectio in perniciem ipsis cedet: corpore siquidem & anima punientur in Gebenna, &c.* בינוניים יורדין לגיהנם ונדונין שם י״ב חדש לאחר י״ב חדש גופן כלה ונפשן נשרפת ורוח מפזרתן תחת כפות רגלי צדיקים וכו׳ id est, *Intermedii descendent in gehennam, & ibi per duodecim menses plectentur: elapsis duodecim mensibus corpus eorum consumetur, & anima comburetur, cineresque disperget ventus sub plantas pedum justorum*. Hactenus Bechai. De postremis istis ex Propheta Zacharia, & ex Samuelis primo, ita in Talmude agitur: בינוניים שעונותיהם וזכיותיהם שקולין יורדים לגיהנם ומצפצפין ועולין שנאמר והבאתי את השלישית באש וצרפתים כצרוף את הכסף ובחנתים כבחון את הזהב ועליהן אמרה חנה ה׳ ממית ומחיה מוריד שאול ויעל: *Medii, quorum peccata & bona opera sunt paria, descendent in gehennam, ubi pipient, & inde adscendent, sicut dicitur:* Et traducam tertiam partem per ignem, & defæcabo eos, sicut defæcatur argentum, & probabo eos, sicut probatur aurum, &c. *De iisdem etiam dicit Anna prophetissa*: Dominus est qui interficit & qui vivificat, qui detrudit in infernum & inde educit. Sic etiam Rabbi David Kimchi in Psalmum primum: הרשעים לא תהיה להם תקומה אלא תאבד נפשם עם גופם ביום המיתה: id est, *Impiis non erit resurrectio, imo peribit anima ipsorum simul cum corpore in die mortis*. Hæc tamen non est omnium Rabbinorum sententia. In hunc quoque sensum scribit idem Jesa. 26. תחית המתים לצדיקים ולא לרשעים *Mortuorum vivificatio, piorum est, non autem impiorum*. Rabbi Saadia in locum modo ex Daniele citatum, ad vocem רבים *Multi*, scribit: ורבים מישני אדמת עפר יקיצו, זו תחיית מתי ישראל שגורלם לחיי עולם: ואלה שלא יקיצו הם עוזבי יי׳ אשר ירדו לדיוטא התחתונה של גיהנם והיו דראון לכל בשר id est Et multi de his qui dormiunt in pulvere terræ, evigilabunt: *Hæc est vivificatio mortuorum Isralitarum, quorum sors est ad vitam seculi futuri: ii vero qui non evigilabunt, sunt qui Dominum dereliquerunt, & idcirco descendent in conclave infimum gehennæ, eruntque in opprobrium æternum*. Aben-Ezra in hunc Danielis locum scribit: ורבים, אמר הגאון כי פירושו אלה שיקיצו יהיו לחיי עולם ואלה שלא יקיצו יהיו לחרפות ולדראון עולם: *Haggaon dicit; vocis hujus* ורבים Et multi, *explicationem esse, eos qui evigilabunt, vitam æternam consequuturos, eos vero, qui non evigilabunt, æterno opprobrio & ignominiæ fore obnoxios*. Verum Aben-Ezra ex sententia sua subjicit, והטעם לפי דעתי שהצדיקים שמתו בגלות יחיו בבוא הגואל יכי עליהם כתוב כימי העץ ימי עמו ואז יתענגו בלויתן ובזיז ובבהמות וימותו פעם שנייה ויחיו בתחיית המתים בהיותם בעולם הבא שאינם אוכלים ושותים

רק

fol. 8. 1.

Esa. 16. 14.

vers. 19.

Rosch haschana, cap. 8. fol. 16. 2.

Tres classes eorum, qui resurgent.

Dan. 12. 2.

Zach. 13. 9.

1. Sam. 2. 6.

Psalm. 1.

Jesa. 26. 19.

Dan. 12. 2.

רק נהנים מזיו השכינה: id eſt, *Sed ſenſus, mea quidem ſententia, eſt quod juſti, qui in capitivitate mortui ſunt, reviviſcent quando redemtor* (id eſt, Meſſias) *veniet, de illis enim ſcriptum eſt*: Secundum dies arboris erunt dies populi mei. Tunc oblectabunt ſe cum (balæna) Leviathan, & cum ave Ziz, cum Behemoth (de his infra peculiari capite dicetur.) *Poſtea morientur vice ſecunda, & reviviſcent in vivificatione mortuorum, & cum fuerint in ſeculo venturo neque edent, neque bibent, ſed majeſtatis divinæ ſplendore fruentur, &c.*

Eſa.65.22.

Gen.47.29

De reſurrectione eorum qui extra terram Canaan moriuntur.

Legitur Geneſ. 47. Iſraelem, quum mortis ſuæ tempus inſtare videret, Joſephum appellaſſe, eumque jurejurando adſtrinxiſſe ne in Ægypto ipſum ſepeliret, ſed in Cananæam deferret, & Majorum ſuorum ſepulchro conderet. Hic Rabbi Schelomo Jarchi ſcribit: אל נא תקברים במצרים שסופה להיות עפרה כנים ושאין מתי חיצה לארץ חיין אלא בצער גלגול מחלורת ושלא יעשוני מצרים ע״ז id eſt. *Ne ſepelias me in Ægypto: quia futurum eſt, ut pulvis illius aliquando in pediculos convertatur: deinde, quoniam ii, qui extra terram Canaam moriuntur, non reviviſcent, niſi per dolorem volutationis, quæ fit per occultas terræ cavernas: denique ne Ægyptii ex me idolum faciant.* Hæc ut melius intelligantur, adducam, quæ in libro Tanchuma (Commentarius eſt in pentateuchum) fuſiſſime hac de re ſcribuntur in eundem locum: *Rabbi, nomine Rabbi Chelbo, dixit: Cur tantopere optarunt patres ſepeliri in terra Canaan? Quia mortui & ſepulti in terra Canaan primi omnium in diebus Meſſiæ reviviſcent. Rabbi vero Hananiah dixit: Quiſquis extra terram Canaan moritur, illius cervici gemina mors imminet,* (id eſt, illi bis moriendum eſt] ut *ex hoc verſiculo diſcimus*: Tu autem phaſſur & omnes habitatores domus tuæ, ibitis in capitivitatem, & in Babylonem venies, & ibi morieris ibique ſepelieris tu, & omnes amici tui, quibus prophetas mendacium. *Dixit ad eum Rabbi Simon: ſi ita ſe res habeat, omnes juſtos, qui extra terram Canaan ſepulti ſunt, perire neceſſe eſt. Abſit. Sed Deus facit ipſis profundas cavernas in terra, per quas tamdiu ſeſe volvunt, donec in terram Iſrael perveniant, quo poſtquam pervenerint, naribus illorum Deus ſpiraculum vitæ inſpirabit, ita ut reſurgant, uti ſcribitur:* Ecce ego aperiam tumulos veſtros, & educam vos de ſepulchris veſtris, o popule mi, & inducam vos in terram Iſrael, & dabo ſpiritum meum in vobis, & vivetis, & requieſcere vos faciam ſuper humum veſtram. *Tunc dixit Rabbi Simon ben Levi; expreſſe dicit Scriptura; quamprimum in terram redierint, animam corpori ipſorum Deus reſtituet, ſicut ſcriptum eſt*: Hæc dicit dominus Deus, creans cœlos, & extendens eos, firmans terram, & quæ germinant ex eâ, dans flatum populo qui eſt ſuper eam, &c. Hæc, juxta doctrinam Judaicam, de Judæis mortuis, qui in terræ cavernis volutantur, ſunt intelligenda: non autem de iis, qui ſupra terram verſantur. De hac Volutatione, quæ ab ipſis vocatur גלגול המתים *Gilgul hammetim*, etiam intelligendum, quod legitur in Targum, ſeu Paraphraſi Chaldaica Cantici Canticorum, in hunc modum: כד יחון מיתיא עתיד לאתבזעא טור משחא וכל מיתיא דישראל עתידין למפק מתחותוהי ואפילו צדיקיא דמיתו בגלותא עתידין למיתי אורח כוכיא מלרע לארעא ונפקין מן תחות טור משחא: id eſt, *Quando reviviſcent mortui, mons Olivarum findetur, & omnes Iſraelitæ mortui inde prodibunt: juſti quoque, qui in captivitate mortui ſunt, venient per cavernas ſubterraneas, & exibunt de imis montis Olivarum partibus.* Sic in libro Zohar col. 206. ſcribitur: *Non dat Deus ipſis* (mortuis ſc.) *animas niſi in terra Iſraelis, ſicut ſcriptum eſt*; Cum aperuero ſepulchra veſtra, & educam vos ex ſepulchris veſtris, & introducam vos in terram veſtram, Ezech. 37. ℣. 13. *Devolventur enim illuc ſub terra, &c.* In Talmud Hieroſolym. in Kilaim cap. ultimo: *An ergo Rabbini qui moriuntur in captivitate pereunt? Dixit R. Simai: Deus perforat ipſis terram, & illi per eam devolvuntur inſtar doliorum vini.* Volutatio hæc piis eſt moleſta, & dolori, ſicut legitur in Talm. Ketubh. fol. 111. 1. גלגול לצדיקים צער הוא *volutatio juſtis eſt dolor.* Hinc facile eſt conjicere, quanti Judæorum interſit, ut in patriam ſuam revertantur, ibique inſtar piorum Judæorum moriantur, ut iſtius volutationis, ſub tot profundiſſimis aquis, & duriſſimis montibus, dolore ſummo, & labore graviſſimo, liberentur. Mihi quoque ſæpe retulerunt Judæi, opulentiores ſuæ gentis & pietati addictiores, vel hoc ſolo nomine in terram Iſraelis proficiſci, ut poſt mortem corporibus ſuis quietem concilient, & de ſua Reſurrectione tanto ſint certiores. Ajunt enim quoque inter alia; *Longe præſtantior ac dignior habeatur is, quem vivum colligit Terra Iſraelis, quam is quem colligit poſt mortem.* Immo etiam; *Sepultus in terra Iſraelis, eſt quaſi ſepultus eſſet ſub altari.* Coſri par. 2. §. 22.

Geneſ. 47.

Jer. 20. 6.

Ezech. 37. 12. 14.

Jeſa. 42. 5.

Cap. 8. 5.

Atque hæc eſt illa אמונה שלמה *Emuna*

na schelema, perfecta, firmaque fides, cui tam pertinaciter inhærent, & quam saluti suæ fundamentum, non tamen sine magnis ut plurimum suspiriis, substruunt. Hinc itaque quilibet facile perspicere potest, quam bene & egregie fidei suæ fundamentum in Mose & prophetis locarint, quaque ingenii dexteritate sacras Scripturas tractent & exponant.

De bonis operibus Judæorum

Prout autem fides Judæorum, sic & bona ipsorum opera ad decem Dei præcepta sunt comparata. Mirum enim, quam hic sese exserat sapientissimorum Rabbinorum superbia. Plebi namque & infimæ Judaicæ multitudini persuadent, se sanctum illum, circumcisum & electum Dei esse populum, qui non solum decem Dei præcepta, sed etiam totam Legem Mosis observare possit. Ulterius quoque progressi, miserum illum imperitumque Mosen, imo Deum ipsum, in ordinem redegerunt, ac totam Legem Mosis in sexcenta & tredecim *Præcepta* diviserunt, *Affirmativa*, scilicet, & *Negativa*. *Affirmativa*, sive *Jubentia* sunt ducenta quadraginta octo, juxta numerum membrorum corporis humani: tot enim, ex Anatomia Rabbinica, membra corporis esse affirmant, *Præcepta negativa*, sive *Prohibitiva*, trecenta sexaginta quinque constituunt, juxta numerum dierum anni solaris, vel (ut habetur in libro, quem Germanice Brandspiegel appellant, Cracoviæ & alibi excuso) juxta numerum venarum in corpore humano. Si igitur singula hominis membra singulis diebus unum mandatum observaverint, & ab uno interdicto sibi caverint, non solum decem Dei præcepta, sed etiam tota Lex Mosis, singulis annis, imo in æternum, bene ab illis observata fuerit. Hic scilic. sancta Thora sive Lex vocatur בכל ערוכה ושמורה *Per omnia bene ordinata & observata*. (2.Sam. 23. 5.) Hic itaque facessere potest Propheta Esajas cum sua hac querela: *Et terra infecta est ab habitatoribus suis, quia transgressi sunt leges, mutaverunt jus, dissipaverunt fœdus sempiternum*. Dubio procul beatus Stephanus iterum ab illis lapidibus obrueretur, si denuo conqueri, & Judæis de pietate illorum litem movere vellet, dicendo; *Duri cervice, & incircumcisi corde & auribus, vos semper Spiritui Sancto obnitimini, sicut patres vestri, ita & vos, qui accepistis legem per dispositionem Angelorum nec servastis*.

Divisio præceptorum Dei in

Affirmativa.

Et Negativa.

Esa. 24. 5.

Actor. 7. 51.

Speculum ardens c. 13. 15.

Præterea dicunt sapientissimi doctissimique Rabbini, horum sexcentorum & tredecim præceptorum observationi solos viros esse obnoxios; mulieres vero non ad omnia adstrictas esse. Has enim volunt omnibus quidem præceptis prohibitivis, sed jubentibus nequaquam universis, & per omnia, teneri. Quædam enim præcepta statis solum temporibus observanda sunt, non autem quotiescunque libet: quædam etiam ad mulieres omnino non pertinent; ut Circumcisio, Officium Sacerdotum & Levitarum, Primogenituræ, & alia id genus: interdum etiam quædam præcepta præstare non possunt propter maritos, qui jus habent illis imperandi, illasque vel invitas ad alias operas cogendi. Uxores enim maritis suis obtemperare & ministrare tenentur. Et si quis exactius inquirere, & rationes inire voluerit, inveniet, mulieres sexaginta quatuor tantum præceptis negativis, & triginta sex affirmativis, obnoxias esse. Hæc nempe a prudentissimis Rabbinis, circa observationem legis, gratia facta est mulieribus; eo quod non semper otiosæ sint, & multis aliis negotiis domesticis, ut ciborum præparatione & coctione, lotione, liberorum educatione, & variis maritorum mandatis exequendis, occupatæ.

Mulieres non sunt ad omnia præcepta obstrictæ.

Vide & inf. cap. 4.

Porro autem nondum satisfecit Judæis numerus ille præceptorum modo commemoratus, sed orti sunt quidam sapientes, & summa pietate præstantes viri, qui superioribus præceptis, septem adhuc addiderunt, ita ut ad sexcenta & viginti excreverit summa; quot scil. voces sunt in Decalogo Hebraico, quotque in numeris conficit vox כתר *Keter*, quæ *Coronam* significat; *Caph* n. *Tav*. *Resch*. sexcenta & viginti constituunt. Nempe si quis hæc omnia præcepta observare posset, totius orbis Corona foret. Necessum tamen est ut observentur: Mundus enim subsistere non potest, nisi propter præcepta, uti Sapientes exposuerunt & docuerunt ex hoc Prophetæ Jeremiæ loco: אם לא בריתי הקות ארץ ושמים לא שמתי: *Im lo beriti chykkos eretz veschamajim lo samti*, hoc est, *Absque fœdere meo esset, fundamenta terræ & cœlorum non posuissem*. Ita scilicet egregius iste Prophetæ locus Judaice, hoc est, fœdissime & turpissime in Speculo ardente corrumpitur & pervertitur; Aptum enim vineæ sarritio, (hoc est, Asinum saltatio) & Judæum Scripturæ expositio, æque decent. Ergo absque Lege esset, quæ hic ברית *Berit*, id est, Fœdus appellatur, cœlum & terram non creassem, & omnia adhuc per legis observationem subsistunt. Et qui præcepta omnia custodiunt, illi Creatoris capiti coronam imponunt, & Deus vicissim septem

Adauctus præceptorum 613. ad 620.

Jer. 33. 25.

ptem

ptem coronis coronat illos, hæredesque constituit septem conclavium in horto Eden, & e contrario a septem Gehennæ conclavibus liberat; eo quod septem cœlos & septem terras conservarint. Hinc legitur in Talmud, in tractatu Joma:

Joma cap. 3. in fine.

אמר רבי אליעזר אפילו בשביל צדיק אחד עולם נברא תנאמר וירא אלהים את האור כי טוב ואין טוב אלא צדיק שנאמר אמרו לצדיק כי טוב: hoc est, *Dixit Rabbi Eliezer, Etiam unius justi gratia mundus creatus est, sicut dicitur*; Et vidit Deus lucem, quia bonus, (hoc est, *ut Glossator exponit*; *Et visum est Deo* confirmare Lucem, propter justum, qui est Bonus.) *Bonus enim nihil aliud designat quam Justum, quemadmodum scriptum est*; Dicite justo, quoniam bonus. (Ita proinde sensus loci illius Mosis est. Vidit Deus unicum esse justum, per quem subsisteret mundus, Adamum scilicet plures enim homines tum nondum erant) אמר רב חייא בר אבא א״ר יוחנן אפילו בשביל צדיק אחד העולם מתקיים שנאמר וצדיק יסוד עולם: *Retulit Rabb Chaja bar Abba, Rabbi Johannem dixisse, etiam propter justum unum mundum subsistere, idque ex versu illo Proverbiorum Salomonis*; Justus autem est fundamentum mundi. Scribunt insuper sapientes, unamquamque corporis humani venam hominem, veluti fræno, cohibere, ne in vetitum nitatur (& hac ratione 365. præcepta illa prohibentia exacte observantur;) sin minus, vulgo dici solere, *Ne unicam quidem boni sanguinis venam habet*; (o miserum te Judæum, ubinam igitur, non dicam venula, sed unica purioris sanguinis guttula in te reperitur?) Contra etiam membra instant & hominem sollicitant, ut, quod præceptum est, exsequatur. Rex Salomo in proverbiis dicit; *Serva mandata mea, & vives*; hoc est, Si venæ tuæ & membra tua ad bonum te incitent, in æternum vives. David quoque in Psalmis inquit; *Omnia ossa ejus custodit Dominus, unum ex his non conteretur*, hoc est, Si mandata serventur, ossa non conterentur.

Gen. 1.31. Ps. 3. 10. Prov. 10. 25. Prov. 7. 1. Ps. 34. 21.

Hac ratione miseri illi, cæci, & amentes Judæi eo redacti sunt, ut neque possint, neque velint, intelligere, quid sit fides, quid bona opera, sed eadem semper oberrent chorda, & in dementia illa sua continuo persistant. Non immerito itaque de illis propheta Sophonias; *Prophetæ ejus vesani, leves, & inconstantes; Sacerdotes ejus polluerunt Sanctum, & violenter legem tractant*. Utique pudere eos aliquando deberet crassi illius stuporis, quem produnt, Verbum Dei tam ridicule discerpendo & detorquendo, perinde ac si sensus communis expertes omnino essent. Dum enim male fundatam suam fidem declarare & stabilire, dum Scripturas interpretari aggrediuntur, Corybantum somnia & imaginationes, non hominum sanorum, & penes quos adhuc hodie sit Scriptura, expositiones afferunt, & in Cimmeriis illis tenebris, ipsi Leberide cæciores, manibus iter frustra prætentant. Verum de Judaica fide, vel potius horrenda incredulitate, plura nunc dicere supersedebo; quia illa plus nimio, & illorum sæpe ingratiis, in hoc libro exponetur: sed aliquid duntaxat hic de tantæ cæcitatis, tantique stuporis in Dei & verbi Divini cognitione causis attingam.

Soph. 3.4. Quomodo Judæi verbum Dei detorqueant & corrumpant.

De causis cæciatis & stuporis Judæorum

Ex Veteris Testamenti historia liquet, Judæos propositi semper adeo tenaces fuisse, ut nullis inde machinis unquam dimoveri potuerint: quam ob causam a Mose, cæterisque Prophetis, passim gravissime fuerunt reprehensi, maxima etiam Prophetarum pars ab ipsis interfecti, unde *Prophetarum interfectores* in Novo Testamento appellantur. Posteaquam enim Deus eos in peculiarem sibi populum assumsit, fœdus cum iis pepigit, illudque externo signo, Circumcisione nimirum, veluti sigillo in carne eorum, obsignavit, eos ex hostium manibus ereptos, in terram, quæ reliquas omnes, & cœli temperie & soli fertilitate, superabat, brachio extenso & manu robusta, introduxit, iis verbum suum, Legemque suam per Mosem dedit, ex cujus præscripto vivere, Deum agnoscere, confiteri, laudare & celebrare debebant, quum totius terrarum Orbis profundissima Idololatriæ voragine submersus esset, verumque Deum cœli & terræ creatorem, ignoraret; tum ipsi superbire, tum gravi atque intolerabili arrogantia sese supra reliquas nationes efferre, plenis buccis Sanctum & electum Dei populum se jactare, nihil aliud nisi Circumcisionem, nisi Legem crepare cœperunt: ubi vero terram sanctam occuparunt, sanctumque & religiosum Deo templum acceperunt, sacrificia, &c. peregerunt; quam superbe tum & insolenter de Terra sua, Urbe, Templo, Sacrificiis, cæteroque cultu divino sunt gloriati? Super his quicunque eos increpavit, & Abrahæ filios esse negavit, qui ruinam illis & exitium e Deo est minatus, qui exules atque extorres a solo patrio, quod incircumcisis auribus & cordibus essent, fore prædixit: is confestim pseudopropheta habitus, & manibus illorum interfectus fuit. Atque ita semper in vetere sua sententia per-

perseverarunt, & externo fœderi, nudæ & externæ Legi, juxta simplicissimum literalem sensum, externis operibus, cæremoniis, ritibusque legalibus, mordicus & pertinaciter adhæserunt, in Deum omnesque illius prophetas insultarunt, neque pensi quicquam habuerunt inquirere, an vera Dei Cognitio, Timor, & Honor, in animis suis, nec ne, sedem fixisset? ita ut tandem Deo summum gentis illius fastidium subierit, illisque iratus, *eos gentem sceleſtam, populum iniquitate onuſtum, semen malitioſum, filios perditiſſimos, qui Dominum deseruiſſent, Sanctum Iſraelis irritaſſent, & retro ceſſiſſent*, appellaverit; *duros, ferreæ cervicis, frontis æneæ, cordis indomiti*, esse sit conquestus; *se sanctis patriarchis satos mentiri*, exprobraverit; *natos potius & oriundos esse e terra Canaan, patre Amorrhæo, & matre Chetæa*, reprobis nempe, & maledictis, ut ex Mose notum est, gentibus; interminatus etiam sit, se illos *ex terra eorum, in terram, quam nec ipsi, nec patres eorum unquam noverunt, ejecturum, nullam illis clementiam impartiturum, eos ab hæreditate, quam dederat ipsis, expulsurum, effecturumque, ut ipsi hostibus suis in terra ignota serviant, domum, quæ de Dei nomine appellaretur, & de qua tantopere gloriabantur & confidebant, locumque illum, quem patribus illorum dederat, non secus atque tabernaculum Silo, eversurum, eosque e conspectu suo ejecturum*, atque tandem ita Esajam compellarit; *Crassum reddito cor populi hujus, & aures ejus fac hebetes, & oculos ejus obline, ne forte vel oculis suis videat, vel auribus suis audiat, vel corde intelligat, quo conversus saluti restituatur*. Sic enim diu ante Deus illis per Mosem minatus erat; *Quod si vocem Domini Dei tui non audieris, ut custodias & facias cuncta præcepta & statuta ejus, quæ ego tibi præcipio hodie, venient super te omnes execrationes istæ, & apprehendent te, percutiet te Dominus amentia, & cæcitate, ac furore mentis, & palpabis in meridie, sicut palpare solet cæcus in tenebris, neque prosper eris in viis tuis, & omnino talis eris, qui vim & injuriam patiaris, quique diripiaris, idque cunctis diebus, nec erit qui eripere possit*. Prima itaque & præcipua cæcitatis & indurationis Judæorum causa est, justum Dei judicium, & pœna, quam, juxta illius minas, subierunt; *quod voci ejus non auscultarint, ore quidem suo ad illum accesserint, & labiis suis eum honorarint: cor autem eorum longe ab eo absuerit, tali denique doctrina, quæ meris præceptis hominum constabat, coluerint*, uti Propheta Esajas de illis conquestus fuit. Unde conjicere est, eos mature a Dei verbo recessisse, & totos a sua ipsorum sapientia, ab ingenii sui dexteritate, a sapientum & doctorum suorum, qui ab Esdræ temporibus *Scribæ* appellati sunt, doctrina pependisse, & pluris illorum expositiones, statuta, leges, præcepta, quam Prophetarum doctrinam, fecisse, quem errorem prophetæ quidem impugnarunt, & insectati sunt, sed parum profecerunt. Quænam autem illa mandata sint quæ Dei mandatis prætulerunt, & quorum gratia ab illis recesserunt, docet nos Christus ipse in Novo Testamento, cum Judæi illum reprehendere vellent, quod discipuli illius non observarent instituta majorum, *ut ablutiones manuum, poculorum, urceorum, æramentorum, & lectorum, aliarumque infinitarum id genus rerum, propter quas præcepta Dei rejecerunt, & solas seniorum & sapientum constitutiones servarunt*. Quoniam ergo traditiones illæ, quarum Christus meminit, & aliæ complures, quas ibidem innuere videtur, etiamnum hodie in usu & observatione sunt apud Judæos, atque in Jure illorum Canonico, & de rebus Divinis, ac pietate vitæ Constitutionibus consignatæ leguntur, quarum maximam in hoc libro partem retegere & exponere constitui; paulo fusius hic declarabo, quibus fundamentis & causis permoti Judæi, eo devenerint, ut pluris ejusmodi hominum mandata & fecerint, & etiamnum hodie faciant, quam ipsius Dei mandata; ita ut statutis suis Dei præcepta sustulerint, & hoc modo in præsentem horrendam incredulitatem, & pravissimum Verbi Divini intellectum, inciderint.

Esa. 1. 4. — Esa. 48. 4. — Ezech. 2. 4. — Ezech. 16. — Jer. 16. 3. — Jer. 17. 4. — Ps. 68. 70. — Esa. 6. 10. — Deuter. 28 — Esa. 29. 13. — De Traditionibus Judæorum. Marc. 7. Matth. 15.

In præfatione doctissimi Rabbi Mosis Mikkotzi (qui Toleti in Hispania An. 1236. in Judæorum Academia docuit, & Commentarium in 613. Legis præcepta conscripsit, qui apud Judæos ספר מצות גדול *Sepher Mizvos gadol* Liber præceptorum magnus, vulgo dicitur, ubi, ad duodecimum & centesimum præceptum negativum, duodecim Judæorum millia Toleti tunc temporis fuisse, scribit) in hunc modum legimus: לולי כי ניתן פירוש לתורה בעל פה היתה כל התורה כסמיות ועיוורון כי המקראות שוברין וסותרין זה את זה: *Nisi accessisset ad legem scriptam expositio legis oralis, tota lex obscura & mera cæcitas esset: Nam primo Scripturæ sibi invicem sunt contrariæ, & inter se pugnantes. Deinde, quia Lex scripta est imperfecta, neque omnia cognitu necessaria in se comprehendit*. Expositione itaque debita opus est, ex qua verus legis scri-

ſcriptæ ſenſus queat elici , & cui , tanquam ſtabili fundamento , innitatur . *Scripturam obſcuram eſſe , & ſibi repugnare* , exemplis multis probat :

Scripturæ obſcuritas, ſecundum Judæos.

כגון כתוב אחד אומר שבעת ימים תאכל מצות וכתוב אחד אומר ששת ימים תאכל מאות וכן כתוב אחד אומר שבעה שבועות תספור לך שאין לך לספר אלא ארבעים ותשעה יום , וכתוב אחד אומר תספרו חמשים יום כתוב אחד אומר וזבחת פסח לה׳ אלהיך צאן ובקר יש במשמעו שיוכל להביא פסח מן הצאן ומן הבקר וכתוב אחד אומר שה תמים זכר בן שנה יהיה לכם מן הכבשים ומן העזים תקחו משמע ולא מן הבקר ,כתוב אח׳ אומר כל הבכור אשר יולד בבקרך ובצאנך הזכר תקדיש לה׳ וכתוב אחד אומר אך בכור אשר יבוכר לה׳ בבהמה לא יקדיש איש אותו ,כתוב אחד אומר וירד ה׳ על הר סיני וכתוב אחד אומר כי מן השמים דברתי עמכל וכאלה רבים מא יוכל להתבאר פתרונם כי אם על ידי תורה שבעל פה שהוא מסורת ביד החכמים : id eſt, Ex. gr. In uno loco ſcribitur : *Septem diebus azyma comedetis*: & alibi : *Sex diebus comedetis azyma* : Sic in quodam Scripturæ verſiculo habetur ; *Septem hebdomadas numerabis tibi* : Imo vero ſeptem ſeptimanæ non conficiunt niſi 49. dies : at ecce alius Scripturæ verſiculus ait ; *Numerabis quinquaginta dies*. Sic in hoc verſiculo habetur ; *Immolabis paſcha Domino Deo tuo de ovibus & de bobus* ; Contra alius verſiculus ait : *Erit autem pecus integra , maſcula , annicula , quam ex ovibus , aut capris accipietis* ; Non ergo ex bubus. Hic dicitur ; *De primogenitis quæ naſcuntur in armentis & ovibus tuis , quicquid eſt ſexus maſculini , ſanctificabis Domino Deo tuo* ; Ibi vero , *Primogenita quæ ad Deum pertinent , nemo ſanctificare poterit , ſive bos , ſive ovis fuerit* . Sic *Deus deſcendiſſe* dicitur *in montem Sinai* , ut populum alloqueretur : aſt alibi ; *Vos vidiſtis , quod de Cœlo loquutus ſim vobis* : & ſimilia multa , quorum interpretationem exponere nemo poſſit , niſi ex lege orali , quæ eſt traditio per manus ſapientum . Quaſi vero hæc ex lege ſcripta ſatis conciliari non poſſint ! *Scripturæ defectum* ſic etiam multimode arguit :

Exod. 12. 15.
Deut. 16. 8
Deut. 16. 9
Levit. 23. 16.
Deut. 16. 2.
Exod. 12. 5
Deut. 15. 19.
Lev. 27. 26.
Exod. 19. 11.
Exod. 20. 22.

De ſcripturæ defectu.

ועוד סימני עוף טהור אין אתה יכול לברר מדברי תורה כי אם מתורה שבעל פה וכן סימני בהמה יהיה לידע אי זו חלבה אסור ואי זו חלבה מותר לא יתבאר כי אם מתורה שבעל פה וכן צוה הקב״ה לעשות סוכה ואין לידע שיעורה כמה וכמה דפנותיה ודתי סיכוכיה כי אם מתורת משנה ותלמוד יודע הכשירה ופסולה וכן במילה אם למול ולפרוע או למול בלא מריעה וכן לא תתבאר מצות מזוזה היאך וכתיבתה ומקום קביעותה אם מימין הפתח אם משמאל אם בנובהו אם בשיפולו כל אלה לולי שפירשם הקב״ה למשה לא נודע פתרונם : וכן כל איסורין שבתורה דם וחלב פיגול ונותר וזר שאכל תרומה כמה שיעור אכילתו להתחייב וכן האוכל ושותה ביום הכפורים כמה שיעור אכילתו ושתייתו לפי שבכל איסורין שבתורה נכתב לא תאכל דבר פלוני ופלוני וביום הכפורים אין כתוב בו לא תאכל כי אם אשר לא תעונה מה ראה הכתוב לשנות יום הכפורים משאר איסורין שבתורה וכן טומאת מת ונגעים ונבלות ושרצים ושיעור טומאתן ,וכן כל דקדוקי המסורת וסימניות שבתורה וטעמי הנקובות והתלויות שבמקרא לא יוודע פתרונם כי אם בתורה שבעל פה: id eſt , *Præterea ſigna quibus aves mundæ ab immundis diſcernuntur , nulla ratione cognoſcere poſſis ex lege ſcripta , ſed tantum ex lege orali : ita etiam ſigna , quibus in jumentis & beſtiis dignoſci queat , quinam adeps licitus ſit , aut illicitus , non ex* νόμῳ ἐγγράφῳ ſed ἀγράφῳ *petenda ſunt. Sic quoque Deus benedictus tabernacula ſeu tuguria fieri juſſit : ſed neque menſuram eorum , neque parietum numerum , neque reliqua tabernaculorum inſtituta, poſſumus aliunde , quam ex Miſchna ſeu Talmude , haurire , ut cognoſcamus an legitime ſint conſtructa, necne ? Similiter ſe res habet in Circumciſione ; an circumciſionem glandis omnimoda retectio comitari debeat , an vero circumcidendum abſque glandis retectione? Ita & præceptum de Schedula limini imponenda* (de qua Deut. 6.) *quomodo ea fieri debeat, qualem ſcriptionem ejus eſſe oporteat , in quo loco ſit ponenda, an a dextra oſtii , an a ſiniſtra, an ſupra , an infra ; illorum omnium interpretatio hodie ignoraretur , niſi Deus benedictus Moſi id expoſuiſſet . Eadem eſt ratio omnium quæ in lege vetantur , ut ſanguinis & adipis , quando ſint immunda , quando licita ; & peregrini qui oblationem comedit , quantum comedere debeat ut reus ſit : ut & ejus qui edit & bibit in die expiationum, quantum eum & comedere & bibere oporteat ; quia de omnibus iis , quibus veſci probibetur in lege dicitur* : Rem illam non comedes; *verum in die Expiationum non ſcribitur* ; Non comedes ; *ſed tantum* ; Omnis anima quæ afflicta non fuerit : *quid cauſæ eſt , cur ſolita vetitorum formula in die expiationis mutetur ? Simili modo ſe habet pollutio propter mortuum, leproſos , cadavera beſtiarum , & reptilia; qualis nempe ſit pollutionis propter hæc contractæ menſura ? Minutiarum quoque Maſorethicarum, ſectionum legis , cauſarum punctuationis , & literarum ſuſpenſarum interpretatio , &c. cognoſci nequit, niſi ex lege orali* . Hactenus Moſes Kotzenſis.

Hæc

Hæc illa ratio eſt, quam iniit Diabolus, ut Judæos primum a Dei verbo abduceret, &, ut mirus & inſignis eſt artifex, in diverſum, hominum nempe mandata, raperet, eoſque præſtigiis ſuis ita faſcinaret, ut neque Eſajas, neque Chriſtus, neque ullus alius, in hodiernum uſque diem ab errore, quem ſemel animis imbiberunt, illos avertere potuerit. Ubinam ergo veram legis ſcriptæ expoſitionem inveniemus? Non utique in Deciſionibus ſubtilis Doctoris, vel Petri Hiſpani Logicalibus; non in Capnodochi (Capnionis inquam) de arte Cabaliſtica commentationibus, multo minus in Ovidii, aut Elephantidos libellis. Ubinam ergo? Arrige aures Pamphile, & uno verbo rem eloquar omnem; In Sacroſancto Talmude. Verum, unde prodiit nobis Talmud, ut tanta illi fides ſit habenda, quaſi Legis Moſaicæ expoſitio ab illo ſolo peti & poſſit, & debeat? Egregiam vero interrogationem, Unde prodierit? Prodiit, prodiit, inquam, a Moſe magiſtro noſtro, qui illud una cum Lege ſcripta ex monte Sinai attulit. Tu ſtupide & marrucine Chriſtiane, an Moſen in monte Sinai per quadraginta dies, totidemque noctes tricis attellanis conduplicandis, vel milio perforando vacaſſe credis? Annon potuiſſet Deus Legis tabulas horæ unius ſpatio Moſi dare, eumque dimittere, ne filii Iſrael vitulum aureum Dei loco interim adorarent? Aliam itaque aliquam tantæ moræ cauſam ſubeſſe oportet, nec de nihilo ſummo mane aſini omnes concinuerunt. Deus nimirum Moſen ſecum in Scholam veluti aſſumſit, & primum Legem ſcriptam tradidit, eamque poſtea toto illo temporis ſpatio expoſuit, & omnium ac ſingulorum præceptorum cauſas, modum, menſuram, fundamenta, verumque ſenſum, ſolide aperuit; cum mandato, ut, ſicut ipſe ab ore Dei loquentis hæc exceperat, eodem modo filios Iſraelis ea doceret, uti ſcriptum eſt; *Mihi vero eodem tempore præcipiebat Dominus, ut docerem vos ſtatuta & judicia, &c.* Hæc *Statuta & Judicia*, vera fuerunt Legis ſcriptæ expoſitio, & תורת שבעל פה *Thora ſchebbeal peh* Νόμος ἄγραφος, *Lex oralis;* hanc Moſes tradidit Joſuæ, Joſua lxxii. ſenioribus, a quibus per traditionis ſucceſſionem, ad Zachariam & Malachiam, Prophetarum poſtremos, pervenit; ab illis vero acceperunt אנשי כנסת הגדולה Anſche keneſes haggedolah, *Viri Synagogæ magnæ, ſeu Synedrium magnum*, & ita ſemper majores poſteros ſuos docuerunt, uti quiſque ab avo, vel avia ſua foco aſſidens acceperat.

Unde Talmud prodierit?

Pirke ſeu capita Rabbi Eliezer cap. 46.

Deut. 4. 14. R. Aben Eſra, R. Salomon Jarchi, R. Bechai, & alii, in hunc locum.

Quomodo Moſes in monte potuerit diem a nocte diſcernere?

Cæterum non illepidam hic quæſtionem movet *R. Bechai* in cap. 34. Deut. ויהי שם עם ה״ מ״ יום ומ״ לילה מנין היה יודע כשה אימתי יום ואימתי לילה: hoc eſt, *Quum dicatur Moſes fuiſſe cum Domino per quadraginta dies & quadraginta noctes, quomodo potuit diem a nocte diſcernere?* Quæſtionis elegantiam & genium, longo poſt ſe intervallo relinquit ſolutionis ſubtilitas; כשהיה הקב״ה מלמדו תורה שבכתב היה יודע שהוא יום וכשלמדו תורה שבעל פה היה יודע שהוא לילה: h. e. *Quando eum Deus docebat Legem ſcriptam, tum agnoſcebat diem veniſſe: quando vero docebat Legem oralem, noctem adeſſe ſciebat.* Divinum magiſtri noſtri acumen! qui enim potuiſſet Moſes ſcribere in tenebris? neque etiam præſto aderat propola, unde ſibi candelas in monte præſtinaret.

Cur Deus noluerit Legem oralem ſcriptis comprehendi?

Sed cur noluit Deus hanc etiam Legem ſcriptis comprehendi? Nodum hunc melius ſolvit prædictus Moſes Kotzenſis, quam Alexander nodum Gordium, favendum itaque eſt linguis: מפני שראה הקב״ה שעתיד אומות העולם לכתוב עשרים וארבע ספרים שיש בספר תורה נביאים וכתובים ולהפכם לרעה ולמינות, מסר סימנין למשה בעל פה ולא הסכימו מן השמים לכתבן עד לאחר שעמדו אמונת אדום וישמעאל פן יעתיקו אותם הגוים ויהפכו אותם לרעה כמו שעשו בתורה שבכתב, ולעתיד לבא ישאל הקב״ה מי הם בניו, ובני ישראל מביאים ספר תורה, והאומות מביאים ספר תורה אילו אומרים שהם בניו, ואילו אומרים שהם בניו, והקב״ה שואל מי יש לו הסימנים שמסרתי בסיני בעל פה ואין מי שיודע אותם כי אם ישראל וכו׳: ולמיום שנסתם חזון ונביא ונסתלקה רוח הקדש מישראל העמיד הקב״ה את החכמים שהיו תלמידי הנביאים לתקן לישראל כל תקנות טובות והרביצו תורה בישראל הם ותלמידיהם ותלמידי תלמידיהם עד היום הזה: התקינו ליחד שם הנכבד והנורא ערב ובקר: והתקינו שמונה עשרה ברכות של תפילה להתפלל בלחש ובעמידה כדרך שמצינו בתפלת חנה שכתוב בה וחנה היא מדברת על לבה רק שפתיה נעות וקולה לא ישמע, שלש ברכות הראשונות יש בהן שבחו של הבורא, ואחר כך ישאל אדם צרכיו לפני בוראו ולבקש ממנו חנינות דיעה והשכל ואחר כך להתחנן על עסקי התשובה להשיב אותנו ליראתו בלבב שלם, ואחר כך להתחנן על עסקי הסליחה, ואחר כך על הגאולה לגאול אותנו שנית כאשר הבטיחנו, ואחר כך על הרפואה לרפואת תחלואנו, ואחר כך לברך שנותינו, ואחר כך על קבוץ גליות, להושיב שופטינו כבראשונה ויועצינו כבתחלה, ולעשות דין ברשעים ולגדע קרנם ולרומם קרנות

קרנות צדיקים ,ולבנות ירושלים , ולהצמיח מלכות בירת דוד וכו׳ : והתקינו לברך על המזון , ולברך על חידוש הלבנה וראיית הקשת והרעמים ,והתקינו להושיב מלמדי תינוקות בכל עיר ועיר , ולקרות בתורה בשני ובחמשי ובשבתות ובימים טובים ,וכל זה כדי שלא תשתכח תורה מישראל ואסרו פתם של גויים ויינם ובישולם כמו שכתיב בדניאל וישם דניאל על לבו שלא יתגאל בפת בג המלך וביין משתיו וכו׳ : ובימי רבינו הקדוש הקרוי רבי בלשון משנה שנתן לו הקב״ה חן בעיני אנטונינוס מלך רומי וקיבץ כל חכמי הארצות ויסד ששה סדרי משנה על פי הקבלה: i. e. *Quia præviderat Deus, nationes hujus mundi exscripturas libros viginti quatuor, qui Lege, Prophetis, Hagiographis continentur, illisque ad hæresim & impietatem abusuras; expositionem oralem Mosi tradidit, neque a Deo permissum fuit, ut scriptis mandaretur, donec Idumæorum & Ismaelitarum sectæ exortæ fuerunt, ne forte & illa a gentibus verteretur, & in malos usus, quod Legi scriptæ contigerat, perverteretur. In futuro autem sæculo interrogabit Deus, quinam sint filii sui? tum gentes, juxta cum Israelitis, librum legis proferent; utrique se filios ejus esse dicent. Itaque Deus denuo interrogabit; penes quem sit expositio oralis, quam tradidit in monte Sinai? ad hoc omnes obmutescent, nec quisquam, excepto Israele, illius gnarus reperietur, &c. Cæterum ab illo tempore quo clausa est visio & prophetia, & ablatus ab Israele Spiritus Sanctus, suscitavit Deus Sapientissimos in populo, Prophetarum discipulos, qui inter Israelitas bonas constitutiones omne genus instituerent, Legem recte docerent, & explicarent, idque continua ab ipsis successione per discipulos & discipulorum discipulos, in hunc usque diem. Hi ordinarunt, ut Nomen Dei gloriosum & terribile, quotidie mane & vesperi, tanquam unius illius Dei veri, celebretur: iidem Octodecim illas injunxerunt benedictiones (Schmon esre) in oratione stando & submissa voce recitandas, sicut de Hanna scriptum legitur.* Porro Hanna loquebatur in corde suo, tantumque labia illius movebantur, & vox penitus non audiebatur. *Tribus primis benedictionibus continetur laus Creatoris: Deinde sibi necessaria a Creatore postulat homo; gratiam nempe, scientiam, & intellectum: post hæc orat pro conversione, ut scilicet corde sincero, non fucato ad sui timorem Deus nos convertat: exinde pro peccatorum remissione; pro redemtione, ut iterum a Deo, quemadmodum pollicitus est, redimamur: ut morbis nostris medeatur, annis nostris benedicat captivitatis dispersiones congreget, judices & consiliarios nostros, ut ab initio, restituat, judicium in impios exerceat, cornu gentium* (Christianorum videlicet) *exscindat: Cornu vero justorum* (Judæorum nempe) *extollat; Jerusalem instauret, regnum domus David de novo germinare & florere faciat, &c. Illi ipsi præterea instituerunt certas benedictiones mensæ, noviluniorum, iridis seu arcuum cœlestium & tonitruum: pueris præceptores idoneos in singulis urbibus præficiendos sanciverunt: die secundo & quinto hebdomadæ, ut & sabbathis & diebus festis, publice Legem legi, ne oblivioni ab Israele traderetur, voluerunt. Pane, vino & cibo Christianorum omni suis interdixerunt; quod de Daniele scriptum reperiatur.* Proposuit autem Daniel in corde suo, ne pollueretur de mensa Regis, neque de vino potus ejus, &c. Urbe interim capta & devastata, templo desolato, & Judæis in exilium abactis, quumque nullus, vel captivitatis vel miseriæ ipsorum, finis appareret, *conciliavit Deus Rabbi Judæ* הנשיא Hannasi id est, *Principi*, (qui ob singularem modestiam, pietatem, & sanctitatem רבינו הקדוש *Rabbenu hakkadosch* Sancti cognomen adeptus est) *Imperatoris Antonini benevolentiam; ita ut illius permissu Judæorum doctissimos undique congregaverit, & cum illis consilium inierit, quo pacto, rebus Judæorum in dies magis magisque in pejus ruentibus, in posterum Legi succurrendum esset, ne prorsus excideret, & ex hominum memoria efflueret, sed aliqua ratione conservaretur. Et quamvis Lege orali hoc ipsum quoque cautum erat, ne* תורה שבעל פה *Lex oralis & ἄγραφος scriptis mandaretur; tamen, summæ miseriæ, & modis omnibus miserandæ dissipationis, quæ Judæis contigerat, habita ratione, quidquid jam a Christi, & superiorum temporum memoria, passim per ora vulgi ferebatur, in commentarium librum redegit, quem* משנה Mischnam, *hoc est*, δευτέρωσιν *Iteratam vel Secundam legem appellavit*, & ששה סדרים Sedarim *seu Partes generales in sex divisit; sex autem illos Ordines seu Partes generales in sexaginta* מסכתות Masſichtos *seu Tractatus peculiares.* Hactenus iterum *Moses Korzensis*. In hoc libro traditiones & patrum instituta, quibus integra Synagoga Judaica & tunc temporis regebatur, deinceps regi debebat, in theses & aphorismos redacta, comprehenduntur. In has traditiones Christus, Evangelistæ & Apostoli, sæpissime sunt invecti; unde simul conjicere est, easdem Esajam perstringere voluisse, quum eorum doctrinam *Hominum præcepta*

1. Sam. 2. 13.

Dan. 1. 8.

Quando, a quo, & quibus de causis Lex oralis scripto fuerit comprehensa.

Mischnæ origo.

pta apellavit, Hic liber fuit absolutus, confirmatus, & ab universa Judæorum Synagoga receptus, ut juxta illum omnes ea tempestate Judæi, posterique illorum, deinceps semper viverent, uti etiamnum hodie vivunt. Anno Christi 219. ut in Chronico Hebræorum צמח דוד Tzemach David fuse lateque demonstratur.

Anno Christi 230. De Talmude Hierosolymitano.

Post aliquot annos exortus est quidam *Rabbi Jochanan*, qui Hierosolymis per 80. annos ראש הישיבה Rosch hajeschibha *Rector Academiæ* fuerat, & משניות *Mischnajos* δευτερώσεις illas, quarum supra meminimus, auxit, ejusque liber *Talmudis Hierosolymitani* nomen obtinuit, qui, quoniam obscurus est, durus, & difficilis intellectu, minor ejus semper fuit usus, neque eo habitus honore fuit, quo משניות *Mischnajos* δευτερώσεις; nec ad hæc usque tempora, legentium manibus valde teritur.

Gemara quando & a quibus confecta.

Verum, quia *Mischnajos* seu δευτερώσεις lingua Hebræa facili, pura, omnibusque obvia, conscriptæ erant, sed sermone adeo conciso, ut multi non satis illas intelligerent; incepit *Rabbi Asse*, qui itidem caput Synagogæ fuit, illas exponere, singulisque annis duos tractatus explanavit, ita ut toto professionis suæ curriculo, bis quidem Mischnarum seu Δευτερώσεων expositionem absolverit, tractatus tamen triginta quinque tantum scriptos reliquerit, ut testatur *Rambam*, in præfatione in tractatum Talmudicum זרעים *Seraim* De seminibus, Professionem vero suam inchoaverat Anno Christi 367. Huic in Rectoratu successit Anno 427. Maremar, ejusque collega fuit *Mar*, filius τȣ̃ *Rabb Asse*, qui inde, ubi Raf Asse substiterat, laborem suum orsi sunt, & rem totam ad umbilicum perduxerunt, ita ut expositioni τῶν Mischnajos ultima tandem manus imposita fuerit. Istud autem quod ad משניות seu δευτερώσεις accesserat, *Gemaram*, id est, Complementum, appellaverunt; quæ duo משניות *Mischnajos* inquam, & גמרה *Gemara* seu δευτερώσεων Complementum, corpus Talmudicum constituunt. Hi duo postremi in hoc opere LXXIIJ annorum labore perfuncti sunt, ita ut Anno Christi 500. integrum Talmud absolutum, obsignatum, *Talmudisque Babylonici* nomen consequutum fuerit, & ab omnibus Judæis, ceu authenticum juris Civilis & Canonici corpus, receptum, cujus legibus universa Judæorum gens, tum in rebus sacris, tum in rebus politicis, in hunc usque diem regitur. Hoc est pretiosum illud cimelium, thesaurus ille vere regius, qui Judæis solis oraliter concreditus, & apud illos est repositus: Hic arcana Legis, quæ per duo annorum millia apud Judæos latuerant, in lucem prodierunt: Hæc est recta illa expositio, verum illud פירוש *Peruscb* (seu potius פרש uti scribitur apud Malach. פרש על פניכם *Perescb*, id est, *Stercus super nasum vestrum*) supra adducta, imo omnia obscura, controversa & dubia, quæ in Lege scripta occurrunt, ad amussim exponuntur & discutiuntur: Hæc est תורה שבעל פה Thorah schæbeal peh *Lex illa oralis*, quæ tanti, imo etiam pluris, quam Lex scripta, est facienda. Scripta enim Lex Mosis non potest absque Legis hujus oralis adminiculo intelligi vel exponi. Verum, quia hæc vulgo sunt ignota, atque adeo paucis admodum Christianis audita, rem a capite ordiri, & ad extremum perducere est animus, quantum quidem in me est, &, ex Judaicorum librorum lectione, hactenus assequi potui.

Malach. 2. 3.

Qua ratione Judæi Legem oralem, hoc est, Talmud pluris faciant, quam Legem scriptam, h.e. sacra Biblia.

Aben-Esra scribit in præfatione commentarii sui in Pentateuchum: וזה לנו האות שנסמך משה על תורה שבעל פה שהיא שמחה ללב ולעצם מרפא כי אין הפרש בין שתי התורות ומידי אבותינו שתיהן לנו שסורות: id est, *Istud nobis evidens signum est, fundatum esse Mosen super legem oralem, quæ est lætitia cordi, & ossibus medela. Nulla enim est differentia inter duas has leges, quæ per majores nostros ambæ nobis sunt traditæ.* Et alibi adhuc apertius: והכלל לא נוכל לפרש על דרך מצות התורה פירוש שלם אם לא נסמוך על דברי חז״ל כי כאשר קבלנו התורה מן האבות כן קבלנו תורה שבעל פה אין הפרש ביניהם: id est, *In summa, non possumus perfectam expositionem adducere, si legis scriptæ præceptorum vestigiis tantum insistamus, nisi fundamentum locemus in verbis Sapientum nostrorum piæ memoriæ. Quemadmodum enim Legem scriptam a patribus accepimus; ita & Legem oralem neque ulla est inter utramque differentia.* Hinc videre est, Judaicam fidem, non Mose, sed Rabbinorum expositionibus, fundatam esse, juxta quarum normam & mensuram solum intelligendus est Moses, tanquam unicum & firmissimum ejus fundamentum, ut fusius legitur in libro עמודי גולה *Ammude golah* Columnæ Captivitatis (qui vulgo per scripturæ compendium סמק id est, ספר מצווה קטן Sepher mitzvos katon *Liber præceptorum parvus*, vocatur, & Cremonæ in Italia typis editus est, anno juxta supputationem Judaicam 316. millenariis scil. detractis, ab annis qui tunc effluxerant a Creatione mundi, hoc est, Anno Christi 1556.) his verbis: אל תחשוב כי עיקר התורה בכתב כי אדרבה עיקרה אותה שבעל פה ועל תורה

שבעל

שבעל פה נכרת ברית דכתיב כי על פי הדברים האלה כרתי אתך ברית והן אוצרו של הקב״ה כי היה גלוי לפניו שישראל עתידין להיות גולין בין האומות ויעתיקו הגוים ספריהם לפיכך לא רצה שתיכתב וכו׳: id eſt, *Ne exiſtimes, Legem ſcriptam Religionis noſtræ fundamentum eſſe; quin potius illius fundamentum eſt lex ore tradita; nam propter legem oralem initum eſt fœdus a Deo cum Iſraelitis, ſicut ſcriptum eſt:* Quia juxta verbo hæc pango tecum fœdus, &c. *Et hæc verba ſunt theſaurus Dei Sancti Benedicti. Quia enim ſciebat futurum, ut Iſraelitæ inter alios populos transportarentur, & gentes libros ipſorum tranſcriberent; idcirco noluit ſcripto tradi legem oralem, &c.* Et etiamſi ſubſequenti tempore ſcriptis quoque tradita ſit, Chriſtiani tamen, cæteræque gentes, & rei & ſermonis difficultate deterritæ, non auſæ ſunt eam in linguam ſuam vertere: eo quod expoſitionis abſtruſioris, & a penitiſſimo mentis receſſu promanantis, indigeat, *uti ſcriptum eſt;* Præſcripſi eis axiomata legis meæ, ſed reputarunt ea ceu quid alienum. Quod ſi vero hic author, *R. Iſaac filius R. Joſeph Corbelenſis*, quum hæc ſcriberet, oculos mentis aperuiſſet, vidiſſet locum illum Hoſeæ, quem citavit, non de Lege orali, ſed de Lege ſcripta, agere: hancque non a Gentibus, ſed ab ipſis Iſraelitis, ita ſpretam & contemtam fuiſſe, ut ceu quid peregrinum reputata fuerit, ut reapſe regis Joſiæ temporibus contigit, quum Legis ſcriptæ librum, ipſum, inquam, Moſis autographum Hilcias Pontifex invenit, quum per longum tempus, omnibus, locum ubi repoſitus erat, ignorantibus, latuiſſet. Tunc enim librum illum, tanquam rem novam & peregrinam reputarunt, uti legere eſt in hiſtoria quæ habetur in libro 2. Regum. Sed & locus ille Moſis, qui ex Exodo adductus eſt, על פי הדברים האלה וגו׳ Judaice reddendus eſt, *Secundum verba oris*, i. e. ſecundum verba, quæ tibi ore, non ſcripto, tradita ſunt, ſenſuſque eſt; Deum ſanxiſſe fœdus cum Iſraele, non ſuper Moſis νόμῳ ἐγγράφῳ, ſed expoſitione illius orali, quæ in Talmude continetur. Hinc legitur in תנחומא *Tanchuma*, in ſectione אלה תולדות נח *Elle toledos Noach* (quæ inchoatur v. 29. cap. 6. Geneſeos:) *Sapientes noſtri dicunt; Deum non ſcripſiſſe in lege ſua*, למען הדברים האלה Lemaan haddebharim haelleh, *neque etiam* בעבור baabhur, *neque* בגלל biglal, *quæ omnia ſignificant*, Propter hæc verba: *ſed*. על פי הדברים האלה Al pi haddebharim haelleh, *hoc eſt*, propter os, vel verba oris, *quæ ore, non vero ſcripto, tradita ſunt, fœdus ici cum Iſraele, & illa Verba oris deſignant Talmud, cujus diſciplina difficillima eſt, ac proinde tenebris comparatur, prout ſcriptum eſt;* Populus qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam, *hoc eſt*, בעלי התלמוד Baale hattalmud *Qui in Talmude diligenter ſtudent, vident lucem magnam. Deus enim oculos illorum illuminat, & oſtendit illis, qua ſe ratione in licitis & illicitis, mundis, & immundis, gerere debeant; quæ expreſſe & particulatim in lege Scripta non exprimuntur*. Paulo poſt addit; *Propter fœdus illud, quod Lege orali ſancitum eſt, totus mundus ſubſiſtit: ideo enim Deus diem & noctem creavit, ut Iſraelitæ* תורה שבעל פה Thorah ſchæbeal peh *Legem oralem, Talmudem nempe, diſcant, & ubi ab illo diſcendo deſiſtent; dies & nox quoque ſubſiſtere amplius non poterunt*. Hinc legitur apud Prophetam Jeremiam; *Niſi fœdus meum diu noctuque ſervatur, cœlo & terræ leges nullas do vel dedi*: (ſic enim ſincero more Judaico, hoc eſt, aſinino, locus ille & reddendus & exponendus eſt.) Quale autem eſt illud fœdus, quod diu noctuque ſervari debeat? זה תלמוד Talmud. Ideo etiam paulo ante Jeremias: *Sic dicit Dominus, ſi irritum feceritis fœdus meum cum die & nocte* hoc eſt, (ſi Talmudem non diſcatis, neque obſervetis) *irritum quoque fiet fœdus meum cum ſervo meo Davide, &c.* In hunc quoque modum inquit David: *In Lege Domini delectatio ejus, & in lege illius* (hoc eſt, in Talmude) *diu noctuque meditatur*. Adde quod Deus etiam fœdus cum Iſraele pepigit hac lege, ne תורה שבעל פה Lex oralis, ſive Talmud, unquam ab illorum ore excideret, vel ab ore ſeminis eorum poſt eos, uti ſcribitur; *Hoc fœdus cum illis pangam, ait Dominus, Spiritus meus qui eſt in te, & verba mea, quæ poſui in ore tuo, dehinc in æternum non recedent ab ore tuo, & ab ore ſeminis tui, & ab ore nepotum ac pronepotum tuorum, inquit Dominus*. Hic non dicitur, *A te*, ſed, *Ab ore tuo*; unde conjicere eſt, hoc de lege orali dici, cujus diſcendæ gratia Deus diem & noctem, inſtar duarum Academiarum, inſtituerit, &c. Hactenus ex Tanchuma. Rabbi Bechai in libro כד הקמח *Cad bakkemach* Cadus farinæ, (titulus eſt deſumptus ex 1. Reg. 17. v. 14.) in eandem ſententiam ſcribit: וששה סדרים אלו הם תורה שבעל פה כי עיקר התורה היא תורה שבעל פה שאין תורה שבכתב יכולה להתבאר כי אם על ידי תורה שבעל פה: id eſt, *Sex illi Ordines (corporis nempe Talmudici) ſunt ipſa Lex oralis: nam fundamentum Legis ſcriptæ*

Exod. 34. 27.

Hoſ. 8. 12.

2. Reg. 22. & 23.

Eſa. 9. 1.

Jer. 33. 15.

verſ. 20.

Pſal. 1. 2.

Eſa. 59. 21.

fol. 77. col. 3.

ptæ eſt Lex oralis , cum Lex ſcripta niſi per legem oralem explicari nequeat . Hinc in codice Juris בבא מציעא Bava Metzia fol. 33. 1. העוסקים במקרא מידה ואינה מידה , במשנה מידה ונוטלין עליה שכר , גמרא , אין לך מידה גדולה מזו : id eſt, *Qui operam dant lectioni Biblicæ, virtus aliqua eſt , aut potius , nulla virtus* (id eſt, parum admodum eſt :) *qui vero operam dant* δευτερώσει *Traditioni vel legi ſecundariæ patrum , virtus eſt propter quam accipitur præmium : Gemaræ denique* id eſt ſtudio Talmudico , *incumbere , virtus eſt , qua nulla præſtantior .* Hinc etiam exiſtimant quidem, כי כל המשתדל וחוקר בידיעה אחרת זולת החקירה והחכמה הזאת שהיא חכמה באמת לפי שרש התוריי הוא יגע לריק ויולד לבהלה ומכלה הימים במה שאין בו מועיל הולך אחר ההבל ויהבל *Omnes eos , qui incumbunt aliis ſcientiis & ſtudiis , præter ſtudium Talmudicum , tanquam veram illam ſapientiam & fundamentum Legis , laborare in vanum , & parituros in terrore ,* (ut Jeſaias cap. 25. ℣. 23. loquitur) *dies item ſuos conſumere in rebus frivolis ac inutilibus , ambulare* poſt vanitatem , & vanos fieri [Jerem. 2. 5.] Quin immo eouſque nonnulli ſtudium hoc Talmudicum extollunt , ut non erubeſcant ſcribere, שגם העסק במקרא היא אבוד הזמן *quod etiam in Bibliis ſtudere , nihil aliud ſit , quam tempus perdere* , ut Ephodeus teſtatur in præfatione Operis ſui Grammatici. Hinc denique fit , ut Rabbini , Judæorum doctiſſimi , ſemper magis in Talmude , quam in Bibliis , ſint exercitati .

Sufficienter, ut puto , hactenus docuimus & demonſtravimus , fidei Judaicæ fundamentum nequaquam ſevero illo Legis præcone Moſe , ſed ſuaviſſimo illo paracleto & Evangeliſta, obſcuriuſculo inquam Talmude , fultum eſſe : unde nemini mirum videri debet , quam ob cauſam Judæi in tam horribilem cæcitatem & infidelitatem inciderint ; quia ſcilicet a via veritatis verbi Divini deflexerunt , & mendacibus patrum ſuorum veſtigiis petulantiſſime ſunt ingreſſi. Quum itaque Diabolus, tamquam omnium mendaciorum pater , eo, quo dictum eſt modo , teſſeris quaſi cum Judæis pro Verbo Divino luſerit , eoſque circumvenerit , & primus jactus ex voto & feliciter ei ceciderit, ille feliciter cadentis aleæ ſucceſſu elatus & allectus , ulterius progreſſus eſt, nec prius deſtitit, quam ſuavem hanc & egregiam etiam conſequentiam animis illorum inſtillarit : Quandoquidem Talmud indubitatum eſt fundamentum , & certiſſima norma, ad quam omnia metiri , dolare, reſecare, dirigere , & diſponere oportet ; neceſſario Rabbinorum doctrinam , in verbi Divini expoſitione , ab hujus regulæ judicio pendere : & ut Talmud intemeratæ eſt veritatis & fallere neſciæ , quidquid ad hanc amuſſim ſcribunt, dicunt , & docent Rabbini , veriſſimum conſequenter eſſe. Hanc autem conſequentiam ſummopere Rabbinis placuiſſe , ut quæ ad ſummam ſuam gloriam fecerit , (de qua priuſquam aliquid remitterent , & ſibi decedere paterentur , Deum omneſque Prophetas potius mendacii redarguerent) ex ſuperbiſſimis his & arrogantiſſimis illorum ſermonibus ſatis ſuperque apparet.

Rabbinorum dicta & ſcripta omnia infallibilis ſunt veritatis.

Rabbi *Iſaac Avuhaf*, qui An. Chriſti 1493. apud Luſitanos obiit , ſcribit in libro ſuo, cui titulum fecit מנורת המאור *Menoras hammaor* Candelabrum lucis, in hæc verba : כל מה שאמרו רבותינו במדרשות וכו׳ *Iis omnibus quæ Rabbini noſtri in Homiliis ſuis docuerunt , eadem a nobis, atque legi Moſaicæ, fides tribuenda eſt: Et, ſi quid aliquando illis inſit, quod ſit vel hyperbolicum, vel præter naturam, vel ingenii noſtri captum excedere videatur; non illorum verbis, ſed ingeniorum noſtrorum tarditati & infelicitati , culpa eſt aſſignanda .* Item אף על פי שמצינו שאמרו וכו *Etiamſi unquam verba illorum inſolentia, & fide ſuperiora nobis videantur ; ſi tamen accuratius & propius conſiderentur , nudam veritatem continere comperientur .* Exempli gratia (uti quoque in Talmude legitur :) Factum eſt aliquando , ut quidam Rabbinus inter concionandum diceret , tempus adventurum , quo ſingulis diebus mulier pareret, juxta id quod ſcribitur, *Concipiet, & ſimul pariet ſimul* , i. e. ſingulis diebus . Quum hoc quidam audiret , nec intelligeret, in cachinnum ſolutus eſt , & Rabbinum deriſit . Verum Rabbinus reſpondit, hæc, quæ diceret , eſſe allegorica, & illis Gallinam indicari , quæ ſingulis diebus ovum poneret , &c. Ibidem præterea additur: כל דבריהם דברי אלהים חיים וכו׳ id eſt , *Omnia illorum verba ſunt ipſiſſima Dei viventis verba , nullumque eorum unquam fruſtra in terram cecidit .* Iis omnibus itaque , quæ vel ab illis, vel eorum nomine ſcripta ſunt, fidem , ut puræ putæ veritati addere tenemur, & a nemine, vel palam, vel in ſtomacho , rideri debent : quia omnes tales irriſores graviſſima pœna ſubſequetur . Quapropter unuſquiſque monitus caveat, ne, vel in illos, vel in illorum verba loquatur ; imo potius , pro univerſis corporis & animi viribus , in illorum ſcriptis & ſermonibus proficiat . In hanc ſententiam legitur in Speculo

Fol. 23. col. 1.

Tractat. de Sabbatho cap. 2. p. 30.

Jerem. 31. 7.

Ibid. col. 2.

Væ tibi os mendax!

culo ardente sub finem 48. capitis, Editionis illius quæ prodiit Cracoviæ in Polonia, Anno 1597. Judæos non solum omnibus תפילות ותחנות *Tephillos utchinnos* i. e. precibus Amen accinere debere; sed omnibus etiam אגדות ומדרשים *Aggados umedraschim* (Allegoricæ sunt conciones & expositiones in verbum Dei, in quibus arcana & mysteria magna latent, quæ rudioris plebis ingenio acuendo adducuntur,) ut hac ratione ostendant, & testentur, se omnibus sapientum verbis credere: ex mente scilicet Prophetæ Esaiæ ita loquentis: פתחו שערים ויבא גוי צדיק שומר אמונים *Aperite portas & ingrediatur gens justa, custodiens veritatem*, Schomer emunim, id est, (per absurdam & brutam allusionem) *quæ Amen occinit, & quicquid sapientes scripserunt pro vero & indubitato habent*. Et, si quis, per ingenii tarditatem & imbecillitatem, Aggadas illas statim assequi non possit, illis nihilominus credendum esse asserunt: nihil enim frustra Sapientes & doctores ipsorum dixisse, sed puram putam veritatem in illorum verbis contineri. *Aggadah*, abstrusus & occultus est sermo, quo res magni momenti, & arcani sensus, describuntur; unde Cabalistice, per primæ literæ transpositionem, idem est quod דאגה *Deagah* Sollicitudo & anxietas. Anxium enim diu & sollicitum hominis animum habet, antequam capi possit.

Esa. 26. 2.

Aggadah quid?

Hinc etiam fit, ut sæpius & passim in Talmude iteretur, quando duo Rabbini in contrarias sententias diversi abeunt, neminem obloqui debere: utrumque enim doctrinam suam accepisse מקבלת משה מסיני *Mikkabalas Mosche missinai* per traditionem oralem Mosis a monte Sinai; ac licet alius intelligentia & ratione ea comprehendere non valeat; non tamen sugillanda esse. Singuli namque probe noverunt & intellexerunt, cur ita sint loquuti, כי אלו ואלו דברי אלהים חיים *Ki elu veelu dibbre Elohim chajim*; nam amborum verba (etsi contradictoria) verba sunt Dei viventis. Laudata etiam & trita in Rabbinorum scriptis est sententia: בני הזהר בדברי סופרים יותר מדברי תורה Beni hizzaher bedibhre sopherim joser middibhre thorah, id est, *Fili mi, attende ad verba Scribarum magis quam ad verba Legis*; quia inserunt, pluris esse facienda, quæ Scribæ & Rabbini instituerunt, præceperunt, docuerunt, vel scripserunt, multoque magis illa credenda & observanda, quam quæ in Mose & Prophetis sunt consignata.

Lu. in libro suo, quem de Judæorum *Schem hamphorasch* conscripsit, ita de authoritate & fide, quam sibi Rabbini, suisque scriptis haberi volunt; *Judæi Rabbinis suis, vel dextram sinistram asserentibus, & contra, credendum esse dicunt*, inquit Purchetus. *Eadem ratione mecum agebant tres illi Judæi, qui me conveneant; quotiescunque enim eos ad Scripturæ textum reducere volui, identidem Rabbinis suis credendum sibi esse oggerebant, nullumque textum sacrum admittebant. Majorem ideo fidem Purcheto habere me decet, qui propria experientia edoctus fuerim*. Quod Lu. experimento doctus, Purcheto crediderit, laudo. Ego porro ad majorem veritatis confirmationem, ubinam hoc in Judæorum libris inveniatur, indicabo. Raschi, (sic vocatur *Rabbi Schelomo Jarchi* per literarum initialium compendium) in hæc verba cap. 17. Deuteronomii; על פי התורה אשר יורוך ועל המשפט אשר יאמרו לך תעשה לא תסור מן הדבר אשר יגידו לך ימין ושמאל: *Et facies juxta legem, quam docebunt te, sequerisque sententiam eorum, nec declinabis ad dexteram, neque ad sinistram*; scribit in hunc modum: אפילו אומר לך על ימין שהוא שמאל ועל שמאל שהוא ימין וכל שכן שאומר לך על ימין ימין ועל שמאל שמאל: *Non recedes a verbis illorum, etiamsi dicerent tibi de dextra, hanc esse sinistram: & de sinistra, hanc esse dextram, multo minus quando dextram, dextram, & sinistram, sinistram appellabunt*. Idem legitur apud *Rabbi Bechai*, & *Rabbi Mosem ben Nachman*, (vulgo per scripturæ compendium *Ramban* Judæis dictum,) qui multa quoque de hujus præcepti necessitate scribit, & ita de compacto rem gerunt, in putida hac, tam præstantis & eximii loci, depravatione: ת״ר מעשה בנכרי אחד שבא לפני שמאי אמר לו במה תורות יש לכם אמר לו שתים תורה שבכתב ותורה שבעל פה אמר לו שבכתב אני מאמינך ושבעל פה איני מאמינך גיירנו ע״מ שתלמדני תורה שבכתב גער בו והוציאו בנזיפה בא לפניה הילל גיירה יומא קמא אמר ליה א״ב ג״ד למחר אפיק לי׳ אמר׳ ליה והא אתמול לא אמרת לי הכי אמר ליה לאו עלי דידי קא סמכת דעל פה נמי סמיך עלי: שבת פרק ר״ דף ל״א: h. e. *Accessit aliquando Ethnicus Sammæum senem, eumque interrogavit, quotuplex esset Judæorum Lex? qui, tum duplicem*, ἔγγραφον καὶ ἄγραφον *esse respondisset; Ethnicus subjecit; Legem scriptam quod attinet, tibi credo; Oralem vero quod attinet, non facile mihi persuaseris: nihilominus me in proselytum admitte, eo pacto, eaque conditione, ut me legem scriptam doceas. Iratus est in eum Sammæus*, &

Lu. judicium de Rabbinis.

In Victoria contra Judæos.

Deut. 17. 11.

& cum objurgatione a se repulit. Hillelem itaque Sammæi collegam adiit (ambo paulo ante Christi tempora, & simul, floruerunt, unoque & eodem tempore Synagogæ Rectores fuerunt:) *hunc Hillel, eadem salutatione exceptus qua Sammæus, in proselytum admisit, & primo die docuit ipsum, Aleph, Beth, Gimel, Dales; postremo vero die ordinem invertit. Id animadvertens discipulus non tulit, sed regessit; Heri non sic dixisti mihi; cui Hillel; Annon doctrinam meam quod spectat, mihi innixus es? Legem oralem quod spectat, mihi quoque innitere*,

Tractat. de Sabb. cap. 2. Cæca Judæorum fides & obedientia.

Hæc fabula exstat in Talmude, tractatu de Sabbatho. Ex qua videre est, cæcam fidem & obedientiam, ad Legem oralem, & ad doctrinam Rabbinicam, ad hanc amussim exploratam, afferendam esse. Quod si quis fecerit, pius & syncerus est Judæus, de quo qui dubitare ausit.

Tract. Gittin cap. 5. Tract. Erubhin c. 2.

Non sanum esse hominem, non sanus juret Orestes: Qui vero secus faxit, dira illum manent apud inferos supplicia, ut juris Talmudici sanctione fertur, Tractatu de Repudiis, his verbis: מר אמר כל המלעיג על דברי חכמים נדון בצואה רותחת: id est. *Mar dixit, Quisquis sapientum verba subsannat, in* Zoah *stercus fervens apud inferos projicietur*. Quam pœnam, horresco referens, Servatori nostro Jesu Christo, cujus nomen sit in sæcula benedictum, in gehenna assignatam, blaspheme scribunt, quod patrum traditiones, statuta, leges, & præcepta non sequutus sit, sed rejecerit & contemserit. Hæc pœna iteratur in tractatu Talmudico עירובין *Erubhin* De Commixtionibus, & plenius verbosiusque exponitur in מנורת המאור *Menoras hammaor* Candelabro Lucis; & expressissime in בית יעקוב *Bes Jaacob* Domo Jacobi: sed in Talmude Basileensi merito, ut multa alia, quæ in Christum & Christianam religionem dicuntur, omissa.

pag. 22. col. 1.

pag. 32.

Erubhin fol. 21. 2.

Eccl. 10. 8.

Huc etiam facit vulgata Rabbinorum regula כל העובר על דברי חכמים חייב מיתה id est, *Quicunque transgreditur verba sapientum, reus fit mortis*, uti scribitur; *Qui dissipat sepem, mordebit eum coluber*: Sepem, scil. quam Rabbini fecerunt legi, hoc est, eorum statuta & mandata. Pœnæ autem hujus vitandæ causa, Rabbinica cautela, hujus supra meminimus, excogitata est: בני הזהר בדברי סופרים יותר מדברי תורה id est, *Fili mi, attende ad verba scribarum magis quam ad verba legis*.

Hactenus procemii loco, & ut sequentium facilior esset intelligentia, Judaicæ fidei articulos breviter & adduxi, & exposui, unaque & eadem opera ostendi, quomodo Judæi a verbo Dei recesserint, & in cæcum illum, inextricabilemque mendaciorum omnium labyrinthum, Talmudem nempe, inciderint, miserandumque in modum seducti fuerint; adeo ut nulla amplius pura & syncera salutis doctrina apud illos inveniatur: sed contra, merus error, doctrinæ divinæ adulteratio, hypocrisis, superstitio, pompa externa, & ὀφθαλμοδουλεία, conscientiæ inquietis angor, desperatio & animi abjectio, crassus & incredibilis non hominum, sed pecudum, imo plus quam pecudum, in rebus Divinis stupor, apud illos summum atque altissimum gradum obtineant. Hoc itaque caput iis, quæ Esaias & Jeremias de misero hoc Judæorum statu prædixerunt, claudere constitui.

Esa. 29. 13.

Esajas, *Quoniam timor eorum erga me doctus est præcepto hominum, ideo en ipse quoque addam, ut mirifice agam cum populo isto, mira scil. & portentosa, peribit sapientia sapientum ejus, & intelligentia prudentium ejus sese abscondet*. Jeremias vero: *Qui fit ut populus Hierosolymitanus avertatur aversione tam pertinaci? mendacio hærent obstinate & renuunt reverti. Attendi & auscultavi, nemo quod bonum est loquitur, nemo est quem pœniteat mali sui, ut dicat, quid feci? singuli cursum suum tenent, perinde ac equus in prælium effusus. Quomodo dicitis? sapientes sumus, & lex Domini apud nos est? vere mendacium operatus est stylus mendax Scribarum. Confundentur itaque sapientes illi, perterrebuntur, & capientur, verbum enim Domini rejecerunt, & sapientia nulla est in eis.*

Jerem. 8. 5.

CAPUT IV.

De Judæorum Nativitate, & Circumcisione:

Postquam superiori capite ad Judaicæ Religionis & ἐθελοθρησκείας intelligentiam aditum januamque patefecimus, quibusque fundamentis constituta sit, exacte docuimus; facile erit cuivis, qui modo communi sensu non careat, judicare, qua vi, qua pulchritudine, qua proportione, quo item robore, reliquum ædificium exurgat; & quam firmum id atque immotum a prophetarum procellis, tonitribus & fulguribus sit mansurum; quam denique decorum & politum, in oculis omnium eorum, qui vera Dei cognitione imbuti, & vero synceroo-

ceroque verbi Divini intellectu præditi sunt, futurum quapropter nemo in subsequenti doctrina, quæ interdum mira, interdum impia & blasphema, interdum ridicula videbitur & fabulosa, offendatur, nemo sannis eam excipiat: sed cum timore potius & trepidatione legat, perpendatque, ab illa gente proficisci, quam Deus præ cæteris gentibus elegerat & adoptaverat, quam sui cognitione donaverat, quam crebris peculiarium & eximiorum Prophetarum sermonibus identidem erudiverat & instruxerat: verum quæ postea, quum Dei beneficia semper immemori & ingrato transmitteret animo, illius iram & maledictionem sibi contraxerit, ita ut *furore & mentis alienatione percussi sint*, ut Moses minatus erat; *& omnino*, ut Esajas loquitur, *obcæcati, quorum cor crassum redditum, & aures hebetes, ne auribus suis audirent, vel corde intelligerent, qui Dei judicia in impietatem, plus quam gentes, commutarint*, uti de illis conquestus est Ezechiel: & tamen, pro innata superbia, putide subinde oggerant, חכמים אנחנו *Chachamim anachnu*, Nos illi sapientes sumus, qui pie vivendi rationem & normam novimus: תורת יי אתנו *Thoras Adonai Ittanu*, Verbum Dei, & Sacrosancta illius Lex, inter manus nostras versantur, & ad illorum præscriptum vivimus, ut Jeremiæ temporibus intolerantius sese jactabant, sed hoc ab ipso responsum retulerant; *Scribarum statuta & doctrinam meras esse nugas, & pura puta mendacia*. Atque hoc ipsum, circulatoriam videlicet illam de Mose & Prophetis jactationem, frivolam esse & inanem, totamque adeo illorum, de rebus Religionem spectantibus, doctrinam, adulterinam, verbi Divini corruptelam, nugis, næniis, & fabulis anilibus undequaque scatentem, ex hoc etiam libro manifestum fiet.

Deut. 28. Esa. 42. Esa. 6. Ezech. 5. Jerem. 8. 8.

Ut ergo tam bene & solide fundatam Judæorum fidem, cum universa ipsorum doctrina & vita, non solum omnium oculis subjiciamus, sed etiam ordine expendamus; ab ipsa hominis Judæi *Nativitate* initium ducemus, & ita porro, qua ratione in Judæorum album adscribatur, in eodem educetur, atque ad extremum vitæ halitum conservetur, narrabimus; donec tandem illum in sepulchrum, & e sepulchro, per cavernas subterraneas, in terram promissam, ut lacte & melle illic expleatur, satieturque, deducamus, & cum futuro Messia, ad nobilissimum & lautissimum illud convivium admittatur, (in quo inusitatæ magnitudinis Taurum, Piscem & Avem, verubus transfigentes Judæi fideles, assabunt, & irati ventris jejunia egregie placabunt, majoribusque sese invitantes poculis, arenti fauce generosum illud vinum sorbebunt, quod in Paradiso crevit, & justis jam a mundi creatione sepositum est & reconditum): ibique illum securum, altissima quiete fruentem, cuti curandæ vacare, & geniale festum in æternum celebrare, sinamus.

Nunc lectum admissi risum teneatis amici.

Cubiculi Judææ prægnantis, ad puerperium præparatio.

Quando mulier Judæa prægnans est, partusque appropinquat, cubiculum puerperæ decenter præparatur, & rebus omnibus necessariis instruitur. Ante omnia paterfamilias, vel quispiam alius Judæus vitæ sanctimonia & pietate insignis, (si modo talis uspiam sub cœlorum convexitate reperiri possit,) creta accepta, in ambitu cubiculi circulum describit in omnibus parietibus, & supra januam tam extrinsecus quam intrinsecus, nec non in singulis parietibus, & circa lectum, Hebræis characteribus sequentia inscribit verba; אדם חוה חוץ לילית *Adam, Chava, Chutz Lilis* i. e. Adam, Eva, Apage te Lilis; quibus significant; *si gravida puero sit mulier, ei a Deo uxorem, Evæ, non autem Lilisæ similem, dandam; si vero puella, hanc olim marito suo in auxilium futuram, ut Adamo fuit Eva, non autem refractariam & inobsequentem, qualem se Adamo præbuit Lilisa*. Verum, quid sit *Lilis*, forte quæret lector? Hæc vox exstat in Bibliorum textu Hebraico apud Esajam, cap. 34. ubi quidam *Strigem*, interpretantur, abominandam & infaustam avem nocturnam: alii vere *Lamiam*, animal seu spectrum nocturnum & sinistri ominis, faciem Empusæ instar prætendens muliebrem. Sic etiam, mea quidem sententia, accipiunt Judæi de spectro quod mulieris speciem reddat, quodque olim infantes octavo die, quo circumcidi debebant, occidere, vel omnino auferre solitum sit. Spectro autem illi לילית *Lilis* nomen inditum, a voce Hebraica ליל *Lel* quæ Noctem significat. Huc pertinet historia quæ legitur in *Ben Sira*; non illo quem doctissimus *Paulus Fagius*, Latine redditum, excudi curavit, sed eo quem Judæi ediderunt. (Et meum quidem exemplar Constantinopoli est excusum; & illud ipsum, cujus mentionem facit Sebastianus Munsterus sub finem suæ Cosmographiæ Latinæ, ex quo historiam illam Hebraicam de Prestegiani ditione, ad extremum librum annexam, hausit & de-

Inscriptio superstitiosa. Lilis quid. Esa. 34. 14.

& deprompſit ; illudque mihi de Judæo in vicinia , qui *ex Munſteri bibliotheca* habuerat , emi . *Munſterus* enim Baſileæ *linguæ Hebrææ Profeſſor fuit* , ibidemque ſepultus quieſcit .) In illo , inquam , Ben Sira , quem Conſtantinopoli Judæi excuderunt, hujuſmodi hiſtoria legitur .

Fabula de Liliſa.

Quum in principio Deus Adamum in paradiſo ſolum creaſſet, dixit , *Non eſt bonum hominem eſſe ſolum:* Uxorem itaque illi ſimilem ex terra creavit , cui *Liliſæ* nomen impoſuit . Sed e veſtigio jurgia inter eos gliſcere cœperunt, & in hunc modum inter ſe rixati ſunt; Mulier initium fecit , & dixit : איני שוכבת למטה *Ego tibi non ſuccumbam;* cui vir reſpondit: ואיני שוכב למטה אלא למעלה *Neque ego tibi me ſubmittam , ſed potius incumbam, tibi dominabor*: Te enim obedientem & ſubjectam eſſe decet. Mulier regeſſit ; Pares ambo ſumus, neuter altero excellit : ambo ſiquidem ex terra creati ſumus : & ita averſis manſere animis , dictis infeſtis ſeſe invicem diſcerpentes . Quum itaque Liliſa æterna hic præVideret diſſidia , ſacroſanctum Nomen שם המפורש (hoc eſt , Nomen Tetragrammaton יהו״ה cum arcana & Cabaliſtica expoſitione , quam *Lu.* libello edito impugnavit) protulit , & protinus volatu per aerem apertum præpeti curſu ſeſe proripuit . Quo facto, ita Deum compellavit Adamus; Domine totius mundi, uxor quam mihi dederas e conſpectu meo evolavit. Tres itaque angelos סנוי סנסנוי סנמנגלף *Senoi* , *Sanſenoi* , *Sammangeloph* , qui Liliſam fugientem retraherent, miſit Deus, his eos alloquutus verbis; Si in reditum conſentiat , bene ſe res habet ; ſin vero , centum ſingulis diebus e filiis ejus morientur . Ita illam inſequuti Angeli , in mari demum ſunt aſſequuti, quo tempore procelloſum valde & tempeſtuoſum erat : illo ipſo videlicet in loco , quo poſtea Ægyptii ſubmergendi erant; Deique mandatum illi notum fecerunt . Quum vero obtemperare nollet, & redire recuſaret , dixerunt Angeli ; Ni nobiſcum redeas, in mare immerſam te ſuffocabimus . Tunc illos rogavit Liliſa , ut ſe miſſam facerent : *ſe enim in id demum creatam , ut puerulos octo , puellas vero , viginti primis a nativitate diebus , infeſtaret & occideret. Quod quum audiſſent Angeli , vi illam abripere , & ad Adamum reducere ſatagebant . Tum ſacramento ſeſe obſtrinxit Liliſa , omnemque infantibus nocendi poteſtatem ejuravit , ſi modo Angelorum illorum nomina vel effigies, in ſchedula , charta pergamena , aut ubicunque deſcriptas aut depictas , reperiret* : pœnam etiam ſibi a Deo injunctam , centum nempe filiorum ſingulis diebus mortem , recipere ſe ſpoſpondit . Exinde ergo ſingulis diebus centum שדים *Schedim* , id eſt , juniores dæmones e filiis ejus mortui ſunt , &c. Et hæc eſt cauſa , cur horum Angelorum nomina in קמיע *Kamea*, hoc eſt, membrana ſcribamus , & infantibus pro amuleto appendamus ; ut ſc. Liliſa , hoc conſpecto , jurisjurandi memor , noxias ab illis manus abſtineat . Hactenus Ben Sira . Facile autem crediderim , quod de amuletis , puerorum collo appenſis , ibi narratur (vana enim & frivola id genus periammata numero omni apud eos ſuperiora ſunt) : ſed de puerperarum cubiculis nimis quam verum eſt , in illis ejuſmodi picturas & effigies , nominaque Angelorum , valetudini præfectorum, foribus intrinſecus ſuperinſcripta ſemper reperiri .

Sed unde quæſo tam elegantis hiſtoriæ fundamentum hauſere ſapientiſſimi Rabbinorum coryphæi? Non perplexum, non dimidium , ſed integrum , ſed apertum , a *Speculo ardente*. (quod Germanica quidem lingua, verum Hebræis characteribus, Cracoviæ prodiit Anno 1597.) reſponſum feres, in quo cap. octavo hæc habentur verba : *Deus mulierem ex coſta viri finxit, ut , tanquam corporis membrum, admirabili illi omnium membrorum ſibi mutuo miniſtrantium conſpirationi & conſenſui , pro viribus reſponderet , & in illa viro vitæ auxilium ſolatiumque eſſet. Hinc diſputant Sapientes noſtri ſuper eo quod ſcriptum exſtat*. Et creavit Deus hominem ad imaginem & ſimilitudinem ſuam : ad imaginem Dei creavit illum, maſculum & fœminam creavit eos; *quum cap. 2. ſubjiciatur* . Non eſt bonum hominem eſſe ſolum , adjutorium illi ſimile faciamus ei. *Hic, pro admirabili, qua cæteros mortales anteſtant ſapientia, interrogant Judæorum doctores ; Quonam exceſſerit, abierit, evaſerit prima illa mulier, quæ cum illo creationis leges ſubiit ? Verum favete linguis , & acutiſſimos tantæ deciſionis arbitros vacivis auribus auſcultate. Primæ mulieri Liliſæ nomen fuit , ea ſuperbam & inobſequentem viro ſuo ſeſe præbuit , quod æque ambo ex terra creati eſſent, ideoque Deus illam homini ademit , & aliam ex corpore ejus condidit , quæ morigera eſſet , & omni ope , omnique ſtudio illi miniſtraret , non ſecus ac membrum corpori*. Hæc in Speculo ardente Doctores noſtri . Plura de לילית videantur in Lexico Talmudico . Vocatur paſſim apud Hebræos in Medraſchim ,

Specul. ard. cap 8.

Gen. 1. 27

Ibid. 2. 18.

אם

אם השדים והרוחות *Mater dæmonum & spirituum malignorum*. Scribunt etiam de ea, quod in familiis quoque cœlestibus subinde excitet jurgia, lites, odium, invidiam, homines accuset, cum ejulatu magno, &c.

Exacta itaque, & proscripta e cubiculo, inauspicata illa strige sive Lamia, cæterisque larvis & terriculamentis omnibus, ubi partus appropinquat, & maturum ventris pondus per matris dolores viam sibi ad superos quærit: in Jure Judæorum Canonico severa lege cautum est, ne Christiana obstetrix accersatur, nisi forte (quia necessitas nullam legem admittit) Judaicæ copia omnino nulla sit, aut obstetricem Christianam mulieres Judææ plures circumstent; eo quod suspectas illas habeant, ne infantem excipientes, vel membrum aliquod ei luxent, & sede sua moveant, vel etiam, ne in ipso vitæ limine plane ab illis interficiatur. Exstat hoc expressis verbis in Talmud Codice de Idololatria cap. 2. fol. 26. col. 1. תנו רבנן נכרית לא תיילד את בת ישראל מפני שחשודין על שפיכות דמים דברי רבי מאיר וחכמים אומרים נכרית מיילדת את בת ישראל בזמן שאחרות עומדות על גבה אבל לא בינה לבינה ור׳ מאיר אומר אפילו אחרות עומדות על גבה נמי לא דזמנין דמנח ליה יד אפותא וקטלא ליה ולא מתחזי h. e. *Tradiderunt Rabbini nostri, Fœminam alienigenam non posse obstetricem agere apud filiam Israelis, eo quod suspectæ sint de effusione sanguinis, secundum R. Meir. Sapientes tamen dicunt, alienigenam posse eo munere defungi, quando aliæ mulieres (Judææ) adstant, sed non solam. At R. Meir dixit: Ne quidem adstantibus aliis admitti possunt: quandoque enim manum impingunt fronti seu cerebro ipsius (ubi sc. mollius est) & occidunt infantem, & quidem ita, ut non conspici vel animadverti possit*. Hactenus Talmud.

Christianæ obstetrices Judæis prohibitæ.

Dum in ipso partus agone mulier constituta est, ad eum promovendum, quidam vel Rabbinus, vel alias peritus exsurgit, librum Legis in manus sumit, Psalmos aliquot recitat; Psal. XX. XXXVIII. XCI. CII. quibus dein Precationem longiusculam subjungit, quæ exstat in libro Precum Judæorum Italorum, pro felici partu, &c.

Faciliore usa mulier utero, & partu levata, si Filium pepererit, ingens exoritur domi lætitia, & Pueruli recens nati Pater statim incipit de Circumcisione ejus cogitare, & præparatoria ad eam parare. Deus enim, ut cuivis notum est, Abrahamo, & alibi in Lege sua, pueros octavo die circumcidere mandavit. Præceptum hoc scribunt majus esse reliquis omnibus, & æquivalere toti Legi, quod Mosen recte indicare voluisse scribunt, quando dixit: מי יעלה לנו השמימה *Quis ascendet nobis in cœlum?*) quia primæ harum literæ sunt מילה Circumcisio: Abrahamum non fuisse perfectum, nisi posteaquam circumcisus esset, sicut dicitur; *Ambula coram me, & esto perfectus*: hinc colligunt, ipsum antea non fuisse perfectum, ob præputium: Propter Circumcisionem factam ei esse promissionem, de danda ipsi terra Canaan, sicut dicitur: *Die illo pepigit Dominus cum Abrahamo fœdus, dicendo Semini tuo dabo terram istam* &c. Circumcisionem liberare a judicio gehennæ; unde Sapientes ipsorum scribunt, Abrahamum sedere ad portam Gehennæ, & impedire, ne quis circumcisus in eam ingrediatur; omnes vero non circumcisos seu præputiatos descendere in gehennam: Præputium esse ignominiosum, & eo notatas esse gentes a fœdere Dei alienas, sicut dicitur: *Quia omnes gentes præputiatæ sunt*: Qui hoc signum fœderis irritum reddat, neque circumcidatur, eum, licet per cætera instructum Legis notitia, & bonis operibus, nullam partem habere in sæculo venturo; Esse Signum & Sacramentum fœderis, corpori & carni hominis impressum, tam in vita, quam in morte, permanens, quale nullum aliud in Lege reperiatur; *Zizis*, *Tephillin*, *Mesusah*, esse etiam signa, sed extra hominem, ut non semper illi sint præsentia & ob oculos: Circumcisionem esse חותם Sigillum, signaculum in carne, & testari, circumcisos esse de populo Dei, & Deum esse Deum ipsorum, cui servire debeant. Dicunt etiam, ideo magnam esse Circumcisionis dignitatem, quod ea obsignetur & perficiatur Nomen Dei שדי *Schaddaj* in carne Israelitæ circumcisi; In Naribus repræsentari figuram literæ ש, in Brachio, literæ ד, in Circumcisione similitudinem literæ י; in Gentibus itaque non circumcisis, veluti Christianis, non remanere nisi duas literas ש & ד, quæ faciunt nomen שד *Sched*, Diabolus. Unde arguunt Judæos Dei, hos Diaboli esse filios. Ismaelitas, licet habeant מילה Circumcisionem, tamen non habere פריעה Denudationem (de qua inferius). Desumta sunt hæc ex antiquo libro Zohar; in quo, sectione לך לך fol. 64. col. 2. ita legitur; *Quid sibi vult, quod scriptum est Genes.* 17. 1. אני אל שדי Ego sum Deus Schaddaj omnipotens? *Hoc: fecit Deus Coronas inferiores non sanctas pro inferioribus, quibus omnes illi, qui non sunt*

Gaudium Judæorum ex nato puero.

Deut. 30. 12.

Gen. 17. &c.

Circumcisionis præstantia. Genes. 15. 18.

Jer. 9. 5

Menoras hammaor fol. 37. col. 3.

sunt circumcisi, polluuntur, & obsignantur. Quodnam ergo est sigillum quo signati sunt? Conspicitur in eis Schin & Daleth, *nec ulterius* (quæ faciunt שד Diabolus). *Ideo his literis polluti sunt, & adhærent illis. Qui vero circumciduntur, egrediuntur ex his literis, & ingrediuntur sub alas Majestatis Divinæ, dum* (per circumcisionem) *in illis apparet litera* Jod, *signaculum sanctum, signum perpetuum & perfectum, quia sic exprimitur nomen integrum* שדי Schaddaj *perfecte. Propterea scriptum est hic;* Ego Deus שדי Schaddaj, ambula coram me, & fias perfectus, *q. d.* Hactenus signum imperfectum habuisti, *Schin & Daleth*: Circumcide itaque te, & perfectus eris signaculo τȣ̃ *Jod*, ut nomen Dei integrum geras שדי, &c. Videatur & Rabbi Bechaj in Legem fol. 37. col. 3. & Sepher maareches haelahus fol. 181. col. 2. in Comment. ubi hæc ulterius explicantur.

Præparatoria ad Circumcisionem.

Vespera Sabbathi proximi, a nativitate pueri, quidam etiam convivium instruunt, quod vocant ישוע הבן Jeschuah habben, *Salus filii*; gaudium sc. suum eo testantes, quod hic puer salvus e visceribus matris suæ in lucem hujus mundi sit editus.

Dehinc de solenni Circumcisionis convivio, omnis generis lautitiis, veluti anseribus, altilibus, pullis, piscibus, carnibus, & generosis Vinis conquisitis, instruendo prospiciunt: dum hoc fit, ad Convivium convivæ invitantur, quos Denario numero (מנין *Minjan* Hebræi appellant) non pauciores eosque omnes annum decimum tertium egressos, esse oportet. Nam in Pirke Rabbi Eleasaris scribitur; *Nullum testimonium, quod Deus Israelitis dederit, factum esse, nisi coram Decem, & hinc etiam in Circumcisione requiri decem personas, quæ testimonium perhibeant patri, quod filium suum fœderi Abrahami inseruerit.*

Cap. 19.

Septima nocte pars eorum qui vocati sunt ad convivium, vel etiam alii, puerperam conveniunt, totamque noctem insomnem apud eam ducendo epulantur, jocantur, salibus & facetiis certant, chartis & tesseris ludunt, fabellas narrant, cantillant, viri Græco more bibunt, neque prius quam vino mersi & madentes, geminos Soles, geminasque Thebas cernere sibi videantur, absistunt; partim, ut hac ratione puerperam solentur & recreent, ne filii circumcisio illam nimium percellat & affligat; partim, quod persuasum habeant, puerperis illa nocte infortunium aliquod imminere solere. Judæi tamen, qui & doctrina & pietate cæteris anteire volunt, pias aliquot concipiunt preces, & eum, qui pueri siculæ circumcidendæ destinatus est, monent, ne potu nimio se ingurgitet, ne tremulas ad circumcisionem manus afferat.

Mohel, seu Circumcisor.

Ille, qui officium & munus circumcidendi exequitur, Hebraice מוהל *Mohel* appellatur; quem Judæum, & quidem experientem, vigilantem & industrium, esse oportet: *Fœminæ* ab hoc officio excluduntur, quia ipsæ non sunt circumcisæ; siquidem ulla ratione vir haberi possit: quod si vero nullus vir adsit, & fœmina hujus artis sit perita, quidam censent admitti posse; quamvis alii id negent.

Fœminæ non circumcidunt

Nec Christiani.

Sic Christianus quoque non admittitur, quia incircumcisus: quod si contingeret, ut Christianus infantem circumcideret, non necesse foret eum denuo per Judæum circumcidere: מה שנעשה נעשה *Quod factum, factum*: Hoc tamen in casu censent, ei de novo extrahendum sanguinem circumcisionis per aliquem qui sit de fœdere, seu Israelitam.

Judæi autem seu Israelitæ quivis promiscue id facere possunt. Hinc scribunt expresse, הכל כשרים למול *Omnes legitimi sunt ad circumcidendum, etiam Parvulus, Servus, Mulier, & Israelita præputiatus, qui ideo non fuit circumcisus, quod fratres ejus omnes ex circumcisione mortui fuerint: Israelita tamen mas, adultus, & artis peritus, omnibus præfertur, si haberi possit.* Qui neminem adhuc recutitorum sacris initiarit, Judæi locupletiores non facile admittunt: novitios enim reformidant, & tyrocinii rudimenta suis sumtibus, suoque periculo deponi, vix concesserint. Ejusmodi autem tyrones, pauperem aliquem Judæum, pecunia semel atque iterum oblata, demulcere solent, ut in filio suo experimentum fieri patiatur. Dignosci potest & discerni ab aliis hic circumcidendi artifex, ex prælongis & acutis unguibus, quibus, ceu artis suæ tessera, utrumque pollicem decoratum gestat. Si pater infantis sit מוהל, & artis peritus, ipsemet potest filium suum circumcidere.

A barbe de fol on aprend a faire.

Novaculam ex qualibet materia, quæ modo ad sectionem apta sit; lapide nempe, vitro vel ligno, sibi comparare possunt: vulgo tamen ferream, eamque acutissimam, quales esse solent chirurgorum, adhibent, cujus capulum argento Judæi ditiores aliquando includunt, gemmisque distinguunt.

Novacula qua circumcisio peragitur.

Mature etiam prospiciendum de בעל ברית Baal bris, vel סנדק, ut Rabbini eum vocant, h. e. *Compatre & Susceptore*, & opera danda, ut tam hic, quam Mohel, sint viri pii, probi & honesti, qui

Compater seu Susceptor.

qui invigilent, ut omnia rite & legitime administrentur. Sic enim fiet, ut & puer ipsorum fiat similis. Pius etiam Compater causatur, ut tanto lubentius veniat Elias, de quo mox dicetur. Consuetudinis hujus mentio in Medrasch antiquo, qui vocatur שוחר טוב, id quo ad Psal. 35. ℣. 2. 10. inter alia legitur; *Cum David diceret*; Apprehende scutum & clypeum; *dixit Deus ei*, Quid tu facis mihi? *Respondit David; Ego laudo te omnibus membris meis*; Capiti meo appendo Tephillin ad orandum cum eis; Capillos meos non circumtondeo, juxta præceptum Levit. 19. 27. Femore meo; אני עושה סנדיקים לילדים הנמולים, dum constituo Susceptores vel Compatres, qui infantes circumcidendos femore suo excipiant.

Puerulі ablutio & involutio.

Puerulum ante Circumcisionem molli balneo fovent eumque bene lotum, & ab omnibus sordibus accurate purgatum, fasciis involvunt, ut nitide, durante circumcisione, jaceat: secus enim nullas super eum fundere preces licet, &, si forte, dum hæc geruntur, præ ejulatu vel dolore alvo resoluta inquinetur, oportet τὸν περιτομέα preces suas eousque differre, donec iterum a sordibus puer repurgatus fuerit. Verum & justum Circumcisionis tempus incidit in Octavum a nativitate diem, ubi primum sol radios emittere incipit, ad noctem usque, Genes. 17. Levit. 12. Nocte nunquam circumcidunt, communiter mane circumcidi solet puerulus, dum adhuc jejunus est; quod minore tum sanguine manet vulnus, quam ubi stomacho cibus accessit: & ut suam alacritatem & promtitudinem in Dei præceptis observandis testentur. Nam הזריזין מקדימין למצוה *Industrii anticipant observationem præceptorum*.

Tempus circumcisionis.

Modus circumcisionis.

Die octavo mane ad Circumcisionem mature se præparant, & ante omnia quidem, *duo sedilia, vel unicum, sed quod intergesta distinctione duorum sedilium vicem supplere possit*, pulchris tapetibus & sericis pulvillis, pro uniuscujusque scil. facultatibus, sternunt & instruunt; idque vel in schola, vel etiam domi, in peculiari aliquo cubiculo, una cum reliquis omnibus ad id necessariis. Si id in schola fiat, sedile juxta arcam, in qua liber Legis reconditur, & ubi olim Arca fœderis fuit, locari debet: sacer enim est ille locus.

Tum initiationis arbiter (Susceptor & Compater vulgo dictus) accedit, & propter sedile consistit, illique *Mobel* seu περιτομεὺς assistit, Sequuntur alii Judæi, quorum unus magna voce proclamat, ut omnia, quæ ad Circumcisionem opus sunt, afferantur. Tunc pueri aliquot accedunt, quorum unus ingentem facem duodecim cereis faculis, duodecim tribuum mnemosynis, constantem præfert: subsequuntur, qui vini rubri scyphos in manibus ferunt: alius deinde, qui Novaculam; alius, qui Scutellam cum arena; alius denique, qui Scutellam gestat cum olivo, in quo pura, tenuia, & delicata linteola, pueruli vulneri postea imponenda, madent. Illi omnes simul accedunt, & τῷ περιτομεῖ quam proxime, ut eo melius omnia & videre & discere possint, adstant, prout etiam hujus rei gratia hæc officia a pueris pecunia emi solent. Non desunt etiam quidam instructi tragematibus, & præstantibus condituris e saccharo & melle, cum generoso & suavissimo vino, cariophyllis, cinnamomo, & id genus aromatibus, ut vel infantis patri, vel initiationis præsidi, vel aliis etiam propinquis, præsto sint, si forte propter pueruli dolores animi deliquium paterentur.

Ubi isti omnes convenerunt, initiationis præses & arbiter *alterum sedilium*, vel alteram sedilis partem, occupat: & e regione illius sistit se ille *Mohel*, seu glandium retegendarum artifex, & Canticum illud, quod filii Israel in maris rubri transitu cecinerunt, & alia plura, voce sonora canit: juxta illum, Pueruli pater, ut liqueat hunc *Mohel* ejus esse q. legatum & vicarium.

Exod. 15.

Puerulum postea ad januam usque afferunt Mulieres, per certam quandam, quæ *Commatris* vicem gerit, & communiter uxor Compatris esse solet: Ingredi enim Synagogam virorum mulieribus non licet. Sic vice versa ajunt, Compatri, in absentia uxoris suæ, non licitum esse ingredi cubiculum puerperæ, & infantem ab ea accipere: quia hoc est opus mulierum, & ut mulieribus non est decorum intrare atria virorum: ita non decet ut viri ingrediantur cubicula mulierum: Susceptor vero ad januam accedit, &, puerulo suscepto, locum suum repetit, universo cœtu acclamante, ברוך הבא Baruch habba *Benedictus ille qui venit*. In quibus verbis notandum mysterium magnum Cabalisticum in voce הבא *Habba* (Qui venit) latens. Nam ex literis vocis הבא per speciem Kabalæ, quam Gematriam appellant, exsurgit numerus octonarius. Cabalistica proin interpretatio est, *Benedictus ille qui venit octavo die*; scil. ut circumcidatur. Sed & הבא Abbreviatura, hoc est, ejusmodi vox est, cujus singulæ literæ singulas alias voces denotant, ut; הנה בא אליהו

Elias intereſt Circumciſioni Judæorum

אליהו Hinne Ba Elijahu, *Ecce Elias venit*; qui nempe Angelus fœderis dicitur. Exiſtimant enim, Prophetam Eliam ſimul cum puero ingredi, & in altera ſella ſedere, ut obſervet, an Circumciſionis fœdus rite adminiſtretur, prout ſcribitur; *Ecce Angelus fœderis, quem optatis, adeſt*: unde altera hæc ſella vocatur כסא אליהו *Kiſſe Elijahu* Sella Eliæ. Quum aliquando Judæis Circumciſione interdictum eſſet, tantum ex eo dolorem animo concepit Elias Propheta, ut in ſpelunca vitam cum morte commutare decreverit: & cum ita eum affatus Deus eſſet; *Quid hic agis Elia*? reſpondit ille: *Zelo zelatus ſum pro Domino Deo exercituum, quia filii Iſrael dereliquerunt pactum Domini*; pactum nempe Circumciſionis. Tunc itaque Deus promiſit Eliæ, eum ſemper Circumciſioni interſuturum, ne filii Iſrael pactum illud amplius derelinquerent, ſed recte & rite deinceps adminiſtrarent, ſicut ſcriptum eſt: *Ecce Angelus fœderis veniet*, &c. Quum ſellam illam Eliæ deſtinant & deſternunt, clara voce & verbis expreſſis dicere oportet; זהו כסא אליהו. *Hæc eſt ſella Prophetæ Eliæ*: niſi enim expreſſe hoc dicatur, Circumciſioni non intereſt, ceu non invitatus. Gravi fortaſſis propter extremam ſenectutem eſt auditu, ut ideo intenſione vocis hac ſit opus. Et ut ad extremum uſque Circumciſionis patienter expectet, ſedile illius, niſi triduo exacto, loco ſuo non movetur. Factum eſt aliquando, ut opulentus quidam Judæus filium Ratisbonæ vellet circumcidere, & Rabbi Judam, cui חסיד *Chaſid* Pio cognomen erat, in ſuſceptorem eligeret. Puero allato, quum omnes aſſurgerent, & conclamarent, ברוך הבא *Baruch habba*, Rabbi Juda tacuit, nec aſſurrexit. Omnibus itaque mirantibus, & tam inſolitæ rei cauſam ab illo cognoſcere cupientibus, reſpondit; *Eliam mihi aſſidentem videre non potui*: unde fit, ut nihil boni de puerulo hoc ſperare poſſim. Ibi autem ad feneſtram, quendam ſenem conſpicio, promiſſa & caneſcente barba, illum interrogate, & rem omnem vobis expediet. Hunc itaque quum interrogaſſent, reſpondit ille; Ideo Elias Circumciſioni non intereſt, quia prævidit fore, ut puer iſte a fide Judaica ad Chriſtianam aliquando deficiat. Nec eventus poſtea prædictioni defuit.

Malac. 3.

Sepher Minhagim.

1. Reg. 19. 10.

In libro Maaſch hiſtor. 270.

Exinde initiationis arbiter ſeu Suſceptor puerulum femori ſuo imponit; *Mohel*, ſeu Circumciſor, faſcias, quibus puerulus devinctus eſt, ſolvit, nervuli ipſius præputium arripit, & glandem compreſſione retrocedere cogit, præputiumque eouſque fricat, ut ſenſus deducatur & obſtruatur, ac proinde ſectionem puer minus ſentiat: deinde, novacula a puero adſtante accepta, elata voce dicit; ברוך אתה יי' אלהינו מלך העולם אשר קדשתנו במצוותיך וציתנו על המילה *Benedictus tu Domine Deus noſter, qui nos præceptis tuis ſanctificaſti, nobiſque fœdus Circumciſionis dediſti*. Dum hæc loquitur, particulam præputii, & quidem eouſque ut glans denudata appareat, abſcindit, & ſubito in arenam ſcutellæ projicit, (puero etiam novaculam interim recipiente): dein ſcypho accepto, vini quantum ore contineri poteſt, haurit, eo ex parte puerulum aſpergit, & ſanguinem aliquatenus removet, partem etiam in faciem exſpuit; ſi præſertim aliquid in illo debilitatis agnoverit.

Ubi manans ex vulnere cruor paululum cohibitus eſt, πτερυγῶς hamatis illis ſuis pollicum unguibus reſectam ſeu obtuſam illam cuticulæ glandem integentis partem, in duo diſcerpens, retrorſum veluti decorticans convolvit, ita ut glans omnimode retegatur & denudetur (poſtremam hanc Retectionem פריעה *Priah* appellant Judæi, & ex illa longe graviores & acutiores puero dolores accidunt, quam ex Circumciſione ipſa).

Priah.

Ab hinc, ut ſanguis, e longinquioribus locis effluens, omnis extrahatur, hæmorrhagia ſiſtatur, & inflammatio præcaveatur, ore ſuo ſanguinem exſugit, & eo exſucto, & vel in alterum e cyathis, vel etiam arenæ ſcutellam, exſpuit. Hoc ter ad minimum facit, & Hebraice מציצה *Mezizah* appellant: *Mohel*, qui circumcidit ſine *Mezizah* ſeu exſuctione ſanguinis, ab officio removetur; quia cenſetur periculo exponere infantem.

Mezizah.

Poſthæc lintea oleo madentia accipit, & vulnus triplici vel quadruplici linteolo obligat, puerulumque faſciis iterum involvit.

Dum hæc geruntur, inter abſciſſionem ſcilicet præputii & *priah* ſeu denudationem, infantis pater ait; באי' אמ"ה אקב"ו להכניסנו בבריתו של אברהם אבינו *Benedictus tu Domine Deus noſter rex mundi, qui nos tuis præceptis ſanctificaſti, & præcepiſti, ut Abrahami patris noſtri fœdus ineamus*. Quem univerſus Judæorum adſtantium conſeſſus ita excipit: כשם שהכנסתו לברית כן תכניסהו לתורה ולחופה ולמעשים טובים *Ut hunc puerulum ingredi feciſti; ſeu recepiſti in fœdus Abrahami patris noſtri: ita ingredi facias eum in legem Moſis, in matrimonium, & in bona opera*.

Benedictio prima.

Poſt illa *Hammobel*, ſeu is qui puerum

rum Judaiſmo initiavit, ne impuro ore Benedictionem recitet, os & manus ſtudioſe lavat, & initiationis arbiter cum puerulo ſurgit, ſeque e regione illius qui initiavit, ſiſtit, qui alterum vini rubri cyathum acceptum, conſueta benedictione (בורא פרי הגפן *Borè pri haggephen*) conſecrat, preces inſuper pro puero his verbis fundit; אלהינו ואלהי אבותינו קיים את הילד הזה לאביו ולאמו ויקרא שמו בישראל פלוני בר פלוני ישמח האב ביוצא חלציו ותגל אמו בפרי בטנה ככתוב ישמח אביך ואמך ותגל יולדתך ונאמר ואעבור עליך ואראך מתבוססת בדמיך ואומר לך בדמיך חיי ואומר לך בדמיך חיי, ונאמר זכר לעולם בריתו דבר צוה לאלף דור וגו׳ *Domine Deus noſter, Deus patrum noſtrorum, corrobora puerum hunc & parentibus ſuis conſerva, ſitque nomen ejus in populo Iſraelis* (hic primulum puero nomen indit) *Iſaacus filius Abrahami: lætetur & gaudeat pater eo qui ex lumbis ejus prodiit, delectetur mater ejus fructu ventris ſui, juxta id quod ſcriptum eſt*: Gaudeat pater tuus & mater tua, & exultet quæ genuit te. *A Propheta etiam dicitur*, Et tranſivi propter te; & vidi te jacentem in ſanguine tuo, & dixi tibi, quum eſſes in ſanguine tuo, Vive; dixi, inquam, tibi in ſanguine tuo, Vive (*Hic digitum in illo poculo intingit, quod ſanguine, ex cruento præputio exſucto, irroravit, & bis terve recens recutiti ori immittit, hac ſpe ductus, hac ratione fore, ut, juxta illud Prophetæ, tanto diutius in ſanguine Circumciſionis ſuæ vivat. Matri etiam aliquantum de illo vino propinant.*) *David præterea ait*; Memor eſt in ſæculum fœderis ſui, verbi quod mandavit, in mille generationes, &c. *Precibus porro a Deo poſcit, ut Deus omnes ſalvos & incolumes tueatur, quod fœdus ejus iterum confirmarint: longam parentibus vitam, & puero benedictionem exoptat, &c.* Aliam precationis formam, Chaldaica lingua conceptam, vide in Colbo fol. 84. col. 4.

Benedictio altera. — Nominis impoſitio in circumciſione. — Prov. 23. 25. — Ezech. 16. 6. — Pſ. 105. 8.

His dictis & finitis, ſuſceptori & pueris adſtantibus omnibus dat aliquid de poculo conſecrato bibere, & ſic tandem cum puerulo recens verpis adſcripto domum revertuntur, & in maternis illum brachiis reponunt; quo finem hic Actus habet.

Qui *Suſceptoris* munere funguntur, aliquando prius lavant ſe totos, ut infantem purum in fœdus inferant. Ratio videri poteſt in *Mabaril* fol. 84. col. 2.

De Suſceptoribus.

Nemo unum & eundem pro duobus, tribus, vel pluribus liberis Suſceptorem rogare debet: ſed cuique peculiaris eſt eligendus. Dicunt enim, eum, qui infantem ſuſcipit, ſimilem eſſe Sacerdoti ſuffitum adolenti; jam vero nullum Sacerdotem, plus quam ſemel ſuffitum feciſſe; quia Suffitus divitias attulerit; quia Deut. 33. poſteaquam dictum fuit: *Ponent ſuffitum in nares tuas*, ℣. 10. ſtatim ſubjungitur; *Benedic, Domine, ſubſtantiæ ejus*, ℣. 11. Et dignius dicunt eſſe munus Suſceptoris, quam Circumciſoris. Ibid.

Quidam pietate & doctrina inſignes Judæi, quum infantem præ Circumciſionis doloribus flentem audiunt, ſeſe hoc Exodi dicto ſolantur; *Ego audivi gemitum filiorum Iſrael, & recordatus ſum pacti mei.* Quum περιτομεὺς ultimas preces concipit, ſtat cum ſuſceptore juxta arcam, utpote locum ſacrum. Id doctores & ſapientes eorum elicuerunt, & faciendum eſſe docuerunt, ex voce מילה *Milab*, (id eſt Circumciſio,) cujus ſingulas quatuor literas ſingulis vocibus expoſuerunt, מוהל ירד לפני התיבה *Mohel jered liphne hattebbah*, id eſt, περιτομεὺς deſcendet (& ſiſtet ſe) coram arca: vel; מלאך יושב לפני הארון *Maleach joſchebb liphne Haaron*, i. e. Angelus ſedet coram arca, Elias nempe, Angelus fœderis, ſe quoque ſiſtit coram arca & precatur. Sunt etiam, qui puerulum, & ante & poſt circumciſionem, Eliæ Prophetæ pulvillo aliquantiſper imponant, ut illum Elias tangat, eique benedicat.

Exod. 6. 5.

Illam autem Circumciſionis partem, quam פריעה i. e. Denudationem appellant, & quæ acutis unguibus ſolet fieri, ex Joſuæ cap. 5. probant, ubi dicitur; *Facito tibi gladiolos acutos* (ita enim reddendum eſt, non *Saxeos*) *& iterando circumcidito filios Iſrael* שנית *ſecundo*; Hic, dicunt ſapientiſſimi & doctiſſimi Rabbini, vox hæc שנית *Secundo*, de *Priah*, h. e. Denudatione glandulæ, quæ tanquam altera eſt Circumciſio, eſt intelligenda. Fundamentum hujus interpretationis eſt, quod per Gematriam, ſupputandi rationem Cabaliſticam, hæ duæ voces, שנית & פריעה eundem conficiunt numerum, nempe 760. De hac *Priah* ſeu Denudatione dicunt: מל ולא פרע כאילו לא מל *Qui circumcidit & non denudat, perinde eſt, ac ſi non circumcidiſſet*. Cujus dicti hunc quidam volunt eſſe ſenſum; *Si quis abſcindat præputium ſuum, & maneat* ערל הלב *incircumciſus corde, circumciſionem ei nil prodeſſe, ſed eſſe* כתינוק בן יומו *inſtar infantis recenter nati, ſine omni intellectu: nihil quoque intereſſe, ſive quis ſit*

Unde Judæi Periah, ſeu Denudationem probent. Joſ. 5. 2.

ſit או כפי שניו נער כפי שניו *puer annis* , מדות הנערות *aut puer moribus &c.* Cabaliſtæ etiam obſervarunt , per Gematriam פריעה conficere 365. totidem ſunt præcepta Legis negativa ; itaque , qui hanc in Carne ſua habet , perinde haberi , ac ſi illa 365. præcepta omnia implevisset .

Hic etiam fuſe diſputant , Cur ii , qui in deſerto nati ſunt, per quadraginta annos circumciſi non fuerint? Utique id non eſt factum propter nequitiam , & obſtinatam illorum malitiam . Abſit . Sed quia per quadraginta annos Boreas non ſpiravit in deſerto . Hoc enim ſpirante ſalubris valde eſt omnis ſanguinis miſſio : eo vero non ſpirante , vulnera omnia admodum ſunt periculoſa . Hinc medicum illud axioma ipſorum, ſed ſermone Chaldaico : ביומא דעיבא וביומא דשותא לא מהלינן ולא אסוברינן *Diebus nubiloſis , & qui Euro perflantur , neque circumcidimus , neque venam ſecamus :* ואם יאמר אדם וכי כל יום ויום כשהכר נמול אדם שומר לו רוח צפונית יש לומר הטעם כי בכל יום נושבת כמו שאר״ל ד׳ רוחות מנשבות בכל יום ורוח צפונית עם כל אחד מהן וברוב הימים היא לבדה נוברת על שאר הרוחות לפי׳ מליץ בכל יום על הרוב: *Verum objiciat aliquis ; Quum quotidie ad circumcidendum neceſſitate adigamur, qui Aquilonem obſervare & exſpectare poſſumus, qui non quotidie ſpirat? Scrupulum hunc ſolvent Sapientes in Talmud : Dicunt enim, quatuor ventos ſingulis diebus flare ; ſingulisque immixtum eſſe Aquilonem , aliquando etiam reliquos omnes ſuperare ; ac proinde ſingulis diebus ſine diſcrimine circumciſionem celebrari poſſe* . Ventum autem Septentrionalem tum temporis non ſpiraſſe , hinc conjicere eſt ; quod natura ſua nubes diſcutiat , & ſerenitatem inducat , ut apud Jobum habetur ; רוח עברה ותטהרם מצפון זהב יאתה *Ventus tranſiens fugat nubes , ab Aquilone venit aurum* , i. e. ſuda & ſerena tempeſtas , inſtar auri radians & refulgens . Itaque ſi tum ventus iſte increbruiſſet, nubem gloriæ, quæ populum Iſraeliticum comitabatur, ſommoviſſet & diſſipaſſet , unde multa & magna populus accepiſſet incommoda , &c. Sed myſteria omnia non ſunt revelanda . Qui poteſt , iiſque delectatur, legat Kimchium in locum illum , quem paulo ſupra ex Joſua citavimus , & Talmudem in Tractatu יבמות *Jebhammos* , id eſt , De fratriis, ſeu fratris abſque liberis defuncti uxore ducenda, cap. 8. cujus initium eſt הערל *Hearel*, ubi multa alia eximia abſtruſæ & reconditæ doctrinæ indicia , pluresque ſubtiles & acutas, de Circumciſione in deſerto intermiſſa , diſputationes & deciſiones eſt videre.

Talm. Jevam. fol. 72.1.

Tractat. Gitt.cap.3

Od.2. καὶ βορέης αἰθρηγενέτης μέγα κῦμα κυλίνδων.

Job.37.21.

Quod jam illam præputii reſecti in arenam projectionem attinet, ea ſequentia ſignificantur . *Primo* , ſemen eorum fore ſicut arenam maris, quemadmodum ſcribitur : *Dilatabo ſemen tuum ſicut arenam maris , quæ præ multitudine numerari non poteſt* . Item , *Eritque ſemen tuum quaſi pulvis terræ* . *Secundo* , memoria repetenda eſſe ea quæ dixit Bileamus , quum ſolum Iſraelitarum præputiis undique ſtratum & opertum cerneret ; *Quis dinumerare poſſit pulverem Jacobi ?* hoc eſt , quis ſubſiſtere poſſit coram ſanctitate & dignitate gentis hujus quæ tota recutita eſt , & cujus præputia in arena ſepulta jacent ? quomodo genti adeo ſanctæ maledicerem ? Nam in Pirke R. Elieſaris cap. 29. ſcribitur ; *Iſraelitas olim accepiſſe præputium & ſanguinem ; eaque in pulvere deſerti abſcondiſſe . Inde cum Bileam veniſſet , & totum deſertum oppletum vidiſſet præputiis Iſraelitarum , dixiſſe* ; Quis poterit conſiſtere præ merito Sanguinis & Præputii illorum, qui hic obtecti ſunt pulvere? *Hic enim ſenſus eſt ejus quod dixit ;* quis numerabit pulverem Jacobi ? Num. 23. 10. *Et hinc ordinarunt Sapientes noſtri in hunc uſque diem , ut abſcondatur præputium in pulvere aut arena, in memoriam pulveris deſerti* . *Tertio* , ad ſerpentem antiquum, qui primum hominem in paradiſo ſeduxit , cibandum Cibus enim ſerpentis eſt pulvis terræ, uti ſcribitur: *Et ſerpenti pulvis panis ejus* . Et Cabaliſtæ dicunt, Præputium eſſe מכת הנחש הקדמוני a Serpente antiquo . Quandoquidem ergo ſerpens antiquus inſitam adhuc inimicitiam habet & gerit cum homine, & aſſidue corpus animamque ejus devorare appetit , ideo hunc ſuum hoſtem hic ſatiant obſervatione præceptorum Divinorum, hoc eſt, pane legis ſacroſanctæ , prout ſcribitur : *Si eſurierit inimicus tuus , ciba illum pane* : & hoc pacto virtus illius debilitatur , adeo ut hominem non amplius poſſit tam turpiter impoſterum ſeducere, &c.

Quid ſibi velit præputii in arenam projectio.

Gen.32.13

Gen.28.14.

Gloſſa Talmud.ibid. Num. 23. 10.

Rabbi Abraham in libro Zeror hammor , in paraſcha Kiteze, ſuper 23. caput Deuteronomii.

Eſa.65.25.

Prov. 25. 21.

Si quem parentes non circumciderint, Eccleſia ſuo debet fungi officio: ſi & hæc neglexerit, cogitur ipſe, ubi adoleverit, ſub excidii pœna ſe circumcidere.

Pueros ægros octavo die non circumcidunt ; ſed expectatur, donec convaluerint . Et ſiquidem morbus fuerit gravis & acutus , totum corpus occupans , ut febris, aut ſimilis morbus ; tum ſeptem dies, poſtquam integre convaluit, exſpectant , antequam eum circumcidant : ſi vero ægritudo ſit levior, veluti membri ali-

De puerorum ægrorum circumciſione.

alicujus dolor, vel ſimile quid, tum ſtatim, poſt valetudinem recuperatam, eum circumcidunt. Cauſa hujus rei eſt, quia finis præceptorum Divinorum eſt, ut homo per ea vivat, ſicut dicitur: וחי בהם *Et vivet per ea;* non ut moriatur, quod fieri facile poſſet, ſi infans æger circumcideretur.

Levuſch par. 3. num. 264. §. 1.

Quod ſi periculum vitæ immineat, ut ante octavum diem circumcidendus ſit, perinde eſt quiſquis eum circumcidat, ſive Chriſtianus, ſive Iſraelita: quia Circumciſio, quæ fit ante octavum diem, non eſt Circumciſio; quod ſi autem remaneant quædam filamenta, quæ imperfectam reddunt circumciſionem, vel circumciſus ſit ſine *Priah* denudatione, eam perficiet Iſraelita die octavo, vel quamprimum infans ſanatus fuerit.

De pueris ægris ante 8. diem circumcidendis.

Si Matri alicui primus & ſecundus infans ex circumciſione moriatur; tertium non ſtatim octavo die circumcidit, ſed exſpectat donec adoleverit; quia præſumtio eſt hujus mulieris filios ex circumciſione mori.

Ad circumciſionem non equidem requiritur מניין *Minjan* numerus decem minimum perſonarum; nihilominus ſi haberi poſſint, id obſervandum: quia publice fieri, & omnibus innoteſcere debet.

De iis qui ante octavum diem moriuntur. Schulchan Aruch in Jore Dea num. 263. ſect. 5.

Qui ante octavum diem incircumciſus moritur, in cæmeterio demum ſupra ſepulchrum circumciditur; ut probrum præputii ab ipſo auferatur, & ne cum eo ſepeliatur, כי ערלה חרפה היא לו *quia Præputium opprobrium ipſi eſt*. Sed nullæ ſuper circumciſionem ejus concipiuntur preces: Verum nomen ipſi imponitur, ut, cum in mortuorum reſurrectione, una cum cæteris Judæis, vitæ reſtituetur, & quiſque patrem, matrem, & ſuam familiam agnoſcet, hic quoque infans ex nomine ſuo agnoſcatur a parentibus ſuis.

In quibuſdam locis oportet omnes eos, qui Circumciſioni interſunt, ſtare, ſolo excepto ſuſceptore, cui ſedere permiſſum; ſicuti ſcribitur: ויעמוד כל העם בברית *Stabatque univerſus populus in fœdere*, h. e. in circumciſione.

2. Reg. 23. 3.

Denique benedictionem myſtagogo recitandam eſſe, dum novaculam adhuc manu tenet, id docuerunt Sapientes, ex illo Pſalmi loco: *Exultationes Dei in gutture eorum, & gladii ancipites in manibus eorum*. Primo ſic Actu in Synagoga explicito, ad reliquas Comœdiæ partes, quando ſcilicet cum puero domum redeunt, progrediamur.

Pſ. 149. 6.

Convivium circumciſionis.

Dum ex ſynagoga egrediuntur, & domuitionem parant, ſtudioſe culina inſtruitur, menſa ſternitur, & cœna præparatur, ad quam decem ad minimum, uti ſupra diximus, invitantur, quibus unum aut alterum eruditum Rabbinum intereſſe oportet, qui prece ſatis longa menſam conſecrant, & concionem habent, quam tamen non magnopere attendunt auditores, ſed potius alter alteri cyathum vini interea propinat. Mihi aliquando contigit, ut ad Circumciſionis convivium ab ipſis vocatus, concionem audiverim in illa Salomonis verba; *Lignum vitæ eſt ſapientia his qui apprehenderint eam:* ſed in rei veritate aſſeverare auſim, me nihil unquam tam abſurdi, tam ſtolidi, tam ridiculi audiviſſe.

Concio adhibita Circumciſioni

Prov. 3. 18.

Lautum & opiparum hoc Convivium apparandum ipſis eſſe, ex voce Hebraica מילה demonſtrant & oſtendunt. Quatuor enim ejus literas, quibus conſtat, volunt quatuor harum vocum initiales eſſe, משתה יעש' לכל הקרוים i. e. *Convivium apparabit omnibus hoſpitibus invitatis*.

Convivium quomodo probent?

Octavo vero die celebrandum eſſe, longe ſubtilius & argutius ex Abrahami & Iſaaci *hiſtoria probant, ubi ita ſcriptum habetur:* ויגדל הילד ויגמל ויעש אברהם משתה גדול ביום הגמל את יצחק: *Crevit igitur puer, & ablactatus eſt: fecitque Abraham grande convivium in die ablactationis ejus*, bejom higgamel. Hoc enim Cabaliſtice ita interpretantur; Noli legere הגמל, ſed ביום הגמל, ubi literæ ה & ג nullam vocem exprimunt, ſed notæ ſunt numerales, ex quarum additione conflantur *Octo*: Vocula vere מל ſignificat, *Circumcidit*. Unde egregia iſta Rabbinica & Cabaliſtica exſtruitur expoſitio: *Et Abraham magnum inſtruxit convivium die octavo, quo Iſaac circumciſus fuit, crevitque Iſaac & ablactatus fuit*.

Gen. 21. 8.

Rab. Bechai in hæc verba.

Quod vero bona & laudabilis hæc quoque ſit conſuetudo, ut ad opiparum iſtud convivium eruditi Rabbini, aliique pii viri vocentur, probant ex Pſalmo quinquageſimo. De hac enim conſuetudine volunt Davidem illic loqui, quando ait; אספו לי חסידי כורתי בריתי עלי זבח hoc eſt, eleganti & venuſta, vel ipſo Epicuro judice, expoſitione; *Congregate mihi Sanctos meos, obſervantes fœdus meum* (circumciſionem nempe) *cum ſacrificio* adjiciali cœna, quæ nunc temporis exhibetur loco ſacrificiorum, quæ in hac captivitate, non ſine ingenti animi mœrore, offerre nequeunt. Dicunt etiam; Omne præceptum, quod olim Patres ipſorum cum gaudio in ſe receperunt, (quale etiam eſt Circumciſio) etiamnum hodie cum gaudio, hoc eſt, ſolenni convivio celebrandum eſſe. Unde huj-

Cur Rabbini ad illud invitentur.

Pſal. 50. 5.

jusmodi Convivia vocant סעודות מצוה *Sudos mizvah* Convivia præcepti; quod in iis lætitiam suam testentur, propter observationem præceptorum Dei. Qui in hoc convivio non cum reliquis convivis edit & bibit, habetur pro מנודה לשמים excommunicato a Deo ipso, vel exclusso a regno Dei.

Mystagogum per aliquot dies apud puerperam commorari oportet, ut pueruli curam gerat, &, ne sanguis e vulnere erumpat, præcaveat.

Spuriorum circumcisio.

Spurii, ut legitimo thoro nati, circumciduntur: Sed Benedictio ordinaria non integra super iis recitatur: omittitur illa pars, qua misericordia Dei super iis imploratur. De horum circumcisione sequentia refert exempla *Maharil f. 86. 1. Innupta quædam aliquando peperit filium, quem dedit τῷ N. tanquam illius patri. Ipse vero negavit, hunc suum esse filium. Cum nihilominus nomen ipsius vellent infanti imponere, monuit eos* Maharisegel, *ne id facerent, cum infantem pro suo non agnoscat. Benedictionem super eo recitantes, & ad hæc verba pervenientes,* הודו לה' כי טוב Confitemini Domino quia bonus; *omittebant hæc verba,* כי טוב Quia bonus; *quod non convenirent spurio ex scortatione nato. Maharisegel autem eos propterea corripuit, & adegit, ut integram recitarent, quod circa Sacra idem juris sit spurio & legitimo.* Aliud exemplum refert de infante nato ex Adulterio: *Offerebatur aliquando Spurius ex Adulterio circumcidendus τῷ* Maharisegel: *cum dies circumcisionis incideret in Sabbathum, permisit, ut in vespera Sabbathi aqua calida peteretur e domo pistoris Christiani, ad abluendum infantem. Rabbi Gumprecht, frater ejus, fuit Circumcisor, & circumcidebat eum ante fores Synagogæ in ejus atrio, quod de legitimis non solet fieri, qui interius circumciduntur. Benedictionem autem seu precationem noluit totam dici* Maharisegel, *sed mandavit fratri, ut eam partem omitteret, qua pro infante precantur, ut Deus eum vivum conservet per Sanguinem circumcisionis; quod sc. eo voto indignus sit Spurius. Adstantes etiam noluit, ut recitarent post Circumcisionem ista;* Quemadmodum ingressus est in fœdus, sic ingrediatur in Legem Mosis, in matrimonium, & bona opera; *quibus prosequi solent legitimos: Nomen ipsi imponi jussit* כי דור Ki dor, ex loco Deuteron. 32. 20. כי דור Ki dor, *Quia generatio perversa sunt. Ministro Synagogæ mandavit, ut alta & clara voce coram tota Ecclesia proclamet finita Circumcisione;* Scitote, quod hic infans circumcisus sit Spurius, ne commisceatur semen ejus cum semine nostro.

Proselytorum.

Proselytos, qui ex aliis gentibus Judaismum amplectuntur, in fide Judaica instituunt, conditionem Judæorum illis exponunt, deinde circumcidunt, hac addita Benedictione; *Benedictus Deus*, &c. *qui nos sanctificavit præceptis suis, & mandavit nobis* למול את הגרים *circumcidere proselytos, & extrahere ab ipsis sanguinem fœderis* &c. Posteaquam a circumcisione sunt sanati, baptizant eos, baptismo peracto, benedictionem ei quoque addunt. Et hæc omnia fiunt coram tribus ad minimum testibus. De his vide ulterius, quæ observata sunt in Lexico Talmudico in radice גור, ad nomen גר.

Eorum qui circumcisi nascuntur.

Porro sunt aliquando, *qui nascuntur circumcisi*, glandem membri retectam habentes, ac si circumcisi essent, λιπόδερμοι. Hi quidem, ut cæteri non circumciduntur; extrahendus tamen ipsis est, levi incisione, sanguis fœderis Circumcisionis. Sic scribit Maharil, quendam Rabbinum filio suo, sic circumciso nato, ungue præputium discerpsisse, ut sanguis emanaret, nec quicquam præterea fecisse.

Si gemelli nascuntur, omnia gemina adhibentur, duo etiam Circumcisores.

Puerpera per 6. hebdomadas decumbit.

Mater, sive puellum sive puellam sit enixa, per sex hebdomadas debet decumbere, totoque eo tempore vir ab omni communione & consuetudine cum ipsa abstinere, adeo ut ne quidem vel digito eam attingere, aut ex eadem cum illa patina edere ipsi liceat, non secus ac si menstruam suam pateretur purgationem, qua de re autem alibi fusius agetur. Atque ita solet puer per circumcisionem Judæus fieri.

Quomodo puellæ Judaismo initientur.

Quod si mulier *puellam* partu ediderit, non magna adhibetur pompa, parvoque admodum apparatu nascentis excipiuntur puellæ cunabula: nullum etiam peculiare hujus rei documentum in libris eorum reperio. Ferdinandus Hessus (qui superiori sæculo sacro Baptismi signo ablutus, a Judaismo ad Christianismum conversus est) scribit; Virgines aliquot, post sex a puellæ nativitate hebdomadas, circa cunas, pretiosis pannis & cingulis argenteis ornatas, sedere solere, & aliquoties puellulam cum cunis in sublime tollere, eique nomen imponere; eam vero, quæ a capite infantis stat, Susceptricem esse: hocque facto convivari, edere, bibere, & hilares esse.

Leo de Modena, in libello Italico de Ritibus Hebraicis par. 4. cap. 8. scribit: *Puella cum nascitur, nullis utuntur cere-*

mo-

moniis, *ſed*, *poſteaquam exacto menſe*, *Mulier e puerperio egreſſa*, *in Synagogam ſe confert*, *Chaſſan ſeu Cantor recitat Benedictionem ſuper filiolam recens natam*, *eique Nomen imponit pro arbitrio Parentis*. Addit, Germanos in more habere, ut Chaſſan ſeu Cantor in ædes Parentum ſe conferat, ibique poculo vini in altum levato Nomen imponat.

Fœmellæ cur non circumcidantur.

Fœmellæ non circumciduntur, ſed ſufficit Circumciſio maſculorum, quia illæ ſunt Adjutoria virorum, & illorum dominio, gubernationi & imperio ſubditæ. Unde & liberæ ſunt ab omnibus præceptis, quæ ad certum tempus ſunt alligata. Nam ſi his tenerentur, Maritus eo tempore, quo Uxor in Præcepti obſervatione occupata foret, eſſet ſine adjutorio, & inde rixæ orirentur, ceſſaretque dominium marito in uxorem conceſſum.

Hiſtoria de quodam Gentili, qui mirabiliter circumciſus, & Judæus factus eſt.

Avoda Sarah cap. I.

Antequam ſummam huic capiti manum imponam, non poſſum quin ex Gemara hiſtoriam adducam de quodam alienigena, qui mirabili prorſus circumciſione partem in futuro ſæculo eſt conſequutus, & in pium Judæum, moriens, evaſit. In Tractatu Talmudico *Avoda Sarah*, hoc eſt, *de Idololatria* legimus; *Regem quondam Romanum*, *Judæis infenſiſſimum*, *eoſque de medio tollere & exſtirpare cupientem*, *conſiliarios ſuos his verbis adorſum eſſe*: מי שעלה לו נימא ברגלו יקטענה ויחיה או יניחנה ויצטער *Qui inveterato & gangrænoſo in pede laborat ulcere*, *in quo jam noma ſeu putreſcens caro excreverit*, *an illi totum ulcus ad ſanam uſque carnem eſt excidendum*? *an vero conſultius eſſe ducitis*, *ut carnis putreſcentis & emortuæ dolores aſſidue perpetiatur*? Quibus verbis Judæos innuebat, qui jam a longo tempore ditionem ejus inſederant, & ſubditos, infeſtarant. *Hæc uti quidam e conſiliariis ejus*, *cui Ketija Schalomi filio nomen erat*, *audiſſet*, *in hunc modum reſpondit Regi*, ארוני רלא יכולת רכתיב כי בארבע רוחות השמים פרשתי אתכם *Mi Domine*, *nunquam in univerſum exſtirbabis vel exterminabis Judæos*, *Scriptum enim eſt de illis*; In quatuor ventos cœli diſperſi vos, hoc eſt

Zach. 2. 6.

כשם שאי איפשר לעולם בלא רוחות כך אי איפשר לעולם בלא ישראל *Ut mundus abſque ventis ſubſiſtere nequit*: *ita nec abſque Judæis*. *Quapropter penes te non eſt Judæos exterminare*, ועוד קרו לך מלכותא קטיעא *h.e. præterea*, *ſi hoc fores aggreſſus*, *deſtructor & Tyrannus clueres*: שפיר קאמרת *Bene reſpondiſti*, *ait Rex ſed qui reſponſo ſuo Regem ſuperat*, *ille in acervum arenæ* (vel *in Caminum ignis*) *conjicitur*, *ibique ſuffocatur*. *Quandoquidem ergo hodie me viciſti*, *atque ita me meumque regnum hoc dedecore affeciſti*, *ut inferior diſcedere cogar*, *pœna in caput tuum revertetur*. Quum itaque ad ſupplicium raperetur, Nobilis quædam matrona Romana conſpecto eo exclamavit, ווי ליה לאילפא ראזלא בלא מיכסא Væ illi navi, quæ ſine portorio ſolvit. Innuebat ſcilicet, hunc Ketijam mortem propter Judæos ſubire, atque hac ratione partem in עולם הבא *Olam habba*, hoc eſt, ſæculo futuro conſequi cupere, quum tamen Judæis portorium nullum dediſſet, hoc eſt, per circumciſionem in recutitorum numerum nondum eſſet relatus. Atque hic, de circumciſione ipſius, variæ ſunt, & diſcordantes, Judæorum ſententiæ: quidam dixerunt, illum cultro arrepto ſibi ipſi præputium abſcidiſſe: alii vero, illum ferventi abreptum zelo, ore in mentulam irruiſſe, & ſuis propriis dentibus impurum illud ערלה *Orlah*, hoc eſt, præputium ſibi præcidiſſe, magnaque voce exclamaſſe, יהבית מכסי *Nunc perſolvi portorium*. *Et cum in caminum conjiciendus eſſet*, *iterum exclamavit*, *ſe eruditiſſimum Rabbi Akivam & ſocios ipſius ex aſſe hæredem ſuum conſtituere*. *Illico tunc vox e cœlis audita*: קטיעה בר שלום מזומן לחיי העולם הבא *Tibi*, *o Ketija fili Schalom*, *parata eſt vita æterna*. Hinc ergo videre eſt, quam pretioſa res ſit Circumciſio, quamque mercedem is recipiat, qui facultates ſuas Judæis donat. Hic nulla ſubitur jactura, ubi decem florenis, decem mille quis lucratur; quin potius revera Diomedis cum Glauco hæc eſt permutatio, qui ἀντὶ χαλκέων χρύσεια retulit. In eodem etiam capite de Cæſare Antonino gloriantur, eumque circumciſum, & in religione Judaica fatis conceſſiſſe, aſſerunt. Id vero hoc pacto contigit. Non procul ab aula Cæſaris, doctus quidam & celebris Rabbinus habitabat, a cujus ædibus in Cæſaris aulam clandeſtinus & ſubterraneus erat aditus, per quem Judæus ille, & Imperator, ſæpiſſime clanculum convenire poterant. Hæc res occaſionem præbebat, ut Cæſarem, Religionis & legis Judaicæ diſcendæ, & ſuſcipiendæ, cupido inceſſerit. Singulis itaque diebus Rabbinum ſuum adibat, & legem ab eo diſcebat. Ne autem incomitatus illum adiret, nemini tamen innoteſceret, eum Rabbini ſcholam frequentare, duos ſemper ſecum aſſumſit ſervos, quorum alterum præ Judæi, alterum vero præ aulæ ſuæ foribus, domum reverſus, gladio transfigere ſolitus erat. Rabbinum etiam prohibuit, interea dum ipſe adeſſet, ullum alium diſcipulum vel admittere vel intro-

Hiſtoria de Cæſare Antonino circumciſo.

tro-

tromittere. Cum autem Cæsar alium quendam Rabbinum aliquando apud eum offendisset; Chaninam nempe cognomento Barchammam, pietate & sanctitate Rabbinum præcellentem, iratus, ita Rabinum suum est alloquutus; אמינא לך בעידנא דאתינא לא נשכח גבר קמך h. e. *Annon prohibui, ne ullum mortalium me præsente intromitteres?* Respondit Rabbinus, לית דיך כר אנש h. e. *Domine, Neminem mortalium, (sed Angelum) intromisi.* Cæsar iterum; אימא ליה לההוא עבדא דגני אבבא דקאים וליתי h. e. *Si Angelus est, exeat, & accersat mihi servum meum, qui præ foribus jacet dormiens* (servum designans, quem interfecerat.) Rabbi Chanina abiens, & servum mortuum conspiciens, ingenti percussus fuit terrore, adeo ut pene exanimaretur, quaque ratione sibi respondendum esset, penitus ignoraret, ne homicidii suspicio in Cæsarem caderet. Genibus itaque pronis, tandiu supplex oravit Deum, donec servus ille vitæ restitueretur. Hoc conspecto, vix satis mirari poterat Judæorum sanctitatem Cæsar, suoque Rabbino & præceptori post hæc ad mensam ministravit; noctu etiam, quando cubitum se conferebat, aderat illi Imperator, idemque ei, quod Sapori Valerianus, præstabat; recurvum nempe dorsum Magistri nostri pedibus supponens, quo facilius lectum conscenderet. Recusaverat quidem sanctissimus Rabbinus honorem tantum: sed quo magis ille eum detrectavit, eo magis dimisso ac humili animo ab Imperatore ei fuit delatus, imo in futuro quoque sæculo, illi a pedum scabellis esse, votis contendens. Tandem innotuit Judæis, Cæsarem Antoninum paulo ante mortem suam proselytum esse factum, circumcisum, & in fide Judaica diem suum obiisse. Sexcenta id genus exempla in Judæorum libris legere est, multos nempe Christianos, nobiles, plebejos, omnium denique ordinum, a fide Christiana, ad Judaicam defecisse, & veræ felicitatis participes factos esse.

Scilicet is superis labor est, ea cura quietos sollicitat! Sed quæso quo in numero horum recutitorum sanctitatem habuerunt Prophetæ?

Jer. 9. 26. Jeremias: *Omnes gentes habent præputium, sed omnis domus Israel incircumcisi sunt corde.*

Deut. 10. 16. Moses: *Circumcidite igitur præputium cordis vestri, & cervicem vestram ne induretis amplius.*

Jer. 6. 10. Jeremias: *Cui loquar? & quem contestabor ut audiat? Ecce incircumcisæ aures eorum, & audiri non possunt.*

Act. 7. 51. Stephanus protomartyr ita eos compellavit: *Duri cervice, & incircumcisi corde & auribus, vos semper Spiritui sancto obnitimini, sicut patres vestri ita & vos.*

Rom. 2. 28. Paulus Apostolus: *Non enim qui est in propatulo, Judæus est: nec ea quæ est in propatulo circumcisio, id est, in carne, circumcisio est: sed qui in occulto Judæus est, & circumcisio cordis, id est, in spiritu, non litera, ea vera demum circumcisio est.*

1. Petr. 18. Qua ratione primogeniti Christianorum, imo omnes fideles Christiani, sunt redemti? Petrus Apostolus respondet: *Scite, vos non caducis rebus, argento vel auro, fuisse redemtos ex vana vestra conversatione, ex patrum traditionibus accepta: sed pretioso sanguine, utpote agni immaculati, & incontaminati, nempe Christi, &c. in quo habemus redemtionem per sanguinem ipsius, id est, remissionem peccatorum.* Coloss. 1. 14.

Rom. 2. 26. Quid præterea Christianis nocet præputium? Docet id nos Apostolus Paulus: *Si præputium jura Legis servaverit, nonne præputium illius pro circumcisione reputabitur? & quod est ex natura præputium, si Legem servet, damnabit te, qui per literam & Circumcisionem transgressor es Legis.*

CAPUT V.

De Puerperarum purificatione.

Purificatio puerperarum post 40. dies.

QUamvis juxta Legem Mosis mulier, si suscepto semine masculum pepererit, primo septem diebus immunda esse debeat, & postea triginta adhuc diebus illi, Purificationis suæ causa, domi sit manendum, hoc est, in unum collecta summa, quadraginta diebus, seu, sex hebdomadibus; si vero fœminam pepererit, duplici condemnetur, hoc est, diebus illis quadraginta alios quadraginta addere oporteat, uti legere est Levit. cap. 12. ℣. 1. 2. & seqq. nihilominus invaluit consuetudo, ut sive marem sive fœminam pepererit, diebus 40. elapsis ad maritum redeat. Idque faciunt propter *Karreos* (de quibus supra cap. 1.) qui ad literam legem Mosis exacte observant, & omnes Rabbinorum constitutiones & expositiones rejiciunt & aspernantur. Ne igitur Judæi in hujus sectæ sententiam descendere videantur, idcirco etiam, ubi puella nata est, puerpera post dies quadraginta lectum relinquit. De his quadraginta Purificationis diebus intelli-

telligendum, quod de S. Maria dicitur Lucæ cap. 2. 22. *Et cum impleti fuissent dies purificationis ejus, secundum Legem Mosis &c.*

Sic si Mulier ante tempus pariat, veluti secundo vel tertio mense, quando nondum exacte dignosci potest, utrum mas vel fœmella sit, tempus idem observare debet. Si quæ abortiat, & fœtum monstruosum edat, bestiæ vel feræ similem, eadem est ratio. Abortus ante diem quadragesimum, non censetur adhuc pro infante: & in hoc casu se geret, ut Mulier, quæ menstruum patitur, numerando quinque dies impuritatis, & 5. puritatis, postea se lavabit.

Puerperæ post 50. dies ablutio, & purificatio.

Quadraginta istis diebus, seu sex hebdomadibus elapsis, oportet mulieres, antequam cum viris suis iterum cubare audeant, vel quicquam cum illis commune habere possint, frigida corpus lavare, purgare & abstergere: deinde vestes mundas & albas induere, & ita demum ad vitæ, victus, & thori cum maritis suis communitatem redire. Lotionem hanc ex Lege ita probant. Levit. 15. 19. dicitur de Muliere menstruum patiente; *Septem diebus erit in immunditia sua*. Hoc Rabbini ita explicant, velle Legem dicere, quod completis septem diebus adhuc sit in immunditia sua, donec *opus certum* fecerit. *Opus* hoc esse טבילה *Lotionem*, quæ a cæteris immundis indifinite requiritur, quando dicitur in plurali numero: ורחצו במים. *Et lavabunt se aqua*, ibid. ℣. 18. ad indicandum, omnem immundum talem manere, donec ablutus fuerit. *Deinde*; cum etiam is, qui mulierem menstruo laborantem tangit, de Lotione teneatur, quanto magis ipsa? *Tertio*, de vasis Midianitarum dicitur; *Quicquid ingreditur ignem, transire facietis per ignem, & mundabitur*: אך במי נדה יתחטא *tantum aquis mulieris menstruatæ mundabitur*, h. e. in aquis, prout mulier menstruo laborans aqua abluitur. Quod vero non intra dies impuritatis, vel statim & præcise illis completis, lavare debeant, hinc probant, quia Dies illi vocantur ימים של טומאתה *Dies immunditiei ejus*. In immunditia autem si se abluat, non potest purificari per illam lotionem. Hoc dicunt esse כטובל ושרץ בידו *perinde ac si quis reptile manu sua tenens, se lavaret*. Itaque post completos immunditiei suæ dies demum lavare debet.

Num. 31. 23.

Lavare autem solent in aqua, vel communi & publica, vel, si illa desit, in labris, puteis, vel lacunis, in ipsorum ædibus, vel ædium areis, aut plateis, in quibus scilicet degunt, & habitationis commoditatibus fruuntur, peculiariter ad id præparatis & destinatis; Ita tamen, ut labra illa, putei, seu lacunæ, collo tenus aqua repleantur, nec minus quam 40. סאין sive sata capiant. Quod si cœnosa in imo sit aqua, solent lapidem latum, vel aliquid aliud, pedibus supponere, ut pedes ex omni parte in pura & limpida stent aqua, eaque pedum digitos, digitorumque interstitia, cæteraque membra omnia, pervadere possit. Nullam enim putant lotionem, si corporis pars aliqua tecta maneat, quo aqua pervenire nequeat. Hac de causa oportet eas ante omnia crines in nodum collectos solvere & explicare, tænias, torques, coralia, cæteraque colli ornamenta, deponere, annulos de digitis detrahere, dentes prius diligenter, ne quid omnino sordis illis inhæreat, scalpere & repurgare; summa, ne filum quidem latum in corpore habere, per quod aliquid in ipsis vel opertum, vel illorum manere possit. Denique, totas se in aquam debent immergere, adeo ut ne minimus quidem capillus supra aquam exstet, brachia & digitos expandere, palpebras & os, si modo possint, aliquantisper aperire, in aqua etiam eousque se incurvare & inclinare, ut ubera a corpore deorsum pendeant, & nullibi corpus tegant, atque ita aqua omnia corporis loca pervadere, & probe repurgare possit. Quod si, dum lavant, infirmitate aliqua aut deliquio eas affici contigerit, nemo illotis manibus attingere illas audet: Alioqui enim frustra tota suscepta esset lotio. Semper autem mulierem, vel puellam, duodecim annos & diem unum natam, puerperæ in balneo adesse oportet: vel, si tales haberi non possint, maritus uxori adesse potest; qui videat, & testetur, illam recte & legitime lotione defunctam esse. Christianæ vero mulieri munus hoc nulla ratione deferre licet: his enim tuto fides haberi non potest. Sævissima etiam & intoleranda hyeme; gelu omnia astringente, frigida corpus est lavandum. Ubi tamen moris est calidæ aliquid immiscere, permitti illud potest. In iis quoque locis, ubi thermæ & aquæ calidæ e terræ visceribus scaturiunt, corpus ejusmodi balneo fovere est licitum, &c. Si tempus ablutionis & purificationis ejus incidat in vesperam diei Veneris; illa lavare potest eo die, si Maritus ejus præsens ipsi sit; si absens, non licet ei se lavare die Veneris. Variant tamen in hac consuetudine pro diversitate terrarum & nationum.

Lotio hæc requirit etiam Benedictionem. Ingressura lavacrum, postquam vestes

ſtes ſuas exuit, & induſio ſolo tecta eſt, dicet; *Benedictus ſis, Domine Deus* אמ״ה אקב״ו, *qui nos ſanctificaſti præceptis tuis, & nobis præcepiſti Lotionem*. Qui plura de his ſcire deſiderat, adeat Rituale mulierum, quod Germanica quidem dialecto, verum Hebræis characteribus prodiit, (Hebraice סדר מצוות נשים. *Seder mitzvos naſchim*, Germanice, *Frauen-büchlein*) in quo omnes mulierum ritus exacte ſimul & breviter comprehenduntur & deſcribuntur. Sequitur nunc, ut aliquid etiam de *Primogeniti a ſacerdote redemtione dicamus*.

CAPUT VI.

De Primogenitorum redemtione.

De redemtione primogeniti. Exod. 13. 2.

QUando primo partu mulier maſculum in lucem ediderat, ille, ex legis Moſaicæ præſcripto, Deo ſacer erat, & a ſacerdote redimendus fuit, uti ſcribitur; *Sanctifica mihi omne primogenitum*. Item; *Omne quod aperit vulvam generis maſculini, meum erit, &c. Primogenitum filiorum tuorum redimes:*

Exod. 34. 19.

Sic legimus Lucæ 2. 22. *Et cum impleti fuiſſent dies purificationis Mariæ, adduxerunt eum Hieroſolymam, ut eum ſiſterent Domino, ſicut ſcriptum eſt in Lege Domini*; Omnis maſculus primogenitus ſanctus Domino erit. Hæc Redemtio (qua פריון הבן *Pidjon habben* vocatur) fit demum exacto menſe, ſeu poſt triginta dies, juxta Legem Num. 3. 41. *Numera omnem primogenitum maſculum filiorum Iſrael ab uno menſe & ſupra &c.* & incumbit Patri, non Matri; quia Lex ſemper maſculino genere in hoc præcepto utitur. Quod ſi tempus redemtionis, dies videlicet 31. incidat in Sabbathum, non redimunt die Sabbathi, quia nihil emitur Sabbatho; ſed differtur in alium diem. Primogenitus Patris, non matris, non tenetur de Redemtione, quia Lex hanc Legem ſuſpendit ab apertione vulvæ. Peragitur hæc Redemtio hodie in hunc fere modum: Triceſimo primo a pueri nativitate die pater Sacerdotem cum aliquot amicis advocat, & puerum menſæ, ſimul cum duobus aureis Rhenanis vel duobus Thaleris cum ſemiſſe, (qui quinque faciunt Siclos juxta æſtimationem Num. 3. 47. & c. 18. 16.) imponit, ac ſacerdotem his verbis alloquitur; *Uxor mea mihi primogenitum peperit, ſed illum tibi lex aſſignat*. Sacerdos excipit; *Itaque tu illum mihi permittis? Permitto*, inquit Pater. Matrem poſtea ſacerdos interrogat; *An primus hic fuerit illi partus? an nihil unquam ab ortu egeſſerit?* Illa negante, patrem interrogat, *quem mage carum habeat, primogenitum ſuum, an vero pecuniam?* Pater reſpondet, primogenitum ſibi pecunia cariorem, jubet Sacerdotem pecuniam accipere, haſque ſubjungit benedictiones: בא״י אמ״ה אשר קדשנו במצותיו וצונו על פריון הבן *Benedictus ſis Domine Deus noſter Rex mundi, qui ſanctificaſti nos præceptis tuis, & mandaſti nobis Redemtionem filii*: בא״י אמ״ה שה חיינו וקיימנו והג יענו לזמן הזה *Benedictus &c. qui vivificaſti, conſervaſti, & deduxiſti nos huc uſque*. Poſt hæc Sacerdos pecuniam acceptam ad caput pueri deponens, inquit; זה הבן בכור הוא וכו׳ *Filius hic eſt primogenitus, quem Deus redimi juſſit, quemadmodum ſcribitur*; Cujus redemtio erit poſt unum menſem, ſiclis argenti quinque, &c. *Dum utero gravis adhuc eras materno, jus in te pater tuus cœleſtis, parenteſque tui habebant: Nunc vero mei juris es & arbitrii, quum ſim ſacerdos. Verum parentes tui te, utpote primogenitum, & Domino conſecratum, redimere decreverunt, ut ſcriptum eſt*: Sanctifica mihi omne primogenitum, quod aperit vulvam, in filiis Iſrael, tam de hominibus, quam de jumentis: Mea ſunt enim omnia; *Nunc pro te & redemtione tua quum ſis primogenitus, pecunia hæc ſubſtituitur, & ſacerdoti in pretium cedit: ſi te igitur rite liberaverim, liber eſto, ſin aliter, nihilominus ex lege, & Judæorum inſtituto & conſuetudine liber eſto, tuque in Dei timorem adoleſce, matrimonium contrahe, & bonis operibus ſtude, Amen*. Formulas paulo alias vide in Rituali Maharil, & in Sepher hachinnuch, Præc. 389.

Num. 18. 16.

Exod. 13. 2.

Redemtione peracta comedunt carnem, bibunt vinum, & hilaria agunt. Et hoc etiam permittunt die Redemtionis in Jejunium incidente.

Non permiſſum eſt licitari, vel paciſci cum Sacerdote pro pretio minore, quam eſt valor quinque ſiclorum. Si id fiat, Redemtio nulla, & ſecunda vice redimendus eſt. Licitum autem eſt Sacerdoti pecuniam illam Patri poſtea reddere, ſed donatione abſoluta, & ſine ulla conditione.

Quando ante diem primum & trigeſimum pater obit, mater puerum redimere non tenetur, ſed ſchedula, vel lamella argentea cum his vocibus, pueri collo appenditur בכור שלא נפדה *Bechor ſchello niphdeh*, id eſt, Primogenitus qui non

non redemptus est, vel, בן כהן *Ben cohen*, Filius Sacerdotis; ut, postquam adolevit, & ætate processit, sciat, se Sacerdotis esse, & se ipsum ab eo redimere debere. Sacerdotes & Levitæ omnino ab hac lege immunes erant, neque tenebantur redimere primogenitos suos: imo etiam Filia Sacerdotis & Levitæ, alteri Israelitæ nupta, hoc privilegio gaudebat.

CAPUT VII.

De Judæorum ad Pietatem educatione & institutione.

Mulier lactans bonis cibis utatur.

DUm mulier lactat, uberibusque infantem alit, cibis salubribus & ad concoquendum facillimis vesci debet, ut probatum ille lac sugat, quod cor & stomachum ipsius reficiat recreetque, ut cito adolescat, tantoque facilius & maturius mores suos ad virtutem conformare, sapientiæ operam dare, ingenio & intelligentia accrescere queat. Sapientes & eruditi scriptores diligenter & sollicite admodum præceperunt, hocque permagni ad educationem momenti esse crediderunt, si laudabili cibo & potu mater infantem deficere non patiatur, quo citius crescere, &, ætatis robore accedente, Deum colere possit. Sic enim ambulat mulier in viis Domini, sicut scribitur; *In viis ejus ambulabis*. Quales ergo sunt viæ Domini? Dominus plena manu, quæ sunt ad vitæ usus necessaria, omnibus creaturis suppeditat: Sic etiam mulier, quando fœtum suum nulla re egere sinit, sed, quibuscumque rebus illi opus esse intelligit, præsto est, *Ambulare*, dicitur *in viis Domini*, & hac ratione vitæ æternæ adhuc particeps esse potest. Hujus rei gratia etiam binis illam uberibus, non unico tantum, Deus donavit, ut sufficienter & abunde puer lactare possit. Disputant Doctores in Gemara, *quid causæ sit, cur Rex David, Deum laudans, lactentium non sit oblitus? Rabbi Abba dixit, Deum mulieribus ubera e regione cordis posuisse, ut cordatus & prudens evadat puer, utque e matris corde sugat, unde intellectum consequatur. Rabbi Jehuda dixit, ne mulierum pudenda puer videre cogeretur; Rabbi Matthana vero; ne in loco sordido sugere cogeretur.* Itaque si Deus tam studiose consuluit infantibus: quanto majorem curam filiorum matrem gerere par est? Quinimo, quod magis est, Deus interdum naturam ipsam immutat, ut nullo defectu parvuli laborent. In Gemara enim legimus, pauperis cujusdam, sed pii tamen viri uxorem aliquando vitam cum morte commutasse, & marito suo infantem lactentem reliquisse: quum autem ille præ extrema paupertate nutricem alere non posset, Deum viri naturam immutasse, & lactis copia ubera illius replevisse, quo infans, multorum fide dignorum testimonio, sustentatus fuit. Sic legimus in Medrasch, seu, libro quodam Homiliarum; quum Pharao Ægyptiorum Rex omnes puerulos in aquam projici jussisset, uti Moses ipse projectus fuit, procul inde mulieres Hebræas fugisse, & in remotis ac longinquis locis partu levatas esse; filios vero ubi nactæ erant, terram dehiscere, seque aperire solitam, &, pueris molli suo sinu receptis, iterum coaluisse; singulis autem Deum lapides duos præparasse, alterum ex quo lac, alterum vero, ex quo mel sugerent. Atque hoc pacto in terræ visceribus salvos & incclumes conservatos esse, donec adoleverint, & natu grandiores, singuli matrem suam repetierint. In iisdem Medraschim vel Homiliis legimus, bonum Mardocheum, Estheram uberibus suis lactasse, hancque causam esse, ob quam tantis postea ab illa, postquam regii consors Thalami facta esset, honoribus affectus, & dignitatibus auctus fuerat. Quænam igitur mulier filium suum ulla re egere æquo sustineat animo? Philosophi Ethici, seu qui de moribus & virtutibus scribunt, eandem esse volunt Mulieris, & provinciæ alicujus Præfecti, rationem. Talis enim, si fidelem se principi suo faciat, recte subditos illius regat & gubernet, ditionem ejus auctiorem & meliorem, redditibusque ditiorem reddat, nedum ut deteriorem esse patiatur, magnam dubio procul a principe suo mercedem refert, summisque honoribus & dignitatibus cumulatur: si vero secus faxit, mercede non solum carebit, sed & ab infelici arbore pendebit. Ad hunc modum Mater liberis suis a Deo est præfecta: si necessitatibus illorum bene & sedulo provideat, &, quæ illis opus sunt, tempori conficiat, non solum generosæ indolis specimina, sed & fructus dabunt; mater etiam, & hujus & futuri sæculi, mercedem reportabit, & apud justos in Paradiso assidebit. Si vero illiberali illos cibo & operoso paverit, adeo ut rudis cibus, rude, hebes, & impolitum puerorum ingenium reddiderit, a Deo de medio tolletur, & in Gehennam præcipitabitur.

Deut. 28. 9

Tractatu Berachos de Benedictionibus.

Tractatu Schabbas de sabbatho.

Nutrix Christiana, non adhibenda.

Nutrici Christianæ infantem non committet fœmina Judæa, ita nempe ut illi in ædes suas eum lactandum tradat; non etiam lactabit Judæa infantem Christianæ mulieris : מפני שמגדלת בן לע״ז quia nempe sic haberetur pro ea quæ filium educaret ad Idololatriam : & ob eandem causam non debet Judæa obstetricis munere fungi apud Christianam : aut, si quæ ejus rei perita habeatur, ad vitandum odium Christianorum officium hoc ei præstare potest, non tamen gratis, sed pro mercede; die autem Sabbathi nulla prorsus ratione.

Mulier lactans nudo pectore non incedat. Jejunia vitet.

Sed *nec nudato nimis pectore* mulierem incedere decet, ne si lac in uberibus frigus contraxerit, colicis doloribus, gravissimisque morbis puer infestetur, ac proinde ægre & difficulter adolescat. Cane etiam & angue pejus sabbathariorum jejunia, matutino præsertim tempore, illam odisse oportet, & calidiore paululum cibo, non tam sui, quam carissimi verpuli causa, languentem & marcescentem stomachum corroborare.

Pueruli nudi non circumferendi.

Cautio insuper & diligentia adhibenda est, *ne puerum nudum circumferat*, vel cursitare patiatur, sive *sole terra tepescat*, sive *plena per insertas fundat se luna fenestras*. Hinc enim magnum puerulo periculum immineret, uti scribitur: *Per diem Sol non uret te, neque Luna per noctem*. Nec etiam nudi in lectum deferendi sunt pueruli, vel permittendum, ut nudi vel in lectum se conferant, vel e lecto surgant : sed indusio in lecto induendi sunt & exuendi, ut mature assuescant, pudentem & pudicum coram Deo animum ostendere, & memores esse, *gloria Dei plenum esse mundum, & tenebras apud illum esse instar lucis*.

Ps. 121. 6.

Tecto capite ut incedant, assuefaciendi.

Idcirco quoque *tecto capite* ambulare, assuefaciendi sunt : Majestas enim Dei super illos fertur, adeo, ut, si quis aperto capite incedat, ille infesto capite Majestati divinæ concurrere, omnem illi frontem perire, pietatis denique & præceptorum divinorum oblivisci, censeatur. Hinc legimus in Talmud; *Seniores & Senatores Hierosolymis quondam sub porta sedentes, duos adolescentulos, alterum aperto, alterum tecto capite, prætereuntes vidisse, iisque conspectis, Rabbi Eliezerum in hæc verba erupisse; Puer ille, qui retecto est capite,* ממזר Mamser *spurius est: Rabbi Jehosuam vero in hæc;* בן הנדה Ben hannidah, *E muliere menstruata conceptus est Rabbi Akibbam subjecisse;* ממזר ובן הנדה Mamser uben hanniddah; *Utrumque verum est. Postea Rabbi Akibbam puerulli matrem interrogasse, qua ratione puerum illum nacta esset? illam vero respondisse;* כשנכנסתי לחופה נדה הייתי ופירש ממני בעלי ובא עלי שושביני והיה לי בן זה נמצא התינוק ממזר ובן הנדה *Quum meæ celebrarentur nuptiæ, fluxum patiebar menstruum, ita ut sponsus meus a me, ex legis Mosaicæ præscripto, recesserit, alius vero, paranymphus sc. meus interim ad me accesserit, ex cujus furtivo congressu puerum illum concepi.*

Tractatu Kallah.

Hæc historia recte videtur loqui de Christo. De illo enim idem iisdem pene verbis legitur in blasphemo illo libello תולדות ישו *Tholedos Jeschu* dicto: *Olim*, ajunt, *moris fuit inter Israelitas, ut omnes pueri & juvenes incederent capite tecto, humili & demisso, instar lugentium, in præsentia Rabbinorum, idque honoris causa. Accidit aliquando, ut ille puer transiens Scholam magnam quæ erat in Tiberiade, considentibus illic Sapientibus in porta Synagogæ, incederet capite erecto & retecto; nullum illorum salutaret, fronte impudente, neque se incurvaret coram Doctoribus suis. Posteaquam transivisset, dixerunt inter se,* ודאי זה ממזר ובן נדה *Procul dubio hic est spurius, & ex muliere menstruata conceptus. Ad quæ unus illorum dixit; Omnino ita res habet: sic enim & sic* (ut illic narratur) *natus est* &c. Et mox : *Accersita itaque ejus matre, dixerunt ei; Dic quæso nobis, quisnam pueri hujus sit pater? Respondit illa* &c. Horret animus reliqua exscribere, cum iis, quæ in præcedenti historia sequuntur, convenientia. Mali itaque est ominis, si puer aperto incedat capite. Præsertim autem a septimo anno ad decimum tertium usque, diligenter & assidue monendi sunt, ne nudo capite incedant. Nam ab anno decimo tertio, ad extremum usque vitæ exitum, id omnino est prohibitum.

Cingulum gestare debent.

A teneris etiam unguiculis *Cingulum* lumbis subnectere assuefaciendi sunt : ideo pueruli togulæ, cingulum a tergo piæ mulieres assuere solent, ut hac ratione subinde sui officii admoneatur puer. Cingulum enim cor a pudendis discernit, ne cor inter orandum pudenda intueatur, vel aliquid impudici cogitet. Adde quod quamprimum precem matutinam discit puer, hisce etiam verbis inter alia precari soleat: ב״אי אמ״ה איזר ישראל בגבורה Baruch attah Adonaj Elohenu, melech haolam, oser Jisrael bigvurah, *Benedictus tu o Deus, qui Israelem robore accingis*: quibus Cingulum specialiter designatur. Si itaque cingulo careret, frustra esset hæc precatio, & in peccato duceretur.

Nudis pedibus ne incedant.

A parentibus porro *permitti non debet, ut nudis pueri incedant pedibus*, periculorum omnigenum vitandorum causa;

Men-

Mense præsertim Decembri & Januario, quo feles catulientes discurrunt: facile enim aliquid venenati a felibus promanantis calcare possent, quo calcato pedes intumescerent, nec adeo facilis & promptas sanatio foret.

A teneris sacris imbuendi sunt.

Deut.33.4. Deut.6.4.

Ubi clare & distincte jam loqui possunt, *selectas aliquot Sacræ Scripturæ gnomas docentur*; veluti; תורה צוה לנו משה *Legem præcepit nobis Moses*, &c. Item, שמע ישראל *Audi Israel, Dominus Deus noster Deus unus est*; & similes. Mane semper & vesperi, Sabbathi & aliis diebus festis parentes decenter salutare in hunc ferme modum assuefiunt: *Faustum tibi diem hunc; Faustum tibi sabbathum hoc exopto; &c.* Ast ubi annum septimum excesserunt, salutationi suæ Nomen Dei illos semper addere oportet, & dicere; *Faustum tibi a Deo diem exopto*. Sic enim Boas messores salutavit האל עמכם Hael immachem, *Deus vobiscum*: Item, יארכע האל Jevareccha hael, *Deus tibi benedicat*, id est, Tu quoque salvus sis. Nomen tamen Dei, nisi in loco puro, & ab omnibus sordibus remoto, exprimere non audent, ut fusius hæc alibi tractabuntur. Vasorum etiam domesticorum, instrumentorum, & supellectilis variæ Nomina Hebraica, puerulos suos docent parentes, ut Hebræo sermoni mature hac ratione assuescant. Unde fit, ut infinitas voces Hebraicas patrio & vernaculo cuivis sermoni immisceant, ne ab omnibus sine discrimine facile intelligi queant. Sed pura puta Hebraica Dialecto nuspiam hodie in toto terrarum orbe loquuntur: Rabbinorum tantum doctissimi, & literarum studiis exculti, si usus venerit, bene Ebraice & loqui, & scribere possunt.

Ruth.2.4.

Mature a Christianorum commercio arcendi.

Mature etiam & diligenter cavetur, *ne quid cum Christianis commercii habeant*, ne cum illorum pueris lusitent, edant, bibant, vel quicquam omnino ipsis communitatis & societatis cum illis intercedat. Parentes enim tam horrendam, & abominandam depingunt illis Christianorum conversationem, ut, ab ipsis veluti cunabulis, inexpiabile contra Christianos odium concipiant.

Kiddus-chin fol.29

Scribunt Rabbini in Talmud: חייב האב לבנו למולו ולפדותו וללמדו תורה ולהשיאו אשה וללמדו אומנות *Debet pater filio suo sequentia; Eum circumcidere, redimere, docere Legem, ei prospicere de Uxore, & docere opificium aliquod.*

Quomodo puerum literarum elementa doceant, & in scholam deducant.

Qumprimum itaque puer potest loqui, ad literas noscendas, & addiscendas a Patre paulatim ab an. 3. vel 4. est applicandus: anno quinto vel aliquando sexto aut septimo, pro ratione virium, & captu uniuscujusque in Scholam adducitur. In libro Colbo Num. 74, scribitur, olim hanc consuetudinem fuisse observatam Hierosolymis, & adhuc hodie quibusdam in locis laudabiliter observari:

Quando, inquit, *quis Filium suum studio Legis consecrat, pingebant ipsi super pergameno vel tabella aliqua elementa literarum, quibus etiam mel illinebant, deinde eum bene lotum, mundis vestibus indutum, placentis ex melle & lacte confectis, ut & fructibus ac tragematis instructum, tradebant alicui Rabbino, qui eum deducat in Scholam: hic eum ora pallii sui opertum ad Præceptorem ducebat, a quo literas cognoscere discebat, illectus suavitate deliciarum illarum, & sic reducebatur ad matrem suam. Ubi jam Legem discere debebat* (quod quinto fit ætatis anno) *auspicabantur a Levitico, in quo Lex Sacerdotum & oblationum continetur. Pro felicibus auspiciis lautum instruebant convivium, & se cum amicis exhilarabant: quia perinde hoc ipsis videbatur, ac si eum adduxissent ad montem Sinaj. Quod* fructus & tragemata dulcia ipsi dabant, *fiebat in memoriam deliciarum, quibus Israelitæ nutriti fuerunt in deserto, Manna videlicet, Aqua e petra, & coturnicibus. Quod* ex melle & lacte confectis placentis *alliciebatur, fiebat ad imitationem ejus quod dicitur*; Et sugere fecit eum mel e petra: *Item*; Mel & lac sub lingua tua. *Quod a* Levitico initium faciebant *ideo, quod æquum sit & Deo gratum, ut pueri, qui adhuc puri sunt & immaculati, studeant in ea Legis parte, quæ de purificationibus agit, imo hoc ipsi imputari a Deo, ac si oblationem ipsi obtulissent. Quod* Rabbinus ille ora pallii sui eum obtexit, faciebant, *ut sic a teneris disceret humilitatem, verecundiam, & timorem Dei. Quod* melle inungebant literas in tabella pictas, quod delingere jubebatur, *fiebat, ut verba Legis mellis instar dulcia essent ei*, &c. Et mox: *Postea pater ejus imposuit ei manus & adduxit eum ad singulos seniores, ut illi quoque ei benedicerent & bene precarentur, quo dignus fiat Lege, Matrimonio & operibus bonis* &c. Huic simile quid habet, quod Matth. 19. 13. legitur de quibusdam, qui puerulos ad Christum attulerunt, ut eis manus imponeret & benediceret. In libro שבילי אמונה Schevile æmunah scribitur: *Quam primum puer in Scholam deducitur, illi crustula sacchoro & melle condita, a matre, cum hujuscemodi verbis sunt danda; Ut crustulum hoc dulce est ori tuo; sic etiam dulcis fiat Lex cordi tuo, instar sacchari lin-*

Deut.32. 13.

Cant.4.11.

linguæ tuæ , instar mellis labiis tuis &c. Cave futili & frivola garrulitate tempus in Schola terere , pura puta Legis verba disce loqui , sola Lex ex ore tuo prodeat: sic enim Divinæ Majestatis gloria capiti tuo insidebit , teque perpetuo comitabitur. Deus namque amore suo & favore complectitur eos, qui nihil nisi bonum, quodque ex verbo Dei depromtum sit , proferunt.

In Echa rabbati.

Hinc scribunt ii , qui Sapientum nomen studio quæsiverunt , in Hierosolymorum desolatione , quum hostes Sacerdotes & Levitas omnes Judæa expulissent , non tamen una cum ipsis recessisse Majestatem divinam ; quum Synedrium magnum , hoc est , Senatum Hierosolymitanum ejicerent & exterminarent , nec tum adhuc Majestatem divinam sedibus suis expulsam esse : sed ubi pueros ex schola abegerunt, tunc Majestatem divinam simul cum illis in exilium actam & depulsam fuisse, uti prædixerat Jeremias, quum diceret: *Parvuli ejus ducti sunt in captivitatem ante faciem tribulantis . Et egressus est a filia Sion omnis decor ejus. Omnis decor ejus*, i. e. *Præsentia Majestatis divinæ, in qua omnis urbis Sion excellentia & præstantia sita fuit*. Itaque quando pueri ad pedes Rabbini sedent , verba Legis discunt , & ore suo nihil aliud quam verbum Dei sonant, cum illis Divina habitat Majestas, & spiritu ab illorum ore prodeunte recreatur; Purus enim adhuc ille est, & sanctus, siquidem nondum admissa pueros peccata remordent, (anno enim decimo tertio demum puer בר מצוה Bar mitzvah *Filius præcepti* appellatur , quod præceptorum divinorum observatione obligatus teneatur , & primum peccati reus esse incipiat, si illa non observet) . *Rabbi Samuel filius Nachmani dixit ex sententia Rabbi Jochanan*, כל המלמד את בנו תורה זוכה ויושב בישיבה של מעלה *Qui legem & verbum Dei filium suum docet , dignus est qui in Academia cœlesti sedeat in conspectu Domini* , ut ait Propheta Jeremias: אם תשוב ואשיבך לפני תעמוד וגו׳ i. e. *Si convertaris , faciam sedere te , & in conspectu meo stabis* , hoc est , *Si filius tuus Legem discat , in Academiam cœlestem admittam illum, & vitæ æternæ participem faciam* . Sic dicunt : אין העולם מתקיים אלא מהבל פיהם של תינוקות של בית רבן *Mundus non subsistit, nisi propter halitum oris puerorum domus Rabban*, h. e. *Scholasticorum* .

Thren. 1. 5.

Talm. Bava meziaf. 85. col. 1.

Jer. 15. 19.

Illi vero, qui legem filium suum non docet, eumque illiberaliter educat, multo satius est cæcum fieri , quam lucis usura frui , ne filii ignominiam videre cogatur, uti de Patriarcha Isaaco legitur , *Caligaverunt oculi ejus , & videre non poterat*. Hic Rabbi Eliezer filius Azariæ dicit, *Ideo Isaaci oculos caligasse, ne impudicos & immodestos filii sui Esavi mores videret*. In Hebræorum quoque Homiliis legitur , *Abrahamum quinquennio fata prævertisse , ne nepotem Esavum impiæ & sceleratæ indolis specimen dare videret*. Hodie ditiores, quibus media suppetunt , utplurimum domi suæ Rabbinum, vel Præceptorem aliquem filiis suis instituendis habent . *Annos* nati *quinque* Pentateuchum , sed ex sola auditione , & sæpius iterata repetitione, & legere , & interpretari discunt , nullis prorsus adhibitis præceptis Grammaticis, ex usu legentes, loquentes , scribentes , exponentes: aut, qui volet, decimo demum circiter anno ad Grammaticæ studium accedit, posteaquam jam usum linguæ habet . Paucissimos inter Judæos reperire est , qui Grammaticam intelligant , ne quidem Rabbini ipsi . Ubi in Pentateucho exponendo eo usque progressus est puer, ut eum vernacule exponere queat, adjungunt aliquem Commentatorem, veluti R. Salomonem aut alium, & Rituale aliquod , qui libri sine punctis vocalibus scripti sunt, & stylum habent a stylo Biblico nonnihil diversum. Hos etiam ex nuda & continua praxi & exercitatione legere discunt & intelligere.

Gen. 27. 1.

Ber. Rabba sect. 65.

Quinquennes Legem interpretari discunt.

Judæi non sunt Grammatici.

Filias seu puellas, scribunt, non teneri de Lege discenda , ut pueros , neque etiam matribus hujus rei curam incumbere; quia scil. Lex dicit; *Et docete ea filios vestros*. Item; *Et discite* (ולמדתם gen. mascul.) *ea*: Hæc nempe dicta loquuntur de Filiis, non de Filiabus. Mulieri etiam non permittitur docere puellas, vitandæ suspicionis causa, quia patres liberorum sæpe solent Scholas visitare. Quod si tamen fœmina sponte sua discat Legem , ei etiam propositam esse mercedem a Deo , quamvis non tantam , quanta viro . Semper enim majorem esse mercedem ejus , qui jussus aliquid facit, quam qui injussus &c.

Deut. 11. 19.

Deut. 5 1.

Postquam puer *decimum annum* attigit, Legemque & Pentateuchum mediocriter didicit, ad Mischnam seu δευτερώσεις accedere, & Talmudi operam navare debet, a cujus textu , ut qui omnium Judaicarum traditionum & constitutionum , omnisque Juris & Divini & Humani fundamentum contineat , recedere nefas; neque tamen interim studium Legis deserere.

Puer decennis ad Mischnam

Anno *decimo tertio* completo , & die uno, בר מצוה Bar mitzvah, i.e. *Filius præcepti* primum appellatur, hoc est, Lex obedientiæ illi indicitur: & tum demum opor-

Anno 13. fit Filius præcepti : & ad illorum observationem,

adstringitur. oportet illum sexcenta & tredecim præcepta, quæ in se summam & argumentum totius legis Mosaicæ, & Judaicæ Religionis complectuntur, observare: tum etiam demum reus, & pœnæ tum divinæ tum humanæ obnoxius sit, si illa transgrediatur. Hactenus enim ex lectione Legis ab anno 5. ad 10. & ex Mischna seu Δευτερώσει tantum proficere potuit, saltem debuit, ut sciat, quænam sint secundum Legem vel facienda, vel omittenda: ea etiam est ingenii & judicii firmitate ac robore, ut cupiditatibus malis resistere possit, & bonum persequi & amplecti. Cabalistæ id inde probant, quia vox אהבה *Ahavah* (Amor) in numeris continet 13. ad indicandum, filium 13. annorum, accipere & observare præcepta Dei *ex amore* eorum. Tunc etiam fit quasi בריאה חדשה *Creatura nova*, quod iterum probant ex eo quod dicitur, Esa.43.21. *Populum* זו *su istum creavi mihi, laudem meam enarrabunt:* quia enim זו *su* in numeris facit 13. per Gematriam, ideo tacite indicatur, filios 13. annorum esse populum illum a Deo creatum ad suam laudem, quod eo anno præter יצר הרע Concupiscentiam malam, quæ eo usque in illis dominatur, per cognitionem Legis quoque accipiant יצר טוב Concupiscentiam bonam, quæ alteri resistit. Quæ vero ante decimum tertium annum peccata admittuntur, patri imputantur, & ab illo pœna reposcitur. Propterea anno ætatis decimo tertio expleto, *Minjan*, h. e. decem Judæos pater advocat, illosque contestans, ait; Filium hunc suum ex Ephebis excessisse, Præceptis institutum, Talmudicas lectiones, decisiones, & consuetudines de peniculamentis & phylacteriis (de quibus postea fiet mentio) probe didicisse, Benedictiones & preces quotidianas bene recitare posse, &c. Proinde se liberum porro & immunem esse velle, filiique peccata a se excutere. Filium enim suum imposterum בר מצוה *Bar mizvah*, id est, Legis præceptis subjectum, & ipsummet peccata sua deinceps ferre debere. Hæc ubi a Judæis adstantibus sancita, confirmataque sunt, precem pater concipit, qua *Deo gratias agit singulares, quod filii sui pœna levatus liberatusque sit: in vota postea effunditur, & a Deo supplex petit, ut filius suus in longos annos, bonaque opera adolescat.* Hoc autem tempore fit majorennis, & parentum & tutorum potestate liber, ipsemet suarum rerum Dominus, in temporalibus ac spiritualibus, ut quicquid agit, negotiatur, contrahit, validum sit & ratum.

Qua Ceremonia tum ex ephebis dimittantur.

Anno 15. ad Gemaram.

Anno *decimo quinto* Gemaram, hoc est, Textus Talmudici complementum, rerumque dubiarum, quæ in textu occurrunt, subtiles & acutas decisiones & disputationes aggrediuntur, & in illis argutum illud sui ingenii acumen exercent, totamque ut plurimum in hoc studio deinceps vitam terunt: raro, vel nunquam, in Prophetarum libris studium suum collocant, nec multa illorum lectione fatigantur, uti multos exacta ætate Judæos comperi, qui ne unum quidem unquam Prophetam legerant. Hinc tam pauca de Messia norunt, & oracula, illum in Scripturis nobis promittentia, ipsis non solum tenebrosa & obscura, sed magna ex parte omnino sunt ignota.

Anno 18. ducunt uxores.

Anno *decimo octavo* pueri uxores ducunt, (hoc enim tempus ex vulgata Talmudici juris regula conjugio est assignatum). Tum quippe vere est בן חי *Filius* chaj *vivus*, & actionibus gerendis idoneus: quia יח 18. si transponas, fit חי *vivus*: tunc etiam per uxorem novam quasi accipit vitam, quæ olim causata est ei mortem &c. tum etiam jam operam dedit Legi scriptæ, Mischnæ & Gemaræ, quæ veram ipsi vitam afferunt. Sæpe tamen scortationis vitandæ ergo tempus illud antevertunt: Puellæ vero nuptum collocantur annos duodecim & diem unum natæ.

Anno 20. libere possunt negotiari, &c.

Anno *vigesimo* liberum illis est negotiari, commercium exercere, mercaturam facere, conducere, locare, emere, vendere, permutare, fallere, decipere, quod sæpe Christiani magno suo malo, proh dolor! experiuntur, qua de re alibi dicetur. Quandoquidem ergo verpulus noster in Filium præcepti nunc evasit, & Judæorum ordini est adscriptus, ostendere porro nobis est propositum, quemadmodum omnes promiscue juvenes ac senes in hoc ordine se gerant.

CAPUT VIII.

Quomodo Judæi mane e lecto surgant, se vestiant, naturæ satisfaciant, & manus lavent.

Specul. Ardeus c. 39. Mane quando surgendum.

IN Gemara, tractatu Bava Basra, docet Rabbi Eliezer cognomento Magnus, *Antelucano tempore surgendum esse a decimo quinto Junii ad Pentecosten usque, eo quod noctes sint longiores: a Pentecoste vero ad Julium usque, de die surgendum esse, quod noctes sint breviores.* Hoc autem probant Sophi illi & legis doctores, sententiis aliquot e Threnis Jeremiæ & historia Ruthæ desumtis, quibus

bus recensendis hic supersedebimus: inenarrabilis enim illorum subtilitas in illis explicandis, humanam superat infantiam.

Mulier, quæ spectatæ famam pietatis ambit, maritum suum excitare debet: parentes vero indiscriminatim filios suos; si nempe annum decimum tertium egressi, ac per consequens Judaicis præceptis sint obnoxii, uti superiore capite dictum est.

Scribunt insuper sapientes, singulis hominibus diem excitandum esse, non autem illos a die excitandos, ut Psaltes Regius ait; אעירה שחר Airah schachar *Auroram excitabo*, id est, אנא מעורר שחרא ולית שחרא מעורר לי: *Ego excito auroram: nequaquam vero aurora excitat me*, ut explicatur in Echa rabbati Thren. 2. 19. Sed & necessitate coacti facere hoc debent, propter preces matutinas, quæ עם דמרומי חמה *cum ipso Sole Oriente*, non serius, concipiendæ sunt, docente iterum Davide in Psalmis; ייראוך עם השמש *Timebunt te cum sole*, id est *In ipso solis ortu precibus suis matutinis te laudare debent*. Cabalistæ scribunt, die instante & appetente omnes hominum preces exaudiri: idque non sine gravissimis causis & maximis rationibus asserunt. Propheta Jeremias in Threnis ait; *Consurge, lauda in nocte, in principio vigiliarum*, h. e. quum dies appetit. Rex David quoque in Psalmis; *Interdiu mandat Dominus misericordiam suam, & noctu canticum ejus mecum, Oratio Deo vitæ meæ*. Sapientia conspicui Rabbini dicere solent, זריזים מקדימים למצוות *Strenui & industrii, ad præcepta Dei exequenda impigros se ostendunt*. Præstantissimum ergo, & longe præcellentissimum opus censeri debet, si quis summo mane, antequam illucescat, surrexerit, & noctem diei, sacro Psalmorum cantu & precibus, conjunxerit.

Psal. 57. 9.

Mane orandum.

Psal. 72. 5.
Berachoth fol. 29. 2.
Preces omnes mane exaudiuntur.

Vide mox iterum. Thren. 2. 19.

Psal. 42. 9.

Tal. Pesach. fol. 4. 1.

Judæum autem pigrum & remissum esse non oportet, sed promtam & paratam in surgendo alacritatem & celeritatem demonstrare, secumque ita reputare; Si jam Christianus adesset, vel ære meo gravatus, vel qui pretiosum aliquod cimelium oppignerare vellet, vel cujus adventum in lucro ponerem: si etiam a Principe aliquo aut magnate accerserer, a quo non solum gratia & favore, sed magnis etiam cumulatus muneribus domum reverti sperarem, vel sane, qui me in domesticorum suorum numerum allegere vellet, profecto non diu cunctarer & tergiversarer. Nihil ergo mihi potius esse debet, quam ut promte & alacriter surgam ut Regi regum ministrem, qui perpetuum mihi subministrat alimentum, a quo & vitam & vitæ productionem habeo, qui me ab hostibus meis tutum & incolumem præstat, &c.

Surgendum alacriter.

Qui vere pius est, se totum matutino tempore tristitiæ & mœstitiæ tradet, propter templi Hierosolymitani desolationem; Urbisque & templi celerem instaurationem votis suis ad Deum singulis matutinis efflagitabit. Si quis autem de nocte & antelucano tempore surgat, ut templi Hierosolymitani casum defleat, illius Deus miseretur, supplicisque vota & preces exaudit. In tractatu de Synedrio disputant Rabbini in hæc verba Prophetæ Jeremiæ e Threnis; *Ploratu nocte ploravit:* & ajunt: כל הבוכה בלילה השומע קולו בוכה כנגדו מעשה באשה אחרת משכונתו של רבן גמליאל שמת בנו והיתה בוכה עליו בלילה שמע רבן גמליאל קולה ובוכה כנגדה וכו׳ h. e. *Lamentabilis est omnis ploratus & gemitus nocturnus, & vix ac ne vix quidem a fletu abstineat, qui noctu alium flentem audiverit. Ita contigit sapientissimo Rabbi Gamalieli, qui quum mulierem filii sui mortem fletibus noctu prosequentem audisset, largo etiam & acerbo fletu ora rigavit. Rabba dixit ex Rabbi Jochanan sententia;* כל הבוכה בלילה כוכבין ומזלות בוכין עמו *Si quem noctu flere contigerit, stellas & planetas se illi in fletus societatem adjungere*. Sapientes scribunt; si quis plorans lacrumas cadere & fluere siverit, illas a Deo colligi & in utre recondi. Et, si quando crudele aliquod & immite rescriptum ad Israelis excidium ab hostibus eorum promanet, Deum piorum illorum memorem esse, qui tantas profuderunt lacrumas, & utrem acceptum, in rescriptum illud effundere, ita ut deleatur, & nulla Judæos affligat calamitas. Hinc fit ut Propheta David inquiat; *Pone lacrumas meas in utre tuo, utique in libro tuo*; nihil quippe aliud sibi vult David, nisi, Deum utrem lacrumarum, in rescripta & libellos, qui adversus Judæos prodierunt, effundere, illosque inducere; nec solum inducere, sed hac inductione infirmare & omnino tollere. Quare alibi dicit: *Qui seminaverunt cum lacrumis, cum exultatione metent*. Author libri ראשית חכמה *Reschis chochmah*, i. e. *Initium sapientiæ*, pag. 111. scribit, se a majoribus suis audivisse, utile & conducibile esse, si lacrumis frons abstergatur; quædam enim peccata fronti inscripta hoc pacto deleri, & huc Prophetæ verba facere; *Signa signum super frontes hominum*. Cabalistæ scribunt; Si quis Deum sanctum benedictum precibus suis exorare, & Judæis a tam longo exilio, & tam dura captivita-

Tristandum mane ob Templi desolationem.

Et plorandum.

Tractatu Sanhedrin de Judicib. c. 11. f. 104. 2.

Thren. 1. 2.

Psal. 56. 9.

Psal. 126. 5.

Ezech. 9. 4.

Ergo per mille sexcentos & 80. annos neque mane satis,

neque ex animo precati sunt, siquidem nondum liberati sunt

vitate liberationem impetrare velit, is die appetente in preces effundatur, vere & ex animo fleat ejuletque: & sic dubio procul voti compos fiet & exaudietur. Nihil enim tunc temporis est, quod precibus obstare & officere possit, & nemo homo est, qui mali quicquam in Israelem loquatur. Et hæc est sententia versiculi illius apud Jeremiam; *Dominus de excelso rugit, & de habitaculo sancto suo dat vocem suam, rugiens rugit super decorem suum; Deus* scil. *mane rugit super decorem suum*, hoc est, super sanctum templum Hierosolymitanum, cujus desolationem ideo permisit, ut a Judæis pro ejus instauratione invocetur. Hinc etiam fit, ut Propheta David dicat; *Domine mane audies vocem meam, mane præparabo tibi orationem & speculabor. Mane*, hoc est, *die instante: In domum tuam me conferam*: sed ita, ne noctu se illuc conferat. Nam sub noctis principium omnes portas cœlestes Deus claudendas curat, & Angeli taciti & silentes apud illas assident: Dæmones autem & spiritus maligni in mundi solitudines ablegantur, & si quis obvium sese illis ferat, is inultus & impunitus ab illis nequaquam dimittitur.

Jer. 25. 30.

Psal. 5. 4.

v. 8.

Noctu portæ cœlestes clausæ, & dæmonum vis magna.

Sed postquam torsit medios nox humida cursus,
Et nos lætus equis Oriens afflavit anhelis.

Gallorum cantus unde?

In cœlis proclamatur, ut appropinquante die, portæ recludantur, ne ulli remora injiciatur. Hoc audientes galli gallinacei in terra, cantare incipiunt, ut homines somno excitentur: & tunc dæmonum vires franguntur, nocendique potestate deficiuntur. Propterea quoque Sapientes hujusmodi gratiarum actionem, quæ mane ad galli cantum recitari debeat, instituerunt: בא״י אמ״ה אשר נתן לשכוי בינה להבחין בין יום ובין לילה: *Benedictus tu Domine Deus noster, totius mundi Domine, qui gallo intelligentiam dederis, ut diem a nocte discernat.* In *Reschis chochmah* scribitur; *Quemadmodum superi excitantur ad laudandum Deum, quando audiunt vocem præconis superni: sic homo pius debet in Spiritu suo excitari ad glorificandum Creatorem suum, quando media nocte audit cantum galli, & secum cogitare: Si esses in palatio Regis, & audires præconem Regis proclamantem, ut servi ejus præsto & parati adsint ad servitium Regis, quanta diligentia & promtitudine te accingeres, ne in ejus pœnam incurreres: quare igitur non timeres, cum audis vocem Galli,* *quem Sapientes dicunt, canere seu clamare virtute præconis superioris?* De hoc videatur liber Zohar, in lib. Num. sect. שלה לך, sub versus finem. Item in Genesin sect. לך לך mox ab initio. In summa, excitatore is opus non habet, quem perpetuus Dei timor comitatur.

fol. 41. col. 1.

Nudus nemo surgat e lecto. Orach chajim n. 2.

In lecto autem nudus in pedes erigi, vel, illi insidens, indusium induere, Judæus verecundiæ causa non debet: sed supinus & stragulis tectus capite in indusium suum illabi & irrepere eum oportet, ne parietes & trabes pudenda ejus conspiciant. In Tractatu de Sabbatho gloriatur Rabbi Jose in hunc modum; מעולם לא ראו קורות ביתי שפת חלוקי h. e. *Nunquam in vita mea indusii mei limbum & oram, trabes domus meæ conspexerunt:* quibus innuebat, nunquam a se nudo, sed probe stragulis tecto, indusium indutum fuisse. Hinc illa Sapientum constitutio; *Non esse homini nudo* (considendo scil. in lecto) *subuculam induendam*, quod dicunt; כשיקום אדם ממטתו לא ישב במטה ערום וילבש חלוקו מיושב; Multo minus nudum surgere, vel in cubiculo stare oportet: fieri enim potest, ut oriatur incendium, vel subitus aliquis clamor tollatur, ita ut metu externatus, nudus cubiculo aufugiat, quod si contingeret, quonam quæso se verteret? qui recutitæ mentulæ pondus tegeret? Multo minus, (adsit dicto reverentia) nudus coram lecto vesicam exonerare debet. De istis enim loquitur Propheta Amos, cum ait: *Qui dormitis in lectis eburneis, & fœtetis in stratis vestris* (Vox Hebraica סרחים hic juxta illos *Fœtere* significat, uti & Jeremiæ 49. ℣. 7. interpretantur.) *Hic*, inquit Rabbi Jose filius Chanina, *intelliguntur illi* שהיו משתינין מים בפני מטותיהן ערומים *qui nudi coram lectis suis urinam reddunt.* Nemini hoc in mentem venire debet; nempe omnia tenebris sunt obducta; solus in conclavi meo sum; nemo hic me videt; absit, inquam, ut hæc cogitatio pium animum subeat. Desuper enim fertur divina Majestas, & ubique præsens adest; *plenaque est omnis terra gloria ejus*, inquit Esajas: *tenebræque coram eo sunt sicut lux*, ut David inquit, Psal. 139. 12.

Tractat. Talm. de Sabbatho cap. 16. fol. 118. 2.

Specul. ardens c. 16.

Amos 6. 5.

Tal. Schab fol. 62. 2.

Esa. 6. 3.

Diligenter posthæc operam dabit Judæus, ut decenter, honeste, composite, & secundum consuetudinem loci & regionis se vestiat, ne ludibrio se hominibus exponat. Cavebit itaque ne diverso a communi more vestitu utatur, ne vel subuculam, vel cæteras vestes, vel inversas, vel præpostere induat;

Calcei quo ordine inducendi.

Calceum dexterum primo loco inducere debet, ſiniſtrum vero poſtremo: ſed ſiniſtri corrigia primo nectenda eſt, deinde ad dextram devenitur: Cujus calcei ita compoſiti ſunt, ut corrigiis careant, ille ſiniſtrum primum calceare debet, ut pius ille Rabbi Jochanan & docuit & præcepit. Ratio hujus rei videatur in Levuſch part. 1. Numer. 2. §. 4.

Quando calcei exuuntur, ſemper ſiniſter primus eſt exuendus, ſive corrigias habeat, ſive non; idque ideo, quia ſemper dextræ major eſt honor habendus; quod ſi vero calceum dexterum prius exueret, nudus dextero pedi inſiſtere cogeretur, dum occupatus eſt in ſiniſtro, quod in magnam dextero pedi cederet ignominiam.

Indutus demiſſo capite e cubiculo exeat.

Poſt demum ubi omni ex parte veſtibus ſuis eſt amictus, בהכנעה ובכפיפת קומה demiſſo capite, mœrens & afflictus (propter Excidium Hieroſolymitanum) cubiculo excedere debet, non autem בקומה זקופה capite erecto, neque nudis pedibus; multo minus abſque tibialibus, ut homines nequam & leves facere ſolent; ſed veſtibus ſuis diligenter & accurate veſtitus; idque tum propter ſanctiſſimam majeſtatem Dei, quæ ſuper caput ejus volitat, tum quia turpe eſt & impudicum, nudato corpore in aliorum conſpectu incedere.

Diligenter item & probe veſtitus.

Latrinæ mane petendæ. Specul. ard. c. 40. Orach chajim num. 3.

Latrinas poſtea alvi exonerandi, & corporis repurgandi cauſa petere debet, ſeque paulatim ita præparare, ut purus, & ab omnibus ſordibus ſedulo repurgatus, ad preces matutinas accedat, uti ſcribitur; *Præparare in occurſum Dei tui Iſraël*. In quam ſententiam & a Rege Davide dicitur; *Benedic anima mea Domino, & omnia interiora mea nomini ſanctitatis ejus*. Hic, ſecundum Rabbinorum expoſitionem, per *Interiora*, corpus ab omnibus ſordibus vacuum, expers, ſolutum, ac liberum innuitur. Sacrum enim Dei Nomen nonniſi pure & cum ſumma munditie uſurpandum eſt; ideo etiam cura adhibenda eſt, ne veſtes ejus inquinentur. In iſtis omnibus pudice admodum & verecunde ſe debet gerere, quamvis in occulto, concluſo, & tenebroſo ſit loco, uti dicitur: *Oportet te ſollicitum & verecundum ambulare cum Deo tuo*; hoc enim ædiculis ad latrinas etiam deduxerunt Rabbini. Et ſancti quidem priſci, (quos חסידים הראשונים *Chaſidim hariſchonim* vocant,) non ſine ſumta a ſanctis Angelis venia, ſacellum vel ſecretum hoc ſunt ingreſſi: ſed ante ingreſſum ſuum ita dicebant; התכבדו מכובדים קדושים משרתי עליון שם רוני שמרוני עזרוני המתינו לי עד שאכנס ואצא שכן דרכן של בני אדם id eſt, *Glorificati ſitis glorioſiſſimi & ſanctiſſimi miniſtri excelſi! Cuſtodite quæſo me, cuſtodite me, juvate me, juvate me, exſpectate me donec ingreſſus fuero & egreſſus, hæc enim eſt via & conſuetudo omnium hominum*. Quia enim ſancti Angeli præſto ſemper ſunt piis; in impurum autem ejuſmodi locum non ingrediuntur rogandi ſunt, ut patienter foris exſpectent. Sed quia hoc noſtro tempore iſti *Chaſidim* omnino defecerunt, nemo quoque amplius hac precatione utitur: & ſi quis id faceret, היה מיחזי כיוהרא *hajah mechaſe Kejuhara*, pro ſuperbia & arrogantia ei imputaretur.

Amos 4. 12.

Pſal. 103. 1.

Mich. 6. 8.

Alvus vel Urina non cohibenda.

Nemo porro naturæ reluctari, & alvum, urgente neceſſitate, cohibere debet; grave enim hoc eſſet peccatum, & magnum inde toti corpori imminet periculum; puta ventris tormina, gravem halitum, & alia ejuſmodi. In ſectione קדשים *Kedoſchim* legitur: *Ne contaminetis vos ipſos, ſed eſtote mihi ſancti*. Sic Levit. 11. v. 44. *Ne polluatis animas veſtras*, &c. Hoc ſapientiſſimi Rabbini de iis expoſuerunt, qui natura dejectionem requirente, alvi excrementa vel urinam continent: & dixerunt, eum qui neceſſitati repugnet, & alvum comprimit, pollutum eſſe & immundum, præceptique hujus tranſgreſſorem.

Lev. 20. 25.

Podex qua manu tergendus. Vide Talmud. Berach. fol. 62. 1.

Siniſtra vero, non autem dextra, podex tergendus eſt; dextram enim manum ejuſque digitos ad ſacram intendere ſolent Scripturam, illa puncta & accentus monſtrant, ſacra Dei & Angelorum nomina deſcribunt, *tephillin* ſeu phylacteria manui ſiniſtræ applicant, &c. Sedulo autem cavere debent, ne vel de Deo, vel ejus mandatis, in loco illo cogitent; multo etiam magis, ne ullum ex Dei nominibus illic proferant. Rabbinorum ſapientiſſimi dicunt, vitam illius decurtari, qui in loco impuro & contaminato Nomen Dei profert: *Interrogaverunt aliquando Rabbi Siram diſcipuli qua ratione tam longævam ſenectutem attigiſſet? reſpondit inter cætera: Nunquam mihi Lex, vel Dei verbum in loco impuro & inquinato in mentem venerunt; multo minus Dei nomen in tali loco protuli*. Faciem autem, Meridie ſemper aut Septentrioni, nunquam autem Orienti vel Occidenti, obvertere debent; propter reverentiam Majeſtatis Divinæ, quam in Occidente habitare dicunt, ut & propter ſanctum Templum Hieroſolymitanum, in quem ſemper vultus, nunquam vero nates ſunt obvertendæ.

In loco ſecreto de Deo non cogitandum, vel Nomen Divinum proferendum.

Tractat. Talmud. Taanis de jejunio.

Verum præstantissima hæc Judæorum moralia impræsentiarum omittam, & memorare pergam, quomodo se ad Preces matutinas manuum Lotione (quam נטילת ידים *Netilas jadajim* vocant) præparent. Non enim ad preces est illotis manibus accedendum, sicut olim Sacerdoti, manus & pedes aqua erant abluendi ex labro, antequam cultum Divinum perageret: quia in ejus locum hodie successit Precatio. Unde Sophi illi & Coryphæi Rabbinorum scribunt, neminem debere mane, antequam laverit, manibus suis nudum corpus tangere, nisi gravissimum subire velit periculum. Impura enim & venenata admodum res est manus matutino tempore, propter impuros & noxios spiritus, qui in manibus quiescunt, donec abluantur. Inprimis cavendum, ne quis manu sua tangat os, nares, aures & oculos, ante lotionem. Si quis enim oculos illotis manibus tetigerit, fiet cæcus: si aures, surdus; si nasum, muco & pituita assiduæ stillabit; si os, fœtebit; si manus manum, contrahet scabiem. Loturus malluvium excipiet manu dextera, & ea tradet manui sinistræ, ut illa dexteræ, quasi famula serviat & aquam affundat, quia illa est dignior, & quidem ter: idem postea faciendum in sinistra, antequam manus manum tangere ausit: Aquæ parcendum non est, uti Rabh Chasda dixit; *Qui multa utitur aqua ad manuum ablutionem, multas in hoc mundo consequetur divitias*. Altius sublatis manibus lavare debent, ne qua impura in manus sursum resiliat, illasque denuo inquinet.

Lotio manuum matutina.

Exod. 30. 27. 28. & seqq.

Orach chajim num. 4. Specul. ard. cap. 10.

Quo ordine & modo

Exinde os & faciem abluere oportet: quia ad imaginem & similitudinem Dei formata est, prout scribitur; *Deus creavit hominem ad imaginem suam, ad similitudinem suam creavit illum*. Verba hæc hujuscemodi similitudine exponunt Rabbini: *Nobilis & politus artifex egregie a se fabrefactum poculum amico suo donat; quum ille postea artificem ad se venientem conspicit, poculum probe lavat & abstergit, ne artifex irascatur, si forte opus suum squallidum & sordidum jacere conspexerit: Ita etiam oportet Judæum singulis matutinis scholam petere, & se coram Deo creatore suo sistere, illi supplicare, illum colere, & per consequens faciem suam simul cum ore pure abluere, ne omnium artificum artifex, si creaturam suam inquinatam conspexerit, irascatur*. Et non est in precibus Nomen Dei illoto & impuro ore proferendum. In בראשית רבא *Breschis rabba*, seu Magna expositione in librum Geneseos, Sophi nostri hanc Salomonis sententiam, *Benefacit corpori suo vir misericors*, exponentes; *Is*, ajunt, *benefacit, corpori suo, qui munditiæ & elgantiæ studiosus est*, Quo pacto præterea quis Sacrosanctum Dei Nomen venenato adhuc & fœtenti ore proferre ausit?

Os item & facies abluenda.

Gen. 1. 27.

Prov. 11. 17

Qui mane loturus accedit, pollubrum semper, aquæ pollutæ excipiendæ, subjectum habere debet, neque ea vel solum est madefaciendum, vel etiam illuc projicienda aqua illa, qua ambulari solet. Reperiuntur enim, qui ad magicas præstigias ea abutuntur.

Pollubro subjecto lavandum.

Accurate etiam & studiose facies abstergenda, exsiccandaque est; qui secus fecerit, ejus facies cicatricibus, pustulis & rugis obducetur, insigniterque & turpissime deformabitur. Sed nonnisi bene loto mantili facies exsiccanda est, nullatenus autem indusio, ut oscitantium & dormitantium quorundam mos est: hoc enim, uti scribunt sapientes, inducit oblivionem, & ingenii vires frangit.

Facies probe abstergenda

Et quidem mantili, coque puro.

Manibus & facie lotis, sine mora Deo gratiæ sunt agendæ, his scilicet verbis; ברוך אתה יי׳ אלהינו מלך העולם אשר קדשנו במצוותיו וצונו על נטילת ידים: *Benedictus tu Domine Deus noster, qui sanctificasti nos præceptis tuis, & præcepisti nobis ut manus lavaremus*.

Manibus lotis benedictio dicenda.

Lavandæ autem sunt manus, quotiescumque subsequentium usus venerit: Singulis matutinis quum e lecto surgitur: quotiescumque in latrina ventris onus exoneratur: quotiescumque e balneis proditur, ungues resecantur, calcei manibus educuntur, pedes tanguntur, corpus nudum scabitur, cadaver tangitur, vel per medios mortuos ambulatur, ubi maritali defuncti sunt officio, vel denique si pediculus infestis elisus fuerit unguibus. Cui aliquid horum absque lotione fecisse contigerit, si vir est eruditus, תלמוד משתכח omnis eruditionis expers atque ignarus reddetur; si vero de plebe fuerit, nec ulla literatura tinctus, יוצא מדעתו omnino mente alienabitur. Cæterum de toto Ritu Lotionis manuum, qui plura nosse cupit, adeat nostram de ea peculiarem Dissertationem.

Quando manus lavandæ.

Hæc quidem Judæis repurgandis & sanctificandis satis sunt, ne ad preces matutinas omnino inidonei accedant; duo tamen adhuc supersunt, quæ Precum sanctitatem mirum quantum augeant, *Tzizis* nempe & *Tphillin*; de quibus aliquid quoque est dicendum, quo sequentia facilius intelligi & percipi possint.

CAPUT IX.

De ציצית Tzizis, *seu Peniculamentis, &* תפלין Tphillin, *seu Phylacteriis, seu Precum & Pietatis adminiculis.*

De Talles, seu veste Arba canphos & Zizis.

VEstem quadrangulam, instar epomidis vel exomidis, habent, quæ constat duabus quadrangulis particulis, plerumque & communiter laneis, interdum bombycinis vel sericeis, quæ desuper duabus vittis bene colligantur, ut capitis intromittendi spatium detur; ad utrumque latus apertæ relinquuntur. Ut sic ambæ illæ particulæ a fronte & a tergo, pectore & humeris dependeant. Propter quatuor angulos vocatur ארבע כנפות *Arba canphos*. Alias etiam טלית *Talles*. A singulis angulis fimbria vel peniculamentum, octo filis albis & laneis constans; deorsum pendet, interdum quatuor, interdum octo vel duodecim digitos lata. Hujusmodi *Fimbriam* seu *peniculamentum* vocant ציצית *Zizis*. Et ab his tota hujus vestis sanctitas dependet, & nomen quandoque obtinet.

Duplicem habent hujusmodi vestem, quarum *una* est minor; hanc quidam, qui pietate & sanctitate cæteris volunt antecedere, quotidie simulac surgunt, cum cæteris vestibus induunt, & sub toga circumferunt; ita tamen ut fimbriæ paululum emineant, & illas intueri atque in oculis habere possint. Et sic hodie plerumque id sub thorace ferunt, ne ab illis, inter quos vivunt, ludibrio habeantur & derideantur; quod quadrangulæ ejusmodi vestes non sint in usu. Hoc a quantitate appellant, טלית קטון *Talles Katon* seu parvum. Præter hoc aliud habent majus, quo tempore precum in Synagoga utuntur, quod vocant טלית גדול *Talles gadol* seu magnum. Hoc itidem vulgo constat ex panno albo, ad instar Mappæ quadratæ, & quatuor hujusmodi fimbrias seu peniculamenta habet a singulis quatuor angulis. Hoc non corpori applicant, sed capiti & collo circumvolvunt in Schola, vel Synagoga.

Talles parvum.

Tallas majus.

Materia hujus vestis.

Materia hujus vestis seu pallioli debet esse Lana ovilla vel agnina alba. Fila itidem ex lana, eaque detonsa, non evulsa; & retorta, manu fœminæ Judææ, & quidem hoc fine ut peniculamentis serviant. Ad angulos quatuor debent annecti, trium circiter digitorum spatio supra oram extremam, quia dicitur; *Et facient ea* על כנפי בגדיהם *supra oras vestimentorum suorum:* Fila sumunt quatuor, quæ per foramen transmissa, & duplicata, faciunt octo. Septem illorum sunt æqualis longitudinis: octavum debet esse longius, ut sufficiat circumvolvendis reliquis, & quinque nodis firmis nectendis, & tamen residuum æqualem cum reliquis septem habeat longitudinem. Circumvolvunt ad tertiam usque filorum partem: cæteras duas dependere sinunt. Vestis hæc una cum fimbriis equidem deberet esse coloris hyacinthini (תכלת): sed quia illum hodie commode habere nequeunt, communiter ea faciunt alba, quod hic color innocentiæ & puritatis sit symbolum. Cum eam induunt, vel ea se operiunt, duæ pallioli particulæ & fimbriæ a fronte & a tergo pendere oportet, ut undiquaque præceptis Dei sint cincti & circumdati, & sic in illis impleatur, quod David ait; *Castrametatur Angelus Domini circa timentes eum.* Nam, ajunt, *Præcepta Domini sunt ipsius Angeli.* Dum ad eam induendam se accingunt, precatiunculam adhibent, & Deo gratias agunt, qui Zizis seu fimbrias illas induere præceperit; בא״י אמ״ה אקב״ו להתעטף בציצית *Benedictus esto o Deus, qui nos sanctificasti præceptis tuis, & mandasti, ut amiciamur Zizis.* Benedictio hæc recitanda defixis in Zizis oculis, & absolvenda est antequam iis amiciantur. Quidam etiam quando in precatione ad hæc verba veniunt, וראיתם אתו *Et videbitis illa*, oculis ea admovent, alii religiosiores etiam ea osculantur, ad suam erga præcepta Divina amorem testandum.

Psal.34.8.

Qua prece illa induant.

Fundamentum hujus amictus petunt ex Numeror. 15. ℣. 37. ubi legitur, ועשו להם ציצת על כנפי בגדיהם *Et facient sibi Zizis*, h. e. *fimbrias per angulos palliorum, ponentes in eis* פתיל התכלת *vittas hyacinthinas.* Et Deuteron. 22. vers. 12. גדילים תעשה לך *Fimbrias facies tibi in quatuor oris operimenti tui, quo operies te.*

Quo fine.

Quo fine, & cui bono: ut Dei mandata perpetuo secum recolant & meditentur; ut ejus mandata illis ante oculos indesinenter obversentur, & hac ratione a peccatis abstrahantur & avocentur, & de mandatorum observatione subinde commoneantur, uti ibidem vers. seq. scribitur; *Et videntes eas* (fimbrias) *recordabimini omnium præceptorum Domini & facietis ea, nec sequemini speculationes cordis vestri, & oculorum vestrorum, post eas fornicantes: sed potius recordabimini præceptorum Domini, & facietis ea ut sancti sitis Deo vestro.*

Hinc sapientes scribunt, עינא ולבא תרין סרסורי דחטאה *Oculus & cor duo sunt peccati proxeneta.* Ideo lex præcepit fimbrias,

brias, ut illis conspectis de mandatis divinis cogitent, & a peccando abstineant. Hinc dicunt etiam, Tzizis esse תשמישי מצוה h. e. *media & instrumenta praeceptorum observandorum*, quæ in se quidem nullam sanctitatem habeant, sed eam juvent ac promoveant. In Tractatu de Sabbatho legitur, אל רבי יוסף לרב יוסף בויה דרבה אבוך במאי זהיר טפי אל מציצית יומא חד הוה סליק בדרגא איפסיק ליה חוטא וכא נחית ואתא כמה דלא רמית *Rabbi Joseph dixit Rabb Josepho filio Rabaæ, Cujusnam præcepti præ cæteris, ut meminisset, monitus est pater tuus? Respondit, Præcepti fimbriarum: quum enim aliquando scalarum gradus descenderet, & fimbrias suas conculcasset, ita ut filum unum avulsum fuerit, noluit ab illo loco recedere, donec resarcitæ fuissent fimbriæ.*

Tractat. Talm. de Sabbatho c.16.f.118. 2.

Quo loco Preceptum hoc de Fimbriis habeant.

Sapientes Fimbriarum præceptum, reliquis totius Legis præceptis æquiparant, & scribunt; גדולה מצות ציצית ששקולה כנגד כל המצות *Adeo magnum est præceptum de Zizis, ut is, qui præceptum illud diligenter custodierit, habeatur eo loco ac si totam legem custodiisset.* Quo pacto? singulæ fimbriæ quinque nodis constant, qui *Pentateucho* comparantur: Octo fila si addideris exsurgent tredecim: & numerus literarum voculæ ציצית *Zizis* in unum collectus, sexcenta constituit; quæ omnia si in summam collegeris, *sexcenta & tredecim*, pro numero *omnium præceptorum Dei*, in quæ *tota Lex* dividitur, prodibunt. Ergo, qui studiose fimbriarum præceptum observaverit, ille sexcenta & tredecim præcepta perfecte & absolute observaverit. Id Cabalistica supputatione, in Rabbinorum schola Arithmetica, probatum est. Qui accuratius novisse cupit, quid seu color albus, seu hyacinthinus, significet? quid octo fila? quid quinque in illis nodi? &c. videat quæ de his ex Medraschim & Cabalistis affert R. Bachaj in Legem, sectione שלך לך, Dicunt etiam: כל מי שיש לו תפלין בראשו ומזוזה בפתחו וציצית בבגדו מובטח לו שלא יחטא *Quicunque habet Tephillin in capite suo, & Mesusam* (de hoc infra peculiari cap. agetur) *in janua sua & Zizis in vestimento suo, is certus est, quod non sit peccaturus;* juxta illud; Filum triplicatum non facile rumpitur. Huc facit historia, quæ legitur in Tractatu de Sabbatho, de quodam, qui, hujus præcepti opera, olim a peccato est abstractus, & de muliere alienigena ad fidem Judaicam conversa. Res ita gesta est; *Quidam sapientum discipulus, ad lasciviam & scortationem nimium quantum proclivis, quum aliquando de nobili quodam scorto & meretrice inaudisset, quæ non viliori pretio, quam quadringentis nummis aureis sui copiam faceret; summam illam pecuniæ corrasit & meretrici misit, diemque congressus indixit. Ergo aderat promissa dies, & tempora Parcæ debita complerant; quum Judæus ingressus, aurea illam sella sedentem conspexit, lectum Phrygiis & Attalicis vestibus ornatum, omnia luxuriæ instrumenta & irritamenta. Dolosis ita illis illectus illecebris, quum vestes suas deponere, & furtivum concutere lectum gestiret; Ecce Zizios fimbriæ pallioli, auspicato in faciem ejus resiliunt: unde factum est, ut sibi e vestigio & Deum, & præcepta illius in mentem revocaret, & pronus in terram caderet, quo Jezer harab malum suum genium, tetram nempe & impuram libidinem refrenaret, atque coerceret. Nec adduci potuit, ut amplius animum ad mulierem adjiceret. Quod illa animadvertens, sic eum est aggressa;* נפה של רומי מה מום ראית בי *Quid quæso vel obscæni vel indecori in me vidisti, quod ita me asperneris? Cui ille, Dominus Deus noster ut se colamus injunxit, & signa nobis dedit, in quæ intuentes, præceptorum ejus recordemur: hæc quum modo sim intuitus, me officii mei admonuerunt, & a peccato absterruerunt. Illa subjecit,* מה שמך ומה שם עירך *Quid nomen tibi est? Cujus es? Quis præceptor tuus? Quæ Schola in qua literis navas operam? Quibus ex ipso auditis, nihil illa regessit, sed eum cum bona gratia dimisit: & nulla interposita mora, omnia bona sua divendit, seque in locum, in quo illum habitare compererat, contulit, & scholam, Academiam nempe ingressa, ubi literis operam navabat, de illo percontata est. Rector Academiæ interrogavit eam, quid sibi vellet? Judaicæ, respondet, religionis sacris initiari, & ab adolescente seu studioso illo, cui N.N. nomen, in uxorem duci postulo; En lectum, quem furtivo voluit polluere concubitu, illo nunc caste & legitime matrimonii jure potiatur. His intellectis, a Rectore in religionem Judaicam admissa, & adolescenti, quem expetierat, connubio stabili juncta fuit. A quo multos egregiæ indolis liberos suscepit, qui magna ex parte Sapientes & magni nominis Rabbini evaserunt, & tandem, dotibus naturę, fortunę & pietatis dives, tributum fatis debitum pependit.* Scribunt præterea Sophi, Boazum, quum casta & pudica Rutha illi adjaceret, fimbriarum recordatione a fœda cupidine avocatum esse; Josephum quoque Potipharis uxorem permolere voluisse: sed a *Zizis* seu fimbriis suis absterritum. Hoc innuit Raschi in Commentariis suis, & verbosius deducitur

Eccl.4.12.

Expressius vide hanc historiam in Jalkut f.229.col.3

tur

tur in Talmude, tractatu Sota, seu de muliere quæ in suspicionem adulterii venit, cap. 1.

Qui præceptum hoc negligit, vel superciliose contemnit, vestem quadrangulam gestando sine Zizis, ei applicant illud Jobi; *Ut apprehendat* בכנפות הארץ *angulos terræ, & excutiantur impii ex ea;* q. d. Deus Benedictus puniet illos prævaricatores in terra, qui transgrediuntur præceptum de Zizis annectendis לכנפות angulis vestimentorum, & excutiet eos e terra.

cap.38.1.

I nunc & verbis virtutem illude superbis!

dicat aliquis, in Judæorum fimbriis & palliolis non esse Reipublicæ salutem sitam! Superiorem itaque historiam, quum in magna adeo sit apud Judæos celebritate, ut pro miraculo habeatur, ac proinde in illorum Ritualibus consignata legatur, ut a pueris & mulieribus, qui Talmudem non intelligunt, disci possit, certe sciens silentio prætermittere nec volui nec potui.

Porro; In tractatu Bava Batra, seu de Damnis quæ a bestiis vel ab hominibus alicui inferuntur, scriptum legitur: *Rabbi Jochanan cistulam gemmis & unionibus plenam, aliquando conspexit, cujus furto subducendæ, quum discipulum illi adstantem, Bar Emorai vulgo dictum, cupido invasisset, omnia quæ circa erant concussa intremuerunt, & vox per auras delapsa fertur; Heus Bar Emorai, incepto desiste, tua non est cista, sed uxoris Rabbi Chaninæ Ben Duse, quem olim cistam illam filis hyacinthinis, texendis fimbriis, ad justorum in futuro sæculo usum implebit.* Hic piis mulieribus documentum statuitur, ut, ad mulieris hujus exemplum, domi semper cannabim vel lanam habeant, quo, flagitante necessitate, fimbrias laceratas e vestigio resarcire possint; magnam enim hujus rei gratia in seculo illo mercedem referent.

In Medraschin suis arguunt Rabbini ex eo, quod Exod. 33. 10. dicitur, *Et transivit Deus ante faciem ejus*, Mosis sc. *quod tum Deus Mosi hujusmodi* טלית *seu amiculo albo opertus apparuerit, instar Æditumi seu ministri Synagogæ, ejus formam ipsi ostenderit, & dixerit; Quotiescunque Israelitæ peccabunt, fac tibi coram me similem vestem, & condonabo ipsis*; sic eum docens, quomodo precaturi coram ipso comparere debeant, ut gratiam & delictorum veniam consequantur. Nam albus vestimenti color signum est condonationis & remissionis peccatorum, sicut ruber signum est peccati, Esa. 1. Neque duntaxat in specie hæc vestis precatoria,

R. Bechai sect. שלח לך fol.168. col.2.

Deus gestavit Talles.

sed omnes reliquæ quadrangulæ *Fimbrias* annexas debent habere; quia in Præcepto de iis adhibetur numerus pluralis. *Et facient sibi Tzizis* על כנפי בגדיהם *in oris vel angulis vestimentorum suorum*. De quadrangulis vestibus hoc intelligendum esse docent ex eo, quod in Deuteronomio dicitur; *Tzizis seu Fimbrias facies tibi in quatuor oris operimenti tui.*

Num.15. 38.

Deut. 22. 12.

Palliolum id genus fimbriis ornatum, ut Mulieres induant non tenentur, si tamen mulier induerit, id permitti potest: Mical enim Saulis filiam *Zizijos* seu fimbrias gestasse compertum est. Sed in libro, cui *Siphre* nomen est Rabbi Jehuda ben Babha inquit; *Sapientes nostri de industria, ad hujus fimbriarum præcepti observationem, mulieres non adstrinxerunt. Si qua vero fimbrias circumferre gestiat, id superbiæ adscribitur, & ludibrium meret: viris enim solis id injunctum est, non autem mulieribus.*

Mulieres non gestant Zizis.

In omni summa; Qui quotidie & indesinenter fimbrias has circumfert, is a Diabolo & noxiis dæmonibus est tutus; idque certissimis probatum est experimentis.

Noctu tamen Tzizis gestare non licet, quia de illis scribitur; וראיתם אתו. *Et videbitis illud*; unde concludunt, nocte non gestanda esse, sed de die, quando videri possunt.

Noctu non gestantur.

Talles hujusmodi *fimbriatum* Christiano vendi non debet: quia metuendum, ne, si Christianus illud gestaret, & in itinere Judæo obviam fieret, Judæus veste hac deceptus, & ceu Judæo illi fidens, ab ipso occidatur. Quinimo ob eandem causam ne quidem oppignerare, vel deponere apud Christianum licet.

Christiano non venduntur.

Superest, ut ad alterum Precationis Judæorum complementum veniamus, *Tephillin* sc. seu *Phylacteria*, quæ duplicia sunt, sc. תפילין של ראש *Capitis*, & תפילין של יד *Manuum*. Et quod primo quidem attinet ad *Phylacteria capitis*, quemadmodum commonitorium seu signum memoriale Præceptorum Dei habent: sic etiam Orationis causa nodum sibi naso imponunt, ut eo religiosius Deum precari possint. Nodum illum nectunt & contexunt ex his verbis Mosis: *Eruntque verba hæc, quæ ego præcipio tibi hodie, in corde tuo, & ligabis ea quasi signum in manu tua, eruntque monumentum inter oculos tuos.* Idem exstat Exod. 13. 9. 16. Deut. 11. 18. Conficiuntur hunc fere in modum: faciunt דפוס של עץ formam ligneam quadratam æquilateram, & ei incidunt tres חריצין fossulas, deinde sumunt pellem seu membranam subtilem de jumento aut animali mundo, id

De Tphillin seu Phylacteriis.

Tphillin capitis. Orach chajim n.25.

Deut.8.6.8

Quomodo conficiantur.

id humectant seu macerant in aqua, ut molle & tractabile fiat: hoc corium inducunt & adaptant formæ illi ligneæ, atque in scissuras seu fossulas quoque intrudunt, ut ex illis quatuor exurgant cellulæ, pro schedis totidem indendis: dum adhuc molle est, duo illi imprimunt ש, ex plicis illius, ut promineant; unum a dextero, alterum a sinistro latere; ea quantitate, ut inferius literæ acumen pertingat ad locum suturæ: ubi quantum satis corium hoc super forma est exsiccatum & induratum, formam eximunt, ut remaneat instar loculi quadranguli, quatuor distinctas habens cellulas. Post hoc sumunt Corium crassum & durum, ex quo faciunt, quod vocant, תיתורא & in eum finem servit, ut recipiat & contineat præcedentem domunculam seu capsulam, & ei assuatur: Corium hoc crassum deinde duplicant, & duplicationis parti superiori foramen incidunt quadrangulum, tantum quantum quadratura cellularum requirit: isti foramini inserunt prius corium subtilius in quatuor cellas distinctum; quod de eo remanet, hinc inde per quatuor angulos extendunt intra duplicaturam corii crassioris (quidam etiam alia frusta quadrata inserunt, ut תיתורא tanto fiat durior & fortior) & sic omnia simul consuunt: Ex hac eadem תיתורא formant מעברתא seu laqueolum, per quem deinde רצועות seu lora, quibus Tephillin alligantur, transmittunt. Quatuor illis Cellulis separatis includunt totidem Scripturæ loca, chartæ pergamenæ inscripta & bene convoluta, eo ordine quo in Lege exstant; nempe in prima Schedula ex Exod. 13. a. ℣. 1. usque ad 11. in secunda, ex eodem cap. a ℣. 11. usque ad 17. in tertia ex Deut. cap. 6. a ℣. 4. usque ad 10. in quarta, ex Deut. cap. 11. a ℣. 13. ad 22. Membranaceas istas schedulas puris & bene lotis pilis vitulinis vel vaccinis, plerumque a cauda avulsis, circumligare solent, ita ut extremitates Corio promineant, quo rite confectas esse constet. Corium autem illud tenuissimis & purissimis nervis seu chordis, e vituli, vaccæ vel tauri nervo confectis, consuunt, & simul compingunt, vel, si ad manum istæ non sint, mollibus & tenuibus corrigiis seu ligamentis ex membrana vitulina resectis. Longum postea lorum, quod itidem coriaceum per laqueolum illius capsulæ transmittunt, cum nodo ultro citroque mobili: Lorum hoc exterius debet esse nigrum; interius quolibet alio colore tingi potest, excepto rubro. Tingi debet a Judæo, non Christiano: Integrum hoc opus ita compactum תפלין *Tphillin* appellant, quasi diceres *Precatoria*, id est, Monumenta ad precum memoriam animos revocantia, a radice התפלל, פלל. In Levusch hattecheleth Num. 25. §. 3. scribitur, esse ex significatione פלילה h. e. *Judicii*, ac proinde sic dici, quod sint אות ועדות signum & testimonium, omnibus qui ea vident, quod Majestas divina inter ipsos habitet. (Græci *Phylacteria* appellant).

Capiti autem alligant ita, ut nodus crassior, quo scripta includuntur, a fronte, loco quo capilli deficiunt, inter oculos *e cerebri regione* consistat; ut scilicet præcepta & mandata divina Judæi cerebro, in quo sunt organa cogitandi, & sedes animæ, infigantur, majorque sit precationis sanctitudo, & una eademque opera Dei mandata confirmentur, meliusque observentur, juxta id quod Moses ait; *Eruntque tibi in memoriale ante oculos tuos*. Alio deinde nodo illa adstringunt in syncipite, ne huc illuc moveri possint; exinde utrinque lori residuum per humores antrorsum propendere sinunt, & a dextera quidem, usque ad umbilicum; a sinistra usque ad pectus. Nodum qui est in syncipite ita formant, ut in eo appareat figura literæ Daleth, ut in seqq. dicetur.

Quomodo capiti alligentur.

Tphillin schel Jad, seu *Phylacteria manuum* ita conficiuntur: accipiunt denuo aliud corium quadrangulum, & eodem prorsus modo atque superius compingunt, quatuor supra allegata Scripturæ loca, charactere quadrato, non in distinctis, sed unica membrana, quam possunt eleganter, quatuor distincta columnis, describunt, & in pelliculam instar digitalis concavam includunt, & crasso illi simul compacto corio assuunt, longumque lorum addunt: Ista non manui, sed sinistro brachio, in superiori ejus parte, ubi maxime carnosa est, & Radius dicitur; & quidem nudæ ejus cuti alligant, interius versus corpus, adeo ut crassum illud corium, cum homo brachium incurvat, carnem tangat, & *e regione cordis* stent scripta, quo sic impleatur, quod scriptura dicit; *Et erunt verba ista super cor tuum*; & cor, in illa intuens, eo ferventius se in preces demittat, & ab omnibus pravis cupiditatibus & desideriis abstrahatur. Longum autem illud lorum aliquoties, minimum ter, brachio involvunt, tantum ab una parte lori residui relinquentes, ut ad medium manus digitum descendat, cui ter illud obvolvunt. Et in hujus extremo effingunt literam *Jod*; sicque præcepto huic satisfactum putant; *Eruntque verba hæc, quæ ego præcipio tibi*

Tphillin manuum.

Quomodo alligentur.

bi

bi hodie, in corde tuo, & ligabis ea quasi signum in manu tua.

Quo ordine Tphillin alligentur.

Manuum phylacteria primo annectunt loco; postea vero capitis phylacteria, quia in præcepto Manus Oculis præponuntur. Cum applicant Tphillin manuum, Dicunt; בא״י אמ״ה אקב״ו להניח תפלין *Benedictus tu Domine Deus noster, totius Mundi Domine, qui nos præceptis tuis sanctificasti, & ut phylacteria induceremus præcepisti*: Ad phylacteria Oculorum seu capitis; *Benedictus tu Domine Deus noster*, &c. *qui dedisti nobis* על מצות תפלין *præceptum Tphillin*. In priori Benedictione legendum dicunt, non להניח; quia hæc lectio est ambigua, & potest significare, *Relinquere*, quod præcepto est contrarium; sed להניח cum kametz, a נוח, *Ad quiescere faciendum*, q. d. Deum præcepisse, ut faciant locum ubi quiescant in brachio eorum, oculis interim sursum inversis, nodum superne de fronte pendentem, singulari cum devotione intuentur. Ante omnia vero pia etiam illis affigunt oscula, & ambobus ea impingunt oculis, ne ulla ratione a præcepto aberrent, sed ut vere & indubitate illorum oculis obversentur.

Quomodo nomen Dei *Schaddaj* in Tphillin repræsentent.

Cæterum utraque ita applicata, ingeniose & artificiose exhibent & repræsentant Nomen Divinum שדי *Schaddai*. Res ita habet. In phylacterii capitis capsula, cui includuntur supra memorata Scripturæ loca, a dextero & sinistro latere, singulari industria, impressum est ש quod prominet; Illud, quod a dextero latere est, interne geminum habet *Jod*, ut vocant, & sic quatuor superne habet capita; alterum, tria tantum habet. Diversam hanc figuram, dicunt quidam repræsentare duplicem Characterem; & quadriceps Schin quidem exhibere eum, quo Lex Tabulis fuit insculpta, literis in libero aere, perforatis tabulis, quasi excavatis, ut non nisi earum latera extrema in Tabulis conspecta fuerint; triceps Schin repræsentare eum Characterem, quo Lex a Mose in libro fuit scripta. Duo autem ש *primo* Symbolica esse Nominis Tetragrammati, per rationem scribendi arcanam & Cabalisticam *Athbasch*, secundum quam Tetragramaton prodit מצפץ *Matzpatz*; Nam duo Schin per Gematriam faciunt 600. Totidem facit מצפץ geminatum. Ergo perinde est, ac si nomen Dei proprium ipsum hic expressum esset. Deinde eo etiam servit hoc Schin, ut, una cum iis quæ sequuntur, constituat nomen Divinum שדי. Nam in Tphillin capitis habetur ש *Schin*. Deinde in loro illo nigro, quo ea circa caput ligant in occipite, supra cervicem, nodum faciunt, in quo ingeniose exprimunt literam ד Daleth, non ea parte, qua caput respicit, sed extrorsum. In loro Tphillin manuum, in lori extremo, quod digito medio circumvolvitur, subtiliter effingunt figuram literæ י Jod, ad complendum nomen שדי quo publice & palam toti mundo ostendant, Nomen Dei super ipsis scriptum esse & legi, & per hoc terrorem omnibus incutiant, juxta illud; *Et videbunt omnes populi terræ quod* שם יי׳ נקרא *Nomen Dei vocetur*, vel, *legatur super te, & timebunt* sibi a te. Ubi notandum, literas initiales harum vocum, שם יי׳ נקרא conjunctæ faciant שין Schin. *Hoc*, inquit R. Elieser, significat phylacteria capitis, in quibus sunt duo Schin nominis *Schaddaj*. Et hac de causa illæ literæ non debent occultæ esse, sed conspicuæ, ut timor & pavor incutiatur omnibus populis terræ. Scribunt, Nomen שדי *Schaddaj* esse חותם יי׳ *Sigillum Dei*. Supra vidimus, quomodo Sigillum hoc per circumcisionem carni suæ impressum habeant; hic jam audimus, quomodo idem in vestitu suo gerant. Ut sic undique intus & extus, tanquam עם סגולתו populus peculii ejus, ipsius sigillo sunt muniti.

Deut. 28. 10.

Nomen Schaddaj sigillum Dei.

Phylacteria manus tectá & abscondita esse debent: unde brachio veste tecto non manui, alligantur, quia de illis in præcepto dicitur; *Et erunt* לך TIBI *in signum*; Tibi, *non* aliis. Sed Phylacteria capitis palam in nuda fronte geri debent; ut ab omnibus conspiciantur, propter modo adductum locum; *Et videbunt* &c. lora etiam; quibus alligantur, antrorsum, ut supra dictum, ob hanc causam longa & lata esse debent, ut usque ad umbilicum propendere possint. Unde ad Phylacteria capitis respexisse videtur Christus, quando de Pharisæis dixit; Πλατύνουσι δὲ τὰ φυλακτήρια αὐτῶν. *Dilatant phylacteria sua*. Hæc enim maxime ostentabant, & lora aliis longiora & latiora facere solebant. Majorum etiam inde sanctitatem illis attribuunt, quod illa duas literas Nominis *Schaddaj* habeant: nempe ש & ד, ut ante visum.

Phylacteria manus tecta.

Capitis palam gestantur.

Matt. 23. 5

Quando illa exuunt, deponunt primo Capitis, deinde Manuum, & ea in pyxide, arcula, vel linteo mundo asservant.

De istis Phylacteriis integros, & quidem sesquipedales, componunt libros; e quibus pauca commemorabo.

De Scriptura phylacteriorum.

Ad Scripturam *primo* quod attinet, atramento ex Gallis confecto scribi debent,

Quo atramento scribenda.

bent, non autem atramento ex pice liquida aut aliis coloribus, quibus typographi & ferici infectores uti folent: rubrica, cæterique colores, folo nigro excepto, vitandi funt: fingulæ literæ feorfim fcribi debent: cavendum, ne altera alteram fcandat, vel fibi invicem adhæreant. Dextra non finiftra manu pingi debent: fupra, infra, & ab ambobus lateribus, fingulæ ducendæ funt lineolæ, nec numerus ille excedendus: lineis ductis aliquid adfcribere prohibitum; nihil eradendum, inducendum, vel emendandum eft. Oportet fcribam & a principio, & quotiefcunque Dei nomen aliquod defcribit, expreffiffimis verbis dicere, fe facra illa phylacteria in Dei gloriam & honorem fcribere; hoc enim modo diligentius fcribet; Si literula vel defit, vel fuperfit, aut, fi lineæ longitudine fibi non refpondeant & inæquales fint, phylacteria funt prophana & deturpata, & qui illis utitur, vanis Deum follicitat precibus; hac enim ratione præceptum hoc non rite obfervatur: fed culpa & pœna in folum fcriptorem redundat. Itaque pius, religiofus, Dei reverens, diligens, & experiens fcriba ad id requiritur, &c.

Qua manu.

Qua religione & pietate.

Secundo, Corium vel Membranam quod attinet; omnia illa ex uno eodemque vitulo, vel ex alia quapiam beftia munda, & in Lege permiffa, quæ a Judæo, non a Chriftiano, fit mactata, cujus corium a Judæo, non a Chriftiano, perfectum & præparatum, defumi debet: ubi vero nullus Judæus coriarius adeft, Judæus, qui membranam ad phylacteria requirit, in corii perfectione Chriftianum paululum adjuvare debet: fic enim rectum & legitimum quoque erit corium. Quod autem ex beftia munda & licita defumi debeat, hifce Mofis verbis nititur; *Ut Lex Domini femper fit in ore tuo*. Si enim hæc verba infcribantur in membrana beftiæ edulis, idem eft, atque fi integræ beftiæ edi folitæ infcriberentur, hacque ratione, dum eftur, lex in os ingreditur: fi vero pergamenæ beftiæ immundæ, comedi prohibitæ, infcribantur, tum Lex os non ingreditur. Multo plura adjicere poffemus, fed in præfentia, in hac beftiarum comeftura, fubfiftemus.

In quo corio vel membrana.

Exod. 13. 9

Tertio, quod ad phylacteriorum illorum Sanctitatem attinet, fumma ea eft & incredibilis, adeo ut propter eam homo illa merito femper geftare deberet. Verum quia requirunt, non folum corpus purum & mundum, fed & animum ab omnibus aliis mundanis cogitationibus & curis liberum & vacuum; fieri autem non poteft, ut perpetuo fe munditer homo habeat, & rebus Divinis unice vacet; ideo confultius vifum eft, ut illa non nifi mane induat, quando ad precationem fe accingit: ex mundo enim corpore precatio quoque proficifci debet.

De Sanctitate Tphillin.

Si cui forte fortuna de manibus exciderint, ille cum omnibus iis, qui humi jacentia confpexerint, per totum diem jejunio, gravem illum & miferabilem cafum, expiare debet. Retecta & aperta, longo quod illis ineft loro, de pariete fufpendenda non funt, fed facculo recondenda. In thalamo omnino relinquenda non funt, nifi triplici capfula vel triplici facculo bene afferventur & recondantur. Illis indutis, confulto faltem & dedita opera, dormiendum non eft: fi inopinatus obrepferit fomnus, id vel ingratiis eft ferendum. Si quid impuri in fomniis contigerit alicui, nodus, quo fcripta includuntur, tangendus non eft, fed chordæ folvendæ, & phylacteria removenda funt, donec fefe repurgarit & manus laverit: tunc enim denuo indui illa poffunt. Interea dum geftantur, peditus nemini excidere debet: graviffima enim id luendum effet pœnitentia. Quem naturæ requifita premunt, quatuor cubitos procul a fe removere illa oportet, vel duplici facculo recondere, & in finu fuo e regione cordis collocare. Ad convivium folenne iturus, ea debet deponere, non tamen prorfus, fed juxta fe in menfa collocare, ut tempore precationis ea in promtu & parata habeat. In cæmeteria cum illis non eft eundum, neque ad mortuum, ad quatuor cubitos accedendum. Tanti ea faciunt, ut de illis dicant; מצות תפלין שקולה כנגד כל המצוות *Unicum præceptum de Tephillin æquivalere omnibus præceptis*, quia dicitur; *Et erunt pro figno in manibus tuis, & pro memoriali inter oculos tuos, ut Lex Dei fit in ore tuo*. Hinc colligunt, *eum qui geftat Tephillin haberi, ac fi tota Lex effet in ore ejus*. Dicunt etiam, *qui diligenter hoc præceptum obfervat, longæva vita fruiturum*; &, *Qui ea negligit & fpernit, illum effe ex prævaricatoribus Ifraelis*, &c.

Mulieres, fervi, & ancillæ, (ut & ægrotorum pars, maxime qui alvi profluvio aut dyfenteria laborant) illorum geftatione immunes funt quia non femper pure & fancte illa tractare, vel preces ad extremum ufque ut decet expectare poffunt; quod maritis & heris fuis fint obnoxii. Docuerunt etiam Rabbinorum principes, mulieres iis præceptis, שהזמן גרמה *Schebaffeman garemah*, quæ non femper, fed ftatis tantum temporibus

Mulieres non geftant Tphillin.

bus observantur, obnoxias non esse. Adde quod in phylacteriorum institutione scribitur; *Ut lex Domini sit in ore tuo:* unde docent Rabbini; Cui lex Domini in ore habenda, id est, alios docenda est, ille phylacteria ut gestet tenetur; Sed mulieres ad legem docendam non adstringuntur; Ergo nec ad phylacteriorum gestationem. Quod si zelo aut superstitione motæ ea gestare conentur, prohibentur: quia non sunt satis cautæ ea in corpore mundo custodire. Nihilominus tamen compertum est, Prophetæ Jonæ uxorem phylacteria circumferre solitam esse, uti sapientes docent. Sat esse debet mulieribus, si ad omnes preces *Amen* accinant: sic enim demonstrant, se omnibus iis credere, & consentire, quæ viri a Deo Precibus expetierunt. Hac de re scilicet locutus est Esajas, quum dixit: פתחו שערים ויבא גוי צדיק שומר אמנים. *Aperite portas & ingredietur gens justa* שומר אמנים. Schomer emunim *fidem custodiens*: idem enim est ac si scriberetur, שומר אמנים *quæ Amen observat, omnibus Amen accinit, & omnibus iis, quæ precibus expetita sunt, credit; Amen, Selah.*

Exod. 13. 9.

Esa. 26. 2. Tract. de Sabb. c. 16. pag. 199.

Aliæ circumstantiæ.

Denique qua ratione phylacteria, & quidem in nudo membranæ latere, quod vitulinæ cuti adhæsit, non autem in piloso, conscribenda: quo pacto litera ש in crasso illo & simul compacto corio artificiose sit depingenda: litera ד in longiore phylacteriorum capitis nodo ingeniose exprimenda: & litera י ad nodum, qui manuum phylacteriis inest, apponenda, ita ut quam potest elegantissime Nomen Divinum שדי *Schaddai* disponatur: quo item modo corium illud quadrangulum, ut ponticuli formam referat, sit compingendum, &c. ea omnia sunt הלכה למשה מסיני *Halacha le Mosche missinai*, ordinatio Mosis e Monte Sinai, ea omnia Moses in monte Sinai didicit, & posteris suis aperuit, uti legitur in Talmude, in hæc Mosis verba; *Tollamque manum meam & videbis posteriora mea*, Ad hæc enim verba dixit Rabbi Chamma filius Bitznæ, Rabbi Schimeonem Chasidam dixisse: מלמד שהראה הקב״ה למשה קשר של תפלין hoc est, *Docetur hic, Deum tunc temporis alligationem & compactionem phylacteriorum Mosi ostendisse, &c.*

Tractatu Berachos cap. 1. p. 7. Exod. 32. 23.

Historia de utilitate gestationis Phylacteriorum.

Verum ne mora nostra matutinæ precis tempus prætermittamus, unicam tantummodo, & quidem cui fides jure detrahi nequeat, ex Talmude historiam subjungemus, quæ propter insigne miraculum huc non male quadrat, uti supra tractationi de Fimbriis historiam subjunximus. In Tractatu de Sabbatho sic habet Gemara:

Tract. de Sabb. cap. 4. fol. 491.

אמר ר׳ ינאי תפלין צריכין גוף נקי כאלישע בעל כנפיים מאי טעמא אביי אמר שלא יפיח בהן רבא אמר שלא יישן בהן ואמאי קרי ליה בעל כנפיים שפעם אחרת גזרו המלכות גזרה על ישראל שכל המניח תפלין ינקרו את מוחו והוה אלישע מניחן ויוצא לשוק ראהו קסדור אחד רץ מפניו ורץ אחריו וכיון שהגיע אצלו נטלן מראשו ואחזן בידו אמר לו מה זה בידך, אמר לו כנפי יונה פשט את ידו ונמצאו כנפי יונה לפיכך קורין אותו אלישע בעל כנפיים, ומאי שנא כנפי יונה משאר עופות משום דאמת יל׳ כנסת ישראל ליונה שנ׳ כנפי יונה נחפה בכסף וגו׳, מה יונה כופיה מגינות עליה אף ישראל מצוות מגינות עליהן *Rabbi Jannai dixit; Qui phylacteria vult induere, puro debet esse corpore, ut* אלישע בעל כנפיים Elisa baal Kenaphajim *Elisæus aliger. Qui sic? Avai dixit: ne flatum emittat cum illis; Rabba vero; ne dormiat in illis. Cur autem hoc nomine ille Elisa appellabatur?* respondet Gemara: *olim Imperium Romanum Judæis phylacteriorum gestatione severissime interdixit, decrevitque, ut ubicumque Judæus cum hoc capitis ornamento conspiceretur, protinus capite lueret.* (Priscis enim temporibus, quum Judæi munditie & sanctitate adhuc illustres erant, phylacteria per totum diem in capite gestabant). *Iste autem Elisæus,* (tanquam vir pius & intrepidus, qui nullis minis a præcepti observatione deterreri potuit) *assidue phylacteria in capite circumtulit: sed quum in eo esset, ut a lictore deprehenderetur, se in pedes conjecit, & phylacteria a capite ablata in manu sua abscondit. Lictor eum assequutus, interrogavit, quid in manibus gestaret? Quid gestem? inquit; columbæ alas gesto. Lictor ad hæc; Nisi protinus ostenderis, capite pœnas dabis. Elisæus itaque manum aperuit, & reapse alæ columbinæ præ manibus ejus inventæ sunt.* Hinc Baal kenaphajim *Aligeri nomen est consecutus. Sed cur Columbæ alas potius, quam Corvi, vel Gruis, vel alius avis nominavit?* respondit Gemara: *Filii Israel Columbæ comparantur: sicut dicitur;* Sicut alæ columbæ, tectæ argento. Psal. 68. 14. *Quemadmodum enim quicquid virium est in columba, id in ejus alis situm est, & hoc se præsidio, non rostro, non pedibus, non alio quovis membro, contra cæteras aves tutatur: sic etiam filiorum Israel alæ sunt præcepta Dei, quæ illos ab omni injuria tutos præstant, ita ut nullæ gentes illis nocere possint.* Vel, si accuratiorem exigas decisionem: *Quemadmodum* (ut alibi scribunt) *columbis plus auxilii & præsidii in alis, quam reliquis avibus; columba enim, quando volando defatigatur, in altera ala requiescit, & altera volat;*

Judæi columbæ comparantur.

Jalkut ad Psal. 55. v. 7.

volat; aliæ vero aves, vel arbore vel scopulo consident, vel omnino in terram decidunt; sic etiam Israelitæ, quando propter unum præceptum persecutionem patiuntur, ita ut illud recte observare non possint, aliis præceptis observandis incumbunt, quorum observatione proteguntur. Si quis ergo diligenter præcepta observaverit, nullum illi damnum, nulla injuria inferetur, miraculo etiam hostibus suis erit, & ab illis liberabitur; eodem prorsus modo, quo aliger & penniger iste Elisæus a lictore liberatus est; ut hoc multi e priscis Rabbinis, qui hæc ab aniculis juxta focum audierant, sunt testati, ac proinde in Talmude consignarunt.

CAPUT X.

De Judæorum Synagogis, Precibus matutinis, & qua se in Synagoga ratione gerant.

De tempore orandi. Orach chajim n. 89.

SUpra docuimus, legitimum orationis tempus Soli orienti assignari: nihilominus tamen, ne quid vel mora vel negligentia noceat, terminum hunc dilatarunt & extenderunt Sapientes in tertiam diei horam, quæ nonæ nostræ circiter respondet. Sed ubi multi Judæi simul conveniunt, ut Wormatiæ, Moguntiæ, Francofurti, Fridbergæ, in Moravia, Bohemia, Polonia, Ruthenia, &c. & proprias habent Synagogas & Ecclesias; in illis, inquam, locis, statuto orationis tempore, omnes simul semper Synagogam ingrediuntur, & preces suas fundunt, idque eo modo & ordine, prout in libris Precum, *Machsorim* (id est, Cyclis seu circulis) aliisque id genus ipsorum libris, reperiuntur.

Antequam vero modum precandi ipsum describamus, quædam præmittemus de Synagogis ipsorum.

Synagoga quid.

Synagoga Hebraice בית הכנסת Bes hakkeneses dicitur, h. e. *Domus congregationis*, & respondet nostris Templis & Ecclesiis. Intelligitur enim locus, in quo conveniunt ad publicas preces faciendas, Lectiones sacras ex Lege & Prophetis peragendas, conciones audiendas, Circumcisionem & reliqua sacra administranda, quæ olim in Templo peragi solebant.

Differentia inter Synagogas & Scholas.

Ab illis differunt בתי מדרשות *Batte medraschos*, quæ proprie sunt loca, in quibus Legem discunt, Scholæ, Gymnasia, Collegia, ita ut illæ Precibus, hæ Studiis & Legi sint destinatæ.

Majorem tamen sanctitatem & præstantiam esse scribunt *Batte medraschos* seu Scholarum, quam *Batte Kinsijos* Ecclesiarum; eo quod תלמוד תורה עדיפא Studium Legis nobilius & præstantius sit omnibus aliis rebus: & licere ex *Bes hakkeneses* facere *Bes hammedrasch*, sed non vice versa: quia rerum sacrarum dignitas semper est augenda, non minuenda, quod illi dicunt, מעלין בקדש ואין מורידין.

Vulgo vero promiscue & indifferenter adhibentur *Synagogæ* & *Scholæ* vocabula, quod & nos in hoc libro sequuti sumus sæpe.

In quibus locis Synagogas exstruant. Prov. 1. 21.

Synagogam exstruunt בגובהה של עיר in altissimo civitatis loco. Quod faciendum docent ex eo quod Salomon dicit, בראש הומיות תקרא *In capite vel vertice tumultuantium clamat*, scilic. בתפלה orando; Et, si fieri possit, ita exaltant, ut reliquas ædes omnes superet, juxta id quod alibi dicitur, לרומם Ad *exaltandum domum Dei nostri*. Dedecori enim Templo cederet, si vulgares & plebejorum domus altiores essent &c. Hinc, si quis eo in loco domum exstruat, quæ sit altior, cogunt eum, ut illam humiliorem faciat.

Esr. 9. 9.

Synagogarum forma.

Utplurimum muros & parietes habent candidos, vel gypso, aut tabulis ligneis obductos. In circuitu adscribunt illis quosdam versus Scripturæ, quibus ad devotionem vel ardorem in precando excitantur. Instructæ sunt sedilibus & scamnis, quandoque etiam armariis pro asservandis libris, palliis & aliis. Lampades & Candelabra illic passim sunt suspensa cum candelis vel cereis ardentibus, ad locum illustrandum. Ad januam sunt pyxides, & arculæ, in quas, qui volet, nummos conjicit, pro eleemosyna pauperum. Versus partem ejus orientalem est היכל vel armarium, quod vocant ארון Aron: quia repræsentat Arcam fœderis, quæ in templo olim fuit. In ea repositus est Liber Legis, ex quo suas lectiones in Synagoga peragunt: & quandoque plura ejus exemplaria, Act. 20.

In medio vel potiore ejus parte est בימה Ambo, vel Altare quasi ligneum, cui imponunt, Librum Legis, quando ex eo legitur, & ex quo conciones habentur.

חזן Chasſan quis?

Singulæ Synagogæ suum habent חזן *Chassan* seu Præcentorem & Lectorem, qui populo alta & clara voce Orando præit; tum etiam שמש *Ministrum*, *Famulum*; cujus officium est Synagogam mundam conservare, lucernas accendere, claves servare, & alia ministeria obi-

obire. Hi duo ex publico Synagogæ fisco salarium accipiunt.

Porta Synagogæ.

Porta Synagogæ facienda est ex opposito illius loci in quo orant in quaque urbe; veluti; Si orent versus Occidentem, porta facienda est in parte Orientali, ut jam ab ipsa porta se incurvent versus Arcam, quæ ibi est, ubi orant. Inde, quia hodie orant versus Orientem, obvertendo se scilic. versus terram Israelis, non faciunt portam Synagogæ in Orientali plaga, sed in alia, & quidem, si ulla ratione fieri possit, occidentali.

Olim cuique in Synagoga locus assignabatur, pro suæ dignitatis & honoris gradu; nunc vero caro pretio quisque locum redimit, & quo quisque est ditior, eo commodiorem emit locum.

Nullum vero sedile faciendum est inter Suggestum, qui est in medio Synagogæ, & inter Arcam; ita scil. ut sedens facie sedeat obversa ad Suggestum, & tergum vertat Arcæ. Hoc enim turpe foret, & in ejus ignominiam redundaret.

Reverentia illis debita. Ezech. 11. 16.

Magna debetur Synagogis & Templis reverentia, quia vocantur *Sanctuarium parvum*. Hinc nulla licet in illis uti levitate; veluti Ludere, Jocari, Garrire, Edere, Bibere; non est in illis dormiendum; non sunt intrandæ vel tempore æstus, ad captandum refrigerium, vel tempore pluviarum, ne compluaris &c. non est in eis animi causa ambulandum: nulla tractanda negotia mundana: si duas habent portas, non est per illas compendii viæ causa eundum: nullæ supputandæ rationes, nisi Arcæ Sacræ eleemosynariæ. Hinc etiam quotidie sunt everrendæ, aqua conspergendæ, lucernæ in illis accendendæ, priusquam aliquis intret: De Lucerna Synagogæ non licet aliud lumen accendere, ne quidem ad scribendum, vel studendum.

Quamvis, ut supra dictum, major sit dignitas & præstantia Scholarum, quam Ecclesiarum, tamen in illis quædam licet facere, quæ in his non sunt concessa; veluti Edere & Bibere. Olim enim, scribunt, Scholas destinatas fuisse Legi docendæ & discendæ, ac proinde, ne illud studium intermitterent, vel negligentius tractarent, ex illis nunquam exivisse, sed ibidem quoque cibo & potu se refecisse.

In quacunque urbe sunt decem lautioris fortunæ & conditionis, ex statuto Rabbinorum, coguntur exstruere vel conducere locum aliquem pro Synagoga, comparare item librum Legis, Prophetas, & Hagiographa, ne Lex & Oratio oblivioni detur inter Israelitas.

Quomodo mane ad Scholam se conferant. Orach chajim n. 46. Specul. ard. cap. 41

Ergo ubi summo mane Judæi toti bene compositi sunt, extrinsecus & intrinsecus repurgati, loti, & fimbriis dependentibus circumdati, minime pigros & segnes esse, sed alacriter, impigre, & promte domo exire oportet, & instar militum cuneatim ad expugnationem urbis alicujus incursionem facientium, cum impetu in Scholam currere, uti Rex David ait; בבית אלהים נהלך ברגש id est, (juxta Judæorum interpretationem) *In domum Domini ambulabimus cum strepitu & festinatione*, hoc est, non secus ac si concitatorum in nos canum dentes clunibus infestos sentiremus. In tractatu de Benedictionibus Rabbi Hona inquit: היוצא מבית מכנסת אל יפסיע פסיעה גסה אמר אביי לא אמרן אלא למיפקאבל למיעל מצוה למרהט שנ׳ ולך נרדפה לדעת את יי׳ *Qui egreditur e Schola, non debet incedere gressu superbo* (*id est*) *tardo & lento*, (ne scil. mora in Schola ipsi videatur fuisse oneri) *Rabbi Avaj dixit, Hoc dixerunt de egressu e Schola: sed ingressum in Scholam quod attinet, præceptum est, ut cursu ille fiat cito & veloci, secundum illud Hoseæ;* נדעה ונרדפה לדעת את ה׳ id est, *Cognoscemus, & persequemur, ut Deum inquiramus*, ut Judæi iterum exponunt: hoc est: Promti, expediti, & alacres erimus instar venatorum feras persequentium. Non secus atque Rex, qui omnes Consiliarios & aulicos suos stato die, in cubiculum suum, summo mane simul convenire jubet. Quemadmodum enim Rex ipse tum matutinus surgit, ut Consiliariorum suorum diligentiam exploret, & quem primum obvium habet, illum amice & benevole excipit, familiariterque cum illo colloquitur: ita sese res cum Deo habet, qui suos filios Israelitas summo mane in schola coram se comparere vult, ut suis precibus omnes suas coram eo necessitates exponant. Si enim, ut iterum in Gemara scribitur, primus in Scholam ingressus fuerit, & neminem offenderit, filiis suis irascitur, & ait; *Cur veni, & nemo aderat? vocavi, & nemo respondit?* Bene sane cum illo agitur; qui mane præsto est, & cum Domino suo colloquitur: quam Domino gratus & acceptus est servus diligens, & qui summo mane adest; nec Dominum suum solum sedere patitur! Iterum legimus tract. de Benedictionibus: כל הרגיל לבוא לבית הכנכת ולא בא יום אחד הקב״ה משאיל בו שנאמר מי בכם ירא ה׳ שומע בקול עבדו אשר הלך חשכים ואין נוגה לו, id est, *Rabbi Abbin filius Rabb Ada dixit ex sententia Rabbi Isaac: Si quis in Scholam venire consueverit, se-*

Psal. 55. 15

Tractatu Talmud. de Benedictionibus cap. 1. fol. 6. 2.

Hoseæ 6. 3

Ibidem.

Esa. 50. 2.

Tractatu Berach. c. 1. fol. 6. 1.

ſemel autem abeſſe contigerit ; in eum Deus, quid agat, & ubi locorum ſit; inquirit, ut Propheta Eſajas ait; Quis ex vobis timens Dominum, audiens vocem ſervi ejus, ambulat in tenebris; & non eſt ei lumen ? quorum verborum hæc ſcilicet eſt ſententia ; Qui in lecto ſtertit, nec in Scholam venit; ille ambulat in tenebris, & lux non eſt ei.

Eſa.50.10.

Ante preces matutinas nil agendum. Nemo ſalutandus.

Prohibitum eſt, quicquam vel edere, vel bibere, vel negotiari, ante preces peractas : neque etiam quenquam vel viſitare, vel ſalutare prius licet. Nam ſalutatio fit voce שלום *Schalom*, quæ eſt ex Nominibus Dei, ſicut dicitur; *Et ædificavit ibi Gideon altare Domino, vocavitque illud* יי׳ שלום Adonaj Schalom, Judic. 6. 24. Nomen vero Dei non eſt uſurpandum ante ejus invocationem. Quod ſi aliquis prius ſalutandus occurrit, dici poteſt ; צפרא דמארי טב *Dies hic Domino meo ſit fauſtus & auſpicatus, Bona dies* ; ſine commemoratione Nominis Dei alicujus. Non eſt adeundus quiſpiam ante preces ; Non enim decet, hominem prius convenire vel compellare, quam Deum. Et ob eandem cauſam, ne quidem ad alterius compellationem quis genu flectere debet alteri, ſi nondum oraverit, &c.

Negotia ſua non aggredi vel tractare debet homo, vel iter ingredi, niſi poſt preces aliquas factas, vel hymnos, aut Pſalmos.

Nec vel edendum vel bibendum.

Non edet, neque bibet prius ; niſi tamen fuerit ægrotus; non ſtudebit, ne, meditationibus intentus, precationis horam negligat vel ſurda aure prætereat.

Tonderi tamen vel balneum licet ingredi, appropinquante tempore precationis matutinæ.

Præ Synagogæ foribus ferrum habent muro impactum, quo ſinguli calceos ſuos, ſi lutum contraxerint, repurgare debent, ut Rex Salomon ait ; *Cuſtodi pedem tuum ingrediens domum Dei*. Qui crepidas geſtat, illas omnino exuat oportet, ſi inquinatæ fuerint ; ne ſchola polluatur, uti ſcribitur ; *Ne appropinques huc, ſolve calceamenta de pedibus tuis: locus enim in quo ſtas, terra ſancta eſt*. Cavere etiam quiſque debet, ne quid immundi vel ſordis veſti ſuæ adhæreat.

Eccl.4. 17.

Exod.3.5.

Cum tremore & horrore Scholam ingredi debent.

Tremere & horrere debent, quum Synagogam ingrediuntur, non ſecus atque ſi potentis Regis palatium ſubirent, & trementes adorare debent, ex Regis Davidis ſententia ; השתחוו לה׳ בהדרת קדש *Adorate Dominum in gloria ſanctitatis*; Noli, inquiunt, legere בהדרת *behadras* in gloria, ſed, בחרדת *bechardas*, in tremore.

Pſal.29. 2.

Quando portam ſubeunt, verſiculos aliquot ex Pſalmis Davidis recitant, qui per ſe boni ſunt, nec contemnendi, ſi modo recte intelligantur, & religioſe proferantur. Ad preces autem deſcendere non debent ſimulac ingrediuntur, ſed aliquantiſper ſilentium facere, & ipſi ſecum reputare ; Quem alloquio ſuo aggrediantur, qualis quantuſque ille ſit, qui cordium ſcrutator eſt, quique illorum preces exaudit : hæc enim cogitatio terrorem illis affert, & religionis in illis ſtudium augebit. In tractatu de Benedictionibus docent Rabbini, quum Rabbi Eliezer ægrotaret, a diſcipulis inviſentibus interrogatum fuiſſe ; *Rabbi doce nos viam ad vitam æternam :* illum vero reſpondiſſe ; *Quotieſcunque preces fundere vultis, animo diligenter perpendite, coram quo ſtetis, & vobis ad vitam æternam patebit aditus.*

Ad preces quomodo ſe præparent.

Tractatu de Benedictionibus.

Singuli obolum ad minimum in gazophylacium immittere debent : ſcribitur enim ; *In juſtitia videbo faciem tuam*, id eſt, *In eleemoſyna*, quæ juſtitiæ locuples eſt teſtis.

Pſal.17.15.

Ad hanc attentionem ubi ſeſe compararunt, ad ſacram arcam, in qua liber legis reponitur, ſe proſternunt, & in hæc verba erumpunt : מה טובו אהליך יעקב משכנותיך ישראל׃ ואני ברוב חסדך אבא ביתך אשתחוה אל׳ היכל קדשך ביראתך : יי׳ אהבתי מעון ביתך מקום משכן כבודך : ואני אשתחוה ואכרעה׃ ואברכה׃ לפני יי עושי : ואני תפלתי לך יי׳ עת רצון : אלהים ברוב חסדך ענני באמת ישעך : *Quam pulchra ſunt tabernacula tua Jacob, & tentoria tua Iſrael ! Ego autem in multitudine miſericordiæ tuæ introibo domum tuam, incurvabo me templo ſancto tuo in timore tuo. Domine dilexi habitaculum domus tuæ, & locum tabernaculi gloriæ tuæ; Ergo proſternam, incurvabo me, & genuflectam coram Deo factore meo : Ego orationem meam converto ad te tempore beneplaciti : Deus propter multitudinem miſericordiæ tuæ exaudi me, propter veritatem ſalutis tuæ*. Tandem toti in precibus eſſe incipiunt, ea ſcilicet ratione, qua in libris eorum conſignatæ leguntur. Vulgo autem ab illis e libro leguntur, ſiquidem plures ſimul conveniunt. Qui legere non didicit, nihilominus Synagogam frequentat, & attente cæteros precantes auſcultat, & ad omnia, *Amen* regerit.

Num.24.5 Pſalm.5.8.

Pſal. 26. 8.

Pſal. 95. 6.

Sed ut nobis etiam quadantenus preces illorum innoteſcant, & quid rerum ſecum illi agitent videre poſſimus, pauca quædam breviter & compendiario de Precibus matutinis huc transferam, & interpretabor.

Quidnam Judæi precentur.

Pri-

Primo precatio versibus & numeris adstricta oratione, ut & reliquarum maxima pars, concepta est, & ab illis stantibus maximo clamore canitur & legitur. Sic autem sonat; ארון העולם אשר מלך וכו׳ *Domine Mundi qui regnasti antequam quicquam creatum esset: qui eo tempore, quo omnia secundum voluntatem tuam facta sunt, Rex appellabaris: quique rursus, quando omnia præteribunt, solus regnabis, tremendus & terribilis, qui in decore tuo fuisti, es, & eris: qui unicus es, & cui alter nemo comparari vel socium se addere potest* (his verbis Divinam impetunt Christi naturam, vilemque & vulgarem hominem fuisse censent,) *principio & fine carens, cujus est robur, & Dominium, qui Deus meus es, & Redemtor meus, qui vivis* (his verbis fidem nostram subsannant, qui in Redemtorem credamus, qui mortuus est) *qui rupes mea es in dolore meo, tempore afflictionis, qui vexillum meum es, & refugium meum, portio calicis mei, eo die quo te invocabo, in cujus manus spiritum meum committo, sive dormiam sive vigilem, & qui animæ meæ & corpori meo ades: sane Dominus stat a partibus meis, non timebo.*

Deinceps subjungunt מאה ברכות Meah brachos, *Centum gratiarum actiunculas*, easque ut plurimum brevissimas, quas bis singulis diebus a capite ad calcem recitant, cujus rei causam postea aperiemus.

In precibus illis primum locum obtinet illa, quæ *de manuum Lotione* agit, quamque supra descripsimus. Ideo autem primo loco collocatur, ut, si cui mane inter lavandum illius subrepsisset oblivio, memoriæ lapsus sarciendi locus aliquis in cœtu daretur. Subsequitur brevis gratiarum actio pro mirabili hominis creatione; præsertim quod Deus illum *cavum & foraminibus plenum* condiderit, quorum unico clauso vel recluso, hominis mors necessario sequatur. Subnectitur postea confessio *de Mortuorum resurrectione*.

Ea absoluta, continuo spiritu Deo gratias agunt pro rebus necessariis omne genus sibi suppeditatis, & ajunt: *Benedictus tu Domine Deus noster totius mundi Domine qui Gallo gallinaceo intellectum dedisti ad discernendum diem a nocte*; nempe quia cantu suo Judæos excitat, ut die appetente surgere possint, & preces matutinas concipere.

Benedictus tu Domine Deus noster, &c. שעשאני יהודי או ישראל *quod me Israelitam vel Judæum creaveris*: vel, ut in quibusdam libris exstat; שלא עשני גוי *quod me Gentilem non feceris*; hisce verbis Christianos innuentes, quos infideles, Idololatras, & a Deo maledictas Gentes esse, censent. Mulier vero hic solet dicere: *Benedictus tu Domine Deus noster, &c. qui me Judæam condideris.*

Benedictus tu Domine, &c. שלא עשני עבד *me servum non creaveris*; hoc quoque in Christianos dicitur, quos servos suos esse arbitrantur, qui eis serant, arent, variis & assiduis laboribus defatigentur; dum illi interea temporis hypocausti teporibus refocillantur, pyris assandis vacant, trullas exhauriunt, proterve dicentes; מה גלות היא. *Ma galus hi*, Quid hoc est Captivitatis? in qua scil. otiosi sedent, præstantis & generosi vini cyathum manu tenent, dum interim Christiani laboribus exhauriuntur, & multo victum sudore quæritant, &c.

Benedictus tu Domine, &c. שלא עשני אשה *qui me mulierem non feceris*; Mulieres vero; *Benedictus tu Domine, &c. qui me secundum voluntatem tuam condideris.* Hoc ad sexus fœminei contemtum facit, quod fœderis circumcisionis, quo peculiarem sibi populum Deus signavit, participes non sint, ac proinde dubiæ ferantur, an juxta cum maritis suis ad Dei populum pertineant: quod item fœminæ a quibusdam Dei præceptis excipiantur, ut alibi dicitur.

Benedictus tu Domine, &c. מגביה שפלים *qui jacentes & abjectos extollis.*

Benedictus tu Domine, &c. פוקח עורים *qui cæcorum oculos aperis*: hæc est gratiarum actio, dicenda a somno expergefactis, & oculos aperientibus.

Benedictus tu Domine, &c. זוקף כפופים *qui curvatos erigis*; Quando scilicet sese erigunt, & induere volunt.

Benedictus tu Domine, &c. מלביש ערומים *qui nudos vestire soles*; quando sc. sibi vestes induunt.

Benedictus tu Domine, &c. סומך נופלים *qui labantes sustines.*

Benedictus tu Domine, &c. מתיר אסורים *qui vinctorum solvis vincula.* Duobus hisce postremis gratias Deo agunt, quod per somnum hominis vires foveat & augeat, quo se denuo commovere & surgere possit; quum somni vinculis veluti captivus detentus fuerit.

Benedictus tu Domine, &c. רוקע הארץ על המים *qui terram super aquas expandisti*; hoc scilic. dicendum, quum e lecto in terram desilit.

Benedictus tu Domine, &c. אשר הכין מצעדי גבר *qui dirigis gressus viri*; quum scilic. cubiculo egreditur.

Benedictus tu Domine, &c. שעשית לי כל צרכי *qui mihi omnia necessaria suppedita-*

ditasti; quando soleas amentat, vel femoralia thoraci annectit.

Benedictus tu Domine, &c. אוזר ישראל בגבורה *qui Israelem robore accingis*; quum Cingulum lumbis subnectit: singuli enim Judæi cingulum gestare debent, uti supra diximus.

Benedictus tu Domine, &c. עוטר ישראל בתפארה *qui Israelem decore coronasti*; quando capiti Pileum imponit: nudo enim capite cubiculo egredi nefas.

Levusch hatteche-leth sect. 46.§.2.

Duæ præcedentes Benedictiones hoc præ aliis habent peculiare, quod in illis nomine tenus mentio fiat *Israelitis* seu *Israelitarum*. Hoc ideo fieri scribunt, quod Israelitis speciali de causa hæc sint præcepta, & aliam quoque ob rationem ea observent, quam cæteri populi: Reliquos populos ideo cingulum gestare, ut tanto sint promtiores & expeditiores, ad sui defensionem, & fortitudinem suam exerendam, juxta illud; *Accinge instar fortis herois, gladium tuum*: Judæos vero משום הצניעות verecundiæ causa, כדי שלא יהא לבם רואה את הערוה ne cor ipsorum partes verendas videat: והגברה ממילא תבוא Fortitudinem sponte hanc virtutem, ex gratia Divina, sequi; ac proinde illos eo nomine Deum laudare. Sic Pileum gestare cæteras nationes, ad caput contra frigus vel æstum muniendum, & licere ipsis, si lubeat, detecto capite incedere quandocunque velint; Israelitas autem Pileum gestare, מפני שיהא מורא שמים עליהם ut timor Dei sit super ipsis, h. e. propter honorem Dei capiti suo incumbentis. Tecto enim capite stare vel incedere apud ipsos est humiliationis & venerationis signum, contra quam inter nos: neque licet inter eos, ut inter nos, Nomen aliquod Dei detecto capite proferre.

Benedictus tu Domine, &c. הנותן ליעף כח *qui defatigato das vires.*

Benedictus tu Domine Deus noster, totius mundi Domine המעביר שינה מעיני ותנומה מעפעפי *qui somnum aufers ab oculis meis, & a palpebris meis dormitationem.*

Hisce precibus duas alias subjiciunt, ut a peccatis, malis hominibus, noxiis dæmonibus, ab omni denique malo liberentur. Dehinc sese coram Deo dejiciunt, reos confitentur, ab illius solius misericordia pendent, in precatione, cujus initium est רבון כל העולמים Ribbon col olamim, *Domine omnium sæculorum*: sed in continenti se consolantur, & gloriantur de jurejurando, quod Deus Abrahamo in Isaaci oblatione juravit: אבל אנחנו עמך בנו בריתך וכו׳ *Nos tamen*, inquiunt, *sumus populus tuus, filii fœderis tui, &c.* אשרינו מה טוב חלקנו ומה נעים גורלנו ומה יפה ירושתנו, אשרינו שאנו משכימים ומעריבים ערב ובקר ואומרים פעמים בכל יום שמע וגו׳: *O nos beatos, quam bona est portio nostra! quam amœna sors nostra! quam pulchra hæreditas nostra! O nos beatos, qui summo mane surgentes, sero euntes cubitum, mane & vesperi bis singulis diebus solemus dicere, Audi Israel, Dominus Deus noster Deus unus est, &c.* קבץ קויך מארבע כנפות הארץ וכו׳ *Congrega dispersiones sperantium in te ex quatuor terræ angulis, ut agnoscant & sciant omnes qui in mundum veniunt, te solum esse Deum in omnibus regnis, &c.* אבינו שבשמים עשה עמנו חסד בעבור שמך וכו׳ *Pater noster qui es in cœlis, miserere nostri propter Nomen tuum magnum, quod invocatur super nos, & confirma nobis id quod scriptum est;* In tempore illo adducam vos, & quo tempore congregabo vos, celebres & laudatos reddam in omnibus populis terræ, quum reduxero captivitatem vestram in oculis vestris, inquit Dominus.

Soph.3.20.

Subsequitur postea precatiuncula *propter Legem datam*, quæ ita habet; *Benedictus tu Domine* &c. *qui præcepisti nobis operam dare verbis Legis: suavia fac quæsumus Domine Deus noster verba Legis tuæ in ore nostro, & in ore populi tui domus Israelis; simus nos, liberi nostri, & liberi populi tui Israelis, omnes cognoscentes nomen tuum, & discentes Legem tuam. Benedictus sis Domine, qui Legem doces populum Israel.* Hæc precatio nullo modo est omittenda, sed devote ab omnibus recitanda, ut ostendant, Legem Dei apud se esse in honore & pretio, nec minus decere pro hoc beneficio quotidie Deo gratias agere, quam pro beneficiis corporalibus: Vocatur ברכת התורה.

Berach. cap.1. in fine.

In Talmud scribitur, olim etiam Decalogum prælectum fuisse, sed postea consuetudinem illam abrogatam, מפני תרעומת המינין *propter murmurationem hæreticorum*, quod R. Salom explicat, ne hæretici dicant & objiciant populo, *Reliquam Legem non esse veram; nihil vero legendum esse, nisi quod immediate ex ejus ore prodiit, & in monte Sinaj auditum fuit.* Credo intelligi hic Christianos, qui reliquas Leges Mosaicas, Ceremoniales & ex parte Forenses, sublatas dixerunt. Unde hoc quidem in Synagoga observari debere, scribitur in Levusch: bonum tamen esse, ut Decalogum quisque privatim legat, ubi hoc periculum non metuendum, ut sic Legis perpetuo memor sit, & obedientiæ ei, ceu Divinæ, præstandæ.

A Lege diveniunt ad Oblationes; verum

Quomodo oblationes hodie exsolvant.

rum quia hodie non possunt amplius offerre, uti priscis temporibus; eo quod patria sua sint extorres, & templum solo sit æquatum, verbis eas solvunt, dum omnes oblationes recensere duntaxat solent, & præcepta de oblationibus legere; qua scilicet ratione singulis temporibus offerri debuerint, seque, hoc non bene intellecto Prophetæ Hoseæ dicto, solantur; *Offeremus vitulos labiorum nostrorum*. Subnectunt postea relationem historicam de oblationibus, & precem, quæ hisce verbis inchoatur; רבי ישמעאל *Rabbi Ismael*; de Legis usu, & quot modis & rationibus lex exponi possit. Illius fundamentum in Talmude situm est, tamque obscurum & difficile, ut e centum Judæis vix ab uno intelligi possit. Probabile est, antiquitus institutum fuisse, ut Leges de Oblationibus & Sacrificiis legantur, ut sic a Lege quasi progrediantur ad Evangelium, fidei nempe oculis respiciendo in Messiam, ejusque oblationem.

Hos. 14.

Summissa postea voce, ut a nemine exaudiri possint, precatiunculam recitant de Templi Hierosolymitani instauratione, quam firmiter adhuc expectant; יהי רצון מלפניך יי׳ אלהינו ואלהי אבותינו שיבנה בית המקדש במהרה בימינו ותן חלקנו בתורתך: *Quæsumus te Domine*, inquiunt, *Deus noster & Deus patrum nostrorum, ut cito in diebus nostris Domus sanctuarii instauretur. & ponas portionem nostram in lege tua.*

Surgunt postea, & magna lætitia, magnoque clamore aliam gratiarum actiunculam canunt, sperantes, Deum instaurationem illam brevi incepturum, seque in patriam ab illo mox reducendos: quo facto, nulla interposita mora, iterum se prosternunt, & longam precationem legunt, ex Psalmis Davidis hinc inde desumtam, ut & integros aliquot Psalmos; Particulam item tricesimi capitis libri 1. Chronicorum, & tandem extrema prophetæ Abdiæ verba; *Et adscendent servatores in montem Sion, ut judicent montem Esau, & erit Domino regnum*. Mirum, qua lætitia & quam pia attentione hæc verba legant: sperant enim *Servatores* statim adsuturos, & *montem Sion conscensuros*, hoc est, Judæos curæ habituros, & illorum saluti invigilaturos: *ut judicent*. id est, ut perdant & destruant *montem Esau*, id est, Christianos & illorum imperium, (illos enim Esavitas seu Idumæos, & Imperium Romanum, Imperium Idumæum appellant), Judæos vero in patriam melle & lacte fluentem reducant. Cur autem Christianos ab Edom seu Esavo denominent, de eo vide Lexicon Talmudicum, & Dissertationem Abarbenelis, adjunctam libro Cosri. Hoc tantum nunc moneo, illos in arcanis suis libris, quos non facile in Christianorum manus incidere permittunt, scribere & docere, Esavi animam in Christum venisse, eumque adeo impium fuisse atque Esavus ipse fuit; nosque omnes non meliores esse, & merito propterea Idumæos appellari, quod in illum credamus.

Abd. v. 21.

Cur Christianos vocent Edomæos.

Deinde canere pergunt; *Et Dominus Rex erit totius terræ, illo die Dominus unus erit, & nomen ejus unum, uti scribitur in lege, Audi Israel Dominus Deus noster, Deus unus est*. Hoc etiam in Christianam fidem dirigitur, ac si plures uno Deo invocaremus, & plura illi Nomina, ut puta Christi Nomen, assignaremus.

Precationem illam excipit alia, quam *Krias schmah* Lectionem *Audi* appellant, ex Deuteronomio desumta. Quando autem versiculum illum Hebraice legunt, שמע ישראל יי׳ אלהינו יי׳ אחד. *Audi Israel Dominus Deus noster Deus unus est*; ultimam voculam, quæ Hebraice est אחד *Echad*, sæpe per dimidiam, sæpe per integram horam cantando producunt, & cum ad ultimam literam ד devenerunt, in quatuor mundi plagas caput reflectunt, hac ratione ostendentes, Deum ubique in mundo Dominum & Regem esse. Hæc enim litera Arithmetice quatuor conficit. Consuetudo tamen ista improbatur in Colbo, fol. 4. col. 3. Continet insuper precatio hæc 245. voces, quibus tres alias insuper addunt, nempe האל אלהיכם אמת. *Deus Dominus vester verax est*; ut Numerus in 248. exsurgat; quot scilicet sunt membra corporis humani, & quando pro singulis membris singula verba supputantur & proferuntur, totus homo ab omni malo tutus est: qui ter etiam repetierit, a Diabolo liber est & immunis; incipit siquidem a litera ש, & desinit in ד, (ita enim se habet primus versiculus: שמע ישראל יי׳ אלהינו יי׳ אחד) quæ duæ literæ שד constituunt, & Diabolum significant. Pretiosam admodum & sanctam precationem hanc esse existimant, cujus ope magna miracula fieri possint. Vesperi semper & mane illam cum magna superstitione & infidelitate recitant.

Precatio שמע ישראל Orach. chajim. num. 58.

In Talmude legimus; *Quum Judæis aliquando Schola esset interdictum, & severissime prohibitum, ne fidem suam vel docerent, vel publice profiterentur, Rabbi Akibba, in vetitum nitens, publice in Synagoga legit & docuit, quam ob causam illico in carcerem conjectus fuit. Quum autem comburendus educeretur, pectine ferreo totum corpus primo illi fuit pectinatum,*

Tractatus de Benedict. cap. 9. f. 61. 2.

ita

ita ut miserrime vulneraretur, maximisque cruciatibus afficeretur. Nihilominus tamen constans & stabilis fuit, & in oratione assiduus, ita ut, quum tempus adesset quo recitari debet lectio Audi, confidenter illam sit exorsus. Tandem vero eum ita discipuli compellarunt עד כאן. *Sufficit: Satis orasti magister noster, dede te, & patienter mortem sustine; Ille vero respondit; In vita mea magni semper hanc sententiam feci;* Dominum Deum tuum toto corde tuo, & toto corpore tuo diliges; *& in hunc sensum intellexi; Etiamsi corpus tuum & cor tuum a te auferrentur, Deus tamen tibi est diligendus. Quandoquidem igitur Deo hoc in me confirmare placuit, an ab illius invocatione cessabo, nec sanctam hanc precationem penitus absolvam? Perrexit itaque & vocem* Echad *tamdiu cecinit, donec in medio cantu anima evolaret. Vox itaque per auras delapsa; O te beatum Rabbi Akibba, cujus anima cum voce* Echad *migraverit! Tu ad vitam æternam paratus es: imo jam optata paradisi luce frueris. Amen, Selah.*

De precatione Schmone esre. Orach chajim n. 113. Cad hakkemach fol. 79.4.

Similem adhuc alteram habent precationem, quam שמנה עשרה *Schmon esre* i. e. Octodecim appellant; quod totidem gratiarum actiones contineat, Rabbi Bechai scribit de hac precatione: וצריך אתה לדעת כי מימות משה רבינו עד אנשי כנסת הגדולה היתה התפלה בישראל בלתי מסודרת בתיקון שוה לכולנו שהיה כל אחד ואחד עושה מליצה ומתפלל לעצמו כפי ידיעתו וחכמתו וצחותו לשונו עד שבאו אנשי כנסת הגדולה ותקנו תפלה זו של שמנה עשרה כדי שתהיה תפלה מסודרה שוה לכל ישראל וכו׳: h. e. *Sciendum autem tibi est, a temporibus Mosis usque ad viros Synagogæ magnæ nullum certum & æqualem ordinem formamque precandi fuisse inter Israelitas: sed unusquisque sibi ipsimet peculiariter conficiebat orationem pro sua scientia, sapientia & eloquentia, eamque orabat, donec viri Synagogæ magnæ venerunt, & precationem hanc* Schmon' esre *concinnarunt, ut æqualem & communem haberent Israelitæ precandi formam. Unde etiam lingua simplicissima & facillima eam conceperunt, ne mens & animus in vocum intelligentia confundatur, & ut omnes Israelitæ, tam docti, & Sapientes, quam indocti & rudiores, ea formula uterentur. Magna autem sapientia in ea componenda sunt usi, &c.* De hujus & prioris precationis, sanctitate, viribus & efficacia, ingentes conscripsere tractatus: de illis itaque dicere supersedebo. Postremam hanc precem unusquisque ter singulis diebus recitare debet, & præcentor in schola bis peculiariter publice eam decantat: magnifice de illa sentiunt, & illius opera remissionem peccatorum se consequuturos sperant. Stantes autem & æqualiter extensis pedibus recitare eam tenentur, idque Angelorum exemplo, de quibus scribitur: *Et pedes eorum pedes recti.* Hoc copiosius & verbosius disputatur in Rabbi Alphes cap. 1. & in Germanicis Ritualibus, aliisque compluribus libris. In hujus precis שמנה עשרה *Schemon esre* particula, quam קדושה *Keduscha* appellant, quum verba illa proferunt; *Sanctus, sanctus, sanctus Dominus exercituum, gloria ejus plena est omnis terra;* oculos cœlum versus attollunt, ad devotionem majorem excitandum, totum corpus commovent, quasi contremiscentes ob tremendam sanctitatem Dei, & simul ter in altum subsiliunt, quasi se Angelis æquaturi, qui hymnum hunc primi protulerunt, vel ad Deum adscensuri, statim tamen resilientes, quia impossibile est, vel ad Deum accedere, vel ejus naturam & essentiam in mortali hac vita assequi. Alii vero dicunt; quia continuo in Esaia sequitur; *Et commota sunt superliminaria cardinum a voce clamantium;* multo potiori ratione hominem a sancto hoc Angelorum hymno commoveri & subsilere debere. Sophi scribunt si quis, dum, שמנה עשרה *Schomon esre* recitatur, garriat, meris ignitis carbonibus post mortem illum cibari, ut Job. 30. ℣. 4. scribitur; sic enim Rabbi Schelomo versiculum illum est interpretatus. Rabbi Tanchuma nomine Rabbi Jehosuæ dicit; Sapientes octodecim preces composuisse כנגד י״ח חוליות שבשדרה propter octodecim officula spinæ dorsi, quæ in hac prece omnia incurvari debent: & ideo rex David inquit, *Omnia ossa mea dicent, &c.*

Viri Synagogæ magnæ primi instituerunt certas precandi formulas.

Ezech. 1. 7.

Esa. 6. 3.

Orach chajim n. 125.

Berachoth fol. 28. 2.

Psal. 35. 10.

De precatione instituta contra apostatas a Judaica religione.

Deinde sequitur scelerata & blasphema oratio in Judæos, qui ad Christianam fidem conversi, sacro initiati sunt baptismate, imo in Christianos ipsos in genere, & Christianum magistratum. Illius formulæ in libris variant, prout in Lexico Talmud. in rad. שמד diversæ sunt productæ. In libro *Colbo* scribitur, illam constare ל״ב 32. vocibus; eo quod negent totam Legem, inde a ב, quæ est prima ejus litera, usque ad ultimam, quæ est ל, in לעיני כל ישראל Deut. 33. ℣. ult. Hæ duæ literæ constituunt etiam vocem לב *Lebb* Cor: quia מינות Hæresis sita est in Corde. Juxta hoc itaque attendendum, ubi formula aliqua reperiatur, quæ tot contineat voces. In ea, quæ in libro precum Hispanico exstat, reperio 30. ut duæ adhuc voces juxta eam desiderarentur.

fol. 6. col. 1.

Communis , quæ in antiquis exemplaribus expreſſa eſt , nec non in Polonicis editionibus (omnia enim , prout animo collubitum eſt , omni & ſuo & Chriſtianorum metu poſtpoſito , illic excudere ſolent) ita ſonat ; ולמשומדים *Perditis* (i. e. Judæis qui ad ſacrum admitti poſtulant lavacrum , & Chriſtiani fiunt) אל תהי תקוה והמינים *omnis ſpes præciſa eſto* , *&* *omnes infideles* (tam qui e Judæis ad Chriſtianos deficiunt , quam in genere omnes gentes ; ſpeciatim vero Chriſtiani , qui aliam a fide Judaica fidem habent) כרגע יאבדו וכל אויבי עמך מהרה יכרתו ומלכות זדון תעקר ותשבר ותמגר *momento pereant* , *&* *omnes hoſtes tui* , *&* *qui te odio proſequuntur* , *Domine cito exſcindantur* , *ſuperbumque & arrogans illud Imperium feſtine & celeriter eradicetur* , *comminuatur* , *laceretur* , *&* *omnino exſtirpetur* : (hanc particulam in noviſſimis Precum libellis , vel metu , vel Chriſtiani magiſtratus juſſu omiſerunt , in quem directo hæc feruntur , quique ab illis מלכות זדון Malkus ſadon *Regnum ſuperbiæ ac arrogantiæ* , vel מלכות הרשעה Malchus hareſchaa , *Regnum impietatis*, vel etiam ſimpliciter רשעים Reſchaim *Impii* appellantur , ut in exemplari meo, Venetiis Anno 64. edito , videre eſt) ותכניעם במהרה בימנו ברוך אתה יי' שובר רשעים ומכניע זדים *&* *propere in diebus noſtris tu nobis illos ſubjice* . *Benedictus tu Domine* , *qui impios frangis* , *&* *ſuperbos deprimis* . Hanc autem oratiunculam ברכת המינים Birchas hamminim , id eſt , *Precationem* (*Imprecationem* , *diras*) *in Hæreticos* appellare ſolent : execrationem enim continet in hæreticos , ut apud Rabbi Alphes legere eſt . Per *Hæreticos* præcipue & ſpecialiter *Judæos ſacro baptiſmi ſigno ablutos* intelligunt : ejuſmodi enim virum משומד *Perditum* , & in plurali משומדים i. e. *Perditos* , nequam & damnatos appellant . Illos ſiquidem omnes damnationis æternæ reos eſſe cenſent , qui a Judaica ſuperſtitione deficiunt . Principium itaque blaſphemæ hujus orationis eſt ולמשומדים id eſt , *Perditos autem & damnatos quod attinet* . Poſterioribus vero temporibus in hujus vocis locum ſubſtituerunt ולמלשינים Velammalſchinim , id eſt , *proditores quod attinet* , hoc tamen etiam vocabulo , Judæos aqua luſtrali merſos, intelligentes , quos *proditores* appellant; quod Judæorum perfidiam & ſcelus Chriſtianis prodant & aperiant . Non ſoli autem Judæi hiſce verbis deſignantur , ſed & Chriſtiani , quos itidem *hæreticos* , *idololatras* , *hoſtes & oſores Dei* appellant . Ideo , quando a Deo precibus poſtulant , ut *inimicos ſuos* puniat, *Chriſtianos* peculiariter deſignant . Quod autem in Chriſtianum etiam Magiſtratum preces iſtas dirigant , ex Rabbi Bechai facile perſpicere poſſumus , qui de hac precatiuncula ita ſcribit : וברכת המינים תקנו אותה לעקור מלכות הרשעה id eſt, *Precationem hanc in hæreticos ordinarunt vel compoſuerunt in impii illius imperii excidium* , h. e. in Romani imperii, & omnium Chriſtianorum Magiſtratuum , qui Judæis dominantur , excidium . Imperium Turcicum מלכות ישמעאל Malkus Iiſmael *Imperium Iſmaeliticum* ſemper appellant ; eo quod ab Iſmaele oriundi ſint Turcæ . Imperium vero Romanum , מלכות אדום , מלבות רומי , מלכות עשו , מלכות הרשעה , מלכות זדון : i. e. Malkus Edom *Imperium Idumæum* . Malkus Romi *Imperium Romanum* , Malkus Eſau *Imperium Eſavicum* , Malkus Hareſchaah *Imperium impium* , Malkus Sadon *Imperium ſuperbum & arrogans* appellant . Solem in meridie lucere is dubitaverit , qui de hujus relationis veritate dubitaverit . Alibi autem fuſius , Deo dante , iſta ex ipſorum libris demonſtrabo . Eo autem hoc fide dignius eſt , quod multo poſt precationis illius *Schmon eſre* , quæ ſcil. octodecim , ut ſupra vidimus, gratiarum actionibus conſtat , compoſitionem , execratio hæc in ordinem , quem hodie conſpicimus, ſingulari aſtutia , & leviſſima , futiliſſima, turpiſſimaque de cauſa , paulo poſt Chriſti tempora , (quum ſcilicet & Chriſti doctrinam , & eos qui Chriſto nomen dabant , Judæi præter modum abominarentur) redacti , & a Rabbi Samuele *hakkaton* , id eſt , Parvo huc intruſa , illiuſque recitandæ neceſſitas injuncta ſit. Obiit enim ille ante domus ſecundæ deſolationem , & execrationem hanc, poſtquam Synedrium magnum Hieroſolymis Jaſnam translatum fuit, quadraginta circiter annos ante templi deſtructionem , Jaſnæ , tam in omnes Judæos , qui ſe ſuaque Chriſto in fidem deditionemque tradebant, quam in Romanos, ſub quorum Imperio tunc Judæi erant , compoſuit . Conſulatur hic liber Juchaſin pag. 21. & Talmud Venetiis & Cracoviæ excuſum , tractatu de Benedictionibus cap. 4. & tractatu de Synedrio cap. 1. Videri etiam poteſt Lexicon Chaldaico-Talmudico-Rabbinicum noſtrum in voce מין & radice שמר.

Execrationem hanc excipit Benedictio & votum, quo viris piis & doctis e populo , ut & iis, qui a gentibus in ſua caſtra transfugerunt , Dei miſericordiam expo-

Tractatus de Benedict. cap. 4.

Eadem deſignant etiam Chriſtianos.

Et Chriſtianum Magiſtratum.

In Kad Hakkemach. fol. 80. 1.

expoſcunt: properam quoque templi Hieroſolymitani in diebus ſuis inſtaurationem, Germinis Davidici repullulationem, & cornu illius exaltationem flagitant, hoc eſt, ut Deus Meſſiæ miſſionem non amplius differat, ſed regnum Iſraelis denuo erigat.

Precatio ultima, qua

Sub finem precum harum matutinarum petunt a Deo pacem, & ubi ad hæc verba devenerunt, עושה שלום במרומיו, הוא יעשה שלום עלינו ועל כל ישראל אמן: i. e. *Qui ſuperis dat pacem, nobis & toti Iſraeli pacem det. Amen*; per tres paſſus retro reſiliunt, ſimul ſe incurvantes, & antequam ſe erigant, caput verſus ſiniſtram ſuam inclinant, quia illa eſt dextra Dei coram qua, dum orant, ſtare ſe debent ſibi imaginari. Si quis peregre profectus equo vel aſino inſideat, illi etiam cum equo vel aſino per tres paſſus eſt retrocedendum. Si conſerto agmine verba hæc recitent, ac proinde retrocedere nequeant, ter ſubſiliunt, proni corpus inclinant, caput in ſiniſtram, mox in dextram reflectunt, ita deſignantes, Deum ubique pacem præſtare velle. Tres illi paſſus retrogradi, honoris cauſa fiunt. Si quis enim a magnate aliquo digrediatur, per paſſus aliquot retroagitur, manuum oſculo & corporis inclinatione illi valedicit, & debitum habet honorem: Ita etiam Judæi Deo valedicturi retrocedunt, & illum coram ſalutant, ne Deus dicat, Populus meus longa prece defatigatus mihi dorſum obvertit, &c. Sapientes dicunt, id fieri in memoriam miraculi cujuſdam, quod in monte Sinai contigit, quum Deus populo legem daret. In tractatu de Benedictionibus diſputant Rabbini in hæc verba; *Cunctus autem populus videbat voces & lampades, & ſonitum buccinæ, montemque fumantem. Et perterriti ac pavore concuſſi ſteterunt procul*; & ajunt, illos præ ſummo pavore in puncto temporis per tria milliaria a monte Sinai retroceſſiſſe. Sed princeps gloſſarum conſarcinator Rabbi Schelomo Jarchi ſcribit in gloſſa ſua in hunc textum; illos duodecim milliaria retroceſſiſſe, & hoc a Davide in Pſalmis innui; quum dicit: *Reges exercituum fugerunt, fugerunt*; Poſtea מלאכי השרת *Malache haſcheres* Angelos miniſtrantes veniſſe, & populum ad montem rurſus admoviſſe.

Tres paſſus reſiliunt.

Orach chajim n. 123.

Tractatu Tal. de Benedictionibus cap. 1.

Exod. 20. 18.

Pſal. 68. 13.

Precatio Schel Schiſim peſukim.

Præter has ordinarias, habent etiam precationem quandam extraordinariam, quam שבעים ושתים פסוקים, vel rotundo numero שבעים פסוקים *Schiſim pſukim* vocant. Conſtat ea 72. S. Scripturæ verſibus, & inde nomen accepit. Adſcribitur R. Moſi Nachmanidi. Fundata eſt in tribus verſibus Exod. 14. ℣. 19. 20. 21. 22. ויסע מלאך האלהים וגו. Ex his tribus verſibus dicunt elici 72. nomina Angelorum, & illis 72. nominibus ſimul immixtum eſſe Nomen Dei. Continent enim in ſe 216. literas. Has 216. literas dividunt in 72. partes, & ſic unicuique parti tres cedunt literæ: quæ tres literæ ſignificant Angeli alicujus Nomen, & Nomen Dei. Si quis jam ex Cabala noverit officium & virtutem horum Angelorum, ille poteſt eos conjurare, ut ſuum officium virtutemque exſerere cogantur. Ad hoc totidem, 72. ſcilicet, elegerunt verſus Scripturæ, quot numerant Angelos: in horum Scripturæ verſuum quolibet expreſſum eſt Nomen Dei Tetragrammaton: ſinguli etiam ſeptenis conſtant vocibus. Si quis itaque Angelum aliquem ad ſuum miniſterium adjurare velit, devote prius recitare debet verſum illi aſſignatum. Magnam huic precationi virtutem tribuunt, adeoque ſcribunt, ſi quis eam ſingulis mane, vel pro concluſione ſuarum precum recitet, eum eſſe certum quod ſit בן העולם הבא *Filius futuri ſæculi*, totoque eo die nihil ipſi adverſi eventurum. Septuaginta iſti duo verſus inſeruntur Precibus matutinis, in libris quibuſdam Precum, maxime in Italia excuſis. Nunc longum foret eos hic tranſcribere. Qui volet, adeat dictos libros precum.

Qua prece e Schola exeant.

Quum Synagoga exire volunt, taciti ſecum precatiunculam hanc recitant: עלינו לשבח לארון הכל לתת גרולה ליוצר בראשית שלא עשנו כגויי הארצות ולא שמנו כמשפחות הארמה שלא שם חלקנו כהלקם וגורלינו כגורלם: i. e. *Noſtrum eſt laudare omnium Dominum, extollere eum qui creationis author eſt, quod nos ſicut reliquas terrarum nationes non fecerit, neque nos ſicut reliquas terræ familias condiderit, neque poſuerit portionem noſtram ſicut portionem illarum, neque ſortem noſtram ſicut ſortem illarum.* Hic in recentioribus Judæorum libellis verba aliquot omittuntur, Magiſtratus in Italia juſſu, (ubi maxima pars librorum Judaicorum eſt excuſa, & hodie adhuc excuditur) quod in Chriſtum blaſphema ſint & injuria. In vetuſtis autem exemplaribus integra viſuntur, cujuſmodi exemplar habeo Auguſtæ Vindelicorum a Judæo typographo, cui Chajim nomen fuit, Anno 1534. excuſum: in cæteris dimidiæ lineæ ſpatium interponunt, quo pueri vel alioqui ignari moneantur, interrogentque quid ibi deſit? verbaque deficientia doctiores illis prælegere ſolent, vel

vel etiam e regione defectus in margine librorum illis adscribunt, ut in compluribus Judæorum libris vidi: sic autem verba sonant: שהם כורעים ומשתחוים להבל ולריק ומתפללים אל אל לא יושיע: id est, *Qui prosternunt se & adorant vanitatem & inanitatem, & Deo supplicant qui servare non potest* (fraudulenta hæc & blasphema verba Christum petunt, quæ ubi ore tartareo effutierunt, in terram exspuere solent) ואנו כורעים ומשתחוים ומודים לפני מלך מלכי המלכים הקב״ה שהוא נוטה שמים ויוסד ארץ וכסא כבודו בשמים ממעל ושכינת עוז׳ בגבהי מרומים: הוא אלהינו ואין עוד אחר ואפס זולתו וכו׳: i. e. *Nos vero genua flectimus, procumbimus & confitemur coram Rege qui Rex est regum, Deo sancto benedicto, qui cœlorum expansum diduxit, & terram fundavit, qui gloriæ suæ solium in cęlis desuper habet, & roboris sui majestatem in excelsis excelsorum, ille Deus noster, & præter eum neminem alium habemus, &c.* Et cum dicto Synagoga exeunt & dicunt: יי׳ נחני בצדקתך למען שוררי הישר לפני דרכך: יי׳ שמור צאתי ובואי מעתה ועד עולם hoc est, *Domine duc me in justitia tua propter inimicos meos; dirige coram me viam tuam: Dominus mihi introeunti & exeunti nunc jam dehinc adsit.*

Pſalm. 5.8.

Pſal. 121.8.

Retrorsum egrediuntur e Schola.

Retrorsum autem cancri in morem incedentes, porta egredi debent, ne tergum sacrosanctæ Arcæ, in qua liber legis reponitur, obvertant, sed vultum figentes & advertentes, debito eam prosequantur honore. Rabbini in Talmude in hæc Ezechielis verba: *Quorum dorsa versa erant ad templum Domini*. docent; Sacerdotes in magnam incurrisse pœnam, eo quod adversam exeuntes habuissent portam, & tergum arcæ fœderis obvertissent. Solliciti itaque & timore suspensi, cum debita honoris delatione, uti servus a Domino digredi solet, capiteque demisso adorabundi retrogredi debent, non cursim; ne longa oratione defatigati, ac si gravi aliquo labore defuncti essent, læti exire videantur: sed paulatim, sed pedetentim, idque passibus angustis: tunc enim a Deo passus illi numerantur & magna mercede compensantur, uti scribitur: *Tu quidem gressus meos dinumeras*. Si cui mulier vel puella, Judæa vel Christiana, occurret, oculos vel claudere, vel omnino avertere, illaque insalutata præterire debet, ne diutius cum illa garriendi occasio aperiatur, & hac garrulitate ad pravas cogitationes & cupiditates incitetur.

In tractatu Joma. Ezech. 8. 14.

Job. 14. 16. Nulla in egressu e Schola fœmina adspicienda.

Scribunt etiam, utile esse matutino tempore legere *Historiam Ligationis Isaaci* ut ejus exemplo homo commonefiat, se totum, atque adeo etiam vitam suam, Deo, & ejus cultui devovere, & sic etiam meritorum Patrum recordetur; (vel potius, *Meriti illius, cujus Isaac Typus & figura fuit, ejusque voluntariæ oblationis in cruce.*)

Suadent insuper, ut legatur *Historia Mannæ*, ut homo ex ea discat credere, omnia sua alimenta sibi provenire a speciali providentia Divina.

De Precatione in genere.

Cæterum antequam ulterius progrediamur, non abs re erit, quædam tradere præcepta Judaica de iis, quæ in pia & religiosa Precatione sunt observanda.

Precationis tempora.

Tria habent precationis Tempora; Vespere, Mane & Noctu, Hebraice ערבית, מנחה שחרית. Hæc tria precationis tempora, ordinarunt olim, in locum התמידים seu Sacrificiorum quotidianorum. Dicunt etiam, illas suam originem ducere a tribus Patriarchis; *Abrahamum* instituisse precationem Matutinam, sicut dicitur; *Et surrexit Abraham mane ad locum, ubi stetit coram Domino*. *Isaac* vespertinam, sicut dicitur: *Et egressus est Isaac ad orandum in agro, cum appeteret vespera*. *Jacob* Nocturnam, sic dicitur: ויפגע h. e. ut Rabbini explicant; *Et intercessit*, *vel*, *oravit in loco illo, & pernoctavit ibi*, Genes. 28. 11. Tria hæc tempora observavit olim Daniel, cap. 6. 10. *Matutina* precatio incipiebat hora ipsis tertia, quæ nonæ nostræ matutinæ respondet; *Vespertina*, hora sexta; nobis duodecima vel circiter; (unde & תפלת צהלים *Precatio meridiana* vocatur) *Nocturna*, hora nona; nobis tertia. Hinc etiam in Novo Testamento has horas ab Apostolis observatas fuisse legimus, ut videre est, Act. 3. 1. & 10. 3. 10. Hinc dicit etiam David; *Vespere, mane, & meridie loquor & tumultuor, & exaudit vocem meam*. Hodie plerumque Minchæ seu Pomeridianæ assignant nonam, quæ tertiæ nostræ respondet, addendo dimidiam, & cum ea Vespertinam conjungunt.

Gen. 19. 27

Ibid. 24. 64.

Pſal. 55. 18.

De loco precum.

Precaturus, sibi debet locum eligere certum & convenientem. Locum autem eliget non altum, sed humilem, ut cum Davide possit dicere; *Ex profundis ad te clamo, Domine.*

Pſal. 130. 1.

Non orabit in loco publico, veluti in agro, sed privato secessu: sic enim & majori cum timore Dei, & ardentiori zelo orare poterit.

Precādum.

Operam dabit, ut preces suas peragat

cum Ecclesia.

gat cum Ecclesia in Synagoga, quia hæ preces Deo sunt gratiores: quod si id facere nequeat, domi eo ipso tempore precabitur, quo Ecclesia, juxta illud Davidis; *Precatio mea ad te. Domine* עת רצון *tempore beneplaciti*; quando sc. orat Ecclesia.

Psal. 69. 14.

Qui Synagogam habet in sua civitate, & eam non ingreditur ad orandum, vocatus שכן רע *Vicinus malus*.

Stando.

Stando fieri debet precatio, & quidem ita, ut nec sibi ipsi, nec alii alicui rei nitatur & se suffulciat; quemadmodum coram Rege terreno stare solet, supplicando aliquid ab eo petiturus: vestes sint honestæ & compositæ. Sic scribunt priscos vestibus honoratioribus se ornasse tempore precationis: Caput sit opertum, neque etiam aperto capite Synagoga intranda: Cingulum corporis superiorem partem ab inferiori discriminet; ne cor pudendorum intuitu in malas cogitationes incidat, & inter preces errabundum feratur & hæsitet: pedes non sint nudi, sed calceis muniti.

Operto capite.

Cingulo indutum.

Facies aqua probe est lavanda, exemplo Davidis dicentis; *Lavi cum innocentia manus meas*: tectas corporis partes manu non tanget, propter sudorem immundum, qui in illis colligitur: Sic non sunt purgandæ aures, nares non emungendæ, caput non scalpendum.

Facie lota.

Ps. 26. 6. 7.

Ad preces peragendas se conferens, horam minimum exspectabit antequam eas recitet, ut rite cor & animum suum possit disponere.

Extra terram sanctam orans, faciem & cor suum dirigat versus terram Canaan; *In ea*; versus Hierosolymam, sicut dicitur; *Et orabunt ad locum istum: In Hierosolyma*; versus Sanctuarium, & Sanctum sanctorum. Cæcus, qui plagas mundi discernere non potest, dirigat cor suum ad Patrem suum cœlestem. Quod Judæi hodie precantes faciem suam convertunt versus Orientem, non faciunt respectu Solis ortus (hoc enim superstitionem & idololatriam saperet) sed quia habitant in locis, qui Terræ Israelis sunt Occidentales; hac ratione se obvertunt versus terram Israelis Hierosolymam & Sanctuarium.

Quomodo extra terram sanctam.

1. Reg. 8. 35.

Orans pedibus stet rectis & æqualiter junctis, ac si unus duntaxat esset, sicut de Angelis dicitur; *Et pedes eorum erant pes rectus*, h. e. pedes illorum ita erant compositi æqualiter, ut nonnisi unus pes viderentur: Caput sit demissum nonnihil, oculi ab initio quidem nonnihil sublati in cœlum, mox vero, cum corde humili, defixi in terram: manus non lateri vel lumbis, neque mento sed cordi, & quidem dextram sinistræ, quasi colligatam, superimpositam; ut sic coram Deo debita cum reverentia, timore & pavore compareat.

Pedibus junctis.

Ezech. 1. 7.

Inter preces omnes aliæ cogitationes & occupationes, quæ devotionem impedire possunt, sunt vitandæ: nihil quicquam attrectabit, imo ne quidem aspiciet: non est oscitandum, neque ructandum, neque spuendum: si quis autem ad exscreationem necessitate adigatur, sputum clam muccinio excipiat, vel pudenter & modeste a tergo vel a sinistra proiiciat, nequaquam vero a fronte vel a dextera: ibi enim consistere solent invisibiles Angelicæ creaturæ, quas si quis sputo conspergeret, inexpiabilem contraheret noxam.

Quæ in precibus vitanda.

Omnia ea loca & tempora vitanda, in quibus aliquid devotionem ejus impedire potest.

Orandum non corde tantum, sed labiis quoque verba distincte sunt enuntianda, veruntamen non alta & clara voce, maxime in Ecclesia, sed submissa, ut ipse, non item alii, eam audiant.

Qua voce.

Qui tamen domi suæ clara voce orat, ut domestici ejus ab eo orationem discant, id licet.

In Ecclesia oratio quavis lingua fieri potest: privata autem, nonnisi lingua sancta debet fieri. Non abrumpenda est oratio, vel intervalla facienda &c.

Neque pediculus, neque pulex interim elidendus, nullus peditus est emittendus: si cui vero inopinato exciderit, differre debet precationem, donec teter odor præterierit: vel si ita urgeatur, ut cohibere se non possit, quatuor passus progrediatur, & emisso peditu ajat; רבון העולמים יצרתנו נקבים נקבים חלולים חלולים גלוי וידוע לפניך חרפתינו וכלימתינו חרפה וכלימה בחיינו רמה ותולעת במותינו *Dominus totius mundi, tu nos plenos foraminibus, quæ obstruere non possumus, condidisti: tibi probe cognita & perspecta est turpitudo & obscænitas nostra, ignominiæ plena est vita nostra, nihil aliud quam tarmites & miseri vermiculi sumus in morte nostra*. Dicunt etiam, inter alia, de hac re; המתעטש בתפלתו מלמטה סימן רע לו הלמעלה סימן יפה לו: i. e. *Sternutatio ab inferiori parte inter preces, signum malum est: a superiori vero signum bonum*.

Nec pulex aut pediculus elidendus.

In precando nec subsistendum, nec vel regi Israelitico salutanti, respondendum est; si venenatum serpens calci dentem infixerit, nihilominus pergendum est; tauro tamen efferato cedere licet, & tamdiu subsistere, donec præterierit: nullam partem corporis, collo & manibus

Inter precandum nec subsistendum, nec salutanti respondendum.

bus exceptis, nudam attrectare debet: si scabere voluerit, id indusio vel vestibus interpositis fiat; totum corpus varia agitatione huc illuc contorqueat, juxta id quod dicitur, *Omnia ossa mea dicent, Domine quis similis tibi?*

Psal.35.10.

Oratio facienda supplicando & deprecando, instar Mendici ostiatim eleemosynam petentis; animo tamen alacri, neque onus ei videri debet; vel properare ad eam absolvendam.

Qua fiducia.

Et quamvis hæc, & alia omnia, quis observet, tamen non cogitare debet homo; *Deus me exaudiet, & mihi dabit quæ petii, quia devote & ardenter oravi*; quin potius contra iniquitatum & peccatorum suorum recordabitur. Proprietas enim Judicii Dei accusat, & examinat actiones hominis, dicendo, *Domine mundi, iste optat, ut acceptetur precatio sua, propter sua bona opera! Atqui ecce tot & tot commisit transgressiones, hoc die, hoc loco &c.* sed cogitabit Deum ex gratia & mera misericordia facturum, quod petierit, dicetque in corde suo; *Quis sum ego misellus, qui venio ad requirendum Regem Regum, Deum benedictum? At nihil peto, nisi ut pro gratia & misericordia sua agat, qua erga creaturas utitur.*

Levusch par.1.num. 113.§.8.

Si quis orat, & ei occurrat Christianus Crucem gestans, vel aliam Imaginem, non incurvabit se coram ea, quando vel ubi illi se incurvant, licet cor suum ad Deum in cœlo sit directum; שלא יראה נראה כמשתחוה לצלם *ne videatur se incurvare coram Imagine.*

Quo modo se in oratione incurvant.

Quando in oratione se incurvant, caput leviter, כאגמון instar junci, debent demittere, corpus etiam decenter inclinare, non tamen usque adeo, ut os seu facies cingulo respondeat; quia id fastuosum esse scribunt. Incurvatio debet fieri במהירות ובפעם אחד velociter & una vice: sed erectio lente, caput primum, deinde corpus sensim erigendo; ne incurvatio ipsis onerosa & molesta esse videatur.

Ex profundis orandum.

Oportet etiam præcentorem in sanctioribus quibusdam precibus in profundo loco stare, & preces illas vel recitare, vel de libello, modo visum literæ non fallant, quam altissime sublato legere. Ipse vidi præcentorem inflexis genubus coram pulpito procumbentem, quia æquum & planum pavimentum erat, nullusque omnino depressior locus aderat, precem, quam poterat procul, de superni pulpiti libro legisse. Fracto autem & anxio admodum animo preces has recitant, & quidem plerumque, ut peccatorum remissionem consequantur, idque Davidis exemplo, dicentis; *De profundis clamavi ad te Domine.*

Psal.130.1.

Ad singulas preces Amen dicendum.

Ante omnia vero, singuli ad singulas preces *Amen* ex animo respondere debent. Ideo in Tanchuma scribitur: *Rabbi Juda dixit, Quisquis in hoc sæculo Amen respondet, dignus est qui & in illo sæculo Amen respondeat.* Propterea dicit rex David. *Benedictus Dominus Deus Israel a sæculo & usque in sæculum, Amen & Amen*; semel nempe *Amen*, in hoc sæculo, & iterum *Amen*, in sæculo futuro. Sapientes scripserunt; *Is qui religiose & cum summa attentione Amen dixerit, liberationem nostram accelerat: Imo quum rite Amen pronuntiatur, Deus capite concusso dicit; Væ filiis qui e patris ejecti sunt mensa! quam bene tamen est illi patri, qui ita a filiis suis laudatur? & cum dicto, de filiorum suorum liberatione cogitat.* Licet enim illorum peccata exilio multaverit misericordia tamen commovetur, & filiorum suorum miseriæ illum miseret. Quod Rabbi Juda hujuscemodi similitudine explicat: *Quemadmodum mater inobsequentem & impudicam filiam, quæ stupro gravida facta sit, foras ejicit, & merita indignatione prosequitur, dolorum tamen parturientis miseratione capitur, & in fletum adducitur: Ita nos Deus propter peccata in exilium quidem projecit; nostri tamen miseretur, nosque liberare vult, si modo diligenter illum invocemus, &c.*

Specul. ard cap.41. Psal.41.14.

Ergo per spatium 1680. annorum Judæi Amen cum debita attentione nondum dixerunt.

Centum benedictiones quotidianas uti probent.

Supra diximus, Centum benedictiones seu gratiarum Actiones illis quotidie esse recitandas: mirum qua subtilitate, & quo ingenii acumine, hoc Cabalistice demonstrent: Et *primo* quidem ex his verbis; ועתה ישראל מה יי' אליך שאל מעמך: *Nunc vero Israel, quid a te postulat Dominus Deus tuus?* Hic, inquiunt, non legendum est מה *Mah?* Quid? sed, מאה *Meah* Centum; quasi Moses dixisset, *Centum benedictiones postulat a te singulis diebus.* Sed unde quæso tam elegantem & acutam Cabalisticam emendationem exsculpserunt? Respondetur; Moses ipse id arcana & occulta ratione indicavit; siquidem centum literas præcise in hunc versiculum conjecit. *Secundo* demonstrant idem per secretum Cabalæ & arcanam scribendi rationem, qua certa fit literarum Alphabethi commutatio, quæque a Cabalistis אתבש *Athbasch* vocatur, qua scilicet ת cum א, ש cum ב, & contra, in scribendo permutantur. Ex hac itaque arte, in locum literarum מ״ה, succedunt literæ צ״י, quæ in numero centum constituunt. *Tertio*, legimus in Talmude Prophetam Davidem, quum aliquando centum ex Israele quotidie morerentur-

Deut. 10. 12. Jalkut in Leg. fol. 270.1.

Tractat. de Benedictionibus.

rerentur, & per Spiritum sanctum intelligeret, causam hujus plagæ esse, quod non, uti par erat, Deo pro acceptis beneficiis gratias agerent, Centum has benedictiones seu gratiarum actiones instituisse, quas quotidie recitarent, & ab eo tempore plagam illam desiisse. Cabalistice insuper idipsum ex verbis illis, quæ secundo Samuelis exstant, באם הגבר הקם על *Dixit vir qui constitutus est in &c.* probare se credunt: הוקם proprie, *Erectus* est, על *Supra*, significat: sed arcana numerorum Cabala & arte, vocula hæc על, quæ duabus literis ע & ל constat, centum constituit. Ita ergo concipienda est sententia; *Dixit vir, a quo institutæ sunt centum benedictiones seu gratiarum actiones.* Et hæc ex adytis Judaicæ Theologiæ sunt depromta, quo non quemlibet Christianum admittunt; multæ tamen id genus singularis artificii & arguti acuminis interpretationes adhuc innotescent, & in publica hominum luce versabuntur. Illas itaque impræsentiarum omittam, & in proposito pergam, ostendamque, qua se oratione Judæi, post preces matutinas peractas, domi gerant.

2.Sam.21.1

Deus dicit per Prophetam Esajam: *Et cum extenderitis manus vestras, avertam oculos meos a vobis, & cum multiplicaveritis orationem, non exaudiam.* Et alibi: *Iniquitates vestræ diviserunt inter vos & Deum vestrum, & peccata vestra absconderunt faciem ejus a vobis, ne exaudiret.*

Esa. 1. 15.

cap. 59.

CAPUT XI.

Quomodo se Judæi post preces matutinas gerant, & ad prandium componant.

Orach chajim n. 155. Specul. ard. cap. 10. Mulierum domi officium, dum viri precibus in Synagoga vacant.

ANtequam viri schola exeant, piæ mulieres domum purgare & converrere debent, ne maritis redeuntibus quicquam obviam veniat, quod eos a bonis suis cogitationibus avertat & abstrahat, quæ totæ adhuc in Deo & cœlis sunt defixæ. Si enim omnia munda & repurgata offenderint, manet illis suus animus liquidus & tranquillus; si secus, tristitiam & ægritudinem contrahit.

Pia etiam & religiosa mulier librum in mensam ob mariti sui oculos imponit, sive Pentateuchum, sive ספר מוסר *Sepher Musar* Librum aliquem moralem & ethicum, ex quo pietatem & morum civilitatem discat, & in quo per horam unam ad minimum studeat, priusquam domo exeat negotiorum suorum agendorum causa. Hoc Sapientes ex istis Salomonis verbis exstruunt: *Initium sapientiæ est timor Domini*, hoc est, in omnibus rebus Dei timor adesse debet, illiusque verbum discendum est. Ita etiam illi mortalium Sapientissimi hunc Mosis versiculum exposuere: והיה לקב תשמעון i. e. (juxta illorum interpretationem) *Et erit calcaneus, & audietis.* Sensus est; Antequam calces domo efferatis, Lex prius discenda est, in Lege aliquid legendum, & audiendum, quid Deus imperet, & a nobis requirat. Magni hæc est præcepti exsequutio, & insignite bonum opus, si quis Legem discat, ut contra ingens peccatum, si non discatur. Prioris templi temporibus, populus multa Hierosolymis patravit mala, gravia admisit peccata, varia commisit incesta, turpique se idololatria contaminavit. In istis omnibus Deus connixit, & omnia dissimulatione prætermisit, donec Lex in contemtum abiit, nec illi amplius data est opera: Tunc enim Deus eos partim expulit, partim interfecit, & templum solo æquavit. Hinc ait Propheta Jeremias. *Quare periit terra, & exusto deserto similis est, ut nemo pertranseat? Eo quod deseruerunt legem meam, quam proposueram eis.* Et in Deuteronomio: *Dicent omnes gentes, Cur Dominus huic terræ sic fecit? quæ est ira furoris tam immensi? Et respondebunt, quia fœdus Domini Dei patrum suorum deseruerunt, quod pepigit cum eis cum educeret eos de terra Ægypti.*

Aliquid discendum antequam negotia expediantur.

Deut. 7. 12.

Jerem. 9. 12.

Deut. 29. v. 24.

Quilibet ergo pius Judæus, prece matutina peracta, non e vestigio debet ad negotia sua se conferre, sed vel domi studere, vel e Synagoga aut schola confestim in auditorium properare, & prius aliquid in Lege studere & discere, quod illi ad pietatem & honestam vitam conducere possit, ut impleat id quod rex David dixit; *De virtute in virtutem ibant*, vel, ut Judaice, hoc est, asinine in libello de Timore Dei redditur; *De conclavi in conclave ibant*, legis scil. discendæ causa.

Psal. 84. 8. Sepher hajireah R. Mosis Gerundensis.

Ubi domum redierunt, Phylacteria deponunt, & in capsula recondunt; & primo quidem Phylacteria capitis, postea vero Phylacteria manuum, ut, illa denuo induturis, manuum Phylacteria prima in manus veniant & induantur. Quidam etiam Quadrangulum illud Palliolum *Arba camphos* dictum, a quo *Zizis* seu fimbriæ dependent, una eademque opera exuunt, quamvis continuo gestare longe præstaret, ne unquam præcepta Dei oblivioni traderentur, utque lex assidue observaretur. Qui pie-

Quomodo phylacteria deponant, & Zizijos.

pietatis fastigium inter cæteros tenere volunt, per totam diem (ut supra quoque cap. 4. dictum) illa vel sub thorace vel sub toga, (togis enim vulgo utuntur) circumferre solent, ita ut fimbriæ paululum propendeant & sub aspectum veniant, ut a peccatis hac ratione avocentur, quemadmodum non ita pridem vetulum quendam & tetricum morosæ sanctitatis Rabbinum, qui Caput Synagogæ erat, ejusmodi fimbrias mimice adeo trahentem conspexi, ut ad calceos fere dependerent. Non secus ac quis, rei alicujus obviam iturus, nodum in cingulo connectit, ut subinde menti obversetur: sic etiam illi fimbrias illas, quinque nodis insignes, gestant, tanquam totidem a peccato dehortationes & avocationes. Et hæc est causa, cur & tam pii sint Judæi, & tam accurate Dei mandata custodiant, si modo credere fas est.

Mane jentandum, antequam ad negotia se conferant.

Salubre quoque existimant, si quis paululum quiddam mane comedat, priusquam ad negotia sua se conferat. *Tribus enim, ajunt, & sexaginta morbis fel infestatur, quibus omnibus panis buccella & cyathus vini jentaculi loco medetur.* Cui vinum non suppetit, zytho vel aqua sitim restinguere licet, ex Raschi sententia, qui scribit: קיתון של מים למי שאין לו יין *Aquæ cyathum ille hauriat, qui vino caret*; Ita expeditior quilibet erit ad cultum Dei Creatoris sui, & facilius quoque negotia sua conficere potest. Unde etiam in Talmud legitur: שיתין רהיטין רהטין ולא מטו לנברא דמצפרא כרך *Sexaginta cursores currunt, & non assequuntur virum qui mane jentavit.*

Bava kama fol. 92. 2.

Specul. ard. cap. 43. Hora prandendi observanda. Schab. cap. 1. fol. 10. 1.

Interea loci honestas mulieres cibum apparare decet: ut viri, quum defessi domum redeunt, prandium satis tempori paratum inveniant, nec diutius expectare cogantur. In Talmude, tractatu de Sabbatho, decernitur; *ut hora quinta quæ undecimæ nostræ respondet, prandium sumatur*: si quis retardetur, morbum facile & debilitatem concipit. Corpus enim alimentum suum in tempore naturaliter postulat, quod si non consequatur, suis ipsius membris pascitur, perinde ac ursus hyeme, esca deficiente, proprias manus pedesque sugit.

Mundities in cibis. Levit. 11. 43.

Summa autem tam in curando, quam apponendo cibo, munditia requiritur, uti scribitur: *Nolite contaminare animas vestras, nec tangatis quicquam eorum, ne immundi sitis. Ego enim sum Dominus Deus vester. Sancti estote, quia ego sanctus sum.* Hoc sophi nostri exponunt, cibos puros & mundos esse comedendos, hominum non pecudum more; alioqui hominem contaminari, nec esse sanctum.

In mensa.

Eadem in mensa sternenda mundities requiritur, panisque integer & bene præparatus, non adustus, in mensa est apponendus, ut gratiarum actio super illo recitari, & hoc pacto prandium rite consecrari possit.

Pecora prius pascenda. In tractatu Gittin cap. 2. & 5. Deut. 11. 15.

Si pecus domi habeant, illi, priusquam mensæ accumbant, cibaria præbere debent, uti Rabbi Juda in Talmude docuit, & præcepit, quia scribitur: *Dabo insuper herbam in agro tuo pro jumentis tuis, ut & tu comedas & saturieris.* Hic Lex jumenta primo loco collocat, ut illorum primo misereamur: tum demum enim cibus bene sumitur, & fames depellitur. In libello, סדר מצוות נשים *de præceptis muliebribus* inscribitur, mulierum hoc esse officium dicitur, statim a precibus matutinis; etiam antequam parvulis suis a somno excitatis vestes induant, domestico pecori escam præbere, eo quod scriptum sit: *Novit justus animam jumenti sui.* Si itaque in tempore pecori cibaria subministret mulier, vi dicti hujus, bene audiet, *Justæque* & piæ nomen consequetur. Ibidem præterea legitur, utile & conducibile esse pecus domi alere, eo quod interdum cœli syderumque dispositio & inclinatio infortunium patri vel matrifamilias, ut & domesticis, portendat: si autem interibi vir vel uxor pauperibus eleemosynas largiantur, vel aliis bonis operibus studeant, regiæ cœlestis summus Nomophylax (Angelus nempe bonis operibus præfectus) præsto est, qui id omne quicquid est in commentarios suos refert & ad Deum adit, ultroque eum hujuscemodi verbis compellat; *Domine mundi, hujus syderis infortunium ab hoc homine & ejus familia averte, mercedem hanc bonis illorum operibus negare noli.* Tunc infortunium illud (astrorum enim cursus inclinari quidem, sed frangi non potest) in impium aliquem derivatur, uti scribitur; *Justus ex adversitate eripitur, sed impius succedit illi*, Si vero nullus impius adsit, qui hoc multetur infortunio, instantis calamitatis ictu pecus affligitur. Sed prolixior est doctrina hæc & difficilior, quam quæ a mulieribus a capite ad calcem intelligi possit.

Deut. 5. 6.

Prov. 12. 10

Cur pecus domi semper alendum.

Prov. 11. 8.

Venter ante cibum purgandus.

Oportet etiam Judæum latrinas petere, &, si fieri potest, excernere, ut, & vacuo stomacho, & mundo corpore, ad mensam accedatur. Si quis enim plenum corpus mensæ intulerit, morbo plenus inde decedet. Id autem sapientissimi Rabbini ex hoc versiculo exstruxerunt:

runt: *Vetera novis supervenientibus projicietis*; quem ita interpretati sunt; *Vetera e stomacho prius expellenda, quam nova admittenda.* [Lev. 26. 10]

[Manuum lotio ante cibum. Orach. chajim. n. 157.] Ante omnia manus munditer & accurate lavandæ sunt aqua, non turbida vel fœtida, qualis est illa, in qua vinum æstivo tempore refrigeratur, & ex qua vitrea vasa vel cyathi perlui solent, vel ex qua Galli gallinacei & gallinæ, aut canes biberunt, sed limpida & clara, quæque nullo adhuc usui fuerit. Ut plurimum familia primo lavat, postea mater, postremo ipse paterfamilias, ut confestim & sine ulla mora statim a lotione mensæ accumbat, & gratiarum actione panem consecret, ut in sequentibus docebitur. Qui hoc fecerit, illi nihil inter prandium nociturum spondent Sapientes. Probe etiam manus abstergendæ sunt: propterea in Talmude [Sotæ c. 1. fol. 4. col. 2.] legitur, Rabbi Abhu dixisse; כל האוכל פת בלא נינוב ידים כאילו אוכל לחם טמא שנאמר ככה יאכלו בני ישראל את לחמם טמא וגו׳ hoc est, *Qui panem madidis adhuc, nec bene abstersis manibus, comedit, imputatur illi, ac si pollutum panem comedisset, uti scribitur*: Sic comedent filii Israel panem suum immundum, [Ezech. 4. 13.] לחמם טמא; quæ duæ voculæ per Cabalisticam Arithmeticam, in centum sexaginta octo resolvuntur, quem numerum scilicet constituunt & voces sequentes, בלא נגוב ידים belo niggubh jadajim, i. e. *Absque exsiccatione manuum post lotionem*. Sensus ergo, quem Cabalistæ eruunt, hic est: *Filii Israel panem suum illotis manibus* (hoc est, pollutum) *comedent*. [Ibidem.] Dixit quoque Rabbi Jose in Talmude, כל האוכל לחם בלא נטילת ידים כאילו בא על אשה זונה כמו שנ׳ כי בעד אשה זונה עד ככר לחם *Qui illotis manibus panem comedit, idem est ac si scorto accubaret*: & hoc ex Proverbiis Salomonis elicuit, ubi scribitur; [Prov. 6. 26.] *Propter scortum adigitur quispiam ad placentam panis*.

[Quanti a Judæis fiat lotio manuum.] Præceptum hoc de manuum lotione, sive ante cibum, sive a cibo, tanti faciunt, ut vix Judæum reperias, qui illius obliviscatur, imo tam exquisite & scrupulose illud observant, ut nemo annulum in digito retinere audeat, ne quid sordis sub illo lateat: si quis vero annulum non detraxerit, idem valet, ac si illotis manibus comederet.

[Historia de lotione manuum. Tractatu Erubhin c. 2. fol. 21. col. 2.] In Talmude hæc de manuum lotione legitur historia: *Rabbi Akibba a Christianis in carcerem conjectus est, & singulis diebus Rabbi Jehosua Garsites tantum illi aquæ afferebat, quantum ad manuum lotionem & potum satis esset. Semel autem factum est, ut* δεσμοφύλαξ *seu custos carceris aquam acciperet, & dimidiam illius partem effunderet. Rabbi Akibba quamvis vidisset, se satis aquæ non habere, dixit nihilominus Rabbi Jehosuæ; Cedo aquam manibus. Rabbi Jehosua respondit, Magister mi, ne quidem ad bibendum satis aqua adest. Akibba vero; Qui illotis manibus comedit, morte luendum facinus perpetrat*: מוטב אמות מיתת עצמי ולא אעבור על דעת חברי *præstat me ipsum siti enecare, quam majorum meorum instituta transgredi.*

[Alia historia. Tract. Joma, de festis c. 8. f. 83. 2.] Alia iterum in Talmude de eadem re legitur historia: *Rabbi Meir, Rabbi Jose, & Rabbi Juda, simul peregrinabantur: Rabbi Meir diligentissime attendebat ad viri cujusvis nomen; Rabbi Jose vero & R. Jehuda, nullam hujus rei habebant rationem. Accidit itaque ut die Veneris ad hospitem Judæum diverterent, ibidemque Sabbathum celebrare in animo haberent* (Sabbatho enim Judæis peregrinari non licet.) *Rabbi Meir interrogat illum hospitem, quod illi nomen esset? qui respondit, mihi Kiddor nomen est. Illico Rabbi Meir secum ipse cogitavit; hospes iste, dubio procul, profligatissimus & perditissimus est nebulo, siquidem tam male ominato appellatur Nomine, quod mihi in memoriam revocat dictum illud*; כידור תהפכות המה׳ *Kidor, &c.* id est, Quoniam generatio sunt perversa, [Deut. 32. 22.] *Rabbi Jose & Rabbi Juda hoc in animum inducere noluerunt, sed susque deque habuerunt, crumenamque suam hospiti per sabbathum servandam dederunt; Rabbi vero Meir, quem alia cura sollicitabat, abiit, & patris hospitis sui tumulo pecuniam suam defodit. Noctu in somnis visus est sibi Kidor audire vocem, quæ juberet eum ad patris tumulum properare; ibique fodere: crumenam enim cum pecunia inventurum esse. Postridie mane hospes somnium suum Rabbi Meir narravit, qui respondit,* חלמא דבי שמשי לית בהו משׁשׁא. *Somniis, quæ die Veneris per noctem contingunt, animus non est appellendus; & protinus ab illo recessit, ac per integrum Sabbathum tumulo insedit, ne ab hospite crumena auferretur. Sub vesperam vero, sabbatho exacto, crumenam suam recepit. Die sequenti Solis reliqui duo loculos suos quoque ab hospite repetunt: verum hospes inficiatus est, se quicquam ab illis accepisse, & depositum abnegavit. Deduxerunt itaque illum in cauponam quandam, & bonis verbis aliquid ab illo se eruere posse credebant: Sed interea temporis lentes vel pisa, barbæ ipsius adhærentia, conspexerunt, unde conjecerunt, illum lentes in prandio comedisse. Illius itaque uxorem*

rem adeunt, & dicunt; Maritus tuus vult loculos nostros nobis reddas, quos apud ipsum deposuimus: hoc autem jussit nos edere indicium, quod in prandio lentes illi appositæ fuerint. Cujus indicii veritatem quum mulier agnovisset, loculos dominis suis reddidit, qui iter inceptum læti continuarunt. Sed quum ille domum rediisset, & loculos petiisset, audivit ab uxore, quo in statu res essent. Pugnis itaque illam ad mortem usque multavit. Illustre documentum, semper a cibo lavandum esse. Si enim hospes iste manus lavisset, os quoque & barbam simul abluisset, ut duo illi Rabbini nullum in barba illius signum agnoscere potuissent, neque loculos suos recepissent, quod uxoris interficiendæ marito ansam & occasionem præbuit.

Historia alia.

Subjungemus & aliam ex Talmude historiam, de Judæo qui carnem suillam comedit, eo quod ante cibum manus non lavisset. Res ita gesta est: *Hospes quidam Judæus fuit, qui Judæos & Christianos indiscriminatim hospitio excipiebat. Judæos illo divertentes hoc peculiariter signo agnoscebat, quod manus perpetuo ante cibum lavarent. Puram itaque licitam, & legitimam carnem, qualis in lege præcipitur, illis apponebat: Christianis vero suillam. Factum est autem, ut aliquando Judæum hospitio exciperet, qui mensæ illotis manibus accubuit. Hospes Christianum esse ratus, suillam illi apposuit. Judæus id non agnoscens latrantem stomachum illa avide replevit* (cibi forte vacivitate lassis erat lactibus). *Quum hospes symbolum paulo carius æstimaret, conquestus est Judæus, quæsiitque, an tam acris & cara esset bubulæ annona? respondit hospes, mi homo, præstantissimam suillam assatam comedisti, quæ reliquis carnibus longe carior est. Tum Judæus pavore externatus pene concidit, quod tam horrendum admisisset peccatum. Quapropter severam illum agere pœnitentiam, magnamque subire ac sustinere pœnam oportuit.* Hoc vero ideo illi contigit, quod illotis manibus mensam accessisset. Singuli ergo diligenter sibi caveant, & periculo alieno sapiant.

Cholin c. 8.

Es. 59.

Esaias: *Cogitationes eorum cogitationes inutiles, vastitas, & contritio in viis eorum, viam pacis nescierunt, & non est judicium ingressibus eorum, semitæ eorum incurvatæ sunt eis, omnis qui calcat in eis, ignorat pacem, &c.*

Matth. 15. 2.

Matthæus Apostolus: *Tunc accesserunt ad eum ab Hierosolymis Scribæ & Pharisæi, dicentes, quare discipuli tui transgrediuntur traditiones seniorum? non enim lavant manus suas, quum panem manducant: ipse autem respondens ait illis, quare & vos transgredimini mandatum Dei, propter traditionem vestram?*

Marc. 7.

Marcus: *Et conveniunt ad eum Pharisæi, & quidam de Scribis, venientes ab Hierosolymis, & quum vidissent quosdam ex discipulis ejus communibus manibus, hoc est, non lotis manducare panes, vituperaverunt: Pharisæi enim, & omnes Judæi, nisi crebro laverint manus, non manducant, tenentes traditionem seniorum, & a foro venientes, nisi baptizentur, non comedunt.*

CAPUT XII.

De Judæorum in mensa moribus.

Superiore ostensum est capite, patrem familias vulgo postremum lavare, ut mox nullaque interposita mora mensam petat, illamque solenni prece consecret, ita ut nihil prorsus, inter Manuum lotionem & Preces, agat, tangat, vel dicat. Hoc restricte ab illis observatur, non solum, quia tantisper dum cibus sumitur, infortunium nullum metuendum est illi, qui mandatum hoc observaverit, sed etiam, quia sapientes id ex Psalmis faciendum esse demonstrarunt: *Attollite*, inquit, Psaltes regius, *manus vestras ad sanctitatem, & benedicite Domino.* Hinc duo sapientes exsculpserunt; *Primum*, attollendas & erigendas esse manus, quando ante cibum lavant, ne aqua, quæ prima effluit, & in manus decidens statim inquinatur, deorsum fluat, & digitos polluat; *Alterum*, a manuum lotione & purificatione statim ad preces & mensæ consecrationem esse transeundum.

Psal. 134. 2

Tractatu Sota cap. 1

Panis in mensa cum sale. Orach chajim n. 167. & 201.

Quum accumbunt, Panis integer cum Sale appositus esse debet, propter honorem Benedictionis super eo recitandæ; si quidem haberi possit: si non adsit integer, apponunt frustum. Pater autem familias, vel princeps Rabbinus, vel aliam præ cæteris prærogativam habens; panem illum in manus sumit, eique ab illa parte, ubi bene & eleganter coctus est, incisuram imprimit, (penitus enim dissecare nefas, ut panis integri speciem retineat) incisum deponit, depositumque manibus ambabus tegit, & his illum verbis consecrat: בא׳י אלהנו מלך העולם המוציא לחם מן הארץ. *Benedictus tu Domine Deus noster, mundi Domine, qui panem e terra produxisti.* Cæteri accumbentes subjungunt, *Amen.* Frustum postea

Panis consecratio.

stea illud incisum defringit, in sal, vel juris condimentum, quæ una cum Pane mensæ sunt apponenda, intingit, & actutum comedit, nihil interim garriens; alioqui enim preces iterandæ essent. Satis autem profundam imprimit incisuram, & amplum panis frustum accipit, ne צר עין *Zar ajin* sordidus & illiberalis videatur, qui in bonis operibus aquam ploret profundere. Tres autem vel etiam plures simul discumbere debent: alioqui singuli pro se quisque gratiarum actionem recitant. Panem autem sic frangens vel scindens, licet maximus sit inter accumbentes, tamen præmissa veniæ petitione utetur; ברשות מורי ורבותי וכו׳. *Cur venia Dominorum & Doctorum meorum* &c. honoris ipsorum causa.

Panis fractio & distributio.

Postea singulis qui accumbunt, quotquot sunt, frustum panis frangit, & illis apponit, ita ut unusquisque loco suo appositum ipsemet manu sua capiat & comedat: neque enim illis, vel in manus, vel in os datur, quod illi comedere debent, antequam alium panem edant; ita tamen, ut exspectent, donec paterfamilias suum gustarit.

Vini consecratio.

Similiter etiam Vinum consecrat, præsertim in illis regionibus, ubi vinum bibi solet. Ad hanc etiam consecrationem justus requiritur *miniam* seu numerus, nempe decem, vel etiam pauciores; modo numerus infra tres non subsidat. Hunc scyphum primo ambabus apprehendit manibus, sicut David dicit; שאו ידיכם קדש. *Attollite manus vestras* (nempe ambas) *in sanctitate, & benedicite Domino*, Psal. 134. 2. Postea vero sola dextra tenet: si tamen dextram ponderis gravitas deprimat, sinistram quoque admovere potest, modo sub dextra subsistat: dein, Palmi altitudine elevat a mensa scyphum, iterum juxta illud Davidis; *Poculum salutum* אשא *attollam, & nomen Domini invocabo*, Psal. 118. ut sc. eum omnes accumbentes videant & intueantur: simul & ipse (ne mens ejus a benedictione avocetur:) tum irretortis oculis eum inspicit, paululumque honoris causa subsistit, & ait: באׄי אמה בורא פרי הגפן. *Benedictus tu Domine Deus noster, mundi Domine, qui vineæ fructum creaveris*. Dum benedicit, nemo garrire debet, sed ad id quod ille dicit attendere, & consecrantem apud se mussitando sequi. Vulgo solent singuli pro se quisque gratiarum actione vinum consecrare, prima qua bibunt vice, si peculiare & solenne non celebretur convivium. Ubi cerevisia vel hydromel quotidie bibitur, illa etiam consecrari solent. Judæi tamen ditiores vini cyathum ad consecrationem sumunt, quamvis postea zythum in mensa bibant. Aque nullo modo consecratur.

Posthæc paterfamilias Psalmum 23. recitat, quo recitato, reliqui cibi apponuntur, ac laute & hilariter epulantur. Necessum autem est, ut cæteri expressa & contenta voce ad gratiarum actionem, *Amen*, respondeant. Hinc in Talmude legitur; גדול העונה אמן יותר מן המברך. *Præstantior censetur ille, amplioremque dignitatis gradum adipiscitur, qui cum attentione & religione Amen respondet, quam is qui preces concipit*. Similitudine id illustrant sapientes, Scribæ, qui alterius nomine literas scribat, quas postea is, cujus nomine scriptæ sunt, signo suo consignet: tum demum enim literæ illæ confirmantur, autoritatem acquirunt, & observantur: Sic etiam, qui Amen ad preces respondent, precibus sigillum imprimunt, quæ hac ratione vires acquirunt. Si inter accumbentes sint quidam dignitatis eminentioris, Consecrationi præmittit formulam, qua petit, ut bona ipsorum cum venia id sibi facere liceat; veluti, si *Kohen*, seu *Sacerdos*; dicit, ברשות כהן. *Cum venia Sacerdotis*, vel *Sacerdotum*, si plures fuerint: Kohen autemseu Sacerdos non necesse habet veniam ab aliis petere. Si *Rabbinus* assideat, dicit; ברשות הרב ורבותי. *Cum Venia Rabbini, & Rabbinorum meorum*: Si *Rabbini plures*: ברשות רבנן ורבותי. Si *Morenu* seu Doctor aliquis Theologiæ, ברשות מורי ורבותי &c.

Amen ad preces dicendum. Berach. c. 8 in fine.

Quod Sal necessario mensæ apponendum sit, id fit, ut priscarum oblationum memoria renovetur. Hodie enim Mensa Altari, & Cibi Oblationibus comparantur. Cum itaque scribatur de Altari; *In omne oblatione tua offeres Sal*; nullam mensam sine sale esse oportet. Quia etiam omnis cibus sine sale est insipidus, ideo mensæ sal apponi debet; juxta illud Jobi; *Num comeditur insipidum sine sale?* Hinc dicunt etiam in Medraschim; Si sit in mensa sal pro intingendo Pane consecrationis, נעשה השולחן מזבח כפרה ומגין על הפורענת *tum mensa fit Altare expiatorium, & protegit contra pœnas*.

Cur sal in mensa apponi debeat.

Levit. 2. 13

Sap. 6. v. 6.

Quod ante Gratiarum actionem panem penitius non proscindunt, sed incisuram tantum illi imprimunt, id ideo contingit, quod sapientes doceant, & dicant, Deum ab illo qui hoc facit irritari, uti scribitur; ובצע ברך נאץ יי *Ubozeah berech nietz Adonaj*, hoc est, juxta Judaicam, seu potius, Asininam interpretationem; *Qui penitus dissecat, & gratiarum actionem recitat, is Deum irri-*

Cur panis ante mensam sit incidendus duntaxat. Psal. 10. 3.

irritat. Vox Hebraica בוצע interdum quidem Dividere, vel Dissecare significat: sed hoc loco longe aliud designat. Ac sane in Psalmorum versione Germanica, quam tamen illi cuderunt, vox illa ita non redditur, verum ex sensu Rabbinico ita reddi debet, ut in אורח חיים *Orach chajim* (Libellus est in mulierum & puerorum gratiam Germanice conscriptus, in quo breviter & succincte describitur, qua ratione singuli per totum vitæ suæ curriculum gerere se debeant) videre est.

pag. 4.

Cur pani ambæ manus imponendæ.

Quod ambas manus, decem digitis expansis, pani imponunt; id *primo* fit ad decem illorum præceptorum memoriam, quæ Deus propter triticum, ex quo panis conficitur, dedit: quæ sunt; *Non arabis* : 2. *Non obturabis os* &c. 3. *Agrum tuum non conseres heterogeneis* : 4. *Collectionem messis tuæ non colliges* : 5. *Quum messueris messem tuam in agro tuo, & oblitus fueris manipulum* : 6. *Non finies metere angulum agri tui* : 7. *De primitiis pastarum vestrarum Challam seu placentam offeretis in oblationem*, 8. *De offerenda Terumah* : 9. *De Decima prima* : 10. *De Decima secunda* : *deinde*, ut sic dictorum aliquot memoria refricetur: Exempli gratia; *Qui germinare facis fænum pro jumentis, & herbam ad usum hominum, ut educas panem e terra*. Item, *Oculi omnium in te sperant, & tu das illis escam suam in tempore suo*. Item, *Terram frumenti, hordei, ac vinearum, in qua ficus & malogranata, & oliveta nascuntur*, aliorumque id genus complurium, quæ decem tantum vocibus in lingua Hebraica constant, uti decem etiam voculis Precatiuncula ipsa absolvitur. Sic & דברכה seu Benedictio decem constat vocibus.

Psal. 104. 14.
Psal. 145. 15.
Deut. 8. 8.

Si quis forte ante consecrationem scyphum libaverit, de integro & denuo, ex pleno & recenti cantharo est implendus: si vero nullum in cantharo vinum supersit, id quod in scypho libato restat, in mundum infundendum est cantharum, & ex cantharo rursus in scyphum; tunc enim demum rite consecrari potest.

Modestia in mensa.

Epulando singuli modeste se gerere debent, & animo reputare, ac si coram Deo ipso sederent, uti de agrorum decumis scribitur: *Et comedes in conspectu Domini Dei tui*. Item, *Hæc est mensa coram Domino*.

Deut. 14. 23.
Eze 41.22.
Pauperes.

Paterfamilias diu accumbere debet, & pauperum adventum præstolari, quibus aliquid de mensa sua impartiri possit. Hoc insignite bonum est opus; *Qui enim sic apud mensam moratur, & pauperes cibat, illi vita prorogatur*, ut in Talmude legitur. De illis quoque loquutus est Propheta: *Frange esurienti panem tuum, & egenos vagosque induc in domum tuam*.

Tractatu Berachos fol. 54. col. 2. & 55. 1.
Esa. 58. 7.

Ei, qui ad mensam ministrat, de omnibus cibis statim aliqua particula est porrigenda, quorum nidor aures ferit, & appetitum excitat; quia ex illorum ciborum, qui odorem emittunt, appetitu vehementiore, homini creatur dolor & periculum; si nihil de illis ipsi detur. Et quamvis de reliquis cibis id non requiratur, tamen pietatis est, ut de singulis aliquid ei offeratur, ne se affligat. Nihil autem ipsi porrigetur, dum poculum manu tenet, ne forte cibo inhians, poculum effundat: nil etiam quicquam ipsi dandum, nisi constet, eum manus lavisse.

Nimio cibo se ingurgitare non debent, uti Rabbinorum sapientissimi in Talmude docuerunt, quum dicunt; לעולם יהיו עניים בביתך *Semper sint pauperes domi tuæ*, quod in hunc modum exponunt; *Nimio cibo ventrem distendere non oportet, sed pauperes imitandi, qui cibi inopia ad satietatem usque comedere non possunt*.

Temperantia.

Panis pure & sancte conservandus est, ut in Talmude legitur: *Nulla ipsi imponitur caro cruda nullum poculum plenum super eo porrigitur, ne forte aliquid effundatur super panem, quod eum coinquinet: nulla, ob eandem causam; scutella jure aut pulte repleta ei est adjungenda: non projiciendus est panis, vel ab uno ad alterum, vel in patinam, vel in mappam: quia hæc omnia contemtum spirant. Qui panem spernit & contemnit, in gravem incidit paupertatem*, uti scribitur: *Oberrat panis quærendi causa*. Sapientissimi doctores in Talmude scribunt, peculiarem Angelum nomine Nabel huic muneri præpositum, ut illos observet, quibus panis in terram excidit, ita ut pedibus conculcetur: illos enim in paupertatem conjicit. Ac sane, ut dictis fides habeatur, *Angelus hic hominem quemdam infesto olim persequebatur animo, & ad extremam libenter redegisset paupertatem, sperabatque posse homini illi aliquando panem excidere, qui postea conculcaretur. Tempore quodam humi super herba viridi homo ille procubuit panem suum comedens: Illico tum Angelus exultabundus secum ipse*; Decidit in casses præda petita meos; *micas enim e gramine colligi non posse, ac proinde concultatione obnoxias, credebat. Verum post cibum vir ille, pala accepta, & in terram depacta, glebam simul*

Honor pani habitus. Tractatu Berachos.
Jobi 15. 23. Chol in folio 105. 2.
Micæ diligenter tollendæ.

simul cum micis sublatam in profluentem jecit, ut pisces micis extractis cibarentur. E vestigio vox per auras delapsa fertur; ווי דאפקי ההוא גברא מבית' hoc est. *Væ mihi, qui ab hoc homine sim frustratus, & ex habitaculo meo eductus, a quo re infecta mihi discedendum, nedum ut insidiis meis aliquid profecerim, &c.*

Inter edendum non loquendum.

In epulando, & dum adhuc cibus manditur, nihil loquendum est, ut in Talmude docetur, ne quid in asperam arteriam decidat, quod suffocationem inferre possit, adeo ut nec sternutantem salvere jubeant; מאז דעטיש בנו מיכליה אסיר למימר ליה אסותא מפני סכנה *Qui inter edendum sternutat, ei vetitum est dicere* Asusa Salus, *propter periculum &c.*

Tractat. Taaniis de Jejunio. Orach chajim n. 170.

Si duo tantum una prandeant, quorum unus manum poculo admovet ad bibendum, alter interea manum in scutellam non immittet ad cibum capiendum, donec ille biberit: causari enim posset, ut avidius bibendo strangularetur: tribus vero convivantibus, duo unius causa non abstinent.

Portionem aliquam semper in scutella relinquere pro famulis, civilitatis est.

Edenti non est os inspiciendum, ne pudore afficiatur. Qui in amici domum venit, quicquid ipsi dixerit paterfamilias faciet; כי כל איש שורר בביתו *Quia unusquisque Dominus est in domo sua.*

Nemo particulam, quæ ovi magnitudinem habet, manu sumtam, devorabit, ne famelicus vel vorax habeatur: non etiam decet cibum una manu tenere, & altera ab eo aliquid defringere. Poculum una vice non est exhauriendum.

Non mordendum de particula aliqua, & reliquum mensæ imponendum: quia hoc reliquis assidentibus nauseam parit.

Minor majorem, manum in offam immittendo, non prævertet.

Qui in amici sui domum venit, non dicet; *Date mihi quod edam*; sed exspectabit, donec ipsi dicatur; *Ede & bibe.*

Non bibendum ex poculo, & reliquum socio porrigendum, quia multi sunt, qui inde nauseam concipiunt.

Poculum epotum, non est vacuum in mensam reponendum, sed exspectandum, donec famulus veniat, & id a te recipiat.

Hospitibus, a patrefamilias exceptis, non licet de eo quod ipsis apponitur, dare filio aut famulo domestico, nisi venia prius e Patrefamilias sumpta. Quare? quia paterfamilias convivium instruens, rationem tantum habet hospitum invitatorum, & pro horum numero cibos dimetitur; non autem pro suis quoque domesticis. Si quis ergo hospitum hoc faceret, sollicitum & anxium eum redderet, ne apposita pro invitatis sufficerent, & inde jurgia & lites in ædibus orirentur. Scribunt enim, aliquando accidisse, hujus rei causa quendam olim filium suum percussisse, ut sub manu ejus moreretur; Matrem, cum hoc vidisset, dolore victam in tectum ascendisse, & inde se præcipitem dedisse, ut & ipsa mortua sublata fuerit; Patremfamilias, hoc spectaculo viso, itidem se e tecto in terram præcipitasse præ dolore.

Pharisaica sanctitate olim turgentes Rabbini Hierosolymæ, non accumbebant vel invitari se patiebantur, nisi prius scirent, quisnam cum illis sit discubiturus; מפני שגנאי הוא לת"ח לישב אצל עם הארץ בסעודה *Turpe enim est Doctori assidere vel accumbere homini plebejo in convivio.* Hinc exprobrarunt Pharisæi olim discipulis Christi, quod Magister ipsorum cum publicanis & peccatoribus accumberet & ederet, Matth. 9. ℣. 10. 11. 12.

Famulus duobus accumbentibus ad mensam ministrans, etiam sine accepta venia cum illis edit, ut possit fieri זימון & Gratiarum actio communi nomine recitare, ad quod tres minimum requiruntur.

Colloquia mensæ qualia esse debeant.

Sapientia & sanctitate conspicui Rabbini scribunt, Prophetam Eliam epulis semper interesse, & singulos homines peculiarem Angelum habere, qui apud mensam perpetuo assideat, & auscultet, qua ratione preces concipiantur, quid dicatur, & quis denique in mensa modus servetur. Si de verbo Dei, & Sacrosancta Lege sermo habeatur, ab illorum latere non discedit, sed cum illis manet, & suavem, salubremque experiuntur cibum: si vero garriant, & futilibus fabulis tempus terant, recedit ab illis, & in locum illius malus Angelus succedit, qui variis illos inter se jurgiis committit, pugnas, imo pugnos ciet, in morbos a cibo capto conjicit, &c. Ejusmodi homines, etiamsi cibis se ingurgitent, non tamen satiantur, uti scribitur: *Venter impiorum insaturabilis.*

Prov. 13. 25.

Ossa in terram non projicienda.

Hac etiam de causa nemo ossa, aut piscium spinas, vel e regione sui, vel a tergo projicere audeat, ne invisibiles creaturas forte petat: adde quod ossibus in terram lapsis, non raro inter se committuntur canes, & ab illorum dentibus furis periculum imminet.

Cultellus cur in dorsum non ponendus, &c.

Idcirco etiam cultellum in dorsum jacere nunquam sinunt: ne Angelicæ & spiritales creaturæ lædantur.

Quomodo medulla excutienda

Ossium quoque medulla in quadras non est excutienda: hoc enim sono no-

xii & impuri spiritus excitati, & rem ad manus atque pugnam venisse suspicantes, veniunt, & more suo solentes nocent. Verum ossi frustulum panis supponendum est, &c.

Carnes & pisces non simul comedendi.

Olim inter carnes & pisces, manus semper & os abluere solebant: verum hodie id non tam studiose & accurate observant, dummodo non simul, sed singulatim comedantur; ita tamen, ut carnem dentibus inhærentem repurgent, aridam panis buccellam comedant, paululumque bibant, ut hac ratione os eluatur, & inter piscem & carnem discrimen statuatur.

Diversi cultri ad carnes & lactaria.

Eo cultro, quo ad carnem usi sunt, ad butyrum, caseum, & reliqua lactaria non utuntur: cibos etiam e lacte & carne mensæ simul ita non imponunt, ut sese invicem tangant. Plurimas hac de re leges & constituta habent, de quibus speciali capite dicetur.

Inter mensam vanitas humana perpendenda.

Vir pius & sanctus inter mensam, hominis, potus item & cibi vanitatem, animo perpendere debet, & quo pacto minima cibi pars in homine remaneat; maxima vero per naturales excrementorum meatus evacuetur, uti Mar Zutra docet in hunc Davidis Prophetæ locum disputans, *Propter hoc orabit ad te omnis Sanctus*, לעת מצוא *lees mezo*, hoc est, si Judaice interpreteris, *excretionis tempore*. Sic enim Rabbini locum hunc intelligunt, illum esse sanctum, qui in epulando sibi in memoriam revocat, illa quæ eduntur, per natutales meatus excerni iterum debere. Duæ autem illæ voculæ Hebraice proprie significant, *Tempore inventionis*, hoc est, tempore opportuno, quo Deus inveniri solet, vel, tempore quo ab angustia & afflictionibus homines inveniuntur & urgentur. Id genus cogitationibus, ad temperantiam & moderationem quoque stimulatur & excitatur homo, adeo ut non magnam in continuis conviviis pompam adhibeat, sed potius temperantiæ & parsimoniæ studeat: & hac ratione rem familiarem augebit, grandesque divitias congeret.

Tractatu Berachos cap. 1. pag. 8. Psal. 32. 6.

Pro omnibus rebus Deo gratiæ agendæ.

Tenentur Deum laudare, ipsique benedicere, non solum in suis Orationibus, vel pro speciali aliqua gratia & beneficio, quod ab eo accipiunt, sed pro omni re singulari & extraordinaria, quæ illis evenit, pro omni actione quam faciunt, pro omni cibo quem edunt, potu quem bibunt, pro omnibus odoribus suavibus, pro omnibus præceptis a Deo acceptis, vel a Rabbinis, quæ quidem observant, pro omnibus rebus novis, insolitis, insperatis, quas vident vel audiunt &c. harumque unaquæque singularem & propriam habet Benedictionem: Ex. gr.

Vini extraordinarii consecratio, &c.

Si inter epulas solito generosius vinum, vel suavior infundatur potus, qui primus degustat, hujuscemodi precatiuncula consecrare debet; בא״י אמ״ה הטוב והמטיב *Benedictus tu Domine Deus noster, totius mundi Domine, qui benignus es, & benignitatem exerces.*

Cibi. Orach Chajim num. 202.

Pariter peculiares cibi, qui quotidie comedi non solent, istiusmodi benedictione consecrantur: בא״י אמ״ה בורא מיני מזונות *Benedictus tu Domine Deus noster &c. qui multigeneres cibos produxisti.*

Fructuum.

Si quis arborum Fructus comedat, ut puta uvas, ficus, mala aurea, olivas, amygdalas, castaneas, mala, pyra, nuces Ponticas, fraga, &c. dicere solet; בא״י אמ״ה בורא פרי העץ *Benedictus tu Domine Deus noster, qui hos arborum fructus creaveris.*

Terra nascentium.

De eo quod arboribus non decerpitur, sed terra nascitur, dicunt: בא״י אמ״ה בורא פרי האדמה *Benedictus tu Domine, &c. qui terræ fructus creaveris.*

Cæterarum rerum

De cæteris vero rebus, quæ neque ex arboribus, neque ex terra prodeunt, utpote caseo, butyro, piscibus, carne, lacte, melle, &c. בא״י אמ״ה שהכל נהיה בדברו *Benedictus, &c. cujus verbo omnia creata sunt.*

Bellaria post consecrationem in terram delapsa, &c.

Si bellaria in manus sumta, & benedictione consecrata, illis ex manibus excidant, antequam ea in os indiderint, dicere solent: ברוך שם כבוד מלכותו מעתה ועד עולם *Benedictum nomen decoris regni illius, dehinc & in æternum*; ideo scil. quod frustra precati sint, nullamque inde utilitatem perceperint, & nomen Dei, quod non leve est peccatum, frustra nominarint: Si vero ante preces omnino peractas e manibus exciderint, dicitur, *Domine: doce me mandata tua.*

Ante consecr. Berachos cap. 7. pag. 50. Oblivio precum.

Si quis oblitus sit precari, & aliquid jam ori admoverit; si de potionum genere sit, totum est ebibendum, & e vestigio precatiuncula recitanda; si de esculentis, altera oris parte id continendum est, & benedictio interim recitanda, eaque recitata demum, quidquid id est, deglutiendum. Sed si integrum adhuc, nec comminutum fuerit, expui debet, & tum demum preces concipiendæ.

Orach chajim n. 116. Consecratio aromatum.

Quemadmodum vero nihil edendum vel bibendum est absque precibus, & gratiarum actione: ita etiam nullo suavi odore absque gratiarum actione frui debent. Odorem, quem ligna expirant, qualis est rosarum, thuris, cinnamomi,

mi, ejusmodi benedictione consecrant: בא״י אמ״ה בורא עצי בשמים *Benedictus, qui suavem ligno aromatico odorem indideris.*

Fructuum suaveolentium.

De Fructuum, utpote malorum, pyrorum, aurantiorum, citreorum, nucum moschatarum odore, sic dicunt: בא״י אמ״ה אשר נתן ריח טוב בפירות *Benedictus, &c. qui hunc odorem fructus spirare permiseris.*

Balsami & olei.

De Balsamo, & aliis suaveolentibus oleis vel aquis, dicitur: בא״י אמ״ה בורא שמן ערב *Benedictus, &c. qui tam suave & præstantis odoris oleum creaveris.*

Herbarum

De herbis grati odoris: בא״י אמ״ה בורא עשבי בשמים *Benedictus, &c. qui aromaticas & suaveolentes herbas creaveris.*

Variorum odorum.

Si quis vel conclave vel apothecam ingressus fuerit, multimodis aromatibus & gratis odoribus spirantem: בא״י אמ״ה בורא מיני בשמים *Benedictus, &c. qui omnimoda bona aromata creavisti.*

Rerum visu perceptarum.

De rebus *Visu* perceptis; veluti;

Si quis videat hominem monstrosum; ברוך משנה הבריות *Benedictus sit qui varias facit creaturas.*

Si ab hominibus mutilatum, vel deformatum: ברוך דיין אמת *Benedictus sit Judex justus*. Idem dicunt super cæcis, scabie maligna porrigine &c. affectis.

Qui arbores vel alias res naturales elegantes videt: ברוך שלא חסר מעולמו כלום *Benedictus sit, qui non patitur quicquam in mundo suo desiderari.*

Qui Templum Idololatricum videt: בית גאים יסח ײ *Domum superborum demoliatur Dominus.*

Qui imaginem idololatricam videt: ברוך שנותן ארך אפים לעוברי רצונו *Benedictus &c. qui longaminitate utitur, erga transgredientes voluntatem ejus.*

Qui locum videt, e quo exstirpata est Idololatria; *Benedictus sit Deus, qui exstirpavit Idola ex hoc loco.*

Qui Cometam, Meteora, Fulgura videt: ברוך יי׳ שכחו וגבורתו מלא עולם *Benedictus &c. cujus potentia replet mundum.*

Super Iride: *Benedictus, qui pepigit fœdus cum Noacho, se non amplius diluvio perditurum terram.*

Qui Sapientem & eruditum Christianum videt: *Benedictus &c. qui de Sapientia sua largitur Carni & Sanguini* &c.

Rerum auditarum.

De *Auditu*.

Si quis bona nova audiat, sibi privatim grata & jucunda, dicit; *Benedictus sit, qui nos vivos conservavit* &c.

Si quid mali & adversi: *Benedictus sit Judex veritatis, qui voluit ut homo benedicat æque super malo, ac super bono*; idque animo hilari & alacri.

Si de rebus aliis, vel actionibus quas homo suscipit: si quis Domum novam exstruat, vestimenta nova comparet, ברוך שהחיינו וכו׳ Novam vestem induenti; dicunt, תבלה ותחדש *Faxit Deus, ut hanc deteras, & novam facias!*

Balneum ingredientis.

Balneum seu Vaporarium *ingrediens*, dicit, יהי רצון מלפניך ה׳ אלהי ואלהי אבותי שתכניסני לשלום ותוציאני לשלום ותצילני מזה ומכיוצא בזה לעתיד לבוא *Deus mi & Deus Patrum meorum, ingredi quæso facias me in pace, & exire sinas me in pace, liberesque me ex hoc, & similibus locis, tempore futuro*. Egrediens ex eo: מודה אני לפניך ה׳ אלהי ואלהי אבותי שהצלתני מן האור: *Gratias ago tibi o Deus, quod me ab igne liberaveris.*

Venam secantis.

Venam secans; יהי רצון מלפניך ה׳ אלהי ואלה׳ אותבי שיהי עסק זה לרפואה ותרפאני כי רופא חנם אתה *Faxis, o Deus, ut negotium hoc cedat ad salutem meam, & eo sanum me reddas: quia Medicus gratuitus es*. Post venæ sectionem: ברוך אתה ה׳ רופא חנם Benedictus esto o Deus, qui gratis sanas.

Sine gratiarum actione nihil sumendum.

In summa, hoc studiose ab illis observatur, & seriis docetur scriptis, nullam omnino ex qualibet re utilitatem vel delectationem percipienda absque præcedente gratiarum actione; qui secus faxit, nec Deo gratias egerit, prædonem illum & latronem merito appellari, qui injuste in Dei bona involet: כל הנהנה מן העולם הזה בלא ברכה כאילו גוזל להקב״ה. *Quicunque utilitatem aliquam percipit ex hoc mundo sine benedictione, perinde est ac si deprædaretur Deum*. Laudabilis sane consuetudo, si ex pio synceroque proficisceretur animo. Sed & hic, ut & in reliquis omnibus, externa potius spectant opera, virtutemque omnem & dignitatem in ipsis collocant verbis, quibus recitatis, officio se defunctos putant.

Sanhedrin fol. 120. 1. Berachos fol. 35 2.

Reliquiæ in mensa relinquendæ.

Frustula panis residua semper in mensa sunt relinquenda; qui secus facit; benedictionis omnis in posterum expers est, ut in Talmude in hunc locum Jobi disputatur; *Non remansit de cibo ejus, & propterea nihil permanebit de bonis ejus*. Reliquias autem superesse debere, scribitur in libro Paralipomenon: *Comedimus & saturati sumus, & remanserunt plurima*. Rabbi tamen Eliezer dixit, non esse integrum panem residuum relinquendum: nam quia integer Panis ab initio mensæ apponitur, si jam in fine quoque integer relinqueretur, videretur mensam velle instruere idololatriæ, vel Idolo, juxta illud Esaiæ: *Ipsi Gad mensam adornastis, & ipsi Meni libamen consecrastis*. Nulla quippe mensa hodie frustulis

Tractatus Sanhedrin cap. 11. folio 92. 1. Job 20. 21. 2. Par. 31. 10.

Esa. 65 11.

lis panis instruitur, sed integer panis apponitur: hoc tamen priscis temporibus factitatum est, postquam comederant & saturati fuerant, mensam Dæmonibus quoque in gratiarum actionem sternebant. Panis autem illius integri, & benedictione consecrati frustulum in mensa semper reliquum faciunt, ut aliquid in mensa supersit pro paupere, si quis forte adveniat; deinde, ut Dei benignitas & munificentia celebretur, qui nobis largitur panem non solum ad satietatem, sed & ad superfluitatem; tertio, ut sit, in quo benedictio quiescat: si enim totus exesus fuerit, nulla amplius mensam prosperat benedictio.

Ante gratiarum actionem cultri tollendi.

Antequam Deo post epulas gratias agant, cultelli absconduntur, vel tolluntur, & in vaginas reconduntur. Ejus rei duas rationes reddunt, 1. quia Mensa, præsertim tempore gratiarum actionis, vocatur Altare, super quo Deus colitur eique benedicitur; De altari autem dicitur לא תניף עליו ברזל; *Non elevabis super eo ferrum*, Deut. 27. 5. Deinde propter periculum, quod inde enasci potest,

Minhagim pag. 6.

In Gemara enim legitur, nullam hujus rei olim habitam fuisse rationem, sed quendam preces præeuntem, quum in gratiarum actione post mensam ad hæc verba devenisset: ובנה ירושלים עיר הקדש במהרה בימנו: ברוך אתה יי׳ בונה ברחמיו ירושלים׳. *Instaura cito in diebus nostris sanctam urbem Jerusalem: Benedictus tu Domine, qui urbem tuam Jerusalem instauras*; in memoriam sibi & Templi & Urbis desolationem revocasse, ac impotente animi motu abreptum, eo quod desolata jaceret Urbs, necdum instaurata esset, seipsum cultro transfixisse & vita privasse. Alii etiam tertiam addunt rationem, quia Mensa prolongat homini vitam; Culter eam præcidit. Non convenit autem, ut Culter vitam decurtans, elevetur super Mensam, quæ eam prolongat.

Quondam etiam moris fuit, ut subter & circa mensam analecta scopis everrerent, & in unum colligerent ante lotionem manuum, ne aqua e manibus excussa illa forte contaminentur, quod in contumeliam panis vergeret. Hinc & collecta reponi & recondi debent in loco, in quo non possint pedibus conculcari.

Manuum post cibum lotio.

Manus quoque & os, discumbentes adhuc, in pollubrum, non in triclinii solum, vel pavimentum, fascini vitandi causa, eluere solebant ante gratiarum actionem, quæ a mensa fieri consuevit, ut & preces & Nomen Dei ore puro & mundo recitare possent. Sed hodierno die segnitia atque desidia in desuetudinem hæc abierunt, & tum demum fiunt, quando preces peraguntur, & e mensa surgitur.

Gratiarum actio post cibum.

Postquam exemta fames epulis mensæque remotæ, oportet patrem familias vel Rabbinum, vel peregrinum hospitem, si quis adsit, Gratiarum actionem a mensa recitare; siquidem tres, quatuor, sex, octo vel plures fuerint. Si pauciores, quam tres, quisque pro se orat.

Antequam autem eam recitet, Sal a mensa removeri & toli debet. Infaustam enim vocem מלח (Sal) habent, eo quod uxor Lothi in Scriptura dicatur in statuam Salis conversa esse.

Fit poculo vini.

Ad hanc requiritur quoque *Poculum Vini*, quod vocant כוס של ברכת המזון. *Poculum Benedictionis mensæ*.

Ejus requisita.

Decem ejus requisita numerant Talmudici, e quibus hæc hodie sunt in usu, שידיחנו מבפנים *ut eluatur interius*, ושטיפה מבחוץ *& abluatur exterius*, ut undiquaque purum sit & mundum; Debet esse integrum non ruptum; Vinum ei infundendum merum, non aqua dilutum: idque recenter seu ex dolio, seu ex cantharo infusum: eo poculum totum quantum est, replendum, quia scribitur; *Plenus erit benedictione Domini*, Deut. 33. 23. h. e. Scyphus, qui benedictione consecratur, plenus esse debet. Quarum conditionum memoriale fecerunt vocem חמשה׳ *Chamischa*, quæ *quinque* significat, sed *quatuor* constat literis, quarum singulæ, initiales sunt harum 4. conditionum; ח denotat חי Chaj (Vinum merum & recens) מ denotat מלא *Male* (Plenus) ש significat שטיפה *Schetiphah* (Ablutionem externam) ה, הרחה *Hadachah* (Elutionem interiorem.)

Cum incipit Gratiarum actionem, sumit scyphum hunc in manum dexteram, sine ope manus sinistræ, &c. ut supra in Poculo consecrationis mensæ. Dum gratiarum actionem recitat, ipse, & omnes accumbentes, sedent, quia est satis prolixa, & majori devotione ac zelo, sedentes eam precari possunt; nulli tamen rei inniti, vel acclivem esse; quia id superbum censetur.

Gratiarum illa actio (ברכה) prolixa constat Oratione, qua *Deum primo laudant, eique gratias agunt, quod sibi & reliquis creaturis cibum potumque suppeditet, illiusque benignitate subsistant: quod patres suos ex Ægypto eduxerit, & in terram Canaan introduxerit, fœdus cum illis pepigerit, legem dederit, & se illos in æternum protegere velle promiserit. Deinde supplicant illi, ut urbis Jerusalem misereatur, templum & regnum Davidis*

cito

cito in diebus suis instauret & denuo erigat, Eliam & Messiam mittat, seque ex tam diutina captivitate liberet, paupertatem prohibeat, ne a Christianis (quos hic בשר ודם *Carnem & sanguinem*, id est, homines mere carnales appellant; innuentes nimirum, nos miseros mortales, & perditioni destinatas esse creaturas, quibus nulla cum Deo intercedat communio, ac proinde maledictos nos esse & reprobos, qui instar pecudum moriamur & pereamus: se vero esse gentem sanctam, Dei peculium & hæreditatem) *vel dona accipere, vel mutuari, aut stipem petere cogantur*, (Verba sunt, אל תצריכנו אלהינו לא לידי מתנת בשר ודם ולא לידי הלואתם) *sed potius, ut largitate & liberalitate illius augeantur, nec ignominia & dedecore afficiantur: utque a cervicibus suis Christianorum jugum dejiciat, seque publice & in omnium nationum conspectu in patriam reducat:* (הרחמן הוא ישבור עול גוים מעל צוארנו והוא יוליכנו קוממיות לארצנו) *mensæ & domui, in qua epulati sunt, benedicat, patrem & matremfamilias, liberosque cum omnibus posteris benedictionum suarum thesauris cumulet, &c.* Ad hæc ii qui discubuerunt *Amen* elata & contenta voce respondent: tacite vero secum hunc Psalmorum versiculum recitant; *Timete Dominum Sancti ejus, quoniam non est penuria timentibus eum: leunculi indigebunt, & famem patientur, sed quærentes Dominum non deficient ullo bono*: Verum id ore vacuo, ita ut nullæ micæ, nullæque carnis particulæ dentibus hæreant, pronuntiandum est, quia scribitur: *Replebitur os meum laude tua, toto die gloria tua.*

Amen post cibum.

Psalm. 34. v. 10. 11.

Psalm. 71. 8.

Fieri ea potest quavis lingua alicui nota: facienda voce articulata & distincta; alta etiam, si a patrefamilias fiat coram uxore & liberis. Quamvis etiam quis ita se inebriasset, ut vix loqui possit, tamen eam recitare tenetur; quia dicitur; *Si comederis, & saturatus fueris, benedices Domino Deo tuo.* Atqui & ebrius saturatus est.

Deut. 8. 10.

Gratiarum autem actio ibi recitanda est, ubi cibus captus est, ut constet, quod Deo gratias agat pro eo, quod ibi edit. Qui id facere negligit, graves pœnas luit; nisi errorem, vel contumaciam emendarit. Hinc Cabalistæ scribunt, *eos qui gratiarum actionem non recitant eo ipso loco quo comederunt, ad sepulchrum non venire*, hoc est, corpora eorum sepulchro non reddi; ut qui suspendio, aquis, igne, vel alio supplicii genere vitam finiant. *Pius quondam Judæus & Dei reverens, inter peregrinandum, in medio campi æquore aliquando pransus, gratiarum actionem, quæ a cibo fieri solet, recitare oblitus erat: quum vero aliquantum viæ processisset, illius mentem precis subiit recordatio. Conversus itaque ad comites suos, sibi retro pedem ferendi necessitatem impositam dixit: imprudentem enim pretiosum cimelium ibi oblitum esse, ubi epulati erant. Illuc reverso, & prece peracta, miraculum Deus edidit, columbamque auream creavit, quam, tanquam observationis præcepti hujus mercedem, abstulit.* Minime profecto mirum id esset, si in Peredia, & Perbibesia, ut & ora omni Conterebromia, columba assaria in os illius advolasset. Sed miraculum hoc non procul a Picorum montibus aureis, vel Indicis aurifodinis, contigisse oportet, unde sine dubio Columba hæc advolarit, & ad Judæi pedes præ defatigatione conciderit.

Orach chajim num. 184.

In quo loco gratiæ sint dicendæ.

Prandio finito vir pius iterum se conferet ad sua studia, quod si vero Somno meridiano impediatur, poterit dormire, sed somno brevi, ne quid detrahatur cultui Divino: neque etiam hoc somno quæret voluptatem corporis, sed ut vires instauret ad colendum Deum. Id quod etiam intelligendum de omnibus, ex quibus homo recreationem capit in hoc mundo, juxta illud Salomonis; *In omnibus viis tuis cognosce eum*, Prov. 3. 6. Et Rabbini dicunt; כל מעשיך יהיו לשם שמים *Omnia opera tua fiant ad gloriam Dei*; nempe etiam ea quæ sunt של רשות libera & indifferentia, ut, Edere, Bibere, Ambulare, Sedere, Stare, Loqui, &c. Hinc Rabbenu Hakkadosch, moriturus, sursum erexit decem digitos suos, & dixit; *Nosti, o Deus, quod non usus sim his digitis, nisi ad tuam gloriam.*

A prandio aliquid studendum.

Sapientissimi illi mortales multa per hebdomadem agitare convivia, totamque illam in dies festos convertere prohibuerunt: continua etiam & mutua inter se Judæos curare convivia, vehementer improbarunt. Ac sane Cabalistæ dicunt, *Sammaelem, Dæmonum principem, cum sua caterva & sodalitio ejusmodi conviviis interesse, & convivas ad varia incitare peccata*, Rabbi Levi retulit. Rabbi Abben docuisse nomine Rabbi Jehosuæ, *eos omnes qui ita comessantur, & perpetuis per totam hebdomadam indulgent compotationibus, quando fato functi sunt & sepulchro conditi, post triduum medios disrumpi, adeo ut stercus, sordes & excrementa viscerum in faciem illorum defluant, uti scriptum est*: Dispergam super vultum vestrum stercus solennitatum vestrarum; *postea Diabolos accedere, illosque sannis excipere, & dicere, Comede quod tam*

Abstinendum a frequentibus conviviis.

Liber Reschis chochma cap. 15. pag. 64.

Malach. 2. 3.

tam longo congregaſti tempore, *&c.* Suaviſſimi & præſtantiſſimi hujus apparatus deliciis Judæi per me hic fruantur licet; ego interim ad reliqua properabo, & docebo, quo ſe pacto poſt cibum gerere ſoleant.

CAPUT XIII.

De precibus Judæorum veſpertinis & nocturnis, & quomodo cubitum ſe conferant.

Precatio veſpertina.

PRecatio *Veſpertina* ſubſtituta eſt in locum תמיד של בין הערביים *Sacrificii quotidiani veſpertini*. Ejus tempus olim erat hora ſexta. Quales autem horas olim obſervarint, quæritur? Scribunt, illos omnes dies diſtinxiſſe in 12. horas: horas autem incepiſſe ab ortu Solis, & in ejus occaſu finiiſſe ita ut prout Dies erat vel longior, vel brevior, tales etiam horæ fuerint. Hinc ſemper hora ſexta ab ortu Solis fuiſſe meridiem. A meridie, Sole declinante in Occaſum, initium fuiſſe illius temporis, quod in ſcriptura vocatur בין הערבים *Inter duas veſperas*, cui Oblatio Sacrificii veſpertini eſt aſſignata: Et ſic ſolitos fuiſſe Sacerdotes in Veſpera Paſchatis, quando ea incidit in veſperam Sabbathi, mactare Sacrificium quotidianum ſtatim ab initio temporis ei aſſignati (hoc eſt, circa ſextam & dim.) quo deinde poſſent etiam vacare Agno Paſchali, ante ingreſſum Sabbathi; Reliquis autem Anni diebus, non oblatum illud fuiſſe, niſi hora nona cum dimidia, (quæ noſtræ tertiæ reſpondet cum dimid.) Et hinc eſt, quod hodie quoque in Precatione *Minchæ*, ſeu pomeridiana, idem tempus obſervent. Et hæc obſervatio vocatur *Mincha Ketanna* hoc eſt, parva. Quod ſi quis velit eam ſtatim initio facere ab hora ſexta cum dimidia, id licet, & vocatur *Mincha Gedolah*, hoc eſt, magna. Durationem ejus quidam determinarunt, uſque ad ejus medium: alii ad noctem uſque.

De Horis Veterum.

Minhag. Pag. *6.* Orach. chajim num. 232.

In majoribus ergo urbibus, ubi Scholas vel Synagogas Judæi habent, is qui januarum pulſatione ad Scholam congregare ſolet (Æditui vicem ſupplet) horam circiter quintam pomeridianam circumire & oſtiatim pulſare ſolet, ut ſcilicet in ſcholam, oblationis vel precis veſpertinæ cauſa, conveniant.

Preces Veſpertinæ.

Quum primum ſcholam ingreſſi ſunt (lotis primum manibus) ſedent & precem recitant, cujus prima vox eſt אשרי *Aſchre* id eſt, Bene Beateque; deſumta nempe ex Pſalmo 84. אשרי *Bene beateque habitatoribus domus tuæ*, *& iis qui te in ſæculum laudant*, *Selah*, (his verbis ſeſe jactantes, quod adeo ſtudioſe & diligenter precibus in ſynagogis ſuis vacent) *Beatus populus cui ſic eſt*: *beatus populus cujus Deus eſt Dominus*, *Exaltabo te Deus mi*, *Rex*, *& benedicam nomini tuo in ſæculum*, *& in perpetuum*, *&c.* nec abſiſtunt, donec integrum hunc Pſalmum abſolverint. Permagni enim illum faciunt, ſcribuntque, partem in ſæculo futuro illi promiſſam eſſe, qui Pſalmum hunc ter quotidie recitaverint. Surgit poſtea præcentor, & ſacram illam precem, quam illi קדש *Kaddeſch* appellant, ſed dimidia tantum ex parte, canit: cœtus autem octodecim illas gratiarum actiones, quarum in precibus matutinis meminimus, recitat. Quo peracto, de loco editiore qui Chriſtianorum ſuggeſtis reſpondet, deſcendit, & ſuper gradibus coram arca genua ſubmittit, atque ad ſiniſtram vultu in terram procumbit, quem totus cœtus imitatur, caput quoque in ſiniſtrum latus propendere ſinentes, faciem tegentes, ſummaque & religione & attentione, ex toto corde (cor enim ad ſiniſtram ſitum eſt, ac proinde, quando ita caput in ſiniſtram propendet, caput & cor ſimul ſunt) in hæc verba erumpentes: רחום וחנון חטאתי לפניך מלא רחמים רחם עלי וקבל תחנוני ״׳ אל באפך תוכיחני ואל בחמתך תיסרני, ונו׳ *Miſericors & gratioſe Deus*, *coram facie tua peccavi*, *ſed tu miſericordia plenus es*, *miſerere ergo mei*, *& humillimas preces meas noli dedignari*, *nec in furore tuo arguas me*, *neque in ira tua corripias me*; & hac ratione, abjecto & operto vultu, Pſalmum ſextum a principio ad finem uſque recitant.

Pſal. 84. 5.

Pſal. 144. 15.

Pſal. 145.

Kimchi in hunc Pſal.

Orach chajim num. 130.

Pſalm. 6.

Quod *præcentor inflexo genu procidat coram arca*, in quam liber legis reconditur, id fit exemplo Joſuæ, de quo ſcribitur: *Et Joſua pronus cecidit in terram coram arca Domini.*

Cur præcentor in genua procidat. Joſ. 7. 6.

Quod *faciem operiant*; ideo contingit, quia olim, quum amplum & ſpatioſum haberent Templum, quatuor cubitos ab invicem ſinguli diſtabant, quando peccata ſua coram Deo confitebantur, adeo ut alter alterius confeſſionem audire non poſſet: propterea etiam hodie faciem ſuam tegunt, ut nemo quæ ab aliis dicuntur videat.

Cur faciem operiant.

Quod *in ſiniſtram ſe inclinent*, præter alias cauſas, ideo fit; quia ſcriptum exſtat; *Leva ejus ſub capite meo*: Item;

Cur in ſiniſtram ſe inclinent. Cant. 2. 6.

Item ; quod Isaac, quum offerendus esset , in sinistrum latus jacuerit .

Statim postea surgunt , & præcentor dicit : ואנחנו לא נרע מה נעשה כי עליך עינינו : *Nos autem quid facto opus sit ignoramus , nisi ut oculos nostros ad te levemus*; quasi dicerent; Nos , o Deus, te stantes & sedentes , humiles & elevati , erecti & inclinati , invocavimus, adeo ut ignoremus, quid nobis amplius sit faciendum : itaque faciem nostram ad te levabimus , &c. Integram deinde precem *Kaddesch* iterum recitant , sicque preces vespertinas absolvunt .

Preces nocturnas quare cum vespertinis conjungant.

Conveniens sane esset , illos domuitionem nunc parare , & cœnatum abire , atque a cœna rursus in synagogam , precis nocturnæ , quæ ערבית *Arvis* vocatur, vel מעריב *Maarif*, peragendæ causa , convenire . Ejus tempus est ab initio noctis circa horam 9. usque ad mediam noctem . Verum , quia hoc incommodum est, & fieri potest , ut multi crapula nocturna obruantur , ita ut precis nocturnæ obliviscantur , consultum Rabbinis visum fuit , & ab illis constitutum , ut preci vespertinæ precem nocturnam continuo subiicerent . Exigui tamen temporis pausam faciunt, & inter oblationem , seu precem Vespertinam , & precem Nocturnam , intervalli aliquid interiiciunt , ita ut manifestum appareat discrimen . Fortassis ideo quoque Precibus pomeridianis Nocturnam conjungunt , quia scribunt , eam non esse חובה *debitum* , sed רשות *Reschus* , liberam & arbitrariam . Substitutam enim esse in locum membrorum & intestinorum Sacrificii vespertini , quæ interdiu non satis cocta fuerint &c. Nihilominus tamen ceu מצוה עוברת præceptum pium esse observandam , neque intermittendam .

Quomodo dissidentes se aliquando ante preces reconcilient.

Interdum vero hic quoque peculiarem observant morem ; si quis litem cum alio habeat , vel jurgium aliquod componendum sit , is qui jus suum ab adversario obtinere non potest , in medium procedit , atque ad librum ex quo præcentor preces decantat , adit , eumque claudit, & manu pulsans , inquit : אני כלאו *Ani Kelao* , Ego occludo illum ; quasi diceret ; Precibus pessulum & repagulum obdo , donec adversarius meus mecum in gratiam redierit . Tunc ulterius precari non audent , donec illi satisfactum fuerit . Precibus itaque non peractis domum sæpe repetunt : & si litigantium alter implacabilem , inexpiabilemque sese præbeat , precibus per aliquot dies sæpe supersedetur .

Quid precentur noctu.

Inter cætera autem iterum a Deo petunt, ut a Christianis liberentur , & in patriam reducantur : & in quadam prece , cujus initium est , ברוך יי׳ ita solent dicere : הושיענו אלהי ישענו וקבצנו והצילנו מן הגוים להודות לשם קדשך להשתבח בתהלתך : כל גוים אשר עשית יבואו וישתחוו לפניך יי׳ ויכבדו לשמך וכו׳ יראו עינינו וישמח לבנו תגל׳ נפשנו בישועתך באמת באומר לציון מלך אלהיך יי׳ מלך יי׳ מלך יי׳ ימלוך לעולם ועד וכו׳ *O Deus Domine noster , auxiliare nobis , congrega & libera nos a gentibus* (hoc est , a Christianis) *ut sacrosanctum nomen tuum confiteamur , & in laude tua exultemus . Omnes populi , quos tu creasti , venient , & adorabunt in conspectu tuo , & nomini tuo honorem exhibebunt , &c. oculi nostri videbunt , cor nostrum lætabitur , anima nostra auxilio tuo revera gaudebit , quando Sioni dicetur , Dominus regnat , Deus Rex est , Deus regnat , & in æternum regnabit , tuum enim est regnum , &c.* (Ah miser Judæe , frustra lætitiam hanc expectas : jam enim ante mille sexcentos annos contigit) . Postea precem illam repetunt , qua Christianos & Christianum Magistratum diris devovent , cujus in prece matutina mentionem fecimus . Qui hoc anno patrem amisit , per integrum annum precem illam recitat , quam *parvum Kaddesch* appellant, ut illius opera & virtute patrem suum ex purgatorio liberet , ut ego fusius , Deo dante , alibi declarabo . Quum schola egrediuntur , Scripturæ loca illa recitant de quibus supra capite quinto dictum . Et hic iterum verbosissimam habent disputationem de prece cujus initium est ; שמע ישראל *Audi Israel* , *Dominus Deus tuus Deus unus est* ; quo nempe pacto , quo tempore vel loco sit recitanda : sed ampliora sunt , quam ut huc transferri possint .

Talmud & Rabbi Alphes tr. Berachos cap.1. Orach chajim n. 235. & seqq.

In cœna eadem se ratione gerunt , atque in prandio.

Quomodo in cubiculo se exuant.

Quando cubitum se conferunt , calceum sinistrum primum exuunt , deinde dextrum . Indusium in lecto jam decumbentes & stragulis operti exuunt , ne scilicet parietes & trabes domus pudenda illorum nuda intueantur . Ideo nudis illis in cubiculo vesicam exonerare non licet . Fœdissimum hoc est & turpissimum , & in summam homines adducit paupertatem : *Unum enim est eorum quæ Deus odit , &c.*

Talm. Nidda fol. 16.2. Vajikr. rab. fol. 189.1.

Qui precationem, *Audi Israel* , in lecto recitat , illi continuo dormiendum est, nec amplius quicquam loquendum , uti scribitur : *Loquimini in corde vestro , super cubili vestro , & tacete* . Si statim obdormiscere non possit , precatio illa ite-

Psalm.4 5.

iteranda est, & quidem toties, donec illi indormiat: ita placide & quiete dormiet, somnusque illi proderit.

Thalamus purus esse debet.

Thalamus, in quo vir & uxor simul decumbunt, purus semper & mundus esse debet: fieri enim potest, ut vir de expositione seu decisione rei alicujus, quam illo die didicit, vel in Sacra Scriptura legit, cogitet; vel etiam pios a Deo liberos exposcat; vel ut uxor illius in preces effundatur. Jam inexpiabile esset facinus, de nomine Divino in impuro loco cogitare. In Talmude *Rabbi Siram interrogaverunt discipuli quomodo ad id temporis vitam produxisset? Ille vero respondit: In vita mea nunquam studui, vel nomen Dei pronuntiavi, imo ne de illo cogitavi quidem, in loco impuro.*

Tractat. Taanis de jejunio, c. 3.

Lectus quomodo collocandus.

Lectum etiam vulgo sic collocant, ut caput Meridiei, pedes vero Septentrioni obvertantur, aut vice versa: non vero modo contrario, inter Orientem & Occidentem, propter reverentiam Templi, & Hierosolymæ. Qui hoc fecerit, numerosa filiorum prole gaudebit, uti hoc eleganter in Talmude, & Rabbi Alphes disputatur, & subtiliter ex Psalmis Davidis demonstratur. Hebraice autem plaga Septentrionalis, ut & ventus ipse, צפון *Tzaphon* appellatur. Jam vero apud Prophetam scribitur: וצפונך תמלא בטנם *Utzephonecha temalle bitnam*, hoc est, si Rabbinice interpreteris. *Et tuus Aquilo ventrem illorum replebit, & filii multi illis nascentur*. Quamvis autem Rabbini ipsi probe sciant, longe alium esse verborum Propheticorum sensum; singularis tamen artificii, & præstantis ingenii esse existimant, si ejusmodi argutæ expositiones in Sacræ Scripturæ loca cudantur. Verum quia invalida & imbecilla est hæc demonstratio, exortus est quidam Rabbinicus Philosophus, qui hæc verba physice & naturaliter exposuit, in libello, cui ראשית חכמה *Principium sapientiæ*, titulum fecit; quam expositionem non necesse est hic inserere.

Tractatus Berachos cap. 1.

Psal. 17. 14

Schaat hakkeduscha c. 16.

Elegantem etiam habent Judæi Ethicam, de moribus in Thalamo servandis, præsertim qua se ratione vir cum uxore sua gerere debeat; omniaque subtilissime pro more illorum ibi disputantur. Sed castis & pudicis auribus parcendum est. Itaque, qui hæc scire desiderat, adeat librum, qui אורח חיים *Orach chajim Semita vitæ* appellatur.

Num. 240. & Specul. ardens c. 38.

De somniis.

Superstitiosi sunt Judæi circa Somnia, & multum illis tribuunt, tum propter exempla Jacobi, Josephi, Pharaonis, Nebucadnezaris, & Danielis; tum ex eo quod Jobi 33. ℣. 15. legitur: *Per somnium visionis nocturnæ, quando irruit sopor super homines, in dormitationibus super cubile: tunc revelat* (Deus) *aurem hominum &c.*

Si quis somnium habuerit mali aliquid aut infausti portendens, & tristitiam ei afferens; sequenti die Jejunium sibi indicit, quod tanti faciunt, ut cum ob omnem aliam causam prohibitum sit Sabbatho jejunare, propter hanc solam causam sit licitum. Vespere, jejunio finito, antequam cibum sumat, tres ad se vocat amicos, ad quos Somniator dicit; חלמא טבא חזאי *Somnium bonum vidi*; idque septies repetit; Illi toties ipsi respondent; חלמא טבא חזית טבא הוא טבא הוי וטבא להוי ורחמנא טבא לשויה טבא דיהי טבא ויהוי טבא *Somnium bonum somniasti; Bonum est, bonum sit, bonum fiat! Deus misericors faciat illud bonum, ut sit bonum, & fiat bonum!* Postea quædam loca scripturæ, boni ominis causa, subjungunt, Psalm. 30. 12. Jerem. 31. 13. &c. claudentes dicto Eccles. cap. 9. *Vade, comede in gaudio panem tuum, & bibe hilari corde vinum tuum, quia jam grata sunt Deo opera tua*. Vocant hoc הטבת חלום *Benefactionem somnii*.

Si somnium dubium ipsi obtigerit, ut nesciat, bonum ne sit an malum, peculiarem quoque habent precationem, qua Deum rogat, ut in bonum ipsi vertat. Habentur hæ formulæ in libris precum ipsorum.

CAPUT XIV.

Quomodo Judæi dies Lunæ & Jovis singulis hebdomadibus, festos agant.

Decem res ordinavit Esdras. Bava Kama cap. 7.

IN Talmude & Rabbi Alphes legimus; Ezram Prophetam in captivitate Babylonica decem instituisse, & custodienda præcepisse: *primo*, ut Sabbatho, *secundo*, ut diebus Lunæ & Jovis singulis hebdomadibus publice particulæ aliquot & peculiares lectiones in libro Legis in Synagoga, singularibus adhibitis ceremoniis, & magna cum Sanctimonia, legantur: *tertio*, ut diebus Lunæ & Jovis publice jus dicatur, & unusquisque in jure suo obtinendo adjuvetur: *quarto*, ut die Jovis omnia domi laventur, verrantur, & repurgentur, in Sacrosancti Sabbathi honorem, *quinto*, ut diebus Jovis viri allia comedant: *sexto*, ut mulieres mane surgant, & panem conficiant, ut sta-

ſtatim prima luce pauperi alicui & egeno, fruſtum panis diſtribui poſſit: *ſeptimo*, ut mulieres, majoris verecundiæ teſtandæ ergo, ſubligacula ſeu femoralia geſtent: *octavo*, ut mulieres caput ſuum ſtudioſe pectant, & capillos accurate ab invicem in balneis diſcernant: *nono*, ut mercatoribus & tabernariis varias urbes circumire liceat, & merces ſuas venales proponere, quo Judææ mulieres omnigena aromata, & muliebrem mundum præſtinare, ſeque tum in honorem Sabbathi & feſtorum, tum etiam maritorum oculis, ornare poſſint: *decimo*, ut ii, qui ὀνειρωγμὸν paſſi fuerint, aqua perluantur.

Eſdras primum ordinavit, ne tres in ſeptimana dies ſine lectione Legis preterirent, & cur

Etiamſi autem jam ante Eſdræ tempora Prophetæ ſtatuiſſent, & præcepiſſent, ut Sabbatho Lex Moſis, habitis ad populum concionibus, doceretur; Eſdras tamen, ut mage ſpectatam populi pietatem redderet, triduum præterire prohibuit, quin aliquid ex Lege prælegeretur, quod in concione exponeretur, adeo ut debita populus inſtitutione formaretur. Nam ajunt; *Qui triduum agit ſine lectione Legis, eum invadunt inimici*, ſicut de Iſraelitis legimus. Poſteaquam enim de illis dictum eſt: *Profecti ſunt tribus diebus per deſertum, & non invenerunt aquam*, hoc eſt, non invenerunt *Legem*, quæ *Aqua* appellatur, uti ſcribitur: *O vos omnes qui ſititis, venite ad aquas*, hoc eſt, ad Legem & verbum Dei; mox ſubjungitur; *Et venit Amalek, & pugnavit cum Iſraele*. Quandoquidem igitur, in deſerto, triduum abſque Lege ambularunt, ideo poſtea hebdomadem ita diviſerunt, ut plus triduo abſque lectione atque auditu Verbi Dei non prætereatur. Adde, quod id diebus Lunæ & Jovis propterea etiam contingit, ut memores ſint, Moſem die quinto, ſeu Jovis, montem Sinai ſecundo conſcendiſſe, & cedrinas Legis tabulas petiviſſe, veniam quoque vituli fuſi impetraſſe, & die Lunæ rurſus deſcendiſſe. Hinc ſcribunt, dies iſtos eſſe ימי רצון יותר משאר הימים dies magis gratioſos & auſpicatos, quam reliquos: hinc etiam, qui apud Judæos præ cæteris pii videri volunt, hodie adhuc duobus illis diebus ferias eſuriales celebrare ſolent, uti Phariſæus Chriſti temporibus, qui ſuperbe & arroganter dicebat; *Deus, gratias ago tibi, quod non ſum ſicut cæteri homines, jejuno bis in hebdomade*. Tertio, propter dies feſtos, & quibus jus dicitur, neceſſarium quoque eſt ut diligenter Lex audiatur, & ſtudioſe Verbum Dei perpendatur.

Exod. 15. 22.

Eſa. 55. 1.

Exod. 17. 8

Cur dies Lunæ & Jovis ad id deſtinati.

Luc. 18. 10.

Ac ſane duo illi dies hodie adhuc apud Judæos ex parte feſti ſunt, iis mane ſimul in Synagogam conveniunt, precantur, canunt, multaſque alias preces ſolitis matutinis precibus adjiciunt, ut in Ritualibus illorum, & Precum libellis videre eſt. Magna etiam pompa & apparatu librum Legis ex Arca educunt, & in eandem rurſus recondunt, qua de re breviter aliquid hic dicendum.

Quomodo illi hodie ſoleant feſti agi.

De precibus diei Lunæ & Jovis.

Preces quod attinet, ad ſolitas matutinas aliam addunt, quæ a primis vocibus והוא רחום *Vehu rahum* appellatur, cui magnam virtutem & efficacitatem adſcribunt; quamvis parum admodum per mille ſexcentos annos profecerit. Stantes cum ſingulari attentione illam בלחש ſubmiſſa voce recitare ſolent, prout recitant precationem *Schmon' eſre*, de qua ſupra. Dicunt enim tres Senes illam compoſuiſſe; quiſque ſc. unam tertiam ejus partem, & in unaquaque parte eſſe 18. אזכרות Nomina Divina, reſpondentia 18. Benedictionibus τȣ̃ Schmon' eſre. Hac de cauſa recitandam eſſe ſtando & muſſitando. Hiſtoria autem trium illorum ejus Authorum ita refertur: *Quum Judæi a Cæſare Veſpaſiano Hieroſolymis expellerentur, tres naves Judæis onuſtas a terra in mare, abſque naucleris & remis, emitti juſſit Imperator. Tempeſtatibus itaque in diverſum actæ naves, ad varias regiones appulerunt; prima objecta eſt apud regionem Lovandam* (harum regionum nomina hodie ſunt incognita) *altera, Arladum* (*h. e. Arelatam, urbem Galliæ, ut non nemo exiſtimat*) *delata eſt, tertia Burdelim* (*h. e. Burdigalas*); *qui poſtremi a regionis illius Domino comiter excepti ſunt, adeo ut illis vineas & agros colendos dederit. Verum ubi Dominus ille fatis conceſſit, alius exortus eſt, qui inſtar poſterioris Pharaonis duriter eos habuit, & graviſſimis afflictionibus exercuit, eoſque ita aliquando compellavit; Jam experiar, an veri ſitis Judæi? in fornacem ignitam, non ſecus atque olim Ananias, Miſael, & Azarias, conjiciemini: ſi illæſi & incolumes conſervemini, pro veris Judæis vos habebo. Illi vero reſponderunt: Clementiſſime Domine Rex, concede nobis triduum, ut nos præparare, Deumque noſtrum invocare poſſimus, ut liberet nos, uti illis conceſſum eſt, & liberati ſunt. Quum id a Rege impetraſſent, convenerunt tres viri pietate egregii, Joſephus & Beniamin fratres, patrueliſque eorum Samuel, conſiliumque inierunt, conſultantes quid facto opus eſſet, decreveruntque ſibi jejunio & precibus viam ſternere. Singuli itaque ſingularem concinnaverunt precem, ſtatimque tres illas preces in unam compegerunt, qua per*

Hiſtoria ſeu fabula Judaica.

totum

totum illud triduum indesinenter diu noctuque divinum Numen placare studuerunt. Tertio die mane illorum quidam dixit; hac nocte somniavi, mihi a viro quodam versiculum ex scriptura prælectum, in quo particula כי Ki *bis, particula vero* לא Lo *ter exstaret: Sed, & locum ubi scriptus, & significationem ejus ignoro. Alius respondit, versiculus ille habet in se consolationem & auxilium tuum, Deique e cœlis liberationem portendit. Exstat autem Esaja cap.* 43. כי תעבר במים אתך אני ובנהרות לא ישטפוך כי תלך במו אש לא תכוה ולהבה לא תבער בך: id est, Quum transierit per aquas, tecum ero, & flumina non operient te, quum ambulaveris in igne, non combureris, & flamma non ardebit in te: *Tertio die ingens accensus est ignis, & undique populus concurrebat, ut Judeos ardere videret. Tres itaque illi viri sua sponte nulla adhibita vi venerunt, & medium ignem ingressi sunt, canentes & Deum invocantes, donec ignis totus consumtus fuerit; Atque hujus precis virtute liberati sunt*. Miraculum hoc postea in omnes locos, qui a Judæis inhabitabantur, scripserunt. Unde præceptum & institutum est, ut precatio illa diebus Lunæ & Jovis semper in Synagogis recitaretur, quod in hodiernum usque diem observatur, certissima spe semper ducti se illius virtute ex diutina hac captivitate & exilio liberatum iri: qui eam recitare neglexerit, is male multatur. Hactenus tamen id nondum contigit, nec in posterum etiam continget, quandiu Christum spernent, & in horrenda illa incredulitate pertinaces hærebunt. Hanc historiam, seu potius fabulam, ex libro כל בו Kol bo i. e. *Omnia in eo*, paulo fusius protuli, quam Antonius Margarita. Ita autem se se habet Precatio illa; והוא רחום יכפר עון ולא ישחית והרבה להשיב אפו ולא יעיר כל חמתו: אתה יי' לא תכלא רחמיך ממנו חסדך ואמתך תמיד יצרונו: הושיענו יי' אלהינו וקבצנו מן הגוים להודות לשם קדשך וכו' *Ipse autem est misericors, peccata condonat, nec peccatorem perdit: sed in ira sua avertenda multus est, neque omnem furorem suum suscitat. Tu Domine ne cobibeas miserationes tuas a me, misericordia tua & veritas tua jugiter custodiant me. Adesto nobis Deus salutis nostræ, & congrega nos a gentibus, &c.* Summa totius precis hæc est; *ut Deus peccata illis condonet, desolationis Hierosolymorum Templique misereatur, & a quatuor mundi plagis illos congreget, nec hæreditatem suam ignominia & dedecore notari patiatur. Neque tamen hic Christianorum oblivisc*u*ntur, sed in eos ita debacchantur;* עד מתי עזך לשבי ותפארתך *Quousque tandem robur tuum captivum erit? & decor tuus* (sequentia in multis libris omittuntur Magistratus jussu: sed vulgo spatium album relinquunt, ut describi possint, vel ut a senioribus defectum supplere moneantur) ביד צר עורה גבורתך וקנאתך עליהם הם יבשו ויחתו מגבורתם *in manu oppressoris jacebit? o Deus suscita robur tuum, & zelum tuum contra inimicos nostros, pereat robur eorum, & confundantur, &c.* His verbis Christianos innuentes, in quos Deum vindicem ac ultorem advocare solent.

Esa. 43.2.

Iterum postea in vultus cadunt, (quod נפילת אפים *Nephilas appajim* vocant) uti superiore capite memoratum est, multasque alias adjiciunt preces, quibus Deum rogant, ut suam in illos iram ponat: nec in hostium manus veniant; sed potius promissorum suorum meminerit, se nempe semen ipsorum ad instar stellarum cœli multiplicaturum.

Lectio Legalis diei Lunæ & Jovis quibus ceremoniis peragatur.

Postquam hac ratione aliquandiu, modo inclinati, modo erecti, sunt precati, ad cæremonias, solennesque libri Legis pompas progrediuntur, & ex illo lectionem hebdomadæ illius legunt, ut Ezra præcepisse dicitur. Sic autem se res habet:

Forma libri Legis in Synagogis.

In singulis synagogis Pentateuchum habent, ספר תורה *Sepher Thorah* ab illis dictum membranis vitulinis aliquot in longitudinem consutis, crassioribus characteribus inscriptum, ad quas ab utraque extremitate duo tornata ligna annectuntur, quibus tolli & ferri possit. Hæ membranæ a Judæis, & filis caprinis a fœminis Judæis netis & contortis, consui debent, ut in latitudine habeat sesquiulnam, in longitudine, quinquaginta. Non etiam nisi a Judæo scribi potest. Tornata illa ligna communiter argenteis laminis sunt obducta & ornata: ideo adhibentur, quia ipsum librum manu contingere non licet. Vocantur ab eis עץ חיים. *Lignum vitæ*, ex Proverbiis Salomonis, ubi scribitur; *Sapientia lignum vitæ est iis, qui apprehenderint eam*. In scriptione magna est accuratio ac diligentia adhibenda, adeo ut si vel in unica litera error sit commissus, totus liber prophanus habeatur. Multa hic quoque alia requiruntur, de quibus videri possunt Rabbi Maimonides, & alii Rituales, in הלכות ספר תורה. *Hilchot Sepher thorah*. Hic liber in peculiari arca vel capsula, muro ut plurimum versus orientem impacta, in synagogis semper custodiri solet, quam vocant ארון הקדש *Aron hakkodesch*, ad imitationem

Prov. 3.18.

Arcę

Arcæ fœderis in Templo, in qua liber Legis erat repositus. Ante capsulæ operculum elegans velum, & quidem acu pictum, poni solet, & quo festum est, majus, eo pretiosius solet esse velum. Avium picturis hic præ aliis delectantur; quod in Veteri Testamento in Arca fœderis aves quoque depictæ fuerint. Liber porro ille peculiari linteo, fasciæ instar quatuor aut quinque ulnas longo, & palmum lato, perpetuo involvitur. Fasciæ autem istæ (Judæi Germani vulgo vocant wimples) hinc ipsis veniunt. Puerulí semestres singuli Sabbatho a Parentibus in Scholam ad principem Rabbinum deferuntur, ut ab illo benedictionem accipiant. Quivis vero puerulus secum afferat oportet in Scholam ejusmodi pannum, sive fasciam (wimpel) in qua ut plurimum cum aliæ figuræ, tum imprimis infantis nomen, nomen parentis, ætas, & dies nativitatis ipsius, acu artificiose & ornate sunt depicta. Fasciam hanc pater infantis accipit, & illi, qui officium Ligni vitæ habet, tradit, hic vero alteri, qui officium *Gelilah* seu Involutionis administrat, porrigit. Ita vero liber Legis huic fasciæ est involvendus, ut literæ illius introrsum convertantur, & pergamenum, cui lex inscripta, quam proxime contingat. Ubi liber Legis fasciis sic est involutus, certum deinde habent (quod מפה *Mappam* vocant) palliolum, interdum bombycinum vel heteromallum, interdum Attalicum, quo librum legis obducunt. Ab hoc palliolo, de catenula argentea, dependet lamina argentea satis magna plures adhuc lamellas in se continens, quæ a majore eximi & separari possunt. In minoribus lamellis sculpta sunt nomina festorum, & dierum quibus liber Legis est usurpandus: majori vero laminæ inscriptum, כתר תורה *Keser Toroh* Corona Legis, vel, קדש ליהוה *Kodesch Ladonaj* Sanctitas Domini.

Hic tria habent officia, circa quæ sunt ambitiosi, & superstitiosi. *Primum* est גלילה. *Complicatio*; munus, complicandi & replicandi librum: *Secundum*, עץ חיים *Etz chajim*, Lignum vitæ, ut sc. quis lignum illud manu teneat & prehendat. *Tertium* est, הגבההה Hagbohoh, hoc est, *Elevatio*, quo quis Librum sustollit, circumfert, & populo Scripturam legis ostendit. Hæc munera auctione vendunt: Æditumus circuit suggestum, & alta voce proclamat; *Quis vult emere* גלילה? Quis vult emere עץ *Lignum vitæ*? Quis *Hagbohoh*? Elevationem? Præcipuum ex his est munus גלילה Replicationis & complicationis, & carius cæteris venditur; Qui plus obtulerit, ea obtinet: & pecunia cedit in usus pauperum, & Ecclesiæ ac Scholarum conservationem. Emenda ea dicunt ברמים יקרים pretio caro, להבב המצוה propter amorem & honorem præcepti.

Quando igitur Æditimus vel præcentor (חזן *Chassan*) sacrum hunc Librum ex arca profert singuli hæc ex libro Numerorum canunt: ויהי בנסוע הארון ויאמר משה קומה יי׳ ויפוצו איביך וינוסו משנאיך מפניך : כי מציון תצא תורה ודבר יי׳ מירושלם : *Quumque proficisceretur Arca, dicebat Moses, surge Domine, & dissipentur inimici tui, & fugiant qui oderunt te, a facie tua. De Sion exibit lex, & verbum Domini de Jerusalem*. Cum arcam claudit, dicunt: ברוך שנתן תורה לעמו ישראל בקרושתו. *Benedictus qui dedit Legem populo suo Israel cum sanctitate sua*. Præcentor vero, quum librum in brachium sumit, canere incipit גרלו יי׳ אתי ונרוממה שמו יחדיו. *Magnificate Dominum mecum, & exaltemus Nomen ejus simul*: Cœtus respondet רוממו יי׳ אלהינו והשתחוו להדום רגליו כי קדוש הוא: רוממו יי׳ אלהינו והשתחוו להר קדשו כי קדוש אלהינו. *Exaltate Dominum, Deum nostrum, & incurvate vos scabello pedum ejus, quia sanctum est: Exaltate Dominum Deum nostrum, & incurvate vos monti sanctitatis ejus, quoniam sanctus Dominus Deus noster*.

Orach chajim n. 135.

Num. 10. 35.

Esa. 2. 3.

Psal. 34. 4.

Ps. 99. 5. 9.

Dum ad Suggestum, Judæis אלמימר *Almemor*, voce ignota dictum, defert, omnes accurrunt, & librum in ulnis ejus osculantur: qui ore non potest, manu tangit, quam deinde osculatur.

Super illo *Almemor* seu suggestu stat Mensa cum Mappa, vel enim bombycino aut holoserico tapeti, cui *Chassan* seu Æditimus librum imponit. Dehinc accedit alius, quem סגן *Segen* vocant, ad sinistram Chassanis stans, qui pannos removet, & librum explicat. Exinde סגן *Segen* iste mandat Chassani seu æditimo, quemnam ad legendum vocare debeat.

Nemo enim ultro & sponte ad legendum prorumpet, qui non sit nomine suo vocatus; tum propter honorem & reverentiam Legis, tum ne ἀταξία oriatur, & contentiones, si plures forte simul exsurgerent, & hoc munus affectarent.

Vocatur autem *primo* omnium כהן *Kohen*, seu aliquis de Sacerdotali familia, & honoris magni loco ducitur; si quis primus evocetur: Vocatus appellatur suo & Patris sui nomine, ut accedat, his verbis, ex. gr. יעמוד רבי אברהם בר יצחק הכהן *Surgat & adscendat Rabbi Abraham, filius Isaaci, Sacerdos*, idque alta & clara voce, ut & ipse, &

& adſtantes omnes audiant . Hic accedens , & in medio amborum ſe ſiſtens, libro oſculum affigit , non tamen nudæ membranæ (grave enim hoc peccatum foret) ſed pannis , quibus involvitur : Præcentor , ſumto argenteo ſtylo , monſtrat vocato locum & verſum , unde lectio Legalis incipiat , quia manu attingere non audet , ille manu prehenſis , duobus lignis inferioribus , oculis non in librum defixis , ſed ad alterutrum latus converſis antequam legere incipiat , contenta & clara voce dicit ; ברכו את יי׳ המבורך *Benedicite Deo benedicto* : Cætus reſpondet , ברוך יי׳ המבורך לעולם ועד *Benedictus eſto Deus benedictus in ſecula ſeculorum* . Vocatus pergit ; *Benedictus tu Deus , qui nos præ aliis gentibus elegiſti , nobiſque Legem tuam dediſti. Benedictus tu Deus , Legis dator* . Hic Judæus ille exiſtimat , ſe rem acu tetigiſſe , Lignum vitæ æternæ in manus ſumſiſſe , & cæteris omnibus gentibus feliciorem , beatioremque eſſe . Poſt lectionem peractam denuo librum , panno ſerico prius tectum , deoſculatur , hacque actum ſuum concludit benedictione ; ב״אי אמ״ה שבראנו לכבודו והבדילנו מן התועים ונתן לנו תורת אמת וחיי עולם נטע בתוכנו בא״י נותן בתורה *Benedictus Deus , qui creavit nos ad gloriam ſuam , ſeparavit nos ab errantibus , & dedit nobis Legem veritatis , & vitam æternam plantavit in nobis . Benedictus Deus qui dedit nobis Legem*. Hoc dicto , tres circiter paſſus recedit , & vocato in hunc modum benedicit , מי שבירך אבותינו וכו׳ *Qui benedixit Patribus noſtris , Abrahamo , Iſaaco & Jacobo , idem benedicat huic Abrahamo , filio Iſaaci , Sacerdoti ; ipſi , & toti ejus familiæ : quia honorem tribuit Legi . Deus cuſtodiat & tueatur eum ab omni malo , & ab omni anguſtia , mittat benedictionem & proſperitatem ſuper omnia manuum ejus opera* , &c. Cœtus reſpondet , *Amen* . Hanc Benedictionem recitant etiam ſuper ſequentes Lectores.

Deinde duo alii deinceps advocantur, quorum unus debet eſſe לוי *Levita* , alter ſimpliciter ישראל *Iſraelita* vel *Judæus* , & ſinguli primum imitantur per omnia , tam legendo , quam benedicendo.

Qui ad legendum prodeunt , per oſtiolum ſibi proximum aſcendunt , per remotius iterum deſcendunt.

Lectio debet fieri ſtando , adeo ut ne quidem ad murum vel parietem reclinare liceat : non pauciores quam decem verſus ſinguli lectores legunt : Duo non debent ſimul legere : Legente Præcentore ſubmiſſa voce quis poteſt legere : Si quis in lectione erraverit, vel in unica litera , is a peritioribus eſt corrigendus; & repetere debet quæ legit . Inter legendum non eſt garriendum , ne quidem de verbis Legis , ſed ſilendum : non licet e Synagoga exire , dum liber Legis eſt apertus.

Poſteaquam tres illi ſuas lectiones legerunt , accedit alius , qui ambobus brachiis volumen in altum tollit , quam quidem poteſt explicatum altiſſime geſtat , circuitus aliquot conficit , ut legis ſcripturam omnes videre poſſint , & cœtus interim clamat ; וזאת התורה אשר שם משה לפני בני ישראל *Hæc eſt illa Lex , quam Moſes filiis Iſrael propoſuit*. Munus hoc appellatur הגבהה *Hagbabab*, h. e. Elevatio , & licitatione quoque emitur . Qui eo fungitur , eum robuſtis & valentibus brachiis eſſe oportet ad hoc rite peragendum . Unde quidam , ad robur ſuum oſtentandum , librum quandoque ſemel atque iterum in altum projiciunt , & rurſum manibus excipiunt , ut laudem fortiudinis reportent. Hinc ſæpe hoc in caſu dicunt , Ecce quam hic ſit robuſtus , wie hat er ſo wol gehagbehaget.

Porro *Segen* ille ſupra dictus (qui proximus eſt a Sacerdote ſummo vel Archiſynagogo) magnam ſæpe , Lectores nominando & vocando , ſibi conflat invidiam . Si enim alius qui etiam libenter inter Lectores eſſet, & prætereatur, calumniantur illum, quaſi ex affectu ageret, & unum præ altero evocaret. Unde odia , ſimultates , lites inter ipſos oriuntur.

Dum hæc ita geruntur , magna in mulierum Eccleſia oritur lis & tumultus : nam ſe ſe invicem premunt & proculcant, ut per clathratas feneſtras , vel etiam rimulas, ipſæ quoque Sacram libri Scripturam intueri & conſpicere poſſint . Quia enim libro Legis oſcula admovere non poſſunt , aſpectus tamen ſummopere eas delectat , illiſque abunde ſatisfacit.

De Eccleſiis mulierum.

Peculiarem autem habent mulieres Eccleſiam , quæ a virorum Eccleſia clathratis feneſtris ſeparatur. Huic rei hanc in Talmude dant cauſam ; olim conveniſſe viros & mulieres eodem in loco , ita ut mulieres in ſedilibus ad parietes affixis, & eminentioribus, ſederent, viri in inferioribus : cum hinc variæ levitates orirentur, conſtituiſſe, ut mulieres interius , viri exterius eſſent ; ſed cum nec hac ratione fibula poni poſſet, ordinaſſe; ut mulieres exterius, viri intus congregarentur: cum ne ſic quidem huic

Tractatus Succah de Tabernacul. conſtruct. cap. ult.

huic malo medelam afferri viderent, tandem hoc remedium invenerunt, ut mulieres seorsim, & viri seorsim orarent. Idque confirmarunt ex Propheta Zacharia; *Plangetque terra, familiæ singulæ seorsum: familia domus David seorsum, & mulieres eorum seorsum &c.* nempe in separata & distincta Ecclesia, idque modestiæ, pudicitiæ & castitatis causa: facile enim in pravas incidunt cogitationes, si omnes promiscue steterint.

Zach. 12. 12.13.14.

Si etiam Judæus ille, qui librum gestat, cespitaret vel caderet, omnibus per longum tempus facinus illud jejunio expiandum esset; utpote maximi infortunii, capitibus illorum impendentis, signum.

Dehinc duo illi, qui & Complicationem & Lignum vitæ emerunt, rursus accedunt; quorum alter ligna superiora apprehendit, ut iterum complicari possit (peculiaris hic experientia requiritur, ut omnia recte, & ordine fiant); alter vero pannos porrigit, quibus iterum involvatur, & palliolo, a quo lamina aurea dependet, extrinsecus vestiatur.

Orach chajim n. 147.

Tandem omnes veniunt, juvenes senesque, libri tornata ligna (*Etz chajim*) osculantur, duobus digitis tangunt, quos e vestigio oculis suis imponunt: res enim sancta admodum est, & præsentissimum adversus cæcitatem & lippitudinem remedium. Imo & ad parturientes fœminas Lignum hoc deferunt, & aspiciendum illis proponunt, ut tanto facilius uteri sui onus deponant. Atque eo fine sæpe pretiosa ad eum ornandum conferunt ornamenta, ut suæ quoque saluti promovendæ inserviat.

Dum in arcam refertur, præcentor canit; יהללו את שם יי׳כי נשגב שמו לבדו *Celebrate Nomen Dei: Nomen enim illius solum est robustum*: Cœtus vero respondet; הודו על ארץ ושמים וירם קרן לעמו תהלה לכל חסידיו לבני ישראל עם קרובו הללויה *Gloria ejus est in terra & in cœlis, gentis suæ cornu seu dominium extulit, ad omnium sanctorum laudem; filios nempe Israel, gentem illi proximam; Laudate Deum*. Dum in arcam reconditur, cœtus canit: ובנוחה יאמר שובה יי׳ רבבות אלפי ישראל *Quum autem deponeretur arca, ajebat, Revertere Domine ad multitudinem exercitus Israel*.

Num. 10. 36.

Quomodo e Synagoga egrediantur.

Reposito libro preces absolvunt, ut in precibus matutinis ostensum est. Precibus peractis, nec prius, e Synagoga egrediuntur. Egredientes, uti etiam quando e domibus suis peregre proficiscuntur, vel ad negotium aliquod conficiendum properant, dicere solent: יי׳ נחני בצדקתך למען שוררי הישר לפני דרכך יי׳ ישמור צאתי ובואי מעתה ועד עולם *Domine duc me in justitia tua propter inimicos meos, dirige coram me viam tuam. Domine dehinc & in posterum exitui & introitui meo clementer adesse velis.*

CAPUT XV.

Quomodo se Judæi Sabbatho præparent, & illud inchoent.

Præparatio ad Sabbathum. Exod. 16. 5. 23.

IN Exodo legitur: *Die sexto præparabunt se, &c.* paulo post: *Quies Sabbathi sancti cras est Domino, quod pinsere volueritis pinsite, & quod coquere vultis coquite*. Hoc ita intelligunt, rebus omnibus necessariis in Sabbathum & Sabbathi honorem die sexto providendum esse, præsertim vero cibos lautos apparandos, & mature coquendos esse, ut eo melius Sabbatho feriari possint: Omnia proin vitanda, quæ huic præparationi vel remoram, vel obstaculum possint injicere. Hinc die sexto seu veneris, non longius iter, quam trium milliarium, est suscipiendum, ut quis tempestive vel domum suam, vel in diversorium suum, dum adhuc dies est, venire possit, & necessaria pro Epulo Sabbathino præparare. Diversorium autem seu hospitium debet esse in loco habitato, ubi copiam habere possit earum rerum, quæ ad Sabbathi honorem requiruntur; ne ex earum defectu, Sabbatho, quo hilaris esse debet, contristetur.

Die Veneris præparant omnes cibos ad usum Sabbathi.

Die veneris itaque ante noctem, quicquid per Sabbathum comedere volunt, coquere solent. Ante omnia oportet mulieres multigenas conficere placentas: & dum farina ab illis subigitur & præparatur, massam integram & indivisam relinquunt; si vero tanta fuerit massa, quod in amplis familiis contingere solet, ut eam partiri ac dividere necesse fit, mantili pars altera tegitur, ne alterius ora erubescat, pudoremve suum videat, quod postrema in Sabbathi placentis præparetur.

Triplex epulum Sabbathinum.

Triplicibus autem, iisque conquisitissimis, epulis, pro sua quisque facultate, Sabbathum honestant. In honorem enim Sabbathi cedere existimant, liberaliter pecuniam expendere, & genio indulgere. Hinc quidam sanctiores die Veneris jejunant, ut in Sabbatho tanto majore cum appetitu edere possint & bibere.

Primæ Sabbathi epulæ.

Primæ epulæ instruuntur die Veneris noctu, Sabbatho ineunte: *alteræ*, die Saturni hora meridiana: *postremæ*, vesperi Sabbatho exeunte. Hanc vero legem ex altero librorum Mosis, Exodo nempe: exterebrarunt, ubi de Manna ita scribitur: Comedite *illud* hodie *quia* hodie *Sabbathum est Domini*, *non invenietur* hodie *in agro*. Hic, inquiunt Sapientes, ter scribitur, *Hodie* quo Moses innuere voluit, ter manna Sabbatho epulis solennibus comedendum fuisse. Sed & alium triplices istæ epulæ habent usum, ut in Ritualibus eorum Germanica dialecto conscriptis videre est. Nisi enim ter cibum capere juberentur, eo usque se cibo ingurgitarent, ut in totum Sabbathum sat illis essent unæ epulæ. Verum, quia nemo non novit, duas adhuc superesse epulas, singuli in epulando modum adhibent, nec nimio cibo ventrem distendunt; sed cum delectatione vescuntur, animo secum reputantes, brevi instaurandas esse dapes, & mensam repetendam. Quid præterea de Sabbathinis istis epulis sentiant, quantique ea faciant, mox pluribus dicetur.

Exod. 16. 23.

pagina 13.

Quivis ipsemet aliquid in honorem Sabbathi præparet.

Nemo præterea, nobilis, dives vel sapiens nimium sibi videri debet, adeo ut in honorem Sabbathi nihil agere vel præparare ausit. Quamvis enim centum ancillarum vel servorum millia alicui suppeterent, ipse tamen in honorem Sabbathi suis manibus aliquid laborare quoque debet. Sic legimus in Talmude, *pium Rabb Chasdam olus minute concidisse, doctissimos Rabbam & Rabb Josephum ligna fidisse, Rabbi Siram ignem accendisse, Rabb Nachmanem domum everrisse, & totam mensæ supellectilem præparasse, &c.*

Tractatu de Sabbatho fol. 119. & in tractatu Kidduschim c. 2.

Nemo autem die Veneris aggreditur aliquid, quod non commode possit perficere ante vesperam.

Orach chajim n. 250.

Fercula elixa sive assa, quæ calida gratiora sunt quam frigida, sub vesperam, hora circiter ante Sabbathi ingressum, in fornacem reponuntur, ut illis calor suus, si fieri possit, conservetur.

Mensa toto Sabbatho strata.

Per totum Sabbathum mensa strata & apposita diu noctuque ab illis relinquitur; cujus rei peculiaris est significatio, ut postea declarabitur.

Orach chajim n. 260.

In honorem Sabbathi quoque lavatum eunt, & si non totum corpus, saltem faciem, manus, & pedes lavant aquis calidis; Viri, si usus fuerit, tondentur. Mulieres itidem capillos pectunt, apte & eleganter concinnant, vittis vinciunt, thermas quoque subeunt, vel alioqui calida manus & pedes abluunt.

Unguium resectio.

Ungues etiam quotquot diebus Veneris resecant, idque peculiari adhibita superstitione. A *sinistra* enim incipientes, digiti quarti unguem primo demunt, dein ad secundum digitum transeunt, postea ad quintum, inde ad tertium, tandem in pollicem desinunt, adeo ut nunquam duorum digitorum ungues deinceps cultello purgentur, sed digitus intermedius semper transmittatur. Memoriale hujus ordinis signum in manu sinistra est: דבה״נא. Ad manum *dextram* ubi devenerunt, initium faciunt a digito secundo, inde ad quartum transitur, & ita in reliquis. Hujus memoriale est בדא״גה. Qui unguium præsegmina pedibus subjicit, summe Impius habetur. Sic enim in Diaboli potestatem veniunt, & homines nequam illis ad fascina & maleficia abutuntur; illorum præterea conculcatio a periculo non abest. Qui sub terra illa defodit, צדיק justus est qui vero in ignem conjicit, ille חסיד pius est & revera τετράγωνος, omnibusque suis numeris absolutus. Hæc omnia exstruunt ex loco jam supra citato, nempe; *Die sexto præparabunt se*.

Unguium præsegmina sub terra defodienda. Vide in Tal. Nidda fol. 17. 1. Moed Katon fol. 18. 1.

Exod. 16.

Cultri poliendi & acuendi.

Singulis etiam cultellus suus repurgandus est, poliendus, & acuendus, idque ex Exod. 16. 5. והכינו את hæc verba interpretantes, Et *præparabunt cultrum;* Voce nimirum את sumta pro Vomere vel Cultro aratri, ut Jesa. 2. 4. & alibi; cum longe aliter ibi significare non ignorent: Item ex loco illo Jobi; *Et scies, quod pax erit in tabernaculo tuo, & domum tuam curabis &c.* Hinc Judæorum sapientes exstruunt; *Si hebes fuerit culter, adeo ut cibos dissecare non possit, nullam pacem esse in mensa, & domum male curatam esse.*

Job. 5. 24.

Vestes Sabbathinæ.

Orach chajim n. 262.

Vestes Sabbathinas sub vesperam Sabbathi diligenter sunt perquirendæ, & videndum, an nihil in illis sit, cum quo Sabbatho exire sit prohibitum: postea in honorem Sabbathi eas induunt, & singuli pro facultatibus suis sedulo exornantur; quia scil. apud Esajam scriptum est; וכבדתו *Et honorabis eum*; Quomodo; שלא יהא מלבושך של שבת כמלבושך של חול *Ne vestimentum tuum sabbathinum sit sicut vestimentum tuum prophanum vel quotidianum*, ut in Talmud explicatur. Hinc Judæi ditiores peculiares habent vestes, quas nunquam aliis diebus induunt. Rabbini enim Sabbathum מלכה Malkah, id est, *Reginam* appellaverunt: si vero vestes regiæ alio tempore induuntur quam ubi coram regina comparetur, dedecus admittitur, & regina ludibrio habetur. Vestibus his alacriter indutus, lætabitur de adventu Sabbathi, ac si in occursum Regi alicui

Jesa. 58. 13.

Schabbas fol. 113. 1.

Sabbathum Regina.

cui procederet, vel Sponsi & Sponsæ. Sic R. Chaninah vespera Sabbathi decenter ornatus, stabat, & dicebat, *Venite egrediamur in occursum Sabbathi Reginæ*. R. Janai dicebat; *Veni sponsa*, *Veni sponsa*.

Mensam uti sternant.

Mensam præterea sternunt linteis mundis & albis, mantilibus, quadris, cyathis, pulvinaribus scamnis, & reliquis rebus necessariis, ut Regina adveniens, Sabbathum nempe, omnia rite disposita, & magnifice lauteque præparata inveniat: Panis mappæ imponitur, & alio mantili tegitur, in memoriam Mannæ, quod ita descendit, ut rorem substratum & superstratum habuerit. Summa; כל המרבה לכבד את השבת הן בגופו הן בבגדיו הן באכילה ושתיה זה משובח *Quicunque multipliciter honorat Sabbathum suo corpore, suis vestimentis, cibo item & potu, is revera laude dignus est*.

Orach chajim n. 216.

Priscis temporibus sexies cornu sive bucina inflabatur, ut singuli se se tempori ad Sabbathum præpararent; nunc vero in bene constitutis Synagogis solet æditumus circumire & proclamare, ut singuli a labore cessent, seque להכנסת כלה *ad ingressum Sponsæ*, h. e. ad Sabbathum, formosæ sponsæ instar advenientis, honorifice excipiendum componant.

Sabbathum sponsa.

Et hæc quidem omnia, quæ suscipiuntur in honorem Sabbathi, licet per totum diem sextum facere: sed a meridie usque ad vesperam ejus aliud opus facere non licet, nedum pro mercede.

Quando inchoent Sabbathum.

Post vesperam itaque externum opus nullum amplius obeunt, sed mature Sabbathum inchoant, aliquid illi de reliqua hebdomade concedentes, synagogam abeunt, & pro more suo multum satis canunt & orant.

Dum aliquantum adhuc superest diei, & sol montium & arborum cacumina occupare incipit, pius Paterfamilias domesticos suos blande rogabit, *Separastisne* Challam? dein mandabit, ut *Lucernas*, quas *Sabbathi* appellant, *mulieres* accendant. Quod si enim citius hoc faceret: dum adhuc dies est, facile possent ejus oblivisci, vel debitum tempus negligere. Lychnis autem ex aurichalco ut plurimum utuntur, qui triclinii laquearibus dependent: quamprimum ardere incipiunt, mulier Judæa, *ambas manus lucernam versus* expandens, inquit: באי אמה אשר קדשנו במצותיו וצונו להדליק נר של שבת *Benedictus tu Domine Deus noster, rex mundi, qui nos præceptis tuis sanctificasti, & candelas sabbathinas accendere præcepisti*. Idem etiam reliquis diebus festis vesperi illas facere convenit. Sunt, qui duas accendunt, vel unam duo ellychnia habentem; ut respondeant duobus verbis, quæ in Præcepto Sabbathi occurrunt. זכור *Memento*; & שמור *Custodi*: sunt etiam, qui 3. 4. & plures. Candelæ hæ Sabbathinæ adeo sunt necessariæ, ut si quis non ex se habeat, stipem ostiatim colligere debeat, pro illis comparandis.

Lucernæ Sabbathinæ.

Orach chajim n. 261.

Si turbida tempestas fuerit, & cœlum nubibus obductum, gallinæ illius sunt indicio: quando enim in gallinarium se recipiunt, tum demum nox est, & verum Sabbathi inchoandi tempus. Si quis extra urbem in mediis agris habitet, ubi nullæ gallinæ adsint, ad corvorum & graculorum receptum sese dirigat oportet: solent enim id genus animantia quoque mature sibi locum quærere, in quo pernoctent.

Cur Mulieres lucernas accendant.

Quod autem hoc muneris mulieribus potius quam viris injunctum fuerit, duæ imprimis a sapientissimis illis doctoribus rationes afferuntur: *Primo*, quum Eva, post mali interdicti esum, sibi moriendum esse, certissimis indiciis agnosceret, voluit virum suum, bonum illum Adamum, de eadem arbore quoque comedere, eumque ita alloquuta est; si mihi moriendum est, mecum moriaris oportet. Instabat ergo atque urgebat; ut comederet: sed quum ille constanter recusaret, avulso ramo sive baculo ex arbore, illo tamdiu maritum percussit, donec comederet, uti versiculus dicit; *Mulier quam dedisti mihi sociam, dedit mihi de arbore* hoc est, grandissimo rami ex arbore decerpti ictu me afflixit: sic enim in libro *Orach Chajim*, id est, *Semita vitæ*, exponitur, *& comedi*. Hoc pacto miser ille & stolidus Adamus, uxoris suæ verberibus seductus, & ad mandati divini transgressionem adactus est, mortemque sibi, posterisque suis omnibus conciliavit. Antequam autem illa peccavisset, sol mundo collucebat, eadem ratione qua olim piis in futuro sæculo: sed ubi primum peccavit, solis splendor immutatus est, & præstantissimum illud & pretiosissimum totius orbis lumen extinctum. Vel brevius: שכבתה נירו של עולם *quia Mulier extinxit lumen mundi*, hoc est, שגרמה מיתה לאדם הראשון *quia causata est mortem Adamo primo*. *Secundo*, hac etiam de causa candelæ ab illis accendendæ sunt, quia semper domi adsunt, viros autem sæpe abesse contingit. *Præterea* scribitur; ואתה תצוה id est, *Tu autem præcipies filiis Israel, ut afferant tibi oleum de arboribus olivarum purissimum, piloque contusum, ut ardeat lucerna*

Gen 3. 12.

cap. 2.

Exod. 27. 20. Specul. ardens cap. 37.

cerna semper in tabernaculo testimonii. Hic exponunt & quærunt Doctores, cur scribitur תצוה Tezaweh *Præcipies*, per ת; quum tamen simpliciter scribi potuisset צו Zau *Præcipe?* R. Hoc modo mulieribus candelas accendendas esse designavit Moses. Vox enim נשים Naschim i. e. *Mulieres*, si singulæ literæ in suos numeros resolvantur, 400. constituit, quot scilicet litera ת constituere solet. En cor Zenodoti, en jecur Cratetis! Quandoquidem igitur mulier lumen vitæ in mundo extinxit, ideo oportet illam singulis Sabbathis & diebus festis vesperi candelas accendere; in signum nempe pœnitentiæ, quod Animæ hominis, qui Lucernæ comparatur, uti scribitur: *Lucerna Domini est anima hominis*; lucem suam & vitam restituere velit. Scribunt insuper sapientes, si mulier pia & religiosa attentione candelas accendat, tam sanctum opus reputari, ac si candelabri aurei in sacrosancto Hieresolymorum templo lucernas accendisset. Legimus præterea in Talmude, *Mulierem trium peccatorum causa in puerperio mori; nempe, si placentæ massam non sumserit* (particulam nempe massæ, quæ olim cum oleo miscebatur ad placentam infermentatam conficiendam, de qua videatur Moses in Exodo) *candelas Sabbathinas non accenderit, & ad menstrua sua diligenter non attenderit*. Quæ tria Cabalistice designantur voce חוה quæ *Evam* significat: prima enim litera חלה Challah, i. e. *Placentam* secunda וסת Veses, id est, Rabbinica dialecto, *Consuetudinem mulieris menstruam*; tertia הדלקה Hadlakah, id est, *Candelarum accensionem* denotat, (si modo Accensionem aures patiantur Latinæ). Si vero mulieres tria hæc præcepta diligenter observaverint, faciliore utuntur utero, & cito partu levantur. Id genus lucernas duas vulgo accendere solent, imo etiam plures, pro ratione triclinii vel domus. Illis autem arcana membrorum corporis humani tum viri, tum mulieris, designatio continetur. Centum enim, octo & quadraginta membris, ex Judaica anatomia, constant viri: mulieres vero centum, duobus & quinquaginta; qui duo numeri simul juncti quingenta constituunt; quot scilicet vox Hebraica נר Ner, id est, *Lucerna*, si numerus illius bis, semel in viri, semel in mulieris gratiam, iteretur. Hoc itaque geminato נר *Ner*: Lux vitæ in viro & muliere iterum accendenda innuitur.

Prov. 20. 27.

Tractat. de Sabbatho cap. 2. f. 31. 2.

Exod. 29. 23.

Cur manus ambas expandant lucernam versus.

Quod ambas manus lucernam versus expandat, ideo fit, quia precatiuncula recitanda esset candela nondum accensa: verum, quia id fieri non potest, nisi frustra eam recitare velit, manus lucernæ opponit, atque hoc pacto radiorum splendorem ab oculis suis arcet. Hoc enim idem est, ac si lucerna non arderet.

Sed unde harum lucernarum ellychnia sint conficienda, & quale ad illas oleum requiratur, fuse disputant Judæi in Talmude seu tractatu de Sabbatho, quapropter de illis dicere supersedebo.

Cavendum, ne extinguatur, vel occasio detur extinguendi eam; licet tamen eam extinguere in gratiam Ægroti de vita periclitantis, vel metu Christianorum, aut Latronum, si ab illis immineat periculum.

Si quæ mulier oblita fuerit accendere Candelam Sabbathinam, ea singulis sequentibus diebus tres accendet, לתקן עוותה ad hunc errorem emendandum & expiandum.

Necessitas Lucernarum Sabbathinarum.

Præceptum hoc est summe necessarium, & in magnum Sabbathi honorem cedit, quando domus repleta est luce, idque vocatur שלום בית *Salus domus*. *Qui studiose id observat, is filios nanciscetur eruditos & pios*, quia dicitur, נר מצוה *Lucerna est præceptum*, ותורה אור *& Lex lux*.

Christiano non licet eas accendere.

Si Christianus pro Judæo accenderit lucernam, non licitum est frui luce illius, ne quidem alii, quam ei, in cujus gratiam accendit; quia sic videretur Christianus fuisse Legatus Israelitæ, aut ejus vicarius in opere Legali. Si Christiani cum Israelitis accubuerint, & Christianus lampadem accenderit, licitus est Judæis ejus usus, si plures adfuerint Christiani, quam Judæi; si vero Judæorum major fuerit numerus, non licet.

Cur Sabbatho aliquid de hebdomade tribuant.

Quod Sabbatho aliquid de superioribus hebdomadæ diebus concedentes, tempestive illud inchoant, in defunctorum gratiam contingit, quorum animæ ex inferis vel ex Purcatharterio ad Sabbathi quietem quoque veniunt. Quamprimum enim in schola suavissimis & dulcissimis modulis decantatur precatiuncula, cujus initium est ברכו Barechu *Benedicite*, confestim animæ a purcatharterio avolant, & in obvias quasque aquas sese projiciunt, paululumque refrigerantur. Hinc factum est, ut Rabbinorum sapientissimi aquam id temporis haurire interdixerint, ne quicquam miserrimis animis subtrahatur, ut in eorum Ritualibus legimus.

pag. 14.

Preces in Schola. Tractatu de Sabbatho cap. 16. fol. 119. col. 2.

Interea dum in schola orationibus vacant, accedunt duo Angeli, quorum alter bonus est, alter malus, qui se ex adverso synagogæ sistunt: si quem audiant

cum

eum ſtudioſa, pia & religioſa animi attentione orantem, lectionemque ſuam recitantem, inprimis verſiculum hunc, *Igitur perfecti ſunt cœli & terra; &c.* & quæ ibidem ſequuntur de Sabbathi conſecratione, illum duo illi Angeli domum deducunt, manibusque capiti illius impoſitis, inquiunt; *Aufertur iniquitas tua, & peccatum tuum mundatur.* Dixit Rabbi Joſe ex ſententia Rabbi Judæ, *ſingulos homines a duobus Angelis Sabbatho veſperi ex ſynagoga domum deduci. Si venientes, candelam ſabbathinam bene accenſam invenerint, menſam appoſitam, & rebus omnibus neceſſariis inſtructam, lectum mundis & bene lotis linteis ſtratum, tum bonum Angelum dicere;* יהא רצון שיהא כן לשבת הבאה *Utinam proximo Sabbatho omnia hic eadem ratione ſeſe habeant! Malum vero Angelum ingratiis ſuis neceſſario Amen reſpondere. Si contrarium invenerint, malum quoque Angelum dicere;* יהא רצון שיהא כן לשבת הבאה *Proximo Sabbatho perinde hic res ſe habeant ac hodie ſe habent! bonum vero Angelum pariter invitum Amen reſpondere.* Sunt qui dicunt, per duos hos Angelos intelligi duo Sydera cœleſtia, Scorpionis, & Martis; quæ dominentur in Veſpera Sabbathi: unus ad benedicendum, alter ad maledictionem. Ac ſane quis hoc non ægre ferret?

Genef. 2.

Eſa.6.7.

Sacris finitis, domum repetunt: Valedicendo ſibi invicem, non *Bonum diem*, vel *Bonam noctem*, ſed *fauſtum* alter alteri exoptat *Sabbathum*; Parentes filiis, Magiſtri diſcipulis benedicunt. In quibuſdam locis moris eſt, ut, dum e Synagoga egrediuntur, præco adſit, qui proclamet, ubi, & apud quem vendatur bonum vinum, ut, qui eo indiget, ſibi comparare poſſit. At alii hunc morem vituperant, quod ſpeciem habeat Emtionis & Venditionis: itaque ante Sabbathum domatim id ſingulis ſignificandum eſſe ſcribunt. Domum reverſi, quamprimum menſæ accumbunt. Scribitur enim: *Memento diei Sabbathi, ut illum ſanctifices*, hoc eſt, ut Hebraica ſonant; לקרשו nempe, ut primum Sabbathum בקרוש conſecratione ſanctum declares, & vini cyatho conſecratum. Quapropter plurimis in locis etiam in ipſa ſchola, precibus peractis, vini cyathum conſecrant, in gratiam pauperum, & peregrinorum hoſpitum, quibus nullum eſt domi vinum, ut hoc pacto Sabbathum etiam ipſi conſecrare poſſint. Verum qui in Synagoga vinum conſecrat, illud non guſtat, ſed puerulo alicui deguſtandum tradit; Vinum enim conſecratum proprie non niſi in menſa, in qua accumbitur, bibi ſolet, uti quoque Conſecratio ibidem concipi debet.

Quomodo menſæ accumbant. Exod.20.8.

Minhag p. 9. Orach chajim n. 169.

E veſtigio itaque menſæ accumbunt, cui *ſal* appoſitum ſit, *cum pleno vini cyatho, & duobus panibus*, mantelio tectis. Tum paterfamilias, priuſquam aliquid comedat, *vini cyatho accepto*, Sabbathum conſecrat, & ait: יום הששי ויכולו השמים וגו' (quarum vocum quatuor initiales literæ ſacroſanctum Dei nomen יהוה quo æterna ejus eſſentia deſignatur, innuunt, & in myſteriis hujus gratiam, duas primas voces poſterioribus, ex ſecundo Geneſeos, capite deſumtis, adjecerunt, eademque de cauſa ſurgunt, quum hæc pronuntiant, Dei nomen ſcil. debito honore afficientes) i. e. *Die ſexto perfecti ſunt cœli & terra, & omnis ornatus eorum: Complevit enim Deus die ſeptimo opus ſuum quod fecerat, & requievit die ſeptimo ab univerſo opere quod patrarat. Et benedixit diei ſeptimo, & ſanctificavit illum: quia in ipſo ceſſaverat ab omni opere ſuo, quod creavit Deus ut faceret.* His ille interjecit, סברי מורי *Attendite precationi Domini mei Rabbini*, ut hoc pacto ſinguli culpa vacent, ac ſi ipſimet preces concepiſſent. Deinde pergit & ait; באי״ אמה בורא פרי הגפן : באי אמה אקב ורצה בנו שבת קרשו באהבה וברצון תנחילנו זכרון למעשה בראשית כי הוא יום תחלה למקראי קרש זכר ליציאת מצרים כי בנו בחרת ואותנו קרשת מכל העמים שבת קרשך באהבה וברצון תנחלתנו, ברוך אתה יי' מקרש השבת, id eſt, *Benedictus tu Domine Deus noſter, totius mundi Domine, qui vitis fructum creaſti: Benedictus tu Domine Deus noſter, totius mundi Domine; qui nos præcepris tuis ſanctificaſti, nobiſque ſanctum dediſti Sabbathum, & in beneplacito & miſericordia tua nobis hæreditarium reliquiſti, ut memoriale operum creationis: principium enim eſt congregationis ſanctorum, & exitus ex Ægypto monumentum. Tu enim nos elegiſti & ſanctificaſti inter omnes nationes, nobis ſanctum tuum Sabbathum in benignitate & beneplacito hæreditatem reliquiſti: Benedictus tu Domine, qui Sabbathum ſanctificaſti.* Hoc dicto vinum primo ipſe deguſtat, deinde cæteris omnibus deguſtandum porrigit. Quod ſi vero quiſque ante ſe habeat poculum plenum, bibunt ex illo: ſi illa pocula non ſint plena, paterfamilias de Poculo conſecrato ſingulis aliquid infundit.

Sal, vinum & panis ſint in menſa.

Orach chajim n. 273.

Vini conſecratio & diſtributio.

Gen.2 1.

De his duabus vocibus conſule Lexicon Talmudicum in סבר

Vinum conſecrationi deſtinatum debet eſſe bonum, omni vitio carens, quod ſuper ipſo altari libari poſſet, propter illud; *Offer illud nunc duci tuo*; *Malach.* I. 8. Colorem non attendunt: quia

quia color bonitati vini nihil addit, juxta quam ſolam electio Vini facienda. Ubi Vini non habent copiam, licet Conſecrationem facere ſuper Cereviſia, vel alio liquore, quo loco vini utuntur.

Panis conſecratio & diſtributio.

Deinde ſupremum mantile retegit, *duoſque illos panes* accipit: non tamen ante preces cultello dividit, ut alioqui reliqua hebdomade fieri ſolet, ſed illico ait: ברשות מורי ורבותי *Cum Dominorum Rabbinorum meorum bona venia*, בא״י אמ״ה המוציא לחם מן הארץ *Benedictus tu Domine Deus noſter, totius mundi Domine, qui panem e terra produxiſti*. Fruſtum poſthæc de alterutro, communiter tamen inferiori pane, reſciſſum comedit, & ſingulis quoque accumbentibus porrigit, idque majus paulo & elegantius, quam cæteris diebus, in honorem nempe Sabbathi, quo parcitas omnis vitanda. Inde veſcuntur illis quæ Deus liberalitate ſua conceſſit.

Orach chajim nu. 274.

Dum vinum conſecrat, lucernas Sabbathinas ſtudioſe intuetur: quoniam ſapientiſſimi Rabbini ſcripſere; *Si per hebdomadem homo grandioribus incedat paſſibus, quingenteſimam partem viſus oculorum deperire; præſantiſſimum vero huic malo remedium eſſe Sabbathinarum lucernarum in vini conſecratione intuitum.* Vocula enim Hebraica נר i. e. *Lucerna*, ſi geminetur, quingenta conſtituit. Itaque concludunt: intuitus harum lucernarum eſt medicinæ loco. Alii hanc rationem reddunt, quod in quotidiana conſecratione cibi oculi defigendi ſint in Poculum benedictionis.

Tractat. de Sabbatho cap. 15. folio 13. col. 3.

Panis cur in menſa tegatur.

Panis autem ideo tegitur, ne ignominiam ſuam vini cauſa videat, quod nempe Sabbatho vinum primo conſecretur; quum tamen panis primus in lege ponatur, uti ſcribitur: *Terram frumenti, hordei, ac vinearum, &c.* Hic frumentum, ex quo panis conficitur, primum nominatur: nihilominus tamen ultimum Sabbatho conſecrari debet: Magna itaque afficeretur ignominia, niſi tegeretur. Sunt & prudentia conſpicui Rabbini, qui dicant, in Mannæ memoriam panem tegi. In deſerto enim primo ros decidit, deinde manna, poſtremo & iterum ros; ita ut manna in medio roris fuerit, non ſecus ac in medio duorum linteorum; ſic panis mappæ impoſitus, mantili tegitur. Hac etiam de cauſa piæ & religioſæ mulieres carnem operi piſtorio incoquunt, & id genus artolaganos conficiunt, quibus loco Mannæ veſcuntur. In Artocreate enim tenuis & diducta maſſa ſubſternitur: in medio collocatur caro, & deſuper iterum, ad inſtar Mannæ, operculo tegitur.

Deut. 8. 8.

Dum in Benedictione panis Nomen Dei effert, הגביה את הפת בשתי ידיו למעלה Panem in altum ſuſtollit ambabus manibus, dum illud protulerit, poſtea iterum demittit ſenſim.

Duos vero panes ideo accipiunt, quod olim die Veneris duplum manna collegerint, uti ſcribitur; *In die autem ſexta collegerunt* לחם משנה *panem duplicem, duo Homer pro ſingulis*. Quia enim hic dicitur, *Duo Omer pro ſingulis*; &; *Panem duplicem*; voluit indicare, pro Fractione Panis duos integros Panes in Sabbatho eſſe ſumendos. Sic ſcribunt, particulam illam defractam duplo majorem eſſe debere, quam cæteris diebus. In *Tanchumah* ſcribitur; *Omnia in Sabbatho ſunt duplicia; Duo offerebantur agni: Pſal. 92. dicitur:* מזמור שיר ליום השבת *Pſalmus & Canticum diei Sabbathi. Panis duplex: In præcepto duo adhibentur verba,* זכור ושמור Recordare, &, Obſerva. Hinc & duæ accenduntur candelæ Sabbathinæ.

Cur duos panes ſumant.

Exod. 16. 22.

In ſumma, præ reliquis rebus, quarum cura nobis hic incumbit, ut in Ritualibus ſuis ſcribunt, die Sabbathi genio indulgendum eſt, uti pluribus in locis a ſacroſancta Lege nobis præcipitur. Exempli gratia, ubi dicitur; *Sabbathum vocabis* עונג *Delitias, Sabbathum delitiarum*; nempe ut Sabbatho תענגים *delitiis* omne genus impleamur. Ita quoque feſta noſtra verſiculo illo innuuntur: *Lætaberis in feſtivitate tua, tu, & filius tuus, & filia tua, & ſervus tuus, & ancilla tua*; nempe edendo & bibendo; ita tamen, ut omnia in Dei honorem fiant; Quapropter ede, bibe, cutem cura, ſed eo animo, ut meritum Sabbatho honorem deferas; non vero, ut die Veneris multa emantur, quibus Sabbatho te ingurgites; præſertim *ſi tua non magnas arca flagellat opes*, nec tibi per facultates tuas liceat: id enim vitio potius quam laudi verteretur. Nam hinc fiet, ut Sabbatho tecum reputes, longe tenuiores fore diei ſequentis epulas; ac proinde mærore afficieris, nec in Sabbatho lætaberis, &c.

Sabbatho lætandum & genio indulgendum pag. 11.

Eja. 58. 13.

Deut. 16. 14.

In his tamen omnibus cavendum; ne modus excedatur; Nam lætitia & voluptas corporalis אינה שמחה אלא הוללות וסכלות non eſt lætitia, ſed inſania & ſtultitia, ſcribit R. Mardochai Japhe; quam Deus nullibi præcipit. Ita etiam eſt temperanda, ut pauperum ſimul & afflictorum ratio habeatur. Nam, qui *feſtum ita agitet, ut occluſis oſtiis domus ſuæ, qui ſolus cum liberis & uxore ſua ſe exhi-*

In lætitia Sabbathina habenda ratio pauperum.

exhilaret; neque simul etiam pauperes & afflictos cibet & potet, אין זו מצוה *hæc non est Præcepti observatio*, אלא שמחת כריסו *sed lætitia ventris sui*, scribit idem. Et huc accommodat illud Hoseæ; זבחיהם כלחם אונים *Sacrificia eorum sunt sicut cibus lugentium*, (i. e. immundus; vel, cibus molestiarum, per violentiam & rapinam comparatus,) *quem quicunque comedunt, contaminant se. Nam cibus eorum est pro anima ipsorum* (duntaxat, ut suam cuticulam curent.) Sic legimus Tobiam ad prandium festi Pentecostes, cum ciborum & obsoniorum copiam vidisset, filio mandasse; *Abi, adduc quemcunque egentem ex fratribus nostris inveneris, qui quidem Domini memor sit*, Tob. 2. ℣. 1. 2. Lætitiam hanc Sabbathinam & Festalem probant etiam hinc; Num. 29. 30. scribitur, עצרת תהיה לכם. *Dies feriatus erit vobis*. Rursum Deut. 16. 8. עצרת ליי׳. *Dies feriatus erit Domino*. Hinc concludunt Sapientes ipsorum, Diem feriatum esse dividendum, חציו ליי׳ mediam ejus partem debere esse Domini, וחציו להם & mediam ipsorum; quia in priori loco dicitur *Vobis*, h. e. cibo & potu esse consumendum; in posteriori ליי׳, Sic scilicet matutino tempore frequentandæ sunt Synagogæ & Scholæ, orandum, discendum, & in Lege legendum; hinc ad prandium se conferendum; a prandio sub vesperam iterum precandum, a precibus ad cœnam eundem, ibique in noctem usque bibendum, &c.

Cap. 9. 4.

Hæc omnia breviter & summatim in ספר היראה *Libello Timoris* comprehenduntur, ubi docetur, qua ratione ad pietatem sese componere debeat Judæus, rhythmis Germanicis a Judæis ipsis in hunc sensum conscriptis:

Cap. 13.

Regulæ Sabbathinæ.

Ad Sabbathum te para,
Et ab omni opere tuo cessa:
Laudabile est, si ipse ad Sabbathum necessaria præparaveris,
Etiamsi ancillarum & servorum magnum numerum habueris.
Omnia præcepta Sabbathi æquat observatio,
Esto bono animo, teque divitem esse existimato:
Pretiosis vestibus & elegantibus pannis induitor,
Sabbathum enim sponsa appellatur,
Optima quæque ad Sabbathi celebrationem emito,
Et omnia illius præcepta diligenter observato;
Famelicus ad Sabbathum accede:
Carnes, pisces & vinum generosum appone:
Pulchre lectus sternatur,
Egregie mensa instruatur,
Lixivio caput probe purgato,
Nihil apud te gestato:
Cultellum tuum probe acuito,
Cibos honeste carpito,
Unguium resegmina in ignem projicito,
Vinum ad consecrationem auro contra carum ne putato,
Manus & pedes mundissime habeto.
Nam revera præceptum hoc parvi non esse momenti scito,
Esto quoque bono animo.
Et omnibus quæ ad corporis delectationem faciunt utitor,
Lætum te ostende & alacrem,
Non secus ac tibi omnia ex animi sententia cederent,
Omnem mærorem & tristitiam procul abjice:
Mensa & scamna sint parata,
Munde & eleganter composita.
Carnem assam ab igne remove,
Scyphos omnes ablue,
Nullius memento damni vel jacturæ.
Quam præstantissima poteris emito,
Cum uxore tua & tuis lætare,
Tribus epulis mensam instrue.
Nec, nisi quæ ad hilaritatem faciant, loquere, &c.

Est & illis Benedictionum ad mensam consecrandam libellus, (ברכות המזון *Birchos hammason* dictus) in quo omnis generis consecrationes in singulos totius anni dies festos, rythmis Hebraicis & Germanicis conscriptæ, exstant. Inter cæteras preces quædam ibi legitur, cujus initium est, מה ידידות מנוחתך i. e. *Quam amabilis est quies tua, &c.* in in qua hæc habentur:

Vestibus lætitiam & hilaritatem designantibus induitor.
Lucernam, ut bene ardeat, consecrato,
Ab omni opere recede,
Omnia opera tua die Veneris absolve,
Omnigenis indulge voluptatibus,
Piscibus, Capis & coturnicibus,
Cura ut vesperi sis instructus:
Varias conquire delicias,
Gallinas altiles, multasque Cupedias.
Vinum aromatiten parvi ne facito, &c.

Item;

Leniter incede: Lenitatem enim & somnum matutinum diuturniorem lex præcepit,

Item;

Byssinæ & sericæ vestes magni sunt pretii,
Et qui illis induuntur honorati,
Sabbathi dies sancta est,
O beatum qui illam exacte observare potest!

potest!
Nullæ animum vestrum curæ excrucient,
Quamvis araneæ in loculis vestris nidificent,
Hilares estote, & præsenti animo,
Quamvis in maximo ære alieno:
Præstantissimum vinum, carnes & pisces compara,
Et tribus illis mensam appara;
Ampla sic tibi præmia,
Hic & illic sunt reposita.
Item:
Vos mulieres candelas diligenter accendite,
Et ad tempus studiose attendite:
Præsentissimam inde utilitatem reportabitis,
Quum puero gravidæ eritis:
Placentas lautas si confeceritis,
Faciliore utemini utero, & parturientes ridebitis, &c.

Historiæ quibus voluptas & deliciæ Sabbathinæ probantur.

Ne vero hæc aliquis fabulas & figmenta poetica esse existimet, jucundas aliquot historias e Talmude proferam, quibus egregie & manifesta, nec sine miraculis, Voluptas & Deliciæ, summus Sabbathi honor esse, probantur.

Cap. 16. fol. 119. col. 1.

Legimus in Talmude in tractatu de Sabbatho: *Dixit Rabbi Chaja; Apud lanium aliquando in Cypro pernoctavi, (sunt qui dicant, non in Cypro, sed in Ludkia pernoctasse). Apposita fuit lanio illi mensa aurea sedecim hominum onus, de qua pendebant sedecim catenæ argenteæ, meris argenteis, vasis, ut puta scutellis, cochlearibus, orbibus, scyphis plena, lautissimis dapibus omne genus, præstantissimis obsoniis, bellariis & tragematibus onusta. Quum illi mensa hæc apponeretur; sic orsus Deum laudavit*: לה' הארץ ומלואה *Dei est terra, & quicquid est super terra: quum vero mensa auferretur, iterum Deum laudans in hæc verba erumpebat*: השמים שמים לה' והארץ נתן לבני ארם *Cœlum Dei est, terram autem filiis hominum dedit. Tum sic eum compellavi: Mi Magister, quo modo tantas congessisti divitias, & quibusnam in vita tua bonis operibus vacasti? Respondit paterfamilias, nempe lanius ille, Hactenus lanius fui, & si quando in manus meas pecus altile & saginatum incidit, illud in Sabbathum reservavi, ut bonis carnibus Sabbathum celebrarem & honestarem. Hinc divitiæ illæ, quas largitus est mibi Deus, eo quod Sabbathum hoc honore prosequutus fuerim. Quibus auditis, respondi*, ברוך המקום שזיכך לכך *Benedictus sit Deus qui hæc tibi est impertitus: tantisque te divitiis dignatus est*. Hic fuit hujus lanii eventus.

Psalm. 24.

Psal. 115.

Eadem præterea pagina legitur, *fuisse aliquando virum quendam, cui nomen erat Josepho* מוקיר שבת *Sabbathicolæ, quem nulla annonæ caritas remorabatur, si modo quicquam eximii in macello veniret, pisces præsertim immenso præstinare solebat pretio, nec auro ullo caros credebat. Fuit autem huic Josepho vicinus ditissimus, qui subinde illum sannis excipiens ajebat; Quid tibi, quæso, prodest cultus ille quo Sabbathum prosequeris? non ditior es propterea; Non tam religiose Sabbathum colo ego, divitiis tamen te longe supero; Sed parvi fecit hæc Josephus, nec illis animum applicuit, Deum, quas fecerat impensas pensaturum confisus. Eodem tempore Divini & Astrologi divitem illum accedentes, Bone vir, inquiunt, quid tibi tantæ prosunt divitiæ, qui in bonum piscem pecuniam nullam audeas insumere? Ex stellarum positione vidimus, tot tamque grandes divitias tuas in Josephi Sabbathicolæ manus deventuras, qui nullæ parcit pecuniæ, ut laute & opipare Sabbatho vivat. Astrologorum oratio non segniter divitis illius auribus illapsa est: Abiit itaque, & facultates bonaque sua divendit, pecuniaque ex venditione corrasa gemmas & uniones coemit, coemtas in pilei sui spiram congessit, & peregre proficisci decrevit, ne Josephus facultatum suarum potiretur. Mari ergo se credens, quum mediis ferretur aquis, & orta esset tempestas, insana & stridens procella ita navem concussit, ut a subversione parum absfuerit, pileum vero divitis illius capite decussit, & procul in mare dejecit. Adsuit præsto ingens piscis, qui pileum cum pretiosa illa spira absorpsit. Paulo post die Veneris ingens in macello piscis venalis prostabat. Singulos accedentes, & piscem emere gestientes, pretii amplitudo deterrebat. Præteriit tandem Josephus Sabbathicola, qui quovis pretio pisces mercari solebat, visumque cupidus & lætus in sacrosancti Sabbathi honorem emit. Quum domum detulisset, & dissecuisset, inventa est spira unionibus contexta, quam dives ille perdiderat: Et ita Astrologorum prædictionem exitus veram esse comprobavit. Sic insperata auctus lætitia derepente dives factus est: spira enim illa integri regni pretium æquare credita est. Tunc Josephum illum senex quidam, altissima præditus prudentia, accedens, ita alloquutus est;* מאז דיזיף שבתא פרעיה שבתא *Qui multum Sabbatho dat mutuum, illi multum a Sabbatho restituitur;* Qui vel paucis, pro tenui facultate, Sabbathum colit, quadruplum a Deo recuperat, &c.

Tractatu Taanis c. 3. fol. 20. 2.

Aliam quoque in Talmude, tractatu de Jejuniis, legimus historiam, *de quodam Rabbi Hone, qui singulis diebus Veneris*

neris servos suos in macellum missos omnia olera emere jubebat, quæ olitores vendere non possent, emta postea in profluentem jaciebat. Quærunt itaque Rabbini in Gemara, (complemento scilicet & expositione textus Talmudici) *Cur pauperibus Israelitis non distribueret?* ℞. *Si pauperibus olera emta dedisset, eadem semper spe capti, nullum olus in diem Sabbathi emissent. Itaque si alio tempore forte contigisset, ut olitores omnia olera sua vendidissent, nec pauperes quicquam sibi comparassent, non eo quo decet honore Sabbathum ab illis cultum fuisset. Cur ergo pecudibus olera illa apponi non curavit? Præstitisset quippe ita insumi, quam omnino perdi.* ℞. *Noluit ea, quæ homines comedere, & ex quibus utilitatem percipere poterant, pecudibus objicere: potuissent enim homines ex aquis adhuc educere & illis frui. Cur omnia emi curabat? Ut eo lubentius olitores singulis diebus Veneris olera sua in macellum afferrent; si enim semel atque iterum nihil omnino vendidissent, postea domi remansissent, nec quicquam offendere potuissent pauperes, quod Sabbatho comederent, sicque iterum debito honore non affectum fuisset Sabbathum.* Hoc pacto Rabbi Hone pro virili effecit, ut Sabbathum etiam a pauperibus, vel cum tenui olusculo, rite celebraretur.

Cap. 16. folio 118. Insuper in tractatu de Sabbatho legitur: כל המענג את השבת נותנין לו נחלה בלא מצרים *Si quis Sabbatho animum suum relaxet & se jucunditati det, Sabbathumque cum voluptate & lætitia transigat, a Deo illi hæreditas sine termino datur*, uti scribitur; *Tunc* (nempe quando Sabbatho te oblectabis, deliciasque tuas vocabis, uti superiore versiculo scribitur) *delectaberis in Domino, & tollam te super altitudines terræ, & cibabo te hæreditate Jacob patris tui*; de qua nimirum scribitur; *Dilataberis ad Orientem & Occidentem, & Septentrionem & Meridiem*. Rabh Nachman dixit, *Qui frontem Sabbatho exporrigit & genio indulget*, ניצול משיעבוד מלכיות *ille regnorum servitute liberabitur*, sicut scribitur: *Tollam te super altitudines terræ*. Item: *Mentientur inimici tibi, & super excelsa eorum calcabis*; Rabbi Juda dixit, Rabh dixisse, כל המענג את השבת נותנין לו משאלות לבו *Qui hilariter Sabbathum transigit, petitiones cordis sui a Deo consequitur*, uti dicitur; *Delectare in Domino, & dabit tibi petitiones cordis tui*.

Esa. 58. 1. 14. — Gen. 28. 14. — Deut. 33. 29. — Psal. 37. 4.

Quandoquidem igitur Judæi inimicorum suorum excelsa nondum calcant, nec votorum suorum & desideriorum compotes sunt, (nec enim Christianis adhuc imperant, nec totius orbis sunt Domini, ut singulis Sabbathis & diebus festis in precibus suis optant); hinc liquet, illos hactenus nondum sat recte Sabbathum observasse, nec sufficienti lætitia prosequutos esse.

Ubi primas Sabbathi epulas læti sic celebrarunt, a cibo iterum precibus vacant, uti supra meminimus: sed mensa strata manet usque in diem Sabbathi sub vesperam, & Candelas seu lucernas Sabbathinas accensas relinquunt. Hic acerrime invicem disputant, quid ad ejusmodi candelas vel faciendum vel intermittendum sit? Exempli gratia, An liceat pulices vel pediculos venari? Item, Lectio & Scriptio illis interdicitur, ne hac occasione candelam ad melius lucendum in latus inclinare, vel emungere cuipiam forte excidat, qua emunctione Sabbathum violaretur: quia perinde foret, ac si eam accenderet in Sabbatho. Vasa, pocula, scutellas, vestimenta, quæ sibi invicem sunt similia, ut vix discerni queant, non licet explorare ad lucernam Sabbathinam; eandem ob causam, שמא יטה ne forte, Sabbathi oblitus, lucernam inclinet, vel eandem emungat. Pueri vestimentis diligenter sunt tegendi, ne nudi sint coram his lucernis; משום ביזוי מצוה quia hoc in contemtum præcepti cederet.

Orach chajim n. 275.

Quoniam autem Sabbathum ab illis *Voluptas* appellari, & esse debet, sapientissimis Rabbinis placuit, & Sabbatho honorificum statuerunt, ut singuli mariti, præsertim vero sapientum discipuli & excellentes Rabbini, hac Sabbathi nocte, plus quam cæteris temporibus, uxorum suarum arva conserant. Quapropter ut stimulos sibi addant, & viros se esse meminerint, alliis ante Sabbathum vesci solent. Hinc etiam fit, ut sæpissime Sabbatho nuptiæ celebrentur, ut eo felicior sit concubitus, & majore Sabbathum honore afficiatur. Inde, qui ea nocte concipiuntur, ut plurimum in præclaram adolescunt indolem, & in sapientum discipulos evadunt: inprimis si bonæ & puræ interveniant cogitationes, nec tam coitus voluptas, quam sacrosancti Sabbathi cultus & honor spectetur.

Orach chajim n. 280. — Nuptiæ cur Sabbatho celebrentur.

Denique, quum Judæus die Veneris peregrinatur, & via sive ad diversorium sive domum major מתחום השבת *termino qui Sabbathi deambulationi conceditur* (de quo cap. seq.), superest, in mediis agris vel in media sylva subsistere debet, & ubicumque fuerit adveniente Sabbatho, locum illum occupare, ibi quiescere, & Sabbathum celebrare, omni furum & latronum periculo, cibi & potus pe-

Terminus Sabbathi.

penuria postposita. Verissima (quis enim aliter credat?) hac de re apud eos historia legitur: *Tres aliquando Judæi simul iter faciebant die Veneris: appetente vero vespera, & Sabbatho instante, alter alterum sic compellat; Quid facto opus est? in manifestum venimus periculum, via latronibus infestatur, sylva feris est referta; consultius est igitur, ut incœptum iter peragamus, vitamque nostram e periculo subducamus, potius quam cum aperto & corporis & vitæ discrimine Sabbathum observemus. Tertius vero subjecit: Certum est hinc non recedere, donec Sabbathum præterierit, Deus qui nos Sabbatho feriari jussit, me quoque in hujus sylvæ medio ab omni noxa & periculo tutum præstare potest. Reliqui duo itaque perrexerunt, & Sabbathum violaverunt. Ille vero ibi substitit, tentorium humi fixit, terram instar mensæ linteo stravit, illique panem suum, cibumque quem secum deferebat imposuit, & vespertinas preces concepit. Mensæ postea suæ accumbens, ad primas Sabbathi epulas sese accingebat, quum ingens & truculentus ursus, quo majorem nullus unquam vidit, ad eum accedit, qui famis rabie extimulatus videbatur. Bonus ille Judæus totus cohorruit, frustum postea panis urso porrexit, secum reputans, facile se a Deo servari posse. Ursus panem sibi porrectum comedit, & immotus illi astitit. A Cœna precem nocturnam recitavit Judæus, deinde somno se dedit: juxta illum vero recubuit ursus. Mane exorto summopere lætatus est, quod lethiferos ursi rictus evasisset: Deum itaque laudat, illique propterea gratias agit, & ad solitas postea matutinas preces se convertit, prandet & cœnat, omnibusque suis precibus simul defungitur. Exeunte Sabbatho* הבדלה i. e. *Separationem Sabbathi a septimana (de qua proximo capite agemus) fecit, iter suum repetiit, individuumque comitem ursum per totam noctem habuit. Illa ipsa eadem nocte comites ejus in latrones inciderant, omnibusque suis spoliati fuerant. Tandem hic cum urso obviam illis est factus, quibus conspectis, protinus in illos irruens ursus, eos discerpsit, laceravitque. Pius ille Judæus perterritus, jam de cute sua erat sollicitus. Tantisper dum hac cogitatione agitatur, accessere illum quoque latrones, & quis esset & unde veniret interrogarant: ille se Judæum esse (nomen enim suum Deo confisus abnegare nolebat) & ex aula regia venire, respondit. Latrones pergunt; Unde tibi hic ursus? Ille sibi a rege comitem datum esse dixit. In aurem itaque latronum alter alteri insusurrat; Hunc Judæum regi procul dubio carissimum esse oportet, qui illi hunc ursum adjunxerit: excepit alter. Tota nostra pecunia illum donemus, & sylva exeuntem prosequamur, ne illius indicio prodamur. Ita quicquid divitiarum penes eos erat, ab illis dono accepit, ne illius indicio deprehenderentur: abeuntem etiam per magnam viæ partem sunt prosequuti, donec tandem abiere. Ursus quoque postea in sylvam se recepit.* Quapropter singulis Judæis Sabbathum est diligenter observandum, & Deo in cœlis rerum cura relinquenda. Valete & plaudite. Calepinus recensui.

Sepher hamaase, historia 138.

Si quis per desertum iter faciens, obliviscatur, quo die sit Sabbathum; is ab eo momento dubitare de eo incipiet; & cogitare singulis diebus, Sabbathi diem esse; ac proinde ab omni opere abstinebit; si panem & alimenta secum habeat, non laborabit, quamdiu illa durant; illis vero absumtis, permissum est ei laborando victum suum quærere, vitæ conservandæ gratia; & in Itinere suo pergere, etiam ultra terminum Sabbathi concessum, ut tanto citius e periculo deserti liberetur. Quod si vero sciat quo die domo exiverit, e. gr. quarto vel quinto, & quot inde effluxerint, die ab egressu ejus octavo, libere licet ei iter & opus quodcunque facere, & sic quoque die 15. & 22. quia certus est, quod die Sabbathi iter non sit ingressus.

CAPUT XVI.

Qua ratione Judæi ipsam diem Sabbathi ferientur & absolvant.

POstero mane non tam matutino surgunt ac cæteris diebus, sed in multam lucem dormiunt majoris voluptatis causa in sacrosancti Sabbathi honorem. Quo majore enim perfunduntur voluptate, eo majore Sabbathum afficitur honore. Hoc autem artificiose Rabbini pro more suo ex lege extuderunt; Nempe ex Num. 28. ubi de quotidianis oblationibus agitur, ibi dicitur, בבקר Babboker *Mane*: sed in septimi diei, Sabbathi nempe, oblatione scribitur, ביום השבת *Die Sabbathi*; quasi innueret, quotidianas oblationes summo mane antelucano tempore offerri solitas (in quarum locum successere preces matutinæ, quibus multo mane ante lucem in schola vacant, ut supra exposuimus): die vero Sabbathi diutius expectatum fuisse, & in claram lucem oblationem di-

Sabbatho diutius dormiendum.

Orach Chajim n. 281. in novella additione.

latam. Ergo Judæis ad lucem dormiendum est, serius quam cæteris diebus preces concipiendæ, solitoque diutius in lecto quiescendum, propter voluptatem quæ Sabbatho requiritur.

Preces.

Ubi in scholam venerunt, ut cæteris diebus, orant, verum longe pluribus precibus & cantiunculis, Sabbathi honorandi causa: eo usque tamen, ut ad horam sextam, h. e. 12. prandere possint. Phylacteria (de quibus c. 4.) non induunt; quia Sabbathum per se Judaicæ fidei signum est, ut quod Judæis solis, ut in illo feriarentur, datum sit & injunctum, (uti quidem existimant) nec aliis signis opus est, qualia sunt Circumcisio & phylacteria, quæ duo quoque signa sunt quibus agnoscuntur Judæi.

Lectio Legalis.

Librum Legis ex arca educunt eodem ritu, eademque pompa, qua capite 9. dictum est. Parascham (פרשה) sive sectionem (qua ratione sc. tota Lex in 54. פרשיות Parschios est divisa) e Lege perlegunt, & unamquamque in septem lectiones dividunt, ad quas legendas viri peculiares septem advocantur. Hinc est, quod in majoribus Bibliis & Pentateuchis ad singulas sectiones majores in margine legitur כהן Kohen. לוי *Levi*, vel, שני *Secundus*, ישראל *Israel*, vel שלישי *Tertius*, רביעי *Quartus*, חמישי *Quintus* ששי *Sextus*, שביעי *Septimus*. Primo enim legit *Kohen* Sacerdos, deinde *Levi*, Levita, tertio *Israel*, & sic deinceps: quilibet legit istam Paraschæ sive sectionis particulam, ad quam voces istæ sunt notatæ. Post septimum legit מפטיר *Maphtir*, hoc est, *Dimittens cœtum*, post cujus lectionem cœtus dimittitur. Sed *Maphtir* non semper legit Parascham sed quandoque Haphtaram, unde hoc nomen non semper ad singulas Paraschas legitur. Vocantur autem singuli, ut supra etiam cap. 9. dictum. Hæc ideo obiter monere voluimus, quia multi, quid istæ voces ad marginem Bibliorum adscriptæ sibi velint, ignorant. Qui advocatur, per proximum sibi ostiolum ascendit, alter vero descendit, uti legimus populum Israel fecisse, quum die Sabbathi in sacrosanctum templum se contulerunt: porta siquidem una sunt ingressi, altera vero egressi.

Ezec. 46. 1. 2.

Ad legendum cur aliquando plures alias pauciores vocentur.

Observandum etiam, quod alias plures, alias pauciores ad Lectionem peragendam evocentur, id fieri pro ratione festorum: quo magis solennis & sacer est Dies festus, eo plures adhibentur Lectores. Ex. gr. In die Novilunii vocantur quatuor, quia reliquis diebus est sacratior: יום טוב *Jom tof*, Die festivo & hilari, advocantur quinque: Die expiationum, qui sanctitate alios superat, sex; in Sabbatho septem, quia sanctissimum. Quot singulis festis vocandi sint, ejus rei memoriale fecerunt versum hunc, שמע ישראל יהוה אלהינו יהוה אחד; Quot *prima* vox habet literas, nempe *tres*, tot vocantur Vespera Sabbathi, Die Lunæ, Die Jovis, Die jejunii publici, Festo dedicationis, & Purim: Quot *secunda* nempe 5. tot sunt in *Jom tof* quovis: quot *tertia* nempe 4. tot evocantur, in Neomeniis, & die festi profesto חול המועד *Chol hommoed*: quot *quarta*, nempe 6. tot sunt in Die expiationum: quot *quinta* & *sexta*, יהוה אחד, nempe 7. tot adhibentur in Sabbatho. Ad legendum omnes admittuntur, exceptis fœminis.

Lectio Prophetica.

Lectionibus e Lege subjungunt Lectiones e Prophetis, quæ Mosaicis lectionibus respondeant. Lectionem hanc Propheticam vocant הפטרה *Haphtharah*, cujus appellationis alii alias reddunt rationes; Quidam; לפי שנפטרין בה מקריאת התורה בשעת השמד *quod tempore persecutionis ea liberi essent a lectione Legis*: Alii; *quod*, cum de nulla prorsus re loqui & os aperire liceat, ex quo liber Legis est apertus, (ut habetur in Talm. Sota, cap. 7.) post absolutam lectionem Legis, id sit licitum; puta de sensu verborum lectionis prælectæ, si cui forte circa eam scrupulus oboriatur: Hi verbum פטר sumunt eo sensu, quo legitur, יפטירו בשפה *Distendunt labium*, Ps. 22. 8. Alii; quod hac lectione finita cœtus dimittatur. Nam פטר est *Dimittere*. Consuetudinis autem ejus hæc est origo; Quum priscis temporibus Mosem in scholis legere prohibitum illis esset, loco Mosaicæ sectionis, similem sectionem Propheticam (quam הפטרה *Haphtarah* indigitant,) quæ legis Mosaicæ expositioni respondebat, eodem modo legerunt. Hujus consuetudinis mentio fit in Actis Apostolorum: *Qui enim habitabant in Jerusalem, & principes ejus, hunc ignorantes, & voces Prophetarum, quæ per omne Sabbathum leguntur*. Item: *Moses enim ab ætatibus antiquis habet, qui ipsum prædicent, quum in synagogis per singula sabbatha legatur*. Licet autem hodie Mosis lectione ipsis in scholis non interdicatur, veterem tamen tenent consuetudinem, adeo ut Mosi Prophetas subjungant: rebus enim bonis nullus est statuendus modus. Haphtaram hanc aliquando pueris legendam committunt, exercendi eos causa.

Ejus origo.

Act. 13. 27.

Act. 15. 21.

Posthæc dum Librum Legis extensis

ſis brachiis ſurſum tollit, benedicitur cœtui.

Orant pro Magiſtratu Chriſtiano.

Hic etiam Precationem ſubjungunt pro Principe vel Magiſtratu illius loci, ſub quo agunt, ut Deus illum conſervet in Pace & tranquillitate, eum proſperet, & dominatum ejus adaugeat, juxta id quod Deus dicit apud Prophetam Jeremiam, cap. 29. ℣. 7. *Et quærite pacem civitatis, ad quam demigrare feci vos, & orate pro ea ad DOMINUM: quoniam in pace illius vobis erit pax.*

Quibuſdam in locis, & aliquando, rarius tamen Conciones etiam habent, vel ante, vel poſt meridiem, quibus locum aliquem Scripturæ more ſuo explicant:

Conciones quales habeant.

Leo de Modena ſcribit: *Quando concionem habent, totus Cœtus conſidet: qui concionem facturus eſt, operit caput ſuo* Talles (de quo alibi,) *quamvis id non ſemper obſervetur, & adſtans τῷ Almemor ſeu ſuggeſtui, orationem ſuam orditur a lectione loci alicujus Scripturæ, quem pro* נושא *ſeu Subjecto & Argumento ejus ponit; deinde ſubjungit dictum aliquod Rabbinorum, quod* מאמר *Maamar vocant: horum occaſione eligit aliquod Thema, quod ſit lectioni prædictæ conforme, de quo dein prolixius diſſerit, variaque eam in rem Scripturæ loca, & authoritates Rabbinorum adducit* &c.

Oratio pro defunctis. Levuſch hachor N. 284.§.7.

Pro Defunctorum quoque animabus, qui rite Sabbathum non obſervarunt, precantur, oratione quæ incipit: אב הרחמים. *Pater miſericordiarum*. Quia enim Sabbathum eſt Dies quietis, Typus quietis futuræ, & in eo mortui quoque quieſcunt, neque condemnationis pœnas, *quibus reliquis diebus cruciantur*, ſentiunt, ideo merito eorum memoriam fieri, ac pro ipſorum quiete orari, ſcribunt. Quidam ſimul elargiuntur eleemoſynas, pro iis qui jam ante aliquot ſæcula ſunt mortui, & jam ſuſtinuerunt pœnas ſuas in purgatorio. Probationem vide loco ad marginem notato.

Ultra ſextam horam non jejunandum.

Preces in Schola diutius durare non debent, quam ad ſextam diei horam: jejunium enim & preces ulterius producere, prohibitum, uti Sapientes ex ſæpe citato loco demonſtrant, *Sabbatum* עונג Delicias appellabis: Hic, inquiunt illi, vocula ענג *Deliciæ*, legitur ſine litera ו, quæ Sex deſignat, quo tacite innuit Propheta, non ultra horam ſextam, hoc eſt, Meridiem, jejunium protendendum eſſe: alioqui enim Sabbathum non *Voluptas*, ſed *Moleſtia* potius, appellandum eſſet.

Ibid. num. 288.

Secundæ Sabbathi epulæ.

Abſolutis itaque precibus matutinis, ſecundas Sabbathi epulas celebrant, & in honorem Sabbathi feſtum genialiter agunt. Si quis vero triſte ſomnium videat, ut pote librum Legis ardentem, domus, trabes & coaſſationes collapſas, dentes excuſſos, & id genus alia ſomnia infortunium portendentia, illi ad veſperam uſque cibo abſtinere, conceſſum; quia tale ſomnium mæſtitiam cauſatur homini, quam minuit Jejunium, dum cogitat, omen malum, quod ſomnium illud ipſi portendit, merito Jejunii ſublatum iri. Unde Rabbini dicunt, יפה תענית לחלום כאש לנעורת אפילו בשבת *Pulchrum eſt Jejunium, poſt ſomnium malum, ut ignis ſtipulæ; etiam in Sabbatho*. Item; היושב בתענית חלום קורעין לו גזר דינו של ע׳ שנה *Qui ſedet in Jejunio ob ſomnium, ejus decreta mala* (contra ipſum lata) *lacerantur ad 70. annos* (ille habet indulgentiam 70. annorum.) Et ſic Jejunium ipſum voluptatem & recreationem affert homini. Si quis autem maxillas ſibi excidere ſomniet, jucundum illud eſt ſomnium, quo de hoſtium & improbiſſimorum machinatorum morte admonetur; Quem cibus in ſomnis gravat, quique jejunio delectatur, eſuriales ferias libere agere poteſt. Sic qui tanto mœrore premitur, ut a lacrumis temperare ſibi non poſſit, fleat: *fletu enim egeritur dolor*, & hac quoque flendi voluptate Sabbathum honore afficitur. Qui tamen ſibi Sabbatho jejunium indicit, poſtridie jejunium iterare tenetur, ut & pœnitentiam ſuam teſtetur, & ſubtractæ Sabbatho Voluptatis pœnam ſubeat.

Sabbatho jejunare licet ob ſomnium inauſpicatum.

Quid Sabbatho a prandio agendum. Minhagim pag. 13. Caphior uperach p. 43. Bereſchith rab.ſect.11

A prandio, ex Rabbinorum præſcripto, aliquantulum ſtudere, & in ſacris libris legere operæ pretium eſt. *Conqueſtum eſt enim, ut R. Simeon tradidit, aliquando Sabbathum apud Deum, omnibus rebus in hoc mundo rem aliquam ſociam & comparem eſſe, ſibi vero nullum eſſe ſocium: Deus autem reſpondit. Populus Iſrael ſocius tuus & compar erit. Sabbatho enim legem diſcent, ſiquidem alias Sabbatho otioſi ſunt & quieſcunt. Acceſſit pariter Lex, & apud Deum conqueſta eſt, dicens; Quum Iſrael in terram ſuam revertetur, alter agrum vel pratum ſuum, alter vineam ſuam petet, quis mihi ergo tunc temporis dabit operam? Cui Deus; Iſrael tibi dabit operam: Sabbatho enim otiantur, nec laborant*. Propter hanc querelam communi conſenſu viſum illis fuit, ut die Sabbathi a prandio aliquantulum in Verbo Dei ſtuderent, vel in libris ad mores ſpectantibus legerent, ut hac ratione ad Dei timorem excitentur, nec Sabbathum vel Lex amplius habeant quod conqueri poſſint. Quam vero inſolenter & raro hoc apud eos fiat, docet ipſa ex-

experientia. Plus enim die Sabbathi de fœnore & usura, emtione & venditione, invicem conferunt, quam per totam reliquam hebdomadem.

Tertium epulum Sabbathinum.

Oblationis vespertinæ tempore (מנחה *Mincha* appellant) scholam iterum repetunt, & vespertinis precibus vacant, moxque tertium, eumque ultimum Sabbathi cibum, Sabbatho adhuc durante, antequam dies decesserit, capiunt. Inter has epulas non multum comedunt, propter temporis angustias. Sabbathum enim decedens benedictione iliis prosequendum est; Ut plurimum etiam omni ciborum appetentia destituuntur. Sub meridiem enim, Saliarem in modum epulantes, ad fauces usque replere se solent, epulasque sæpius in serum usque diem protendunt. Hinc ad tertias has epulas non omnes dapes, vel ceremoniæ requiruntur, quæ ad præcedentes; sed solis bellariis, fructibus, & similibus, peragi possunt.

Tres istas epulas maximi præcepti, & insignite boni operis loco ducunt, multaque de illis in Talmude scribunt; imprimis censent, *Illum qui tres illas epulas studiose & diligenter instauraverit, in inferos non detrudi, & tutum præstari tum ab horrendo bello Gog & Magog, tum etiam a summis doloribus & angustiis, quæ temporibus adventus Messiæ exorientur*, quos dolores חבלי המשיח appellare solent. Unde R. Jose dixit: יהי חלקי מן אוכלי ג' סעודות בשבת *Sit portio mea ex iis, qui celebrant tres epulas Sabbathinas*. Hinc & mulieres omnes has epulas celebrare tenentur, quia miraculum mannæ, ex quo eas extundunt, etiam mulieribus factum est, & de eo quoque comederunt.

Tractatu de Sabb. c. 16. pag. 117 118. Orach chajim n. 291.

Inter vesperam & noctem, frigidam haurire, aut ex rivulo bibere, iterum prohibitum, propter impiorum defunctorum animas, quæ in extremum sese tum in aquis refrigerant & abluunt, quia mox inferi illis repetendi sunt. Hinc scribitur in quodam Medrasch: *Quicunque in Sabbatho, inter vesperam & noctem, bibit aquam, perinde facit, ac si mortuos spoliaret*. Hinc sunt, qui nequidem eo tempore edunt, ne simul quoque invitentur ad bibendum.

In ipso Sabbathi exitu, cœna peracta, quidam celeri & agili industria mappam e mensa subducere solent. Existimant enim, eum qui id fecerit, ære alieno brevi liberatum iri.

Precationes nocturnæ.

Circa noctem simul rursus conveniunt, & in noctem usque precantur, pulcherrimas Sabbathi cantiunculas cantillant: præsertim precem illam, cujus initium est, והיא רחום *Ipse autem est misericors*, tam suavibus, tam dulcibus modulis modulantur, ut felium Martio catulientium concentus videatur: & sic divina hac melodia Sabbathum decedens prosequuntur. Ex misericordia autem in impiorum Judæorum animas, precem illam in noctem usque producunt, quo serius Erebum repetant. Quemadmodum enim die Veneris sub Vesperam publice in inferis proclamatur, ut impii omnes egrediantur, ut Sabbatho quiescere possint, non secus ac totus Israel quiescit: Ita etiam die Sabbathi noctu iterum proclamatur, ut mox, absolutis Israelitarum vespertinis precibus, in inferos redeant. Sic enim legitur in Aggadah: בכל ערב שבת דומה הממונה על הנפשות מכריז ואומר הנח להם לרשעים וינוחו ומניחין כל השבת כולה ובמוצאי שבת עם חשיכה צועק המלאך שהוא ממונה עם הרוחות חזרו לכס הרשעים לגהנם שכבר שלימו ישראל סדריהן *Singulis diebus Veneris sub vesperam proclamat Dumah, Angelus præfectus animabus, & dicit; Missos facite nunc Impios ut quiescant; & quiescunt toto Sabbatho. Exeunte autem Sabbatho circa noctem, rursum proclamat Angelus Spiritibus præfectus; Revertimini nunc Impii in Gehennam: jam enim absolverunt Judæi ritus suos*.

Orach chajim n. 293.

In nocturnis istis cantionibus, multam iteratamque Prophetæ Eliæ mentionem injiciunt, loca etiam Scripturæ legunt, in quibus ejus mentio habetur. Traditionem enim se habere ajunt, illum neque in vespera Sabbathi vel alicujus alius festi venturum, multo minus in Sabbatho, aut die festo ipso, ne occasionem præbeat, ut dies illi prophanentur. Quum ergo Sabbathum præterierit, orant, cum finitum nunc sit Sabbathum, ut veniat, & læto evangelio de Messiæ adventu ipsos exhilaret (Surdas & hebetes fortassis aures habet, quod tam longo tempore nondum venerit). Sapientissimi quoque Rabbini docuerunt, Prophetam Eliam sub arbore vitæ in Paradiso sedere, & Judæorum merita, bonaque opera, quibus Sabbathum diligenter observarunt, in commentarios referre. Sunt etiam qui scribunt, per traditionem se accepisse, שהוא טוב לשכחה quod hoc sit efficax remedium contra oblivionem, & ut omnia, subsequenti septimana prospere & ex voto cedant.

Levusch hachor, N. 295. §. 1. & 299. §. 10.

Tandem, ubi cantiunculam, cujus initium est ברכו *Benedicite*, decantant, mulieres præcipiti festinatione ad puteos suos properant, & aquam hauriunt. Scribunt enim, puteum Mariæ, ex quo in deserto biberunt, in mare Tyberiadis fluere,

Cur mulieres exeunte Sabbatho aquam hauriant. Minhagim pag. 4.

Orach chajim n. 299. in fine Colbo c. 41

re, & inde ſub finem Sabbathi omnibus puteis permiſceri. Si autem eveniret, ut mulier quæpiam illo ipſo momento aquam hauriret, antidotum, Mithridatica longe præſtantiorem, imo Panaceam nanciſceretur; non illa Gajacei decoctione indigeret. Quamvis enim præ luis Venereæ ſerpigine caro alicujus fruſtulatim concideret, ſi modo de illa aqua deguſtaret, protinus novus & defæcatus ſanguis venas ſubiret, nova, lævis & delicata cutis oſſa veſtiret, veterisque belli exuvias deponeret. Fidem tam pretioſo aſtruit remedio *Mulier quædam, quæ ſtatim ab hac prece aquam petens, in illo momento ſupervenit, quo puteus Mariæ puteo ſuo miſcebatur. Sed quum diutius emaneret, maritus vehementer illi iratus eſt, adeo ut præ nimio metu mulieri urna manibus in mariti conſpectu exciderit, &c. caſu ita ferente, guttulæ quædam in hominis illius corpus reſilierint. Quaſcunque vero corporis partes aqua illa tetigit, protinus ſanatæ fuerunt.* Videte, quam furoris ſui mercedem retulerit. Ex parte enim tantum ſanatus fuit: ſi vero ebibiſſet, totus convaluiſſet, infante recens nato delicatior. Hinc admirabile illud Rabbinorum νωθέτημα; רגזן לא עלתה בידו אלא רגזנותא *Iracundus nihil aliud quam iram ſuam reportat.*

Talm. Kiddusch. cap. 1. in fine.

Poſtremo Sabbathum a nova ſeptimana ſeparant, (הבדלה *Habhdalah* vocant) & Deo gratias agunt, quod Sabbathum, quæ eſt ejus miſericordia, ſibi tam bene obſervare conceſſerit. Separationem hanc publice in ſchola precibus nocturnis peractis facit præcentor; ut pauperum gratiam, qui præ rei domeſticæ anguſtiis eam domi facere nequeunt: alioqui ſinguli patresfamilias eo munere domi defunguntur. Facienda eſt מעומד ſtando, in honorem Regis, quem abeuntem comitantur. Sic autem ſe res habet; Ingens cereus, faci ſimilis, accenditur, qui נר הבדלה Ner habhdalah *Lucerna ſeparationis* appellatur; præparatur etiam pyxidula, plerumque argentea, præſtantibus *aromatibus* plena: deinde paterfamilias vini cyathum dextra accipit (ubi Zythus bibitur, ibi Zythum capit, ſi vino emendo par non ſit) & elata voce canit: הנה אל ישועתי אבטח ולא אפחד כי עזי וזמרת יה יי׳ ויהי לי לישועה: ושאבתם מים בששון ממעיני הישועה: ליי׳ הישועה על עמך ברכתך סלה: יי׳ צבאות עמנו משגב לנו אלהי יעקב סלה: ליהודים היתה אורה ושמחה וששון ויקר: *Ecce Deus ſervator meus fiducia mea, non timebo: quia fortitudo mea & laus mea Dominus, & factus eſt mihi in ſalutem. A Domino eſt ſalus, benedictio tua ſuper populum tuum. Sela. Dominus Zebaoth nobiſcum, ſuſceptor noſter Deus Jacob. Sela. Calicem ſalutis accipiam, & nomen Domini invocabo. Judæis nova lux oriri viſa eſt, gaudium, honor, & tripudium.* Quibus decantatis, vinum conſecrat, & ait (ſed in ipſo orationis principio aliquantulum vini e cyatho in terram effundit): בא״י אמ״ה בורא פרי הגפן *Benedictus tu Domine Deus noſter, totius mundi Domine, qui vitis fructum creaſti:* Cyathum poſtea manu ſiniſtra apprehendit, & dextra *aromatum pyxidulam*, & ait: בא״י אמ״ה בורא מיני בשמים *Benedictus tu Domine, &c. qui varia aromata creaviſti.* Aromata illa olfacit & domeſticis olfacienda tradit. Deinde cyathum rurſus dextra capit, & ad ingentem illum *Cereum* accedit, manuſque ſiniſtræ ungues diligenter ſpeculatur, ita ut digiti introrſum, palmam verſus incurventur, & umbram in manu faciant, quam poſtea iterum expandit, & extrinſecus conſiderat oculis tam prope admotis, ut ungues ad candelam digitis albiores eſſe agnoſcere poſſit, deinde ait: בא״י אמ״ה בורא מאורי האש *Benedictus, &c. qui clarum lumen creaſti.* Neque tamen etiam hic Cereus abſolutæ eſt neceſſitatis: hæc enim benedictio ordinata eſt duntaxat in memoriam Lucis creatæ. Unde qui talem non habet, non neceſſe eſt, ut de eo nimis ſit ſollicitus. Et lampas duo ellychnia habens, ejuſmodi faci cereæ æquivalet. Cyathum rurſus ſiniſtra capit, & dextræ ungues colluſtrat, quo facto cyathum in dextram reſumit, & ait; בא״י אמ״ה המבדיל בין קדש לחול בין אור לחשך בין ישראל לעמים ובין יום השביעי לששת ימי המעשה בא״י המבדיל בין קדש לחול *Benedictus, &c. qui diſcrimen facis inter ſanctum & profanum, inter lucem & tenebras, inter Iſraelem & alias gentes, inter ſeptimum diem & reliquos ſex hebdomadæ dies: Benedictus tu Domine, qui inter ſanctum & profanum diſcrimen ponis* (inter hanc precatiunculam aliquid iterum vini e cyatho in menſam effundit): pauxillum quiddam poſtea de illo bibit, & aliis bibendum porrigit. Hac veſpera ſe ſalutantes, non fauſtam noctem, ſed fauſtam ſeptimanam ſibi invicem apprecantur. Nullum prorſus opus licet facere antequam hæc ſeparatio ſit peracta; ſaltem quoad Precationem requiſitam. Quod ſi neceſſitas aliqua urgens incumbat, ad opus faciendum brevi defungentes, dicunt; *Benedictus ſit, qui diſcrimen facit inter Sanctum & profanum*; omiſſo Dei nomine. Sic finis Sabbatho aſſertur, & ſeptimana inchoatur.

Exeun-

Margin notes:

Separatio Sabbathi a ſeptimana fit.

Lucerna.

Aromatibus; Vini cyatho.

Jeſa. 12. 2.

Pſalm. 3. 9.

Pſal. 46. 8.

Pſal. 116. 13

Eſth. 8. 16.

Aromatum olfactione.

Unguium contemplatione.

Exeunte Sabbatho mensa de novo instruenda est, licet sine usu vel necessitate; & sic per totam noctem relinquenda; nempe ad comitandum Sabbathi diem abeuntem. Quemadmodum enim comitatu eodem honorare solent Regem ex urbe egredientem, quo eum excipiunt ingredientem: ita quoque &c. Cabalistæ scribunt, membrum quoddam esse in homine, cujus nomen sit נסכוי; id a nullo alio cibo nutriri & alimentum capere, quam eo, quem homo edit exeunte Sabbatho, ad illud comitandum. Cavendum tamen ne Panis integer apponatur, quod nonnulli factitant. Prætendunt se id facere in memoriam Mannæ, quod per totam noctem in arca asservatum fuerit, unde illum panem Mappa quoque tegunt. Sed hæc ratio nulla est, inquit R. Mardochaj Japhe. Manna enim non ita repositum erat per totam noctem, sed mane decidit.

Precatio contra quosvis armorum ictus.

Inter preces vespertinas habetur quædam, cujus initium est ויהי נועם *Vihi noam*, ex Psal. 90. ỳ. 17. 18. cum sequenti Psal. 91. In ea litera ז nulla conspicitur; *Zajin* autem *Arma* significat. Qui ergo pio & religioso animo orationem illam recitat, ad omnigenum armorum ictus tutus est, nec cæsim nec punctim vulnerari potest. Tuti similiter sunt a Dæmonibus, si pia attentione lectionem *Audi Israel* recitaverint; versiculus enim ille incipit a ש & desinit in ד, quæ duæ literæ combinatæ שד id est, *Dæmonem*, constituunt, &c.

Alia ad fugandos Dæmones.

Levusch hachor numer. 299. §. 1.

Sic quidam post factam *Habbdalah* seu Separationem, fausti ominis causa pro initio dierum septimanæ recitant peculiares quosdam hymnos, preces, adjurationes, Versus item certos Scripturæ, qui prosperitatem ipsis videntur portendere & polliceri, quisque pro sua phantasia & superstitione, vel prout vota ejus sunt & desideria. Sic quidam statim peracta Separatione dicunt; *Domine mundi, fac ut initium dierum sequentium nobis sit auspicatum & salutare! audire fac nos in illis gaudium & lætitiam! redde nos prudentes, & doce nos!* Alii ajunt; אנא משבענא עליך פותח שר של שכחה שתסיר לב טפש ממני ותפיל יתיה על טוריא רמתא בשם שמא קדישא ארימם ארימם אנססיאל ופתחאל. ונח מצא חן בעיני יי׳. ויהי דוד בכל דרכיו משכיל ויי׳ עמו וגו׳ *Ego adjuro te Poseach, princeps oblivionis, ut auferas a me cor obesum & stolidum, illudque conjicias in montes altos, in nomine sancto Arimam, Arimam, Ansasiel, & Paschiel. Et Noach invenit gratiam in oculis Domini. Et David in omnibus suis viis prospere agebat, & Deus erat cum eo, Oculos meos ad cœlum attollo, unde venit auxilium meum &c. In principio creavit Deus &c. Deus noster, & Deus patrum nostrorum, sit initium sex dierum seqq. nobis auspicatum, sint immunes ob omni peccato & prævaricatione*, &c.

Discrimen Sabbathi ab hebdomade hujuscemodi sententiis probant; *Et ut habeatis scientiam discernendi inter sanctum & profanum:* Item, *Deus divisit lucem a tenebris*. Tanti eam faciunt; ut scribant; כל מי שאינו מבדיל על הכוס במע״ש או שאינו שומע מאחרים שמבדלין אינו רואה סימן ברכה לעולם *Quicunque non separat (Sabbathum a profano) super poculo vini in nocte Sabbathi, vel non audit alios separationem facientes, nullum videt Signum benedictionis: qui vero id observat, eum Deus vocat* חסיד Sanctum; *& facit eum virum peculii sui, sicut dicitur*; Et eritis mihi in peculium ex omnibus populis. *Item*; Et separabo vos a populis &c. nempe per meritum Separationis hujus. Nempe sicut Sabbathum adveniens Poculo vini consecrato excipiunt, ita idem abiens eodem modo comitantur & dimittunt. Ante Separationem hanc factam, nihil operis licet facere, ad minimum per preces & benedictiones: si necessitas urgeat, compendio utuntur; ברוך המבדיל בין קודש לחול *Benedictus sit, qui discrimen facit inter Sanctum & Prophanum*.

Lev. 10. 10.

Genes. 1. 4.

Orach chajim n. 296.

Vinum Separationis Sabbathi ad quod conducat.

Vino in separatione consecrato oculos quidam oblinere, quidam integram faciem perfundere solent; idque visui, & oculorum fluxionibus conducere perhibent. Sunt qui vitæ prorogandæ causa arteriæ pulsum vino hoc inducant: alii vero hoc passim rore omnes angulos, lectos, puerulos, cunas aspergunt, efficaci adversus veneficia remedio. Hoc vinum, ut & illud quo Sabbathum consecrant, permagni fit ab illis.

Aromata cur olfaciant.

Aromata illa olfaciunt, ne animi deliquium patiantur, propter animam quæ illis exeunte Sabbatho aufertur, quamque semper ineunte Sabbatho resumunt, & qua præ cæteris hebdomadæ diebus ditantur. De hoc Antonius Margarita in libello suo de fide Judaica ita scribit: *Judæi in Talmude suo scribunt, unumquemque hominem tres animas habere, idque ex hoc Esajæ loco eliciunt*. Hæc dicit Dominus Deus, qui creavit cœlos & extendit eos, qui firmavit terram, & quæ germinant ex ea: dans flatum populo qui est super eam, & spiritum calcantibus eam. *Ex hoc textu duas homini attribuunt animas, quæ, cum vera & naturali hominis anima, tres constituunt*.

Anima Judæorum Sabbathina addititia.

Esa. 42. 5.

Scri-

Scribunt prœterea, homine dormiente duas illas addititias animas avolare; alteram ſurſum ad Deum aſcendere, ibique ventura omnia audire; alteram deorſum in terram deſcendere, huc illuc circuire, nihilque aliud prœter iniquitatem, peccatum, ſtultitiam & vanitatem videre. Hæc autem ab illis appellatur רוח בהמית *Anima bruta, irrationalis: Illa vero anima, qua primum inſpiratus eſt, individua cordi adſiſtit comes, videtque omnia, quæ audiunt, vident vel faciunt duæ illæ animæ quæ hominis corpus deſtituerunt. Hinc omnia oriuntur ſomnia, quæ ea propter non ſemper ſunt ſpernenda. Verum die Sabbathi quarta accedit anima tanquam additamentum, quæ animos erigit & excitat, ut majorem Sabbatho reddere poſſint honorem: ſed Sabbatho exeunte anima hæc rurſus hominem deſerit. Hinc fit ut animo male ſit. Viribus itaque inſtaurandis ſuaveolentia hæc aromata olfacit.* Hactenus Margarita. Unde vero hæc deſumſerit, hactenus in Judæorum libris videre non licuit. Hoc tantum de anima illa, quæ die Sabbathi auctarii loco accedit, in Talmude legi; *Dixit Rabbi Joſe ex ſententia Rabbi Simeonis filii Joachi, Omnia præcepta quæ Deus populo Iſraelis dedit, palam & publice dedit, ſi præceptum de Sabbatho exceperis, quod clam illis traditum eſt*, uti ſcribitur: *Inter me & filios Iſrael* אות לעלם quod illi, non ut ſonat, nempe, *Signum eſt æternum*, ſed, *Signum eſt ad occultandum*, interpretantur, quaſi diceret; *In occulto continetur, & ab aliis gentibus abſconditur: a ſolis tantum Judæis non ignoratur*. Hic ſapientes in Gemara quærunt & objiciunt: *Quandoquidem gentes, Chriſtiani ſcilicet aliique, ignorant nos Sabbathum habere, cur pœna & ſupplicio tandem ſunt afficiendi, eo quod Sabbathum non obſervaverint? R. Nos Sabbathum habere norunt, neque hoc ab illis abſconditum eſt, & ideo punientur, eo quod ab illis non obſervetur. Verrum Sabbathi mercedem hanc ignorant, tantum myſterium celavit eos Deus*: ואי בעי אימא מתן שכרא נמי אורעינהו נשמה יתרה לא אורעינהו דאמר ר' שמעון בן לקיש נשמה יתרה נתן הקבה באדם ערב שבת ולמוצאי שבת נוטלין אותה הימנו שנאמר שבת וינפש כיון שבת וי אבדה נפש *At tamen (ſi rite Sabbathum obſervarent) innoteſceret etiam illis merces Sabbathi: ſed proh dolor! id fieri nequit, propter defectum illius animæ, quam Deus auctarium dedit Judæis die Sabbathi, qua illi in utramque aurem quieſcere, cibo & crapula læti ventrem diſtendere, e pectore mærores demere, curas animo deponere poſſunt. Ideo Rabbi Simeon filius Lakis dixit; Animam ſuperfluam & redundantem Deus in homine infundit, quam Sabbatho exeunte iterum recipit*, uti ſcribitur; שבת וינפש hoc eſt, *Ubi Sabbatho quieverit, væ animam deperdet; anima nempe illa addititia ab eo auferetur*. Hactenus Talmud, ubi iterum obſervanda Scripturæ adulteratio; Vocem enim וינפש *Vajinnapheſch* nebulones, quum tamen proprie *Recreabitur, reſpirabit*, ſignificet, fœde hic per artificium Cabaliſticum, quod נוטריקון *Notaricon* appellant, diſcerpunt in וי נפש *Vaj nepheſch* Væ anima! quaſi ſenſus eſſet; *Poſteaquam Sabbathum peregit & celebravit, anima eheu! perit: vel anima eheu! privatur*; Quod per anthopopathiam Deo adſcribitur, in quem nullo modo cadit animæ ſpoliatio ſeu privatio. In ejuſmodi nugis, & brutis animorum excæcatorum commentis ſumma Judæorum ſita eſt prudentia. De hac ſuperflua & redundanti anima ſubtiliſſime quoque diſputat Rabbi Abraham Hiſpanus in Comment. ſuis in Pentateuchum, quos *Faſciculum Myrrhæ* inſcripſit.

Tract. Beza cap. 2. f. 16. col. 1.

Exod. 31. 8.

Tractatu Taanis de jejunio c. 4. fol. 27. 2. Exod. 31. 16.

Geneſ. 2. in Paraſcha Bereſchis.

Sunt qui, majore ingenii acumine præditi, aromata ideo naribus admoveri dicant, quia ignis infernus Sabbatho non fœtet: Quamprimum vero Sabbathum exit, & inferorum portæ aperiuntur, ut iterum impiorum defunctorum animæ intromittantur, fœtere ſimul incipit Orcus, & huic fœtori aromata illa reſiſtunt, uti Germanici illorum Rituales habent, &c.

Ignis infernalis Sabbatho non fœtet.

pag. 3.

Quod ungues tam attente conſiderant, ejus varias reddunt rationes. Quidam dicunt, Benedictionem ſuper accenſa face ſeparationis non eſſe recitandam, donec ita claram lucem ſpargat, ut nummum unum ab altero diſcere poſſit. Hujus rei probationem faciunt inſpectis unguibus, an eos a cute & carne poſſint diſcernere. Alii dicunt id fieri לסימן ברכה pro ſigno benedictionis, propter ſummam illorum fertilitatem; quamvis enim ſingulis diebus Veneris reſecentur, ſemper tamen ſuccreſcunt. Sunt qui dicant, id fieri propter veſtes, quas Deus Adamo in paradiſo dederat, quæ onychini coloris erant. Sunt etiam qui ſcribant, propter mirabile diſcrimen, quod eſt inter ungues & carnem, cujus mirabilis diſcriminis mirabilis quoque conſideratio a primo homine fluxit. Quum enim vidiſſet Adam, mundum tenebris obductum, exclamavit; Ah me miſerum, ob cujus peccata mundus obtenebratus eſt! Hic mentem Adamo miſit Deus pulcherrimam, ut duos

Ungues cur inſpiciant.

Minhag. pag. 4.

Vide tract. Pesachim cap. 4. fol. 54. col. 1. & 2. Bereſch. rab. sect. 11.

silices invicem concuteret, ex quorum concussu exiliit ignis, quo candelam accendit; Ubi vero se undique nudum esse vidit, præterquam in extremis digitis, qui unguibus vestiti erant, summa abreptus admiratione, Deum propterea laudavit, ut legere est in libro, cui nomen Colbo, cap. 41.

De vino cur in terram fundant.

Vini in separatione consecrati particulam in terram effundunt לסימן ברכה, ut copiæ & omnigenæ abundantiæ in domo pro sequenti septimana faustum sit omen. Ideo scribunt כל בית שאין נשפכין בו יין כמים אין בו סימן ברכה; *In quacunque domo vinum instar aquæ non effunditur, ibi nullum est benedictionis signum*. Sunt qui existiment, propterea fieri, ut Core cum sociis, quos vivos terra absorpsit, refrigeretur; siquidem adhuc sub terra vivunt, & vino hoc consecrato aliquid refrigerii & recreationis sentiunt.

Historia de ignis inferni fœtore. Tractatu Sanhed. c. 7. fol. 65. 2.

Paulo supra Ignem infernum fœtere meminimus, cui sententiæ confirmandæ facit historia, quæ in Talmude legitur: *Impius ille Turnus Ruphus Rabbinum Akibham aliquando interrogavit, quænam præstantia esset Sabbathi præ reliquis diebus, quod tanto a Judæis honore afficeretur? Cui R. Akibha objecit; Cur te majore quam reliquos homines afficiunt honore? Ille respondit;* דמרי צבי *quia sic Regi & Domino meo visum est:* שבת נמי דמרי צבי *Ita quoque Regi regum Domino Deo nostro visum est, inquit R. Akibha, ut Sabbathum cæteris diebus præferamus. Ad hæc impius ille Turnus; Quis tibi certo dicere queat, vel unde tibi compertum est, ipsissimum Sabbathum vestrum septimum esse diem & verum Sabbathum, fieri utique potest ut sit alius dies a septimo? Excipit Rabbi, Hoc primum ex fluvio Sambatione demonstrari potest, qui per sex hebdomadæ dies tam vehementis est fluxus, ut magnos secum lapides rapiat; ita ut per totam hebdomadem innavigabilis sit; Sabbatho vero stat & quiescit. Secundo id ex patris tui sepulchro demonstrare possum, quod per totam hebdomadem crasso vapore, & tetro ignis stygii, quo ille plectitur, fœtore inficitur; Sabbatho vero omni omnino fœtore caret, quia Sabbatho inferis egreditur & quiescit: nulla enim est in eum inferorum potestas, ideo etiam Stygius ignis die Sabbathi neque fumum neque vaporem emittit. Quum Turnus vidisset rem ita se habere, Rabbinum ita alloquutus est; Finem fortasse in inferis judicium ejus consequetur? Respondit Rabbi, Abi statim a Sabbatho, & vaporem iterum conspicies. Re cognita compertaque, artibus magicis patrem suum ex inferis eduxit, eumque ita compellavit; Vivus Sabbathum non observasti, mortuus vero illud observas; Quampridem Judæus factus es? Pater respondit; Mi fili, qui apud superos Sabbathum sponte non observat, invitus ille & coactus apud inferos observat. Filius patrem interrogare pergit; Quibus distinemini occupationibus profestis diebus? Subjecit pater: Igne comburimur; Sabbatho vero quiescimus. Nam die Veneris sub Sabbathi vesperam auditur vox proclamans, Tempus quietis adest, in quietem concedite impii. Ita nos ad quietem conferimus, & per Sabbathum feriamur. At sub finem Sabbathi, ubi Judæi statutas peregere preces, malus Angelus, cui Dumah nomen est, quique nobis præpositus est, accedit, & nos inferos repetere jubet, quia populus Israel Sabbathum suum exegit; ubi denuo Erebum ingressi sumus, ignem miseris infandum subjicit, & ita per totam hebdomadem torremur, donec iterum revertatur Sabbathum, his nos distinemur occupationibus.* Qui plura hac de re videre voluerit, consulat R. Bechaj in sectione, *Audivit autem Jethro*, hoc est, in expositione in decimum octavum Exodi, ubi multa de Sabbatho scribit, & Bereschit rabba, sect. 11.

fol. 91. 1.

De operibus Sabbatho vel faciendis vel intermittendis.

Verum, quia sæpe Deus tum in lege Mosis, tum in Prophetis præcipit, ut Sabbatho ab omni opere externo abstinerent, nec Sabbathum violarent; hinc amplissima inter Rabbinos disputatio orta est, quid Sabbatho faciendum, quid intermittendum? Et maximus ea de re Tractatus exstat in Talmude, in quem doctissimi & præstantissimi Rabbinorum commentarii sunt, & alter alterum subtilitate & ingenii acumine superare nititur, ut aliquid comminiscatur, quod in Sabbathi sanctificationem cedat. Quædam obiter perstringam.

Tractat. de Sabbatho cap. 5. p. 52. Orach Chajim num. 305.

Primo, quia Deus præcipit in Lege, ut non solum homines, sed etiam ut jumenta quiescerent, subtiliter hic disputant; Quantum itineris Jumentum, Equus aut Asinus, &c. Sabbatho conficere debeat: an item aliquid illi; & quid gestandum? Hæc omnia in Talmude solvuntur & declarantur. Nempe, quemadmodum homini permissum est Sabbatho vestibus suis exire: ita licitum quoque est Jumento vel Bestiæ imponere ea, quæ inserviunt ad illud, vel regendum, ducendum, & retinendum, ne aufugiat & amittatur, vel a frigore aut alio incommodo protegendum, vel ad corpus ejus curandum & impinguandum, vel ad lanam ejus mundandam, & similia; quia hæc omnia idem sunt Jumento, quod

Vestimentum est homini: Ex. gr. Equus aut asinus fræno, habena aut capistro; Simia Cercopithecus, Catulus, canis venaticus, &c. millo, qui fune vel laqueo religatus sit, quo ductari possint ne aufugiant: Hæc tamen die Veneris illis apponi debent, non die Sabbathi. Equum cum ephippio emittere prohibitum, multo minus equus hominem vel aliquod aliud grave onus gestabit, ne prematur, vel quid detrimenti patiatur. Si quis Sabbatho cum equo aut asino domum veniat, vel in diversorium, ephippium quidem solvere potest, sed non deponere: si equus ex se ipso excutiat, liber est Judæus, & a culpa immunis. Si quis habena equum ducat, cavere debet, habenæ lorum palmam unam longum manu dependeat, ne lorum ipsum manu ferre videatur; præsertim, quando etiam inter manum & equum nimium propendet. Tum enim non videtur equus duci, sed simpliciter habena manu gestari: jam vero aliquid Sabbatho gestare, peccatum est.

Sabbatho gallus gallinaceus non est cum particula panni, vel tæniola pedi vel alæ assuta, ut facilius dignoscatur, emittendus: die Veneris solvendus est, ut Sabbatho rite quiescere possit.

De bestia in foveam cadente.

Si bestia in foveam inciderit, nec ipsa egredi possit, in ea cibus illi dandus est, donec præterierit Sabbathum, postea demum extrahenda; si vero imum foveæ profunda operiatur aqua, nec bestia quæ decidit cibari possit, stramen illi, pulvini, & alia supponi possunt, ne, si modo fieri possit, submergatur; si ipsa foras erumpat, reus non est Judæus, neque Sabbathum violavit. His contrarium esse & repugnare videtur, quod Christus Judæis objecit, quum ab illis incusaretur, quod Sabbatho morbos sanaret, & ægros pristinæ restitueret valetudini. Sic enim ille: *Quis est ex vobis homo, qui habeat ovem unam & si Sabbatho ceciderit in foveam, non apprehendat & extrahat eam?* quasi diceret; Si vobis pecudem Sabbatho e fovea extrahere licitum, ut vitam illi conservetis, quanto magis juvandus est homo, qui multo pecude est melior? Hinc tum temporis id permissum videtur; quum tamen jus ipsorum Canonicum, Talmud nempe, contrarium directe statuat & concludat. Ac propterea impius ille & sceleratus Rabbi Lipmannus, in exsecrando & impuro illo libro, quem in quatuor Evangelistarum historiam, sub נצחון *Triumphi* seu *Victoriæ* titulo, anno Christi 1459. conscripsit, Christum falsi insimulat, qui *juri ipsorum contraria & consuetudini ipsorum repugnantia, ipsi affinxerit*, ut Sebastianus Munsterus in Evangelio Matthæi Hebraico indicavit, & in meo quoque exemplari in pergameno manuscripto, iisdem verbis quibus ille citat, exstat. (In libro Nizzachon, ab Hakspanio edito, loca Novi Testamenti refutata non habentur.) Respondemus, Christum ipsam esse veritatem, ac proinde nihil nisi veritatem loqui potuisse; Nihil unquam falsi, nihil dolosi in sacrosancto illius ore inventum est. Citius omnes infideles Judæi cum patre suo Diabolo, omnium mendaciorum patre, æterna confundi ignominia necesse est. Verum quidem est, hodiernum jus Talmudicum sic præcipere, ut inter alia exemplum quoque hoc Munsterus ex Saxonicis Annalibus producit de Judæo, qui Sabbatho, honos auribus sit habitus, in latrinas decidit, ibique durante Sabbatho cibus illi præbitus: quum vero hoc animadvertisset Episcopus, serio prohibuit, ne die Dominico, qui Christianis sacer est, inde extraheretur, ac per consequens, biduum in hoc latrinæ fœtore jacuit. Quam jucundum & volupe illi fuerit, Sabbathi delitiis in tam amœno loco frui, vix credi potest; adde, quod aromatibus, in medio aromatum, ad separationem faciendam non indiguit; hæc enim animum vel delicatissimi Judæi, quarta illa anima decedente, satis superque recreare potuerunt. Hoc pacto hodiernum illorum jus Talmudicum Christi verbis adversatur & repugnat: sed a principio res non ita sese habuit. Nam *primo* nihil ejusmodi in illorum Deuterosibus, משניות seu Veterum constitutionibus & traditionibus, ad quorum præscriptum & normam jam ante Christi tempora regebantur, videre est. *Secundo*, neque repugnarunt, neque contradixerunt Pharisæi & Judæi; omni tamen dubio procul non tacuissent, si publicis illorum traditionibus & vulgo recepto juri repugnasset. Nempe, non absolute prohibetur in Talmud opem ferre, & juvare bestiam, quæ in foveam incidit, sed dicitur; *Si in foveam ceciderit, & ibi alimentum suum habeat, eam supposito stramine vel pulvinaribus esse juvandam & erigendam, si forte horum ope sponte exire possit; sin minus, ad exitum Sabbathi ibi esse relinquendam; Si nullum ibi cibum vel pabulum habeat, cibum illi esse præbendum, ne moriatur, & finito Sabbatho extrahendam*. Vide Talm. Tract. de Sabbatho, fol. 128. col. 2. & conf. Sepher Ammude golah fol.

Matth. 12. 11.

fol. 146. col. 1. ubi scribitur; בהמה שנפלה לתוך הבור אסור להעלותה אם יכולה להתפרנס שם עד מוצאי שבת *Bestiam, quæ incidit in foveam, non licet educere Sabbatho, si illic suum alimentum habeat, usque ad egressum Sabbathi.* Ergo, si non habeat, extrahi potest. Ita, sive hujusmodi bestiæ, suppositis pulvinis, erectionem, sive cibationem, respicias, non prorsus his traditionibus contrarium est dictum Christi, sed apposite satis cum illis convenit. Si quis quærat; *Qua ratione ergo hoc in hodiernum illorum jus irrepsit?* Respondemus, novellam esse constitutionem, a Rabbinis & Talmudis authoribus in Gemaram, seu Deuteroseωn complementum, Novi Testamenti & Christianæ fidei odio, aliquot a Christo nato sæculis, intrusam, & ex veteris cujusdam traditionis consequentiis, disputandi tantum gratia, fabrefactam & excogitatam, ut ex ipsorum Talmude manifeste videre est. Verum ad reliqua pergamus.

Tractatu de Sabbatho c. 18. p. 128.

Sabbatho Christiano dicere concessum, ut Judæi vaccam vel capram mulgeat, ne nimia lactis copia bestiæ noceat, non vero, ut Judæus lacte illo fruatur; alioqui idem esset, ac si ipse Judæus mulxisset: Quod enim per alium quis facit, ipsemet fecisse censetur. Hinc sapientibus quibusdam placuit, & hoc gentiles suos juvarunt consilio, ut lac illud obolo uno aut altero a Christiano redimerent: tum demum enim illo libere Judæus vesci potest, quod sic Christianus, non Judæi, sed sui ipsius causa, mulxisse videatur. Sed id genus acumina omnia describere, infiniti res est laboris, nec quam quis assequi possit. Subjungamus ea, quæ ad Sabbathi quietem & sanctificationem, Hominis habita ratione, faciunt.

Orach chajim n. 301.

Viris mulieribusque Sabbatho Currere interdictum, nisi vel voluptatis duntaxat & recreationis, vel præcepti alicujus Divini exsequendi gratia. Passus etiam duobus pedibus vel cubito majores facere, prohibitum: ejusmodi enim passibus visus minuitur, ut supra dictum est. Si tamen adolescentes una deambulent, currant vel saltent, animi Sabbatho recreandi causa, idque in honorem Sabbathi, concessum est. Fossam saltu transilire licet, aquam permeare non licet, ne tibialium exsiccandorum hac ratione occasio nascatur. Nulla viro arma sunt ferenda, neque gladius, neque lancea, neque lorica, &c. Sartor cum acu vestibus suis inhærente domo egredi non debet. Claudus, mancus, paralyticus qui sine baculo vel scipione ambulare nequit, baculum quo innitatur gestare potest: Cæco vero, prohibitum. Profundæ aquæ, vel luti superandi causa, grallis uti prohibitum. Quamvis enim grallæ hominem gestare videantur, revera ab homine gestantur: quicquam vero Sabbatho ferre, prohibitum. Pariter larvæ vel personæ puerulis terrendis inducendæ non sunt. Emplastrum vel vulneris obligamentum gestare licet; si forte cadat & effluat, tollere non licet, uti nec de novo vulnus obligare. Pecuniam, aurum, aut argentum in itinere ferre, sive in sacco, aut crumena, sive vestibus insutum, prohibetur. Inveniens ארנקי מלא מעות Crumenam plenam pecunia, quæ sit alterius, non audet eam tollere & auferre in Sabbatho. Calceorum lutum ad murum vel parietem abradi potest, non ad terram; ne fovea impleri videatur. Tibialium vel pallii lutum, dum recens adhuc est & udum, unguibus tolli potest, non vero ubi exsiccatum fuerit: pulverem enim emittit, & abradens aliquid molere, vel comminuere videtur. *Si stercore manus quispiam inquinatas habeat,* equi vel vaccæ cauda, sive etiam juba equina abstergere potest, non autem mantili, aut alio quopiam mundo linteo; ne oblata occasione id Sabbatho lavare incitetur. Muscarium muscis abigendis ferre, prohibitum. Si quem oporteat, alvi exonerandi causa, secessum petere, lapillum unum aut alterum tollere potest; si vero destinatum domi locum habeat, pugillum integrum secum deferre potest, quo melius necessitati suæ det operam &c. Non licitum est pilum, vel tibi vel alii, evellere, ungues præscindere, verrucam abscindere. Pulicem sive humi, sive extrinsecus in vestibus discurrentem, capere prohibitum: si vero mordet, capi potest, sed non elidi: quia refertur inter creaturas e terra creatas, ut cætera reptilia. Projiciendus itaque est. Pediculus elidi potest: quia non ex terra, sed sudore hominis generatur. Rabbi tamen Eliezer, qua fuit pietate, dixit; ההורג כינה בשבת כאילו הורג גמל *Qui Sabbatho pediculum elidit, idem facit Camelum Sabbatho interficienti.* Acerrima hic exorta est disputatio, quo modo hoc intelligendum sit? Quidam generalem excuderunt *regulam*; Omnia animantia quæ naturali modo propagantur, Sabbatho interfici non debere. In illorum autem numerum, quæ naturali mixtione ova concipiunt, pulices referendos: alia vero animantia, quæ ex sudore aut noxiis quibuslibet humoribus nascuntur, interfici posse; in quo-

Maharil fol. 37. 1.

Orach chajim n. 302.

Orach chajim n. 308. Num. 312.

Talmud. Schab. fol. 12.

quorum numerum quidam etiam pediculos adſcripſere. Dubium tamen hic exortum eſt e præſtantis cujuſdam Rabbini verbis, qui etiam pediculos ex ovis excludi hoc pacto probavit: Mar dixit, הקב״ה יושב וזן ארת כל העולם מקרני ראמים ועד ביצי כנים *Deus ſedet in cœlis, a Rhinocerotis cornu omnes creaturas cibans, uſque ad pediculorum ova*, hoc eſt, a maximis beſtiis (inter quas facile primum locum obtinent Judæi) ad minimas uſque. Quæ hic in utramque partem diſputantur, videantur in Talmude: hic enim recenſere neceſſe non eſt, præſertim etiam, quia non eſt cujuslibet adire Corinthum, & tam arcana, tamque ſubtilia, ingenii vulgaris acumine penetrare. Sic licet Sabbatho interficere animantia noxia, quæ vel mordent, vel occidunt hominem; etiamſi tum hominem non perſequantur, vel necem ipſi intendent, veluti Serpentes, Scorpiones &c. Arborem conſcendere prohibitum, ne forte ramus aliquis confringatur. Qui gallinis aut aliis pecudibus in horto, aut alio loco, qui ſit ſub dio, & quo pluvia decidere poſſit, avenam aut aliud frumenti genus, quo veſcantur, objicit, non plus objicere debet, quam comedunt. Reſiduum enim pluvia ſuperveniente germen & radices agere poſſet, &, ſi ita Judæus Sabbatho frumentum ſeviſſet, peccatum nullis expiabile ſuppliciis commiſiſſet. Muſica inſtrumenta omnia, vaſa, aliaque id genus quæ ſonum vel vocem percuſſa emittunt, ita tangere, ut cantilenam vel ſaltationem referant, nefas eſt; imo oris ſibilo aliquid decantare prohibitum: ſocium tamen ſibilo advocare, licitum. Rabbini vero quidam permiſerunt, quum nuptiæ celebrantur, Sabbatho Chriſtianum rogare, ut teſtudine, vel aliis inſtrumentis Muſicis ludat, in ſponſi & ſponſæ honorem. Etiamſi enim in Judæorum gratiam id fiat, tamen conceditur, quia hac ratione major Sabbatho voluptas captatur. Verum Judæo nullo pacto ludendum eſt, non inſtrumento tantum ullo Muſico, ſed ne digitis quidem menſam pulſare debet, ſive ſaltandi, ſive pueruli flentis compeſcendi gratia. Sic tintinnabulo foribus ædium appenſo ſonum edere licitum: quia cantilenæ ſpeciem non habet: at ferreo annulo & malleolo fores pulſare prohibitum: quamvis enim pulſatio illa nec cantilenam, nec ſaltationem referat; tamen quia pulſans clavum infigere, vel aliquid cudere, videtur, ideo vetatur. Hinc Chaſſan æditumus, ad Scholam convocans, pugno fores pulſare ſolet.

Tractatu de Sabbatho cap. 14. fol. 107. 2.

Orach chajim n. 338.

Horologium, rotis, ponderibus & tintinnabulo inſtructum, pridie Sabbathi licet dirigere ad horas per totum Sabbathum ſono ſignificandas. In menſa madefacta, in cineribus vel pulvere, nullæ Sabbatho ſunt deſcribendæ literæ: verum in aere id non interdicitur. Nulla ſcriptura, ſive in charta, ſive in cera, eſt delenda. Sabbatho non licet ignem vel accendere, vel extinguere vi præcepti Exod. 35. ℣. 4. *Non accendetis ignem in omnibus habitationibus veſtris*; imo ne focum quidem vel titionem tangere. Tempore frigoris, ſi, vel propter infantes, vel ſenes, igne & hypocauſto calefacto opus habeant, Chriſtianum aliquem ad id conducunt; vel pridie ita præparant & diſponunt, ut ſponte accendatur. Nihil hoc die coquunt, vel coquere faciunt, pro ſe vel alio, neque etiam Sabbatho coctum cibum edunt: ova, Sabbatho poſita, eo die non licet edere, neque fructus etiam ab arbore cadentes: Nulla tractant Sabbatho negotia, non dicunt jus, neque ſententias judiciales ſcribunt, non licitantur, emunt, vendunt, nec per ſe, nec per alios, quia ſcriptum eſt: *Si averteris a Sabbatho pedem tuum, ut non facias voluntatem tuam in die ſancto meo &c. & honore illud affeceris, ut non facias vias tuas, neque invenias voluntatem tuam, neve loquaris verbum &c.* Nullam tangunt pecuniam, non vehuntur equo vel aſino, non lavant. Nulla matrimonia hoc die copulantur: filii a Parentibus non in Scholam deducuntur, vel ad opificium aliquod addiſcendum: nullos conducunt mercenarios: rationes ſuas non ſupputant: nullas licet legere literas contractuum, ſyngraphas; imo ne quidem epiſtolas familiares & officioſas amicorum: librorum omnium prophanorum, ludicrorum, amatoriorum &c. lectio eſt prohibita: Omnia alia ſtudia, excepto Legis & verbi Dei, ſunt intermittenda &c. Si quis navi vectus, Sabbatho jam ingreſſo, ad portum appellat, non audet navi exire; niſi ipſi a perſecutoribus periculum vitæ immineat.

Orach Chajim n. 340.

Eſa. 58.

In ſumma, triginta novem omnis Operis generales articulos habent quos אבות מלאכות *Patres operum* vocant: ad hos omnes alios labores, etiam minimos, qui cogitationem humanam ſubire poſſunt, referuntur. Hos vocant תולדות *Toledos*, filios, minus principalia opera. Quemadmodum autem ſcaturigo in varios rivulos effunditur & dividitur, qui omnes aliquid cum ſcaturigine communis habent, quamvis plerumque naturam, propter loca per quæ fluunt,

Triginta novem generales omnium laborum prohibitorum articuli.

fluunt, mutare soleant: sic etiam ex generalibus istis omnis laboris articulis scaturiunt & oriuntur quamplurima singularia opera, non secus ac rivuli a scaturigine deducti, quæ etiamsi diversa esse videantur, relationem tamen quandam & similitudinem ad articulos suos generales habent. Exempli gratia; *Primus* articulus generalis est, *Arare seu agros colere*. Huc pertinent fodere, foveas replere, hortum pastinare, herbas transplantare, arbores plantare, vites propagare, fodere, putare, pampinare, herbas vel teneras arbores irrigare, & alia ejusmodi, quibus unius cujusque rei, juxta naturam & proprietatem suam, accretio promovetur. Ita, quia foveas replere non licet, concessere quidem Rabbini cubiculum Sabbatho aqua irrigare, ne pulvis excitetur: sed scopis everrere, vetuerunt; ne everrendo ullus scrobiculus in cubiculo repleatur. Qua de causa etiam nucibus vel globulis testaceis foveam versus jaculari prohibuerunt. Item, agrum pastinatum transire non licet; ne scrobs vel fovea aliqua conculcatione repleatur. *Secundus* articulus est, *Frumentum secare vel emittere*; quo referuntur, Dactylos, uvas, oleas, ficos legere; fructus decerpere, apibus mel subtrahere, & alia id genus. Ideo Sabbatho fructus de pediculo pendentes edere vel degustare licet; pediculum vero abrumpere nefas. Sic etiam ambulandum non est in agro recens sato, præsertim humida & pluviosa tempestate; ne semen calceis avellant, quod idem ac demessuisse censeretur. Vi hujus articuli factum, cur Judæi offensi fuerint, quod Christi discipuli Sabbatho spicas evellerent. Ad *tertium* articulum, *Triturare* nempe, pertinent; Linum & cannabim frangere, terere, tundere; Lanam excutere, prelo vel torculari quicquam subjicere, res humidas & succidas, ut oleas, citrea mala, uvas, malogranata, mora, &c. ut & Pannos quoslibet madefactos, indusia, vestes, & similia, exprimere. Mulgere huc quoque referendum esset: sed de eo dissentiunt adhuc inter se Rabbini. Hinc disputant; Si infans nutricem vel ancillam stercore vel urina Sabbatho inquinaverit, num e vestigio id abluere debeat? Quidam censuerunt, manus illam supra rem inquinatam abluere debere, donec aqua manibus decidens spurcitiem omnem abstulerit; sed Rabbi Jose id prohibuit, lixivium id & veram lotionem esse censens.

Matth. 12.

Idem esto de reliquis articulis, quos Talmudici אבות מלאכות *Patres operum* appellant, judicium.

Nullum autem est discrimen, sive in articulum generalem, sive in id quod ab eo derivatur, & ad illum refertur, pecces (articulorum derivationes illas תולדות *Generationes*, quod ab aliis generentur, appellant) & qui testibus in unum aut alterum peccavisse convincitur, dignus est qui lapidibus obruatur: qui vero prudens & dedita opera peccat, חייב כרת dignus est quem Deus ipse judicet, & ex hoc mundo exterminet. Hæc exponuntur in Tractatu de Sabbatho cap. 7. Innumera sunt, quæ hic accongerunt, & vel licita vel illicita faciunt. Qui omnia exscribere vellet, hunc cito charta deficeret.

Quibus in casibus liceat violare Sabbathum.

Sciendum tamen in quibusdam casibus licere Opera prohibita quandoque facere & Sabbathum violare; maxime si vita hominis periclitetur. Hinc dicunt vulgo; סכנת הנפש דוחה את השבת *Periculum vitæ pellit Sabbathum*: כל פיקוח נפש דוחה שבת *Omnis conservatio vitæ pellit Sabbathum*: quia Lex data est, ut homo per eam vivat, non ut moriatur, sicut dicitur; וחי בהם *Et vivet per illa*. Hinc, הזריז בדבר הזה הרי זה משובח *quo quisque est hac in re magis sedulus & industrius, eo majorem laudem meretur*. Sic Ægroto de vita periclitanti licet omnia facere, quæ ad eum conservandum facere judicantur. Quæ huc pertineant, Medicorum filii dijudicant. Imo non tantum unum, sed & duos dies Sabbathi licet violare, si Medicus e. g. ipsi medicinam vel curam præscribat, qua per octo vel plures dies utatur. In hoc vero casu nihil faciendum est opera Christianorum, vel parvulorum, ne forte alii hinc sibi persuadeant, prorsus non licere violare Sabbathum, & alia vice, nullo Christiano præsente, ægri curam intermittant. Sic membrum luxatum licet restituere in locum suum: periclitantem in aqua, vel a latronibus, licet liberare &c. Parturientis mulieris hic eadem est ratio, quæ ægroti, & in omnibus, quibus opus habet, licet in ejus gratiam violare Sabbathum, Christianæ tamen obstetricis opera non licet uti Sabbatho, ne quidem in iis, in quibus nulla subest Sabbathi violatio. Membra infantis recenter nati, si ex doloribus partus distorta fuerint, licet rectificare, fasciis involvere, eum lavare &c. Puerum, si in aquam ceciderit, extrahere licitum est: si reti ad eum educendum usus fuerit, & una cum eo pisces simul extraxerit, liber est a violatione Sabbathi, nec pro eo habetur, ac si piscatus esset.

esset. Ita si puer ceciderit in cisternam, עוקר חוליא ומעלהו removere licet arenam, (littoris vel labii cisternæ, ut puerum commode possit apprehendere) & educit eum. Si puer sit inclusus in aliquo conclavi, nec janua aperiri possit; frangitur janua, etiam in minuta segmenta, &c. Joma fol. 84. 2. Majemon. in Statutis de Sabbatho cap. 2. Summa: *Omnis cura pro vita & salute hominis licita est*, וכל המקדים להציל נפש בשבת הרי זה משובח *& quicunque promtus est ad eripiendam animam in Sabbatho, ille est laudandus.*

Orach chajim n. 311.

Permittuntur etiam Sabbatho quædam fieri, quæ ad mortuorum curam pertinent; ea inprimis quæ ad ipsorum honorem spectant, veluti eos ungere, lavare, de uno loco in alium transferre ne fœteant &c. דגדול כבוד הבריות שדוחה אפילו לא תעשה שבתורה *Magna enim*, ajunt, *habetur ratio honoris hominum, adeo ut illius causa pellatur præceptum Legis negativum.*

Sabbatho licet circumcidere, & omnia, quæ ad eam requiruntur, agere, si inciderit in octavum a nativitate diem.

Si incendium oriatur in ædibus die Sabbathi, licet inde cibos, vestes, pecunias, libros, & alia mobilia, eruere; imo etiam Christianum rogare, ut operam suam conferat. Idem juris est, si fures aut raptores in domum aliquam irruant &c. Homo si inclusus sit, quovis modo eripi potest.

Si Sabbatho merces a pluvia, vel aliunde, damnum patiantur, aut dolium vini rumpatur, ut vinum perdatur, nisi succuratur; licet advocare Christianum, eique dicere, ut *videat*, non vero *ut juvet*, & rem, quæ damnum patitur, servet ac eripiat; quamvis sciat, Christianum id facturum, & eo fine eum accersat.

Vota solvuntur in die Sabbathi, maxime si sint de rebus ad Sabbathum necessariis; Veluti, si quis vovisset, se nihil esurum aut bibiturum, licet id solvi posset ante Sabbathum, quia tamen id non fieret propter Sabbathi necessitatem, non solvunt: nihil enim, citra necessitatem faciendum est hodie, quod commodius fieri potest crastino. Solvere autem quis potest Votum uxoris suæ, quantumvis Sabbathica ad opera non pertineat, &c.

Huc refertur quoque doctrina, de עירובין *Eruvin*, seu, *Commixtionibus Sabbathinis Rabbinorum*, per quas efficiunt, ut quædam, quæ alias Sabbatho sunt prohibita & illicita, fiant licita. Hic occurrit.

Primo עירוב תחומין Eruf techumin, *Commixtio Terminorum*.

Superiori Capite mentio facta est *Termini Sabbathi*. Per eum intelligitur Terminus a quo, & ad quem, unde & quousque Sabbatho ire vel iter facere sit concessum? Rem hanc a Mose diserte in Lege non esse definitam agnoscunt. Per consequentias tamen, pro suo acumine, Rabbini ex eo id elicere sunt conati. Petunt id ex eo quod in Exodo cap. 16. 29. de Sabbathi die dicitur; שבו איש תחתיו אל יצא איש ממקומו ביום השביעי *Sedete, vel manete quisque loco suo: ne egrediatur quisquam de loco suo in die Septimo.*

Terminus Sabbathi quis?

Per *Locum*, *e quo* vetantur egredi, intelligunt eum, in quo Sabbathinam suam quietem agunt, non præcise spatium illud, quo corpus ipsorum est circumscriptum, neque etiam conclave, cænaculum, vel domus, in qua quisque agit: sed urbs, vicus, vel pagus &c. Et huic attribuunt *quatuor cubitos*, versus singulas mundi plagas, pro *Termino a quo*, Hos *quatuor cubitos* probant ex eo quod dicitur; שבו איש תחתיו *Sedete*, vel, *manete quisque sub se*, hoc est, in eo loco qui corpori ipsius subjacet, secundum sc. longitudinem corporis ejus. Hanc æstimant Rabbini, trium esse cubitorum. Jam vero, ajunt, non est probabile, Legem præcipere voluisse, ut homo per totum diem Sabbathi, in uno loco, instar lapidis, jaceat, ut se non movere audeat vel possit. Itaque censuerunt, addendum esse tribus his cubitis adhuc unum, ultra hominis longitudinem, ad se movendum, & necessaria sibi sumenda & deponenda. Et hos 4. cubitos addunt loco illi, inquo quisque Sabbathismum agit.

Quousque autem inde liceat Sabbatho ire, id dicunt non haberi definite ex Lege ipsa, sed מדרבנן ex statuto Rabbinorum. Illi invenerunt, licitum esse *bis mille passus* ire in Sabbatho, extra illos quatuor cubitos termini a quo, & hunc Terminum constituerunt, qui milliare circiter facit Italicum.

Probant hunc *primo* ita: In ante allegato loco; אל יצא איש ממקומו *Ne egrediatur quisquam e loco suo*. Id explicant, ultra 2000. cubitos seu passus. Qui sic; Hic dicitur מקום *Locus*: Alibi, nempe Exod. 21. 13. dicitur de eo, qui fortuitum commisit homicidium; *Tunc ponam tibi* מקום locum, אשר ינוס שמה *ad quem confugiat*. In utroque loco, ajunt, mentio fit *Loci*, & in posteriori additur ניסה *Fuga*, quo scil. fugere debeat talis homicida. Ergo utrobique eadem

Levusch hachor, Num. 396. §. 1. unde eum probent?

dem Loci est ratio, idem terminus, eodemque modo est definiendus; Nam ex Numer. 35. discimus, Urbem refugii suum habuisse terminum, ℣. 26. Atqui terminus ille erat 2000. cubitorum, versus omnes quatuor mundi plagas, & dimensio eorum fiebat ab extremitate urbis, ℣. 4. 5. Ergo & hic Terminus Sabbathi ita est constituendus. Atque sic licitum est ipsis, ire per totam urbem, vel locum, in quo commorantur, & extra illum adhuc 1. quatuor cubitos, 2. bis mille; nec ulterius, sub pœna anathematis: satius vero est aliquid de illis detrahere, si forte in dimensione peccatum esset.

Quidam putant, hac de causa Josuam præcepisse, ut 2000. cubitorum distantia esset inter Arcam, & Israelitas, ut die Sabbathi ad eam ire possint ad orandum. Sic R. Salomon, & R. D. Kimichi.

Cap. 3. 4.

Termini hujus Sabbathini fit mentio Act. 1. 12. ubi vocatur ὁδὸς Σαββάτου *Iter Sabbathi*.

Commixtio terminorum.

Quamvis autem hic terminus ita sit definitus, tamen Subtilitas Rabbinica medium invenit, quo ultra hos 2000. passus, alios adhuc 2000. ire licet, per ערוב התחומין *Eruf hattechumim*, h. e. *Commixtionem terminorum*. Fit autem illa ita: Si quis in animo habeat longius iter, quam 2000. cubitorum conficere, is pridie Sabbathi, non sub vesperam, sed dum adhuc dies est, vel panem integrum, vel alium cibum, quantum pro duobus prandiis necesse habet, defert ad terminum 2000. cubitorum licitorum, loco aliquo commodo, in quem se Sabbatho confert, & parandium Sabbathinum ibi sumit. Id perinde habetur, ac si ibi domum suam haberet, & domi suæ Sabbathum celebrasset, & comedisset; ac proinde ipsi licet bis mille cubitos alios numerare usque ad locum sibi propositum. Et sic Terminus Sabbathi legitimus miscetur cum termino longiore. Non tamen quavis de frivola causa licet hanc Commixtionem facere; sed præcepti alicujus Divini observandi causa; veluti si cupiat ire in domum luctus, *vel* ad convivium nuptiale, aut ad visitandum & salutandum præceporem suum, vel amicum ex longinquo itinere reversum; *vel* metus causa, si ipsi periculum immineat a gentilibus: vel latronibus, vel etiam si in honorem Sabbathi, lætitiæ majoris causa, velit in suos hortos, vel prata exspatiari, &c. Quomodo hi passus sint dimetiendi? quare? &c. de illis plurima scribunt in Talmud, & suis ritualibus, quæ hic adducere nimis prolixum, & Lectori forte molestum esset. Qui de illis quædam scire desiderat, videat Joh. Seldenum de Jure Nat. & Gentium lib. 3. cap. 9.

Quando quis Commixtionem hanc termini facit, reposito illuc Pane, hac consecrat prece; *Benedictus sis, Domine Deus noster, Rex Mundi, qui nos præceptis tuis sanctificasti, & mandasti nobis* ערוב *Eruf*, Commixtionem; & addit; *per hanc commixtionem licebit mihi cras hinc ire bis mille cubitos, versus omnes plagas*.

Commixtionem hanc potest unus facere pro pluribus, imo pro tota aliqua civitate; Pater pro filiis suis minorennibus, qui nondum sunt *Filii præcepti*, pro servis, & ancillis suis. Hoc casu cum eam facit, nominatim eorum debet mentionem facere. Potest etiam quis procuratore uti, qui pro se commisceat.

Commixtio atriorum.

Secundo est עירוב חצרות *Eruf chazeros*, Commixtio atriorum. Quia scilicet non licet vel minimum Sabbatho efferre, מרשות לרשות ex dominio vel potestate in potestatem, h. e. ex conclavi uno in alterum, ex domicilio uno in domicilium alterius, ne quidem ברשות הרבים in locum publicum & communem; imo non per foramen aut fenestram; & sic impediuntur, ne plures convenire, &, in medium collatis symbolis seu cibis suis, simul Sabbathizare possint; idcirco excogitarunt hic quoque medium, quo fibula hæc relaxetur, per עירוב חצרות *Eruf chazeros* quam vocant, h. e. Commixtionem atriorum vel aularum. Sic enim חצר Germanice, Ein Hooff/ *Aulam, muro cinctam*, interpretantur.

Hæc Commixtio ita fit: Vespera paschatis quilibet paterfamilias confert paululum farinæ, ex qua commixta conficiunt Mazzam, seu panem Communem. Hunc panem deferunt in Synagogam. Eo allatum, primarius Synagogæ Rabbinus, illum in manus sumit, & postmodum alii cuipiam eorum tradit: hi deinde publice testantur, se velle, ut hujus Mazzæ participes sint quoque illi de Ecclesia, qui nihil farinæ ad eam contulerunt; tam præsentes, quam absentes, si quis forte post Pascha sint ad eos venturi, & illis cohabitaturi. Hoc facto Archisynagogus Mazzam resumit in manus, & præcedenti Benedictionis formula eam consecrat: illi dein subjungit:
בדין יהא שרי לנא לאפוקי ולעיולי מבירת לחצר ומחצר לבית ומבית לעלייה ומעליה לגג ומגג לקרפף ומקרפף לקרפף ומגג לגג ומבית לחדר ומחדר למרתף כל מאן דצריך

לן

לן לשבתא לנא ולכל ישראל הדרים בעיר הזאת h. e. *Hoc commixto pane licitum esto nobis efferre & inferre de domo in atrium , ex atrio in domum , ex domo* (ſc. inferiore) *in cœnaculum ſuperius , ex cœnaculo in tectum , e tecto in ſeptum, e ſepto uno in alterum , & de tecto in tectum , e domo in conclave , e conclavi in cellam ; omne id quod nobis erit neceſſarium pro Sabbatho ; neque ſolum nobis , ſed & omnibus Iſraelitis , qui habitant in hac Urbe* . Hæc Mazza deinde relinquitur & ſervatur in Schola , in loco aliquo patenti & communi , per totum annum . Quamdiu ſarta & incorrupta manet , tamdiu durat ejus vis & efficacia : quod ſi vero vel comedatur , vel amittatur , vel mucida fiat , aut comburatur , ceſſat , donec nova fiat ערוב Commixtio . Quo diutius ſervari poſſit , bene eſt excoquenda . Et quia panes infermentati non ita cito mucorem contrahunt , ut fermentati , ideo hanc *Eruf* tempore paſchatis conficiunt. Poteſt vero etiam fieri & ex alio pane, ſed integro , & alio tempore , & ab uno aliquo . Hinc , qui religioſiores ſunt, pridie ſingulorum Sabbathorum talem ערוב ſeu Commixtionem faciunt ; quia metuunt , ne forte illa , quæ in Synagoga eſt , corrumpatur . Si quis autem privatim id faciat , debet Panem, huic rei deſtinatum , in aperto & patenti aliquo loco illius atrii , inhabitato tamen , reponere , neque ipſemet recitare conſecrationis , & commixtionis formulam , ut illi etiam alii includantur, ſed per alium eam facere : Et hunc panem licitum eſt in fine Sabbathi comedere : quia pro Sabbatho proximo , pridie ejus alium conficiunt . Et hæc ערוב חצירות *Eruf chazeros* intelligitur de iis , qui in una hujuſmodi Aula habitant, quæ plura in ſe continet domicilia ſeu habitacula , muro tamen communi cincta & incluſa , quæ inhabitant.

Commixtio platearum.

Tertio eſt שיתוף המבוי *Schittuph hammauvi* , vel plur. המבואות *hammavuos* Communio platearum & vicorum .

Quod ſi velint facere , ut ſibi etiam liceat cibos deferre ex una חצר ſeu aula, aut domo per plateam, in aliam, ei quoque rei remedium invenerunt, per commixtionem quam vocant שתוף המבואות *Schittuf hammewvos* , h. e. Communionem vicorum ſeu platearum. Si illi, qui eandem inhabitant plateam (intellige , in illis locis , ubi non habent peculiarem plateam , ſed mixtim cum Chriſtianis habitant) velint hanc commixtionem facere , ut cuivis liceat in ædes alterius cibum transferre , colligunt ab unoquoque particulam aliquam cibi , ad magnitudinem fici , vel etiam minus , ſi illorum plures fuerint : illæ particulæ non in duobus , ſed uno vaſe repoſitæ, collocantur in quandam illius plateæ domum , certo aliquo loco; (non tamen in libero aere :) exinde , ſuper cibo illo in manus ſumto , & in altum ſublato, qui hanc Communionem facit , Benedictionem Commixtionis recitat ; eique ſubdidit ; בזה השתוף יהא מותר לכל בני המבוי להכניס ולהוציא מן החצרות למבוי ומן המבוי לחצרות בשבת . *Hac communione erit licitum omnibus in hac platea habitantibus efferre & inferre , ex ædibus in plateam , & ex platea in ædes , Sabbatho* . Ut etiam de hac communione tanto certius conſtet, eaque ſit evidentior , in extremitate plateæ palum (לחי vocant lingua Hebræa) in medio erigunt , vel tabulam aut aſſerem ligneum , & funem, domui Judæi alligatum , ducunt uſque ad illum palum , & a palo rurſus ad domum aliam oppoſitam; ut ſic funis iſte quaſi portæ aut porticus alicujus ſpeciem habeat , qua omnia conjungantur , & quaſi una & privata domus fiant : ſi platea ſit מפולש utrinque patens , ab utraque parte id faciunt .

Hæc *Eruf* ſignificat , quod ſicut omnes participant de illo cibo , ſingulique ſuam in eo partem habent ; ſic etiam omnes & ſinguli idem jus habeant in quovis loco, quem quiſque ſibi eliget ; quia omnia ſic fiunt רשות אחד poteſtas ſeu dominium unum .

Hanc ערוב ſeu commixtionem dicunt non quidem eſſe ex Lege , ſed inſtitutam eſſe a Salomone , ובית דינו & domo judicii ejus , ut ſic *faceret* אזנים לתורה *Aures Legi* , h. e. caveret , ne ex eo quod per legem licet , facile ſibi permitterent, quod ea eſt prohibitum ; Veluti dicendo; Quemadmodum licitum eſt efferre aliquid ex atriis vel ædibus in plateas civitatis : ſic licet etiam efferre in deſerta, vel in agros, eo quod illi ſint locus publicus ; quaſi ſcilicet quia atria & ædes ſunt רשות יחיד poteſtatis privatæ, licitum ſit , efferre vel inferre ex loco privato , in locum publicum . Hanc Salomonis ſanctionem , confirmaſſe volunt Jeremiam , quando dicit ; *Neque efferatis onus de domibus veſtris die Sabbathi* .

Cap. 17. 22.

Quarta eſt תבשילין Eruf taſſchilin.

Quarta eſt , עירוב תבשילין *Eruf taſſchilin* , Commixtio eduliorum , ſeu , ciborum coctorum . Quando *Jom tof* , ſeu feſtum aliquod , incidit in diem Veneris , ſeu , Veſperam Sabbathi , licet ipſis eo die cibum pro Die Sabbathi coquere ; quia in die feſto , nihil niſi quod eo die comedatur , coquere eſt permiſſum ; non qui-

quidem ex Lege, sed statuto Rabbinorum, ne fortassis hinc occasionem sumant, Die festo etiam in usum diei prophani, cibos præparare. Ut itaque liceat, & simul abusus præcaveatur, licentiam hanc limitatam fecerunt, & certis quasi cancellis circumscripserunt, ut non fiat, nisi certo ritu Commixtionis ciborum coctorum Diei festi & Sabbathi. Ea si fiat (prout facienda est a singulis,) non solum facienda est privato & suo cujusque nomine, sed pro omnibus ejus loci incolis, ut si alii forte vel obliti fuissent ejus, vel ab ea facienda impediti, vel aliunde obstaculum objectum esset, hoc tamen privilegio fruerentur, quod fundant in eo quod scriptum est; *Et mittite partes pro eo, cui nihil est paratum;* hoc est, ut illi explicant, ei qui non potuit facere Commixtionem ciborum. Nemo tamen sine gravi causa eam debet intermittere, aut alterius curæ & industriæ hic fidere. Ea autem ita fieri solet: paterfamilias sumit integrum panem, seu fermentatum, seu infermentatum (si in paschate fiat,) & frustum carnis, vel etiam piscem, & ovum, & ea tradit suæ uxori, vel filio (non tamen nisi majorenni,) vel alii cuipiam, quem ejus vult esse participem, in manum, & sub ejus persona מזכה beneficii hujus participes facit omnes alios ejus loci, dicitque ei; Volo ut hic panis, & hæc caro, serviat non solum nobis, sed in iis partem quoque habeant omnes cæteri Judæi in hac urbe habitantes, ut per ea liceat & nobis & ipsis, assare, elixare, frigere, torrere in die Festo, ea quæ pro Sabbatho sunt necessaria. Alter ea ex manu ejus accipiens, a solo nonnihil in altum sustollit, ut appareat, ea in ipsius jam potestate esse. Post paterfamilias ea resumit, & hanc super iis benedictionem recitat; *Benedictus &c. qui nos sanctificavit præceptis suis, & nobis præceptum Commixtionis dedit:* בדין יהא שרי לנא לאפויי ולבשולי ולאטמוני ולאצלויי ולאדלקי שרגא ולמעבד כל צרכנא מיומא טבא לשבתא לנא ולכל ישראל הדרים בעיר הזאת *Hoc cibo licitum esto nobis coquere, elixare, abscondere* (vel asservare, sc. cibum,) *torrere, accendere candelam, omniaque adeo necessaria facere die festo, pro Sabbatho; nobis, inquam, & omnibus Israelitis, qui habitant in urbe hac.* Qui lingua Hebræa vel Chaldæa id nequit facere, potest quavis alia lingua uti quam intelligit. Qui hanc commixtionem non facit, ei non licet pro se aliquid coquere, nec aliis pro ipso, ne quidem in domo sua. Potest autem hanc negligentiam hac ratione resarcire; Dono dabit farinam & cibos suos aliis, qui Commixtionem fecerunt: & hi deinde possunt illos cibos coquere & parare tanquam suos, sicque coctos ipsi iterum donare. Vel etiam, si nulli tales adessent, permiserunt Sapientes in honorem Sabbathi, unicum frustum panis, & unicum edulium frugale & parcum parare, ad vitam sustentandam, unicam etiam candelam accendere &c. Sic in omnes partes ingeniosi & instructi sunt, ad media excogitanda, quibus impune possunt leges has seu extendere, seu contrahere, prout ipsis est opportunum.

Neh. 8. 10.

Hæc summatim, & quam fieri potuit succincte, inserere hic visum est de *Eruvin*, seu, Commixtionibus Sabbathicis, de quibus illi in Talmud integrum Tractatum habent, & inde in suis Ritualibus prolixas valde & operosas disputationes & sanctiones. Et hoc sensu in illis accipitur in hoc argumento Nomen hoc עירוב *Eruf.* Pro *Intervallo temporis, quod est* בין הערבים *inter duas vesperas*, vel, pro *parasceve seu præparatione ciborum pro Sabbatho aut Festo necessariorum*, ut Scaliger explicat lib. 6. de Emendat. Tempor. & post eum Casaubonus in Exercitationibus contra Baronium, non puto usquam apud Hebræos reperiri.

Cæterum, quia in prædictis frequens fit mentio רשות, vel in plurali רשויות, sciendum in præsenti argumento intelligi *Dominium*, seu *Locum potestati alicujus subjectum*. Tales רשויות potestates, seu dominia hujusmodi numerant Hebræi quatuor; 1. רשות היחיד *Dominium privatum*, ad unum aliquem spectans. Ad hujusmodi locum requiritur, ut sit muro vel maceria cinctus, quo claudi possit: habens in longitudine minimum 10. palmos, in latitudine 4. per quatuor angulos: si minor sit, non habetur pro רשות: major autem quantuscunque fuerit, pro unica רשות seu potestate censetur. 2. רשות הרבים *Dominium multorum*, *Locus publicus & communis*. Huc referuntur plateæ, vici, fora, sedecim minimum cubitorum lata in longum & latum, non septis vel muris cincta; aut si muros habeant, illi utrinque sint patentes, vel portas apertas habeant, transitum liberum præbentes tam de die, quam de nocte &c. 3. כרמלית *Karmelis*, definitur locus, qui non est ambulationis publicæ & liberæ; veluti, Mare, Vallis, Porticus, Intercolumnium columnarum in loco publico erectarum, & sedilia illis præposita &c. Hujus requisita sunt, ut contineat in latitudine 4. minimum cubitos quadros, in altitudi-

Quid sint רשויות

Talm. de Sabb. c. 1. fol. 6.

dine, a 3. usque 10. 4. מקום פטור Locus liber, publicus & communis, Ein Allment.

Judæi hactenus nunquam adhuc Sabbathum recte observarunt.

Quamvis autem Judæi se rite Sabbathum observare putent, & nihil prætermittere, quod ad illius honorem & sanctificationem pertineat; experientia tamen docet ex ipsorummet doctrina & conscientia, illos nondum hactenus Sabbathum rite sanctificasse & observasse. Sic enim legitur in Talmude tractatu de Sabbatho; *Rabbi Jochanan dixit*, כל המשמר שבת כהלכתה אפילו עובר ע״א כאנוש מוחלין לו *Quicunque Sabbathum ut decet observat, juxta omnes ritus & consuetudines suas, peccatorum suorum veniam consequitur, quamvis sese idololatria pollueret ut Enosch* (cujus tempore initium cepisse volunt Idololatriam, juxta illud: *Tunc profanata fuit invocatio Nominis Dei*, Genes. 6. V. 26.) uti scribitur, *Beatus* אנוש Enosch *vir qui facit hoc, & filius hominis qui apprehendit istud, custodiens Sabbathum* מחללו *ne polluat illud*; (ita enim sonat Hebraica, sed sapientes Rabbini in Talmude dicunt) *ne legas* מחללו *sed* מחול לו *Condonatur ipsi. Rabbi Juda docuit; si Israelitæ primum Sabbathum statim a lege accepta recte observassent, nulla unquam peregrina natio vel lingua illis dominata esset*, uti scribitur; *Venit septima dies, & egressi sunt de populo ut manna colligerent, nec invenerunt. Hujus peccati causa Amalek in eos irruit*, uti scribitur; *Venit autem Amalek, & pugnavit contra filios Israel. Rabbi Jochanan inquit ex sententia Rabbi Simeon filii Jochai; si Israel duo tantummodo Sabbatha rite custodirent, confestim liberarentur*, uti scribitur, *Qui custodierint Sabbatha mea, &c.* Et paulo post: *Adducam eos in montem sanctum meum*, hoc est, Hierosolymam reducam. Quandoquidem ergo hactenus nondum liberati sunt Judæi, nec ullam adhuc ullius liberationis spem vident; necessario hinc concluditur, illos hactenus Sabbathum rite non observasse, ut ipsimet agnoscunt, se stante adhuc templo Hierosolymis Sabbathum bene non custodisse, & propterea Hierosolymam eversam & solo æquatam. Ibidem enim in Talmude subjungunt: *Non alia de causa Hierosolymam dirutam & desolatam, quam quia Sabbathum violaverant*, uti scribitur; *A Sabbathis meis averterunt oculos suos, & coinquinatus sum in medio eorum*. Sic diem Sabbathi Judæi vino, carnibus, piscibus, & omnigenis delitiis pro viribus celebrant, feriantur, & ab omni externo opere abstinent, nihil vel minimo digito sollicitant, quod ullam laboris speciem præ se ferat, aut quo ad laborem incitari possint. Si vero re aliqua opus habeant; ut hyeme hypocausto ignem supponere, candelam accendere, vel emungere, foculo subjecto cibos calefacere, vaccas mulgere, pauperes & simplices Christianos, sive famulos sive ancillas, ad id muneris destinant. Hinc se Dominos, Christianos vero servos suos esse, gloriantur; siquidem sibi quiescentibus a Christianis ministratur. Jus & æquum faceret Christianus magistratus, si hoc interdiceret, ita ut nemo illis Sabbatho, reliquisque festis diebus, inserviret. Ut vero illi nodum hunc circa opera corporalia in Sabbatho, ad superstitionem usque adstringunt: ita fatendum, nos illum, libertatis Christianæ obtentu, nimis laxare.

Cap.16.folio 118.2.

Esa.56.2.3

Exod. 16. 27.

Exod.17.8

Esa.56. 4.

Eze.22.26.

Judæi Christianorum opera in Sabbatho abutuntur.

In hujus capitis conclusione aliquid de illorum precibus dicendum esset; quam scilicet in bonam partem etiam Christianorum Sabbatho meminerint, quum sibi a Deo gentium divitias & facultates dari postulant; Ammonitarum, Moabitarum, Idumæorum, (sic hodie ab illis Christiani appellantur) ruinam & excidium ab illo efflagitant, & ut terror & angustia gentes omnes invadat, Deusque gladium & ingens bellum inter gentes ab Oriente ad Occidentem usque excitet, &c. Verum hac de re in peculiari libro agere constitui, ut & de multis aliis rebus, quas & in Christianos & in eorum Magistratus scribunt.

Hoc itaque caput finiam illo Dei effato, quod per Jesaiam Israelitis notum factum est; *Incensum abominatio est mihi, Neomeniam & Sabbathum & festivitates vestras non feram, iniqui sunt cætus vestri, Calendas vestras & solennitates vestras odit anima mea, facta sunt mihi molesta, laboravi sustinens.*

Esa.1.13.

CAPUT XVII.

Quomodo se Judæi ad festum Paschatis præparent & componant.

HActenus audivimus, quænam sit Judæorum singulis diebus totius Hebdomadæ vivendi ratio, quo se modo ad modestam & piam vitam componant; superest ut ostendamus; Quibus solennitatibus & ritibus Dies suos festos agitent & in illis ferientur?

Præcipua aliquot habent festa, quibus olim

Feſta Judæorum. Deut. 16. 16.

olim ſingulis annis ex omnibus terræ ſuæ finibus Hieroſolymam aſcendebant, & coram Domino comparebant; *Feſtum* nempe *Agni paſchalis*, *Feſtum hebdomadum vel Pentecoſtes*, *& Feſtum tabernaculorum*; quæ tria feſta vulgo שלוש רגלים *Schaloſch regalim* ex Exodi 23. denominant. Alios præterea dies feſtos habent, quos in locis & urbibus, in quibus habitabant, celebrare ſolebant, quos ימים טובים *Jamim tovim* Dies bonos appellant; in quibus diverſimode feriantur.

Paſchatis feſtum.

Inter præcipua feſta primum locum obtinet *Feſtum paſchatis*, & ab illo menſe feſta ſua numerare incipiunt, ut illis a Deo in Lege præceptum eſt, ubi ſcribitur; *Menſis iſte vobis principium menſium: primus erit in menſibus anni*. Sic primus dies menſis Niſan, Martii nempe novilunium, principium ipſis eſt anni ſacri ſeu feſtorum. Annum vero civilem & politicum inchoant prima die Tiſri ſeu Septembris, hoc eſt, Septembris novilunio. Hinc legimus in Talmude, Tract. De principio anni, ſtatim ab initio: ארבעה ראשי שנים הן וכו׳ hoc eſt, *Quatuor ſunt anni principia; prima die menſis Niſan ſeu Martii eſt novus annus regum & feſtorum: prima die Elul, ſeu Auguſti novilunio, novus eſt annus pecoris decimandi: prima die Tiſri, ſeu Septembris novilunio, novus eſt annus annorum; Anni nempe dimiſſionis, Jubilæi, plantationis omnium arborum & herbarum: primo die Schebbat, hoc eſt, novilunio undecimo, novus eſt annus arborum: Rabbi tamen Hillel & ſchola ejus docuit, decimo quinto die demum hunc annum incipere*. Hactenus Talmud. Hæc autem ſic intelligenda ſunt. *Annus regum* ille eſt, a quo numerare & ſupputare incipiebant annos regni Regum ſuorum, in contractibus, chirographis, & publicis omnibus inſtrumentis & diplomatibus, qui ad annos & menſes Regis regnantis componebantur; adeo ut, quamvis uno tantum menſe, una hebdomade, vel uno die ante Martium in regem electus & confirmatus fuerit; menſis, hebdomas, dies ille pro integro anno reputata fuerint, & ſecundum regni ſui annum Martio denuo inchoaverit. Pariter primus dies Novilunii Martii, principium eſt *Feſtorum*, ſeu *menſium*; juxta quos dies feſtos numerabant; ut Paſcha celebratur menſe primo; feſtum Tabernaculorum ſeptimo, Septembri nempe; & ita deinceps. Poſtea Novilunium Auguſti novus erat *Annus pecoris decimandi*; nempe a quo numerare incipiebant annos & menſes; quibus novum pecus natum erat, ut decimas rite darent. Tertio primus dies Novilunii Septembris, principium eſt *Annorum*; a quo nempe in hunc uſque diem tempora *a mundi creatione* ſupputant, principio ſemper facto ab hoc menſe. Pariter quoque ab hoc menſe numerarunt tempus Dimiſſionis ſeu *Anni quietis*, qui ſeptimus erat annus, quo agri & vineæ eorum quieſcebant: Principium item *Jubilæi*, qui quinquageſimus erat annus, de quo Levitici cap. 25. agitur. Item a quo numerabant & ſupputabant tempus, quo teneræ *arbores & herbæ plantatæ* fuerant, ut annum impuritatis illarum rite numerare poſſent: Ex. gr. Si arbor Junio plantata fuerat, primus plantationis annus Auguſto finiebatur; ſecundus vero menſe Septembri incipiebat, & ita deinceps per tres annos arbor præputiata & immunda cenſebatur, ut Levitici 19. cap. docetur. Poſtremo primus dies, vel ut Hillel voluit, decimus quintus undecimi novilunii, Januario noſtro fere reſpondens, novus erat *arborum & fructuum annus*, nempe prout arbores ante vel poſt hunc diem germinabant & gemmas trudebant, fructuum eſus concedebatur vel interdicebatur. Juxta hanc computationem decimas quoque dabant; videlicet, quæ ante hunc menſem germinabant, ut Palmæ, Citri, & id genus arbores mature gemmantes, & quæ præcoces fructus conſequuntur, de illis, anno nondum toto vertente, nempe ante Januarium, comedere licebat: quæ vero poſt hunc diem primum gemmas emittebant, nihilominus tamen illo ipſo adhuc anno præcoces fructus ferebant, de illis, niſi poſt decimum quintum Januarii diem, comedere non licebat. Nullas præterea decimas dabant de fructibus arborum, quæ ante primum vel decimum quintum Januarii gemmabant; de illis vero quæ poſtea gemmas trudebant, decimas dare oportuit. Hæc omnia in Talmude loco ſupra citato fuſiſſime diſputantur. Antonius Margarita inſuper ſcribit in libro ſuo de fide Judaica, Judæos docere, decimo illo quinto die arboribus ut plurimum primum ſuum ſuccum innaſci, ſemina quoque in pyris vel pomis hoc die ſe convertere, ut experientia verum eſſe comperiet is qui diſſecabit. Scribunt præterea in Ritualibus ſuis Germanicis, nullum anſerem menſe Schebhat mactandum eſſe: horam enim adeſſe infauſtam & inauſpicatam, qua mori oporteat eum, qui hoc tempore anſerem mactaverit: ſi quis vero hujuſce rei ignarus peccaverit, jecur anſeris illi in menſa apponendum eſſe. Sic omni defungetur periculo, ex Rabbi Judæ, cognomento Pii, ſen-

Exod. 12. 2. De annis Judæorum & variis anni principiis.

Roſch haſchana. 1.

pag. 70.

sententia. Et hæc de variis annorum Judaicorum principiis veluti per transennam dicta sufficiant; ad argumentum nostrum jam revertamur, & videamus, quomodo se Judæi ad Pascha suum componant, quod festorum solennium primum est, in anno mensium ad quos festorum numerum subducunt.

Præparatio ad Pascha. Orach chajim numer. 429.

Triginta dies ante, triticum sibi ad paschatis azyma prospiciunt; pauperibus quoque Judæis, qui præ rei familiaris angustiis triticum azymis conficiendis comparare non possunt, impertiuntur.

Per totum mensem Nisan (cujus principium, uti supra diximus, est a novilunio Martii nostri) multi Judæi grandiores & ætate provectiores sibi jejunium indicunt: (excepto תענית חלום ob somnium malum & inauspicatum): quia primo hujus mensis die erectum fuit olim Tabernaculum, & Principes Israelis obtulerunt oblationes suas per 12. dies continuos, eosque festos egerunt: decimus tertius erat vespera Paschatis, qui unicus hactenus non fuit יט dies bonus & festus: dehinc sequebantur 7. dies Paschatis, atque ita fere totus mensis בקדושה sanctis cultibus & exercitiis transigebatur. Soli primogeniti sub Paschatis vesperam, ut postea narrabitur, jejunium celebrant. Eandem ob causam, nullas hoc mense faciunt preces pro animabus defunctorum, nullas recitant precationes pro remissione peccatorum, non plangunt super mortuis, ne quidem ob patrem vel matrem.

Proximum Sabbathum ante Pascha sanctum valde ab illis habetur, prolixamque habent eo concionem de Agno paschali, illiusque esu. Appellatur ab illis *Sabbathum Magnum*; idque propter miraculum quoddam, quod priscis temporibus in hunc modum contigisse referunt. Scribitur in Exodo: *Decima die mensis hujus tollat unus quisque agnum per familias & domos suas, & servabitis eum usque ad quartam decimam diem mensis hujus*; Ajunt ergo: *Agnum Paschalem, quem in Ægypto mactarunt, de grege accipiebant die mensis* 10. *sicut in his verbis dicitur: Pascha autem ipsum, quo egressi sunt ex Ægypto, inciderat in diem decimum quintum Nisan, & quintum septimanæ, unde sequitur, diem decimum fuisse Sabbathum: quando scilicet unusquisque accepit agnum pro Paschate suo: Eum per terram traxerunt ignominiose, spectantibus Ægyptiis, eum pro Deo habentibus; & lectorum suorum spondis alligarunt, ut ad decimam quartam usque diem eos servare possent. Quum hoc Ægyptii vidissent, quæsiverunt ab illis, quid sibi cum ligatis illis agnis vellent? Israelitæ responderunt; Festo paschatis illos in oblationem mactare volumus. Ægre id tulere Ægyptii, ubi viderunt, pecus illud quod instar Dei colunt* (signum enim Arietis Ægyptiorum Deus erat) *ob oculos suos mox mactandum esse. Et tamen, Deo miraculose ita rem gerente, animis ita conciderunt, ut ne hiscere quidem aut mutire, nedum injuria aliqua Israelitas afficere ausi fuerint, tanto terrore Deus animos ipsorum percusserat*. Addunt præterea, Aharonem sic a Mose compellatum; *Non potest id ita fieri; abominationes enim Ægyptiorum* (Agnum nempe, quem mactare abominandum ducunt esse facinus, siquidem Dei loco ab illis colitur) *immolabimus Domino Deo nostro? quod si mactaverimus ea quæ colunt Ægyptii, coram eis, lapidibus nos obruent*. Jam vero Deus Ægyptiorum animos consternavit, & tantum illis incussit terrorem, ut Israelitis nullatenus nocere potuerint. Ingentis hujus miraculi causa Sabbathum hoc, qui dies mensis decimus fuit, *Magnum Sabbathum* appellant. Quamvis enim ad decimum quintum usque diem miraculum hoc continuatum fuerit, quando Israelitæ Agnum Paschalem comederunt; tamen *Principio* ejus attribui, quo ob novitatem suam majus censebatur. Aliud insuper etiam miraculum referunt: Ajunt; *Cum Israelitæ agnos suos acciperent, venisse Ægyptios & rogasse, quid de illis facere vellent? Israelitas inter cætera respondisse, Deum interfecturum omnia primogenita Ægypti; Israelitarum vero primogenita servaturum quando visurus sit sanguinem; & domos illas, in quibus primogenita Israelitarum transiturum: Congregatos tum Primogenitos Ægypti, Pharaonem rogasse, ut dimitteret Israelitas; ne occiderentur; Pharaonem autem cum suis principibus renuisse. Itaque Primogenitos seditionem excitasse in urbe, & multos interemisse. Hoc nempe sibi velle quod dicitur*: למכה מצרים בבכוריהם Eum qui percussit Ægyptum בבכוריהם per primogenitos eorum; *Primogenitos hic intelligi Percutientes, non Percussos. Quod Miraculum hoc Sabbatho, non diei decimo mensis adscribatur, ideo fieri, quia non contigerit, nisi propter observationem Sabbathi, Quia enim Ægyptii sciverunt Israelitas observasse Sabbathum in Ægypto, inde mirum ipsis visum esse, quid sibi velit, quod Sabbatho circa pecudes occupentur, Et hujus quoque rei causa hoc Sabbathum vocasse* Sabbathum magnum.

Iterum legimus in Exodo: *Azyma come-*

Sabbathum magnumquod & cur? Orach chajim n. 430. Exod. 12. 3. 6.

Exod. 8. 26

Pſ. 106. 10.

Exod. 13. 7.

comedetis septem diebus : non apparebit apud te aliquid fermentatum , nec in cunctis finibus tuis . Hinc Judæi eliciunt ; *primo* , omnem fermentatum panem studiose perquirendum esse , & omne fermentum , hoc est , omnes vasorum sordes , quibus per totum annum domi usi sunt , efferendas , everrendas , & purgandas esse : *Secundo* , recentem azymis in Paschatis dies festos conficiendis farinam habendam esse.

Purgatio & mundatio vasorum ad pascha.

Duobus itaque ad minimum vel tribus diebus ante Pascha , omnia vasa , omnemque domesticam supellectilem , prout scil. cujuslibet vasis natura patitur , & necessitas postulat , verrere , abstergere , & purgare incipiunt. Vocant id הגעלת כלים Ingens ad hoc accipiunt ahenum , quibus diebus festis uti solent, iisque aqua repletis ignem supponunt , donec bulliat : omnia deinde stannea & lignea vasa , probe prius tersa , in lebetem immittunt , & mox extracta , frigida abluunt : & sic sunt כשרים hoc est , *apta , idonea & legitima* , Duo , vel plura , vasa simul immittere non licet , ne forte alterum alteri causetur, quo minus aqua bulliens undiquaque ad illud pertingat . Si quæ præ mole in ahenum immittere nequeunt , ut puta, labra , cupas , sellas , scamna , mensas , & alia hujuscemodi , ferro ignito & candente , uti etiam lapide , forcipibus accepto & suspenso , aquam tanta copia superfundunt , ut undique & quaquaversus irrigentur & abluantur : vel labrum latius ex luto vel calce circa orificium ejus circumducunt , ut capacius fiat : vel titionem , aut lapidem ignitum injiciunt , ut aqua supereffluat. Posteaquam sic mundata sunt igne , frigida statim abluunt; non ad ulteriorem vel majorem emundationem , sed ממנהג בעלמא ex communi & recepta consuetudine , quam tamen hoc Scripturæ loco confirmant ; Quod si in vase æneo coctum fuerit , ומרק ושטף במים *expolietur , & abluetur aqua :* Expolietur vel extergetur ; *scilicet aqua calida* ; Abluetur ; *nempe frigida* , ut Rabbini exponunt . Mensas & panaria, quibus toto anno utuntur , aquis bullientibus perfundunt , quia nonnunquam aliquid de ollis in ea decidit . Aquæ hic parcendum non est : si enim locus aliquis in vase sit , quo aqua non pervadat , vas illud legitimum non est . Stannum quod attinet , aliaque id genus vasa , duas forcipes habent ; altera in aquam ferventem illa immittunt , altera extrahunt , in ea etiam parte , quam prima forceps tegebat , abluatur . *Vasa*

Orach chajim n. 451.

Levit. 6. 21 vel 28.

ferrea , ut craticulas , verua , opercula , sartagines , & similia , tamdiu igni subjiciunt , donec scintillas agant (vocant ליבון *Libbun*) : tum demum enim sunt legitima . Cultros , antequam in ahenum immittant , prius probe defricant ad cotem vel alium lapidem , ad rubiginem omnem deterendam . Ferreum vel æneum mortarium , prunis candentibus , filo circumligato , replent : ubi eo usque incaluit , ut filum rumpatur , legitimum est . Mortarium lapideum, si fieri possit , de novo excavandum est , &c. In summa , omnia vasa pura & munda esse oportet , nullæ sordes , nullum fermentum comparere debet . Et , si quis in Paschatis festo e vase non purgato cibum caperet , tam grande peccatum est , ac si cum muliere menstruata concumberet . Quidam , qui lautiore utuntur fortuna , prorsus nova, tam culinæ , quam mensæ comparant ; vel saltem peculiaria habent , solis hujus festi usibus destinata , quæ probe mundata de anno in annum asservant , ne his octo diebus ulla re utantur, in qua ante Panis fermentatus fuerit . Non absque causa Dominus noster Christus dixit : *Omisso mandato Dei, tenetis traditionem hominum , lotiones sextariorum & poculorum , aliaque similia ejusmodi multa facitis , sane bene abrogatis mandatum Dei , ut traditionem vestram servetis* . Item : *Væ vobis Scribæ & Pharisæi hypocritæ , quoniam purgatis exteriorem poculi patinæque partem , intus autem illa plena sunt rapina & intemperantia . Væ vobis , quoniam similes estis sepulchris dealbatis , quæ extra quidem apparent speciosa , intus vero plena sunt ossibus mortuorum , omnique immunditia . Ita & vos extra quidem apparetis coram hominibus justi , intus vero pleni estis hypocrisi & iniquitate* .

Marc. 7. 8.

Matth. 23.

Inquisitio & Expurgatio fermenti.

Jam sequitur , qua ratione veterem fermentatum panem perquirant & efferant . Nocte ante Paschatis pervigilium, post haustam pro Azymis aquam , incipit בדיקת חמץ Inquisitio Fermenti . Quilibet paterfamilias scutellam capit cum peniculo vel pennarum fasciculo , candelamque ceream accendit , & antequam perquirere occæperit , ait : בא״י אמ״ה אקב״ו על ביעור חמץ *Benedictus tu Domine Deus noster totius mundi Domine , qui nos præceptis tuis sanctificasti , & fermentum efferre jussisti* . In ampla domo , ubi multa sunt conclavia , cubicula , & hypocausta , paterfamilias vel pueros vel homines aliquot sibi adjungit (nullas autem adhibet mulieres, quia & pigræ sunt , & multum garriunt;

Orach chajim n. 431. Tractatu Pesachin cap. 1.

riunt; ac proinde ad vestigandum inidoneæ:) quos autem sibi adjunxit, ii ad precatiunculam אמן *Amen* respondent, eumq; postea in perquirendo juvant. Singuli candelam ceream præ manibus habent, & omnia conclavia, cubicula, cellas, penuaria, tam ea, quibus pro ordinario rei domesticæ usu utuntur, quam cætera, omnes murium scrobeculas & rimas diligenter rimantur, ut videant, num forte mures micam panis uspiam detulerint, quam non perederint. Nemo altius quærere vel candelam admovere tenetur, quam quousque potest pertingere. Inprimis ubi parietes Christiani ædibus sunt contigui, rimis & foraminibus candelam omnino admovere non debet, ne Christiano in mentem veniat, Judæum domum incendere velle. Ubi vero Judæorum ædes contiguæ sunt, quam fieri potest profundissime & altissime disquirendum & pervestigandum est.

Candelis sebaceis ad hanc perquisitionem non utuntur ideo, quia facile stillant, & guttæ aliquæ in vasa munda decidere possent, qua ratione inquisitio pollueretur: novo enim sebi fermento contaminaretur. Non etiam oleo utuntur: quia illo facile vestes inquinantur, & eæ lampades non possunt commode in rimas & scrobes intrudi.

Cap.1.17. Candela hanc inquisitionem esse faciendam, probant ex eo quod apud Prophetam Sophoniam legitur: ואחפש את ירושלם בנרות *Et scrutabor Hierosolymam lucernis*. Hinc enim eliciunt regulam generalem; *Omnem* חיפוש *Scrutationem seu Inquisitionem faciendam esse ad lucernam*. Et hanc ob causam non interdiu, sed noctu inquirendum est: quia in die candelarum nullus usus.

Solent aliquando micas aliquot de industria passim spargere; præsertim in conclavi, quod ab illis purum & mundum esse censebitur, ne frustra orasse & perquisivisse videantur. Verum micas illas veteres & duras esse oportet, alias dolus inutilis est.

Panem quoque quem nocte comesturi sunt abscondunt, ne investigando ab ipsis inveniatur: alioqui enim instar fermenti etiam tollendus & comburendus esset, & ita quo cænarent non haberent.

Inter Precatiunculam & Disquisitionem, de nulla re, nisi quæ ad Perquisitionem pertineat, loqui audent; ne mens distrahatur, & Inquisitio negligentius peragatur: Ex. gr. *Aperi conclave*, *Huc candelam admove*, *&c.*

Si quid fermenti inveniant, diligenter ad matutinum usque tempus ab illis tollitur, tegiturque & studiose servatur, ne ullus mus accedere possit, qui aliquid auferat; alioqui enim integram domum denuo perscrutari & pervestigare oporteret. Quapropter etiam noctu in uno tantum angulo comedunt, & diligenter cavent, ne quicquam, vel saltem quam minimum cadat, ne integra domus iterum polluatur.

Postquam paterfamilias omnia perscrutatus est, primo verbis nudis illud abolet, & ait: כל חמו ירא וחמיעא דאיכא ברשותי דלא חמיתיה ודלא ביערתיה ליבטל ולהוי כעפרא דארעא hoc est, *Omne fermentatum quod penes me est, quod neque vidi, neque sustuli, dispergatur, & ad pulverem terræ æquiparetur*. Hæc verba quidem lingua Hebræa semper essent dicenda, vel potius Chaldæa. Qui vero ejus non est peritus, vernacula quavis cuique lingua proferre potest. Sic Vidua, si quem substituat, qui ejus loco Inquisitionem faciat, ipsamet potest ea recitare, seu Hebraice, seu Germanice &c. Si vero se prorsus ineptam deprehendat הבודק *Inquisitor* ejus vices illius supplebit, ipsa tamen illi adstante, quo appareat, hunc esse ejus Vicarium, & dicet; *Omne fermentum, quod est in potestate* ת"ל N. &c. Fermentum illud postea asservat in crastinum, ut comburatur, sicut mox audietur.

Orach chajim nu. 353. Placentæ paschales. Farina.

Mane pridie paschatis dulces & azymas placentas conficere incipiunt, quas מצות *Mazza*, vel in plurali מצות *Mazzos* vocant. *Farina* ad has placentas a tribus ad minimum diebus molita esse debet, ut bene refrigescat, nec massa acida fiat vel intumescat. Quamvis fieri possint non tantum ex Tritico, sed etiam ex hordeo, spelta, avena, omnique adeo frumenti genere, quod fermentari potest, tamen plerique ex Tritico, eoque selectissimo, farinam faciunt. Triticum illud, quod huc est destinatum, diligenter asservari debet, ne madidum fiat: neque, antequam molatur, aqua macerandum & emolliendum. Saccus, si per reliquum anni tempus tritico fuerit repletus, est dissuendus, lavandus, & de novo cosuendus. Quando domum ex mola vehitur, non licet eum imponere jumento sine ephippio, vel pelli crassa, cui saccus imponatur; tum propter sudorem equi, tum propterea quod a jumento farina incalescat. *Molæ*, si fieri potest, de novo prius cædi debent, & recentibus albisque linteis circumtensæ esse; vel saltem vetera lintea probe excuti decet: ut plurimum enim humida sunt, & facile illis farina adhæret, quæ postea in novam dulcemque Paschatis farinam decidit. Sic etiam *cista*, *farinæ* excipiendæ destinata, albis linteis intrinsecus obduci debet, ne ullus alterius farinæ pulvisculus, farinæ huic immi-

Aqua.

immisceatur. *Aquam* ad harum placentarum massam, *Aquam* מצוה *præcepti* vel מיא דלישת המצות *Aquam pro depsendis placentis azymis*, appellant. Hauritur & petitur vasis festis, dubia luce a Solis occasu, sed ante stellarum ortum & Lunæ splendorem in terra; tecta domum defertur : nam per viginti quatuor horas nullus Sol hanc aquam debet accedere, ne fermentet. Nempe per duodecim diei horas Sol in terra conspicitur, non autem in puteo : per duodecim noctis horas tegi debet; hoc pacto per viginti quatuor horas nullus Sol aquam hanc accedit. Fons, ex quo hauriretur, prius, quoad fieri potest, est purgandus: & posteaquam etiam purgatus est, prius aquæ sunt copiose inde exhauriendæ, antequam aquam pro azymis hauriant. Cum hauritur, non mente tantum, sed verbis ore prolatis dicere debet, הני מים למצות *Hæc aqua est pro azymis*. Quidam ajunt satius esse ex flumine, quam ex fonte vel puteo, haurire. Quilibet paterfamilias ipsemet aquam hanc haurire, nec id sibi dedecori vertere debet; siquidem legimus, Regem quendam Israel aliquando fructuum ex arboribus primitias humeris suis gestasse. Maxime autem cavendum, ne quis Christiani opera ad hoc utatur. Quidam in hunc usum vas peculiare habent.

Subactio.

Quum massa ad placentas incipit subigi, paterfamilias ait; *Omnes particulæ, quæ ex hac massa decident*, הפקר *liberæ sint*; nempe, si quid in terram decidat & acescat, id muribus concessum & datum esto, nec amplius sit in Judæi potestate. In loco frigido subigunt, quo nullus Sol pervenit, qui procul quoque sit a fornace, ne massa incalescat & fermentetur.

Mulier quæ subigit, peculiarem massæ illius particulam, quæ in Lege חלה *Challah* appellatur, desumit, placentam conficit, juxta præceptum, Num. 15.20. 21. & ait; בא״י אמ״ה אקב״ו להפריש חלה *Benedictus tu Deus noster, qui nos infermentatam placentam seponere jussisti*, ut habetur in Lege : *Sustulit autem de canistro azymorum quod erat coram Domino, panem unum absque fermento*; Quibus dictis, placentam hanc (quæ olim dabatur Sacerdotibus) in prunas & carbones ignitos vel clibanum projicit, antequam reliquæ placentæ illuc immittantur, adeo ut tota comburatur.

Challah.

Levit. 8.

Non subigunt in loco Soli exposito : continue agitatione massa est tractanda, neque vel ad momentum subactio intermittenda; ne fermentetur.

Si mulier vel oblita fuerit, dum Massam subigit, separare *Challam*, vel, præ festinatione, separare non potuerit, posteaquam placentæ coctæ fuerint, e vestigio omnes conjunctim in corbem aliquem reponet, & teget mantili, ut unius quasi corporis speciem habeant, & ab una illarum *Challam* decerpet.

Confectio placentarum.

Dulces postea & infermentatas illas conficit placentas, quas Paschatis festo durante comedunt (Vulgo rotundæ sunt, tenues, non crassæ instar tortæ panis, & foraminibus plenæ, ferro pectini simili perforatæ, ut aeri perviæ remaneant, nec intumescant, vel fermententur), ocyssimeque in clibanum conjiciunt, ne diu nimis desideant. Placentæ hæ nec saliuntur, nec ullo vel butyro vel olivo mitigantur, mera tantum aqua conficiuntur, ac proinde esu sunt insuaves; unde interdum piæ quædam mulieres ova simul subigunt, ut gustu sint gratiores. Relatum mihi quoque est, divites Judæos quibusdam placentarum istarum addere ova & saccharum, vel ex meris amygdalis contusis conficere; non solum in honorem festi; sed etiam, quod & esu sint suaviores, & morsibus facilius cedant : vel pro ægrotis & infirmis. Has delicatiores vocant מצה עשירה *Mazza aschirah* Placenta dives. Talem vero pro primi diei usu non licet apponere; quia ea debet esse לחם עני *Panis afflictionis, pauper*, ex nulla alia re, quam aqua & farina triticea constans.

Paterfamilias pius ipsemet quoque aliquid agit ad placentas has conficiendas, adstando, laborantes exhortando, atque adeo etiam aliquatenus juvando.

Furnus in quo coquuntur, luculento igni est succendendus, ut omne ipsi inhærens fermentum consumatur: ac proinde attendendum, ut flammæ undiquaque diffundantur.

Orach chajim numer. 471.

Exinde ante quintam diei horam, hoc est, horam circiter decimam, prandent; sed non multum comedunt, & quidem cibos tantum ad concoquendum facillimos, nihilque amplius edere audent usque ad stellarum accessum, ut noctu eo major sit Azymorum appetentia. Si quis interim sitiat, multa illi non est bibenda aqua, verum vini cyathus ebibendus: stomachi enim fastidium pellit, & orexim excitat.

Si quid de Pane fermentato ordinario sit reliquum, id nonnulli Pauperi alicui Christiano solent dare.

Statim a cibo, circa sextam circiter horam vel paulo post, ignem peculiarem sub dio faciunt, ad fermentum, quod pridie vesperi perquisierunt & invenerunt, comburendum; nec id diutius

est

est differendum quia sub initium horæ 7. non est amplius in ejus potestate. Quando comburunt, paterfamilias ait: כל . חמירא וחמיעא דאיכא ברשותי דחמיתיה ודלא חמיתיה דביערתיה ודלא ביערתיה ליבטל וליהוי כעפרא דארעא *Omne fermentum, quod sive vidi sive non vidi, sive extuli sive non extuli, dissipetur & perdatur, nec pluris fiat quam pulvis terræ*. Combustionem hanc probant ex eo quod dicitur: *Quod si quid relictum ex eo fuerit usque mane, igni comburetur*. Si nihil inveniunt quod comburant, comburant vas, quo pro colligendo fermento usi sunt, ne forte hujus Legis obliviscantur.

Exod. 12. 10.

Quod si deinceps, durante festo aliquid fermenti in domo sua quis invenerit; siquidem fuerit בחול המועד die profesto, statim comburet illud; si vero in die festo ipso, vase aliquo teget, quia לטלטלו loco illud movere non audet & alio transferre, ubi id comburat.

Si vespera Paschatis, seu dies 14. incidat in Sabbathum, inquisitio eo die fieri nequit: quia vetitum est lucernam Sabbatho hinc inde portare, & ad lumen Solis inquisitio fieri non potest. Itaque in hoc casu inquisitio pridie instituitur, & omne fermentum superfluum ante Sabbathum exuritur: tantum duntaxat retinetur, quantum pro duobus epulis Sabbathinis est necessarium. Qui vespera Sabbathi id comburit, licet pro duabus epulis retineat, nihilominus comburet illud ante meridiem, ut aliis annis, ne forte error incidat, illud alias quoque post meridiem comburendo.

Tam scrupulose præceptum hoc de non comedendo fermentato in Paschate observant, ut ne quidem jumentorum pabulo permiscere liceat, quia dicitur; לא יאכל *Non comedetur fermentatum*. Hac de causa etiam toto festo Paschatis abstinent ab omnibus, quibus aliquid fermenti inesse possit; veluti a *Melle*; quia id farina adulterari solet; a *Saccharo*, quod illi quandoque farina admiscetur; a *Ficubus*; quia farina conspergi solent; ab *Uvis passis*; quia ficubus sæpe adjunguntur, a *Croco*, eo quod, si ex una regione in alteram vectus, colorem amittat, fermento imposito color ei reddi soleat. Quidem etiam abstinent a *Salmonibus*, quod cultris dissecentur, quibus etiam panem scindunt. *Aceto*, quod in hypocaustis solet in doliolis vel vitris asservari, abstinent: quia per totum annum vino ex mensa in poculis residuo repletur, cui facile micæ aliquæ panis adesse possunt, &c. Si in Gallina granum tritici reperiatur ante Pascha, licita est; si in ipso Paschate, vetita: potest autem vendi Christiano; si ultimo festi die, asservabit eam in crastinum, & absumet eam.

Exd. 13. 3.

Primogeniti pridie Paschatis a mane ad noctem usque Jejunio se macerant: quia Deus olim primogenitos Israelitarum ab Angelo destructore liberavit, nec interfecit. Neque tantum primogeniti Patris, sed & Matris: quia plaga illa communis erat omnibus primogenitis. Pater jejunat loco parvuli infantis primogeniti, idque perinde habetur, ac si parvulus ipse jejunasset: si vero Pater etiam sit primogenitus, hoc in casu Mater jejunat pro filio.

Toto hoc die non cessant ab omni labore, sed tantum a meridie: quia mactatio Paschatis olim, nonnisi a meridie & deinceps, fiebat. *Ante meridiem* res est arbitraria, & dependet a consuetudine cujusque loci: sed *a meridie* laborare prohibitum est sub Excommunicationis pœna. Balnea subire licet, vestes quoque a Sartore petere, quæ in honorem festi induantur, prohibitum non est, &c.

Pesach cap. 4.

Christus ait: *Cavete vobis a Fermento Pharisæorum & Sadducæorum*, hoc est, a falsa illorum doctrina & hypocrisi.

Paulus: *Festum agitemus, non fermento veteri, nec fermento malitiæ & nequitiæ, sed infermentatis panibus synceritatis & veritatis*.

CAPUT XVIII.

Qua Ratione Judæi Festum suum Paschatis rite demum celebrare incipiant.

Pridie Paschatis sub vesperam Oblationis tempore (quod מנחה *Mincha* vocant) in scholam se conferunt, & Cantionibus ac precibus divino suo cultu defunguntur, ut in eorum Ritualibus & Precum libellis consignatæ leguntur. Sub noctis principium duas candelas, ut Sabbatho, accendunt: festum vero vino in Schola, quemadmodum Sabbathum, non consecrant, sed id reservant, donec domum sint reversi. Nemo enim tam pauper est, quin hac vespera mensuram vini habere possit festo rite consecrando.

Vespera paschatis.

Interim domi mulieres mensam argenteis, aureis, aliisque pretiosis vasis, pro uniuscujusque facultatibus honorifice

ce sternunt, ut a Synagoga domum redeuntes, statim mensæ accumbere possint, propter infantes, ne indormiant, & solennitatem hanc negligant. Et hic singuli divitias suas ostentare debent, non quidem animo superbo & jactabundo, sed in honorem festi. In omnibus enim lætitiis & pompis, perpetuo incendium & desolationem templi meminisse, ac propterea lugere debent. Patrisfamilias sellam dorsuariam sericeis vel heteromallis pulvillis insternunt: sedilia omnia & parietes circa mensam pulcherrimis tapetibus obtendunt; quam optime quisque potest, ut magnifice, כבני חורין Dominorum & Nobilium instar, qui servitute liberati, in Ægypto captivi amplius non detinentur, reclinare possint. Singuli enim duabus primis noctibus Domini & principes sibi videri debent, qui servi quidem fuerint, nunc vero liberati & redemti. Judæus pauper, qui eleemosynis victum quæritat, nulla pulvinaria, nullosque tapetes habet, sedili tantum insidere debet, ut, Baronis instar, reclinare quoque possit.

Orach chajim n. 472.

Quomodo in paschate mensæ accumbant.

Hæc Reclinatio (היסבה *Hesebba* vocant) pars est essentialis & necessaria hujus festi. Fieri debet, neque in dorsum, neque in faciem, (hæc enim non sunt Libertatis signa), non etiam in cubitum dextrum, sed sinistrum: quia periculum est, si quis in dextram reclinaret, שלא יקדים קנה לושט ne aspera arteria gulam prævertat, & uvula, quæ est ad orificium asperæ arteriæ aperiatur, & hinc cibus in asperam arteriam veniat, & hominem strangulet vel suffocet.

Filius Patri assidens quoque Reclinare debet, etiamsi Pater summus esset Rabbinus: At Discipulus coram Præceptore id non facit, nisi ipsi Præceptor indulserit. Tyro vel Discipulus opificii alicujus, reclinat coram Magistro: Famulus etiam, qui ad mensam ministrat.

Hæc autem sunt ad quæ *Hesebba* seu Reclinatio est necessaria; Particula illa *Mazzæ*, quam statim ab initio comedunt: 2. אפיקומן Particula de placentula, quæ in mensis secundis, in memoriam Agni Paschalis comeditur; 3. quatuor pocula Paschalia: quia hæc omnia in memoriam illis revocant חירות seu libertatem: Ad esum Herbarum amararum non reclinant, quia hoc est memoriale servitutis, qua Ægyptii vitam ipsis amaram & acerbam reddiderunt. Mulieres acclives sedere non tenentur, quia id nec est moris, nec illas decet &c.

Sera demum nocte, non citius, e schola domum festinant, mensæ pelvim vel lancem *cum tribus placentis* in medio duorum mantilium involutis & tectis, apponi curant. *Suprema* Summum sacerdotem designat: *media* Levi seu genus Leviticum; *tertia* & infima, plebem Israeliticam. Apponitur etiam scutella, in qua *armus e tenero agno vel hædo* assus, cum *ovo indurato*, reponitur: patina quoque cum *pulmento e pomis*, *pyris*, *nucibus*, *ficubus*, *amygdalis*, *malis citreis*, & ejusmodi rebus confecto, cui *vinum immiscent* & incoquunt, & ea ratione præparant, ut *Lateris* speciem præ se ferat, multis additis aromatibus; imprimis vero cinnamomum crasse contusum superinjiciunt, ut *Paleam* & *Lutum* referat, (חרוסת *charoseth* vocant) & hoc pacto in memoriam sibi revocent, majores suos in Ægypto *palea* & *luto* laborasse, lateresque confecisse. Poma ei admiscent, quæ Hebraice dicuntur תפוחים *Tappuchim*; ut sibi in memoriam revocent, quod Salomon ait; *Sub* תפוח Tappuach *malo suscitavi te* &c. Id in *Levusch hachor* ita explicatur; Salomonem in his verbis ad id respexisse, quod Israeliticæ fœminæ in Ægypto olim in agros egressæ fuerint, & ibi suum uterum sine dolore deposuerint, ne id Ægyptii rescirent, & in fluvium fœtus ipsarum projicerent. Addunt Nuces, quæ Hebraice vocantur אגוזים *Egosim*, propter illud, quod scriptum est; *In hortum* אגוז *Nucum descenderam* &c. *Ficus*, quia scriptum est; *Ficus protulit grossos suos*. Acetarium præterea e lactucis, hedera, raphanis, petroselino, chærephyllo, nasturtio; & juxta patellam cum aceto apponunt, ut memoria repetant, majores suos agnum paschalem cum herbis amaris comedisse. *Lactuca* utuntur, quæ Caldaica lingua dicitur חסא; in memoriam, quod Deus חס *Chas* pepercerit ipsis in Ægypto, & eos inde liberarit.

Quæ in mensa apponenda. Tres placentæ.

Cant. 8.5.

Cant. 6.10. Ibid. 2.13.

Ubi hæc omnia sunt apposita, ocyus accumbunt, & singulis, tum junioribus tum senioribus, etiam infantibus in cunis vagientibus, scyphus vini infunditur.

Quatuor autem singulis cyathos infundendos ordinarunt Rabbini, quos etiam singuli exhaurire debent, idque, ut postea dicetur, in quadruplicis beneficii & liberationis memoriam. Qui abstemius est, aut cui alioqui vinum nocet, etiam natura reluctante, quatuor hæc pocula ebibere tenetur. Pueris etiam singulis poculum peculiare est proponendum, ut ipsis sic memoria Miraculi

Quatuor cyathi infunduntur singulis.

culi hujus diei instilletur, & occasio detur quærendi, quid hoc sit novi, & quid sibi velit. Cavendum vero hic patrifamilias, ne ipsemet vinum infundat, sed per famulum quempiam pocula infundi curet, iterum דרך חירות *magnæ libertatis & magnificentiæ ostentandæ causa* שכל מעשה הלילה הזה יעשה דרך חירות *Omnia enim ista nocte magnifice & regaliter sunt facienda*.

Primus cyathus.

Ubi itaque accubuerunt, & *primus* hic *scyphus* infusus; tum paterfamilias, & vinum & festum Paschatis, benedictione rite consecrat, & unusquisque scyphum suum, sinistro latere, Baronis instar, pulvillo acclivis, evacuat. Sunt qui manus ante hanc consecrationem lavent: alii vero consecratione demum peracta. Gravis hac de re & subtilis in Talmude habetur disputatio: quidam, ut hanc controversiam dirimant, nudum corpus suum manibus alicubi tangunt, ut manus denuo lavare cogantur. Vulgo *Vino rubro* utuntur; si modo nancisci possint, nec vini albi copia suppetat, *vel vinum album non sit melius*: vel, קונדיטון vinum aromatites ad hujus festi consecrationem conficiunt.

Acetarium

A primo hoc haustu ad *Acetarium* veniunt, unusquisque paulolum oleris capit & in acetum intingit, patrefamilias dicente: בא״י אמ״ה בורא פרי האדמה *Benedictus tu Domine Deus noster, mundi Domine, qui varios terræ fructus creasti*. Acetarii itaque paululum comedunt: ut major sit in eis cibi appetentia: acetum enim ad edendum incitat.

Placentæ mediæ divisio.

Postea paterfamilias mediam placentam e patina captam in *duo dividit*, (Hebr. ויבצענה לשנים) maximam partem propter se sub pulvillo vel mantili collocat, (ut denotet, majores suos massam suam linteis illigatam secum detulisse, tum ut pueri rogent, *quare Mazza abscondatur, cum nondum eam degustarint?*) alteram vero partem in medio duarum integrarum placentarum; (simulque armum assatum cum ovo e scutella capit) singulis scutellam, in qua est dimidia placenta, apprehendentibus & elevantibus, alta voce canere incipiunt: הא לחמא עניא די אכלו אבהתנא בארעא דמצרים כל דכפין ייתי וייכול כל דצריך ייתי ויפסח השתא הכא לשנה הבאה בארעא דישראל השתא עבדי לשנה הבאה בני חורין id est, *Hic est panis paupertatis & afflictionis, quem majores nostri comederunt in Ægypto. Quisquis esurit, veniat & comedat, quisquis opus habet, accedat & comedat de oblatione agni Paschalis: hoc anno hic sumus; anno proximo, Deo volente, erimus in terra Canaan: hoc anno servi sumus, anno proximo, si Deus ita voluerit, liberi erimus, filii familias & Domini*. (Hic Dimidia placenta Paupertatem & miseriam denotat; Pauper enim & mendicus panes integros non habet, sed frustula tantum, & particulas, sicque memoria repetunt quod scriptum est: *Septem diebus comedes absque fermento* לחם עני *panem afflictionis*. Et hac de causa in duas partes dividitur, antequam hæc lectio recitetur.) Cur ista lectionis paschalis particula Chaldæa lingua sit concepta & conscripta, varie disputant Doctores; cum reliqua quæ sequuntur omnia sint Hebraica. Talmudici putant ideo hoc factum, ne Dæmones intelligant, & ad convivium paschale veniant, illudque polluant, eo quod dicatur, *Quisquis esurit, veniat & comedat*. Dæmones enim & Angeli non intelligunt linguam Chaldæam, ut in Tractatu de Sabbatho habetur.

Deut. 16. 3.

fol. 12. 2.

Secundus cyathus.

Armum deinde & ovum iterum mensæ apponunt, & singulis *secundum scyphum* plenum infundunt, atque scutellam cum placentis e mensa tollunt, ut filii eorum, sicut priscis temporibus, habeant quod de agno paschali quærant, quemadmodum scribitur; *Et quum dixerint vobis filii vestri, quæ est ista religio?* Sic etiam nunc quærere debent: *Cur secundum poculum infundatur, antequam comederint?* Respondent singuli pueris quod norunt, citoque iterum ad mensam referuntur. Si nondum ad eam ætatem pervenerit puer, ut ex seipso rogare possit, Pater eum rogare docet: si filius nullus adsit, Uxor eum rogat, vel seipsum rogat: duo etiam Doctissimi Rabbini se invicem rogant, quid hæc mutatio, & peculiaris cænandi ratio sibi velit? *Armus* Hebraice dicitur זרוע *Seroab*, quæ vox & *Brachium* significat: & Ovum quod una cum armo apponunt, Chaldaice dicitur ביעא *Beab*, quæ vox & *Velle* significat. Itaque hic volunt significari; בעא רחמנא למפרק יתנא בדרעא מרממא *quod Deus ipsos liberaverit* Brachio *excelso*. Non tamen audent dicere de hoc Armo, quod sit לפסח *loco Paschatis*, ne videantur, ac si Sancta comedant extra terram sanctam; quia id prohibitum.

Talm. Hier. Pes.

Longum deinde satis de liberatione ex Ægypto decantant hymnum, in quo, ubi ad decem plagarum, quibus Ægyptii affecti sunt, narrationem devenere, lente canunt, & digito uno vinum e scypho spargunt, denotantes; decem illas plagas domibus suis in hostes suos, Christianos nempe, egredi debere. Illico postea singuli scyphum suum manu ca-

Minhagim pag. 25.

captum attollunt, & elata voce canunt: לפיכך אנחנו חייבים וכו׳ id eſt, *Ideo nos confiteri laudare, celebrare, extollere, colere, & benedicere tenemur eum, qui nobis & parentibus noſtris omnia hæc ſigna fecit, nos ex ſervitute in libertatem, & luctu in gaudium tranſtulit, e triſtitia ad lætos & feſtos dies, e tenebris in lucem, quapropter coram eo dicemus* הללו יה *Laudate Dominum, &c.* Hic ſcyphum ſuum ſinguli ſecundo ebibunt, acclives inſtar Principum & Dominorum.

Secundæ placentæ benedictio, & diſtributio.

Poſtea paterfamilias denuo manus lavat, (quia fieri poteſt, ut interea, poſt primam lotionem factam, animus ejus abreptus fuerit ad alias, quam Paſchales, cogitationes,) & ſolitam precatiunculam recitat, *ſummam placentam* e patina capit, & ait; בא״י אמ״ה המוציא לחם מן הארץ *Benedictus tu Domine Deus noſter, Mundi Domine, qui panem e terra producis.* Nihil tamen inde comedit, ſed dimidiam quoque placentam accipit, & ſubjicit: בא״י אמ״ה אקב״ו על אכילת מצה *Benedictus &c. qui nos præceptis tuis ſanctificaſti, & azyma comedere juſſiſti;* ſimulque cum dicto aliquid de duabus placentis frangit, editque, & aliis, qui in ſiniſtram quoque partem acclives nituntur, ut edant porrigit. *Seſquiplacentam* accipiunt; quum tamen Sabbatho, aliiſque feſtis diebus, duos integros panes accipiant; quia in hujus feſti deſcriptione ſcribitur, לחם עוני *Panis afflictionis* aut *paupertatis.* Pauper autem non integros panes, ſed fruſtula tantum panis habet (Ita Judæi hic mendici ſunt, qui modo Barones videri volebant). Iterum herbarum amararum aliquid capit paterfamilias, & in pulmentum illud, quod ſtramini & luto ſimile eſt, ut modo diximus, totum intingit, aitque בא״י אמ״ה אקב״ו על אכילת מרור *Benedictus, &c. qui nobis herbas amaras comedere præcepiſti.* Comedit itaque, & alios quoque comedere jubet. Intinctionem hanc ſcribunt fieri, ut necetur vis venenata, quæ herbis amaris ineſt: alii dicunt, vermiculum illis ineſſe, qui de hoc embammate moriatur. Non diu autem in embammate relinquendæ ſunt, ne amaritudinem amittant. Hinc etiam poſt intinctionem embamma ſtatim removent, ne adſit, quod ſaporem herbarum amararum mitiget vel imminuat &c. Reclinati vero non comedunt: hoc cibo enim redit illis in memoriam, majores ſuos in captivitate adhuc fuiſſe, & palea lutoque lateres conficere debuiſſe.

Deut. 16.

Tertia placenta.

Mox tertiam placentam e patina tollit, fruſtulum ex ea defringit, iterumque paululum herbarum amararum ſumit, & *mazzæ* ſeu placentæ circumvolutas junctim comedit; in pulmentum tamen non intingit; quia Rabbi Hillel ſtante adhuc templo ſecundo ſic fecit, factumque ſuum ex hiſce verbis comprobavit: ומצות על מרורים ואכלוהו *Et azymos panes cum herbis amaris comedetis.* Egregiam mehercle probationem!

Exod. 12. 8.

Ita Actus præparatorius ad legitimam Paſchatis celebrationem explicatur; & nunc demum vere cœnare incipiunt, quicquid ipſis Dei beneficentia & liberalitas conceſſit, edentes, hilareſque & bono animo, & in mediam fere noctem, ſtrenue epulantes. In quibuſdam locis nullam carnem aſſam apponunt, vel edunt; ne videantur edere Agnum Paſchalem, quod extra terram ſanctam non licet; in aliis locis id eſt permiſſum. Quivis obſervat rationem & conſuetudinem loci ſui. Ova nonnulli comedunt, quod ſignum eſſe volunt Luctus; quod Vaſtatio templi ſignificetur & prædicta quaſi fuerit in eo verſu ubi dicitur; *Cum Azymis & herbis amaris comedent eum.* Cavendum vero, ne quis nimio cibo & vino ſtomachum ſuffarcinet, ne vel cum faſtidio & nauſea de ſequenti dimidia placenta comedat, vel temulentus obdormiat, & hymnum cum reliquis abſolvere nequeat.

Poſt cœnam, media nocte inſtante, *dimidiam placentam*, quam abſconderat, profert Paterfamilias, aliquantulum de ea comedit, & aliis quoque fruſtulum porrigit; Dimidia hæc placenta vocatur אפיקומן, & repræſentat Agnum Paſchalem, qui poſt Cœnam, a jam ſaturatis comeſtus fuit: in finem feſtalis hujus ſolennitatis reſervatur, ut Sapor Paſchatis & Azymorum ori & faucibus ipſorum inhæreat. Unde poſt hujus eſum nihil quicquam ultra guſtare debent. De hac voce, ut & de re ipſa, videat Lector Lexicon Talmudicum, & Exercitationem noſtram in Hiſtoriam de Cœna Domini. Dum de ea comedunt, ſuperbe in ſiniſtrum latus recumbunt, manus lavant.

Dehinc rurſum unicuique ſcyphus plenus infunditur, quem mox eodem ritu ebibunt; hicque *tertius* eſt *ſcypus* qui conſecratur: Gratiaſque ſimul agunt, & *quartus & poſtremus* illis *ſcyphus infunditur*, & paterfamilias ſcyphum manu accipiens, ait: שפוך חמתך על הגוים אשר לא ידעוך ועל הממלכות אשר בשמך לא קראו׃ שפוך עליהם זעמך וחרון אפך ישיגם תרדוף באף ותשמידם מתחת שמי יי׳ *Effunde iram tuam in gentes quæ te non noverunt, & in regna quæ nomen tuum non invocaverunt: Effunde ſuper eos*

Tertius cyathus. Quartus cyathus.

Pſ. 79. 6.

Pſ. 69. 25.

Thren. 3. 66.

eos iram tuam, & furor iræ tuæ comprehendat eos: Persequere eos in furore tuo, & contere eos sub cœlis Domine. (Interea currit aliquis ædiumque fores latissime reserat, ad testandum, quod securi sint Deo confisi, & hæc sit ליל שמורים *Nox custodiarum*, qua Deus eos custodiat ab omni malo; & propter hanc fidem ipsis missurus sit Messiam, qui effundat iram suam super גוים Gentes). Hisce diris & imprecationibus gentes omnes, quæ Judææ non sunt, maledicunt, præcipue vero Christianos; & sperant, Prophetam Eliam illico adventurum, atque Messiæ adventum annuntiaturum, qui ea Paschatis nocte illos sit liberaturus, prout in alia quadam prece, cujus principium est אז רוב נסים, gloriantur, omnes fere mirandas patriarcharum & totius populi Israel liberationes hac nocte contigisse. Optant itaque ut Deus iterum veniat, eosque ex hac captivitate liberet; Christianos vero, ea ratione ut Ægyptios olim, puniat.

Orach chajim numer. 480.

Hinc etiam aliquando fit, ut simul ac fores reserantur, & diræ illæ recitantur, præsto sit aliquis, qui in candido linteo vel aliis vestibus in cænaculum clanculum irrepat, ut pueruli credant, Eliam adesse, qui lumbifragio Christianos sit multaturus. Reliquas deinde preces, quæ ad mensam vulgo recitari solent, ad finem usque perducit, & ita concludit: אדיר הוא יבנה ביתו בקרוב במהרה בימינו בקרוב אל בנה אל בנה בנה ביתך בקרוב בקרוב: בחור הוא, גדול הוא, דגול הוא, הדור הוא, ודאי הוא, זכאי הוא, חסיד הוא, טהור הוא, יחיד הוא, כביר הוא. למוד הוא: מרום הוא, נורא הוא, שגוב הוא, עזוז הוא, פודה הוא, צדיק הוא: קדוש הוא, רחום הוב, שדי הוא, תמים הוא בנה ביתו בקרוב במהרה במהרה בימינו בקרוב אל בנה אל בנה בנה ביתך בקרוב quæ in Germanica precum suarum versione paraphrastice sic interpetantur: *Deus omnipotens, nunc brevi & cito templum tuum ædifica, cito, in diebus nostris quam proxime, nunc ædifica, nunc ædifica, nunc ædifica, nunc brevi templum tuum ædifica. Misericors Deus, magne Deus, mansuete Deus, summe Deus, bone Deus, suavis Deus, egregie Deus, Judæorum Deus, brevi templum tuum instaura, cito, cito in diebus nostris, nunc ædifica, nunc ædifica, nunc ædifica, nunc cito templum tuum ædifica. Potens Deus, vive Deus, fortis Deus, celebris Deus, mansuete Deus, æterne Deus, terribilis Deus, eximie Deus, regie Deus, dives Deus, formose Deus, fidelis Deus, nunc brevi templum tuum instaura, cito, cito in diebus nostris, brevi, cito, nunc ædifica, nunc ædifica, nunc ædifica, nunc ædifica, nunc cito templum tuum ædifica*.

Orach chajim n. 481.

Ad hoc poculum quartum absolvunt recitationem *Hallel* seu Hymni. De hoc Hymno videatur Lexicon Talmudicum in הלל. Post illud non licet ulterius vinum ea nocte gustare, nisi forte quis sit ægrotus, aut debilitate stomachi laboret; tum enim & quintum poculum infundere licet, & recitationem *Hymni* quem vocant *magni* illi subjungit. Aquam vero bibere non est prohibitum. Poculo hoc quinto sibi in memoriam revocare debet Poculum inebrians liberationis futuræ. Ideo autem hic poculorum numerus non est excedendus, quia tota hac nocte occupati esse debent in Ritibus Paschatis legitime observandis, in recolenda memoria liberationis ex Ægypto, in celebratione miraculorum, quæ Deus Patribus ipsorum tum fecit, usque dum somnus ipsis obrepat. Quod si vero quis plus biberet, facile inebriaretur, & quorundam oblivisceretur, alia præpostere faceret &c.

Hilchos Pesach. n. 483.

Omnibus modis quisque tenetur sibi de vino pro quatuor poculis prospicere, quæ Rabbini ordinarunt, quia illorum præcepta æquivalent Legibus Divinis ipsis. Quod si quis nulla ratione habere possit, comparabit sibi uvas siccas, easque in aqua macerabit, donec saporem Vini accipiant. Si & hoc medio destituatur, Panem in ejus locum substituet, & illi benedictiones super vino recitandas, cum reliquis solennibus, adhibebit.

Ad quietem itaque postea & somnum, rerum omnium securi, se conferunt, neque, ut alias, necesse habent Deum orare, ut ipsos a Spiritibus malignis conservet. Hæc enim Nox in Exodo appellatur ליל שמורים *Nox custodiarum*; creduntque, se hac nocte ab omni sive hominum sive dæmonum injuria tutos: unde & fores per totam noctem apertas relinquunt, sperantes Eliam adventurum, & ipsos ex miseria & captivitate sua liberaturum.

Ejusmodi laboriosam pompam miseri & occæcati Judæi per duas noctes, in locum agni paschalis, substituunt, quem cum ceremoniis, quæ in Exodo habentur, comedere debuerunt. Verum Rabbini eorum scribunt & docent, se ab Urbis & Templi desolatione agnum paschalem non amplius mactare, & cum ceremoniis a Mose injunctis edere audere. Ad hanc enim, ut & ad cæteras oblationes omnes, neminem obligari, nisi in terra Canaan, quæ sola pura & sancta est regio; reliquas vero regiones im-

Extra terram sanctam non licet agnum Paschalem mactare & edere.

impuras esse & pollutas. Sed quandoquidem Judæi, a quo Christus, verus ille Agnus paschalis, pro nobis est oblatus, in nullo amplius loco Agnum paschalem rite & vere comederunt, nec ipsi Judæi, qui terram Canaan & Hierosolymam incolunt, hodie agnum paschalem legitimis adhibitis ceremoniis comedunt, quia etiam nullam plane amplius oblationem offerunt, aliam necessario oportet esse causam, cur & eorum oblationes, & omnes Mosaicæ Ceremoniæ, cessaverint. Sane nisi usque adeo a Deo cæcitate percussi forent, id utique mille sexcentorum annorum spatio perquisivisse & considerasse poterant. Jure itaque cum Propheta Davide dicas: *Hæc via illorum mera est stultitia, quam posteri tamen ore suo laudant. Non audivit populus meus vocem meam, & Israel non intendit mihi. Dimisi itaque eos in cordis cæcitatem, & ambulaverunt in adinventionibus suis.* Hanc vero suam sententiam, ex hisce Mosis verbis probare nituntur Rabbini: *Non poteris immolare pascha in qualibet urbium tuarum, quas Dominus Deus tuus daturus est tibi: sed in loco quem elegerit Dominus Deus tuus, ut habitet nomen ejus, ibi immolabis pascha vespere ad solis occasum.* Sed verus hujus mandati sensus hic est; ut postea, ubi in terram Canaan venerint, statumque regimen habuerint, Urbem & templum, in quo Deus nomen suum habitare voluerit, insederint, in nullo alio loco agnum paschalem mactent, quam in illo, nempe Hierosolymis; idque propterea, ut eo facilius in fidei unitate persisterent, quum quotannis Hierosolymam, tanquam ad signum & caput Ecclesiæ, undique convenirent. Postquam vero ipsorum regimen fuit desolatum, &, sive propter bella, sive alia pericula Hierosolymam venire non potuerunt, tum singuli agnum paschalem domi sæpius mactarunt, ut ex altero Regum videre est. Regimine autem restituto Pascha cum magna solennitate & lætitia celebrarunt, uti rex Josias fecit. Jam vero quod a mille sexcentis annis, & quod excurrit, agnum paschalem rite nec mactare nec edere possint; non politici tantum regiminis, & templi desolationem, sed longe graviorem causam esse oportet, propter quam in tam diuturna captivitate languent. Instaurata tamen est Hierosolyma, & in hodiernum usque diem perstat; cur ergo & templum non est instauratum, & oblationes, cæteræque Mosaicæ ceremoniæ, in pristinum statum restitutæ? Verum hoc Judæi videre nequeunt. Illorum enim oculis Mosis velamen adhuc obtenditur.

Psal.49.14. Psal.81.12. Deut.16. 2.Reg.23.22. Ibidem.

Supra memoravimus, in hoc festo Paschatis convivio quatuor unicuique infundi cyathos; duos ante Cœnam, duos a Cœna; qui quatuor cyathi sancti sunt & benedicti, siquidem peculiari benedictione consecrantur, & a singulis ebibi debent. Id vero fit, ut Rabbi Bechaj scribit, in memoriam & gratiarum actionem ob quadruplicem liberationem, cujus quadruplex mentio fit in hisce Dei verbis Exod. cap. 6. והוצאתי *Educam vos de ergastulo Ægyptiorum*, והצלתי *& eruam de servitute*, וגאלתי *ac redimam in brachio excelso & judiciis magnis*, ולקחתי *& assumam vos mihi in populum, &c.* Hoc ita explicatur in Sepher Col-bo: *Quatuor hic innui maxima beneficia, propter quæ singula gloria & laus Deo sit tribuenda*; primo, *quod Deus ipsos eduxerit ex servitute Ægyptiaca*, secundo, *quod, cum satis superque fuisset, si ipsos oneribus Ægyptiacis sublevasset, & ibi sub dominio Pharaonis reliquisset, eos insuper etiam in libertatem asseruerit*: tertio, *quod etiam Ægyptios contriverit & perdiderit, judiciis suis in eos exercitis*: quarto, *quod non tantum corporali libertate eos donarit, sed & spirituali, in populum suum peculiarem adoptarit, & Lege sua dignari voluerit.* Ex adverso itaque promissionum quatuor harum liberationum, singulis Paschatibus quatuor vini cyathos evacuant, ne summorum Dei beneficiorum unquam obliviscantur.

Cur quatuor cyathi singulis infundantur. Rabbi Bechaj Exod. 6.6. Parascha, Vaera. fol.52. col. 2.

Quod ibidem quoque meminimus, ubi quartus & ultimus illis infunditur cyathus, execrationem hanc, שפוך *Effunde iram tuam & furorem tuum &c.* in Christianos omnesque hostes suos ab illis recitari, causa est, ut iterum Rabbi Bechaj loco citato ait; quia Deus olim novissimo die nationibus mundi, (hoc est Christianis, omnibusque illis qui Judæi non sunt) quatuor scyphos ultionis & pœnæ divinæ infundet & propinabit, uti scribitur: *Sume calicem vini furoris hujus de manu mea: & propinabis de illo cunctis gentibus &c.* Item: *Calix aureus Babylon in manu Domini, &c.* Item: *Laquei ignis, sulphur & spiritus procellarum pars calicis eorum.* Item: *Calix in manu Domini, & vinum quod in eo rubet, & plenus est misto, & effundit ex hoc: utique fæces ejus sugent, & bibent omnes impii terræ.* Sed si Judæi acribus & intentis oculis calicem hunc contemplarentur, sibi primo infusum agnoscerent, ut Propheta Jeremias loco quem primum citavimus subjicit; *Et accepi calicem de manu Domini, & propinavi cunctis*

Cur ad quartum poculum execrationem in cæteras gentes recitent. Jere.25.15 & 51.7. Psalm.11.6 Psal.75.9

ctis gentibus ad quas misit me Dominus. Jerusalem scil. & civitatibus Juda, & regibus ejus, & principibus ejus, ut darem eos in solitudinem, & in stuporem, & in sibilum, & in maledictionem, sicut est dies ista: Pharaoni regi Ægypti, &c. Ubi scyphum hunc Judæi concoxerint, nullum forte Christianis venenatum poculum amplius propinabunt.

Ex paucis istis facile perspici potest, Judæos festum Paschatis non amplius ex Mosis vel Dei præcepto celebrare & observare, sed juxta Rabbinorum suorum traditiones, quæ pluris apud illos quam Dei præcepta fiunt, ut manifeste ex ipsorum Talmude apparet, in quo ingens tractatus, פסחים *Pesachim* dictus, de hujus festi observatione habetur, in quem tractatum alii Rabbini integros libros conscripserunt & commentati sunt. Hæc itaque missa faciam, & ita cum Apostolo dicam:

1. Cor. 5. v. 7. Paulo: *Pascha nostrum pro nobis sacrificatum est, nempe Christus;*

Joh. 1. 29. Johanne: *Ecce agnus ille Dei, qui tollit peccatum mundi:*

1. Petr. 1. 19 Petro: *Christi pretioso sanguine, utpote agni immaculati & incontaminati, redemti sumus.*

CAPUT XIX.

Quomodo Judæi septem Paschatis dies festos observent, & ad finem usque perducant.

De precibus matutinis festi Paschatis. Minhagim pag. 27. Orach chajim n. 484. & seq.

PRimo *Paschatis die mane* in scholam eunt, Cantilenas (זמירות *Semiros*) & Psalmos ut Sabbatho decantant, multas preces recitant, multo apparatu, multisque cæremoniis liber Legis ab illis tractatur, duo exemplaria ex arca promuntur, quinque viri, qui aliquot ex illis lectiones legant, advocantur, si vero in Sabbathum hic dies inciderit, septem ut aliis Sabbathis advocantur.

Benedictio Sacerdotalis quomodo fiat.

Quum finitis precibus sacerdos Benedictione populum prosequitur, manus & digitos ab invicem divaricat; Tum enim dicunt sapientes, majestatem & præsentiam divinam super Sacerdotis manibus quiescere: ideo, ne quis e plebe manus illius aspiciat, graviter sunt interminati; eum enim qui hoc ausus sit, protinus excæcari.

Prandium.

Precibus absolutis domum repetunt, & hilariter prandent, nimio tamen cibo ingurgitare se non debent, ut tres sibi injunctas placentas, de quibus superiori capite egimus, eo lubentius comedere possint.

Primus hic dies secundum Legem est יום טוב *Dies bonus*, ut & *septimus*; sic *Dies primus Pentecostes*; *Primus* item *mensis septimi*, seu *Novi anni*; *primus & octavus festi Tabernaculorum*; in specie, & κατ' ἐξοχὴν vocantur ימים טובים *Dies boni*: quia illis Lege prohibitum est opus aliquod facere; excepto שהיא לצורך אוכל נפש quod ad præparationem cibi est necessarium; sicut dicitur; *Nullum opus fiet in eis; veruntamen quod comedetur ab omni anima, illud tantummodo fiet a vobis.* Item, *Die primo convocatio sancta erit vobis: nullum opus servile facietis.* Unde quicunque aliquid aliud operis facit, quam quod pro cibo est necessarium, is ex Lege vapulat. Nam אתקש י״ט לשבת æquiparatur *Dies bonus*, Sabbatho: unde & quicquid operis Sabbatho est prohibitum, prohibitum est quoque facere in Die bono & festo: sic quicquid Sabbatho prohibitum est mandare Christiano, ut in gratiam Judæi faciat, idem quoque hoc die est illicitum. Hodie in eodem gradu censetur quoque Dies *secundus*, & hinc *octavus* quoque, propter incertam supputationem Novilunii, ut alibi docetur; idque ex statuto Rabbinorum.

Exod. 12. 16

Lev. 23. 7.

Quid illo die agendum, aut linquendum.

Subtilis & prolixa hic apud eos habetur disputatio, *Quis & quantus debeat esse Diei boni labor?* quantum coquendum? quid ciborum comedendum? &c. Nempe, non plus coquendum est quam eo die possit comedi; nihilominus tamen ingens olla carnibus plena foco imponi potest, nec refert, quamvis omnia illo die comedi non possint. Carnium enim copia offam facit gratiorem, & carnes ipsæ, quo plures simul elixantur, eo meliores, & suavioris sunt saporis; sed non plus assandum est, quam eo die comedi possit: quamvis enim multa caro simul assetur, non ideo tamen melior redditur; adde quod gratior semper est calida quam frigida. Carnem salire licitum est: quia caro salita primo die gratior est quam secundo. Quod pridie coqui, & absque saporis imminutione reservari potest, pridie coquendum est; quæ vero secus se habent, illa hoc ipso die, & cæteris diebus festis, excepto Sabbatho, coqui possunt. Piperis dudum contusi odor & suaveolentia evanescit: Diebus itaque festis, ut & alia aromata, tundi potest; discrimine tamen aliquo adhibito, ut scil. pistillum vel invertatur, vel mortarium in alterum latus pendeat, quo aliquid sit discriminis inter festorum profestorumque dierum laborem. Infans aqua a muliere Judæa calefacta ablui vel mergi potest; sed Judæo grandiori lavare omnino prohibitum, quamvis gentilis vel Christianus

nus aquam ad balnea calefecisset. Ellychnium de lucerna in lucernam non est transferendum. Candelam ceream ardentem, quam quis penitus consumtam nolit, in aquam immergere potest, vel aliquid aliud circumponere, ad cujus accessum ipsa candela statim per se extinguatur; verum cultello resecare non licet. Claves quæ inserviunt custodiendo cibo, licet efferre extra עירוב seu Commixtionem termini. Die festo non est Christianus a Judæo ad epulas vocandus, ne ea causa plus coquere & apparare cogatur, vel ad laborem, quo festi sanctitas violari possit, suscipiendum incitetur; si vero inopinatus & insperatus advenit, ut simul accumbat, juberi potest. Et in præcepto dicitur; *Convocatio sancta erit* vobis; ad quæ verba in Medrasch scribitur; לכם Vobis; לא לכלבים *non canibus*; לכם Vobis, לא לגוים *non Christianis*. Pauperes vero, pupillos, & viduas invitare, est laudatissimum. Inauspicati somnii causa non est diebus festis jejunium instituendum, quia scribitur: *Et lætaberis in festivitate tua*; Gaudio itaque, lætitia & hilaritate efferaris oportet die festo, quod vacuo & jejuno ventre fieri nequit: sed die Sabbathi male ominati somnii causa jejunio anima affligi potest. De Sabbatho enim tantum prædicatur ענג *Oneg*, *Voluptas*; si quis autem ita jejunet, illi Sabbatho jejunare volupe est; siquidem hoc pacto ominosum somnium expiat, & lætitiam iterum animo concipit. Sabbatho etiam fleri potest, ab iis qui fletu delectantur, illoque dolorem suum egerunt; verum die festo flere prohibitum: simul enim fleri & rideri nequit. Si vel gallina vel aliud quippiam farciatur, farctum acu quidem consui, & filum adustione, non autem resecatione vel morsu, abrumpi potest; hac tamen adhibita præcautione, ut filum acui pridie inditum fuerit. Scutellæ, quibus mane usi sunt, abluendæ non sunt, ut illis denuo noctu utantur: sed jam pridem lotæ, & quibus mane usi non sint, sunt sumendæ. Pisces, aves, aliasque feras nec venari, nec capere licet; & quamvis Christianus aliquis die festo illas cepisset, & Judæo vendere vellet, de illis Judæo edendum non est, nisi festo demum peracto. Gallinæ vero & anseres, quæ domi habentur, capi possunt; plures tamen simul capere, & optimam ex illis eligere, non est licitum. *Die bono* nihil pro certo vel definito pretio est emendum: sic qui jumentum emit, non transiget cum venditore de certa summa pecuniæ: sed accipiet unum, cujus ἰσότιμον adhuc adest, & sequenti die ibit, atque ex æstimatione illius æstimabit quoque id quod mactavit. Magna quoque & gravis inter eos orta est disputatio; *Num ovum die festo positum, illo ipso die possit comedi?* qua de re, ut & multis aliis; exempli gratia, De fructibus die festo decerptis, oleribus terra die festo avulsis vel resecatis, de mactatione, lignorum fissione, igne accendendo & suscitando, coquendo, subigendo, pane conficiendo, pecore mulgendo, & infinitis aliis ejusmodi rebus, peculiarem in Talmude tractatum conscripserunt, cui ביצה *Beza*, id est, Ovo nomen est, incipitque a disputatione de Ovo; ביצה שנולדה ביום טוב &c. *Ovum die festo positum, secta & Schola Schammaj comedi posse dixit, secta vero Hillel negavit, &c.* Hic alii quoque Rabbini ingenii sui acumen postea exercuerunt, & in mustaceo prolixissimis disputationibus laureolam quæsivere. Quæ omnia, & alia, quæ *Die bono* concessa sunt, quæ item prohibita, prolixe describuntur in libris Judæorum Ritualibus, in הלכות יום טוב; velut in *Orach chajim a num. 495. usque ad 630.*

Deut. 16. 14.

Orach chajim n. 505.

Vespertino tempore scholam repetunt & precantur, sed nimium quantum festinant, precibusque deblateratis aufugiunt: Vespertinis enim precibus peractis cœna demum est coquenda. Iisdem autem omnino adhibitis cæremoniis cœnant, quibus pridie vesperi.

Preces vespertinæ.

Cœna.

Postridie, sive *Secundo die*, eadem omnino ratione feriantur & Deum colunt, qua pridie, idque quia dubium & incertum hodie apud eos est, quo die Martii novilunium contingat, ac proinde, quisnam decimus quartus sit Martii dies, exacte scire nequeunt. Festum itaque Paschatis per duos dies celebrant, ut eo certiores sint, & a vero festi die omnino non aberrent. Si quis hisce duobus diebus aliquid adhuc fermenti domi reperiat, tangere non debet, nedum ut illo fruatur; sed scutella vel alio vase tegere, & subsequentibus diebus comburere oportet.

Pascha cur per duos dies celebrent.

Qui domesticis avibus, ut gallinis, anseribus, columbis, & aliis id genus, avenam vel triticum objicit, cavere debet, ne in humidum locum projiciat: fieri enim potest, ut totum non comedant, & ut, quod superest, germinet; quod perinde foret, ac si die festo sevisset.

Nocte secunda Paschatis, incipiunt numerare Dies עומר, de qua numeratione infra agetur.

Quatuor sequentes dies, dimidia tantum parte sunt feriati. Hi, ut & quinque intermedii dies in Festo Tabernaculorum, vocantur חול המועד Chol hammoed *Profani*

Quatuor sequentes dies.

Chol hammoed.

ſani, vel, *Profeſti feriarum dies*. His non quidem omnia, quædam tamen opera ſunt prohibita, ut ſit differentia inter hos, & alios dies, qui nullam prorſus ſanctitatem habent. Quamvis enim nomen Sabbathi illis non attribuatur in Scriptura; vocantur tamen מקרא קדש Mikra Kodeſch, *Convocatio ſancta*, & ad feſtum pertinent. Quia grave & detrimentoſum foret Eccleſiæ per ſeptem vel octo dies ab omni opere ceſſare, permiſerunt ſequentia: *Primo*, quæ neglecta vel corrumpuntur, vel damnum afferunt, ne quis inde mœrorem animo concipiat: *ſecundo*, כל צרכי הרבים opera neceſſaria publicum bonum ſpectantia: *tertio*, כל צרכי יחיד quæ etiam privato cuivis ſunt neceſſaria; non tamen מעשה אומן ea, quæ ſunt opificii vel artis alicujus: *quarto*, צרכי המועד quæ ad feſtum, vel in ejus gratiam, ſuſcipiuntur, etiamſi alioquin ſint prohibita, idque ut mercenarii habeant quod lucrentur, ſi cibis vel aliis ad feſtum neceſſariis deſtituti ſint. In his tamen cavendum, ut ea clanculum, & quam minimo fieri poteſt labore perficiantur, & variatio aliqua fiat in illis a ratione, qua alias ſolent fieri. Quæ vero jam ad has claſſes pertineant, vel ab illis excludantur, id diſtincte, & accurate in ſuis Ritualibus explicant, in הלכות חול מועד, unde ea peti poſſunt: quia nimis prolixa ſunt, quam ut hic deſcribi poſſint. V. G. Fructus poſſunt colligi, ſi a furibus immineat periculum: Mulgere licet: *Vendere*; ſi merci a mora ſit periculum; & quis pecunia indigeat. Piſces capere, ut in feſto comedantur: Vias publicas reparare, aut offendicula removere: Puteos, ciſternas, & fontes, ſi a ſordibus inquinati ſint, purgare: Equum pectere & inſternere ad equitandum, ſed animi, non neceſſitatis, cauſa. *Tondere*, non licet; puerulo tamen prima vice capilli tonderi poſſunt: Cui unicum eſt induſium, is, modo verecunde & non palam id fiat, *lavare* illud poteſt: ſic mulieres infantum faſcias lavare poſſunt, ſigillatim tamen, unam poſt alteram: Carbaſeas item veſtes, linea collaria, & alia id genus, amylo inficere licet: calceos mullare, cultellos acuere &c. conceſſum: Si cui aliquid eſt ſcribendum, is כלאחר יד non ordinario ſcribendi modo id facere debet; calamum tenendo digito annulari & pollice: literas incidet & franget, quaſi tremula manu ſcriptas. Ita quando tali die Epiſtolas ad amicos ſcribunt, in exordio ea de re monere ſolent: E. g. מפני ימי הריצה. מכתבי רצוצה בכותבי באגודל וקמיצה: אי נמי מכתב ידי מדולדל. בקורבי קמיצה לאגודל. אך שלומך יגדל. *Propter dies lætitiæ; ſcriptura mea eſt fracta; dum ſcribo pollice & annulari: quamvis autem ſcriptura manus meæ ſit luxa; annularem pollici admovens; ſalus tamen tua ſit firma & magna*: In Rationario debita, pignora &c. conſignare licet, ſi quis metuat, ne illorum obliviſcatur &c. Ungues reſecare quidam permiſerunt: ſed pietate & ſanctimonia conſpicui id religioni habuerunt, nec ulterius conceſſerunt, niſi quando mulieri, purgationis cauſa, aqua frigida ſubeunda eſt, tunc enim illam & manuum & pedum ungues reſecare oportet, ne quid ſordium ſub unguibus lateat. Hoc feſti tempus intelligi putant Johan. 7. ℣. 14. Ἤδη δὲ τῆς ἑορτῆς μεσούσης.

Quamvis autem (ſcribitur in Colbo) [margin: fol.66.col.1] ſupra dicta, & alia quædam opera in Chol hammoed, ſeu Profeſto die ſint licita; tamen tenetur homo eo die & ipſe lætari, & hilarare quoque ſuos liberos, cæteroſque domeſticos, ſicut dicitur; *Et lætaberis in feſto tuo, tu, & Filius tuus, & Servus tuus, & Filia tua, & Ancilla tua, & Levita, & Peregrinus, & Pupillus, & Vidua, qui habitaverint inter portas tuas*. [margin: Deut.16.14] Hinc concludunt, lætitiæ feſtalis quoque participes eſſe faciendos, Peregrinos, Levitas, Pupillos, Viduas, cæteroſque pauperes. Unde in Medraſch ad hunc locum ſcribunt; *Dicit Deus Benedictus; Quatuor domeſticos habeo ego, & quatuor domeſticos habes tu: Exhilara tu meos, & ego exhilarabo tuos*.

Nullæ his diebus celebrantur nuptiæ; ne lætitia feſtalis cum nuptiali commiſceatur: Deſponſatio fieri poteſt, ſed abſque convivio. Non licitum eſt plangere mortuum, jejunare &c. ne lætitia feſti imminuatur vel turbetur.

Si Sabbathum in hos dies incidat, conſueto more celebratur, additis quibuſdam feſtalibus, & vocatur, שבת של חול המועד *Sabbathum profeſti*; non vero שבת בחול, ut ſcribit Scaliger lib. 6. de Emendat. temp. mihi fol. 523. Hæc ratio loquendi nuſpiam apud Hebræos, quod ego putem, occurrit. Unde dubium, an hujuſmodi Sabbathum intelligatur Act. 13. verſ. 42. per τὸ μεταξὺ σάββατον. Forte id non incommode referri poſſit ad Diem Lunæ vel Jovis, quibus etiam Legem in Synagogis legere & exponere ſolebant.

[margin: Septimus dies. Exod. 12. 16.] *Septimus dies* illis iterum juxta Legem ſacer eſt, uti ſcribitur; *Dies prima erit ſancta atque ſolennis, & dies ſeptima eadem feſtivitate venerabilis; nihil operis facietis in eis, exceptis his quæ ad veſcen-*

dum

dum pertinent. Veſperi itaque & mane in ſcholam conveniunt, canunt & precantur, & multo varioque apparatu librum Legis denuo luſtrant, dum ex arca promitur, & in arcam reconditur.

Quia autem ex dubitatione, quiſnam revera primus ſit hujus feſti dies, per biduum a principio feſti ſunt feriati, ut ſupra memoravimus, ac proinde hic quoque, quiſnam revera ſeptimus ſit dies, ignorant, ideo poſtridie adhuc feriantur, & *Octavus dies* æque ſacer illis eſt ac ſeptimus. Tum fermentatum iterum in domum referunt, ut Deus videat, non diutius illos feriari, quam ipſe præceperit.

Octavus dies.

In fine feſti populo vini faciunt הבדלה *Hafdalah* ſeparationem ejus a ſeqq. diebus profanis, eo fere modo, quo ſupra dictum fuit de Sabbatho; niſi quod ſolitam Benedictionem non recitent ſuper Lampadem, neque ſuper Aromata.

Sequens dies *Nonus* etiam ex parte ſacer & feſtivus eſt. Ita enim ſolent feſtis quibuſdam diem adhuc unum annectere, quem vocant אסרי חג *Iſru-chag* quia eſt אסור בחג ודבוק בו *alligatus & annexus* feſto. Deſumunt hoc ex Pſalm. 118. 27. ubi David dicit; אסרו חג, quaſi voluiſſet dicere עשו איסור פעבתים לחג *Facite ligamen feſto, vel appendicem*. Sic feſtum Septimanarum ſeu Pentecoſtes habet etiam *Iſru-chag*. Sic ſcribunt, Jejunium Godoliæ, quod incidit in 3. Septembris, eſſe אסרו חג *Iſru-chag* Novi anni. Vide & cap. ſeq.

dies, Octavus

Viri poſtea tres ferias eſuriales celebrant, duobus nempe diebus Lunæ, & uno die Jovis. Hæc jejunia non celebrant menſe *Niſan*, ob rationem ſupra allatam; ſed in ſequentem rejiciunt. Sic poſt feſtum Tabernaculorum, quod incidit in Tiſri, ſeu Septembrem, id rejiciunt in Octobrem, quia totus Tiſri fere Solennitatibus quibuſdam celebrandis eſt tranſigendus. Alii dicunt id fieri, משום שהאויר משתנה באלו זמנים quod circa hæc tempora (Veris & Autumni) aeris ſint magnæ mutationes, unde Jejunio ſe maceranti periculum valetudinis imminere poſſet. Alii dicunt, ea ob hanc cauſam inſtitui, ut hac ratione pœnitentiam agant, ſi quis forte, præ nimia lætitia, die feſto nimio vino maduerit, vel rite minus feſtum obſervarit. Firmant hanc conſuetudinem exemplo Jobi, de quo legitur, quod, *poſt circumactos ſeptem convivii filiorum ſuorum dies, holocauſta obtulerit, dicens; Forte peccaverunt filii mei*. Quia itaque & hi dies ſunt lætitiæ, idem illis cogitandum, & faciendum. Multas recitant Preces, Deprecationes, hymnos legunt in libro Legis &c.

Tria jejunia celebrant poſt Paſcha.

Job. 1. 5.

A Paſchate ad Pentecoſten numerant 50. dies, ut ſequenti capite dicetur. Vocantur ab illis ימי העומר *Dies* omer vel *manipuli*, vel ימי ספירת העומר *Dies numerationis manipuli*. Ratio hujus appellationis patet ex Levitici 23. ℣. 10. & ſeqq. quia ſcilicet a poſtero die Paſchatis, quo omer ſeu manipulum primitarum meſſis olim offerebant, hos 50. dies numerare incipiunt. Per dies hos uſque ad 33. diem ſatis plerunque triſtes ſunt, nullas nuptias celebrant, capillos non reſecant. Id ſcribunt fieri præſtantiſſimi & doctiſſimi cujuſdam Rabbini cauſa, cui *Rabbi Akibhæ* nomen fuit, & viginti quatuor diſcipulorum millia habuit, qui omnes inter Paſcha & Pentecoſten mortui ſunt, eo quod ſibi invicem inviderent, ſe mutuo ſpernerent, ignominia afficerent, nec ſe invincem, ut jus & æquum poſtulabat, diligerent & colerent. Hi omnes nocturno tempore a mulieribus ſunt ſepulti; quapropter etiam mulieres triginta tribus hiſce diebus, quamprimum Sol occidit, nullum ſuſcipere laborem audent, ſingulis noctibus feriantur, & quieſcunt; præſertim quando dormiunt. Tertio & trigeſimo die, & ulterius, viri cum peculiari ſolennitate tondentur, & apto ornatu componuntur, balnea ſubeunt, convivium ſimul agitant, & priſtinam lætitiam repetunt, eo quod R. Akibhæ diſcipuli eo die mori ceſſaverint. Quidam 34. diem obſervant, eumque ſolum: quia cenſent, illos eo tantum die mori deſiiſſe, ſequentibus diebus plagam rediiſſe.

Cur ad diem 33. uſque triſtentur. Orach chajim numer. 493.

Non immerito dixit Jeſajas: *Neſcierunt neque intellexerunt: obliti enim ſunt, ne videant oculi eorum, & ne intelligant corde ſuo*. Et Chriſtus: *Sinite eos: duces ſunt cæci cæcorum: porro ſi cæcus cæco præierit, ambo in foveam cadent*.

Jeſa.44.18

Matt. 15 14.

CAPUT XX.

De Judæorum Pentecoſte.

Alterum Judæorum feſtum ſolenne, eſt illud, quod Moſi חג שבועות chag ſchevuos, *Feſtum hebdomadum* appellatur, eo quod a Paſchate numerandæ illis erant ſeptem hebdomades, quæ dies novem & quadraginta conſtituunt; Quinquageſimus vero dies feſtus erat, & is quem *Pentecoſten* appellamus de quo ſic ſcribit Moſes: *Numerabitis autem vobis a poſtero die Sabbathi*, h. e. Paſcha-

Pentecoſte.

Lev.23.15. 16.

ſchatis , *a die qua obtuleritis Omer elevationis , ſeptem hebdomades plenæ erunt: Uſque ad poſterum diem Sabbathi ſeptimi numerabitis quinquaginta dies*. Item: *Septem hebdomadas numerabis tibi ab ea die qua falcem in ſegetem miſeris . Et celebrabis diem feſtum hebdomadarum Domino Deo tuo , oblationem ſpontaneam manus tuæ quam offeres juxta benedictionem Domini Dei tui : Et epulaberis coram Domino Deo tuo , &c.* Appellatur etiam *Solennitas meſſis* ; tunc enim incipiebat meſſis: Item *Dies primitivorum*, eo quod novarum frugum primitias Deo in gratiarum actionem offerrent , ut ex Numeris videre eſt.

Deut. 16. 10. Exod. 23. 16. Num. 28. Deut. 26.

Cur vocetur עצרת.

Apud Rabbinos etiam vocatur עצרת *Azeres* Detentio , ſicut dies octavus feſti paſchatis , & feſti Tabernaculorum; & Chaldaica forma עצרתא. Hinc apud Joſephum lib. 3. Antiq. Judaic. cap. 10. recte dicitur , Hebræos illud vocare *Aſarta* ; male vero additur, *a numero* ſic vocari . Non enim dicitur עשרתא, neque ſi ita vocaretur diem quinquageſimum ſignificaret ; ſed עצרתא , quaſi dicas *Diem ſeparatum & ſecluſum* . Dicitur etiam יום מתן תורה *Dies dationis Legis* : quia eam hoc die factam per antiquam Traditionem Judæi habent : quæ etiam communis eſt Patrum Chriſtianorum plerorumque ſententia . In Novo Teſtamento dicitur *Pentecoſte*, ut in Actis Apoſtolorum , & alibi , legitur. Incidit in diem ſextum menſis *Sivan* , qui *Majo* noſtro reſpondet , nec unquam in diem 3. 5. vel 7. hebdomadæ.

Talm. Peſach. fol. 68. Act. 2. 1. & 20. 16. 1. Cor. 16. 8.

Cur non diem 49. ſed 50. celebrare juſſerit Deus ? de eo prolixe differit in libro *Menoras hammaor* , Rabbi Iſaac , Avuhaf : Summa huc redit : quia Numero ſeptenario magnam olim vim & ſanctitatem veteres attribuerint , ſeptem Planetis totius hujus mundi inferioris regimen adſcripſerint , ſecundum eos dies ſeptimanæ , menſes , & annos diſtinxerint , quin & pro Diis coluerint & adorarint : quia etiam Iſraelitæ facile hic labi potuiſſent , frequentem numeri Septenarii mentionem in Lege obſervantes ; veluti Dies ſeptem hebdomadæ perpetuo recurrentes : ſic in quibuſdam feſtis dies 7. obſervandos : in occupatione Jericho *ſeptem Sacerdotes* , *ſeptem tubas*, *ſeptem dies* , *& ſeptimo die ſeptem circuitiones* legentes : apud Zachariam : *ſeptem candelabri lucernas* , *& ſeptem infuſoria* : apud Eſajam : *lucem Solis fore ſeptemplicem* , *ſicut lucem ſeptem dierum* &c. ideo ad hunc errorem e mentibus illorum eximendum , & docendum, omnia ſubeſſe regimini & gubernationi Dei , atque ab ipſo dependere ac provenire , præcepiſſe Legem , circa Dies & Annos , ut feſta figantur non 49. ſed proximo die 50. ut recordarentur , Deum , qui eſt ſuper omnia , regere & movere omnia . Sic Jubileum conſtituiſſe non in ſeptenario ſeptimo , ſed quinquageſimo anno, pro libertate corporum & fundorum; Sic hoc loco , jubens numerare 7. ſeptimanas a paſchate , non tamen feſtum fixiſſe die 49. ſed 50. quia dies illorum primus , fuerit primus libertatis corporalis e ſervitute Ægyptiaca ; dies 50. ſanctus & ſolennis; quod dies datæ Legis fuerit primus manumiſſionis & libertatis ſpiritualis Iſraelitarum , qui antea ſine Lege ſervi fuerint , ſervientes cupiditatibus carnis ſuæ & juxta eas viventes, &c.

fol. 58. col. 4. & ſeqq. Joſ. 6. Cap. 4. Cap. 30. 26

Primum exacta admodum in numerando ſupputatione, quam ספירת העמר *Sephiras haomer* vocant ex Levit. 23. verſ. 15. 16. utuntur . Numerare demum incipiunt ab altera nocte a Paſchate , cum ſtellarum acceſſu , poſt peractas preces veſpertinas, decimo ſexto ſc. menſis Niſan. Numerationi præmittunt in principio hanc precatiunculam ; ב״אי אמ״ה אקב״ו על ספירת העומר שהיום יום אחד *Benedictus tu Domine Deus noſter , mundi Domine , qui nos præceptis tuis ſanctificaſti, nobiſque , ut* עומר *dies meſſis numeraremus, præcepiſti: hodie vero dies eſt primus* . Et in hunc modum ad diem ſeptimum uſque pergunt, quo precatiunculæ ſuæ ſubjiciunt ; היום שבעה ימים שהם שבוע אחד *Hodie vero ſeptem aguntur dies , qui hebdomadam unam conſtituunt* . Octavo die ajunt : היום ח׳ ימים שהם שבוע אחד ויום אחד *Hodie octo aguntur dies , qui hebdomadam unam & diem unum conſtituunt* ; & ita deinceps ad nonum & quadrageſimum uſque, Pentecoſtes nempe pervigilium. Quinquageſimum ipſum non numerant, quia licet dicatur ; *Numerabitis quinquaginta dies* , Levit. 23. 16. præcedit tamen ibidem ; *Uſque ad* poſterum diem &c. Supputatio hæc ab illis ſtantibus ſemper debet fieri, uti Rabbini injunxerunt, illud elicientes ex eo quod dicitur; *Septem ſeptimanas numerabis, ex quo cœperit falx eſſe* בקומה *incipies* quod explicant בקומה *ſtando* . In quibuſdam locis fit hæc Numeratio publice in Synagoga ; ita tamen ut ſinguli patres familias privatim in domo iterare cogantur , ſub veſperam ſingulorum dierum. Unicuique enim hoc officium incumbit, quia dicitur ; *Et numerabitis vobis*. Verum quia ex præſcripto legis feſtum obſervare amplius nequeunt, ideo Deum ſingulis his diebus, poſt

Orach chajim numer. 489.

Quomodo dies 50. a paſchate numerent.

post peractam numerationem, orant, ut Hierosolymam ipsis restituat, templumque instauret, (se enim tunc festum, cum omnibus oblationibus quas lex præcepit, rite observaturos) his verbis; יהי רצון מלפניך יי׳ אלהינו ואלהי אבותינו שיבנה בית המקדש במהרה בימינו ותן חלקנו בתורתך *Sit beneplacitum tuum, Domine Deus noster, & Deus patrum nostrorum, ut domus Sanctuarii cito reædificetur in diebus nostris, & da nobis portionem nostram in Lege tua*. Scribunt insuper Deum ideo præcepisse, ut numerarentur dies ad festum hebdomadum sive messis, quia singuli eo tempore, dum adhuc in patria sua essent, variis agrestibus negotiis occupabantur, omnesque se ad messem præparabant; atque ita facilime potuissent festi oblivisci, nec Hierosolymam pergere, ibique Deo frugum primitias, uti præceperat, offerre. *Similitudo præterea* (Scribunt) *est a rege desumta, qui urbem ingreditur, in qua princeps captivus detinetur, qui liberari a rege postulat: rex vero respondet; Hinc ad certum hebdomadarum numerum liberaberis, tibique filiam meam in uxorem dabo. Tum captivus omnes dies, septimanas & horas numerare incipit, donec dies a rege præstitutus advenerit; Ita Deus sese cum Israelitis gessit: quum in Ægypto captivi adhuc detinerentur, sic illos compellavit; Vos brachio extenso ex Ægypto educam, & a paschate septem hebdomadas numerabitis, tum enim vobis etiam filiam meam sacrosanctam Legem in uxorem dabo*. (Ab hac uxore statim defecere Judæi & turpi se adulterio polluerunt, uti Moses cæterique Prophetæ omnes de illis sunt conquesti.) Mulieres dies istos, eo quo diximus modo, numerare non tenentur, quia præceptum hoc certo & statuto tempori alligatum est; ab ejusmodi autem præceptorum observatione mulieres sunt immunes.

Minhagim R. Isaac Tirna, fol. 20. col. 2.

Pridie Pentecostes nemo venam sibi incidi permittit. Scribunt enim in Talmude & in suis Ritualibus, *hac die gravem valde & noxium coortum esse ventum, qui* טבוח Tavoach, id est, *Mactator aut Carnufex appellatus fuerit, quique totum Israelem perimere debebat, si legem, quæ postridie data est, sponte & lubenti animo non admisissent*. Hujus rei causa sanciverunt Rabbini, ne in ullius festi vespera vena secetur.

Tractatus de Sabbatho cap. 8. circa finem.

In Pentecoste per biduum quoque feriantur, dubii illius causa, cujus in paschate meminimus; idque eodem modo quo pascha & Sabbathum celebrant, ab omni labore abstinendo; excepto quod focum struere, coquere, & aliquid de uno loco in alterum portare licet.

Pentecosten per biduum feriantur.

Non multis autem utuntur cæremoniis, idque præsertim propter oblationes: bis librum Legis ex arca promunt, quinque viros advocant, quibus capita & statuta aliquot de Oblationibus, quas hoc festo offerre soliti erant, sunt legenda, & *Haphtara* ex Prophetis. A meridie aliquando Concio habetur in laudem Legis. Legunt etiam hoc die libellum Ruth, quia illa historia contigit tempore messis triticeæ.

Verum in memoriam acceptæ Legis, domos, plateas, scholam herba sternunt, fenestras passim ramis virentibus, rosis & aliis floribus obtendunt, corollas virides capitibus suis imponunt, eo quod circa montem Sinai omnia viruerint, quum legem acceperunt: quia Exod. 34. 3. ubi Moses jubetur montem conscendere ad accipiendam Legem, scribitur: *Nec pecus, nec bos pascent e regione montis hujus*. Unde concludunt; pascua viridia tum illic fuisse. Quando dies pentecostes incidit in primum Septimanæ diem; sternuntur istæ herbæ & flores sub ingressum Sabbathi.

Ramis virentibus omnia sternunt.

Multos quoque cibos Lactarios, ut scriblitas vel liba, & alia id genus e lacte confecta, edunt; quia Lex quam eo die acceperunt, candida, pura, & dulcis instar lactis fuit. Probationem hujus rei Cabalistæ afferunt ex eo, quod ubi Lex dicit, In die primitiarum, cum offeretis *munus* חדשה ליי׳ בשבעתיכם *novum Domino in Pentecostis vestris*, literæ initiales trium harum vocum faciant, חלב *Lac*. Inter alia altam & crassam Scriblitam, eamque septemplicem, faciunt, quam *Scriblitam montis Sinai* appellant, in memoriam septem cœlorum, quibus Deus a monte Sinai est delatus. Nihilominus tamen unusquisque & vino generoso & carne instructus quoque esse debet, כי אין שמחה בלא בשר *Mensa enim absque carne, lætitia caret*. Jam vero de hoc festo dicitur; *Epulaberis & lætaberis coram Domino Deo tuo, tu, filius tuus, & filia tua, &c.*

Cibos lactarios comedunt.

Sub vesperam secundi diei faciunt הבדלה Separationem festi, ut supra dictum.

Sequens dies est אסרו חג *Isru chag* Appendix festi, & quoque feriatus, de quo etiam sub finem præcedentis capitis dictum. Vocatur etiam יום טבוח *Dies mactationis*; quia eo die olim mactabant קרבנות ראייה וחגיגה oblationes eorum, qui Hierosolymam veniebant, in triplici illa, secundum tria festa, comparitione, quæ ipsis mandata fuit: quia ceu קרבנות יחיד oblationes privatæ, ipso die festo

festo mactari non poterant. Jejunia & planctus mortuorum hoc die prohibentur, quia habetur pro יום טוב Die bono & hilari. Olim stante Templo, si dies Pentecostes incidit in Sabbathum, non solebant sequentem diem celebrare, sed permittebant tum jejunia, tum planctus; idque propter Sadducæos, ne viderentur eorum sententiam approbare, qua statuebant, Pentecostis diem semper incidere in crastinum diem Sabbathi, seu primum Septimanæ. Sic enim explicabant locum illum; *Numerabitis vobis a crastino Sabbathi*; nempe proprie sic dicti, non Festi. (De hac illorum sententia videantur ea quæ observavimus in Notis ad librum Cosri pag. 218.) Itaque ne Rabbanitæ idem sentire viderentur, quando Pentecoste incidit in diem Sabbathi, fecerunt sequentem diem חול Communem & prophanum. Hoc vero tempore, ubi nulli inter ipsos sunt Karræi, id non observant, sed semper eum diem faciunt feriatum, sive incidat in Sabbathum, sive in alium septimanæ diem; scribit R. Mordechai Japhe, in לבוש החור Num. 494. §. 3.

Lev. 23. 15

Quid vero dixere Prophetæ de piis hisce Judæis, quibus Lex in sponsam & uxorem est data?

Jesa. 24. 5. Jesajas: *Terra infecta est ab habitatoribus suis: quia transgressi sunt legem, mutaverunt jus, dissipaverunt fœdus sempiternum*. Item: *Sacerdotes ejus*, inquit Deus per Ezechielem 22. 26. *contempserunt legem meam, & polluerunt sanctuaria mea*.

Actor. 14. Stephanus: *Duri cervice, & incircumcisi corde & auribus, vos semper spiritui sancto obnitimini, sicut patres vestri, ita & vos: legem accepistis per dispositionem Angelorum, nec servastis eam*.

CAPUT XXI.

Quo pacto Judæi Festum Tabernaculorum observent.

Tabernaculorum festum.

Tertia solennitas, ad cujus celebrationem Judæi singulis annis Hierosolymis comparere debuerunt, *Tabernaculorum* est solennitas, ut in Deuteronomio scribitur: *Tribus vicibus per annum apparebit omne masculinum tuum in conspectu Domini Dei tui, in loco quem elegerit, in solennitate Azymorum, & in solennitate Hebdomadarum, & in solennitate Tabernaculorum*. Hoc festum celebrare jussit Deus a quinto decimo die mensis septimi, juxta supputationem anni festorum, qui a Martio, uti supra diximus, incipit; & ita septimus mensis in Septembrem incidit, qui ideo etiam a numero September Latinis dicitur: Alioqui hic mensis Judæis, juxta æram qua annos suos supputant, primus est mensis, ut fusius postea docebitur.

Deut. 16. 16.

Lev. 23.

Finis & scopus hujus festi.

Finis & scopus erat, ut filii Israel secum in animo considerarent & perpenderent paternam Dei curam, qua populum Israel, cum ex Ægyptiaca servitute egrederetur, per quadraginta annos in deserto, absque domibus, quas inhabitare possent, conservarit, & toto illo tempore Nube gloriæ suæ miraculose obtexerit, ne æstus Solis illis noceret, & ut ab omnibus quoque insidiis tuti essent. Illam etiam tabernaculo similem fuisse, & adversus omnem tum aeris, tum ferarum, tum hostium vim, contexisse. Hinc scribitur: *Et habitabitis in umbraculis septem diebus: omnis qui de genere est Israel, manebit in tabernaculis, ut discant posteri vestri, quod in tabernaculis habitare fecerim filios Israel, quum educerem eos de terra Ægypti*.

Exod. 13. 11.

Cur vero mense Septembri festum hoc celebrandum instituerit, cum tamen Martio egressi essent, & statim postea dicatur; *Et Dominus præcedebat eos interdiu in Columna nubis, &c.* Ad hoc respondent; Deus id ideo fecit, quod tum inceperint dies Æstivi, quibus communiter omnes solent tabernacula facere, pro umbra captanda adversus ardorem Solis. Si itaque tum istud festum celebraretur, non agnosceretur, quod ex singulari præcepto Divino, & in hujus beneficii memoriam, tabernacula exstrueremus, & inhabitaremus. In mensem ergo Septembrem id rejecit, quo tempus est frigoris & pluviarum, & vulgo omnes e tabernaculis exire, & in ædes suas atque hypocausta se conferre solent. Sic enim palam fit, nos non commoditatis nostræ causa, vel ex communi consuetudine, sed ex mandato Dei, eo tempore e domibus nostris in tabernacula migrare; in Miraculosi beneficii memoriam. Et hanc ob causam præcepisse quoque ajunt, ut die 15. mensis celebrare inciperent; quod die 15. ex Ægypto egressi essent, & initium Nubium eos protegentium & comitantium, eodem quoque die fuerit, per septem, hoc est, singulos septimanæ dies celebrari voluisse, ut monerentur, Miraculosa Dei beneficia, omni tempore, & singulis diebus, memori mente recolenda esse.

Tabernacula quomodo olim fiebant.

Tabernacula olim fiebant e ramis pulchrarum virentium arborum, quales sunt arbores omnes oleosæ, oleæ, myrti, arbo-

bores coniferæ, & aliæ ejusmodi, quæ propter pinguedinis & olei copiam diu virent. Hoc verbis istis innuitur: *Sumetisque vobis die primo fructus arboris pulcherrimæ, spatulasque palmarum, & ramos ligni densarum frondium, & salices de torrente.* Hæc paulo magis perspicue & dilucide indicantur in libro Nehemiæ, hisce verbis: *Et prædicarunt & divulgarunt vocem in universis urbibus suis & in Jerusalem, dicentes, Egredimini in montem: & afferte frondes olivæ, & frondes arboris resiniferæ, frondes myrti & ramos palmarum, & frondes ligni nemorosi, ut fiant tabernacula, sicut scriptum est: Et egressus est omnis populus, & attulerunt, feceruntque sibi tabernacula, &c.* Hinc videre est, priscis temporibus ex istiusmodi ramis facta fuisse tabernacula, in quibus per octiduum manebant: præterea, eos pluribus ad id speciebus fuisse usos, quam quatuor illis, quæ in Levitico recensentur; adde quod hic apud Nehemiam *Salicum torrentis* nulla mentio, quibus tantum utebantur ad ramorum tabernaculis exstruendis compactionem & colligationem: ac sane singuli per se facile intelligere poterant, ejusmodi ædificium id genus vinculis componendum, compingendum & coagmentandum esse.

Lev. 23. 40.

Neh. 8. 15.

Superstitio Judæorum.

Quapropter toto cœlo aberrant hodie Judæi, qui omnino superstitiose quatuor illis speciebus, quæ apud Mosem in hujus festi descriptione recensentur, adhærentes, illis ad tabernaculorum exstructionem non utuntur, sed in longe alium usum, ut mox docebitur, convertunt.

Ingens in Talmude de hoc festo tractatus habetur; Quo pacto Tabernacula exstrui debeant? Qua ratione quatuor illis speciebus sit utendum? Quomodo rite sit celebrandum & observandum? de externis cæremoniis subtilissime pro more suo disputant, parum interea, de cordis ad Deum præparatione, solliciti. Et quamvis hoc festo multas preces deblaterent, nulla tamen attentio, nulla pietas in iis conspicitur, præcipiti festinatione ita eas deproperantes; adeo ut si quis mille voces uno spiritu effunderet, in summo apud illos duceretur artificio.

De Tabernaculorum structura.

Tabernacula exstrui debent *sub cœlo aperto*, non sub pergula, tecto vel arbore, erigenda: omnibus etiam in libero aere sub illis est sedendum, nec sive pluat, sive frigido perflentur aere, ostia sunt claudenda: Si Tabernaculum sit sub tabernaculo alio, superius legitimum est, inferius illegitimum. Arguunt hoc ex eo quod scriptum est, בסכת תשבו (*In Tabernaculis habitabitis*) hic ajunt, בסכת scribitur defective sine Vau pluralis numeri nota, ut indicetur, תחת סכך אחד *Sub tecto uno* esse sedendum, non vero sub Tabernaculo, quod sit sub Tabernaculo alio: Exstruenda etiam sunt in *loco amœno*, non inamœno & fœtente (qualia loca amœna & suaveolentia cernere est Francoforti in Judæorum platea) ne fœtor eos inde extrudat: *Tectum ex meris ramis viridibus*, ab arbore tamen avulsis, debet confici, non asseribus, aut aliis similibus. Arguunt hoc inde, quod dicitur; *Festum Tabernaculorum celebrabis septem diebus*, באספך מגרנך ומיקבך *colligendo de area tua, & de torculari tuo.* Hinc dicunt colligi, illos nullum aliud Tabernaculum debere habere, quam quod constet ex rebus e terra germinantibus, ab ea tamen avulsis, quæ non recipiant immunditiam. Has enim proprietates habere collectanea ex area & torculari. Hinc neque Vitium propaginibus, neque Cucurbitis est obtegendum, nisi sint abscissa, & quidem hoc ipso fine: quia haberent speciem arboris. *Rami hi non nimis dense debent compingi*, sed ita, ut Stellarum aspectus non tollatur; & ut צלתו Obumbratio ejus major sit quam חמתו Calor ejus: nam, si contrarium esset, finis & usus Tabernaculi tolleretur. *Latera* seu *Parietes* ejus (Hebr. דפנות) non ita strictas leges habent, quia de illis nihil in specie præcepit Legislator, sed tantum de סכך *Obtectione*, seu ea ejus parte quæ tegit; parietes autem non vocantur סוכה *Tegumentum*, *Tectum*. Hinc ex quavis re, etiam in superioribus prohibita, possunt fieri; modo non sit talis, quæ odorem emittat fœtidum, qui homini sit molestus, & causetur, ut Tabernaculum deserat; non item ex iis, quæ nimis cito arescunt, sed per 7. dies virorem aliquem retinent. *Altitudo Tabernaculi*, sive magni sive parvi, non debet excedere viginti cubitos; quia non debet esse instar domus, sed vagi tugurii, nec humilius, quam decem palmorum seu spithamarum. *Amplitudo ejus* minimum debet continere 7. palmos in longitudine & latitudine, nec angustius. Judæi ditiores *tapetibus* etiam obtendunt, ea tamen ratione, ne parietum vicem subeant. & ornatui tantum, non usui serviant. Desuper quoque pulchros fructus tecto alligant, ut Mala citrea & aurea; sæpe Cucurbitis tantum utuntur, quia illa cariora sunt, quam ut a quovis comparari possint.

Lev. 23. 42.

Deut. 16. 13.

Mulieres non tam exacte ac viri ad Tabernaculorum horum inhabitationem obligantur; כי כל מצות עשה שהזמן מרמן

Mulieres ab hoc præcepto liberæ sunt.

נרמרה ושים פטורות מהן *Præcepta enim affirmativa (ut ſæpius jam dictum) certo tempori alligata , mulieres obſervare non tenentur*. Eadem eſt ſervorum & ancillarum ratio .

Pueri quatenus de eo teneantur.

Pueri qui rationis uſum aliquem jam habent, & matrum ope carere poſſunt, quinque ſcil. vel ſex annorum , ex ſtatuto Rabbinorum , de hoc præcepto tenentur, ut mature Præceptis Divinis imbuantur , & eorum obſervationi aſſuefiant .

Per hos ſeptem dies Tabernaculum eſſe & ſervire debet loco habitationis ordinariæ ; & Domus cujuſque cenſebitur עראי כרירת tanquam habitaculum accidentale & extraordinarium. Exemti vero ſunt ægroti , & qui horum curam agunt ; & quidem non ſolum de vita periclitantes , ſed & alii , veluti dolore capitis , oculorum , dentium &c. laborantes ; quia ex frigido & humido aere facile majus malum ipſis oriri poſſet. Qui in Lege ſtudent , etiam non tam rigide ad illa ſunt adſtricti . Qui venam ſecat, prandium venæ-ſectionis in Tabernaculo celebrabit .

Quiſque operam dabit , ut re ipſa oſtendat , non moleſtum , ſed charum & gratum ſibi eſſe Tabernaculum : hinc & toto corpore intra illud ſedebit , menſam ſuam in eo ſternet , edet , bibet , ſcribet &c.

Vel frigoris vel pluviæ cauſa non eſt temere e Tabernaculis fugiendum . Si tamen imber nimis copioſus ingruat , ut ſtillæ intra ipſum Tabernaculum penetrent , atque adeo etiam in cibos decidant , exire licet : quia per hoc homo מצטער dolore & mœſtitia afficitur; והמצטער פטור talis autem a præcepto liber eſt. Ita ſi Frigus intenſius urgeat, quo cibi pingues ſtatim congeleſcant , ut edi non poſſint in Tabernaculo, permittitur eos domi calidos comedere.

Si quis in Tabernaculo per noctem dormiat , & vi nimborum ac pluviarum id deſerere cogatur , non egredietur cum ſtomacho , & impatienter , ſed modeſte & humiliter כעבד שמוזג לו כוס לרבו ורבו שופכו לו על פניו *inſtar ſervi Domino ſuo poculum infundentis , cui Dominus illud in faciem projicit* ; cogitans, Deum iratum eſſe , nec velle , ut præcepta ſua tum obſerventur.

Licitum eſt habitare in Tabernaculo vel commodato ſumto , vel conductitio ; in eo item quod quis cum alio commune habet.

Opera danda , ut ſint quam compoſitiſſima , & ornatiſſima : ita etiam bene compacta & coagmentata , ut venti communis impetum ſuſtinere poſſint.

Porro legitur in Levitico; *Et ſument* פרי עץ הדר *fructum arboris pulchræ* , כפת תמרים *frondes palmarum*, וענף עץ עבות *& ramum arboris denſæ* , וערבי נחל *& ſalices torrentis , & lætabimini coram Domino Deo veſtro ſeptem diebus* ; nullum dubium eſt quin harum plantarum ideo hic mentio fiat , quod ex illis Tabernacula exſtruenda fuerint , uti ex libro Nehemiæ patet , loco quem ſupra allegavimus ; Judæi autem hæc aliter explicant , & alior ſum trahunt.

Lev. 23. 40. Ex quibus frondium ſpeciebus conſtrui debeant.

Cap. 8. 15.

Quatuor ſpecies commemoratas volunt eſſe ſequentes ; 1. פרי עץ הדר de אתרוג ſeu *Malo citreo* exponunt , ſeu de Ramo citri una cum foliis & fructibus , eoque adhuc virente , non arido , humore omni exhauſto , & , quam fieri poteſt , ſpecioſo ; quia enim ſcriptum eſt *Arborem decoram* , non , *Fructum decorum* , hinc diſci , intelligendum eſſe *Fructum decorum in ligno ſuo* . Hujuſmodi Ramos citreos cum malis caro quotannis pretio emunt , ſi elegantes habere poſſint , & ſæpe pro uno tali Malo citreo aliquot Thaleros ſolvunt . Quidam expreſſe hoc nomine in Hiſpaniam proficiſcuntur , & quantum plurimum poſſunt , inde efferunt , poſteaque per totam Germaniam , ubicunque Judæi degunt , diſtrahunt . 2. Per כפות תמרים intelligunt *Frondes* vel *Spathulas Palmarum* , quæ Rabbinis dicuntur לולב Lulaf. Scribunt , præſtantiſſimum eſſe , ſi *Surculus* , vel *Germen* tenerum ſumatur , quod jam folia protruſa habet , ſed adhuc cohærentia & conjuncta , nondum plene aperta & a ſe invicem ſeparata . 3. Per ענף עץ עבות *Ramum Arboris denſæ* , dicunt intelligendum eſſe *Myrtum* , quod ea foliis & ramis ſit denſiſſima . *Denſum* autem germen tum dici , quando tria ad minimum folia ex uno nodo protruduntur æqualiter & in circulum , ita ut nullum depreſſius ſit altero , & totam ejus circumferentiam tegant : quod ſi duo fuerint æqualia , & tertium vel ſuperius , vel inferius , hoc non eſſe עבות *Denſum* , ſed vocari הדס שוטה *Myrtum fatuam* . Per ערבי נחל intelligunt *Salices*.

Has quatuor ſpecies in hoc feſto ſibi omnes Judæi comparare tenentur , ſiquidem eas habere poſſint ; quia dicitur ; *Et accipietis vobis* ; quiſque ſcil. veſtrum . Neque licet illis uti commodato ſumtis , maxime die feſti primo ; multo minus furto alii ablatis , aut raptis.

Hodie tamen, quia Virgæ Citreæ cum foliis & fructibus in his terris ſunt rario-

riores & cariores, quam ut a ſingulis comparari poſſint, publico Synagogæ nomine unam emunt omnium nomine, qua omnes, qui volunt, uti poſſunt. Ramus myrti & ſalicum, ad minimum debet habere longitudinem trium palmorum; Ramus palmæ, quatuor palmos, præter folia, quæ ſupra adhuc in altum aſcendunt, ut reliquas duas ſpecies palmo ſuperet, & ſic aptus ſit ad concuſſionem, de qua mox.

Has ergo ſingulas ſpecies accipiunt; Spathulam palmæ unam (quia ſcriptum eſt כפת, cum deficiente Vav, qua ratione legi poteſt ſingulariter כפת;) Ramum unum citreum, (quia ſcriptum eſt ופרי *Et fructum*; ſingulariter) tres ramos Myrti (quia tribus vocibus de Myrto utitur Scriptura) וענף עץ עבות; Salices plures, minimum duas (quia pluraliter dicitur וערבי *Et ſalices*). Spathulam palmæ ſeparatam relinquunt; cæterarum trium ſpecierum virgas vel ramos ſolide compingunt & conſtringunt viminibus ſalicum, in אנדה *Faſciculum* unum: quem communiter vocant לולב *Lulaf*, a primaria ſpecie: quia Palma reliquas magnitudine, & altitudine ſuperat in faſciculo: ſuper *Lulaf* etiam eandem ob cauſam Benedictionem recitant: quando & quoties iis utuntur, dextera manu tenent *Lulaf*, ſeu Faſciculum; ſiniſtra, malum citreum. Quomodo ea agitent & concutiant, infra dicetur: Primo fit concuſſio verſus Orientem, tum verſus Meridiem, dehinc verſus Occidentem, poſtea verſus Septentrionem, denique ſurſum & deorſum. Faſciculus hic, ne exareſcat, poteſt a mulieribus in aquam ſingulis diebus reponi; ita tamen, ne aqua primo adhibita mutetur, & alia uſurpetur; poteſt autem ſubinde primæ aquæ recens affundi.

לולב Lulabh quid?

Ut has ſpecies quatuor quiſque hoc feſto comparet, nulli pecuniæ parcendum eſt.

Faſciculi hi & eorum concuſſio fit in ſignum ſingularis lætitiæ, quam Deus imperavit, dicens; *Et lætabimini coram Domino Deo veſtro ſeptem diebus* &c.

Myſteria ſub his 4. ſpeciebus latentia.

Magna in quatuor iſtis ſpeciebus latitant arcana: Ex. gr. *Palmæ ramus* falſos Judæos denotat: Quemadmodum enim Palma pulchra quidem eſt & decora, ſed fructum profert inſipidum & inolentem: ſic eadem eſt illorum ratio, qui Legem quidem habent, ſed nullos bonos fructus & opera proferunt. *Mala citrea* Juſtos & pios deſignant. Non ſecus enim ac genus hoc Malorum pulchrum eſt & ſpecioſum, ſed optimi ſimul & ſuaviſſimi odoris: ſic quoque ſunt Pii, qui Legem habent, & una bonos fructus proferunt, dum præcepta obſervant. *Myrti* ſuave quidem olent, ſed ſunt infructiferæ: ſic ſunt quidam, qui quamvis careant Lege, bona tamen opera præſtant. *Rami ſalicum* Impios denotant, qui & Lege & bonis operibus deſtituuntur, inſtar ſalicum, quæ nec odorem ullum gratum exſpirant, nec ullum bonum fructum proferunt, &c. Quod poſtremum de Chriſtianis intelligunt, qui Lege & Verbo Divino carent; Judæis ſiquidem ſolis Lex data eſt, ac proinde Chriſtiani, ſi recutitis fides adhibenda, nullum bonum opus præſtare poſſunt. Ideo etiam R. Bechai in libro ſuo, quem *Cadum farinæ*, inſcripſit, ait, *Quatuor has ſpecies, quatuor Imperia ſeu Monarchias denotare, Babylonicum, Perſicum, Græcum & Romanum: & per Salices Romanum Imperium ſignificari.*

Capite Lulaf. pag. 4.

Nullus Judæus debet ullam harum ſpecierum abſcindere ex horto vel fundo של גוי alicujus chriſtiani: משום רסחם נוים גזלנים הם quia נוים *Chriſtiani* habentur pro raptoribus, & rapiunt a ſe invicem; & ſic facile fieri poſſet, ut faſciculum hunc ex rapto concinnaret, quod eſt prohibitum. Chriſtiani tamen opera uti licet in conſtruendo Tabernaculo.

Feſtum hoc per octiduum durat.

Feſtum *per octiduum* durat, ex quibus duo primi tantum dies & duo poſtremi illis omnino ſunt feſti; intermedii vero חול המועד dimidia tantum ex parte feriati.

Decimo quarto die ſub veſperam in ſynagogas ſuas conveniunt, & juxta ordinem, qui in Ritualibus eorum & Precum libellis conſpicitur, ad noctem uſque canunt & orant. Tum demum tabernacula ſua e frondibus petunt, paterfamilias orationem recitat, feſtum, & tabernacula conſecrat, Deo gratias agit, quod præ omnibus gentibus fuerint electi, exaltati, & ſanctificari, ſibique tabernaculorum inhabitatio fuerit injuncta. Poſtea in tabernaculis ſuis cœnant, & læti admodum ſunt. In tabernaculis ſane illis etiam pernoctandum foret: verum hoc nimis hodie incommodum eſt ipſis, neque niſi a rigidioribus zelotis obſervatur, propter frigus, loci humiditatem, aliaque quæ gravia ſunt & moleſta. Vulgo itaque domos ſuas repetunt, & in ſolitis cubilibus dormiunt, idque commodius eſſe comperiunt. Qui in eo pernoctat, lecto utatur oportet, qui nullum prorſus cœlum ſeu tectum habeat: quia ſi haberet, Lectus per ſe eſſet tabernaculum; Maritus cum uxore ſi ibi pernoctent, debent tabernaculum majus, & in eo ſeparatum conclave habere.

Die

Primus dies.

Die decimo quinto summo mane in Scholam redeunt, canunt & multum precantur, sed non ex animo. Ubi vero præcentor devenit ad precatiunculam שים שלום *Domine da pacem, &c.* singuli fasciculum e palmarum, olearum & salicum ramis, (de quibus infra dicetur) dextra capiunt, sinistra vero malum citreum; (*fructum* nempe *arboris pulcherrimæ*, ut in textu habetur), & ajunt: ב״אי א״מה אק״בו על נטילת לולב *Benedictus tu Domine Deus noster, mundi Domine, qui nos præceptis tuis sanctificasti, nosque palmæ fasciculum gestare jussisti*; & cum dicto fasciculum illum adeo concutiunt, ut magnus strepitus edatur, juxta id quod Scriptura loquitur; *Tunc exultabunt omnes arbores sylvæ:* fasciculum postea ter a fronte Orientem versus propellunt, ter versus Meridiem, ter a tergo supra humeros Occidentem versus, ter in sinistram partem Septentrionem versus, ter denique sursum & deorsum, non secus ac lanista qui frameam contorquet; ad cæteras deinde preces pergunt, mox iterum fasciculum concutiunt, hac ratione ostendentes, se undique peccatis superiores esse, & fasciculorum strepitu Satanam adeo perterrefecisse, ut miser ille & meticulosus eos peccatorum accusare amplius non audeat. Confestim dehinc aliquis abit, & librum Legis ex arca promit ac suggesto imponit, cunctique suggestum cum fasciculis & malogranatis suis circumeunt, idque per totos illos septem dies, & in memoriam ejus, quod septies olim Hierichuntem filii Israel circuivere, unde factum, ut tandem muri conciderint, & urbs expugnata fuerit. Pariter itaque magnam etiam spem concipiunt, fore ut Romani Imperii muri aliquando concidant, & Judæi Christianorum potiantur, ut expresse in hanc sententiam scribit Rabbi Bechaj: וההקפה שאנו עושין בזמן הזה הוא סימן ורמז לעתיד שתפול חומת ארום ויהיו כלים ואובדים מן העולם שכן התנבא דניאל על החיה הרביעית וכו׳ *Suggesti circuitus hodiernus in festo tabernaculorum, signum est & portentum in futurum tempus, ruituros scil. muros Edom* (hoc est Romani Imperii) *& omnes Idumæos perituros, & ex hoc mundo exterminandos, ut Daniel prædixit de quarta bestia* (qua Imperium Romanum designatur) *hisce verbis*: Et vidi interfectam esse bestiam, & perisse corpus ejus, & traditum esse ad comburendum igni. Tunc lætabitur Sion, lætabitur Jerusalem, quæ desertæ appellantur, *uti scribitur:* Sion deserta facta est, Jerusalem desolata est. *Et alibi quoque ait Sanctus Propheta Jesajas; Sionem lætaturam, Jerusalem exultaturam propter ultionem & pœnam qua afficietur Edom* (hoc est, Romanum imperium) *ubi scribit*: Lætabitur deserta & invia, & exultabit solitudo &c. *Hactenus Rabbi Bechaj.* Ex quo videre est, quam bene in hoc festo erga Christianos sint animati. Sed in Precum suarum libellis longius progrediuntur, dum precibus a Deo optant, *ut nos ea ratione percutiat, qua primogenitos olim in Ægypto percussit*, ut videre est in Prece cujus initium est, אנא הושיעה נא; ubi expresse dicunt; תכה אויבינו כמכת בכורים ותענה וכו׳ *Percute inimicos nostros ut Ægyptiorum primogenitos percussisti, & eos deprime, &c.* Hic enim per *Inimicos* nullos alios intelligunt, quam eos, sub quorum potestate captivi detinentur. Sed de his rebus, aliisque ejusmodi quamplurimis, peculiari tractatu, Deo volente, agetur.

Fasciculus ramorum!

Psal. 69. 12.

Concussio fasciculorum.

O meticulosum diabolum!

Kad hakkemach. pagina 51. 52.

Dan. 7.11.

Jesa. 64.10

Jesa. 35.1.

In Machsor Cracoviæ impresso.

A prima hac fasciculi concussione ad preces redeunt, & aliquoties adhuc fasciculum concutiunt, duo volumina Legis ex arca promunt, & aliquid in illis, magna quidem pompa, sed parva attentione, legunt; cum eo suggestum circumeunt, fasciculum suum manu tenentes, & in arcam eum reponunt. Et hoc per singulos septem dies observant. Circumitionem hanc scribunt esse signum lætitiæ, & fieri in memoriam, quod olim, stante Templo, circuiverint altare cum spathula palmæ, & salicibus, septem vicibus.

Secundus dies.

Postridie eadem omnino ratione feriantur qua pridie, non quidem ex legis & mandati Divini præscripto; verum quia in dubio sunt, nec exacte hodie vel supputare vel rescire possunt, quisnam sit decimus quintus Septembris dies, biduum itaque loco unius diei feriantur. Noctu quilibet paterfamilias precatiunculam recitat, qua festum a diebus profestis separat, & Deo gratias agit, quod tam bene festum observarint.

Quatuor seqq. dies.

Quatuor subsequentes dies sunt חול המועד h.e. dimidia tantum parte feriati, multum rursus canunt & precantur, singulisque diebus multo apparatu fasciculos suos concutiunt. Si in hunc diem Sabbathum inciderit, inter alia particulam ex Ezechiele Sabbatho legunt, de horrendo bello Gog & Magog, credentes & scribentes, Gogum hoc mense tempore futuro interfectum iri; se vero liberandos, & in terram suam deducendos.

Septimus dies.

Orach chajim n. 664.

Dies *septimus* iterum sacer est, & appellatur ab illis הושענא רבא *Hoschana rabba*, id est, *Summo adjuva auxilio*. Præsentissimum enim & valentissimum adversus hostes suos a Deo auxilium implo-

plorant, prosperumque & fertilem annum exoptant; nam primus hujus mensis dies revera primus est Anni, juxta quem annos computare solent. Quidam ob magnam hujus diei sanctitatem, summo mane ante lucem, vel frigida vel calida lavantur, in scholam se conferunt, multas candelas accendunt, strenue canunt & precantur, multo magnoque apparatu septem Legis exemplaria ex arca promunt (in Polonia omnia promuntur, & si septem millia adessent, nihilominus arca evacuanda foret) suggesto imponunt, septies cum suis fasciculis, qui recentibus salicum ramulis ornati sunt, suggestum circumeunt, recitant Psalmum 28. & singulis vicibus exemplar unum Legis acceptum in arcam recondunt: Præter Salices illas, quæ sunt in fasciculo *Lulabb*, sumunt adhuc unam virgam salignam, ejusdem magnitudinis cum ea quæ est in *Lulabb*, neque licitum est ei aliquam cæterarum specierum addere: non etiam sufficit Virga saligna quæ est in fasciculo *Lulabb*, licet eam bis elevet & concutiat, semel nomine τῶ *Lulabb*, & semel nomine Salicis hujus. Hanc Virgam Salignam, (Heb. ערבה) vocant הושענא *Hosanna*; quia super ea recitant הושענות (preces sic dictas, quia hæc vox subinde in illis recurrit, & singulæ ea terminantur).

Levusch Num. 664. §. 2. 5. 6.

Hoc die dicunt Deum obsignare Judicium, quod de singulis hominibus tulit diebus Novi anni, & Die expiationum, qui hoc festum præcedunt. Hinc scribunt Ramban, Rakanat, Bechaj, & complures alii Rabbini, in decimum quartum Numerorum; *Deum hac septima nocte per Lunam totius anni eventa indicare*; Nempe noctu ad Lunæ radios pergunt, quidam aperto tantum capite, quidam cum solo indusio, vel etiam nudi, lecticaria sindone involuti, quam cadere sinunt, brachiaque & manus expandunt: si cui in umbra desit Caput, in capitis venit discrimen qui hoc experitur, & signum est, hoc ipso anno illi moriendum esse; si defuerit Digitus, amici mors portenditur; si manus dextra, filius; si sinistra, filia cum morte vitam commutabit; si nullam omnino umbram viderit, naulum Charonti præparet: nulla enim omnino mortis vitandæ spes est, &, si iter facere constituerit, signum est, nunquam domum reversurum, &c. Hoc Rabbini ex hisce Numerorum verbis demonstrant; *Recessit ab eis umbra eorum*. Scribunt vero, non intelligi de umbra simplici, eo quod fieri non possit, ut quis ad splendorem Lunæ suam umbram non videat; sed de umbra umbræ. Si enim recte attendatur, duplicem observari umbram, quarum altera sit a reflexione umbræ prioris, Rabbini vocant בבואה דבבואה *Babbuah debabbuah* Umbram Umbræ. Sub finem tamen hujus historiæ in Gemara legitur; *Illum etiam, qui se hac nocte ad lunæ radios non contemplatus fuerit, nihilominus Judæum esse*.

Quomodo ex Lunæ radiis eventura sibi divinent.

Num. 14. 9

Talm. Kerito h fol. 6. 1.

Scribunt præterea, Deum hoc die concludere & statuere, quantum per totum annum debeat pluere, ac proinde etiam, num fertilis vel infertilis futurus sit annus, num annonæ vilitate vel incendio laborabitur. Hinc multas admodum concipiunt preces, ad bonam & fœcundam pluviam impetrandam.

Et hanc quoque causam esse dicunt, quod Deus illis ad lunæ radios, quod morituri, & quot viventes cibo opus sint habituri, offendat. Si enim multi mori debeant, annona ingravescet: propter summam enim sterilitatem & frumenti penuriam, pauci sustentari poterunt. A meridie hypocausta sua & domos iterum parant; noctu tamen adhuc in tabernaculis cœnant, domum postea repetunt, & in ædibus suis dormiunt: De hoc die septimo ego putarim potius intelligendum, quod Joh. 7. 37. dicitur; *In ultimo illo die magno festi*; quam de Octavo, ut alii: nam septimus reipsa fuit ultimus: Octavus addebatur, quasi appendicis loco, ut mox dicetur. Et de magnitudine hujus diei multa scribunt. Imo octavus dies nuspiam חג *Festum* vocatur: Videatur לבוש החור Num. 664. §. 1.

Octavus dies juxta Legem quoque sacer est, sicut dicitur: *Die octavo convocatio sancta erit vobis &c.* additur; עצרת היא *Azeres* est, h. e. *Detentio*, *Retentio*: Hinc Judæi eum vocant חג העצרת *Festum detentionis*, & dicunt esse quasi festum per se & peculiare: quia nullum festum constiterit octo diebus. De hujus appellationis ratione scribit Abarbenel: *Scriptura hunc diem vocat* עצרת Azeres, שיעצרו החג עד היום ההוא *quod festum debuerint* detinere *usque ad diem illum* ויעצרו לשבת בירושלים גם אותו היום & *Hierosolymis illo adhuc die manere & subsistere. Unde videtur dies hic octavus eodem modo se habere ad festum Tabernaculorum, uti se habet Dies Pentecostes ad festum Paschatis. Quemadmodum enim hic jubentur numerare septem septimanas, & quinquagesimum Festum facere: sic hoc loco jubentur post septem Festi dies octavum feriatum facere*. Vel ut alii, non secus esse, ac si quis per septem dies apud amicum convivatus, majoris amicitiæ

Octavus dies.

citiæ ergo octavum adhuc diem detineretur. Sic R. Salomon & Ramban.

Hoc die sub meridiem in tabernaculis adhuc prandent, sed jam solita abstinent consecratione, immundas & impuras ollas, aliaque vasa in tabernacula inferunt, & ita tabernacula communia & profana reddunt, ut major illis sit caussa e tabernaculis domum redeundi, uti etiam appetente nocte ædes suas omnino repetunt. Quum tabernaculis egrediuntur, sunt qui dicant; יהי רצון כו' שנזכה לשנה הבאה לישב בסוכת לויתן hoc est, *Faxit Deus ut anno sequente hoc pacto habitare possimus in tabernaculo Leviathanis*; quibus verbis, meo quidem judicio, optant futuro tempore ingentem cum rege Messia piscem Leviathanem comedere, de quo fusius infra agetur.

Colbo fol. 80.4.

Nonus etiam dies est festus, & vocatur שמחה תורה *Festum lætitiæ Legis*, de quo infra dicetur cap. 27.

Qua lætitia, quibus jubilis, Festum hoc & celebratum sit olim, & celebrandum, docet Majemonides, in *Hilchos Lulabh* ita scribens: *Etiamsi in omnibus festis solennitatibus sit lætandum; tamen, stante Templo & Sanctuario, in Festo Tabernaculorum major fuit lætitia & festivitas, quia dicitur de eo*; Et lætabimini coram Domino Deo vestro septem diebus. *Quid igitur faciebant? Vespera diei festi primi in Sanctuario instruebant peculiarem locum pro mulieribus, in parte ejus superiore, & peculiarem pro viris, in parte inferiore, ne promiscue inter se permiscerentur. Lætitia gestire incipiebant sub finem diei primi, post peractum sacrificium juge vespertinum, quod idem reliquis diebus faciebant, idque per totam noctem continuabant. Quæ vero fuit ipsorum lætitia? Tibias inflabant, citharas, nablia, cymbala, & quævis alia instrumenta pulsabant, quæ scilicet quisque poterat: alii vocali Musica accinebant: ad horum modos saltabant, plaudebant, exsiliebant, gestiebant, quam optime quisque poterat, simul dicentes cantica & hymnos. Neque hoc faciebant vulgus & homines plebeji, pro suo scilicet quisque lubitu; sed maximi Sapientes, Rectores Academiarum, Synedrii assessores, Religiosissimi, Seniores, & Spectatissimi, erant qui saltabant, plaudebant, modulabantur, canebant, lætitia gestiebant in Sanctuario in hoc festo, reliquis de populo, viris & mulieribus eos spectantibus & audientibus.* Desumta sunt hæc ex Talmud Tractatu Succa cap. 5. ubi vocatur hæc festivitas & hilaritas שמחת בית השואבה. *Lætitia loci ubi aqua hauriebatur pro Libaminibus*, ea tanta fuit, ut de illa dicant; *Qui hanc lætitiam non vidit, ille per totam vitam nihil vidit læti*. Ita vero illic describitur: *Exeunte die festi primo descenderunt in Atrium mulierum, illudque prout par erat præparabant: erant illic candelabra aurea, & quatuor simpula aurea imposita erant capitibus eorum* (candelabrorum): *scala etiam unicuique erat admota, & quatuor juvenes Sacerdotes* (candidati Sacerdotii) *aderant cum cadis olei, ex quibus in simpula infunderent. Ex fœmoralibus laceris, & baltheis sacerdotum veteribus, avellebant filamenta pro faciendis ellychniis lampadibus, neque ullum atrium erat Hierosolymis, quod non illustraretur, a Luce* בית השואבה *hujus atrii. Viri quique religiosissimi, & spectatissimi ad harum lucem saltabant, accensas faces manibus tenentes, & hymnos varios canentes: Levitæ citharis, nabliis, cymbalis, tubis, & innumeris aliis instrumentis Musicis suaviter ludebant* &c. Qui vult, videat ibi plura.

Cap.8.§.12 13.

Majemonides in Hilchos temidin cap. 10. scribit; כל שבעת ימי החג מנסכין את המים על המזבח ודבר זה הלכה למשה מסיני *Singulis septem diebus hujus festi libabant aquas super altari* (quas hauriebant ex fonte Siloah, ut est in Talmud, Tract. Succa fol. 48. col. 1. & cum clangore tubarum, gaudii testandi caussa, in atrium inferebant). *Quæ res est traditio Mosis e monte Sinaj*. Hinc occasionem videtur sumsisse Christus, ut ultimo hujus festi (*h. e. septimo*) die ad populum clamaret; *Si quis sitit, veniat ad me, & bibat: Qui credit in me, sicut dicit Scriptura, flumina aquæ vivæ fluent ex ejus ventre*, Joh. 7. 37.

Hactenus dicta concludam Narratiuncula Talmudica, de hoc Tabernaculorum præcepto. In tractatu de Idololatria videre est colloquium, quod extremo die Deo cum mundi nationibus intercedet, *& quo Judæos pios esse & justos, convincet, eo quod Legem perfecte observaverint: illas vero impias & injustas, quia nec Legem habuerunt, nec observaverunt*. *Tum nationes* (hoc est, Christiani & omnes qui Judæi non sunt) *excipient*, רבון של עולם *Domine mundi, da nobis adhuc Legem a principio ad finem usque, & nos quoque observabimus illam. Verum Deus respondebit*, שוטים שבעולם O *stolidi, nonne adagium nostis*, מי שטרח בערב שבת יבכל בשבת שלא טרח בערב שבת מהיכן יאכל בשבת *Qui pridie Sabbathi laboraverit, illi erit quod Sabbatho comedat: qui vero non laboraverit, Sabbatho esuriat licet? Nihilominus tamen* מצוה קלה יש לי סכה שמה *parvulum tantummodo habeo præceptum de* ta-

Cap.1.f.3.1.

tabernaculorum inhabitatione, agite, illud observate. E vestigio singuli festinabunt, & sibi tabernacula facient, alter super tecto suo (ut olim quum tecta plana erant, nec acuminata, ut hodie) *alter in horto suo, & ita in tabernaculis quoque habitabunt. Deus vero æstum solarem unius trimestris, a solstitio nempe æstivo ad æquinoctium autumnale, in unum congregabit, & tam acris & vehemens illorum cervicibus a Deo sol impendebit, ut æstum tolerare nullus queat. Gentes itaque iratæ, tabernacula pedibus conculcabunt, & cum indignatione summa illis excedent, & in hæc verba erumpent*: Dirumpamus vincula eorum, & projiciamus a nobis funes eorum; *Tum vero Dominus illos ridebit & subsannabit, uti scriptum est.* Habitans in cœlis ridebit: Dominus subsannabit eos; *Ideo Rabbi Isaac dixit, apud Deum nullum risum reperiri, nisi illo duntaxat die.* Hactenus ex Talmude, ex cujus narratione hac videre licet, quam sibi Judæi placeant, sibique & Deo suo persuasum vellent, se solos sanctum esse Dei populum, qui totam Legem & omnia Dei præcepta rite observare possit: Christianos vero & alias nationes gentes esse damnatas, Dei tantum ludibrium & maledictionem.

Psal. 2. 3.

vers. 4.

Sed quibus quæso laudibus extulit ipsos Deus per Prophetam Ezechielem propter legis observationem? *Eos de terra Ægypti in desertum eduxi, Et dedi eis præcepta mea, & judicia mea ostendi eis, quæ faciens homo vivet in eis. Et irritaverunt me domus Israel in deserto, in præceptis meis non ambulaverunt, & judicia mea projecerunt, quæ faciens homo vivit in eis, & Sabbatha mea violaverunt vehementer.*

Ezech. 20. 10.

CAPUT XXII.

De Festo Novilunii.

Orach Chajim n. 417.

Hactenus exposuimus, quomodo se se Judæi in tribus solennioribus festis gerant; superest ut ad festa, & dies feriatos veniamus, quos olim singuli in loco ubi habitabant celebrare soliti sunt, & primo quidem de illo die Festo, quem quotquot mensibus observant, agemus, quod Hebræi ראש חדש Græci Νεομηνίαν dicunt.

Hebræi menses suos faciunt juxta cursum Lunæ: viginti novem dies, cum una tertia, constituunt mensem: & Novilunium est principium Mensis.

Priscis temporibus σύνεδροι seu Assessores Judicii magni Hierosolymitani duos testes emittebant, qui observarent adventum & apparitionem primam Lunæ. Horum relatione intellecta statuebant, ac publice significabant, hunc esse primum Mensis diem. Et hoc modo, stante Templo & Sanctuario, figebant festa ordinaria, & certis temporibus celebranda; juxta phasin Lunæ. Sed post Templi ruinam determinant Novilunium, & per consequens etiam Festa fixa, secundum calculum & supputationem Astronomicam, singulisque annis, ut nos, faciunt Calendarium, in quo singula annotantur, & secundum quod se regunt in statuendo Novilunio, Plenilunio, Quatuor anni revolutionibus in Diebus festis & aliis: notant in iisdem hodie quoque Festa Christianorum, ad suam cautionem in negotiis, & conversatione cum illis. Ad æquandum annum Solarem cum Lunari, singulis Enneadecateribus, septem annos tredecim mensium, quandoque biennio, quandoque triennio. Hujusmodi Annum vocant מעובר *Meubbar* intercalatum, geminato mense Adar, faciendo Adar primum, & Adar *secundum*, qui vocatur ואדר *Veadar*. Magna hic est controversia inter Judæos Rabbanitas & Karraitas; *Utrum Novilunium figi possit ac debeat secundum calculum? an vero perpetuo statuendum sit juxta phasin?* Karraitis posterius; Rabbanitis prius, asserentibus. Qua de re quædam a nobis producta sunt in Notis ad librum Cosri Par. 3. §. 38. & in fine libri. Hæc vero jam definire & explicare non est hujus loci, quia hic duntaxat hodiernos Judæorum ritus persequimur. Qui accurate cupit cognoscere Judæorum calculum de supputatione Mensium, Annorum, Revolutionum &c. consulere potest R. Mardochæum Japhe, in *Levusch Malchus* part. 1. Num. 427. & 428. quo, Judæorum judicio, nemo accuratius ea de re scripsit.

Hodie Sabbatho Neomeniam præcedente solent jam ea Precatione certa in Schola sanctificare, ut omnes sciant & discant, quonam die sit futurum Novilunium; excepto tamen Sabbatho Principium novi anni præcedente, propter rationem, quæ infra adducetur.

Levusch par. 1. num. 421.

Primus dies singulorum Noviluniorum sacer olim fuit: ideo etiam Deus primo die unius cujusque Novilunii singularem sibi oblationem offerri præceperat, ut ex Numeris videre est. Observant hoc primum esse præceptum, in exitu ex Ægypto Patribus suis datum, sicut dicitur; *Mensis hic erit vobis principium mensium, primus erit vobis in mensibus* anni

Festum Novilunii.

Num. 28. 11.

anni. Hodie dimidia tantum parte feriatus eſt apud Judæos: Circa laborem indifferentes ſunt; quia Lex de ceſſatione ab opere nihil præcepit, nihilominus tamen ſcribunt, mulieribus potius quam viris ferias has indultas eſſe, ita ut mulieres ab omni labore abſtinere debeant, quia Novilunio aureas inaures ſuas & cimelia, ad vitulum aureum conflandum, recuſarunt: & vice verſa alacriter ac ſponte omnes ſuos annulos, armillas & torques ad Templi ædificium, quod Martii novilunio erectum fuit, contulerunt: Pro mercede itaque hujus boni operis, quod in conflationem vituli non conſenſerint, has ferias ipſis conceſſas eſſe. Eliciunt hoc ex Scriptura ita: Exod. 33. v. 2. dicit Aharon ad populum; *Separate inaures aureas, quæ ſunt in auribus uxorum veſtrarum* &c. & v. 3. dicitur; *Separarunt igitur omnis populus* את נזמי הזהב אשר באזניהם *inaures aureas, quæ erant in auribus* eorum (Heb. הם in maſculino genere, nempe *Virorum*, non *Mulierum*, quæ ſuas dare detrectarunt). Viri tamen a gravioribus operibus, veluti arando, ſerendo, &c. quoque abſtinent.

Quibuſdam menſibus per duos dies, aliis uno tantum celebratur (cujus rei ratio aliunde petenda). Quando duos dies habet, numeratio dierum fit a ſecundo, & ille pro die primo menſis habetur. Quidam putant, hinc explicationem petendam eſſe vocis προνεομηνιῶν *Antenomeniarum*, in libro Judithæ cap. 8. v. 6. nempe de primo Neomenias die.

Modus feriandi.

Pridie Judæi qui magis pii videri volunt, ſe jejunio præparant, & fauſtum a Deo Novilunium petunt: ipſo autem feſti die non indicendum jejunium; quin potius ut in reliquis feſtis lætandum & genio indulgendum. Mane in ſcholam eunt, & peculiares quaſdam preces (quas מוספין *Muſaphin* vocant) reliquorum dierum precibus adjiciunt. Hora meridiana egregie prandent: diu enim menſæ accumbere, & hilare epulari, ſibi præceptum ſcribunt, uti legitur: *In die lætitiæ veſtræ, in diebus feſtis & Calendis veſtris, &c.* Quo autem diutius diſcumbere poſſint, chartarum ludum plerumque diei æquant, & in noctem ferunt, jocos agitant, & omnem lætitiæ occaſionem aucupantur.

Orach chajim n. 419.

Num. 10. 10.

Novam lunam uti conſecrent.

Ubi Luna dies aliquot eſt orta, nocte, quum lunæ videndæ facultas datur, ſub aperto cœlo conveniunt, & eam ſingulari Benedictione conſecrant, quæ a doctiſſimo & præſtantiſſimo quopiam Rabbino recitatur, cæteris verba ejus in hunc modum ſubſequentibus: Præcatio autem illa ita habet: ב״אי אמ״ה אשר במאמרו ברא שחקים וברוח פיו כל צבאם חק וזמן נתן להם שלא ישנו את תפקידם, ששים ושמחים לעשות רצון קונם, פועל אמת שפעולתו אמת, וללבנה אמר שתתחדש עטרת תפארת לעמוסי בטן שהן עתידים להתחדש כמותה, ולפאר ליוצרם על שם כבוד מלכותו, ב״אי מחדש חדשים, ברוך יוצרך, ברוך עושך, ברוך קונך ברוך בוראך. *Benedictus eſto tu Domine Deus noſter, Domine mundi, qui verbo tuo & ſpiritu oris tui cœlum, & omnem exercitum ejus creaſti: ſtatuta etiam & tempora illis præſcripſiſti, ut, quod ſibi injunctum eſt, exſequantur, nec immutent, ſed hilariter & læte ad Dei creatoris ſui, qui verus eſt opifex, & cujus opera omnia vera ſunt, voluntatem ſe conforment. Lunam renovari juſſit, quæ renovatio pulcherrima eſt corona & ornamentum omnibus iis qui utero materno geſtantur* (hoc eſt, Iſraelitis, qui ita a Propheta Jeſaja appellantur) *qui eodem quoque modo innovabuntur ac luna, ut creatorem ſuum laudent, & magnificent, propter præpotentis & glorioſiſſimi regni ejus nomen: Benedictus creator tuus: Benedictus qui te fecit, Benedictus Dominus tuus, Benedictus plaſtes tuus* (Hic ad lætitiam ſuam teſtandam, ter cœlum verſus exſiliunt quo altius eo melius) & ita lunam compellant: כשם שאני רוקד לנגדך ואיני יכול ליגע בך כך לא יוכלי כל אויבי ליגע בי לרעה *Quemadmodum ad te exilio, nec te tamen apprehendere poſſum: ita quoque nullus inimicorum meorum poſſit me in malum tangere, mihique nocere* (hic iterum ſubſiſtunt, & ter hæc repetunt) תפול עליהם אימתה ופחד בגודל זרועך ידמו כאבן, כאבן ידמו זרועך בגודל ופחד אימתה עליהם תפול *Irruat ſuper eos formido & pavor, in magnitudine brachii tui fiant immobiles quaſi lapis, conticeſcant ſicut lapis in magnitudine brachii tui, irruat ſuper eos formido & pavor*. Poſt hoc addunt, סימן טוב לנו ולכל ישראל *Fauſtum ſit omen nobis, & toto Iſraeli*. Alter deinde ad alterum ſe convertit, & ait, שלום עליכם *Pax vobis*: Alii reſpondent, עליכם שלום, שלום עליכם, שלום על ישראל *Pax quoque vobis, & toti Iſraeli, Amen*.

Jeſa. 46. 3.

Exod. 15. 16.

Hæc in Chriſtianos diriguntur.

Conſecratio hæc Lunæ præ reliquis Stellis eſt peculiaris, qua eam etiam præ Sole proſequuntur: quia in Lunæ motu opera Dei, ejuſque potentia, luculentius conſpiciuntur, quam in reliquis Planetis & ſtellis, quorum motus non ita ad oculum eſt conſpicuus, ut motus Lunæ, quam omnes vident moveri, & ſingulis menſibus totum cœli expanſum circumire. Itaque eſſe ipſis excipiendam

Cur Luna præ aliis Stellis conſecretur.

ceu

ceu viſibile ſignum Præſentiæ Divinæ, ſingulis menſibus de novo apparens, in quo magnitudinem operum Dei intueantur.

Conſecratur ſtando.

Hac de cauſa debet fieri, *ſtando*, *oculis in eam defixis & intentis*: quia perinde eſt ac ſi ipſi Majeſtati Divinæ in occurſum irent.

Veſpera Sab.

Differtur, ſi fieri poſſit, in *Veſperam Sabbathi proximi in Novilunio*; qui tum veſtibus decoris & ſplendidis ſunt ornati, ut honorifice & cum lætitia Majeſtatem Divinam excipiant.

Sub dio.

Non facienda eſt in domo, aut ſub tecto, ſed *ſub aperto cœlo*. Nam qui vel amicum honoratum, aut Principem aliquem virum advenientem excipit, non intra domum ſuam eum exſpectat, ſed honoris cauſa extra eam ipſi obviam procedit.

Et quia hæc Conſecratio fit propter ſplendorem ejus, non eſt facienda, niſi donec illuſtris, conſpicua, & grata ſit ejus lux: Id definiunt poſt exactum ſeptiduum: Unde & nonniſi noctu eſt facienda, dum ſplendore ſuo terram illuminat. Inde & ulterius fieri poteſt uſque ad diem 14. cum octodecim horis a nativitate ejus. Die 15. non amplius nova cenſetur, & tum incipit jam Lux illius decreſcere. Quidam tamen etiam ante 7. diem eam conſecrant: neque etiam ſemper veſpera Sabbathi conſecrant, quia incidere poſſent dies nubiloſi, quibus ea videri non poſſet.

Defectus Lunæ, malum ſignum.

Defectum Lunæ pro peſſimo habent ſigno, quod aliquid mali & inauſpicati ab hoſtibus & inimicis ſuis portendat. Ideo ejuſmodi die animas vulgo jejunio affligunt, & ab hoſtibus ſuis a Deo defendi poſtulant. Quorundam menſium Neomenia per duos dies celebratur: aliorum, uno tantum, & fere alternant hæ vices: Quoties enim lunatio præcedens triginta diebus conſtat, toties ſequens menſis duplicem habet Neomeniam, quarum prima ad præcedentem ſpectat menſem, & eſt triceſima illius dies: non modo enim prima, ſed & triceſima cujuslibet menſis Dies eſt feſtus, & in memoriam Divinæ Gubernationis, ſicut Sabbathum inſtitutum eſt in memoriam Creationis. Cauſas hujus rei prolixum eſſet explicare. Quando Neomenia duos habet dies, tum in Literis contractuum, ſi eæ ſcriptæ ſint Die primo, ita ſubſcribunt: *Die primo Neomenias N. qui eſt dies trigeſimus menſis N. præteriti*; Si die ſecundo, hæc eſt formula; *Die primo menſis N. &c.*

Colloquium Talmudicum Dei & Lunæ.

Siquidem vero hic de Luna ago, temperare mihi nequeo, quo minus egregium colloquium inter Deum & Lunam, ut in Talmude legitur, afferam; verba ſic ſonant: *Rabbi Simeon filius Pazzai hæc docuit; Scriptum exſtat*; Fecitque Deus duo luminaria magna: *Scriptum etiam eſt*; Luminare magnum & luminare parvum. *Luna dixit ad Deum, Domine totius Mundi, an poſſunt duo reges ſub una corona imperare? Deus reſpondit, Abi & minuere. Luna excepit, Domine mundi, quoniam æquum & verum coram te loquuta ſum, cur imminuerer? Huic Deus, Abi & diu noctuque rege. Luna vero, Quinam hic honor eſt & quæ dignitas? quid accenſa meridie candela prodeſt? Deus reſpondit; Abi, populus Iſrael dies ſuos & annos ſuos juxta te computabit. Luna objecit, Id quoque impoſſibile eſt, oportet enim illos ſolſtitia & æquinoctia juxta ſolem computare, uti ſcribitur*; Eruntque in ſigna, tempeſtatibus, diebus & annis. *Deus præterea adjecit, Abi & juſti de nomine tuo appellabuntur, ut Jacobus Parvus, Samuel Parvus, David Parvus. Sed ubi vidit Deus, ſe Lunam placare non poſſe, nec illius animum ſedare, dixit*, הביאו כפרה עלי על שמיעטתי את הירח (ſic enim habetur in exemplaribus Venetis, uti quoque citat Rabbi Bechaj in expoſitione ſua in librum Numerorum: verum id in exempl. Baſileenſibus immutatum eſt) hoc eſt, *Offerte oblationem propitiatoriam pro me, eo quod lunam imminui. Et hoc ipſum eſt illud propter quod Rabbi Simeon filius Lakis dixit, O quam diverſus eſt hircus, qui Novilunio offerebatur, de quo dicitur*; חטאה להאל In oblationem pro Dei peccato (*juxta blaſphemam Judæorum verſionem*) *hoc eſt, Deus dixit, Hirquus iſte propitiatio erit pro me, quia lunam imminui*. Hactenus Talmud. Quomodo autem hæc intelligenda ſint, digladiantur inter ſe Rabbini. Veterum præcipui exiſtimavere, ſolis & lunæ in creationis principio æqualem fuiſſe ſplendorem, ideo primo dici; *Fecitque Deus duo magna luminaria*. Quum vero ſtatim in Deum Luna murmuraſſet, & ſola in cœlis regere vellet, a Deo imminutam, & propria inſuper luce privatam eſſe, Deumque juſſiſſe, ut ſplendorem ſuum a Sole mutuaretur; ideo mox ſubjici, *Magnum luminare, & parvum luminare*; quum prius duo magna luminaria extitiſſent. Sed quum tantam pœnam Luna conquereretur, Deum facti pœnituiſſe, & juſſiſſe, ut ſingulis noviluniis, in ſui gratiam, oblatio pro peccato offerretur. Hoc tamen multi Rabbini tanquam blaſphemum repudiarunt, utpote qui Deum juſtum, & omnis peccati vel iniquitatis expertem eſſe, viderent. In vero itaque horum ver-

Chol. cap. 3. pag. 60.

Gen. 1, 14.

R. Bechaj Num. 28. 15. in Paraſcha Pinchat.

Gen. 1, 16.

verborum sensu inquirendo multum diuque laborarunt, & voculam illam עלי *Pro me* varie exposuerunt, ut in R. Bechaj videre est.

Cæterum hoc die jejunare est prohibitum, מראתקש ר"ח למועדים לשמחה quia Novilunium æquiparatur festis solennioribus quoad Lætitiam, & cum illis conjungitur, quando dicitur, *In die lætitiæ vestræ, & in solennitatibus vestris, & in Noviluniis vestris*. Hinc scribunt, genialiter hunc diem esse transigendum, & suaviter vivendum. Eandem ob causam etiam, lamentari & plangere super mortuum, non licet; excepta tamen morte Rabbini & viri alicujus docti & eximii.

Exod. 10, 10.

Multas pro more hoc die, mane, meridie, & vesperi, recitant preces; legunt in Lege quatuor evocatis Lectoribus, sed nullam Haphtharam ex Prophetis; quia nec pauciores, quam quatuor, Lectores esse debent (quod fieret, si unus illorum Haphtaram legeret), nec plures, (quod fieret, si alius ad Haphtharam evocaretur): quia sanctitas hujus diei non tanta est, quanta של י"ט Diei festi, quo quinque adhibentur Lectores.

CAPUT XXIII.

Quomodo Deus initio statim anni judicium agat de Judæorum peccatis, ipsi vero Judæi se ad ineuntis anni festum præparent.

IN Medrasch שוחר טוב in hanc sententiam legimus: *Principio anni* (qui prima die Tisri seu Septembris incipit, quando nempe Septembris Luna renovatur) *quum Synedrium magnum Hierosolymis sederet, &, se hoc vel illo die Anni incipientis Festum celebraturos esse, patres decernerent, illico Deus quoque magnum Angelorum cogebat concilium, ita illos alloquutus; Abite & percontamini, an Novi Anni in terris principium decreverint? Angeli itaque e cœlis delapsi, ubi percontatione sua Synedrii decretum cognoverant, Deo respondebant, in hunc vel illum diem anni principium rejectum esse. Tum Deus statuto die sedebat ad orbem suum judicandum, uti scribitur;* Ascendit Deus cum jubilo, Dominus cum voce tubæ: *Judicum subsellia ponebantur, pulvillis sternebantur, Judiciales libri aperiebantur, sedebatque magnum Angelorum consilium coram ipso uti scribitur:* Aspiciebam donec throni positi sunt, & antiquus dierum sedit, &c. millia millium ministrabant ei, & decies millies centena millia assistebant ei: judicium sedit, & libri aperti sunt. *Hactenus ex Medrasch*. Elegans hæc historia, ut mihi quidem videtur, in Talmude fundatur, in quo ita legimus: *Rabbi Jochanan dixit, Anno ineunte tres libri aperiuntur, unus pro iis qui ad impietatis culmen pervenerunt, alter pro summe justis, tertius pro intermediis,* h. e. quorum benefacta malefactis æqualia sunt, nec altera alteris præponderant): *Summe justi ad vitam statim inscribentur: Summe impii ad mortem; Intermediorum causa in diem expiationum differtur* (decimus ille dies est, ab anni kalendis). *Si bene interim se gerant, multamque agant pœnitentiam, adeo ut a bonis eorum operibus mala excedantur, bene se res habet; si vero secus faxint, adeo ut mala opera bonis præponderent, illico ad mortem inscribentur. Hic Rabbi Aben dixit: ubi hoc habetur in scriptura? ℞. Propheta David id verbis hisce innuit;* Deleantur e libro viventium, & cum justis non scribantur. Deleantur e libro; *his impiorum liber designatur; vox,* Viventium, *justorum librum denotat; hæc vero,* Et cum justis non scribantur, *mediorum librum innuunt. Rabb Nachman filius Isaac dixit; huc refertur quod alibi dicit Scriptura:* Aut dimitte eis hanc noxam: aut, si non facis, dele me de libro tuo quem scripsisti. Dele me, *impiorum librum denotat;* de libro tuo, *librum justorum:* quem scripsisti, *librum mediorum*. Hactenus ex Talmude. Hæc in eorum Ritualibus hoc modo explicantur; *Ab omni ævo, inquiunt, a patribus nostris per oralem traditionem accepimus, Deum omnipotentem sub Autumnum mundum cum primo Adamo in Paradiso creasse: quapropter jus & æquum postulat, ut, anno elapso, Deus rationem ab homine exigat, quomodo per totum annum vixerit, eique vel pro bonis vel pro malis operibus debitam mercedem retribuat. Debitam autem hanc mercedem in sequentem annum differt, & hoc pacto solvit: Peccatorum quædam Deus in hoc mundo punit, quædam in altero sæculo. Eadem est quoque bonorum operum ratio: quædam nunc, quædam olim demum compensabuntur. Jam si homo per totum annum peccaverit, & peccatorum maculis totus inquinatus & pollutus fuerit, aliquid tamen quoque bonorum operum fecerit, omnia hæc primo anni die coram Dei judicio in aginam veniunt. Utrisque igitur, tam bonis scil. quam malis operibus, ex æquo appensis, si Deo bonorum operum retributionem homini in hoc mundo dare vi-* sum

Vide librum Caphtor uperach. p. 68.
Deus in anni initio pro tribunali ad judicandum considet.
Dan. 7. 9. 10.
Tractatu Rosch haschanah c. 1. pag. 16.
Libri ex quibus homines judicantur.
Psal. 69. 29
Exod. 32. 32.

sum fuerit ; appellatur Justus ; *quia judicium illius lætum & prosperum in hoc mundo exitum sortitur , & ita in* Libro viventium , *inscribitur , hoc est , anno proximo vel vivet , vel divitias aut honores consequetur . Ita pius & justus , qui per totum annum multa bona fecit opera , sed cui interim parvum aliquod peccatum excidit , si Deo illum propter hoc peccatum in hoc mundo punire visum fuerit ,* Impius & Injustus *appellatur ; quia causa in hoc mundo cadit , & in* Libro mortuorum *inscribitur , h. e. anno proximo vel morietur , vel in paupertatem aut morbum incidet . Idcirco , quamvis aliquis sit Justus in altero sæculo , Impius tamen & injustus appellatur in hoc sæculo , siquidem tanquam reus in hoc mundo punitus est : ita quoque qui Impius & reprobus habetur in altero sæculo, Justus tamen in hoc esse potest ; quia Deus hic illi bonorum suorum operum mercedem retribuit . Quapropter mirandum non est, si pios aliquando in hoc mundo rebus adversis premi videamus , contra vero impiis omnia ex animi sententia cedere : Utrisque enim Deus justam in illo sæculo mercedem rependet . Et huc facit illud quod in Gemara dicitur , primo anni die tres libros aperiri , &c. Sæpe unico bono opere multa peccata delentur , & vice versa , unico peccato multa bona opera inducuntur . Id vero totum in Dei potestate & arbitrio est situm : Sententiam peccatoris ad Librum mortis destinati , siquidem ad festum usque expiationum ,* hoc est , *decimum Tisri , strenuam & seriam egerit pœnitentiam , Deus immutare , & in librum viventium referre potest ; Ita justum , qui illo temporis spatio in peccata relapsus fuerit , Deus in mortuorum album mittere potest .*

Ita sentiunt, scribunt & credunt miseri & cæci Judæi, de Deo & illius regimine, Judicemque illum , qualem ipsi optarent , constituunt . Sed longe aliud credidit Propheta David quum propter peccata sua mœrore afficeretur. Sic enim ille ; *Ne venias in judicium cum servo tuo , quia non justificabitur in conspectu tuo ullus vivens*; Item; *Si iniquitates observare volueris, o Domine, Domine quis subsistet?*

Psal. 143.

Psal. 130.

Orach chajim num. 581. Ante novum annum pœnitentia agenda.

Quoniam ergo tam aspera & vehemens, ineunte anno, de illorum peccatis habetur quæstio, statuerunt Rabbini, ante mensem integrum pœnitentiam inchoandam , & pie vitam instituendam esse. Primo proinde Augusti sui die, qui illis אלול *Elul* dicitur , peccata , quæ per totum annum perpetrarunt , expendere incipiunt : & quicunque studiose huic rei assuesit , & hoc mense omnia sua peccata singulis diebus ante & post cibum animo tristi versat, illorumque pœnitentiam agit, ille festis novi anni kalendis, quum singulos rationem reddere oportebit, a peccatis liber erit . Hinc solent Judæi Itali ab hujus mensis principio , imo maturius, quotidie ante lucem surgere, & סליחות *Selichos*, hoc est , Preces suas , ad misericordiam & peccatorum veniam impetrandam , recitare ; verum Judæi Germani quatriduum duntaxat ante Novum annum ad preces suas recitandas , ante lucem surgere incipiunt. In Medrasch quodam hanc hujus rei reddunt causam ; Ajunt , *Deum benedictum noctu per octodecim mundos peragrare; tribus vero horis ultimis circumire in hoc mundo, ac propterea eo tempore propinquum esse nobis in omnibus , de quibus invocamus eum.*

Arietis cornu cur inflent.

Solent præterea a primo die, per totum hunc mensem, quum & vesperi & mane in scholam conveniunt , Arietis cornu inflare; non quidem ex Mosis præscripto ; sed , *Primo* , in Mosis memoriam , qui primo die Augusti summo mane secundo montem Sinai ascendit , ad alteras tabulas lapideas petendas, & die Expiationum iterum descendit ; & cum ascenderet , in castris cornu occanere & proclamare jussit , se montem iterum ascendere , aliasque Legis tabulas petere, ne populus denuo diceret ; *Fac nobis Deos qui nos præcedant : huic enim viro Mosi , qui nos eduxit de terra Ægypti, ignoramus quid acciderit. Secundo*, cornu ideo inflant , ut singuli Dei judicium in mentem sibi revocent , & expavescant , uti scribitur ; *Si clanget cornu in civitate, populus non expavescet?* & hoc pavore ad pœnitentiam agendam excitentur . Non secus atque Rex vel Vigil, hostis adventum tubæ clangore significare solet, ut singuli, gladio & armis accincti, diligentes excubias agant; ita illi quoque integrum mensem præcedentem habent quo tuba clangant , ut pœnitentiæ agendæ , seque in hostem , peccatum nempe , armandi tempus instare, significent. *Tertio* , sapientissimi illi mortalium Talmudici scribunt , id fieri etiam כדי לערבב את השטן *Ut exsurdetur & hebetetur Satan, & ita confundatur & perplexus reddatur* , 1. ut verum anni principium, quo tempore cornu inflare expresse jussit Moses , scire nequeat; ac per consequens , ne in judicio adversus eos comparere, eosque peccatorum accusare possit, 2. ut ipse hac ratione sibi in memoriam revocet proprium suum judicium ; dum enim sonum

Exod. 38.

Amos 3. 16.

Rosch haschana cap. 1. pag. 16. O simplicem & stolidum diabolum! Num. 20. 5

num buccinæ audit, existimat, tempus adesse, quo sit absorbendus e mundo, Juxta illud; *Absorta est mors in æternum*, & sic terrore percellitur, ut non audeat accusare Israelitas. Eandem ob causam Clangorem hunc buccinarum continuant usque ad diem 28. & die 29. seu Vespera diei novi anni non clangunt, sed pausam faciunt. Kalendis etiam Tisri solenni benedictione non consecrant novam Lunam, ut in aliis Neomeniis; neque illius in suis Orationibus mentionem faciunt, ut Satanas perplexus reddatur, & Diem novi anni ignoret. Hac de causa scribunt, Novilunium hoc mensis Tisri vocari Psal. 81. 4. כסה *Kese*, quia hoc mense Novilunium est veluti. מכוסה *Mechusse* tectum & occultum, quia non consecratur. Probant etiam Cabalistice hunc ritum ex eo quod scriptum est; *Et circumcidet Deus* את לבבך ואת לבב זרעך *cor tuum & cor seminis tui*: qua quatuor vocum apicibus notatarum initiales literæ faciunt אלול *Elul*, Augustus. Clangunt itaque, ut quisque ad pœnitentiam, & cor suum circumcidendum excitetur. Hinc petitum est quod in Jonathan in Legem Num. 29. 1. legitur: יום יבבא יהי לכון למערבבא סטנא דאתי למקטרגא לכון בקל יבבותכון *Dies clangoris erit vobis, ad confundendum Satanam clangore vestro, qui venire gestit, ut accuset vos.*

Hos.

Cur Kalendis Tisri non consecrent Lunam.

Pridie novi anni quid mane agant.

Pridie kalendarum Tisri maturius quam alias surgunt. Nam multas valde סליחות ותחנונים ad peccatorum veniam impetrandam preces recitandas habent. In Germania omnes fere comedunt antequam ad preces se conferant; nemo tamen cibis adeo ingurgitare se debet, ut *Selichos*, seu Preces supplices pleno illi sint ventre recitandæ, præsertim quia multæ recitandæ sunt, unde etiam utplurimum fit, ut preces illæ velocissime absque ulla hæsitatione deblaterentur. Jam vero plenus venter ad tantam velocitatem est ineptus. Nihilominus tamen multi jejunant, ii præsertim, qui præcipui, sancti & pii videri volunt, scribuntque *similitudinem esse a Rege desumtam, qui grave urbi tributum imperat, illiusque exigendi causa magnum exercitum in urbem illam educit. Quum ad decimum ab urbe lapidem pervenit, optimates & præcipui cives illi obviam prodeunt, & ajunt; Rex clementissime, omnibus destituimur facultatibus, quid tibi pendemus? Tributum itaque quam humillime deprecantur: Rex vero tertiam tributi partem remittit. At ubi quinto tantummodo ab urbe lapide rex abest, mediocris conditionis cives pariter illi obviam procedunt, idem ab illo petunt; & tertia quoque pars illis remittitur. Tandem sub ipsis fere portis tota civitas effunditur, juvenes senesque, & idem ab illo supplicibus contendunt precibus: quicquid ergo id est, Rex illis tunc condonat.* Ita Deus totius orbis rex est, & cum Israele rationes putare cupit, sibique singulos de peccatis satisfacere postulat. Jejunium ergo sibi pridie kalendarum Tisri indicunt sanctiores & honestiores, & Deus tertiam illis partem condonat. Quapropter consultum est, ut singuli optime de se sentiant, seque e vilis plebeculæ numero subtrahant, ut jejunare, atque hac ratione aliquid a Deo impetrare possint. Sunt tamen qui non jejunandum volunt ideo, ne Christianis, aliisque populis similes videantur, qui in solennitatum suarum privilegiis sibi jejunium solent indicere: tum etiam ne hoc pervigilium Kalendarum Anni vilius habeatur, quam cæterorum festorum, in quibus jejunare prohibitum.

Levusch par. 1. num. 581. §. 2.

Si Circumcisio in hunc diem incidat, omnes invitati possunt illi adesse & comedere: quia jejunium hujus diei non est ex præcepto, sed consuetudine duntaxat.

Sepulchretum adeunt.

A Schola & precibus matutinis, in quibusdam locis, ad sepulchretum suum pergunt, quo innuunt, nisi Deus illorum misertus fuerit, se mortuis conferendos esse. Ideo orant, ut sui Deus misereatur propter justorum, piorumque ibi sepultorum Judæorum, merita. Alii dicunt, id fieri, ut Deus ipsorum misereatur, propter merita Justorum & Sanctorum, qui illic sunt sepulti. Alii dicunt, quia locus ille, in quo tot justi quiescunt, sit sanctus: & ex tali loco factas preces Deo esse gratiores. Ibi quoque loco Oblationum, pro peccatis olim factarum, multas distribuunt eleemosynas, ut & pauperes adhuc bonos cibos in festum præstinare possint. Dandæ autem sunt animo hilari & liberali.

Maharil. f. 47.

Quid a meridie.

A meridie viri capillos eleganter resecandos curant, ut reliquis gentibus, quæ se tristitiæ tradunt, & præ luctu & mœrore crinem barbamque promittunt, dissimiles esse cognoscantur. *Nos vero*, inquiunt illi in suis Ritualibus, *Regi nostro, totius orbis regi, de misericordia ejus erga nos confidimus, certo nostri miserebitur, nobisque transgressiones nostras remittet & condonabit.* Ideo balneas vel thermas etiam intrant, vel in aqua fluente, piscina aut vivario, si id anni tempestas patiatur, sese abluunt, ut quoad fieri potest, mundi & puri coram judice suo postridie compareant, & preces suas faciant. Scribunt præterea, peculiares quos-

Pavans.

quosdam Angelos per aerem volitare, qui mundo & hominibus sint præpositi, seque in hunc nostrum inferiorem orbem demittant, ac proinde ab impuro & immundo, qui ex terra exhalat, aere, immunditiem contrahant; hos, scribunt oportere in ignito torrente דינור *Dinor*, cujus Daniel. 7. fit mentio, purgari, omnesque contractas sordes, omnemque immunditiem igne absumere, priusquam Deum laudare & celebrare audeant. Si ergo Angelos sese abluere & purgare oportet, quanto potiori ratione id hominibus faciendum est? Dum in aqua frigida stant, solitam peccatorum suorum confessionem, quam וידוי *Viddui* appellant, singuli recitant. Constat ea viginti duabus vocibus, pro numero literarum Alphabeti, & ad singulas voces dextra pectus tundunt. Totum postea corpus in aquam immergunt, & alterum alteri testimonium perhibere oportet, quod in aquam penitus immersus fuerit. Ubi nullæ publicæ frigidæ aquæ habentur, sibi quisque puteum vel foveam in cella, vel in horto, vel ubicumque commoditas patitur, excavat. Acriter hic ab illis disputatur, quam profunda, quam lata, quamque multæ aquæ capax fovea esse debeat.

Fluvius Dinor. Vide libros Taame Mizvos pag. 36. & Reschis chochma magnum in Schaar parteschubha cap. 3. num. 163.

Vesperi in scholam redeunt, vespertinis precibus ad noctem usque, quo tempore festum inchoatur, vacant, illudque singulari cum lætitia excipiunt & consecrant.

Vesperi novi anni quid agant

Quia inter Christianos moris est, ut Die novi anni sibi invicem dona mittant, לסימן טוב fausti ominis ergo, & ad sua vota pro felicibus ejus anni auspiciis contestanda; Judæi quoque aliquando Christianis strenas mittunt, maxime iis quorum favore & patrocinio opus habent. Id vero cum faciunt, cavent ne ipsis anni kalendis, sed pridie id faciant, si fieri possit, ne speciem habeat voti pro felici ejus Anni ingressu. Quod illi, in sui Novi Anni precationibus, Christianis precantur, de quo multa scribi possent, idem procul dubio in nostro ipsorum est pro nobis votum.

Sed quo numero & loco gentem adeo mundam, & de peccatorum suorum remissione certam habuerunt Prophetæ?

Jesajas: *Iniquitates vestræ diviserunt inter vos & Deum vestrum, & peccata vestra absconderunt faciem ejus a vobis, ne exaudiret. Confidunt in rebus nihili & loquuntur vanitates, conceperunt laborem & pepererunt iniquitatem. Ova aspidum ruperunt, & telas araneæ texuerunt, &c.*

Jesa. 59.

Ezechiel: *Immunditia tua execrabilis: quia mundare te volui, & non es mundata a sordibus tuis: sed nec mundaberis prius, donec quiescere faciam indignationem meam in te.*

Ezech. 24.

CAPUT XXIV.

Quomodo Judæi Anni ineuntis festum celebrent.

PRimus dies Tisri, uti diximus, caput est anni politici, ad quem publica contrahentium instrumenta, & alia id genus, diriguntur. Annos autem computant a creatione mundi, & novissimis Tisri Kalendis, computare occœperunt quinque mille quadringentos & triginta novem ex quo videre est, quam procul a Christianorum computo absint; discrimen nempe est annorum duorum & ducentorum.

Dies novi anni.

In Lege autem Deus hoc die Israelitas feriari jussit, ut ex Levitico videre est, ubi legimus; *Loquutusque est Dominus ad Mosem, dicens, loquere filiis Israel, Mense septimo, prima die mensis, erit vobis Sabbathum, memoriale clangoris tubarum, & vocabitur sanctum: Omne opus servile non facietis in eo, & offeretis holocaustum Domino*. Et quamvis nulla hic capitis anni mentio fiat; certa tamen & constanti Judæorum traditione, annus civilis hoc mense incipiebat. Septimus autem fuit hic mensis anni sacri, cujus principium fuit mense Martio. *Festum clangoris tubarum* præcipue appellatur, ideo quia sacerdotes in templo tubis clanxerunt, ut populus hoc pacto excitaretur, &, Deo pro omnibus præteriti anni beneficiis gratias læto animo agendas esse, moneretur, quem, illo miserante, tam feliciter transegisset; ut etiam cum timore & trepidatione ad pœnitentem vitam omnes se componerent, & ad proximum Expiationis diem, quo pro totius populi peccatis expiatio fiebat, se prępararent. Hodie vero Arietis cornu utuntur Judæi, ea de causa, quam mox memorabimus.

Lev. 23. 24 Num. 29. 1

Cur Festum clangoris vocetur.

Per duos dies feriantur his Kalendis Tisri, non ut in aliis festis propter Novilunii, aut Festi diei incertitudinem in hoc ipsorum exilio; sed alia ratione. Duo isti dies Novi anni נחשבים כיום אחד censentur tanquam una dies longa, ובקדושה אחת & sanctitatis unius. Causam dicunt esse, quod etiam eo tempore, quo Synedrium adhuc Hierosolymis erat, & juxta Phasin Lunæ Neomeniam celebrabant, sæpius Festum Novi anni per duos dies celebrarunt. Hoc ita ex-

Levusch par. I. num 600. §. 1.

plicat R. Mardochai Japhe. *Primum*, inquit, *quando advenerat* 30. *dies* Elul, *h. e. Augusti, cessabant ab opere; & sanctificabant diem illum ab ejus vespera: quia fieri poterat, ut testes Novilunii crastino die venirent & dicerent, se Lunam vidisse, & sic esset dies ille Dies Novilunii, & Novi anni, ac proinde Nox illa ad diem festum* (Novi anni) *pertineret: quin & interdiu sedebat Synedrium Hierosolymis, & præstolabantur adventum testium de Lunæ phasi testantium, & quacunque hora diei venirent, usque ad vesperam, eo die consecrabant Novilunium & fuit dies Novi anni: ab eo die & deinceps, numerabant usque ad Diem Expiationum, & Festum Tabernaculorum: semperque solebant Testes venire ante Minchæ tempus* (circa meridiem.) *Accidit aliquando ut serius, post Mincham advenirent, cum jam Sacrificium juge vespertinum oblatum esset, unde factum, ut Levitæ in Cantico erraverint, & Canticum commune* (*non diei festi*) *cecinerint, existimantes, illos non amplius venturos eo die: ipsis vero advenientibus, viderant, Diem esse sanctum, & rem hanc in contemtum Diei festi cedere. Ab eo ergo die & deinceps sanciverunt, ut non acceptarentur testes, nisi usque ad tempus Minchæ: si serius venirent, illum diem debere esse intercalarem, & censendum pro die* 20. *mensis Elul, & ab ejus crastino numerandum esse ad diem Expiationum, & Tabernaculorum. Potestas enim hujus rei data est Domui judicii, seu Synedrio Hierosolymitano, sicut scriptum est;* Hæ sunt solennitates Domini, quas vocabitis vos; hoc est, *quas vos statuetis & determinabitis, sive erretis, sive non. Nihilominus, quamvis solennitates non numerarent a die hoc, & pro die communi haberetur, Diesque festus sit demum crastinus; tamen non vilipendebant eum; quia de Jure, & secundum Legem deberet esse Dies festus. Quoniam autem facultas data est Domui judicii eum transferendi; ideo ab operibus residuum diei abstinendum, & eum usque ad noctem sanctificandum ordinarunt, ex statuto Rabbinorum; sequentem autem fecerunt Diem Novi anni & festum, secundum Legem. Loca etiam ab Hierosolyma procul dissita singulis annis debebant facere duos dies festos, quia fieri poterat, ut testes demum post mincham venirent. Ideo Sanctitas eorum, est Sanctitas una ex statuto Sapientum, & præcepto illorum, juxta facultatem a Lege ipsis concessam. Neque hic dicendum;* Videri tamen alterutrum ex his diebus esse חול communem; *Nam neuter illorum est Dies communis, sed primus est sanctus ex Lege; quia in eo fuit Novilunium, & illud Testes viderunt, & sic est Dies Novi anni & Novilunii; secundus, sanctus est ex sententia Domus judicii, quibus Lex dedit facultatem numerandi solennitates a die Crastino. Hac de causa ambos ejusdem fecerunt sanctitatis, & ad instar Diei unius longi. Etiamsi autem illi numerarint solennitates a Die primo; tamen nos solemus etiam secundum diem sanctum facere, ex consuetudine Domus judicii R. Jochanan filii Zachæi, qui fuit post vastationem Templi, neque amplius curavit destructionem vel confusionem Cantici* (*de qua paulo ante,*) *& ordinavit ut reciperentur testes toto die, & eum pro die primo numerarent, etiamsi post Mincha venissent. Interea tamen prima constitutio non sublata est, quia ambo dies sanctificantur, & rationem habent Sanctitatis unius longæ.* Hæc ille.

Levusch par. I. num 602. §. 2.

Consecratio Lunæ hujus differtur, usque dum Dies Expiationum præterierit, quia his diebus illi stant quasi in judicio timidi & pavidi; consecratio autem fieri debet animo læto & hilari. Ita communis mos obtinet. Quidam vero putant, eam intra illos dies debere fieri, ut præcepti hujus observatione merita ipsorum augeantur, & pondus majus obtineant, ad lancem peccatorum deprimendam.

Uti hodie celebretur, Vesperi.

Hoc autem inprimis modo celebratur. Vesperi in Schola conveniunt, & preces solitas recitant. Hoc, & Expiationis die *primo*, בכריעה *cum incurvatione*: quia enim hoc die sunt judicandi, & quasi coram tribunali judicis comparent, cum timore & tremore orare debent, magis quam reliquis diebus anni, neque, ut quibusdam moris est, se erigere debent, ante completam orationem: *secundo* clara & alta voce. Quamvis enim toto Anno Ecclesia oret בלחש mussitando, ne unus alterum impediat & turbet; his tamen duobus diebus clara & alta voce, est orandum, ut tanto majore cum devotione & ardore orare possint. Quia enim singuli suos libros Precum habent præ manibus, non tantum est periculum, ut sibi invicem sint impedimento &c. Vespertinis precibus in schola peractis, cyatho vini, & peculiari precantiuncula, festum consecratur, faustique & fertilis anni signum esse ducunt, si mustum ad consecrationem nacti fuerint. Tum faustum sibi invicem annum comprecantur, & ajunt: בשנה טובה תכתב *Ad bonum annum inscribaris*, (quibus Libros illos innuunt, quorum superiori capite facta mentio:) Salutatus respondet, גם אתה *Tu quoque*; vel בורא ינזרך לשנה טובה *Deus ad annum bonum destinet*

net te, Respondentur autem, גם אותה, *Te quoque*. Pueruli quoque ad supremum Rabbinum se conferunt; qui illorum capitibus manus imponit, illis benedicit, faustumque & felicem annum precatur.

Orach chajim n. 583.& seq.

Domum redeuntes mensæ, quam stratam inveniunt, e vestigio accumbunt: cibi dulces multi apponuntur, & primo quidem תפוחים Poma dulcia in mel intincta, de quibus frustulum unusquisque capit, & ait; תהא השנה הבאה עלינו טובה ומתוקה *Annus bonus & dulcis nobis ineat*: hilariter postea epulantur. In Germania etiam Particulam panis abscissam in mel intingunt, eodem cum voto. Quod Poma dulcia præ aliis adhibent, scribunt quidam id significare שדה של תפוחים *Agrum pomorum*, de quo Cabalistæ scribunt, quemque desumunt ex eo quod scriptum exstat; הנה ריח בני כריח השדה *Ecce odor filii mei, sicut odor agri, cui benedixit Deus*. Mentio hujus agri in Zohar fol. 84. col. 2. edit. Cremon. Inter cætera *Caput arietinum* apponitur, in arietis illius memoriam, qui in locum Isaaci oblatus est. In hunc enim diem oblationem hanc incidisse credunt. Sunt qui scribant, ideo caput arietis apponi, quod debeant esse לראש ולא לזנב *in caput, non in caudam*, uti scribitur; *Constituet te Dominus Deus tuus in caput, & non in caudam; & eris semper supra & non super*; nempe, si vocem Domini audivissent, & omnia ejus mandata custodivissent, ut in principio capitis habetur. Revera autem hoc ideo institutum est, quia Caput & Domini Christianorum fieri aliquando sperant, quod a Deo precibus suis quotidie efflagitant. Præstantibus etiam & eximiis *piscibus* lubenter hac vespera vescuntur, sic designantes, merita & bona opera sua instar piscium in aqua multiplicari debere. Aceto tamen incoquendi non sunt: acida enim omnia hac vespera prohibentur. Carne pingui & *Dulcibus fructibus* omne genus utuntur, ut amygdalis, ficubus, uvis passis, cucumeribus, malis citreis, cucurbitis, lupinis, dulci spissaque pulte, aliisque ejusmodi. Quidam etiam *malogranata* edunt, dicentes; ירבו זכיותינו כגרעיני רמון *Multiplicentur justitiæ, vel merita nostra, ut grana malogranati*. Rabbini etiam scribunt, hoc die comedendum esse רוביא קרא, תמרי, סלקי, כרתי, רוביא primo, hoc est, uti illi explicant תלתן *Fœniculum*; iterum in signum, שירבו ut multiplicentur merita ipsorum; deinde כרתי *Allia vel porra*, quæ Chaldaice כרתי appellantur a radice כרת, quæ

Gen. 27. 27

Cur caput arietinum eo die comederent soleant.

Deut. 28. 13.

Cur pisces.

Fructus dulces, &c.

Exscindere significat: Ideo postquam illa comederunt, inquiunt, יכרתו שנאינו *Excindantur ii qui odio nos habent*: *tertio*, סילקי, quod scribunt esse Pultem quandam dulcem, addendo: יסתלקו אויבינו *E medio tollantur hostes nostri*; quarto, תמרים, h. e. *Amygdalas*: has edentes, dicitur, יתמו שונאינו *Consumantur & deleantur hostes nostri*: quinto קרא *Cucurbitam*, ad quam dicunt; יקרע גזר דיננו ויקראו לפניך זכיותנו *Laceretur decretum judicii nostri, & merita nostra legantur in conspectu tuo, &c.*

Nemo tamen his & aliis, ventrem nimis opplere debet, vel se exsatiare, multo minus vino duci inebriare, ne quid ex levitate, quod minus deceat, committat.

Quidam a Nucibus abstinent, quod eæ pituitam generent, & tussim causentur, qua Orantes impediuntur &c. Alii dicunt, ideo id faciendum, quo eo commonefiant, abstinendum esse a peccato. Nam אגוז (*Nux*) in numeris facit 17. totidem חט *Peccatum*. Monetur ergo sic homo, hoc die abstinendum esse a peccato.

Mane solito maturius, linteis induti tunicis (quas שרגנים vocant), in scholam eunt, multum canunt & orant, bis librum Legis ex arca promunt, aliquot inde lectiones legunt, uti Ezras quoque fecit (verum longe aliter atque hodie Judæi) & lectionem Propheticam, quæ illis הפטרה *Haphtarah* dicitur. Ad eos, qui in Carcere detinentur, non deferunt librum Legis, ne quidem hoc & Expiationum die; שאין כבוד לתורה ללכת אחריהם לבית האסורים *quia non honorificum foret Legi, illos sequi in Carcerem*.

Mane in schola.

Nehem. 8. 1.

In quibusdam locis, quando חזן *Chassan*, seu præcentor surgit ad orandum, superstitiosam præmittunt precationem, quæ ita habet: *Obtestor vos*, פסקון, *Phaskon*, אטמון, *Atmon*, סגרון, *Sagron*; & Phaskon *quidem, ut non* יפסוק jiphsok *deficiat vox mea*; Atmon, *ut non* יאטום jeetom *obturetur guttur meum*; Sagron, ut non יסגור jisgor *occludatur guttur meum, sed vox mea sit jucunda, amena, grata, & fortis, sicut dicitur*: Et fuit sonus buccinæ procedens & invalescens valde; Moses loquebatur, & Deus respondebat ei in voce; *& facio hoc in nomine* שמעיה *Schemejah*, שריאל *Sariel*, קיסמון *Kismon*, & פיסמון *Pismon*, אסם *Asam*, אסתמר *Astamar*, & סמנגלוף *Samangeloph*; *ego Ploni filius Ploni; adjuro vos, ut me juvetis, ut hoc die voce clara, jucunda & grata orare possim, ne guttur meum raucescat, spiritus & vires meæ*

Levusch par. 1. num. 584. §. 1.

Exod. 19. 19.

defatigentur. Quidam etiam plures alias Adjurationes addunt. De his vero ſcribit R. Mardochæus Japhe in Levuſch: *Mihi videtur, has adjurationes non eſſe adhibendas prorſus. Ut quid enim conjuratio uſurpanda in Precatione? Et num decet Deum conjurare, ut exaudiat Preces noſtras, etiam nolens volens? Mihi videtur, ipſis hoc non eſſe permittendum, & hoc eſſe optimum ac conſultiſſimum. Tantum enim abeſt, ut hæc pro piis habeam precibus, ut potius dicam eſſe* חירוף ונידוף *meram blaſphemiam, perinde ac ſi vellent Deum cogere ad acceptendas preces ſuas, per has Adjurationes. Proprietas enim verarum adjurationum hæc eſt, ut Deus illis Angelis facultatem largiatur faciendi, quod Adjurantes ab eis petunt, ſine ullo hominis merito, vel precatione, nobis a Sapientibus noſtris præſcripta. Abſit, ut illi nobis ordinarint, ut preces noſtræ acceptentur a Deo per adjurationes & incantationes*, חלילה לנו מדעות החיצונות הללו *Abſint a nobis peregrina hujuſmodi dogmata! Qui debita cum devotione & fide oraverit, is a Deo exaudietur. Itaque Adjurationibus nullus hic eſt dandus locus. Ut nil dicam de magno periculo quod illis ſubeſt. Quod ſi enim quis in illis Adjurandi formulis, (quarum nos hodie non periti ſatis ſumus) quid immutet, tota quoque Orationis ejus intentio mutari poteſt, & Benedictio convertetur in maledictionem. Rem ipſam quis poteſt precationis formula a Deo petere, ſed omiſſis Angelorum Nominibus*. Confer cum his *librum Ikkarim* par. 2. cap. 28.

Dehinc ſuggeſtum aliquis conſcendit, &, Cornu arietino inflato, triginta voces variis vicibus intonat, quaſdam æquali, quaſdam fracto tono; ſi egregie voces reſonent, annus fortunatus, ſi quid illis judicibus certum eſt, portenditur; ſi vero fuſcus nec firmus ſit ſonus, maleque tubicini cedat, ora in mœſtitiam flectunt, inauſpicatum id cenſentes. Ubi inflare deſiit, clara & ſonora voce a plebecula reſpondetur: אשרי העם יודעי תרועה יי׳ באור פניך יהלכון *Beatus populus qui ſcit jubilationem: Domine in lumine vultus tui ambulabunt*. (Pſal. 89. 16)

Si puer hoc die ſit circumcidendus, adminiſtrant circumciſionem ſtatim poſt finitam lectionem Legis, antequam Schola exeant: quia diutius hoc die in Synagoga morantur, quam reliquis Sabbathis & diebus feſtis, & ſæpe ultra meridiem. Fieri tamen debet, antequam buccina clangatur.

De Clangore tubarum in hoc feſto.

Cæterum quod ad *Clangorem illum buccinarum* attinet, de illa etiam paulo plura hic ſubjiciemus.

Clangens debet *ſtare*; non quod res ipſa hoc requirat, ſed propter honorem Eccleſiæ: ſtare debet in ſuggeſto loco ex quo legunt, Legem, non ubi conſuevit ſedere: Eccleſia ſtat.

Antequam clangat, ſequentem recitat Benedictionem; ב״אי אמ״ה אשר קדשנו במצוותיו וצונו לשמוע שופר קול *Benedictus ſit Deus, qui ſanctificavit nos præceptis ſuis, & præcepit nobis, ut audiamus ſonum buccinæ*; Ajunt, vim præcepti non conſiſtere in Clangendo, ſed in Audiendo; ideo dicunt; *Qui præcepit nobis audire ſonum buccinæ*. Cui ſubjungit & hanc; *Benedictus Deus &c. qui nos hucuſque in vita conſervavit, & nos pervenire fecit ad hoc tempus*.

Miniſter Synagogæ non facile ad hoc officium adhibetur, quia eo in precationibus recitandis facile confundi poteſt, ſi alius aliquis idoneus reperitur.

Cornu, quo loco שופר *Buccinæ* utuntur, debet eſſe cavum, ut שפופרת *calamus vel fiſtula*, & כפוף *incurvum*. Cornu arietino communiter utuntur, in Arietis illius memoriam, qui in Iſaaci locum oblatus eſt, quod in primam Tiſri incidiſſe volunt; *Curvum* debet eſſe cornu, ut commonefiant, ſe corda ſua debere incurvare & humiliare coram Deo.

Si intus ſit obductum auro, vel extus ad foramen orificii ſuperioris vel inferioris, cornu non eſt legitimum: quia ſonus egreditur ex auro, non ex cornu.

Tempus clangendi eſt ab Ortu Solis vel diluculo diei primi, uſque ad ejus Occaſum.

Quantitas Cornu hujus ea eſſe debet, ut cum manu illud tenet, utrinque adhuc ejus pars aliqua conſpiciatur, trium circiter palmorum.

Si dies primus hujus feſti incidat in Sabbathum, tum clangunt die ſecundo. Cornu a Chriſtiano facto vel allato non eſt utendum: ſi quis tamen id fecerit, officio ſuo functus eſt.

De modo & artificio clangendi, de ſonis & modulis, de perſonis &c. plurima hic ſcribunt, quibus exſcribendis ſuperſedemus. Petat ea, qui vult, ex Minhagim & Ritualibus ipſorum. Videatur & liber de Abbreviaturis, in תש״רת תש״ת תר״ת.

A ſchola domi.

A ſchola domum redeunt, edunt & bibunt. Hic Rabbini omnes lætos & bono animo eſſe, ſibique peccata a Deo condonatum iri, ſecum reputare jubent, non ea tamen de cauſa, quod egregie pergræcati fuerint; id enim vitio affine eſſet.

A cibo.

A cibo viri, mulieres, pueri, juvenes ſeneſque, ad aquam aliquam vel pontem per-

pergunt, ut peccata sua in aquam projiciant, prout scribitur; *Revertetur & miserebitur nostri, deponet iniquitates nostras:* ותשליך *& projicies in profundum maris omnia peccata nostra.* Si pisces conspexerint, omen accipiunt, præ lætitia exsiliunt, vestes suas strenue excutiunt, & peccata sua in pisces decutiunt, qui peccatis illis onusti enatant, non secus ac aries in veteri Testamento, cum populi peccatis in desertum aufugiebat, ut in Levitico legitur. Judæi Germani vocant *Taschlich* machen. Quidam scribunt, illos adeo ad flumen abire, ut ex conspectu piscium incertæ mortis horæ sint memores, & ejus consideratione ad pœnitentiam incitentur: quemadmodum enim pisces subito & ex improviso reti capiuntur; sic homines sæpe a morte derepente, veluti reti, capiuntur & abripiuntur. Sunt qui scribant, id in Abrahami memoriam fieri, cui, cum primo anni die Isaacum oblaturus esset, in itinere Satanas, in ingentem aquam conversus apparuerit, ut primo genuum tenus in aqua ambularet Abraham, sed mox ad collum usque excrevisse, adeo ut in præsens vitæ discrimen venerit; ut sc. ligationem & oblationem Isaaci impediret; Abrahamo vero tum orante & dicente; הושיעה יי׳ כי באו מים עד נפש *Serva & fer opem, Domine, quia pervenerunt aquæ usque ad animam*, semitam illi siccam & aridam in medio aquarum posuisse Deum ut una cum Isaaco salvus evaserit. Exstat hæc historia paulo fusius in *Medrasch Vajosccha*.

Mich. 7. 19

Noctu.

Noctu iterum in lætitiam effunduntur, & genialiter epulantur. Ita per biduum novi anni principium cum summa securitate, lætitia, & voluptate celebrant: ita tamen, ne cibo & potu corpus & animum gravent. Jejunare autem prorsus est prohibitum; nisi tamen quis voto se ad jejunandum obstrinxerit.

Mich. 2. 11

Micheas; *Si quis vanus sit & mendax, dicatque stillabo tibi vinum & siceram, ille populi hujus Propheta erit.*

Soph. 3. 4.

Sophonias: *Prophetæ ejus vesani, viri infideles: sacerdotes ejus polluerunt sanctum, injuste egerunt contra legem.*

CAPUT XXV.

Quomodo Judæi ad Festum Expiationis se præparent, & Gallum pro peccatis suis offerant.

Orach chajim n. 602.

AB anni principio ad decimum usque diem, quo Festum Expiationis celebratur, appellare solent עשרת ימי תשובה Aseres jeme teschuvah *decem pœnitentiæ dies.* His decem diebus, inde a principio Novi anni, scribunt judicari hominem a Deo, & omnia ac singula ejus opera examinari; ונגזר דינו נחתם ביום הכפורים sententiam autem de eo pronuntiari Die expiationum. Illis itaque diebus jejunio strenue se macerant, multum orant, magnamque pietatem affectant, ut, si quem in mortis Libro Deus inscripserit malumque illi annum destinaverit, nunc pœnitentiam ejus bonaque opera intuetur, & in illius bonum convertat, eumque magno Expiationis die in viventium Librum referat, & judicium ejus tum demum obsignet. Confessionem suam peccatorum, præter alias multas preces, singulis diebus mane ter recitant, excepto die nono, quo semel tantum ab illis editur.

Decem dies pœnitentiæ.

A jejunio tamen excipitur *Sabbathi dies*, qui in hos dies incidit, qui vocatur שבת תשובה *Sabbathum pœnitentiæ*; & *Vespera diei Expiationum*, in quibus jejunare prohibitum.

Sabbathum pœnitentiæ.

His decem diebus omnes & singuli abstinere debent מפת גוים a Pane Christianorum, etiam illi, qui alias eo solent uti. Quantum enim in ipsis, omni munditiei per hos dies studere debent, & meminisse illos longe præstantiores esse quam reliquos dies anni. Si quis ipsemet Panem coquere nequeat, saltem furnum Christiani Judæus rite præparabit, stipulas in eum projiciendo, ut videatur Coctionem juvare; idque ideo, ut recordentur, se munditie & sanctitate a Christianis esse distinctos, & sic ad pœnitentiam incitentur. Propterea quisque Paterfamilias providet, ut a Kalendis Tisri usque ad festum Expiationum sufficienti pane sit instructus.

Neminem per hos dies excommunicant: nemini jusjurandum deferunt: quidam etiam a Judicio omni abstinendum dicunt: quia ipsimet hoc tempore judicantur, & hac ratione forsitan Proprietatem Judicii & justitiæ Divinæ, vel Satanam ad accusandum, irritare possent. *Sabbatho pœnitentiæ* in Synagogis solent concionari, & populum exhortari ad studium Legis & ejus observationem, bona opera, pœnitentiam &c. Omnes enim debent per hos dies opera sua examinare, & pœnitentiam agere, non solum propter opera manifeste & palam mala, sed etiam de iis de quibus dubitant; Imo ספק עבירה צריכה יותר תשובה מעבירה ודאית *Transgressio dubia magis opus habet pœnitentia, quam transgressio ma-*

manifesta : quia de hac homo agit pœnitentiam, de illa securus, eam sæpe negligit &c.

Nono die mane ante lucem surgunt, in scholam eunt, satis multum canunt & precantur.

Gallo quomodo & cur hoc in festo utantur.

Quamprimum vero domum redierunt, mares singuli, tum pueri tum viri Gallum in manus sumunt : fœminæ Gallinam; gravida Gallum & Gallinam; quod si peperit masculum, Gallus servit expiationi infantis, Gallina expiationi matris; si fœmellam, Gallina ea sufficit pro expiatione matris & filiæ. Quilibet postea paterfamilias, cum Gallo præ manibus, in medium primus prodit, & ex Psal. Davidis ait ; *Sedentes in tenebris, & umbra mortis, vincti inopia & ferro: eos eduxit de tenebris & umbra mortis, & vincula eorum disrupit : Stulti propter prævaricationem suam, & propter iniquitates suas affliguntur, omnem escam abominata est anima eorum, & pervenerunt usque ad portas mortis. Tunc clamaverunt ad Dominum in angustia sua, ab angustiis eorum servavit eos, mittit verbum suum, & sanat eos, & eruit eos de foveis ipsorum. Celebrent ergo Domini misericordiam, & mirabilia ejus filiis hominum. Et sacrificent sacrificia laudis, & narrent opera ejus cum jubilo*. Item ; *Si ei adsit Angelus interpres unus de mille, qui illi resipiscentiam exponat, tunc miserebitur ejus, & dicet, redime eum, ne descendat in fossam : inveni enim expiationem* (Gallum nempe gallinaceum, qui peccata mea expiabit). Deinde expiationem aggreditur, & capiti suo gallum ter allidit, singulosque ictus his vocibus prosequitur; זה חליפתי, זה תחתי, זה כפרתי, זה התרנגול ילך למיתה ואני אלך לחיים טובים עם כל ישראל אמן *Hic Gallus sit permutatio pro me, hic in locum meum succedat, hic sit expiatio pro me, huic gallo mors afferetur, mihi vero & toti Israeli vita fortunata. Amen*. Hoc ille ter ex ordine facit, pro se sc. pro filiis suis, & pro peregrinis, qui apud illum sunt, uti Summus Sacerdos in Veteri Testamento expiationem quoque fecit, ut in Levitico legimus. In his verbis notant, initiales literas harum trium vocum חליפתי, תחתי כפרתי. constituere חת״ך *Chatach*, quod scribunt esse Nomen Angeli, huic rei præfecti ; & petunt id ex illo versu : פות׳ח את׳ ידי״ך quarum literæ finales etiam sunt חת״ך. Gallo deinde imponens manus, ut in sacrificiis olim, eum statim mactat, cutemque ad collum ei primum contrahit & constringit, & secum reputat, se, qui *præfocetur aut stranguletur*, dignum esse: hunc autem Gallum in suum locum substituere & offerre; Cultello postea jugulum resolvit, iterum animo secum perpendens, semetipsum, qui *gladio plectatur*, dignum esse ; & confestim illum vi e manibus in terram projicit, ut denotet, se dignum esse, qui *lapidibus obruatur:* Postremo illum assat, ut hoc pacto designet, se dignum esse, qui *Igne* vitam finiat: & ita quatuor hæc mortis genera, pro Judæis Gallus sustinere debet. Intestina vulgo supra domus tectum jaciunt, avium commiseratione, ut aliquid etiam de illorum oblatione participent. Verum alii dicunt id fieri, quia quum peccata internum quid potius quam externum sint, ideo galli intestinis peccata hærere : corvos itaque advenire, & cum Judæorum peccatis in desertum avolare debere, ut hircus in Veteri Testamento cum populi peccatis in desertum aufugiebat. Alii hanc reddunt causam ; quia Galli victum hinc inde conquirunt, & ex rapto vivunt ; & quia vermes & alias res abominabiles comedunt, hoc die sancto ab eorum esu esse abstinendum. Dant præterea operam, ut *album Gallum* ad hanc oblationem consequantur ; rubro omnino abstinent, quia gallus ruber jam antea peccatis scatet ; siquidem peccatum rubrum est, uti scribitur : *Si fuerint peccata vestra ut coccinum, quasi nix dealbabuntur ; &, si fuerint rubra quasi vermiculus, velut lana, alba erunt*. Jam vero si gallus albus fuerit, nullis infectus est peccatis, & Judæorum peccata sustinere potest : sed si ruber sit, totus peccatis scatet. Judæorum itaque peccatis ferendis inidoneus est. Antonius Margarita scribit in libro suo de fide Judaica, quosdam dicere, se a veteribus accepisse, ad hanc expiatoriam oblationem Simiam sumendam esse : hanc enim homini simillimam esse, &c. Causa autem, cur Gallo potius quam alio animante utantur, hæc est, quia Vir Hebraice גבר *Gebher* appellatur. Jam si *Gebher* peccaverit, *Gebher* etiam peccati pœnam sustinere debet. Quia vero gravior esset pœna, quam ut illam subire possent Judæi, Gallum gallinaceum, qui Talmudica seu Babylonica dialecto גבר *Gebher* appellatur, in locum suum substituunt, & ita justitiæ Dei satisfit; quia quum גבר *Gebher* peccaverit, גבר *Gebher* etiam, id est, Gallus gallinaceus plectitur. In Levusch scribitur, *si Gallo gallinaceo quis destituatur, illum posse ejus loco sumere vel Anserem, vel Turturem, vel Pullum columbæ*. Additur ibidem, *quosdam hunc morem improbare tan-*

Margin notes: Ps.107.10. 14.17.&c. — Job.33.23. — Levit. 16. 17. — Jesa. 1. 16. — Gallus ab Hebræis vocatur Vir. — Num.624. §. 1.

tanquam superstitiosum; 1. *quod ad sacrificia seu oblationes sit prohibitus Gallus, ac proinde hic non debeat pro oblatione servire: deinde quia Mactans eum extra terram sanctam, videatur Oblationem facere extra terram sanctam, quod etiam est prohibitum*. Ad hæc autem ita respondet R. Mardocheus; *hanc ipsam ob causam usurpari solere tales animantium species, de quibus omnibus constat, quod ad Oblationes ineptæ sint, ne quis erret, & existimet, veram hic fieri Oblationem; sed fieri tantum ut Satanæ os obstruatur, & omnis accusandi materia præripiatur, qui perniciem hominis quærit, ut ipsius potestati tradatur. Dum enim homo Gallum suo loco mactat, & cogitat quasi seipsum mactaret, nullus ei locus accusandi relinquitur*. Leo de Modena quoque scribit, *in Italia, & in Oriente hunc Ritum esse abrogatum, ut qui nullum habeat fundamentum, & multum superstitionis*. Sic cæcæ illæ & brutæ pecudes hic Deo suo imponere, & glaucoma ob oculos objicere se posse putant, iis nempe artibus, quibus Diabolum decipere possunt, ut superiore capite vidimus, adeo ut illi Gallus gallinaceus Homo esse videatur. Væ tam horribili cæcitati! Consimilem acutam & subtilem expositionem legimus in libro qui שבט יהודה id est, *Tribus Judæ*, dicitur, & Hebraice primum conscriptus, postea vero in Germanicam linguam a Judæis ipsis versus, & Cracoviæ in Polonia, ab hinc annis duodecim, editus est, ubi disputatio inter Christianum & Judæum, coram Alfonso rege Lusitaniæ olim habita, describitur. *Quum Christianus multa Scripturæ loca produxisset, Christum verum Messiam spectantia, & inter cætera hæc quoque verba Psalmi* 22. Mi Deus, mi Deus, ut quid me dereliquisti? *tandem Judæus respondit; Hanc Sacræ Scripturæ inesse proprietatem, ut variis modis exponi possit: veram autem & optimam expositionem esse eam, quæ aliis Scripturæ locis illustrari & confirmari potest. Multa vero esse loca, quæ obstent, quo minus hæ voces*, Mi Deus, mi Deus, &c. *de Christo intelligi possint. Verum tibi primo referam ea*, inquit Judæus, *quæ sapientissimus & doctissimus quidam Rabbinus Hispaniarum Regi in hæc verba aliquando respondit; Heri in gallum meum excandui, eo quod mihi nimio cantu molestiam facesseret; baculo itaque illum percussi, & in tenebricosum conclave abegi, ubi glocitare desiit. Illum vero tamdiu singulis diebus præ ira verberavi, donec cute direpta ossa illi comminuerim. Postea in ollam eum condidi, & operculo, ut decet, texi. Sed a morte ejus miraculum contigit; anima ejus in corpus reversa est, & iterum cucurire & canere occæpit. Et hic est Psalmi vigesimi secundi sensus. Prophetæ enim Jeremiæ vaticinationem in Threnis huc quoque referendam, invenio, dum ait;* אני הגבר Ego sum vir ille qui vidit afflictionem, *hoc est, Gallus gallinaceus, qui Talmudica dialecto* גבר Vir *appellatur*; In virga furoris ejus; *hic est Baculus quo gallus percussus fuit*; Deduxit me & abduxit, *id est, Abegit*; In tenebras & non in lucem, *hoc est, In conclave tenebricosum*; Vertit manum suam contra me; *his designatur altera verberatio in conclavi, vel etiam agitatio in olla*; Perdidit carnem meam & pellem meam, *hoc est, Diripuit & detraxit*; Et ossa mea contrivit, *hoc est, Me in partes dissecuit*; Ædificavit supra me, *hoc est, Me in olla texit*; In tenebris collocavit me, *id est, in olla tecta*; sed & cum clamavero & vociferatus fuero; *hæc denotant illum iterum a morte sua cecinisse*, &c. Hactenus ex libro *Schebbet Jehudah*. Unde videre est, quomodo Judæi Sacram Scripturam in ludibrium vertant, & reapse ostendant, se amentia, cæcitate & stupore cordis percussos esse, uti Deus per Mosem minatus erat. Hinc quoque præstantissimam illorum architectonicam, qui ex Gallo Virum, & ex Viro Gallum faciant, perspicimus. Adducor ut credam, imo extra dubium pono, si Propheta Jesajas cap. 53. usus fuisset voce גבר *Gebber*, illos hunc Virum de quo Propheta agit, in Gallum mutaturos. Verum non appellatur illi גבר *Gebber*, se איש מכאובות Isch machovos *Vir dolorum*: Item, נבזה וחדל אישים Nibhseh vachadal ischim *Contemtissimus & abjectissimus virorum vel hominum*; Quos autem dolores & languores tulit? *Vere languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portavit; Ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras: attritus est propter scelera nostra, disciplina pacis nostræ super eum, & livore ejus sanati sumus*. Ejusmodi Virum Judæorum stupor recusat, illlumque præfert, quem veru transfigere, assare, & cum hilaritate & lætitia comedere possunt. Galli vulneribus tarde sanabuntur, parumque admodum pacis in conscientiis suis consequentur, ut revera in lecto jam jam morituri decumbentes ostendunt, ubi nulla consolatione sustentantur, sed ajunt מיתתי תהי כפרתי *Mors mea sit expiatio & satisfactio pro peccatis meis*. Ah miseram consolationem! non mors

Psal. 22. 1.

Threu 3. 1

mors temporalis, sed æterna, expiatio erit & satisfactio pro illorum peccatis. Sed justo Dei judicio hoc cognoscere nec possunt nec volunt Judæi. Pergamus itaque & videamus, quomodo sese ad Festum expiationis porro præparent.

Sepulchresa petunt.

Facta expiatione cum Gallo, ad sepulchretum suum pergunt, ibique orant (uti supra quoque diximus in Festo anni principio) & eleemosynas distribuunt; tantum nempe pecuniæ, quanti æstimatur Gallus. Olim enim pauperibus gallos ipsos dabant; sed pauperes obmurmurarunt, & ab illo dono abhorruerunt, ac si nempe divitum peccata illis comedenda essent. Oblationem itaque a Deo suo pecunia redimunt, in ollam conjiciunt, vel veru transfigunt, & suaviter postea epulantur.

Lavant.

A meridie aquam frigidam iterum subeunt & lavant, ut supra ad pridie kalendas Tisri meminimus, in aquam se immergunt, ut ab omni immunditia se purificent & peccata sua abluant. Quod si tamen hoc anni tempore Aqua fluentorum nimis sit frigida, poterit calida super caput & corpus suum affusa, id præstare, non minori tamen quantitate, quam novem caborum. Hæc ablutio quavis hora fieri potest, modo fiat post meridiem, usque ad noctem, quo appareat eam propter Diem expiationum suscipi.

Candelas præparant.

Quidam interim candelas præparant, quibus postridie in schola utuntur. In Germania pro singulis viris candelam præparant, quod in eo fundant, quod Esajas dicit; בארים כבדו יהוה h. e. *Luminibus glorificate Dominum* (nam volunt אורים hic idem esse quod אורים) Sapientissimi Cabalistæ compererunt, voculam נר quæ *Candelam* significat, si literæ in numeros resolvantur, ducentum quinquaginta constituere. Jam vero vir ducenta octo & quadraginta membra in corpore suo habet, quibus si Spiritum ejus & Animam adjeceris, 250. exsurgent, & ita vocula illa נר Virum unicum designat. Mulieri quatuor membra sunt plus quam viro, ideo pro illa candelam accendere opus non est. In aliis regionibus candelas etiam pro mulieribus præparant, magnumque Scholæ ornamentum esse credunt, si multæ in schola candelæ ardeant. Qui pietatis excessu laborant, duos habent cereos, alterum pro corpore, alterum pro anima: & hic illo & paulo major & carior est, *Cereusque animæ* נר נשמה ab illis vocatur. Et Anima vocatur נר *Lucerna*, Proverb. 20. v. 27. ideoque *Cereus* iste expiationem facit pro anima.

Esa. 24.14.

Hinc & pro Animabus defunctorum Parentum Cereos tales accendunt: quia illorum revocationi & refocillationi inserviunt.

Orach chajim num. 606.

Si cujus Candela exstinguatur, pro infausto habent omine: sub vesperam in scholam conveniunt, precesque suas vespertinas & nocturnas peragunt.

Peccata sibi invicem condonant.

Si cui cum alio inimicitiæ intercedunt, alter alterum accedit, & is qui alium injuria aliqua affecit, veniam injuriæ illatæ ab offensa parte debet petere: Injuria affectus sponte condonare debet: sic enim Deus peccata sua illi quoque cito condonat. Si prima vice ignoscere noluerit, qui veniam petit, tres alios secum assumat, eumque bis & ter deprecetur; si nihil promoveat, non ex debito, sed ex abundanti decem secum assumat, eumque iterum deprecetur; si injuria affectus tum condonet, bene se res habet; si secus, tamen suo functus officio, liber est & immunis, nihilque veniæ, quam a Deo sperat, hoc nocebit: alter autem, qui remittere noluit, vocatur אכזרי *Crudelis*, neque a Deo suorum peccatorum remissionem petet. Dicitur enim, Die expiationum remitti peccata, quibus homo Deum immediate offendit, juxta id quod dicitur: *In hac die expiabit vos ut emundet vos: ab omnibus peccatis vestris coram Deo mundabimini* h. e. *Quod peccastis coram Deo, in hoc die expiatur, & ab eo mundabimini:* Quæ vero intercedunt offensæ inter hominem & proximum ejus, nequaquam donec eum placarit & cum eo reconciliatus sit, etiamsi non nisi verbis eum irritarit. Ter proximum esse conveniendum & delicti veniam ab eo petendam, probant ex eo, quod de Josephi fratre tertia vice id legatur: Sic enim nomine Patris sui alloquuntur Josephum; *Sic dicetis Josepho;* אנא שא נא *Obsecro parce quæso prævaricationi fratrum tuorum, &c.* Item, ועתה שא נא *Nunc ergo pace quæso prævaricationi servorum Dei patris tui.* Hic obsecrandi particulæ נא, אנא ter ingeminantur. Quod tres alios debeat secum sumere, qui offensum ad remittendum persuadeant, probant ex Jobi 33. 27. 28. 29. Si injuria affectus satis concesserit, qui injuria affecit, viros decem assumit, sepulchrumque ejus petit & ait; חטאתי לאלהי ישראל ולפלוני זה שפשעתי לו *Peccavi in Deum Israelis, & in N. qui hic situs est, &c.*

Levit. 16. 30.

Genes. 50. 8.

Hanc offensarum petitionem & reconciliationem scribunt ideo fieri, ut Israelitæ inter se pacifici & concordes vivant, omnisque eos accusandi occasio Satanæ præripiatur. Quam ad rem insigne colloqui-

loquium inter Sammaelem (Angelum mortis, seu Diabolum) & Deum legitur in Talmud, Tractatu de Sabbatho, cap. 13.

Peccatorum confessio coram Deo.

Hoc die quoque peccata sua Deo confitentur, quam וידוי *viddui* vocant. Quia enim *Dies Expiationum* est יום סליחה וכפרה *Dies Remissionis & expiationis peccatorum*, ideo ajunt necesse esse, ut eo quisque Peccatorum suorum confessionem edat, sicut in Ve. Test. de omnibus oblationibus, quæ pro Peccatorum expiatione fiebant, legitur, והתוודו את חטאתם אשר עשו *Et confitebuntur peccata sua quæ fecerunt* &c. sicut etiam Sacerdos summus in Die expiationum, pro se, & pro toto Israele confessus, sicut dicitur; *Expiationem faciet pro se, & pro domo sua, & pro universo cœtu Israel*; cujus sensus est, quod confessus fuerit primo peccatum suum, deinde peccatum Israelis.

Æquum equidem esset, ut hæc Confessio fieret cum ipso ingressu Diei judicii, quando ille consecratur sub vesperam ingruente nocte; nec prius: sed quia Sapientes metuerunt ne, si ea demum fieret post peractum prioris diei epulum (סעודה מפסקת *dictum*) multorum mens distraheretur, & devotio minueretur, quidam etiam inebriarentur, ut confiteri nequeant, &c. Ideo prudenter ordinarunt, ut quisque Vespera hujus Diei, ipso Minchæ tempore, antequam cibum sumat, Confessionem suam edat.

Confessionis formula satis longa est, habetur in libris precum ipsorum. Concepta est ordine Alphabetico, ita ut unaquæque litera complectatur Peccatum aliquod tum gravius, tum frequentius; ad quæ deinde, qui magis sunt devoti & contriti, & judicio pollent, alia specialia addunt, quorum sibi sunt conscii, vel ad quæ alias natura inclinant & feruntur; eorum remissionem simul a Deo petentes. Formulæ nonnihil, pro diversitate nationum, in libris precum variant. Et habent tum breviorem, tum prolixiorem, quam וידוי גדול *viddui gadol* appellant. Specimen ejus producit Clariss. Seldenus, par. 1. de Synedriis, cap. 12.

Hanc si quis publice & clara voce legat aut recitet, non necesse habet specialem peccatorum suorum enumerationem ei inserere, sed si privatim & submissa voce confiteatur, bene facit, qui omnia, quorum meminisse potest, recenset: quia magis hac ratione ad pœnitentiam agendam exstimulatur. Sic ajunt fecisse Mosen, quando pro Israelitis orans dixit; *Obsecro, peccavit populus iste peccatum grande: fecerunt enim sibi Deos aureos*. Non tamen ea nimis sunt exaggeranda, quin potius extenuanda, ut tanto facilius fiat eorum expiatio: Mentem enim prædictorum verborum Mosis hanc ajunt fuisse: *O Deus, peccatum utique grande commisit hic populus in cogitationibus suis: veruntamen nihil aliud fecerunt quam Deos aureos, qui nihil sunt coram te. Proinde quid hoc tua refert? perinde est, ac si nihil fecissent*.

Exod. 32. 31.

Confessio debet fieri stando (majoris humilitatis testandæ gratia) & corde syncero ac perfecto. *Sæpius, & minimum decies hoc die eam iterant*.

Post peractas preces, & Confessionem, solet etiam alter ab altero vapulare & loro cædi in Synagoga; idque ut tanto magis ad animum revocent, abstinendum esse a peccatis, quibus hactenus quisque addictus fuit. Flagellationis hujus hæc est ratio: Bini semper in peculiarem quendam scholæ locum eunt, tum alter humi se prosternit vultu ad Septemtrionem obverso, tergo vero ad Meridiem, aut vice versa (non ad Orientem vel Occidentem: quia in illis locis Majestas Divina habitat) alter vero loro bovino vel cingulo triginta novem ictus dorso ejus infligit: Is qui flagellatur, interim confitetur, sibique ipsi ad singulas voces pectus plangit, Flagellator ex Psalmo octavo & septuagesimo ait; והוא רחום יכפר עון ולא ישחית והרבה להשיב אפו ולא יעיר כל חמתו *Ipse misericors condonavit iniquitatem, neque disperdidit, & multiplicavit ut averteret iram suam, neque excitavit omnem iram suam*. Constat hic versiculus Hebraice tredecim tantum vocibus, terque a flagellante repetitur, & ad singulas voces ictum infligit, quod novem quoque & triginta ictus constituit. Hic postea etiam humi procumbit, & eodem modo a socio excipitur, quo illum excepit, & ita graves peccatorum suorum pœnas dant: verum in hac flagellatione asini mutuum fricant, lacertisque suis parcunt. Hanc flagellationem מלקות *Malkus* appellant ex Deuteronomio, ubi scribitur; *Si vero impius dignus sit qui vapulet, dejiciat eum judex, & cædat ipsum in conspectu suo juxta impietatem ejus cum certo numero. Quadraginta plagis verberet eum, & non addat verberare eum, &c.* Hæc olim fuit pœna politica, quemadmodum hodie apud Christianos malefici extra urbem virgis cæduntur. Sed verba hæc non de quadraginta plagis plene, sed minus una, id est, triginta novem intelligunt & exponunt. Quum ego aliquando Rabbinum interrogarem, cur triginta novem tantum plagas infligerent, quum expresse qua-

De Malkus, sive flagellatione & ejus modo.

Psal. 78. 38.

Deut. 25. 2.

quadraginta in Lege decernantur? respondit; Flagello olim usos veteres tribus loris vitulinis constante, quorum duo breviora, tertium tam longum fuerit, ut totum hominem, totumque corpus circumiret: hoc autem flagello ter & decies sontem percussum; si vero vel semel tantum cædere perrexissent, duas præter quadraginta misero reo plagas inflixissent, quod a Mose prohibitum. Expositio autem hujus loci, & quomodo sontes cæsi fuerint, plene describitur in ipsorum Talmud; verum id prolixius est, quam ut hic exponi possit. Qui plura cupit, adeat Præfationem nostram ad illustrem Virum Mornæum, libello de Abbreviaturis præfixam. Hanc pœnam quadraginta plagarum minus una, se quinquies a Judæis perpessum esse, inquit Apostolus Paulus; sed acerbius paulo, omni dubio procul, quam ipsi hodie se se invicem in synagoga flagellant.

Tractatu Makkos c.3.p.22. Rab.Bechai in Deut. 25. 2. Cor.11.24.

Cæterum scribunt etiam, Die expiationum non expiari & remitti peccata, אלא על השבים המאמינים בכפרה *nisi pœnitentibus & expiationem credentibus*; qui vero eam spernit, & apud se cogitat; *Quid prodesse possit mihi dies Expiationis?* ei nihil prodest, nec quicquam ipsi remittitur, quia remissionem nec petit, nec credit.

A schola domum ad mensam festinant, quam mulieres interim præpararunt, & Gallos gallinasque suas, quas mane pro peccatis suis obtulerant, devorant. Expresse in Ritualibus suis scribunt, *tam Dei præceptum & bonum opus esse, hac vespera saliarem in modum epulari, quam proximo die jejunio se macerare.* Lac etiam coagulatum hac vespera comedunt, & si Uvas habere possint, in illud lac injiciunt, & ex eo edunt. Cepæ & allium hac vespera sunt prohibita: ut & uxori cohabitare. Verum hæc cœna ante Solem occasum finiri debet. Dies enim festus cum nocte incipit, & semper aliquid de חול seu communi die addendum אל הקודש ad Diem sacrum & festum. Pretiosissimas suas vestes induunt, sed illis grande & latum lineum indusium, quod ad calceos usque dependet, superinducunt, in signum, se postero die albos & puros a peccatis, Angelisque similes fore. Quia enim diem expiationis dapibus non honestare possunt, pretiosis honestant vestibus, non reperientes, quo majore illum honore afficere possint. Quia etiam lineum hujusmodi indusium vestis est mortuorum, eo exstimulantur ad humilitatem & contritionem cordis, ut seriam agant pœnitentiam. In Masseches Taanijos, seu Tractatu Talmudico de Jejunio scribunt; Die 15. mensis Af, & in die Expiationum, solitas fuisse olim filias Israeliticas vestibus albis indutas in vineas exire, & illic saltare.

Levusch Num.203. §.6.

pag. 53.

Jesajas: *Audite cœli, & auribus percipe terra, quoniam Dominus loquutus est; Filios enutrivi & educavi: ipsi autem spreverunt me, Cognovit bos possessorem suum, & asinus præsepe Domini sui, Israel autem me non cognovit, & populus meus non intellexit; Væ genti peccatrici, populo gravi iniquitate, semini nequam, filiis sceleratis, dereliquerunt Dominum, blasphemaverunt sanctum Israel, abalienati sunt retrorsum. Quo mihi multitudinem victimarum vestrarum, dicit Dominus?*

Jesa. 1.

Hoseas: *Convertere Israel ad Dominum Deum tuum: quoniam corruisti in iniquitate tua, hæc animis vestris infigite, convertimini ad Dominum, & dicite ei; omnem a nobis aufer iniquitatem, & benefac nobis, & reddemus vitulos labiorum nostrorum.*

Hos. 14.

CAPUT XXVI.

De Festo Expiationis.

DE hoc festo inter alia in Levitico legimus: *Decimo die mensis hujus septimi dies expiationum est, ideo convocatio sancta erit vobis, & affligetis animas vestras, atque offeretis holocaustum Domino, Nullum opus facietis hoc ipso die, quia dies expiationum est, ad expiandum vos coram Domino Deo vestro, ut ab omnibus iniquitatibus vestris coram Domino mundi sitis, &c. Et affligetis animas vestras die nono mensis septimi sub vesperam: A vespera ad vesperam quiescetis in Sabbatho vestro.* Hodie itaque Judæi die nono, antequam nox advenerit, in Synagoga conveniunt, Cereos secum ferunt, depangunt accenduntque, & inauspicato ac ferali clamore canere & precari incipiunt. Mulieres domi quoque in hypocaustis & cubiculis peculiares candelas accendunt: imo etiam in quibusdam plateis obscurioribus; easque quibusdam in locis benedictione consecrant: manus ante candelam expandunt, festum a profesto, uti supra quoque de Sabbatho dictum est, separant. Sunt etiam, qui super ægrotis accendunt, ut infra traditur fusius. Ab Apostatis non accipiunt ceram pro his candelis, ne forte id ipsis pro merito imputetur. Si clarum & serenum lumen candelæ reddant, in

Levit.16. & 23.

in omen accipiunt, credentes peccata sibi remissum iri, vel prosperam sibi fortunam portendi, nec morituros; si vero fusco & maligno ardeant lumine, si cera effluat, omne hoc detestantur & abominantur, magnusque illos incedit mœror. Tapetibus quoque pavimentum in honorem festi sternunt: quibusdam locis, ut Wormatiæ, gramine tantum sternunt; ne lugubri die, quo multum prosternere se debent, & omnino humi procumbere, pretiosas suas vestes collutulent, vel idololatriæ speciem committant, quod prohibitum est, uti scribitur; *Lapideum pavimentum non ponetis in terra vestra, ut adoretis super ipsum quia ego Dominus Deus vester.*

Levit. 26.

Orach chajim n. 612. & seq. A quibus rebus hoc die abstinendum.

Quod dicitur: *Et affligetis animas vestras*; id præcipue de quinque voluptatum abstinentia interpretantur. *Primo* a vespera ad vesperam jejunium instituere debent (nihilominus tamen horas quatuor & viginti jejunium hoc vulgo excedit.) Cibum omnem ita prohiberi ajunt, ne quis tantum comedat, unde appetitus ejus aliquo modo placari potest: qui enim hoc facit, non fere affligit animam suam: Mensuram hanc definiverunt Rabbini esse כבותבת הגסה ad instar dactyli crassi, paulo minus quam ovum vulgare. Juxta hanc mensuram metiuntur cujusvis cibi esum: & qui minus edit, non peccat. *Secundo*, nemo calceos, ne quidem uni pedi induere debet; Sic qui pede uno mutilus est, ei non licet fulcrum seu pedem factitium alligare aut applicare; inprimis si sit ex corio: quia ex his commodum & delectationem capit homo. Senes vero & debiles, quodam morbo aut plaga laborantes, aut ii quibus frigus nocet, soccos laneos induere possunt, vel in schola in pulvillum stare. Si quis etiam sit in loco, ubi a Scorpionibus est periculum, licet ei & coriaceos calceos inducere. *Tertio*, nemo oleo vel aqua odorata voluptatis causa lini vel inungi debet. Ægrotus tamen, & qui Porrigine laborat, hoc die æque ac alio se potest ungere; quia id non facit voluptatis causa; extra hos casus non licet. *Quarto*, nullus lavare debet, imo ne minimum quidem digitum in aquam intingere, multo minus mane os & vultum frigida abluere. Intelligendum tamen hanc Lotionem volunt de ea quæ fit voluptatis gratia: sed si v. gr. manus, pedes, aut alia pars corporis fuerit sordibus aut luto inquinata, aut si alicui sanguis e naribus stillaverit, licet eas lavare, quia hoc non fit ad voluptatem: Sic mane, postquam e lecto surrexit quis, licet manus lavare: quia spiritus noxii illis insident, unde periculum homini imminet. Ita si quis alvum exonerarit, ille digitos articulorum tenus in aquam immittere potest: quidam linteo madido utuntur ad manus lavandas, sed periculum subest. Fieri enim posset, ut nimio humore maderet, & guttula aliqua manibus exprimeretur, quod externum opus foret, & aperta festi violatio. *Quinto*, omnino ab uxoribus suis abstinere debent, imo ne tangendæ quidem illis sunt, non secus ac si menstruo laborarent fluxu.

Pueri ab his omnibus sunt liberi, exceptis Calceis: quia non magnopere curatur, si discalceati ambulent. Manibus tamen ab alio ungi vel lavari non debent: quia ab hac unctione ungens vel lavans ipse voluptatem capit una cum eis: cibus ipsis dari potest; non tantam enim jucunditatem vel voluptatem inde percipit homo quantam in unctione & lotione, & metus ac reverentia Diei expiationis, eum ab edendo abstinent, & appetitum prosternunt. Interim paulatim eos ad observationem præcepti assuefaciunt; hora una vel etiam altera more solito tardius cibum ipsis præbendo; pro ratione ætatis & virium puerorum: qui undecim annorum est, ad perfectum jejunium adstringitur, etiam puella.

Gravidæ & lactantes quoque plenum totius diei jejunium observare debent: quod si gravida ex odore alicujus cibi, etiam prohibiti, vehementi appetitu accendatur, & periculum metuatur, si ei denegetur; tunc si nulla ratione ab eo averti possit, prius ei parum de humore seu succo ejus porrigunt, ut animus ejus nonnihil placetur; si hoc non sufficiat; libere ei dant quicquid vult.

Puerpera, tribus diebus primis a partu, prorsus non tenetur jejunare, quia periculum ei hinc emergere potest; a die tertio usque ad septimum; si dixerit, se opus habere cibo, datur ei, ut alii cuivis ægroto; inde & ulterius, ut cæteri omnes, jejunio animam suam affligere tenentur.

Ægroto, qui cibum appetit, & eo se opus habere dicit, cibus dari potest; imo etsi non petat, vel etiam se eo carere posse dicat, datur, si Medicus aliquis præscripserit. Quod si autem cibum ei dent, primo exigua quantitate ei porrigunt, quæ scil. minor sit, quam Lege est prohibitum, si forte ea acquiescat; post aliquantum exspectant, & rursum eo pacto ipsi aliquid exhibent, ut vel sic a transgressione præcepti, & annexa Excisionis pœna sit immunis. Eadem est potus ratio.

Veſpera Diei Expiationis. Orach chajim n. 610. Abſolutio ſceleratorum & prævaricatorum. Talm. Kethuth f. 6.2.

Antequam hac veſpera preces ſuas inchoent, *primo* ſceleratos & perfidos abſolvunt, & permittunt, ut una cum Eccleſia orare poſſint, etiam ipſis nihil tale petentibus. Nam in Talmude ſcriptum eſt. כל תענית ציבור שאין בו מפושעי ישראל אינו תענית , שהרי הלבנה ריחו רע ומנאו הכתוב עם סממני הקטורת *Omne jejunium publicum Eccleſiæ, in quo non ſunt de prævaricatoribus Iſraelis, nullum eſt: nam ecce Galbanum odoris eſt fœdi & ingrati, & tamen anumerat illud Scriptura aromatibus ſuffitus ſacri*. Itaque duo e præcipuis Rabbinis ſe juxta Præcentorem ſiſtunt, unus ad ejus dextram, alter ad ſiniſtram, ut una cum ipſo tres ſint, & publice elata voce proclamant; בישיבה של מעלה ובישיבה של מטה על דעת המקום ועל דעת הקהל אנו מתירין להתפלל עם עבריינין *In Academia ſuperna, & in Academia inferiore ex mente Dei, & ex mente Eccleſiæ, permittimus & poteſtatem facimus orandi cum prævaricatoribus*. Deinde præcentor confeſtim arcam accedit, in qua liber Legis ſervatur, illamque aperit, longamque & religioſam orationem canit, ſingulis ſubmiſſa voce ſequentibus, cujus initium eſt: כל נדרי ואסרי וקונמי וחרמי די נדרנא ודי אשתבענא ודי אחרימנא ודי אקימנא ודי אסרנא על נפשנא מיום הכפורים שעבר עד יום הכפורים זה שבא עלינו לטובה כולהון אחרטנא בהון h. e. *Omnia vota, interdicta, Anathemata quæ vovimus, juravimus, devovimus, obſervavimus, & quibus nos adſtrinximus a Die Expiationum præterito, uſque ad præſentem (qui nobis ſit auſpicatus) eorum omnium nos pœniteat, irrita, caſſa, & ſublata ſunto*; primamque hanc partem cantionis prolixæ ter ex ordine canit, & ſingulis vicibus vocem attollit, adeo ut tertia vice longe magis viva & canora ſit vox, quam prima & ſecunda vice. Sic communiter intelligunt, aboliri & irrita reddi juramenta & vota omnia, quæ elapſo anno fecerint. Sed R. Mordechaj Japhe explicat de futuro anno & vult omnia in ſingulari numero, & prima perſona legenda & exponenda eſſe, hoc ſenſu; *Omnia mea vota, interdicta, anathemata, quæ ſum voturus, juraturus, devoturus, & ad quæ meipſum ſum adſtricturus* כיפורים הבא מיום הכיפור הזה עד יום *a die Expiationum præſente, uſque ad diem Expiationis venturum* (ſequenti anno) *illorum omnium me pœnitet, omnia ſint irrita, & abolita*. Ita vult ille eſſe formulam conditionatam pro votis & juramentis futuris, quæ temere & inconſiderate fortaſſe alicui poſſent excidere, ut illa pro nullis habeantur, neque voventi, vel juranti noceant. Hæc quoque lectio probatur in Colbo. Ob hanc votorum & juramentorum ſolutionem & abolitionem male audiunt Judæi, quaſi Juramentis illorum, quæ Chriſtianis faciunt, nulla fides ſit habenda. Sed Rabbi Mordechai Japhe ſcribit; מיהו ביטול אינו מועיל אלא לנדרים שנודר מעצמו ושבועה שנשבע בעצמו אבל נדר שחבירו מדירו ושבועה שחבירו או ב״ד משביעין אותו אין שועיל בהן לא ביטול ולא תנאי שהרי הוא נודר ונשבע על דעת חבירו ועל דעת בית דין *Abolitio hæc non prodeſt, niſi pro votis, quæ quis ſponte vovet, & pro juramentis, quæ quis a ſeipſo jurat, Quod autem ad ea vota attinet & juramenta, quæ alicui deferuntur vel a proximo ſuo, vel a Domo judicii, ea neque abolitio, neque conditio hæc poteſt tollere & irrita reddere, quia ſic jurat juxta mentem proximi ſui, & domus judicii*. Hæc abſolutionis formula lingua Chaldæa eſt concepta, quia in Babele eſt contexta, ubi ipſis lingua Chaldaica erat vernacula, ut eam omnes intelligerent. Ab hac formula in Ritualibus hanc noctem aliquando vocant ליל כל נדרי q. d. *Noctem ſolutionis votorum & juramentorum*.

Exod. 30. 34.

Solutio votorum & juramentorum.

Quomodo ea intelligenda.

Num. 619. § 1.

Pergunt poſtea, & cantum in multam noctem producuunt: quidam totum Pſalterium hac nocte legunt. Sunt qui in ſchola noctem precibus & cantibus tranſigant, alii in ipſa ſchola in aliquo angulo procul ab arca dormiunt, vel in loco mulieribus deſtinato, poſt quam illæ domum omnes conceſſerunt: hunc tamen morem multis modis improbat Rabbi Mordechaj Japhe, in *Levuſch bachor* Num. 619. §. 4. & judicat illos melius facere, qui poſt Precationes & Deprecationes ſolennes domum dormitum ſe conferunt. Quidam, qui pietate ſunt admirabili, & gravem pœnitentiam agere volunt, per totum feſtum, diu noctuque ſtant in pedes, canunt & orant indeſinenter, ut ego quoſdam vidi, qui per ſeptem & viginti horas in loco uno ſteterunt. In Menoras hammaor ſcribitur, ideo ſtandum eſſe, ut ſic aſſimilentur Angelis, qui perpetuo Deo adſtant, ad juſſa ejus excipienda & exequenda.

fol. 110. col. 3.

Mane hujus diei.

Sub matutinum tempus, antequam illuceſcat, omnes iterum in ſcholam conveniunt, preces ſuas recitant, & una per totum diem remanent, multa circa librum Legis pompam exercent; ſæpius in terram operto penitus vultu procidunt, præſertim quando confiteantur; ad ſingulas voces præ religionis intenſione pectus palmis tundunt.

Operam tamen dare debet Præcentor, ut in Precibus his matutinis festinet, neque eas ultra debitum tempus extrahat; quo adhuc ante meridiem epimetron Precum (*Musaph* vocant) orare possit; ideoque, si videat illas nimis diu duraturas, quasdam *Selichos* preces pro remissione peccatorum omittit. Post meridiem jam incipit tempus Minchæ seu vespertinum.

Pomeridie precationes vespertinas recitant, & continuant usque dum Sol in occasum vergit, & cacumina montium & arborum occupat; tum ei subjungunt Precationem, quam vocant תפלת נעילה *Precationem obserationis* portarum scilic. Eo enim tempore portæ sanctuarii olim claudebantur. Varias deinde adhuc precationes subjungunt.

Vespera.

Nocte jam jam iterum appetente, sacerdos Palliolum illud villosum (טלית Talles appellant,) collo circumpositum, capiti imponit, oculisque obducit, & populum solita benedictione prosequitur, ut in libro Numerorum præcipitur. Dum benedictionem recitat, manus ad populum expandit; populus vero manibus oculos & faciem tegit, nec sacerdotis manus intueri audent, quia in illis spiritus Dei durante benedictione requiescit, uti scribitur; *Ecce ipse stat post parietem nostrum, prospiciens per fenestras, & proferens aspectum per cancellos*, hoc est, Deus stat post sacerdotem, & prospicit per fenestras & cancellos, hoc est per expansos & divaricatos sacerdotis digitos. Precem postea adhuc unam decantat, sed minimum septies continuo repetit, singulis vicibus altius sublata voce. Scribunt enim, Majestatem divinam hactenus in precibus ipsorum præsentem, hic ab illis in septimum cœlum rursus decedere; abeuntem itaque suavissimo cantu, & cœlesti illa melodia, quam norunt qui illos rudentes audiverunt, prosequuntur. Sunt qui dicunt, id in septem cœlorum memoriam fieri, quos aperuit Deus, cum Israeli Legem daret, eisque ostenderet, nullum alium in cœlis præter se esse Deum.

Num. 6.

Cant. 2. 9.

Antequam schola egrediantur, clarum & protractum, cornu supra memorato, sonum emittunt, in signum, quod Majestas Divina nunc discesserit, & supra expansum cœli ascenderit, sicut in datione Legis factum fuit, sicut dicitur; *Quum protraxerint sonum buccina, ipsi ascendent in montem*. Et alibi; *Ascendit Deus cum clangore: deinde* ideo, quod Clangor buccinæ signum sit lætitiæ & victoriæ, quasi dicerent; נצחנו את השטן *Vicimus Satanam; tertio* hac ratione confundunt & consternatum reddunt Satanam, dum hoc clangore in mentem ipsi revocatur judicium suum, ut non audeat coram Deo accusare Judæos; Post hunc enim diem iterum potestatem accipit in eos, quæ ipsi in die expiationis aufertur; quo sunt כמלאכי השרת similes Angelis in cœlo. Eliciunt hoc ex eo quod apud Zachariam legitur; ינער יי׳בך השטן *Increpet te Dominus* השטן *Satanas*; quia enim nomen hoc Satanæ השטן in numeris facit 364. dies autem Anni solaris sunt 365. ideo hoc indicari volunt, Satanam non habere potestatem adversandi, & accusandi, nisi 364. diebus in anno; excepto sc. Die expiationum; Itaque clangore hoc confundunt eum, ut exspirante hoc die accusationis obliviscatur: *quarto*, Clangor buccinæ est סימן לחירות *signum libertatis*: quia itaque hoc die Animæ fiunt liberæ a transgressionibus corporis, corpora etiam ex servitute pœnarum in libertatem manumittuntur, ideo & ob hanc causam clangunt: *quinto*, in memoriam Jubilæi, qui hoc anno incipiebat. Et licet hic Dies in Sabbathum incidat, tamen eo ab hoc clangore non abstinent; quia Buccina rite clangere est חכמה *Scientia vel ars*, non מלאכה *opus*.

Exod. 19. 13.

Psal. 47. 6.

Cap. 3. 2.

In egressu etiam Sabbathi solent consecrare Lunam, siquidem appareat: quia tunc hilares sunt & læti, quod ipsis remissa sint peccata sua.

Qui religiosiores sunt, Die Expiationum finito, e vestigio incipiunt construere סוכה *Succah*, seu Tabernaculum, ut unius præcepti cum alterius observatione conjungant; juxta illud *Ibunt de virtute in virtutem, ad Deum in Tzijon*.

Psal. 84. 8.

Ubi ab omni re parati sunt, vox e cœlis adest (inquiunt illi) quæ proclamat; *Abi, panem tuum hilariter comede; Deus enim accepta habet omnia opera tua*. Sic domum repetunt, & quidam cereorum suorum reliquias sumunt, & iis festum a profesto domi separant, ut supra de Sabbatho dictum: sunt qui eos in schola per totum annum relinquant, & certis temporibus accendant. Quidam sanctitate conspicui candelam perennem in schola diu noctuque per totum annum ardentem habent, quæ propterea נר תמיד *Ner Tamid* appellatur. Sese invicem discedentes his verbis prosequuntur, הבורא יחתמך לשנה טובה id est, *Creator in bonum annum transcribat & obsignet te*. Libri enim, quorum supra meminimus, nunc obsignantur, & nullam amplius judicium & sententia divina immutationem admittit.

Candela perennis.

CA- Quum

Quum domum rediere, famelici valde ſunt: nam per octo & viginti horas nihil comederunt. Ocyus itaque menſæ accumbunt, & cœnam laute ſatis producunt, priſtini diei jacturam ſarcientes.

Rituale p.68.

Poſtridie tamen mane iterum ſurgunt, & in ſcholam eunt, ne Satanas conqueri incipiat, & merito dicat; *Heri quidem, quia Dies Expiationis fuit, mane ſurrexerunt: hodie vero pietas eorum jam evanuit, in lecto jacent, & in multam lucem ſtertunt.*

In ſumma, hoc Expiationum die adeo ſancti & pii ſunt, ut diabolus ipſe pietatem illorum laudare cogatur. Hinc in Capitulis Rabbi Eliezer ejuſmodi legimus colloquium; *Quo die Deus legem dedit, impurus ille ſpiritus Sammael Deum ita alloquitur; Domine totius mundi, ut mihi in omnes totius orbis gentes poteſtatem dediſti, in ſolum Iſraelem nulla mihi conceſſa poteſtas. Deus reſpondet, Tibi expiationis die in illos poteſtas erit, ſi peccatum in illis invenias; ſi vero peccati expertes ſint, nihil erit tibi juris in illos. Idcirco munera hoc Expiationis die Satanæ obtruduntur, ne Iſraelitarum oblationem interpellat*, (unde dicunt תנו שוחר לסמאל ביום הכפורים *Date munus Sammaeli in die expiationum*) *ſicut dicitur*; A cœtu autem filiorum Iſrael accipies duos hircos &c. Mittetque Aharon ſuper duos hircos ſortem; ſortem unam DOMINO, & ſortem alteram pro Aſaſele. Sors DOMINI *erat Holocauſtum; ſors vero Aſaſelis erat hoſtia pro peccato, & imponebantur ei omnes iniquitates Iſraelitarum, ſicut dicitur*; Et portabit hircus ille ſuper ſe omnes iniquitates eorum. *Ubi ergo Sammael populum Iſraelis abſque peccatis hoc die comperit, dicit ad Deum; Populum in terris habes Angelis cœleſtibus ſimilem. Quemadmodum enim Angeli recti ſtant, neque edentes neque bibentes, puri ab omnibus peccatis, pacem & concordiam mutuam alentes; talis quoque eſt populus Iſrael Expiationum die. Quum Deus hæc a malo Angelo audit, illico eorum peccata ipſis condonat, & preces eorum exaudit.* Alibi legitur; *Ideo munus Satanæ dari, ut illi oculos præſtringant, ne ab illo accuſentur, uti ſcribitur*; Munus excœcat videntes. R. Bechaj ad Gen. 25. 28. *Et dilexit Iſaac Eſavum*, כי ציד בפיו *quia venationem in os ejus* (ſcil. attulit,) ſcribit: *Venabatur & ferinam attulit patri ſuo, hocque munere eum demulcebat, ut acciperet primogenituram. Hoc eſt quod dicitur*; Munus excœcat oculos ſapientum; *Et de Iſaaco*; Et caligarunt oculi ejus, ut non videret (ſc. *propter munera accepta ab Eſavo*) *Et hinc videmus, quod ſicut Eſavus fuit* איש שחר *Vir munerum, ſic etiam ſemen ejus* (Chriſtianos, qui ab Eſavo vel Edom denominantur) eſſe מקבלי שוחר אוהבי הלעטות h. e. *accipere munera, & amare cupedias, ſicut Eſau, quando dixit*: הלעיטני נא Guſtare fac me. והם מושכים כח מן השר שלה' שהוא מקבל שוחר ביום הכפורים *Trahunt enim naturam ab Angelo ſuo*, (Sammaele, principe dæmonum) *qui accipit donum in Die Expiationum*. Hæc Bechaj.

cap. 46.

Levit. 16. 5.6.7.8.

Levit. 22.

Caphtor uperach p. 71.

Exod. 23. 8.

Deut. 16. 19.

Cæterum hoc feſtum unico tantum die celebrant, non duobus, ut alia feſta, propter dubium Neomenias, de quo ſic ſcribitur in Levuſch hachor: *Non eſt neceſſe, ut per duos dies celebremus Diem expiationum hoc tempore, uti facimus in reliquis diebus feſtis; quia periti ſumus calculationis Menſium, & certo ſcimus, hunc eſſe diem decimum: neque etiam eſt ullus locus hodie, ubi Neomeniam conſecrent juxta phaſin, ut ſcrupulus oboriri poſſet, quaſi vel ob tardiorem adventum teſtium principium menſis ſit in ſequentem diem rejectum, vel error, aut deſtinatum aliquod mutandi propoſitum fortaſſis interveniret. Reliquis feſtis duos dies aſſignamus, quia hanc conſuetudinem a Majoribus noſtris in captivitate ſic accepimus; & eam facile obſervare poſſumus. Alia vero eſt ratio Diei expiationum, in quo omnis cibus & potus eſt prohibitus, quod pauciſſimi in mundo per biduum obſervare poſſunt. Hanc ob cauſam noluerunt durius jugum hic cervicibus illorum imponere. Reperiuntur tamen quandoque nonnulli eximia ſanctitate præditi, qui per biduum integrum eum celebrant, & jejunant &c.*

Cur per unum tantum diem celebretur. Num. 624. §. 5.

Jeſajas: *Clama, ne ceſſes, quaſi tuba exalta vocem tuam, & annuntia populo meo ſcelera eorum, & domui Jacob peccata eorum: Me etenim de die in diem quærunt, & ſcire vias meas volunt, quaſi gens quæ juſtitiam fecerit, & judicium Dei ſui non dereliquerit, rogant me judicia juſtitiæ, & appropinquare Deo volunt. Quare jejunavimus & non aſpexiſti? Nolite jejunare ſicut uſque ad hanc diem, ut audiatur in excelſo clamor veſter. Nunquid tale eſt jejunium quod elegi, per diem affligere hominem animam ſuam? nunquid contorquere quaſi circulum caput ſuum, & ſaccum & cinerem ſternere? &c.*

Jeſa. 58.

CA-

CAPUT XXVII.

De Festo שמחת תורה *Lætitiæ Legis, & officiorum Ecclesiasticorum distributione.*

Festum lætitiæ legis a Rabbinis

DE hoc festo nihil in Lege habetur, sed a Rabbinis institutum est, ut de Dei benignitate lætarentur, qui illos iterum per annum unum in Lege studere & exerceri permiserit, Legisque lectionem & expositionem hoc die absolvi, quæ est ejus miseratio, concesserit. Et hinc appellatur חג שמחת התורה *Festum Lætitiæ legis* sc. absolutæ, & de novo inchoandæ, & incidit semper in 23. Septembris.

In quot sectiones lex dividatur.

Libros enim Mosis in quinquaginta duas partes seu sectiones dividunt, & singulis Sabbathis sectionem unam legunt, sicque incidit ultima Lectio in *nonum* diem festi Scenopegiorum; vigesimum nempe & tertium circiter Septembris; non octavum, ut Ludovicus de Dieu scribit in Johan. cap. 7. ℣. 37.

Nocte vel vespera nona diei Tabernaculorum, in qua finitur dies octavus, & incipit Nonus post recitatam Precationem vespertinam, depromunt omnes Libros Legis ex arca, quorum unum Æditumus seu Lector sumit in manus, & precibus quibusdam dictis, eo circumit suggestum, populo sequente cum reliquis libris; postea suggestum conscendunt, *libros Legis tres* convolvunt usque ad illas Paraschas seu sectiones, quas lecturi sunt crastino *die*; Ultimam sc. Legis, Primam, & Lectionem de oblationibus ex Numer. 29. ℣. 35. dehinc recitatis quibusdam precibus & Psalmis in pace e tabernaculis exeunt, & in domos suas se conferunt, ibique cœnant. *Crastino mane* Scholam repetunt, post Preces quasdam præmissas a Ministro Synagogæ, rursum ex arca producunt omnes libros Legis: quos, cum precibus quibusdam circa suggestum circumlatos, in Arcam magno cum apparatu recondunt exceptis tribus; Ex horum trium *uno* legunt Sectionem Mosaicam ultimam, ex *secundo*, nullo intervallo interposito, Sectionem primam; ex tertio legit *Hammaphtir* qui cœtum dimittit lectionem paulo ante indigitatam. Si forte alicubi nonnisi duo habeant volumina Legis, ex uno legunt Ultimam, ex altero Primam sectionem; tum resumto priore, ex eo legunt tertiam, qua cœtus dimittitur. Qui ultimam sectionem legit, vocatur חתן תורה *Sponsus Legis*; qui primam, חתן בראשית *Sponsus Bereschis*.

Quod non solum ultimam, sed & primam Legis sectionem hoc die legunt, ideo fit, ut omnis calumniandi & accusandi occasio Diabolo præripiatur, ne Deum accedat & dicat; רבש״ע כבר סיימו התורה ולא רצו עוד לקרות *Domine mundi, Judæi quidem absolverunt lectionem libri Legis, sed nolunt amplius legere.* Quod vero hoc nono festi Tabernaculorum die, non ipsis Novi anni Kalendis (quæ in eundem mensem incidunt) lectionem libri Legis absolvunt & incipiunt, iterum fit להטעות את השטן ad decipiendum Diabolum, ut verum Novi anni principium, quo sc. Deus thronum judicialem ob peccata Judæorum conscendit, ignoret, atque ita ipsos etiam accusare coram Deo nequeat.

Hoc die plures solito advocantur, qui legant, unam etiam eandemque sectionem, quandoque aliquoties iterato legunt. Interim dum libri omnes extra arcam sunt, candelam ardentem intus collocant: arca enim nunquam vacua manere debet. Hoc autem idem est, ac si Lex inde non moveretur: Lex enim quoque Lux appellatur, uti scribitur; *Quia mandatum lucerna est, & lex lux.* Prov. 6. 23.

Multos fructus, utpote poma, nuces, pyra, & alia id genus, in schola in turbam puerorum immittunt, ut illis quoque lætitiæ suppetat argumentum; verum sæpe fit, ut pugnis lætitia imminuatur.

Quomodo munera Ecclesiastica renoventur.

Quia vero hoc die Legis lectio absolvitur, ideo munera Ecclesiastica renovantur, illa præsertim quæ ad Legis lectionem pertinent. Hæc autem munera publice in schola, constituta auctione, venduntur, & illius sunt, illique cedunt, qui tertia proclamatione plus licetur.

Primo quidem ab æditua Candelarum per totum annum in schola accendendarum munus proclamatur: *Deinde*, Vini, ad Sabbathi aliorumque festorum consecrationem & dimissionem, dandi porrigendique munus subjicitur. Quamvis enim singuli patres familias domi Sabbathum vino consecrare debeant; uti supra recitavimus, in pauperum tamen Judæorum gratiam, quibus vinum non est, constitutum & decretum est, ut palam & in conspectu omnium, pro quibuslibet Sabbathum vini cyatho consecraretur & dimitteretur. Illud autem vinum puerulis bibendum datur, & inde in pios Judæos evadunt. *Tertio* proclamatur, quis munus illud, quod illis גלילה *Gelilah* dicitur, emere velit? munus nempe libri Legis replicandi & complicandi. *Quarto* quis הגבהה מש׳ *Hagbahah*? munus est, quo liber Legis recta sursum tollitur, & circa sug-

suggestum defertur, ut singuli scripturam videre possint. Hunc robustum & lacertosum esse oportet, quo integrum librum; quam maxime apertum & expansum, passis brachiis gestare possit. Si enim cæspitaverit, vel pede offenderit, oportet totum cœtum jejunio infaustum illud omen expiare. *Quinto*, quis Lignum vitæ עץ חיים velit emere? munus hoc est, gemini ligni tornatilis, cui membranæ in quibus lex descripta est annectuntur, prehendendi; & linteorum huc pertinentium ocyus porrigendorum, ut confestim complicetur. Munus hoc vulgo a pueris emitur: existimant enim, se hoc lignorum apprehensione meliores & prudentiores evasuros: sperant etiam, se hoc modo diutius victuros, quia ligna illa עץ חיים *Lignum vitæ* appellantur, uti scribitur; *Hæc lignum vitæ est apprehendentibus eam*. Dum hic liber complicatur, sola ligna apprehenduntur; si quis enim membranam nudis manibus tangeret, horribile sibi piaculum contraheret. *Sexto*; proclamatur, quis אחרון *Acheron* comparare voluerit? munus est, quo quis e cœtu ultimus, ad lectionem in libro legis, diebus festis advocatur. *Septimo*, quis שהייא שׁוּ *Schebijah* licitari in animo habeat? munus est, quo quis in locum ejus, qui munus suum negligit, vel non recte curat, sufficitur. De singulis his officiis, & forma legis, vide etiam supra cap. 9.

Prov. 3. 18.

Pecunia, quæ ex hisce muneribus corraditur, in scholæ sartæ tectæ servandæ, pauperumque usus convertitur.

Sæpissime ex hac auctione maximæ oriuntur inimicitiæ, invidiæ & rixæ, plerumque etiam sacrosanctum Dei nomen blasphemiis impetitur, quia aliquando personarum habetur ratio, dives pauperi præponitur, senex juveni, doctus indocto, pius nebuloni postponitur, &c. unde tanta sæpe oriuntur jurgia & animorum dissidia, ut res etiam ad Christianum magistratum quandoque deveniat. Nulla magis morosa, magis invida & implacabilis sub cœlorum convexo hodie gens est, quam Judæorum. Et hic ultimus est attentæ illius lectionis divinæ legis in synagoga fructus: extrinsecus pulchra quidem illorum est species, intrinsecus vero impietate toti scatent.

Quoniam autem nulla lætitia perfecta est & absoluta, ubi בשר ויין caro & vinum, uti loquuntur, absunt, festum hoc quoque adjiciali cœna claudunt, lautos cibos omne genus faciunt, & in summa lætitia genio indulgent. Convivandum hoc die esse, probant in Midrasch Schir hasschirim ex lib. 1. Reg. ubi dicitur; *Et venit* (Salomo) *Hierosolymam, ac stetit coram arca fœderis Domini, &c. & fecit convivium cunctis famulis suis*. Hinc, *inquit Rabbi Isaac*, habemus, שעושין סעודה לגמרה של תורה *convivium instruendum esse absolutioni Legis*. Duo inprimis Sponsi liberales se ostendunt tum erga pauperes, tum erga amicos, quos ad convivium invitant.

1. Reg. 3. 15.

Proximum abhinc Sabbathum, vocatur שבת בראשית *Sabbathum Breschis*, quia in eo sectionem primam *Breschis* legunt, cum certis quibusdam precationibus & Psalmis.

CAPUT XXVIII.

De Encæniorum Festo.

FEstum hoc Hebraice vocatur חנוכה *Chanuccah*, & celebratur vigesimo quinto die Novembris, qui כסלו *Kislef* dicitur.

Orach chajim num. 670.

Festi Encæniorum origo, juxta authorem lib. Machab.

Hoc festum in libris Machabæorum institutum legitur in præstantissimi herois Judæ Assamonæi seu Machabæi memoriam, qui post patris sui Mathatiæ obitum, Græcos, qui Jerusalem occupaverant, templum polluerant & prophanaverant, sacrum oleum in templo omne perdiderant, multisque malis Judæos affecerant, vicit, Urbem recuperavit, Templumque vigesimo quinto die iterum dedicavit, atque annuatim per octo dies festum hoc Dedicationis celebrandum instituit, ut prolixe primo Macchabæorum libro legere est; *Et statuit Judas & fratres ejus, & universa Ecclesia Israel, ut agatur dies Dedicationis altaris in temporibus suis ab anno in annum, per dies octo, a quinta & vicesima die mensis Casleu, cum lætitia & gaudio*.

1. Macch. 4. & 10.

Hebræi scribunt, institutum esse hoc festum, in memoriam & celebrationem miraculi, tum ipsis a Deo facti, quo urnula una olei, cum alias nullum haberent purum, fuit inventa, quæ miraculose pro octo diebus oleum Lucernæ sacræ præbuit, neque diminuta fuit; cum tamen non plus in ea esset olei, quam quantum naturaliter uni nocti sat erat.

Origo festi juxta Hebræos.

Historia ab illis ita refertur: *Cum Græci ingressi essent in templum, omnia olea, quæ in templo fuerunt, polluerunt; quia oblationes idololatricas intulerunt, quæ Tentorium & habitaculum polluunt. Cum autem prævaluisset manus filiorum Hasmonæi* (Machabæorum) *Jochananis nempe Sacerdotis summi, & Græcos vicissent*, in-

inquirentes, invenerunt non nisi unicam parvam lenticulam olei, in terra absconditam, unde cognoverunt, inimicos non potuisse eam auferre. Et quia obsignata erat sigillo summi Pontificis, inde collegerunt, Græcos oleum illud non contigisse, vel aliud oleum illi affundendo, vel ex eo aliquid effundendo; ac proinde habuerunt illud pro Oleo mundo Lucernam ex eo accendendi in domo Sanctuarii, & reipsa accenderunt. Non plus autem olei erat in illa lenticula, nisi quantum sufficiebat pro die uno. Quia itaque omnes Israelitæ tum polluti censebantur ex contactu mortui (quia tetigerunt occisos gentiles), *& sic non poterant præparare vel nancisci oleum mundum ante septem dies purificationis suæ, superaddito adhuc die uno ad contusionem olivarum, & oleum ex illis exprimendum; atque ea propter lychnuchus interea non accendi & ardere potuisset, Deus ipsis fecit miraculum, ut illa olei lenticula accenderint lychnuchum per solidos octo dies, donec oleum mundum haberent pro anno sequente. Hinc in memoriam hujus miraculi, octo dies festos celebrandos instituerunt, in quibus hymnos & gratiarum actiones Deo dicerent, pro his miraculis: Miraculosum enim fuisse, quod hæc ampulla olei pro octo diebus suffecerit, cum naturaliter & rationabiliter tamdiu non ardere potuerit vel debuerit; imo etiam exactis 8. diebus adhuc plena fuerit. Et hinc festum istud appellatum fuisse* חנוכה q. חנו בכ״ה Castrametati sunt, in castra se receperunt a bello, vigesimo quinto die. *Et quia tum temporis Israelitæ non traditi sunt in potestatem Dominatorum, qui eos cuperent necare & interficere, ut tempore Hamanis: sed qui hoc tantum quærebant, ut eos sibi subjicerent, & per varias tribulationes ad Apostasiam, ac fidei suæ abnegationem, sicut postea fecit Antiochus, adigerent; Israelitarum autem manus per Dei gratiam superior & victrix erat, ut inimici hac in parte nihil efficere potuerint, ideo hac de causa pii prisci ordinarunt, ut his diebus Deum laudarent & celebrarent, quod ipsis fuerit in Deum, gratiamque suam largitus fuerit, ut in cultu ejus constanter perseverarint; non vero conviviis, hilariis, & compotationibus, ut in festo Purim, indulgerent.* Hodierno tamen tempore helluando, pergræcando, ludendo, aliisque oblectamentis potius festum hoc agitant, idque hoc prætextu excusant, quod in illas dies quoque incidat memoria Dedicationis altaris in deserto. Quidam scribunt, in Conviviis his etiam comedendum esse Caseum & Lac, quod

Colbo nu. 44.

ea somnum homini concilient; in memoriam miraculi, quod per Juditham factum, quæ lacte & caseo consopito inimico, caput ipsi amputavit.

Quia ergo Miraculum, cujus gratia festum hoc institutum esse credunt, contigit circa Lucernas, idcirco ordinarunt, ut singulis his octo noctibus, in singulis ædibus, Lucernæ accendantur. Communiter ad eas utuntur oleo olivarum, quia miraculum circa oleum contigit: in hujus autem defectu aliis oleis ceram præferunt.

Modus feriandi.

Nocte prima accendunt unam, secunda duas, tertia tres, & sic consequenter singulis diebus unam addendo: Aliquando scutellam olei cum præparatis octo ellychniis distinctis, vel candelabrum octo cereis instructum habent in domo, & ita eas singulis diebus accendunt.

Jubentur eas vel extrinsecus ad fores ædium apertas, vel ante eas, vel ad fenestras reponere, לפרסומי ad miraculi majorem & evidentiorem propalationem.

Debet lucerna a sinistro januæ ad ingressum domus pendere vel reponi, ut Mesusa sit a dextra, & Lucerna hæc ad sinistram, quo sic per duo Præcepta ingrediantur & egrediantur. Ea autem, quæ in synagoga accenditur, collocatur ad dextram, non propius a terra decem palmorum longitudine, nec remotius viginti.

Accendendæ sunt noctu post occasum solis: tum enim splendor candelarum illustrius cernitur, quam interdiu, & sic hac quoque ratione memoria miraculi evidentius patescit.

Quamprimum lucerna est accensa, præceptum hoc simul inchoatum & perfectum est; quia scribunt, nihil præcipi, nisi lucernas accendere. Unde si ante tempus etiam exstinguatur, non curatur, neque denuo accenditur. Tempus, quo ardere debet, est ad minimum dimidia hora.

Opera hoc die non sunt prohibita: attamen non licet opus facere ad lumen istud, sed ad usum domesticum utendum est alio.

Levusch Nu.675.in הלכות חנוכה.

Mulieres etiam has lucernas accendunt, quia & illæ comprehensæ fuerunt in isto miraculo; aut quod & mulieres conati fuerint inimici sub potestatem suam redigere, & ad superstitiosam suam religionem cogere, sed a Deo præservatæ, ac sic ipsæ quoque miraculum expertæ fuerint: aut quod miraculum acciderit per mulierem Juditham.

Legunt hoc die ex Lege Cap. 7. Numer.

Ibid. Num. 684.

mer. in quo agitur de Dedicatione Tabernaculi. Scribunt enim, ſe ex traditione habere, quod ſtructura Tabernaculi fuerit abſoluta 25. die menſis *Kisleu*, & eodem etiam contigerit miraculum, quod in feſto *Chanuccah* ſeu Encæniorum celebrant. Itaque haberi hunc diem pro eo ac ſi Sanctuarium de novo eſſet conſecratum, poſteaquam a Græcis pollutum fuit.

Joſephus Antiquit. Judaic. lib. 12. cap. 11. ſcribit, hoc feſtum ſuo tempore appellatum fuiſſe *Feſtivitatem luminum*, non ob luminarium tum accenſorum copiam, ſed quod inſperato Judæis tanta lux illuxerit.

Benedictiones ſequentes recitant, quando prima veſpera primam candelam accendunt: בא״י אמ״ה אשר קרשנו במצוותיו וצוונו להדליק נר של חנוכה *Benedictus Deus &c. qui nos ſanctificavit præceptis ſuis, & juſſit nos accendere candelam Encæniorum.* בא״י אמ״ה שעשה נסים לאבותינו בימים ההם בזמן הזה *Benedictus &c. qui fecit miracula Patribus noſtris in diebus illis, hoc ipſo tempore:* בא״י אמ״ה שהחיינו וקיימנו והגיענו לזמן הזה *Benedictus &c. qui nos ſanos, incolumes & vivos conſervavit, & nos pervenire fecit ad hoc tempus.*

R. Aſarias in Meor enajim cap. 51. miratur, ſcriptorem librorum Machabaicorum nullam mentionem facere miraculi hujus de Oleo: Joſephum exiſtimat ſequutum eſſe illius Scriptoris authoritatem.

Quod Judithæ hiſtoriam ad tempora Machabæorum trahant quidam, & huic feſto inſerant, in eo parachroniſmum cognoſcit. Exiſtimat autem dici poſſe; vel duas Judithas fuiſſe, unam Matathiæ filii Jochananis Sacerdotis magni filiam, alteram, de qua agit liber Judithæ; vel priſcos ipſorum Sapientes voluiſſe in feſto hoc Dedicationis commemorationem & celebrationem plurium miraculoſarum liberationum conjungere.

Hiſtoria de inventa lenticula exſtat in Talmud Tract. de Sabb. cap. 2. fol. 21. col. 2. Quæ de Juditha referuntur; ea adducit R. Niſſim ex quodam Medraſch, quod tamen non nominat.

Cur per 8. dies celebretur.

Cur per octo dies celebretur, ejus rei quidam hanc reddunt rationem, quod Inimici ipſorum Circumciſione ipſis interdixerint, quæ octavo die facienda.

Joh. 10. 22.

Hujus feſti mentio quoque fit in Novo Teſtamento apud Evangeliſtam Johannem: *Facta ſunt autem Encænia Hieroſolymis, & hyems erat*, 25. nempe dies Novembris.

CAPUT XXIX.

De Feſto Purim, id eſt, ſortium.

Feſti Purim origo.

VOx *Purim* Perſica eſt, idem atque Hebraice גורל *Sors* & ita feſtum hoc appellatur, quia Haman ſortes jecerat, ut omnes Judæi decimo tertio menſis duodecimi Adar, hoc eſt, Februarii novilunio, per totam regis Aſſueri ditionem delerentur & extirparentur, uti quoque immitti regis reſcripto omnibus provinciis id imperatum fuit. Verum vertit fortuna, & quo die Judæorum internecionem ſperaverant hoſtes, illo in Judæorum manus inciderunt, & Suſis quingenti homines cum decem Hamanis filiis jugulati ſunt, poſtridie etiam trecenti ibidem occubuerunt. Reliqui vero Judæi, paſſim in regia ditione, quinque & ſeptuaginta millia hoſtium interfecere, & id quoque decimo tertio die contigit, at decimo quarto quieverunt. Ideo in perpetuam rei memoriam conſtitutum fuit, ut *decimum quartum & decimum quintum menſis Adar* pro feſtis ſuſciperent; ita tamen, ut primus dies ſanctius & ſolennius celebretur, quam ſecundus: quia in illis diebus Judæi ſe de inimicis ſuis ulti, & luctus atque triſtitia in hilaritatem gaudiumque converſa erant; & ut dies iſti, dies lætitiæ atque epularum eſſent, quos vertente ſemper anno ſolenni celebrarent honore, ut nono Eſtheræ capite legitur.

Pridie feſti, die 13. menſis Adar Jejunium celebrant, non quidem ex præcepto Dei, ſed מדרבנן Rabbinorum, quod præceptis Divinis æquivalet. Unde & pro תענית אבור Jejunio publico Eccleſiæ eſt receptum. Cauſam hujus jejunii reddunt hanc; Ajunt, hoc die olim Judæos, tempore Mardochæi & Eſtheræ conveniſſe ad pugnandum, & vitæ periculum ſubeundum, ac proinde ſupplicationibus & deprecationibus auxilium Dei implorare neceſſe habuiſſe; hoc vero ſine jejunio non feciſſe. Sic Moſen quoque jejunaſſe, cum pugnam inirent contra Amalekitas. Itaque dubium non eſſe, quin hoc tempore Judæi idem fecerint pugnaturi cum ſuis hoſtibus. Quia ergo dies Purim obſervent in memoriam illius miraculi, merito illos quoque hoc die jejunare debere. Nam ſi bonum hujus diei a Deo accipiant, cur & malum ejus non reciperent! Vocatur hoc jejunium תענית אסתר Jejunium Eſtheræ. Si Dies Purim incidat in Diem primam ſeptimanæ, pridie non jejunant; quia nec

Sab-

Sabbatho nec die Veneris jejunari ſolet, ſed præcedente die Jovis pro eo jejunant.

Duo *ſequentes* ſunt dies lætitiæ & epularum, atque adeo Bachanalia Judæorum. Laborare quidem & opus facere vel negotiari, non prohibentur; ab externa tamen ſervitute abſtinent, & in Talmude ſcribunt, infauſtum id eſſe, ſi quis opus aliquod obeat. *Aliquando enim linum quodam ſerente, acceſſit Rabbinus, qui illum ideo redarguit, imo & maledixit, adeo ut linum nec germinaverit, nec creverit.* Omnia, quæ ad lætitiam feſti majorem fiunt, licita ſunt; Mulieres præſertim feriatas ceſſare jubent, quia hujus liberationis cauſa fuit regina Eſther. Jejunare, lamentari, plangere, hoc die prohibentur.

Tractatu Megillah.

Noctu candelas gaudii teſtandi cauſa accendunt, & *Chaſſan* ædituus volumen Eſther explicat (in lata enim membrana, ligno tereti circumvoluta, eſt inſcriptum) inſtar epiſtolæ vel *Sepher torah*, libri Legis; aperit, & a principio ad finem uſque ſine pauſa perlegit.

Lectionem hujus libelli in hoc feſto adeo magni faciunt, ut illi omnia poſtponant; imo etiam Lectionem Legis, potius quam hanc intermittant. Ad ejus lectionem vel auſcultationem omnes ſunt adſtricti, cujuſcunque fuerint conditionis, Sacerdotes, Levitæ, Iſraelitæ, ſervi, nothi, ſpurii, proſelyti, Nethinæi, hermaphroditi &c. quia omnes fructum illius miraculi ſunt experti. Mulieres etiam non excluduntur: quia etiam illæ in miraculo illo fuerunt incluſæ, & quia per mulierem, Eſtheram ſcil. id factum fuit. Pueri quoque a teneris huic ſunt aſſuefaciendi. Legi poteſt quavis lingua, quam quidem legens intelligat: quia ejus lectio non ob alium finem inſtituta eſt, quam ut ſciatur, & memoria illius miraculi celebretur. Si quis peregrina lingua legat, quam non intelligit, non ſatisfecit officio ſuo.

Quando volumen explicavit, hanc benedictionem addit; בא׳ אמ״ה אקבו על מקרא מגילה *Benedictus Deus &c. qui nos ſanctificavit, & juſſit legere Megillam*, בא׳ וכו׳ שעשה נסים לאבותינו בימים ההם בזמן הזה׃ *Benedictus &c. qui fecit miracula Patribus noſtris in diebus illis, hoc tempore*.

Hoc etiam in more habent, ut quotieſcunque *Haman* nominatur auditores dicant, ימח שמו *Deleatur nomen ejus*, vel, שם רשעים ורקב *Nomen impiorum putreſcat*.

Pueri vero quoties nomen ejus audiunt, pugnos complodunt, & Hamanem explodentes, maximum ſtrepitum edunt. Factum hoc probant ex eo, quod in uno loco ſcriptum eſt, שם רשעים ירקב *Nomen impiorum putreſcat*; in alio, מחה אמחה את זכר עמלק h. e. ut illi exponunt; Excutiendo excutiam, vel, *Explodendo explodam memoriam Amalek*. Hinc lignis vel lapidibus inſcribunt nomen Hamanis, quos tamdiu inter ſe collidunt & complodunt, donec nomen illud deleatur & decutiatur. Hunc morem probant, quod in eo loco, ubi Scriptura dicit; והיה אם בן הכות הרשע (*Et erit ſi filius ſeu reus percuſſionis ſit impius*) trium priorum vocum literæ finales, quæ ſunt, ן, ם, ה, nomen Hamanis conſtituant. *Ideo* inquit R. Mardochæus Japhe, *non temere abrogandus eſt hic mos Plaudendi puerorum*; כי לא לחנם נהגו כן *Non enim fruſtra hoc ordinarunt Sapientes*. Omnino: nam hæc ſpicula, ut & quæ mox ſequuntur, in Chriſtianos quoque feruntur.

Prov. 10. 7.

Deut. 25. 2.

Ubi ad locum illum devenerunt, in quo *decem Hamanis filii* recenſentur, illa omnia uno ſpiritu & halitu ſine ulla pauſa vel diſtinctione legenda ſunt: ſcribunt enim, decem Hamanis filios omnes momento interfectos, omniumque animas ſimul exſtinctas eſſe.

Finita lectione omnes & ſinguli debent dicere; ארור המן ברוך מרדכי ארורה זרש ברוכה אסתר ארורים כל עובדי ע״ז ברוכים כל ישראל וגם חרבונה שעל ידו נתלה המן *Maledictus ſit Haman, Benedictus Mardochæus: maledicta ſit Zereſch, benedicta vero Eſther: maledicti ſint omnes Idololatræ, benedicti omnes Iſraelitæ, & ipſe quoque Charbonah, cujus manu ſuſpenſus fuit Haman.* Dehinc volumen honorifice iterum convolvitur.

Diræ hæ Chriſtianos petunt.

De modo volumen hoc ſcribendi, conſuendi, & ſcriptionis ejus requiſitis &c. tradunt varia. Ex iis hoc duntaxat hic adjicimus, quod Decem nomina filiorum Hamanis cap. 9. v. 6. 7. 8. 9. 10. peculiari modo jubeant ſcribere, ita fere ut Carmina ſacra; in hoc tamen ab his differenter, quod ſupra nullam vocem debeat relinqui ſpatium vacuum, ſed perpendiculariter voces vocibus, ſpatia ſpatiis reſpondeant: Lineæ debent incipere a voce איש, quæ eſt ultima verſus 6. & finiri in את, vel ת, ut & in libris a Judæis editis obſervatur, hoc pacto:

ואת	פרשנדתא	ואת		איש :
ואת	אספתא	ואת		דלפון
	&c.	uſq; ad		
		עשרת		ויזתא

Si aliter ſcribantur, volumen eſt illegiti-

timum, Signum hoc eſſe ſcribunt voti, ut a ruina ſua nunquam amplius reſurgant (hi & alii inimici ipſorum). Nam quando lineæ ita ſcribuntur, ut Scriptura ſit ſuper ſpatium vacuum, & ſpatium ſuper Scripturam, id ſimile eſt Muro habenti prominentias & dentes, ut, quando lubuerit, amplius illi addi poſſit; quando vero murus ab ambabus ſuis extremitatibus eſt æqualis & glaber vel lævis, nulla appoſita appendice augeri vel fortior reddi poteſt. Vav in voce ויזתא (quod eſt nomen decimi filii Hamanis) dicunt eſſe *prolongandum*; quod alii de ſcriptura intelligunt, ut majuſculum ſit cæteris literis (unde & inter literas Majuſculas a Maſorethis recenſetur): alii de ejus prolatione: alii de utroque accipiunt. Scribunt hoc etiam eſſe ſignum, quod, ſicut hi decem filii in linea perpendiculari, unus ſupra alium, ſcribuntur: eadem ratione omnes in una linea perpendiculari, unus ſupra alterum, ſuſpenſi fuerint. Hæc hic monere viſum eſt, ut conſtet, qua de cauſa hi verſus peculiari ſcriptionis modo in Bibliis etiam expreſſi obſerventur.

Quomodo hoc die pergręcentur.

Feſtum hoc epulis, vinoque generoſo celebrant & honeſtant; quia regina Eſther in lauto convivio, quum rex vino lætus eſſet, gratiam hanc conſequuta eſt, ut Judæi in vita incolumes & illæſi conſerventur. Quapropter jus & æquum poſtulare volunt, ut ipſi quoque vino ſeſe exhilarent. Nihil aliud itaque per totum illud biduum, præſertim veſpera ſecunda, quam cibo & crapula ſe rumpunt, ludunt, ſaltant, fiſtula & aſſa voce canunt, rythmos & jocoſa dicteria recitant, mulieres virorum, viri mulierum perſonam ferunt. Quamvis enim id expreſſe in lege prohibeatur, tamen ſcribunt, nullum tunc peccatum eſſe; quia gaudii, lætitiæ & delectationis tantum gratia id fiat. Hinc expreſſe ſcribitur in Talmud; מרדכי מיחייב איניש לבסומי בפוריא עד דלא ידע בין ארור המן ובין ברוך hoc eſt, *Tenetur homo in feſto Purim eo uſque inebriari, ut nullum diſcrimen norit inter*, Maledictus Haman, & Benedictus Mordechai, *hoc eſt*, neſciat ſupputare numerum qui ex ſingularum vocum literis exſtruitur: nam literæ ברוך מרדכי, & ארור המן in Gematria eundem numerum conficiunt. Perinde eſt ac ſi diceretur, poſſe illos in tantum bibere, ut quinque manus digitos numerare amplius non poſſint. Hoc autem præceptum præ cæteris omnibus ſtudioſiſſime obſervatur. In Talmude, loco modo citato, legitur hiſtoria *de Rabba & Rabbi Sira, qui cum una hoc feſtum Dionyſiaco more*

Orach chajim n. *669*.

Megilla fol. 7.2.

aliquando celebrarent, accidit, ut Rabba ex ebrietate Rabbi Siram interficeret. Mane, quid pridie feciſſet, intelligens, & miſericordiam Dei implorans, miraculoſe eum a mortuis iterum ſuſcitavit. Anno vertente, cum rurſum de hoc epulo mutuo agitando ipſum compellaret, renuit Rabbi Sira, dicens לאבכל שעתא ושעתא מתרחיש ניסא *Non quavis hora fit miraculum*. Hinc dicunt alii, non ad ebrietatem eſſe bibendum, ſed tantum paulo plus quam quis ordinarie ſolet, ut ſuaviter indormiat. Dum enim poſtea dormit, non novit diſcernere inter, *Benedictus Haman* &c. Legumina dicunt eſſe comedenda in hoc feſto, in memoriam leguminum, quæ comederunt Daniel & ſocii ejus in Babele: miraculum enim hoc quoque factum eſſe per Danielem, & illum eſſe Hathach, cujus mentio Eſtheræ c. 4. ℣. 5. & ſeq.

Dan. 1. 16.

Sic licitum quoque eſt hoc die epulum nuptiale inſtituere & celebrare; quamvis id in aliis feſtis non ſit permiſſum; ad lætitiam hujus diei augendam.

Iſtis Bachanalibus feſta illorum annua clauduntur: nam a feſto Purim ad Paſcha uſque nullos amplius dies feſtos agitant.

Si Prophetæ adhuc viverent, vel ſi reſurgerent, jure prædicarent quod olim; *Væ qui conſurgitis mane ad ebrietatem ſectandam, & potandum uſque ad veſperam, ut vino æſtuetis. Cythara & lyra, & tympanum & tibia & vinum in conviviis veſtris, & opus Domini non reſpicitis, nec opera manuum ejus conſideratis.*

Munera hoc die ſibi invicem mittunt.

Hoc die ſibi invicem mittunt amici munera, diſcipuli præceptoribus, Domini ſervis, majores minoribus; quia ſcil. ſcriptum eſt; *Ut facerent illos dies convivii & lætitiæ, & miſſionis* מנות *Portionum, unius ad alterum*. Munera iſta non alia debent eſſe, quam Eſculenta & Potulenta. Hoc enim proprie volunt denotare Hebræum מנות. Et quia hæc inſtituuntur pro lætitia hujus feſti, quo liberalius quis mittit, eo magis laudatur. Non pauciores autem, quam duæ hujuſmodi מנות ſeu portiones mittentur; quia numerus pluralis hic adhibetur: Si plures debent eſſe, nequeunt pauciores eſſe, quam duæ. Mulieres etiam mittunt hæc dona, ſed aliis mulieribus, non viris, ſicut viri non niſi viris: nam ſi promiſcue hoc permiſſum eſſet, varia inde emergerent ſcandala & pericula.

Eſth. 9. 22.

Pauperibus

Et quia ibidem ſequitur; ומתנות *Et donorum erga pauperes*, ideo quoque Judæis pauperioribus munera ſunt mittenda, quo & ipſi pro ſua conditione digne feſtum celebrare poſſint. A ſingulis autem

tem ditioribus, iterum non paucioribus quam duobus pauperibus est largiendum; unicuique scil. munus unum, sicut dicitur; *Et donorum* (sc. duorum) *pauperibus* (sc. duobus). Pluralis enim numerus non potest pauciores quam duos sub se comprehendere. Si pecuniam illis dent, dicunt dandum esse dimidium usitatæ, inquovis loco, monetæ; idque in memoriam dimidii Sicli, qui hoc mense Adar olim colligebatur, pro comparandis oblationibus Ecclesiæ; (de quo legere est Exod. 30. ℣. 11. 12. 13. 14. 15. 16.) Et quia in hoc præcepto ter legitur תרומה *Trumah* (Oblatio), ideo dicunt, dandos esse tres hujusmodi nummos. Hinc plerique in his terris dant tres dimidios Thaleros (quos vulgo גדולים *Gedolim* vocant), quia hi fere soli Dimidiati cudi, & currentes esse solent. Ad hæc dona non obligantur, nisi qui vigesimum annum attigerunt, & ultra. Offerunt ea vespera Festi, antequam precentur. Vocant ea מעות פורים *Meos purim*, Nummos purim. Et hæc pecunia, quando Synagoga egrediuntur, distribuitur a præfecto ærarii inter pauperes, neque licet quidquam de ea vel reservare, vel in alios usus convertere. Omnibus petentibus & manum extendentibus dandum indifferenter; etiam Christiano; inprimis iis locis, ubi Christiani Judæis pauperibus etiam eleemosynas largiuntur. Quamvis enim Scriptura hic de solis pauperibus Israelitis loquatur, tamen ad vitandam inimicitiam, Christianis petentibus etiam dandum. Pauperibus etiam prohibitum, pecuniam vel munera sibi data in aliud tempus, vel alios usus reservare.

Omnis planctus mortui hoc die est prohibitus. Si sit Annus intercalaris, qui duos habet *Adar* seu Februarios, celebrant etiam Purim die 14. prioris Adar, sed non tanta festivitate, unde vocatur פורים קטן *purim parvum*: reliqua peragunt in Adar secundo.

CAPUT XXX.

De Jejuniis Judæorum.

Orach chajim n. 150. & seq. Jejunia publica quatuor.

IN Lege Mosis unicus dies Jejunio dictus & injunctus est, decimus nempe Septembris, quo annuatim festum Expiationum celebrabatur, uti superius indicavimus. Nihilominus tamen a sanctis Patribus & Prophetis sæpius, pro temporis & necessitatis ratione, jejunia instituta fuere, ut passim in Prophetarum scriptis videre est. Hinc legimus, Zachariæ Prophetæ temporibus, quatuor publica jejunia annuatim indici solita, ut ex his verbis colligere est; *Jejunium quarti, & jejunium quinti, & jejunium septimi, & jejunium decimi mensis erit domui Judæ, in gaudium & lætitiam, & in solennitates præclaras: veritatem tantum & pacem diligite.*

Zach. 8. 19

Ex hoc loco quatuor etiamnum hodie Judæi celebrant Jejunia publica & solennia, propter clamitates & afflictiones, quæ his diebus olim Patribus ipsorum contigerunt, & sunt sequentia:

I. Decimo die Dec.

PRIMUM; die decimo mensis טבת *Tevet*, seu decembris, quod apud Prophetam dicitur צום העשירי *Jejunium decimi*, sc. mensis: quia illo die Nebucadnetzar cœpit Hierosolymam obsidere, & in magnas angustias urbem redegit.

II. die 17. Junii.

SECUNDUM; die decimo septimo mensis Tammus, seu Junii, qui Quartus est anni sacri, unde apud Prophetam appellatur צום הרביעי *Jejunium quarti*, sc. mensis. Celebratur hoc propter varias afflictiones & ærumnas, quas illo die olim subierunt, & quarum vim adhuc persentiscunt; Exempli gr. Duæ legis tabulæ lapideæ hoc die a Mose confractæ sunt, ob visum fusum ab Israelitis vitulum. Oblatio quotidiana cessavit, Sacrum Legis exemplar combustum est, Idolum a Manasse in templo erectum, urbs Jerusalem secunda obsidione rupta fuit, & pars murorum disjecta. Propterea hodie quoque exactum observant jejunium, specie quidem externa seriam & gravem pœnitentiam præ se ferentes, sed animo interim vagante, & quibuslibet aliis potius, quam veræ pœnitentiæ, intento.

Qui dies ab hoc die ad nonum usque sequentis mensis intercedunt, dies atri & infausti illis habentur; parentes liberos, pædagogi discipulos cædere non audent, nemo in jus adit, &, si a Christianis in jus conveniantur, causam de die in diem ducunt, & tergiversationibus præsentaneum certamen detrectantes, dilationem petunt, ne pro tribunali adesse cogantur: infaustum enim Judæis sydus hoc die prædominari credunt, & causa se casuros credunt: His diebus etiam nemo solus ambulabit vel iter faciet ab hora quarta usque ad quintam; quoniam ajunt illis horis dominari קטב מרירי, *Spiritum quendam malignum* quem sic vocant ex Deut. 32. 24. ac proinde periculosum esse; (seu, ut nos in his regionibus numeramus, a nona matutina, usque ad tertiam vespertinam). Unde in Talmud Tract. de

de Paschate fol. 111. col. 2. legitur; *Duo sunt Spiritus qui* קטבים *dicuntur : unus eorum potestatem habet ante meridiem , alter a meridie* . Eliciunt hoc in Echa rabbati ex eo quod Threnorum 1. ℣. 3. dicitur : השיגוה בין המצרים Quomodo id hinc eliciant , dicit R. Mardocheus Japhe , se non videre : sibi tamen videri , illos indicium hujus rei petere ex his vocibus בין המצרים quas acceperint, quasi significarent , בין מיצרי היום *Inter terminos , seu fines vel extremitates diei :* Cum enim dies dividatur in quatuor משמרות seu *Custodias* , quarum unaquæque tres horas comprehendit, hæ sex horæ complectuntur duas custodias intermedias , quarum altera habet custodias intermedias , quarum altera habet custodiam ante se , altera post . Hinc vocant in suis Ritualibus istos dies בין המצרים *Ben hammezarim* . Sic legitur in Rituali מהריל Maharil fol. 42. col. 1. *Consecratio temporis non est recitanda super ullo fructu novo* כל בין המצרים *omnibus diebus* (qui vocantur) בין המצרים *ad imminuendam lætitiam* . Et mox : *Domus non est pingenda* כל בין המצרים *toto tempore* בין המצרים Sic quoque sæpius in aliis . Sic scribit R. Salomon ad locum Threnorum , in Medrasch Aggada exponi בין המצרים de diebus qui intercedunt a 17. die Tammius, usque ad 9. mensis Af.

Levusch haschor , Num. 551. §. 18.

III. die 9. mensis Af. Tischa beaf.

TERTIUM Jejunium celebratur quinto mense , qui *Af* dicitur , die illius nono , unde & communiter תשעה באב *Tischa beaf* vocatur . Jejunium hoc reliquis multo sanctius & gravius habetur , unde ad illud observandum stricte omnes obligantur : quia hoc die Templum primum per Nebucadnezarem , & secundum , per Titum , igne immisso periit & consumtum est ; decretum etiam divinum contra Patres ipsorum in deserto hoc die editum , quod non ingressuri sint terram promissam , post missos sc. exploratores in eam : quia ite urbs Bitter , quæ fuit urbs maxima m & populosissima , in qua Judæorum m , ta millia erant , hoc die vastata . ulrima de hoc die scribunt in libris Plu- Ritualibus , e quibus nonnulla str suis hic referemus. ictim

Quomodo ad illud celebrandum se præparent.

Ad decenter se ad ejus celebrationem præparandum , statim *ex quo mensis Af est ingressus , & cum ipsis ejus kalendis , usque ad nonum* , omnem minuunt lætitiam , negotiationem , emtionem , venditionem , non ædificant vel domos, vel alia , quæ ad lætitiam & voluptatem servire possint , non plantant arbores , eo fine, ut gratam homini umbram præbere possint &c. nullas celebrant nuptias , etiamsi quis convivium nuptiale vellet omittere : non resecant capillos: non subeunt balnea: non lavant vestes vel linteamina, & ne quidem Christianis ad lavandum sunt danda: quæ antea sunt lota , non licet hac septimana induere , qualiacunque illa sint, calceos nullos sutor facere debet , ne quidem aliis pro mercede: calceos novos, vel ullum aliud vestimentum novum nemo induet , imo ne quidem comparabit his diebus , nullam carnem comedunt , nec quicquam vini bibunt, excepto Sabbathi die, quo, ut alias , edunt & bibunt : quidam a Carne & vino abstinent a die 17. mensis Tammus.

Vespera ejus quomodo cœnent.

Vespera hujus diei , seu pridie sub vesperam ultimas sumunt epulas ante Jejunium, quas vocant סעודה מפסקת *Sudah maphsekes* (de qua phrasi videatur nostra Exercitatio de Cœna Domini , ad thesin XIV.) Hoc epulum debet esse parcum & sobrium : eo non comedenda sunt duo edulia, ex duabus distinctis ollis, ac ne quidem unam edulii speciem ex duabus ollis &c. quia multitudo & varietas eduliorum voluptatem spirat , & gloriam aliquam, quæ utraque procul abesse debent; non licet edere simul Lac, caseum , & Pisces salsos : quamvis enim hæc edantur prout sunt , tamen vocantur תבשיל Edulium . Sic minus bibendum, quam more solito, quocunque quis utatur potu . Communiter solent edere lentes vel pisa , vel ova , quia sunt lugentium cibi , ut alibi dicitur. Quemadmodum enim hæc sunt orbiculata , & volubilia : ita quoque luctus & mœror sphæricōs veluti feruntur , hodie illum, cras alterum incessentes Quemadmodum etiam lentes & ova destituuntur ore vel orificio : sic lugentem etiam esse decet sine ore, & parum loqui. Et hæc quidem conceduntur iis, qui infirmitatis causa nequeunt eduliis coctis carere : qui vero robustioris est complexionis , & severiorem diætam servare potest , ille exemplum priscorum sanctorum imitatur, qui Panem siccum sale conspersum macerabant in aqua, juxta focum in terra sedentes eum comedebant, & ex hydria aqua repleta bibebant, mœsti, desolati, & lachrymantes , perinde ac si recenter mortuum lugerent : quidam panem in cinerem intingebant, & comedebant, juxta illud; *Et confregit lapillis dentes meos* , Humi etiam in hoc epulo sedent, quamvis non necesse sit calceos exuere: quia humi sedent non propter luctum mortui, sed ut speciem habeat epuli miseri & calamitosi . Non simul accumbunt tres

Thren. 3. 16.

vel

vel plures, sed unusquisque solus assidere, silere, & benedictionem dicere debet, ut sic impleant quod scriptum est: *Sedebit solitarius & tacebit*. Quod si hic dies incidat in Sabbathum, tum omnia, etiam exquisitissima licet comedere, ne Sabbathi honori & sanctificationi quid decedat, finis tamen convivio imponendus dum adhuc dies est.

Thren.3. 18.

Die ipso ut se gerant.

Die nono, qui Jejunio dicatus est, omnia ea sunt observanda, quæ circa Luctum, & lugentibus sunt tam interdiu, quam noctu, præcepta; quia hoc die lugent ob vastationem Hierosolymæ & Templi (vide sup. cap. 26. De Expiationis die pag.) Tam molli hac nocte (qua festum incipit) lectulo non cubant, ac soliti sunt: qui duobus pulvillis antea usus est, unico tantum nunc utitur; cui unicus tantum fuit, illo nunc abstinet: in tenuium linteorum locum crassa substituunt, & omnia immutata & deteriora esse debent. Quidam loco pulvini Lapidem capiti supponunt, exemplo Jacobi, de quo legitur: *Et sumsit de lapidibus illius loci, & posuit sub capite suo*: ad quem locum in Medrasch legitur, illum hoc fecisse, quod tum jam in Spiritu vastationem Templi præviderit. Excipiuntur tamen ab his; uterum gerentes, & ægroti, qui duriorem hanc disciplinam servare nequeunt.

Gen.28.11

Non licet hac die studere in Lege, Prophetis, & Hagiographis: non in Talmude, Medraschim, Aggados, Ritibus &c. quia hæc exhilarant cor, sicut David dicit; *Præcepta Domini sunt recta, lætificantia cor*: ab omni autem lætitia hoc die abstinendum. Itaque tristes tantum legendæ sunt historiæ; veluti Jobus, & præcipue Threni Jeremiæ, & similes, quæ cor contritum reddunt: & si quid in his lætum & consolatorium occurrit, id transiliendum. Licet etiam legere in Medrasch Threnorum ea quæ illic de vastatione Urbis & templi habentur: sic quasdam Aggados, quædam etiam Capita ex Josepho Gorionide de vastatione Hierosolymæ.

Gravidæ & lactantes jejunium hoc perfecte observare tenentur, ut in die Expiationum: puerperæ tamen, & ægroto, cibum præbere licet, si eo opus habeant.

Nemo alterum hoc die salutare debet: כי לא עת שלום הוא quia non est tempus salutis, sed עת צער ויללה tempus mœroris & ejulatus, propter vastationem sanctuarii. Siquis ab idiota aliquo, & rituum ignaro, salutetur, ei submissa voce, & capite demisso respondendum.

Ab omni opere abstinent hoc die; quia ea in re est aliqua voluptas: unde quicunque opus facit, ex illo opere nullam sentiet benedictionem; opera tamen Christianorum licet uti ad necessitates domesticas. Quicunque hoc die edit vel bibit, is non dignus erit qui videat lætitiam Hierosolymæ: & quicunque in סעורה מפסקת edit carnem, aut vinum bibit, de eo Scriptura dicit; *Et erunt iniquitates eorum super ossa eorum*. Quicunque vero prout par est luget super Hierosolyma, is quoque videbit eam in lætitia ejus, sicut dicitur; *Lætamini cum Hierosolyma, gaudete cum ea gaudio, universi qui lugetis super eam*.

Ezech. 32. 27.

Esa.66.10.

Nocte decima, ut & die decimo, laudabilis consuetudo est, ut & illis adhuc abstineatur a Carne & Vino: quia die decimo maxima pars Templi combusta fuit. Sub vesperam enim diei noni fuit ignis illi injectus, & incendium duravit usque ad occasum Solis diei decimi. Quia vero initium pœnæ fuit die nono, ideo Jejunium eo indixerunt; interea tamen nemo debet die decimo voluptatibus & lætitiæ indulgere. Æquum equidem fuisset, ut dies decimus totus jejunio consecratus esset; verum nihil imponitur toti Ecclesiæ, quod non major ejus pars observare potest; per biduum autem jejunium tolerare paucorum est.

Sacra hujus diei.

Celebratio hujus diei solennis hæc est; *Prima vespera* calceos exuunt, & nudis pedibus in Scholam eunt, velum ab arca removent, in terra, lugentium more, consident; candelas singuli non accendunt, sed unam tantum habent, ad cujus lumen Preces, & Trhenos Jeremiæ legunt; & alteram in parato habent, ad quam, si illa forte exstingueretur, accendi posset. Cum Threnos legunt, ad singulos versus ab איכה incipientes, vocem extollunt &c. *Mane* sequenti solitas preces matutinas recitant, sine tamen appensis Tephillim, & Tzizis. Dum Threni leguntur, prohibitum est garrire, vel egredi. In Schola manent usque ad meridiem, humi sedentes, & in cinere se volutantes, flentes & ejulantes &c. E Synagoga meridie exeuntes, conferunt se in cœmeterium, ad luctum excitandum. Domum redeuntes, non in terra, sed in scamnis aut sellis sedent &c.

Sabbathum Nachamu

Sabbathum proxime post hoc festum sequens, vocatur נחמו *Nachamu*, q. d. *Sabbathum consolatorium*, quia pro *Haphtara* legentes caput 40. Esajæ, quod incipit נחמו *Consolamini*, *consolamini populum meum* &c. eo se erigunt & solantur

tur spe adventus Liberatoris sui, Messiæ sc. quomodo de Simeone dicitur, *quod exspectarit Consolationem Israelis*, Lucæ 2. 25.

IV. Die 3. Septembris.

QUARTUM jejunium mensis erat *Septimi; tertioque Septembris* celebrabatur postridie festi Novi anni, unde dicitur ejus esse אסרו חג *Isru chag* hoc est, Appendix. Vide sup. cap. 21. Si incidat in Sabbathum, rejicitur in diem sequentem. Institutum est in memoriam præstantissimi herois & præfecti Godoliæ, qui erat vir pius, sanctus, & Judæis residuis, qui in Babyloniam abducti non fuerant, præpositus, misere Hostium dolis & fraudibus circumventus, trucidatus est, ut apud Prophetam Jeremiam legimus, ejusque mors plurimarum aliarum calamitatum, quæ ipsis evenerunt, causa fuit. Vocatur צום גדליה *Zom Gedaljah*.

Jer. 40. & 41.

Hæc sunt quatuor publica jejunia, quæ Zachariæ Prophetæ tempestate celebrabantur, & quæ etiamnum hodie principem inter jejunia locum obtinent, & quotannis solennia recurrunt.

Jejunia extraordinaria.

Præter hæc ordinaria, indicunt quandoque extraordinaria, ingruentibus in civitatem aliquam publicis calamitatibus; veluti Tempore belli & persecutionis alicujus imminentis; Pestis grassantis, non solum in homines, sed & in sues; quia illarum viscera similia sunt humanis, & metuendum, illam mox etiam homines invasuram: tempore Famis: sic, si alius aliquis morbus epidemicus serpere incipit, ut חלחול *Chilchul* Dysenteria אסכרה *Ascara* Angina, & similes: si vel noxia animalia, aut reptilia, seu hominibus, seu jumentis, seu terræ crescentibus, sint infesta; Uredo, Rubigo, frumentum invadant; item propter Pluviarum vel defectum, vel nimiam abundantiam &c.

Jejunia. privata Judæorum.

His alia jejunia adjiciunt, quæ tamen publice non observantur a tota Ecclesia, sed a quibuslibet privatim prout majorem pietatis speciem affectant.

Diebus Lunæ & Jovis vide & sup. cap.

Ita sunt qui *singulis diebus Lunæ & Jovis* per totum annum jejunant, instar Pharisæi illius in Novo Testamento, qui superbe & arroganter gloriabatur, se bis hebdomade jejunare. Scribunt id fieri propter tres res: 1. propter vastationem Templi, 2. propter combustum Sanctuarium, 3. propter prophanationem Nominis Dei.

Die 10. Martii.

Sunt etiam qui *post Festum Paschatis & Tabernaculorum*, *tria jejunia* sibi indicunt, nempe Die Lunæ, Jovis, & rursum die Lunæ sequenti. Prætendunt, ideo se hoc facere, ut hac ratione expient, si forte illa festa, quæ per octo dies durant, non rite celebrarint; vel transgressione aliqua violarint. Probant hunc morem ex eo, quod scriptum est; *servite Deo cum lætitia, & exultate cum tremore*, hoc est, Lætitiam festi debet excipere tremor jejunii. Item ex eo quod Jobi cap. 1. ỳ. 5. legitur; *Cumque in orbem transissent dies convivii mittebat Job, & sanctificabat eos, surgebatque mane summo, & offerebat holocausta, juxta numerum omnium illorum: dicebat enim Job; Forsitan peccarunt filii mei* &c.

Decimo ejusdem; quod hoc die Maria Prophetissa obierit, cessaveritque simul cum illa puteus, adeo ut populus nullam amplius in deserto aquam habuerit, quapropter murmurarunt & in Dominum graviter peccarunt. *Vigesimo sexto*; quod eo mortuus sit Josua filius Nun. Maxima tamen Rabbinorum pars statuerunt, Mense Martio omnino jejunandum non esse, propter lætissimam illam ex Ægypto liberationem.

Die 10. Aprilis.

Decimo aprilis ferias quidam celebrant esuriales, eo quod Eli, quoque ejus filii, hoc die occiderint, & Arca fœderis a Philistæis capta fuerit.

Item 8. & 20.

Octavo & vigesimo hujus mensis die quidam cibo abstinent, eo quod hoc die Propheta Samuel vitam cum morte commutarit.

8. Decem.

Die 8. mensis Teveth seu Decembris; quod eo die Lex in linguam Græcam translata fuerit tempore Ptolomæi, & trium dierum tenebræ fuerint.

Item 9.

Die nono ejusdem mensis; cujus jejunii equidem nullam certam causam sciunt. Sunt tamen qui putant, id fieri, quod eo die mortui fuerint Esras & Nehemias.

Colbo fol. 69. 1.

Hujusmodi Jejunia multa in Prophetarum olim mortuorum, & sanctorum virorum memoriam celebrant; vel ob aliam aliquam insignem calamitatem, quæ Judæis hoc vel illo die contigit.

Pridie Novilun.

Sunt qui pridie omnium Noviluniorum jejunio animas suas affligant: quidam vero, quoties infausti aliquid noctu somniarunt, ut supra dictum cap. 13.

Ob mortem patris.

Item cujus Pater mortuus est, illi per totam vitam eo die jejunandum, & cætera multa id genus.

Jejunium incipit a Vespera, & durat usque ad Vesperam sequentis diei, unde dicunt; כל תענית שלא קיבל עליו מאתמול מבעוד יום דמי למפוחא מלא זיקא *Omne jejunium, quod quis non pridie in se suscipit, dum adhuc dies est, simile est folli vel utri vento repleto*: Jejunantem autem omni cibo & potu prorsus abstinere opor-

oportet, ad stellarum usque accessum. Cui id nimis grave & molestum, potest cibi aliquid ore gustare, non vero deglutire, sed iterum exspuere: vel aliquantum cinnamomi aut glycirthizæ masticare, ad fauces humectandas; excepto tamen die expiationum. Istud jejunium sane improbandum non foret, si ex animo, vera pietate & Dei timore proficisceretur, & in finem illum & scopum dirigeretur, in quem ex Verbi divini præscripto dirigi debet. Verum hic frustra fuerunt Prophetæ multiplicibus suis Concionibus: illis enim animum nunquam adjicere voluerunt Judæi.

Jejunium publicum, ab Ecclesia indictum & celebratum, vocatur תענית צבור *Taanis zibbur*; privatum תענית יחיד *Taanis jachid*, Jejunium unici.

Qui privatim in se recipit Jejunium, ille in Precatione Vespertina dicit; אהא בתענית יחיד למחר *Ero in jejunio privato crastino die*: Addit precationem; *Mi Deus, quo tempore stabat Sanctuarium, si quis peccatum committebat, offerebat coram te oblationem, & expiabatur. Nunc quando propter peccata nostra Sanctuarium est eversum, nil habemus præter Jejunia & preces nostras. Placeat itaque Tibi Domine Deus mi, & Deus Patrum nostrorum, ut pinguedo, & sanguis ille meus, qui hoc meo jejunio diminuitur, perinde coram Te sit, ac si oblationem obtulissem, & gratiosus mihi esto: sint tibi grata &c.*

Si quis jejunium voveat, & illud perfecte sustineat, ac sustinere possit, vocatur קדוש *Sanctus*: qui vovet & id servare non potest, vocatur חוטא *Peccator*.

Doctores, Professores, & Pædagogi, jejunium nullum privatum sibi debent indicere; eo quod jejunium eorum vires debilitet, ut muneri suo sancto rite fungendo impares reddantur. Jejunio tamen publico Ecclesiæ non se debent subducere.

Jejunium privatum nullum debet fieri, Die Sabbathi, Novilunii, Festi alicujus solennis, Dedicationis Templi, Purim, & Vespera diei Expiationum. Jejunium publicum nullum, in die septimanæ quinto: quia eo occupati sunt in comparandis necessariis pro instante Sabbatho, & tribus ejus epulis.

Diebus Jejuniorum Orationibus ordinariis addunt Confessiones peccatorum, leguntur Historiæ tristes earum rerum, quæ unoquoque die contigerunt: depromitur in Synagoga liber Legis, & ex Exodo legitur versus 11. 12. 13. & 14. capitis trigesimi secundi. Idem fit in Oratione vespertina, *Mincha* dicta; adjungitur *Haphtara*, seu lectio Prophetica ex Esa. cap. 55.

In hujus Capitis conclusione prætereunda non est ratio, qua doctissimi Rabbini maxime religiosum & pium jejunium celebrare se existimant. Legimus in Medrasch Debharim rabba, sectione cujus initium est וזאת הברכה in hunc sensum: כיון שראה משה שנחתם עליו גזר דין גזר עליו תענית ועג עוגה קטנה ועמד בתוכה ואמר איני זז מכאן עד שתבטל אותה גזירה, באותה שעה מה עשה משה, לבש שק ונתעטף שק ונתפלש באפר ועמד בתפלה ובתחנונים לפני הקב״ה עד שנזדעזעו שמים וארץ וכו׳ hoc est, *Quamprimum videbat Moses, obsignatum esse contra se decretum* (mortis,) *sibi ipsi jejunium indicebat, & circulo, uti exorcistæ & necromantæ solent, aut fovea rotunda confecta; sibi saccum induebat, cineres capiti suo inspergebat, seque in medio circuli collocabat, jejunabat & indesinenter orabat, nec inde recedere in animo habebat, donec Deus sententiam suam in illum mutasset & induxisset, quod sane protinus fiebat.* Lepida hæc narratio dubio procul ex Judaicarum omnium fabularum fundamento, sacerrumo Talmude, originem habet, ubi in Tractatu de Jejunio legimus, *Quendam pietate & sanctitate insignem Judæum*, cui Chone hammaagal *Aurigæ nomen erat*, *idem fecisse, quotiescunque grave aliquid & necessarium impetrare voluit; ut, quum per totum mensem Februarium non pluisset, pluvia vero ad segetes summopere desideraretur, illum jejunasse, & ejusmodi circulum, tanquam carcerem, subiisse, & dixisse;* רבש״ע בניך שמו פניהם עלי שאני כבן בית לפניך נשבע אני בשמך הגדול שאיני זז מכאן עד שתרחם על בניך *Domine mundi, filii tui oculos in me intendunt, quasi tibi adeo carus & familiaris essem, ut patri filius; Per nomen tuum sanctum juro, me hinc non recessurum, donec filiorum tuorum misertus sis. Vix absolvisse volunt, quum illi cæruleus supra caput astitit imber.* Imo quod mage miraberis, si tamen quicquam, vel absurdissimum, in verporum scriptis mirum videri possit, ibidem dicitur Propheta Habacuc idem fecisse, uti scribunt; *Super custodiam meam sto, & figo gradum super munitionem & contemplor, ut videam quid dicatur mihi, &c.* hoc est, *Hic sto in meo artocreate seu placenta*; (vel, in circulo meo) *& exspecto, donec mihi respondeas, cur impii adeo sint longævi*; ut Rabbi D. Kimchi ex Rabbinis in hunc locum scribit. Ita miserandum in modum excæcati Judæi in adeo reprobum sensum inciderunt, ut nec illos pudeat, nec religioni sibi ducant, tam crasse, brute & stupide de Dei verbo loqui, & Scripturam sacram ex putido & insano suo cerebro explicare.

Deut. 30.

Taanis c. 3. pag. 19. 23.

Habac. 2. 1. Rab. Schel. jarchi in hunc locum.

Abusus jejuniorum tempore Prophetarum. Zachar. 7. ℣. 3. &c.

Magnus quoque Prophetarum temporibus in jejuniis abusus videbatur, magna superstitio. Hinc Propheta Zacharias illorum jejunium improbavit, veramque jejunii rationem exposuit, quum a Judæis interrogaretur; *Nunquid flendum est nobis in quinto mense, vel sanctificare nos debemus, sicut jam fecimus multis annis? Et factum est verbum Domini exercituum ad me, dicens, Loquere ad omnem populum terræ, & ad sacerdotes, dicens, Cum jejunaretis & plangeretis in quinto & septimo per hos septuaginta annos, nunquid jejunium jejunastis mihi? Et quum comedistis, & bibistis, nunquid non vobis comedistis, & vobismet ipsis bibistis? Nunquid non sunt verba quæ loquutus est Dominus in manu Prophetarum priorum, &c. Judicium verum judicate, misericordiam, & miserationes facite unusquisque cum fratre suo, &c. Et noluerunt attendere, & averterunt scapulam recedentes, & aures suas aggravaverunt, ne audirent. Et cor suum posuerunt ut adamantem, ne audirent legem & verba quæ misit Dominus exercituum in spiritu suo sancto per manum Prophetarum priorum.*

fol. 68. col. 4. Tempore Messiæ jejunia cessabunt.

De his Jejuniis omnibus scribitur in Colbo, *quod tempore Messiæ sint cessatura;* שעתיד להיות ימים טובים וימי משתה ושמחה, *quia tum dies futuri sint omnes boni, dies conviviorum & gaudii, sicut dicitur* Zach. 13. 19. Jejunium quarti &c. erit domui Jehudah in gaudium & lætitiam, & in solennitates præclaras: Veritatem igitur & pacem diligite.

Hactenus de Religiosis Judæorum ritibus: unde satis constat, illorum religionem non amplius Mosis & Prophetarum fundamento niti, sed puris putis mendaciis & falsis Rabbinorum & Doctorum constitutionibus, ut principio hujus libri demonstrare statueram. Subjungemus nunc Privatos Judæorum in domestica vivendi ratione ritus.

CAPUT XXXI.

De Domibus & Habitationibus Judæorum Quid Mesusah?

Memoriale vastationis Templi in ædibus. Psal. 137. 5.

Quia a tempore vastationis Templi, Sapientes Rabbinorum præceperunt, ut in omni sua lætitia faciant זכר לחורבן הבית memoriale vastationis, juxta id quod David dicit, *Si oblitus fuero tui o Jerusalem, oblivioni detur dextra mea;* ideo constituerunt, ne quis domum, seu exstruens, seu renovans, totam calce oblinat vel dealbet, sed partem aliquam, ad cubiti minimum magnitudinem in quadrum, non oblitam vel dealbatam relinquat, idque prope portam domus, ut quoties ingreditur, vel egreditur, eam in conspectu habeat, quo sic continuo Vastationis Templi recordetur, & eam defleat. Inscribere solent ei, vel versum Psalmi supra adductum, vel hæc verba זכר לחרבן *Secher Lechorban*, Memoriale vastationis. Hodie solent nonnulli totam quidem domum dealbare, sed postea partem aliquam tectorio nigro obducere. Sed hunc morem improbat R. Mordechaj Japhe; quia macula hujusmodi atra in albo potius ornamento, quam deformationi inserviat.

Nullas habent picturas & imagines.

Nullas in ædibus suis habent Imagines, picturas, statuas; nedum in Synagogis. In Italia tamen multi eas sibi permittunt, maxime si non fuerint elevatæ, neque integrum corpus repræsentent.

Deut. 6. 9.

Et quoniam Deus præcepit; *Et scribes ea* (nempe, *Verba Legis*) *in postibus domus tuæ, & in portis tuis;* hinc Januæ domus, & singulorum conclavium, quæ inhabitantur, & domesticis usibus honestis serviunt, infigunt Schedam membranaceam, quam מזוזה *Mesusah* vocant, cui inscribunt, *primo* ex Deuteronom. cap. 6. ℣. 4. 5. 6. 7. 8. 9. *Audi Israel,* Dominus *Deus noster,* Dominus *unus est, &c.* usque ad; *Scribes quoque illa in postibus domus tuæ, & in portis tuis*; deinde ex Deuter. 11. a vers. 13. *Et erit, si obediendo obediveritis præceptis meis &c.* usque ad vers. 20. *Scribes quoque ea &c.* Hanc schedam convolutam, cannæ vel pyxidi includunt, eamque clavo infigunt vel intrudunt muro ad dexterum Postem ingressus domus, vel fossulam ad id in poste ipso excavant & excidunt. Quod *uni duntaxat Posti* eam inserunt, Magistri ipsorum eruunt ex voce מזזת, quæ cum uno duntaxat Vav scribitur in adducto loco. Quod *Posti dextero;* extundunt ex voce ביתך; quam hic explicant per ביאתך *Ingressus tui*. In ingrediendo enim dexterum pedem soleri præponi sinistro. Quod non *tantum Januæ domus exteriori, sed & interioribus in domo ipsa sit infingenda*, docent ex voce plurali ובשעריך *Et in portis tuis*. Ideo enim, ajunt, adhiberi pluralem numerum, ut doceatur, omnes portas hic intelligi, Ædium, Cubiculorum, Cellariorum, Horreorum, Civitatum, Oppidorum &c.

Mesusa quid, & unde?

Talm. Menach. fol. 34. 1.

Domus Synagogæ exemta est a *Mesusach*, quia non habitationi, sed precationi est destinata: quod si vero in ea simul

ſimul ſit locus, qui ab aliquo inhabitatur, tenetur de ea. Loca ſecreta balnea, officinæ coriariæ, & ſimilia, itidem excipiuntur: quia non ſunt לדירת כבוד pro uſu honeſto.

Schedæ huic interius nihil præter commemorata loca Scripturæ eſt inſcribendum. Unde qui etiam certos characteres & ſignacula, vel etiam Nomina alia Divina, Angelorum, vel alios verſus Biblicos ſuperſtitioſe addunt; illi male faciunt, & dicuntur eſſe ex illis, qui nullam partem habent in ſæculo futuro.

Nomen Schaddaj in Meſuſah.

Exterius autem, ſeu averſæ ejus parti, inſcribitur nomen שדי *Schaddaj*, & eo quidem loco, ut reſpondeat, vel voci והיה *Et erit*, in interiori parte, vel ſpatio & interſtitio verſuum illorum, ex Deuter. 6. & 11. Rationem hujus rei reddit hanc R. Bechai in Legem, fol. 196. col. 2. *Gentes*, inquit, *mundi exiſtimant, proſperitatem ædium dependere ab aſtris. Nos vero, ut teſtatum faciamus Deum vincere & deſtruere vim aſtrorum: & ab ipſo omne bonum promanare in ædes, non ab aſtris; ideo inſcribimus his ſchedis Nomen* Schaddaj. *Sic poſteaquam Jobi* 22. 17. *dicitur*; Quid facit שדי Schaddai illis? *Reſpondetur* v. 18. והוא מלא בתיהם טוב Ipſe implet domos eorum bono. *Ajunt præterea; Rex qui eſt Caro & ſanguis, eſt intra palatium ſuum, & Miniſtri ejus cuſtodiam agunt foris: Contra eſt hic; Iſraelitæ dormiunt in lectis ſuis intra ædes ſuas, & Deus cuſtodit ipſos foris*; vi ſcilicet ac virtute harum Schedarum, quibus Nomen ejus inſcriptum. Hinc quotieſcunque homo pius vel domo ſua egreditur, vel eam ingreditur, manu ſua Meſuſam hanc tanget & dicet; DOMINUS *cuſtodiat egreſſum & ingreſſum meum, a nunc & uſque in ſæculum*. In Colbo ſcribitur ideo fieri, quod שדי vox ſit ſymbolica harum trium, שומר דירת ישראל *Cuſtodiens domicilia Iſraelis*. In *Levuſch Ateres ſahaf* pro memoriali, vel confirmatione hujus rei affertur id quod apud Jobum legitur; והיה שדי בצריך (*Et erit* Schaddai *munitio tua*;) *Ne legas*, ajunt בצריך, ſed בציריך *Et erit* Schaddai *in cardine, vel, in poſte tuo*; cui cardo ineſt. Itaque ita inſcribunt hoc nomen, ut membrana convoluta videri queat: & in eum finem quoque in calamo ſeu pyxide, cui inſeritur, faciunt foramen, per quod conſpiciatur.

fol. 101. col. 4.

Num. 288. § 15.

Jobi 22. 25

Quidam præter Nomen שדי adſcribunt inſuper, כוזו במוכסז כוזו quod ſcribunt eſſe Nomen Angeli cuſtodiæ huic præfecti. Meminit hujus etiam Antonius Margarita, ſed qualia hæc ſint Nomina, non explicat. Reſpondent hæ tres voces, tribus iſtis in verſu Deuteron. 6. 4. יהוה אלהנו יהוה. Illas ex his eliciunt certa quadam arte Cabaliſtica, qua pro unaquaque litera, proxime ſequentem ſubſtituunt, & eas ita inter ſe commutant; veluti, כ pro י, ו pro ה; ז pro ו; ב pro א; & ſic conſequenter. Magnam his nominibus ſanctitatem adſcribunt. Hinc domo ad negotia ſua egreſſuri, ſolent dicere; בשמך כוזו במוכסז כוזו אלך ואצליח *In nomine tuo, Kuſu Bemochſas Kuſu, iter ingrediar, & proſperabor*.

Superſtitio Judaica.

Convolvunt hanc ſchedam a fine linearum verſus principium, ut in aperiendo earum initium ſtatim Lectori in oculos incurrat.

Antequam eam poſti inſerant, hanc ſuper ea præmittunt benedictionem; *Benedictus ſis, o Domine Deus noſter, Rex mundi, qui nos ſanctificaſti præceptis tuis, & præcepiſti nobis* לקבוע מזוזה *poſtibus infigere Meſuſam*.

Cæterum multa hic ſcribunt de pelle cui hæc inſcribenda, de atramento; de forma ſcribendi, de modo inſerendi, de ædibus & conclavibus, quæ de his Meſuſoth tenentur, vel quæ non &c. Ea qui ſcire volet, adeat Ritualia ipſorum, in הלכות מזוזה.

Certis temporibus illas depromunt & recenſent, videntes an adhuc illæſæ & integræ, an vitium paſſæ ſint; veluti an ſint laceræ, vel ſcripturæ delatæ &c.

Quicunque domum aliquam conducit, ſtatim tenetur eam Meſuſah inſtruere.

Cum quis e domo emigrat, & Judæo eam inhabitandam relinquit, non debet *Meſuſam* eximere & auferre: quia Spiritus & dæmones maligni ſtatim immigrant in eam domum, quæ Meſuſah caret, a quibus novo hoſpiti periculum imminere poſſet, ſi domus illa ad tempus ſine *Meſuſa* relinqueretur. Quod ſi vero vel a Chriſtiano domum conduxerit, vel Chriſtiano eam elocet, licet eam auferre, & ſecum aſportare: quia ſic nullum Judæo, ſed Chriſtiano duntaxat, metuendum periculum, cujus Judæus nullum tenetur habere rationem.

Nulli Chriſtiano hujuſmodi Meſuſah danda, quia ille non debito eam honore & veneratione habebit. Quod ſi tamen talis aliquis eam petat, cui ſine periculo denegari nequit, majoris alicujus mali & incommodi vitandi cauſa dari poteſt.

Uſus Τῶν Meſuſos.

Uſus harum ſchedarum eſt, ut quotieſcunque homo per portam domus ſuæ vel egreditur, vel ingreditur, ex intuitu

tu earum sibi in memoriam revocet Dei unitatem, Providentiam, Potentiam, Legem, quorum documenta in dictis illis Scripturæ exstant; & per horum considerationem ad Timorem Dei excitetur, & a peccato abstrahatur.

Qui hoc præceptum accurate observat, ejus, & liberorum ejus dies prolongantur, sicut dicitur; *Ut multiplicentur dies vestri, & dies filiorum vestrorum:* qui negligit, contraria experietur; רמכללהן אתה שומע לאו *quia ex Promissione obedienti facta, colligitur Comminatio erga inobedientem & contemtorem.*

CAPUT XXXII.

De Vestitu Judæorum.

Vestes heterogeneas ex lana & lino Judæis prohibitæ.

PRæceptum Divinum legitur Lev. 19. ℣. 19. ובגד כלאים שעטנז לא יעלה עליך *Et vestimentum ex heterogeneis confectum non ascendat super te.* Et Deuteron. 22. ℣. 11. לא תלבש שעטנז צמר ופשתים יחדו *Non induas te vestimento ex lana & lino simul confecto.*

Vi hujus præcepti prohibitum sibi ducunt, vestiri indumento ex lana & lino contexto.

Lanam illi intelligunt tantum Ovium & Arietum, &c. Probationem hujus rei petunt ex 2. Reg. 3. 4. ubi legitur; *Porro Mesa rex Moab fuit pecuarius, & reddebat Regi Israelis centum millia agnorum, & centum millia arietum cum lana.* Hinc illi colligunt, per צמר intelligi tantum Lanam ovium & vervecum. Ideo excludunt Lanam Camelorum, Leporum, pilos Caprarum, &c. Multa de his traduntur, & disputantur in Talmude & Ritualibus ipsorum, e quibus nonnulla duntaxat delibabimus.

Quidam scribunt, non prohiberi conjunctionem harum duarum diversarum specierum, nisi simul fuerint pexa, neta vel consuta, & contexta. Has tres actiones seu conditiones volunt innui voce שעטנז Disputant autem an omnes tres requirantur, an vero una duntaxat sufficiat ad vestimentum heterogeneum faciendum.

Studiose tamen & accurate observant, ne ulla ratione conjungantur, adeo ut ne quidem filo lineo pannum laneum, vel vice versa consuant, ne præceptum hoc violent. Imo unicum filum lineum, in veste lanea ampla, facit eam כלאים Kilajim, heterogeneam & prohibitam.

Si sit pannus mixtus ex lana agnina & camelorum, ita ut media pars sit ex hac, altera ex illa, habetur totum pro lana agnina.

Si vestis aliqua sit tota ex pilis camelorum vel leporum, vel cannabinum, & unicum filum laneum ei sit intermixtum, est prohibitum.

Non licet ovum calidum accipere vel tenere in linteo heterogeneo: quia ex calore ovi in linteum profecto, aliquid commodi sentit homo.

Non prohibita tamen hoc nomine scribunt, nisi vestimenta ea, quæ corpori calefaciendo adhibentur; veluti Subucula, Pileus, Tunica, Thorax, Caligæ, Tibialia, Chirothecæ &c.

Involucra mortuorum licet facere ex כלאים, quia mortui non tenentur de præceptis observandis.

Kilaim, seu heterogenea licet facere & vendere: quia prohibetur duntaxat iis se tegere & vestire, sicut dicitur; *Non indues te vestimento heterogeneo.* Item; *Non ascendet super te*; nempe דרך לבישה illo te vestiendo: sed עלייה *Ascensio*, quæ non fit vestitus causa, licita est; veluti, licet sedere sub aulæo heterogeneo. Sic licet sedere super tapete vel strato heterogeneo: sic enim substernitur homini, non ascendit super eum, quod Lex prohibet.

Qui a Christiano emit vel accipit vestem laneam, accurate illam debet examinare, an sit filis lineis consuta.

Qui veste heterogenea (quæ quidem talis sit notorie secundum Legem) indutum videt alium, eam ipsi etiam in publica platea aufert, & dilacerat; etiamsi Præceptor ejus fuerit. Præceptum enim Legis negativum nullum violandum, vel ut violetur tolerandum, in gratiam & honorem hominum. Sed, si sit heterogeneum ex statuto duntaxat Rabbinorum, ad id conniveri potest, ut honoris proximi habeatur ratio &c.

Qui plura de his cupit particularia, adeat Majemonidem in הלכות כלאים cap. 10. Schylchan Aruch Parte secunda Jore Dea Num. 298. Sepher mitzvoth gadol, Præcepto negativo 283. &c.

Rationem hujus præcepti Majemonides in More nevochim par. 3. cap. 37. reddit hanc, quod olim Sacerdotes gentiles & idololatrici hujusmodi vestibus usi fuerint. Aliam reddit R. Bechai sect. קדושים, f. 143. col. 1.

Viro prohibitæ vestes muliebres, & contra.

Porro prohibitum etiam est inter ipsos, ut Vir induat vestimenta Mulieris, aut Mulier vestimenta Viri. Lex hac de re exstat Deuter. 22. 5. *Mulier non feret arma viri, neque induet vir vestimentum muliebre: quia abominatio Domini Dei tui est, quicunque hæc facit.*

Hoc

Hoc præcepto dicunt prohiberi *primo*, fœminis Arma bellica, ne iis si utantur fœminæ, in bellum cum viris abeant, & sic libidinibus occasionem præbeant. Hanc ob causam dicunt Jaelem interfecisse Siseram paxillo, non cultro vel gladio, quod hæc sint proprie arma virorum. Omnia item vestimenta virilia: *deinde*, viris omnia non solum vestimenta, & ornamenta muliebria, & actiones effœminatæ; veluti Capillos alio colore tingere, faciem fucare, canos evellere, vestes versicolores, monilia, armillas aureas &c. gestare. Item in Speculo se contemplari; nempe se ornandi & comandi gratia; quia & hoc muliebre est: quod si vero quis sit ægrotus, & se in speculo contemplari cupiat, id non est prohibitum. Causam hujus rei reddunt duplicem 1. quod inter Idololatricas gentes olim usitatum fuerit, ut Vir stet coram Stella Veneris indutus vestimento muliebri, & vice versa; Mulier, lorica, galea, & aliis armis instructa, coram stella Martis: 2. quod actio ista pravam concupiscentiam excitet, & variis libidinibus occasionem & fomentum præbeat.

Jud. 3. 5.

Non tondent comam, neque novacula barbam radunt.

Huc pertinet, quod non liceat ipsis vel comam tondere, vel novacula barbam radere, juxta præceptum Lev. 19. 27. לא תשחית את פאה זקנך *Non corrumpes extremitatem barbæ tuæ*. Extremitates vel angulos barbæ faciunt quatuor; In maxilla superiore & inferiore dextra, duos; in maxilla superiore & inferiore sinistra, duos: quintum in mento. In nullo ex his loco licet eam radere *novacula*, quia ea barba penitus corrumpitur & destruitur. At forficibus licet eam tondere; verum non ita præcise, ut novacula abrasa videatur.

Mulieribus tamen si barba creverit, eam abradere & destruere est permissum.

Non est inter ipsos ut inter Christianos, vel in more, vel in laude, vel reverentiæ signum, ut viri caput detegant, vel coram aliquo aperiant; imo ne quidem in Scholis & Synagogis suis. Inter Christianos id faciunt erga honoratiores, ex ipsorum, non suo ritu & usu.

Non vestire se debent ritu Christianorum.

Prohibitum ipsis etiam est vestire sese modo & ritu Christianorum, quo scilicet Christiani peculiariter utuntur, & quo Judæi, vel verecundiæ, vel humilitatis causa, abstinere debent: sic etiam non tondere debent comam eo modo quo Christiani, neque ædificium aliquod exstruere ad formam templorum vel sacellorum ipsorum. Judæi enim sicut in fide, sic & in vita & moribus debent ab ipsis diversi esse, & a ritibus illorum abstinere, sicut ipsis præceptum, בחוקותיהם לא תלכו *In statutis vel ritibus ipsorum nolite incedere*. Sic ex. gr. Non gerent vestimenta rubra & purpurea, quia hæc indicium sunt animi superbi & lascivi. Dispensationem tamen hic largiuntur iis qui in aulis Principum & Regum versantur, ut illis plura liceant, quo tanto honoratiores & gratiores sint illis, neve ludibrio habeantur.

CAPUT XXXIII.

De Vasis Judæorum culinariis, & ad Mensam pertinentibus; ut & discrimine in Coctione, & Cibis.

Discrimen carnium & piscium

MAgnam hodie Judæi accurationem observant in Cibis tum coquendis & præparandis: tum in discrimine in carnibus, piscibus, & cibis lactariis. Discrimen hoc ex Exodo hauriunt, ubi scribitur: *Non coques hœdum in lacte matris suæ*. Hinc fusa, prolixa & acuta apud illos habetur disputatio, qua ratione carnes & lac rite tractandæ sint, & ingentes ea de re libros conscripserunt.

Exod. 23. 19. Jore deah num. 86. & seqq. & n. 112.

Vasa culinaria, & quæ pro cibo in Mensa serviunt, debent comparare nova: si jam antea alius quam Judæus, iis usus fuerit ad cibos calidos, & testacea fuerint vel lignea, illa ipsis penitus sunt prohibita; idque ex metu, ne forte in iis cocti vel asservati fuerint cibi ipsis prohibiti: si vero ex metallo vel lapidibus fuerint, quæ non attrahunt succum vel liquorem, ea solent igne prius candefaciendo, & in aquam bullientem immergendo mundare, quam iis utantur. Si stannea sint, itidem aqua bulliente, & ignito ferro in aquam immisso sunt emundanda. Quomodo hæc mundatio fiat, vide supra cap. 12.

Vasa peculiaria ad carnes & lactaria.

Duplicia Vasa culinaria & mensas habent; altera ad carnes, altera ad cibos lactarios. Vasa lactaria tribus distinctis notis signant, & in vasis quidem ligneis tres incisuras incidunt, eo quod versiculus modo citatus ter in lege Mosis exstet: aliquando inscribunt illis vocem חלב *Calaf* Lec: cæteris בשר *Besar* Caro.

Cultros item.

Sic etiam singuli Judæi duos semper Cultros secum deferunt, alterum ad carnes, alterum ad caseum & pisces, pariter tribus incisuris signatum. Si quis hos cultros permutarit, & unum pro altero usurparit; antequam eo iterum utatur, per integram horam tenetur terræ infigere, postea novies ad ferrum, vel prunas ignitas affricare, ut saporem prioris cibi

cibi amittant. Et hoc quidam faciendum, si vel Cultro lactario cibos carneos frigidos, vel Cultro carnario lacticinia frigida comederint. Quod si vero culter fuerit adhibitus ad cibos calidos, plura requiruntur; Sumenda olla nova, quæ altitudinem cultri habeat, ea implenda aqua donec bulliat, & cum in summo est fervore, culter totus cum manubrio in aquam mittendus, extractus probe acuendus, ut sapor pereat.

Christianorum cultris non utuntur.

Non etiam permissum ipsis est Christiani cultro edere (quem vulgo vocant טרפה סכין *Trepha Sakkin.*) Quod si vero Judæus Christiani cultro uti velit, vel Christianus aliquis Judæi cultro suillam scidisset aut comedisset, culter talis in ignem conjiciendus, donec ignescat. Hinc Judæi non facile patiuntur, ut Christianus, cum ipsis prandens, proprio utatur cultro, quia eum pro immundo habent, sed Judæus ipse dat cultrum: quod si Judæo inscio, proprio cultro comederit Christianus, Judæus non edit de illo cibo, qua parte Christianus scidit, sed eam abscindit & abjicit, sive Panis, sive Caro fuerit.

Duo salina.

Duo itidem, ob eandem causam, in mensa habent Salina, eodem modo, ut dignosci possint, notata: si alterum pro altero usurpetur, sal illud est effundendum, nec ulterius eo uti licet.

Eandem rationem observant in reliquis utensilibus, lebetibus, ahenis, sartaginibus, cochlearibus, patinis, quadris &c. atque unumquodque genus suum peculiare debet habere armarium, in quod reponatur, ut & cibi ipsi.

Non etiam licet utraque simul & mixtim abluere, aut, si fiat, modo ante dicto sunt purificanda.

Quum vasa invicem mutata sunt, & altera in alterorum locum venerunt, cibos in illis coctos edere non audent; fictilia confringunt, lignea in aquam immersa probe abluunt, ferrea ignescendo mundantur, & multæ hic constitutiones observandæ.

Carnes & lac juxta non coquuntur in foco, nec simul mensæ apponuntur, sed discrimine adhibito separantur, ut hinc carnibus, illinc vero lacti vel caseo, peculiare destinetur mantile vel peculiaris mappa. Mappas enim quoque distinctas habent pro carnibus, & pro lacticiniis: illæ communiter in ora signatæ sunt voce בשר *Basar* Caro; hæ voce חלב *Chalaf*, Lac, ut tanto certius omnis error præcaveatur. Qui nonnisi unam habet mappam, is post alterutrum cibum eam debet lavare, antequam alterius generis ei imponat. Si aliter fecerit, peccat, neque pro devoto Judæo habetur.

Qui carne vel jure e carnibus vescitur, per horam integram neque caseum, neque quicquam aliud ex lacte confectum comedere debet; imo, qui pietate excellunt, sex horarum spatium interponunt. (Pullus tamen gallinaceus cum Amygdalarum lacte comedi potest.) Qui tamdiu exspectare nequit, carnem dentibus curiose eximat, os eluat, & panis frustulo carnium saporem detergat & auferat. Qui vero carnem comedit, statim comedere potest caseum: quia de caseo reliquiæ inter dentes hærere non solent: manus tamen prius debet examinare, ne quid de caseo illis adhæreat, quod postea cum carne misceri posset, & simul cum ea edi.

Si sebum in cibum lactarium inciderit, cibus ille vetatur: si tamen cibus sexagies sebum quantitate superarit, cibus ille permittitur.

Ova quæ edant.

Ova nulla edunt, nisi quæ sunt a Volatili mundo. Munda ab immundis sic discerni posse scribitur: Si ambo extrema Ovi sint או חריין או כריין vel lata, vel acuta; aut si Vitellus sit exterius, albumen interius; certum est, illud ovum esse a volatili immundo. Quando vero extremum unum est latum & rotundum, alterum acutum & rotundum, vitellus interius, albumen exterius, signum esse, quod sit volatilis mundi. Quamvis signa hæc non sint perpetua &c. Unde prius etiam rogandum, si quis ova emat, qualia sint: neque a Christiano Judæus emere debet, nisi probe ea agnoscat. Hodie tamen accipiunt & emunt a Christianis, sine accurato eorum examine; quod & illi ab ovis immundis abhorreant, & gallinarum atque anserum ova ipso aspectu facile a quovis dignosci possint. Extra tamen putamen in patina contusa, non accipiunt a Christianis, quia metuendum est, subesse fraudem.

Ovum in vase carnibus destinato non elixant: si alias ovis ad coquendum uti velint, prius aperta in paropsidem, vel e putamine altero in alterum immittuntur, &, ne ulla adsit sanguinis guttula, dispiciunt. Quapropter Judæi ova elixa a parte oblonga & acuta semper aperiunt; quia sanguinis venula interdum ibi reperitur. Si Gallinam, cui ova sunt in corpore, aperiant, ovis non utuntur, nisi aqua & sale prius macerata, probeque abluta fuerint. Ovum, in quo est pullus, non solum ipsum est illicitum: sed & illicita reddit omnia, quæ cum illo cocta sunt. Habetur enim pro Reptili

ptili repente super terram. Ova ex Gallina mortua itidem sunt prohibita.

Carnes & pisces simul non edunt.

Carnes & pisces simul etiam mensæ non apponunt, nec simul coquunt, multo minus simul, vel de eadem quadra vel patella, comedunt, scribuntque, eum qui hoc fecerit, leprosum fieri. Inter carnes itaque & pisces, manus & os abluunt, vel fructum comedunt, vel denique panis frustulum. Quando pisces comedunt, spinas non imponunt quadræ vel mensæ, sed eas juxta se infra mensam conjiciunt; ne nauseam alicui moveant. Quod non ante, vel post se eas projiciant, ideo fit, quod, ubicunque Judæi sunt, maxime ad ipsorum mensam, Angeli præsentes sunt, quos forte possent tangere, ut supra etiam dictum cap. 7. Post comesos pisces, antequam aliud quid gustent, vel buccella panis, vel particula de pomo, aut pruna Damascena comedenda, משום קנוח ut piscium sapor abstergatur: quia ille ingratus, & sanitati noxius.

Lac, quod emulsit Christianus, Judæo absente, ipsis est prohibitum: quia fieri potest, ut Lac immundum ei admiscuerit.

Caseum Christianorum etiam non edunt: quia rebus illicitis eum coagulant, aut quia forte superficiem ejus inunxerunt lardo suillo, aut quia illiciti quid ei admiscent &c.

De Butyro Christianorum in specie Talmudici nihil præceperunt, unde ab eo non abstinent. Quamvis & hic in aliquibus locis sint rigidiores.

Hæc & id genus similia exacto separare discrimine, summa est & præcipua apud Judæos sapientia. In rebus dubiis, si quid scrupuli alicui occurrat, Rabbinorum sapientissimi illis sunt consulendi.

Vasa nova quomodo mundent.

Nova vasa culinaria, sive aurea & argentea, sive stannea, ænea, cuprea, plumbea fuerint; cultri, vitra, &c. in aquam mergi & probe ablui debent: quæ vero ignem sustinere possunt, ut vasa ferrea, ignescendo purgari debent. Probant id ex libro Numerorum: *Omne quod potest transire per flammas, igne purgabitur*; aqua tamen expiationis (de qua eodem libro cap. 19.) prius sanctificatum: *quicquid autem ignem non potest sustinere, per aquam traducetis*. In hunc locum in Talmude scribitur; *ejusmodi vasa in aquam illam vel puteum immergenda in quo Judææ mulieres post impuritatem menstruam lavare solent*. Ejusmodi enim mulier Hebraice נדה *Niddah* appellatur, & aqua illa expiationis seu separationis מי נדה *Me nidda* quoque di-

Tractatus Elilim. c. 5. pag. 75.

citur. Hic Judæi satis produnt, asinum Cumanum auribus facile deprehendi. Locus enim modo citatus non in genere de omnibus vasis loquitur, sed de facultatibus solum, quas ex Midianitarum hostium suorum præda reportarant, qui tunc impuri & reprobi erant populi: unde Moses indicavit, nihil Israeli cum illis vel illorum facultatibus, nisi prius sanctificatis, esse debere commune. Judæi vero, quum Christianorum vasis omnino non utantur, ne novis quidem, nisi prius purgata fuerint, hodie adhuc ostendunt, nos puriores vel sanctiores non esse gentibus illis, quas olim ex terra Canaan Deus expulit; adde quod nos in libris suis expresse טמאים *Temeim* Pollutos, & Impuros Ethnicos appellant. Nihilominus tamen species hæc puritatis externa Judæos in corde puriores non reddit, ut satis superque illis Christus in Novo Testamento exprobravit.

Nihil edendum vel bibendum, quod homini noxam aut periculum creare possit: Ex. gr. Nulla aqua bibenda, quæ non fuerit tecta; quia forte vel serpens aut aliud aliquod venenatum reptile ex ea bibit; A sudore sorbendo homo sibi cavere debet. שכל זיעת ארם הוא כסם הסות quia sudor humanus est venenatus; excepto sudore faciei: Nulla moneta ori indenda; quia fieri potest ut leprosus vel alia maligna scabie laborans, eam tetigerit: nullum Panem sub axillis feret homo, quia fortassis sudor illius loci ei adhæret, qui, ut dictum, venenatus: nullus cibus vel potus reponetur sub lecto, ne quidem tectus: quia malignus ibi super eo incumbit spiritus: nulla aqua bibenda tempore alicujus solstitii vel æquinoctii, quia veteres illorum sapientes judicarunt, id esse periculosum: Non in Æquinoctio Martii; quia eo Aquæ in Ægypto conversæ sunt in sanguinem; Solstitio æstivo; quod eo die Moses & Aharon, cum alloqui debuissent petram, eam percusserint, & sanguis effluxerit, qui infecit omnes reliquas aquas; Æquinoctio autumnali: quia ea hora culter Abrahami, quo Isaacum immolaturus erat, stillavit sanguinem, quæ stilla itidem in reliquas aquas derivata. Solstitio hyberno: quia hoc tempore filia Jiphtachi fuit immolata, & ea quoque hora omnes aquæ sanguine fuerunt oppletæ. His ergo horis dicunt perpetuo aliquas sanguinis guttas in aquas decidere pestiferas.

Sic abstinendum ab omnibus, quæ nauseam homini creare possunt. שומר נפשו ירחק מהם Qui vitæ & sanitatis suæ rationem habet, ab istis sibi cavebit &c.

CA-

CAPUT XXXIV.

De Pane Judæorum. Challa *quid?*

Præceptum de Challah.

PRæceptum Divinum eſt Numer. 15. ℣.20. שראשית עריסתיכם חלה תרימו תרומה *De primitiis paſtarum veſtrarum* Challa *Placentam offeretis in oblationem*. Hinc, quando panem ſubigunt, poſteaquam farina cum aqua eſt commixta, placentam a maſſa ſeparant. De quantitate hujus placentæ nihil certi eſt in Lege definitum, ita ut ſi quis vel particulam inſtar grani hordeacei abſcindat, Legi ſatisfecerit. Sapientes tamen ipſorum definierunt, ut Paterfamilias ſeparet quadrageſimam quartam totius maſſæ partem; piſtor vero & artopola, quia maſſas faciunt grandiores, & quoque aliquid lucrari debent quadrageſimam octavam. Prius deſumſerunt ex eo quod verſu ſequenti dicitur; *Dabitis eam Domino*, hoc eſt, Dabitis eam Sacerdoti: Donum autem Sacerdoti dandum tanti æſtimarunt.

Præceptum hoc, ſecundum Legem, non obſtringit niſi eos qui ſunt in terra Iſraelis, & eo tempore, quo totus Iſrael in ea eſt, ſicut dicitur ℣. 19. *Quum comederitis de pane terræ*: Et ℣. 18. *Cum veneritis in terram*; nempe *omnes*, non *quidam tantum*. Unde ſeparatio Placentæ hujus hodie non eſt ex præſcripto Legis, ſed Sapientum; eum in finem, ne ejus obliviſcantur.

Placenta hæc olim dabatur Sacerdoti: hodie in furnum injecta comburitur.

Ratio præcepti.

Rationem præcepti hujus dicunt eſſe hanc; quia præcipuum vitæ hujus ſuſtentandæ nutrimentum & alimentum eſt Panis, ideo voluiſſe Deum, ut præcepti hujus circa Panem obſervatione, benedictio ſuper eo quieſcat, atque ad animam etiam redundet; quo ſic eſſet alimentum animæ & corporis: *deinde*, ut per hoc Sacerdotes quoque qui cultui Divino jugiter inſerviunt, ſuum panem haberent ſine labore & cura, neque in eo impediantur.

Cura hæc incumbit tam Viris, quam Fœminis, his tamen præcipue: quia illæ ut plurimum panem ſubigunt & coquunt. Vide etiam ſupra cap. 12.

Quæ ſpecies de ea teneantur.

Quinque ſpecies farinaceæ hujuſmodi tenentur de *Challah*: Triticum, Hordeum, Spelta vel Zeah, Avena, & שיפון Secale. *Panis* enim duntaxat vocatur, quod ex his quinque ſpeciebus conficitur.

Qui de Maſſa hujuſmodi placentam non ſeparavit, ſeparat eam de Pane ipſo, quia dicitur, *cum ederitis de Pane*.

Qui maſſam hujuſmodi facit, ut eam exſiccet ad Solem, aut ad coquendam eam in olla, non tenetur de ea. Sic libera eſt a *Challah*, maſſa quæ fit pro beſtiis: ſi vero fiat pro beſtiis & homine ſimul, tenetur de *Challah* &c.

Quandoque hanc Placentam reſervant, & tempore oborti incendii inſcribunt ei certas literas, vocabula Angelorum, & notas ſuperſtitioſas. Ea in ignem projecta credunt exſtingui incendium.

Levuſch par. 3. nu. 112.

Qui plura ſpecialia de his volet, videat Ritualia in הלכות חלה.

Panis Chriſtianorum.

Panis Chriſtianorum equidem a veteribus Rabbinis eſt Judæis prohibitus; uſus tamen & obſervantia hujus interdicti non obtinuit; quia in hoc ipſorum exilio obſervare non poſſunt. Ad impoſſibile autem nemo obligatur. Hinc ex mille Judæis non eſt unus, qui id obſervet: ſed emunt promiſcue quemlibet Panem a Chriſtianis, imo & in ipſorum ædibus cum eis edunt. Hic tamen cavent, ſi non integrum habere poſſint, ut ea parte abſcindant, qua Chriſtianus ſuo cultro jam ante abſcidit; quia Chriſtiani cultris ſuis utuntur ad multos cibos Judæis prohibitos.

Non licet maſſam farinaceam (pro pane conficiendo) ſubigere cum lacte vel butyro; quia facile fieri poſſet, ut quis eum panem cum carne (& ſic carnem & lac ſimul) comederet ולאו אדעתיה *inſcius & incautus*; ſi quis id fecerit, tota maſſa eſt prohibita. Quod ſi vero nota aliqua eam a communi pane diſtinxerit; aut nonniſi unam aliquam fecerit placentulam, quæ ſtatim edatur, ut nullum oblivionis ſubſit periculum; aut formam illius panis diverſam fecerit, vel aliud aliquod ſignum ei impreſſerit, quo dignoſcatur, licitum eſt. Sic enim, qui de eo edere voluerit, quæret, quid illa nota, vel diſtincta forma ſibi velit, & a periculo liberabitur.

CAPUT XXXV.

De Vino Judæis probibito.

Vinum gentilium & Chriſtian. ipſis prohibitum.

VInum Chriſtianorum, & aliorum Gentilium, qui ſunt Idololatræ Judæis eſt prohibitum. Prohibitionem ſumunt ex eo quod Deuteron. 32. ℣. 38. Moſes de Iſraelitis ad Idololatriam prolapſis dicit; *De quorum* (Deorum alienorum) *victimis comendebant adipes*, ישתו יין נסיכם *bibebant vinum libaminis eorum*. Hinc omne vinum aliarum gentium, quas Idololatricas eſſe conſtat, vocant יין

נסך

נסך *Vinum libaminis*, *Idolis libatum vel libandum*. Sic dicit Esthera in Oratione sua, cap. 14. 17. *Neque vero de mensa Haman ancilla tua cibum sumsit, nec Vinum bibi* libaminum.

Hinc innumera Rabbini ipsorum excogitarunt observanda, circa Vinum tale; quodnam, quousque, quatenus, & quibus in casibus sit vel licitum, vel prohibitum. Est enim, quod tantum Bibere & gustare est prohibitum; aliud, quod prorsus tale; ita ut ne emere quidem vel vendere, aut ullum ex eo commodum aut quæstum facere, sit licitum.

Unde stricte, secundum Rabbinorum suorum statuta, Judæis non licitum est Vinum bibere, quod a Christiano torculari est subjectum & expressum, aut etiam manu tactum; imo si Christianus vel digito uno attigerit torcular, vel prælum, cui uvæ sint subjectæ, vel cupam, in quod vinum influit, vinum reddatur *Nesech*.

Quod si tamen constet, Christianum de industria & petulanter intinxisse digitum, ut Judæo ægre faciat, vinum manet licitum.

Si proprias habeant uvas, a Christiano emtas, quas in Christianorum torculari, vult exprimere, primo omnium torcular probe debet abluere: posteaquam ablutum est a Judæo uvæ imponi; a Judæo etiam exprimi, & quidem tali, qui scriptum testimonium a Rabbino aliquo habeat, quod fidus sit, & omnia hic requisita studiose sit observaturus; Posteaquam vinum est expressum & in vase aliquo collectum, a Judæo est custodiendum, & cavendum, ne Christianus aliquis accedat, & illud tangat. Nam sic Vinum totum fieret *Nesech* & immundum. Posteaquam Vinum est in dolio, admittitur Christianus, qui juvet illud currui imponere, si soli non possint: sed Christianus non tolerari debet in curru juxta dolium. Quando Vinum est in Curru, Dolio in anteriori ejus parte inscribunt כשר *Kôscer* quo significant, Vinum illud Judæo cuivis bibere vel emere esse permissum.

Brandspiegel cap. 67.

Quidam hæc probant ex eo quod Propheta Ezechiel dicit; ומרפש רגליכם, תשתינה quod explicant; *Et conculcationem pedum* vestrorum *bibetis*; h. e. *Illud vinum, quod pedibus* vestris *calcastis, bibetis; non vero quod Gentiles calcarunt pedibus suis*.

Secundum strictas ipsorum Leges, nullum prorsus vinum Judæus cum Christiano debet bibere nisi suum proprium sit, quod ipse calcarit, expresserit &c. vel ab alio fide digno Judæo acceperit; ea tamen conditione, ut Judæus cantharum semper manu sua teneat, & caveat, ne a Christiano tangatur, quia ab ejus contactu Vinum pollueretur: In parato etiam debet adesse Aqua pro eluendo vitro vel poculo, posteaquam Christianus ex eo bibit, & caveri, ne postea iterum a Christiano contigatur: vel quisque peculiare habebit poculum.

Christianus Gerson, in suo Talmude scribit, ideo hæc fieri, quod *ad Mosellam, & in locis quibusdam Pontificiis aliis, moris sit, ut Sacerdos annuatim certo die super certa aliqua vini mensura Benedictionem recitet, de quo consecrato vino omnibus doliis infundatur. Unde illa vina omnia deinceps Judæis sunt Idololatrica*.

Culices vinarii.

Culices vinarii nascentes in vino, aut cerevisia, liciti sunt, si nunquam e vino recesserint, etiamsi mortui sint; quod si vero vinum coletur, & separe tur a vino, prohibiti sunt. Unde noctu ad candelam, vel ignem, colatio facienda non est: quia fieri potest, ut separati in vinum revertantur, nemine animadvertente. Sic vermiculi nascentes in aqua, in hydriis, urnis, vel aliis receptaculis, liciti sunt, quandiu non egressi sunt ex ea. Hinc lux aliqua infertur loco Matth. 23. 24. *Duces cæci, qui excolatis culicem*.

Acetum Christianorum.

Sic Acetum Christianorum ipsis etiam est prohibitum: quia Vinum jam antea *Nesech* fuit, ex quo est factum.

Cap. 47. Num. 25.

In Pirke R. Eliesaris legitur. Rabbi Elieser Hammodai dicit; *Pineas stabat* (cum scilicet ob fornicationem occidisset Zimri filium Salu, & Chosbi filiam Sur) *& sub anathemate denuntiabat Israelitis, per secretum Nominis Tetragrammati, & per Scripturam quæ insculpta erat Tabulis lapideis, sub Anathemate domus judicii superioris & inferioris, ne quis ex Israelitis biberet* מיינם של גוים *de vino gentilum;* כי אם מרפס רגלם *sed calcationem pedum suorum* (vide supra,) *sicut dicitur*; Vos oves meæ, calcationem pedum vestrorum pascetis, & calcationem pedum vestrorum bibetis: *quia omne Vinum gentilium incitat ad idololatriam & scortationem: quia desumunt primitias musti sui pro Idololatria, juxta id quod dicitur*; Scortatio, vinum & mustum, auferunt cor, &c.

Ezech. 34. vers. 19.

Hos. 4. 11.

Qui omnia particularia hac de re novisse cupit, consulat Majemon. in הלכות מאכלות אסורות cap. 11. & 12. Schylchan Aruch in יין נסך; & alios libros Rituales.

Quomodo hodie hæc observent.

Hodie tamen has leges communiter non observant, nisi forte pauci quidam superstitiosiores, & zelo majori ducti: sed apud Christianos in diversoriis, & ipsorum

rum ædibus, cum illis vinum ipsorum bibunt; operam tamen dantes, ut peculiare vitrum, idque prius elutum, habeant, ex quo illi bibant. Causam reddunt hanc; quod Christiani sub hac Lege non sint comprehensi, sed illi duntaxat, qui palam & notorie sint Idololatræ. Tales vero non esse Christianos, ut qui ארת היחוד Unitatem Dei cum ipsis teneant & asserant. Sic scribit Leon Modena: *Judæos in Italia inter Christianos, hæc non observare: quod hæc olim sint ita constituta ab illis Rabbinis, qui inter veros Idololatras vixerunt, ut evitarent omne cum illis commercium. Id proin non esse trahendum ad eas nationes, inter quas hodie vivunt; cum ipsi Judæi illos non pro talibus habeant.* Hoc vero illi non syncere dicunt, sed in gratiam Christianorum, vel ex metu illorum, si illos Idololatras vocarent. Certum enim est, illos Christianos pro maximis Idololatris habere in mundo; non tam propter Imagines quas quidam inter illos habent, quam quod Christum pro vero etiam Deo habeant, & colant, quocunque id fiat modo; atque sic Unitatem Dei separent. Nimis multis testimoniis hac de re convinci possunt. Faciunt id *partim* propter utilitatem suam, ut sic tanto familiarius cum Christianis conversari, negotiari, & usurariam suam exercere possint; *partim* quod illud vix evitare queant, cum non ubique hanc commoditatem habere possint, ut Vino utantur, secundum omnes ipsorum traditiones; maxime in illis locis, ubi illorum est exiguus numerus. Quod si tam essent Christianorum Domini, quam sunt illorum servi, aliter agerent, scriberent; & loquerentur.

CAPUT XXXVI.

De pecoris Judaici Comestione, & Mactatione.

NOn permissum est Judæis de ullo animali edere, quod non habet ungulas fissas & divisas, quodque cibum non ruminat, ut Boves & Oves. Unde non edunt Lepores, Cuniculos, Porcos.

Sic non comedunt Pisces, qui non habent squamas & alas, neque conchyliata, ut Cancros, & similes: pisces sibi licitos indifferenter edunt, quisquis eos occiderit.

Prohibitæ etiam ipsis sunt omnes aves rapaces, & reptilia. Quæ omnia desumunt ex Levitici capite undecimo. Unde neque illa comedunt, quæ ab aliis gentibus cocta sunt, neque illorum vel vasis culinariis, vel cultris utuntur; quia fieri potest ut illa usurpata fuerint ad cibos sibi prohibitos.

Non edunt sebum vel adipem, Boum, Ovium vel Caprarum, juxta præceptum Levit. 3. 17. *Omnem adipem, & omnem sanguinem non comedetis*; neque etiam Armum posteriorem, ut cap. seq. docetur. Unde magno studio, & accurate, omnem Adipem; & Nervum femoris ab animalibus mactando separant.

Ars mactandi.

Ob has & alias causas, circa Mactationem, ad superstitionem usque scrupulosi sunt Judæi, & magnæ artis est שחיטה *Schechitah* Mactatio, seu recte mactare posse.

Præceptum Mactationis petunt ex eo, quod Deuter. 12. 21. legitur וזבחת *Et mactabis de bobus tuis, & de pecudibus tuis, quas dederit tibi Dominus,* כאשר צויתיך *quemadmodum præcepi tibi*. Hic, ajunt, contineri præceptum generale, quando dicitur, וזבחת *Et mactabis*; speciales vero ejus Leges non exprimi, sed innui, dum additur; *Quemadmodum præcepi tibi*; nempe alibi. Atqui nullibi legitur Deus specialia hac de re mandata Mosi dedisse; Itaque sensus horum verborum est; *Quemadmodum tibi præcepi* על פה *oretenus in monte Sinai*; unde ea ex Lege Orali discenda & habenda sunt. Qui artem hanc discit, per aliquot annos perito lanio mactanti adesse debet; tot vero tantisque res est implicata constitutionibus (sesquipedales enim libri hac de re conscripti sunt) ut ex solo aspectu nemo perfecte discat, sed artis illius studio diligenter sit incumbendum, & veræ constitutiones ex peculiaribus libris petendæ & discendæ.

Parvum pro laniis Libellum habent, in quo præcipuæ & maxime necessariæ constitutiones breviter consignantur (שחיטות ובדיקים *Schechitos ubedikos* Mactationes & Inquisitiones dicitur): ad hunc Judæi vulgo hodie diriguntur, &, si quid difficilius inciderit, doctum Rabbinum consulunt. Qui hunc librum exacte & perfecte tenet, & diu mactanti sedulo aspiciens astitit, atque suam quoque sententiam protulit, ille a Rabbino in Lanium promovendus est, publicumque testimonium & diploma illi a Rabbino concedendum, quod in Arte Mactationis בקיא *Baki* peritus sit, & facultas mactandi, ubi & quando voluerit, permittenda. Non ita pridem tale testimonium vidi, in hæc verba conceptum:

Laniorum solennis promotio.

היום יו׳ א׳ כ״ט סיון ש״פ בדקתי את האלוף כ״מ טודורוס ישר׳ ש״י ומצאתיו בקי בהלכות בדיקה בפה וביד על כן התרתי לו לבדוק בודקו

ומותר לאכול מבדיקתו כמו משאר בודקי ישראל · אכז בתאי זה שיחזירם כל שבועה פעם אחת שנה תמימה ואחר כלות השנה כל חדש פעם אחת ואח״כ כל ימי חייו פעם אחת לשלשה חדשים נאם מוחם בז כמ״ר יעקב זצ״ל *Hodie* (annus mensis & dies apponuntur) *exploravi & examinavi præstantem & egregium N. filium N. & illum in arte mactandi peritum & industrium, tum ore, tum manu esse comperi: ideo illi pecus mactare & inquirere permitto, & libere comedi poterit, quicquid mactaverit & inquisiverit. Hac tamen lege, ut adhuc per integrum annum, singulis hebdomadibus semel, Ritus mactationis & inquisitionis diligenter perlegat, anno vero secundo singulis mensibus semel, tandem reliquo vitæ suæ spatio singulis trimestribus semel tantum. Attestante Rabbino N.*

Formula testimonii laniorum.

Mactator שוחט *Schochet* appellatur, & Mactatio שחיטה *Schechitah*: eum qui pecus inquirit an aliquid vitii habeat, בודק *Bodek* appellant, & ipsam Inquisitionem בדיקה *Bedikah*. In hac præcipue ad constitutionem Pulmonis attendendum, ne vitio aliquo laboret. Si post ejus Inquisitionem tale quid deprehendatur, monetur prima vice: si iterum peccet, ab officio removetur. Sic si quis deprehendatur morticinum mactasse, deponitur.

Cultri mactatorii.

Peculiaribus ad mactationem utuntur cultris, magnis ad animalia magna, parvis ad parva. Magni quidem mucrone carent, sed exactissimæ sunt aciei: alioqui illis uti non liceret.

Modus mactandi pecudes.

Majoribus pecudibus quatuor pedes in unum colligant, Abrahami exemplo, quem Isaaco manus & pedes vinxisse volunt, quum illum offerre vellet; jugulum postea & fauces una resolvunt sectione, statimque cultrum inspiciunt, an nuspiam retusus, vel crenam consequutus fuerit; crena enim in cultro pecus terret, & sanguis in cor cogitur, adeo ut effluere non possit, hacque ratione pecus אסור *Asur* illicitum redditur, esusque illius interdicitur. Postquam sectio illa feliciter successit, pecus suspendunt, intestina diripiunt, e regione cordis ab utraque parte foramen rescindunt, inde Mactator, vel quilibet alius qui bene Inquirere novit, manum immittit, & an nihil adnatum fuerit, inquirit, an nuspiam sanguis ullus lateat, vel aqueæ pustulæ jecinori & pulmoni adhæreant; &, si vel minimus defectus deprehendatur, pecus illicitum est, nec audeat Judæus comedere, uti scribitur: *Morticinum & laceratum a bestiis non comedetis, sed projicietis canibus*, Hinc stolide pro more suo concludunt Judæi, nullum sibi pecus edendum esse, nisi omnino sanum & incolume; quamvis Scriptura non de vivo, sed de morticino, quod per se mortuum, vel a feris laceratum fuerit, loquatur.

Exod.22.31. Levit.22.8

Avium mactatio.

Aves eodem quoque modo mactant, (nisi quod nec Pulmonem inspiciant, neque arterias ex illis eximant) guttur una resecant plaga, cruorem manantem parvo cinerum acervo excipiunt, & mox cineribus tegunt & obruunt. Ritum hunc eliciunt ex eo quod scriptum est; *Et quicunque e filiis Israel, & e peregrinis, qui peregrinantur in medio illorum, venatus fuerit venationem bestiæ, vel avis quæ comeditur, effundet sanguinem ejus, & operiet eum pulvere*. His ultimis verbis ajunt contineri præceptum peculiare de Sanguine terra operiendo. Sunt etiam qui extundant id ex libro Geneseôs, ubi in textu dicitur; *Rebeccam, quum in agro Isaacum primo conspexisset, de camelo cecidisse*; hic Rabbini scribunt, ut in libro שחיטות *Mactationum* videre est; tum demum Rebeccam mulierum profluvio correptam esse: sed quum surrexisset, aves præsto adfuisse, quæ virginitatis ejus sanguinem terra unguibus scalpta texerunt. Ideo, inquiunt illi, Deus alitum sanguinem tegere jussit. De hoc vero altum in Sacra Scriptura silentium.

Lev.17.13

Gen.24.64

pag. 11.

Sanguinem terra tegunt & cur.

Sic aliorum quoque animalium sanguinem terra tegunt: quia terra aperta est, & pii Abelis, a Caino interfecti, sanguinem absorpsit. *Præterea*, ait author libri de Arte mactandi, *in libro* חסידים *Piorum inveni, ideo sanguinem tegi, ne Satan veniat; & nos apud Deum incuset, ac si iniquum foret, insons & brutum pecus, quod nullum omnino peccatum admisit, omnique culpa vacat, tam misere jugulare & mactare. Sanguinem ergo tegimus, ne Satan cædem factam esse videat & animadvertat*. Hic rursus observa fœdam Scripturæ expositionem Rabbinicam, & summam illorum astutiam & calliditatem, qui iterum credant, se Diabolo imponere, illiusque oculis caliginem offundere posse, ne scire queat, quando Judæi pecus suum mactent. O stupidum & marrucinum Diabolum! oportet illum sacras Talmudis paginas non versasse, alioqui tam hebes illi non foret ingenium, nec tam facile naso duceretur; inenarrabilis enim subtilitatis sterquilinia hic latent.

Levit.11.13.

De avibus, quas Moses ipsis prohibuit, sine addito signo externo, quo dignosci possunt, multa disputant in Talmude, qua ratione agnosci queant. Qui ve-

verus Judæus est, nullas, nisi cicures, edit, veluti sunt Gallinæ, Anseres, Anates, Columbæ, & similes.

Magno pecore mactato, venas & arterias extrahunt (qua de re peculiares quoque conscripserunt libros), omne sebum removent, in aquam ponunt, & bene molliri & aqua macerari sinunt, aqua pura abluunt, ut omnis cruor excedat, asseri superimponunt, ut omne cruentatum exstillet, in colo deinde saliunt, ut sal omne cruentatum educat, per horam unam vel duas ad summum in sale relinquunt, ne nimium salis contrahat; & post hæc omnia ad arbitrium suum tandem coquunt.

Nullum omnino cruentatum edunt, & semper ab omni sanguinis esu abhorruerunt; adeo ut si vel fibra sanguinea deprehendatur in Ovo, illud sit illicitum, quia dicitur; *Omnem sanguinem non comedetis*. Sanguis tamen piscium non est Lege prohibitus, si constet esse de piscibus squamatis. Sanguis etiam humanus non est immundus & prohibitus Lege; unde si quis morsu aliquo sanguinem e dentibus elicuerit, potest eum exsugere: quod si vero pani aliquid de eo adhæreat, illud est abradendum.

Levit.3.17

Hinc etiam *Hepar*, quia ex mero sanguine constat, non potest elixari, nisi prius craticulæ impositum, super prunis bene tostum fuerit.

Quod Gentilis vel Christianus mactavit, est נבילה instar morticini, ac proinde ad edendum illicitum; quia scriptum est; וזבחת ואכלת *Et mactabis, & comedes*; hoc est, Id quod *tu* mactaveris, comedes; non quod extraneus aliquis mactavit.

Deut.27.7

Antequam mactationem quis aggreditur, benedictionem præmittere debet; ברוך אי״ אמ״ה אשר קדשנו במצוותיו וצונו על השחיטה *Benedictus sit Deus, &c. qui nos dignatus est præceptis suis, & nobis mandavit Mactationem*.

Armos posteriores cur non edant. Genes. 32.

Armos posteriores non comedunt, propterea quod Angelus femoris acetabulum Jacobo luxavit, ut in libro Geneseos legere est. In Italia vero artis anatomicæ opera compererunt, artificiosa & subtili nervorum resectione, armos posteriores licitos quoque & edules fieri posse, ut apud illos in diplomate excusum vidi. Si hanc artem Mosis temporibus habuissent, cum cibis suis illicitis valere potuisset. Consultum sane foret, ut tam egregii artifices & anatomici porcorum quoque anatomiam aggrederentur: fortassis posset & suilla caro ad esum concedi. Armos itaque posteriores Christianis vulgo vendunt: verum, qui hanc carnem libenter ab illis emunt, perpendant id, quod ab omnibus Judæis ad Christianam fidem conversis unanimi consensu scribitur, illos hanc carnem primum inquinare, ab illorum filiis & filiabus urina conspurcari, dirisque hujuscemodi & devotionibus illam Christianorum esui destinare; *Diram mortem* מיתה משונה *carnis hujus esus Christiano afferat*. Forsitan nec omnes, nec ubique, tam maligni sunt; alioqui tamen animo fere eodem sunt in Christianos.

Si animal aliquod terrestre, vel volatile licitum, sua sponte moriatur, aut alio modo, quam secundum mactationis Leges fuerit occisum, prorsus est illicitum.

Non audent uno eodemque die mactare Vaccam & vitulum ab ea enixum, neque ovem cum suo agno, vel capram cum suo hædo, neque Patrem ullum, & ejus filium, siquidem sciant; quia scriptum est; *Bovem autem, vel pecus, ipsum & filium ejus, non mactabitis una die*.

Lev.21.28.

Non licitum est ipsis abscindere membrum de animali vivo, & illud comedere, seu coctum, seu crudum: quia dicitur; *Non comedes animam cum carnibus suis*.

Deut. 12. 23.

Ex hac Judæorum pecoris mactandi, vitii interni inquirendi, carnis enervandæ solertia & dexteritate, oriuntur experientissimi Judæorum Medici: eadem enim ratione de homine, corporis proprietatibus, & morbis judicare volunt, quod multi vitæ suæ dispendio experiuntur. Cui libitum fuerit, hac de re Antonium Margaritam consulat.

CAPUT XXXVII.

De Agricultura Judæorum.

Levitici cap. 19. ℣. 19. præcipit Deus: שדך לא תזרע כלאים *Agrum tuum non conseres heterogeneis*. Hinc prohibitum est Judæis, in ullo loco, duas diversas species simul serere, ut, Triticum & Hordeum: Fabas & lentes vel pisa: Frumenti vel Oleris aliquam speciem cum Vitibus &c.

Sed *Satione* comprehendunt etiam reliquas omnes culturæ species, quæ requiruntur & adhiberi solent. Sic non licet inserere vel inoculare diversas species Arborum, veluti Nuces & Persica; Mala & malum Aurantium vel Citreum: Persica & Amygdala, & similes. Idem juris

ris est de insitione oleris in arborem, vel arboris in olus.

Fructus tamen harum Plantarum sunt liciti ad vescendum: quia vetatur tantum eas simul Serere vel Plantare. Sic licitum est palmitem ex arbore heterogenea, alio plantare; vel semine tali ad serendum uti.

Hodie, extra terram Israelis, Judæis quidem non licet heterogenea simul serere; licitum tamen sibi faciunt, diversas seminum species Christiani alicujus opera in agro conserere, si ex ipsorum re videtur. Diversas autem arborum species inserere, nulla ratione ipsis est permissum.

De fructibus arborum, trium primorum a plantatione annorum, non possunt edere: Fructum eum vocant ערלה *Præputium*, ex eo quod Deus præcepit Levit. 19. 23. *Quum autem ingressi fueritis in terram; & plantaveritis omnis generis arborem fructiferam, tunc circumcidetis præputium ejus, fructum ejus: Tribus annis erit præputiatus, non comedetur ejus fructus. Quarto autem anno erit omnis fructus ejus sanctitas laudum Domino*. Hodie cum extra terram sanctam sunt, & eum non possunt Hierosolymam afferre, & Domino offerre, quidam quarti anni fructum licitum faciunt: quidam eum redimunt vel pecunia, vel Fructibus aliis, cum addita benedictione; *Benedictus sit Deus* &c. *qui nobis præceptum dedit* על פריון הרביעי *de redimendo fructu quarti anni*.

Non licet ipsis copulare animalia, quæ sint diversæ speciei, veluti, Equos & asinos, Asinos & boves &c. ad producendum ex eis fœtum, quia Deus præcepit; *Animal tuum non facies coire cum altero genere*. Idem dictum putant etiam de Avibus.

Levit. 19. 19.

Sic neque permissum est heterogeneis animalibus uti ad arandum, vel currum trahendum: quia iterum Deus dixit; *Non arabis bove & asino pariter*. Quod enim hic de *Bove & Asino* dicitur, id illi etiam explicant de cæteris diversæ speciei animantibus, ne scil. unum sit mundum, alterum immundum; Duobus autem diversæ speciei animalibus mundis, vel immundis, veluti sunt, Taurus & Hircus, Equus & Asinus, non quidem ex Lege, sed ex statuto Rabbinorum, esse prohibitum.

Deut. 22. 10.

Agrum non totum demetunt, sed relinquenda est in extremitate ejus pars aliqua pro pauperibus, pupillis & peregrinis. Partem hanc non demessam vocant פאה *Peah*, Angulus. Sic Vinea non tota est vindemianda, sed Racematio in eundem usum relinquenda cum uvis. Hoc vocatur פיאת הכרם Angulus vineæ. Lex hac de re est Levit. 19. v. 9. 10. & cap. 23. 22. Exstat etiam de ea inter Tractatus Talmudicos, qui vocatur *Peah*, Sic non licebat; quando metebant & manipulos faciebant, spicas decidentes, vel quando vindemiabant, acinos deciduos tollere. Hoc vocabatur לקט *Leketh* Collectio, Spicilegium. Item, quando tempore messis manipuli alicujus obliviscebantur, non licebat eum repetere, sed peregrinis, pupillis, & viduis relinquere, Deut. 24. 19. Ejusmodi *Manipulum* vocabant שכחה *Oblivionem*, seu *Oblivione relictum*. De his videndus Majemonides in הלכות מתנות עניים cap. 1. & alii libri Rituales.

CAPUT XXXVIII.

De Primogenitis Animalium, & eorum Redemtione.

PRimogenitum masculum ex Animali mundo sacrum est; & Deo offerebatur, siquidem integrum & immaculatum esset, vel si maculam haberet, a Sacerdote comedebatur; veluti de Armentis, & Pecudibus. Lex ea de re exstat Exod. 13. 2. & 22. 29. & 34. 19.

Hodie, cum non possunt illud Domino offerre super altari, non est licitum, donec vitium aliquod ei accidat. Itaque tenentur illius curam gerere, & illud nutrire tamdiu, usque dum vitium aliquod conspicuum accipiat, & tum licitum est ad mactandum & comedendum. Vitium autem illud sponte debet accipere; neque permittitur vel Sacerdoti vel Patrifamilias illud in septum aliquod includere ut moriatur, de industria, per se, aut per alium, ullo modo vitium ei inferre, aut ut inferatur, causari. Sunt tamen qui id permittant, ut est in Sepher hachinnuch. Vitium etiam vel ab uno aliquo ejus rei perito, vel a pluribus, agnosci & dijudicari debet; & tale oportet esse, per quod illegitimum fiat ad Domino illud offerendum. Tamdiu igitur ejus cura gerenda, & nutriendum est, seu a Patrefamilias, vel a Sacerdote, donec vitiosum fiat. Quod cum molestum ipsis sit & grave, varia sæpe excogitent, ut a necessitate hujus Legis liberi sint, & immunes; Veluti; Non licet illi vitium inferre, posteaquam plene est in lucem editum, & reipsa Deo sacrum; licet autem, dum est in ipso partu, & nonnisi membrum aliquod promi-

minet; veluti si hædi auriculæ promineant ex utero, capite adhuc incluso, licitum est eas findere, quo illicitum fiat, & similia: Sacerdos, posteaquam id accepit, potest tanquam de suo facere quod vult, sive integrum sit, sive vitiosum: sed si vendat, id non in macello faciendum, neque ad libram appendendum; quia res Sacræ, non ut prophanæ, sunt tractandæ; sed in domo sua &c. Qui etiam illud a Sacerdote accipit, honeste, prout par est rebus sacris, id habere debet; neque eo fine emi debet, ut quis eo lucretur; hoc enim in contumeliam vergit rei Deo sacræ &c.

Primogenito non licet uti ad agriculturam, vel usum aliquem ex eo percipere; veluti Bove ad arandum, ovem tondere &c.

Sacerdotes ipsi & Levitæ de hac lege tenentur; & Levita quidem dat illud Sacerdoti; Sacerdos suum primogenitum ipse sibi separabit & educabit: quia Lex nullam facit inter personas differentiam.

Si quis commune habeat Jumentum vel Pecudem cum Christiano, primogenitum liberum est; quia Scriptura dicit; בישראל כל פטר רחם *Quicquid aperit vulvam* in filiis Israel, Exod. 13. 2. *In filiis Israel*, non, In Gentilibus, & quidem ita, ut totum sit Israelitæ, & nihil quicquam de eo sit Christiani.

Jumentum vel pecudem primogenito gravidam, debet Judæus cum Christiano communem facere, antequam in lucem fœtum edat, ut eum a Lege primogenitorum liberet &c.

Ex Animalibus immundis nullum de Primogenituræ jure tenetur, nisi *Primogenitum Asini*, quod פטר חמור *Peter chamor* vocatur, Exod. 34. 20. Præcipitur illic, ut omnis Israelita, qui asinum habet primogenitum parientem, illud ove redimat; sive mas fuerit sive fœmella, sive integrum sive vitiosum, sive parvum, sive magnum; quia dicitur; Omne *primogenitum asini*.

CAPUT XXXIX.

De Nuptiis Judæorum.

QUa ratione Conjugium inter Judæos rite contrahatur; Inter quas videlicet Personas id liceat, vel non liceat? Quo modo item & qua forma desponsatio fiat & fieri debeat? hic dicere supersedemus, quia de his fuse satis egimus in peculiari de Sponsalibus Dissertatione, quo benevolum Lectorem remittimus; hoc loco inprimis de Nuptiarum ritibus & solennitatibus acturi.

Hoc tantum præmittimus, prohibitum esse Rabbinis nuptias aut affinitatem contrahere cum Karraitis, כי כולם הם ממזרים quod omnes pro spuriis habeantur: Nam, ajunt, juxta literam Scripturæ, uxores suas desponsant vel pecunia, vel concubitu, neque etiam legitimo modo uxores suas repudiant, ומשנים ממטבע שטבעו חכמים בגיטין sed mutant monetam, quam cuderunt Sapientes de Libellis repudii (h. e. rejiciunt Traditiones ipsorum;) unde fit postmodum, ut uxores illæ aliis nubant, viventibus adhuc maritis ipsarum, & sic Liberi Spurii deprehendantur, nati ex Adulterio. Levusch par. 4. Num. 4. §. 37.

Posteaquam ergo desponsatio facta est, & nuptiarum celebrandarum dies adest, multi Judæi juvenes senesque in grande aliquod conclave advocati conveniunt: Judæi juniores ollam fictilem novam vel testam præ manibus habent: Tum accedit aliquis, qui Instrumentum dotale publice prælegit, *quo pacto nempe matrimonium contraxerit N. filius N. cum N. filia N. & alter alteri certam pecuniæ summam doti dixerit, & quo die celebrandæ sint nuptiæ, &c. quod item ille qui non præstiterit, quæ hisce (* תנאים *) conditionibus & instrumentis dotalibus continentur, quinquaginta florenorum, qui alteri stipulantium accedunt, multa irrogetur.* Simul etiam certus dies Nuptiis celebrandis assignatur. Sic quandoque unus, duo, tres, vel plures menses intercedunt, pro lubitu sc. & commodo contrahentium: quo spatio temporis Sponsus Sponsam visitat & frequentat in ædibus patris ejus.

Instrumentum dotale.

Hoc peracto faustam alter alteri exoptat fortunam, & ajunt, מזל טוב Massal tof *Fausta adspiret tibi fortuna*: quamprimum vero hoc Judæi circumstantes audiunt, ollas suas in terram projectas comminuunt, prosperam hoc fortunam & cornucopiam designari dicentes.

Gratulatio.

Singuli postea discedunt, & aliquis januæ adstans, vinum dulce discedentibus, & interdum etiam tragemata, porrigit.

Octiduo proximo ante nuptias, neque sponsus neque sponsa domo egreditur; verum adolescentes multi sponsum conveniunt, & cum illo edunt, bibunt, luduntque. Id ex Samsonis historia probant, cui triginta adolescentes dati sunt, quum nuptias celebrare vellet.

Sponsam pridie nuptiarum aqua frigida lavari, totamque in aquam immergi oportet. A mulieribus cum tinnitu & strepitu ad balneum ducitur & rursus educitur, ut singuli audiant & cognoscant, illam

Sponsa pridie nuptiarum lavat.

illam sponsam esse: a quibusdam coram illa saltatur & tripudiatur; verum id a piis mulieribus improbatur. Si non laverit, quamvis nuptiæ celebrentur, non licet ei cum sponso dormire, donec id peregerit.

Cingula nuptialia.

Sponsus & sponsa cingula nuptialia invicem sibi mittunt: & sponsi quidem cingulum, nempe quem sponsa sponso mittit, argenteis; quem vero sponsus sponsæ, aureis bullis compactum esse, oportet. Mihi causam aliquando quærenti, respondit Judæus, argento semen virile, ut pote album, innui; auro vero semen muliebre, &c. Futilis utique & malæ notæ ratio, ut & reliqua omnia quæ in verporum officina cuduntur.

Quibus diebus nuptiæ celebrentur.

Talm. Ketubh cap. I in Misch.

Nuptiarum solennibus *Dies* destinati olim fuerunt; *Quartus* h. e. *Mercurii*, *si Sponsa Virgo sit*; & *Quintus* h. e. *Dies Jovis*, *si Vidua fuerit*; idque hanc ob causam, quia die Lunæ & die Jovis in urbibus oppidisque Judices sedere solebant, ut si quid contra Sponsæ Virginitatem habeat sponsus quod excipiat, protinus ad eos deferre posset. An die septimanæ primo & sexto seu vespera Sabbathi nuptiæ celebrandæ sint? variant. Quidam id improbant, idque ob hanc rationem, quod propter nuptiales curas & occupationes facile possit Sabbathum violari, & suo honore privari. Alii vero id licitum faciunt. Et sic Virginis nuptiæ hodie plerumque celebrantur *die Veneris seu sexto*; quia Accusatio de læsa Virginitate hoc tempore inter illos non habet locum; hac tamen conditione, ut triduo ante procuret ea, quæ ad Epulum nuptiale sunt necessaria. Viduæ nuptiis diem Quintum assignarunt, ut sic per Triduum cum ea lætari & se exhilarare possit, die sc. quinto ipso, vespera Sabbathi, & in Sabbatho. Et hac ratione nihil decedit Sponsi negotiis; quia tres hi dies omnes sunt feriati, & die primo septimanæ ad ea redire potest. *Die Sabbathi* ipsi non celebrant nuptias; uti nec in *Jom tof* seu die festo: quia Uxoris ductio est species Emtionis, quæ his diebus prohibita: *Non* in חול המועד seu *Die profesto*; ne ob lætitiam nuptialem obliviscatur quis lætitiæ festalis. Nullas etiam nuptias celebrant a Die Paschatis usque ad 33. diem Numerationis manipuli. Ratio alibi explicata est. Nullas denique a Jejunio quod celebratur die 17. mensis Tammus (de quo supra) usque ad diem 9. mensis Af, propter calamitates varias, quæ his diebus olim Patribus ipsorum evenerunt. Vulgo quoque plerique crescente Luna uxores ducunt, לסימן טוב בעלמא לא משום ניחוש אלא citra tamen superstitionem, sed boni ominis ergo.

Ornatus sponsæ die nuptiarum

Ubi dies ille advenerit, quo solenni benedictione matrimonium confirmandum est, Sponsus vestes suas Sabbathinas; Sponsa vestes nuptiales induit, & more Judaico quam potest magnificentissime ornatur: a mulieribus quoque & Virginibus in peculiare cubiculum non velato capite, passis capillis deducitur, festivæ cantilenæ nuptiales coram illa canuntur, illam in pulchro sedili collocant, crinem illi pectunt, capillosque in elegantes cirros & cincinnos distribuunt, magnificam vittam imponunt, velum oculis obtendunt, ne sponsum præ pudore & modestia intueatur, Rebeccæ exemplo, quum illi sponsus obviam factus est. Singularis est mulierum in hoc capillorum comtu lætitia, quam elegantibus cantilenis, saltatione, ludisque omne genus testantur, ut sponsam exhilarent: magno id enim habent loco, Deoque gratissimum & acceptissimum opus esse censent. Et quo hoc mulierculis sapientissimi Rabbini facilius persuadeant, in Talmude scribunt; *Deum tanquam ornatricem discerniculo Evæ capillos ornasse, illi præcinuisse, & cum illa in paradiso saltasse*. Hanc sapientissimorum Rabbinorum incus produxit sententiam ex hisce verbis; *Et adduxit eam ad Adamum*, hoc est, *Deus illam ad Adamum adduxit*, *eo modo quo sponsa adduci solet*, *eleganter nempe comtam & calamistratam*, *cum tripudio & saltatione*. Præterea in capitulis R. Eliezer legimus; *Deum ipsum Adamo & Evæ in nuptiarum celebratione ministrasse*, *& conopæum ipsum*, *sub quo desponsati sunt*, *confecisse: Angelos tibiis & tubis choream duxisse & saltasse*, *&c.* In hunc modum quoque blaspheme scribit Judæus ille qui Speculum ardens paucis ab hinc annis composuit, & Cracoviæ in Polonia, Hebraicis quidem characteribus, verum dialecto Germanica, primum edi curavit: Liber est de moribus, magnoque apud Judæos pretio habetur. In Talmude vero tantum reperio, *Deum Evæ cincinnos aptasse*; probaturque ex eo quod scribitur; ויבן האל hoc est, *Et Deus ædificavit*; sed Judaica interpretatione; *Cincinnos aptavit*. Hinc quibusdam in locis apud Judæos *Cincinni* בניתא *Ædificium* appellantur. Vox enim Hebraica בנה, unde superiores voces deducuntur, proprie *Ædificare* significat. Jam ubi Moses aperte, omnibus verborum ambagibus remotis, dicit; *Et ædificavit Dominus Deus costam, quam acceperat de homine, in mulierem, & adduxit eam ad illum*, oportet hoc ex sapientissimorum Rabbi-

Gen. 24.

Comtus capillorum.

Apage tam horrendam blasphemiam, & putidum Judaicum mendacium.

Genes. 2.

cap. 12.

cap. 34.

Tract. Nidda ca. 5. pag. 45.

Gen. 2. 22.

Rabbinorum sententia significare ; *Deum Evæ cincinnos distinxisse, & cum tripudio & saltatione ad Adamum adduxisse*. Si vel minima recti sensus, vel cognitionis divinæ, in hoc populo scintilla superesset, illos tam blasphemorum verborum in totius orbis conspectu pudere deberet. Verum hoc frustra; siquidem a Deo cæcitate percussi sunt, nec ullum lumen desiderant. Apud multos in usu est, ut Sponsus & sponsa jejunent die nuptiarum, usque dum Benedictio peracta est.

Consecratio sub conopæo.

Quum solenni benedictione conjungendi sunt, quatuor pueri conopæum, quatuor perticis alligatum, illuc deferunt ubi matrimonii confirmatio celebrari debet, in plateam sc. vel hortum sub dio: sponsus cum aliquot viris sequitur, deinde sponsa cum mulieribus, cum testitudinibus, aliisque musicis instrumentis, & sub illud Conopæum חפה *Chuppah* id est, Tegmen illis dictum se conferunt, singulis acclamationibus, ברוך הבא Baruch habba *Benedictus qui venit*; Sponsa vero ter sponso circumducitur (ut gallus gallinaceus gallinam circuit) juxta id quod dicitur ; *Femina circumdabit virum*. Tum sponsus sponsam acceptam semel quoque circumducit ; populus autem in illos frumentum conjicit, & omnes conclamant, פרו ורבו Pru urebu *Fructificate & multiplicamini*; Cavendum vero, ut frumentum nonnisi in locum mundum conjiciatur, & postea grana diligenter converrantur, ne pedibus conculcentur. Pacem & abundantiam in familia hoc denotare volunt, ut in Psalmis scribitur ; *Qui ponit terminum tuum pacem, & adipe frumenti saturat te*. Quibusdam in locis pecuniam frumento immiscent, quam Judæi pauperes colligunt. Sponsa stat a latere sponsi dextro, juxta id quod in Psalmis habetur ; *Astat conjux ad dextram tuam in auro Ophir*. Faciem ad Meridiem obversam, & tergum versus Septentrionem habere debent, quia in Talmude Rabbini docuerunt ; *Qui lectum suum inter Meridiem & septentrionem ita collocat, ut vultum Meridiei obvertat, illi multos nascituros filios*. Rabbinus, qui utriusque manus jungit, extremitate cilicii, (טלית *Talles* appellant) sponsi collo circumjecti, caput sponsæ tegit ; ad exemplum Ruthæ, quæ affini suo Boaso dixit ; *Expande pallium tuum super famulam tuam*; adde, quod apud Prophetam scribitur ; *Et expandi amictum meum super te, & operui ignominiam tuam* Quidam putant Nuptias hinc vocari חופה *Chuppa* שהופפין אותן בטלית או סודר או כיוצא בזה ab hac obtectione cilicii, lintei, vel similis alicujus rei. Nam חפה *Chippa* est *Tegere*, *Obtegere*. Postea Rabbinus, vel Præcentor Scholæ aut proximorum cognatorum quidam, cyathum vini acceptum gratiarum brevi actione consecrat (ברכת ארוסין Birchas erusin *Benedictio desponsatorum* illis dicitur,) qua Deum laudat, illique gratias agit, quod sponsus & sponsa sibi matrimonium invicem spoponderint, & sponso sponsæque, ut de eo bibant, porrigit. Benedictionis illius formula hæc est : בא״י אמ״ה בורא פרי הגפן *Benedictus sis o Deus, Rex mundi, qui creasti fructum vitis* : בא״י אמ״ה אק״בו ישראל על העריות ואסר לנו את הארוסות והתיר לנו הנשואות על ידי חונה וקדושין בא״י מקדש עמו על ידי חופה וקידושין *Benedictus sis Domine Deus Rex Mundi, qui nos sanctificavit præceptis suis, & nobis incesto congressu interdixit, qui probibuit nobis desponsatas, & permisit ductas per Sponsalia, & solennem ritum nuptialem. Benedictus sit, qui sanctificat populum suum Israel per Sponsalia & Nuptias*. Si sponsa virgo fuerit, angustum cyathum (vitreum bombylium vel baucalium) vulgo capiunt ; si vidua, latum & fictilem. Causam facile quivis percipere potest.

Annulus pronubus.

Hic Rabbinus a sponso annulum, quem totum aureum absque gemma esse oportet, accipit, duos testes advocat, quibus eum ostendit ; utrum probus & pecunia aliqua æstimandus : tum in illorum præsentia Sponsus Sponsæ indici induit, & dicit ; הרי את מקודשת לי באבעת זו כדת משה וישראל. *Ecce annulo hoc desponsata mihi es secundum ritum Mosis & Israelis*. Dehinc alii duo testes advocantur, in quorum præsentia prælegitur clara voce Instrumentum, & pacta dotalia. Inde vini cyathum denuo accipit, quem oratiuncula (ברכת נשואין *Birchas nissuin* Benedictio nuptialis vel matrimonialis dicta) consecrat, Deoque gratias agit, quod jam se invicem in matrimonium acceperint. Consecratio illa constat sex ברכות seu Benedictionibus, & quia cum poculo Vini fit, præmittitur illi solita Benedictio vini, בא״י *Benedictus Deus, qui creat fructum vitis*, cum qua fiunt Septem, unde in Ritualibus sæpe שבע ברכות *Septem benedictiones* vocantur. Formula autem hæc est : בא״י אמ״ה שהכל ברא לכבודו *Benedictus sit Deus, Rex mundi, qui creavit omnia ad gloriam suam* : בא״י אמ״ה יוצר האדם *Benedictus sit Deus; qui format hominem*, בא״י אמ״ה אשר יצר את האדם בצלמו בצלם דמות תבניתו והתקין לו ממנו בניין עדי עד *Benedictus &c. qui formavit hominem in imagine sua, in imagine similitudinis structuræ*

Jer. 31.22. Genes. 1. 28. Ps. 147.14. Psal. 45.10 Ruth. 3.19 Ezech. 16. 8.

cturæ suæ , & ei ex ipsomet paravit ædificium perpetuum (conjugem) . בא״י יוצר הדאם · שוש תשיש ותגל העקרה בקיבוץ בניה לתוכה בשמחה. בא״י משמח ציון בבניה שמח תתמח רעים האהובים כשמחך יצירך בגן עדן מקדם בא״י משמח חתן וכלה *Benedictus sit Deus , qui formavit hominem . Gaudendo gaudeat & exultet sterilis , colligendo liberos suos ad se cum lætitia . Benedictus sit Deus , qui exhilarat Tzijonem liberis suis . Exhilarando exhilaret socios hos* (par hoc conjugum) *dilectos* (vel amantes) *sicut exhilarasti creaturam tuam* (Adamum) *in horto Edenis a principio . Benedictus sit Deus, qui exhilarat sponsum & sponsam .* בא״י. אמ״ה אשר ברא ששון ושמחה חתן וכלה גילה רנה ריצה חדוה אהבה ואחוה ושלום וריעות מהרה ה׳ אלהנו ישמע אערי יהודה ובחוצות ירושלים קול ששון וקול שמחה קול חתן וקול כלה קול מצהלות חתנים מחופתם ונערי׳ ממשתה נגינתם *Benedictus sit Deus &c. qui creavit gaudium & lætitiam , sponsum & sponsam , exultationem , cantionem , jubilationem , gaudium , amorem , fraternitatem , pacem , & amicitiam . Cito , o Domine Deus noster , audiatur in urbibus Jehudah , & in plateis Hierosolymæ vox gaudii , vox lætitiæ , vox sponsi & sponsæ, vox hinnientium sponsorum e thalamo suo, & puerorum e convivio suo Musicis modulis instructo .* בא״י משמח חתן עם כלה. *Benedictus sit Deus , exhilarans sponsum cum sponsa .*

Hæ sunt שבע ברכות septem benedictiones, quibus novi nupti consecrantur. Mentio horum in Tobia Hebraico capite septimo, in editione antiqua Constantinopolitana quam habeo; posteaquam ibi narratur, quomodo Reguel filiam suam Tobiæ desponsarit, subjungitur , ומיד ברכו שבע ברכות והתחיל לאכול *Et hoc facto statim recitarunt* septem benedictiones , *& incepit* (Tobias) *comedere* . Et sic expressit in suo Tobia Hebraico Paulus Fagius . At in versione Latina *numerum septenarium* omisit , simpliciter reddens, *statim dictis benedictionibus epulari cœperunt*. Ad has enim Judæis notas & celebratas septem Benedictiones id referendum esse , non est dubitandum.

Posteaquam illi biberunt, & benedictio est recitata, vinum residuum in terram effundunt , ad lætitiam & hilaritatem suam testandam : Cyathus vero a sponso parieti vel solo alliditur adeo ut frangatur , in memoriam Templi Hierosolymitani devastati . Quibusdam in locis , sponsi capiti אפר מקלה *cineres* inspergunt, eo in loco , in quo Tephillin applicat; in Templi incensi memoriam , quia Tephillin vocantur פאר *Gloria* , *ornamentum*, ut sic impleant id quod apud Esajam scriptum est; *Ut ponerem lugentibus in Sijon , daremque eis* תחת פאר אפר *gloriam pro cinere* . Esa.61.3.

Hac de causa quoque atram umbellam, vel cucullum מטרון *Matron* vocant vulgo , instar lugentium, sponsus in capite gestat; sponsa vero pullo palliolo caput involutum habet (tam apte & decenter, ut nullo alio μορμολυκείῳ pueris terrendis opus sit;) hoc signo innuentes, se in summis suis festivitatibus animo semper mœsto esse debere, propter Urbis & Templi desolationem (sane vestes, lugentium sunt vestes, sed animus nimium quantum a luctu abest, ut experientia docet.) Hinc in Psalmis scribitur; *Exultate in tremore*, unde hanc sententiam exstruunt ; במקום רעדה גילה שם תהא *In loco exultationis simul adesse debet tremor* . Alii scribunt, vitrum frangi, ut in media lætitia sua Mortis sint memores, quæ hominem ceu vitrum rumpit & frangit, & sic omnem superbiam deponant. His peractis omnes adstantes acclamant מזל טוב *Massal tof*, ut supra. Psal.2.11. Berach. f. 30. 2.

Quod *sub dio* matrimonii consecratio fit, illos, instar stellarum in cœlo, multiplicari debere, denotat.

Vesperi (plerumque enim a meridie fit copulatio) Convivio lauto proximi amici excipiuntur. Ibi primo sponsum longam satis Precem canere oportet; quo suavius canit, eo sponsæ, quæ illi assidet, est gratior. Id autem ex amore potius & superbia fit in sponsæ gratiam , quam ex vera in Deum pietate. Epulum nuptiale.

Interea sunt, qui gallinas parari & apponi jubeant. Sponsæ itaque gallina cum ovo apponitur; sponsus vero frustulum sponsæ suæ ministrat; omnes postea, viri, mulieres, sine discrimine , uncis manibus in gallinam illam involant , & instar canum famelicorum discerpunt; qui majorem particulam reportat, præstantissimus in mensa habetur. Manibus non deponunt, sed e vestigio comedunt; verum protinus advenit aliquis , qui illis ex manibus , imo ex faucibus bolum eripit, magnusque continuo oritur tumultus & risus; non alia causa, nisi ut sponsam & sponsum hoc pacto exhilarent.

Ovum incoctum appositum sibi mutuo , (vel potius Christiano spectanti) in faciem projiciunt . Ideo autem sponsæ apponitur , ad innuendum , sponsam absque dolore, cum gaudio & tam facile parituram, ac gallina facili & læta glocitatione ovum ponit.

Jocis hisce peractis, tum demum ve-

ra cœna instruitur, læti admodum sunt, & parum de Hierosolymis cogitant, saltant & choreas agunt, ut omnes, quibus id videre contigit, norunt.

Invitati hospites quandoque sub finem convivii, sponsis munera offerunt, maxime Juvenes suis sodalibus; ad sumtus nuptiales ipsis minuendos, & sub hac conditione, ut illi par pari suo tempore ipsis reddant. Vocant hoc שושבינות.

Ad convivium nuptiale habendum sponsus a propinquis sponsæ adigi potest, si detrectat; & quidem ita, uti honori sponsæ ejusque familiæ par est: &, si sponsa ex honoratiore familia sit, ut illius rationem habeat, non suæ. Nam ajunt: היא עולה עמו ואינה יורדת *Sponsa ascendit cum Sponso, non vero descendit*, h. e. Maritus uxoris honorem augere & splendidiorem reddere potest, non minuere.

Sub nuptiarum finem chorum celebrant, quem illi מצוה *Præcepti* cognomine insigniunt, hoc est, *Chorea præcepti* (Mitzva tantʒ Germanice) *chorea propter præceptum Dei de nuptiis*. Scribunt enim; מצוה לשמח חתן וכלה ולרקד לפניה Præceptum nobis est exhilarare sponsum & sponsam, saltare ante eam, & illam, in sponsi gratiam, a formæ præstantia, & aliis donis laudare; quamvis id non mereatur. Omnium honestissimus sponsum manu prehendit, & ita ordine singuli singulos. Mulierum quoque honestissima sponsam manu prehendit, & ita deinceps cæteræ mulieres, & longos in gyrum choros agitant, cum horrendo tumultu & strepitu festum nuptiale hoc modo claudentes. Refert Maharil, (fol.49.1.) accidisse aliquando, ut in honorem defunctæ cujusdam Principis, Princeps edicto omnium instrumentorum Musicorum usum & choreas prohibuerit. Cum vero intra illud tempus nuptiæ Judaicæ celebrandæ essent, se rogatum, an sine instrumentis Musicis celebrari debeant? respondisse, Non: quia hæc sit præcipua pars lætitiæ nuptialis; si non liceat ipsis ea adhibere in suo loco, ut nuptias celebrent in loco alio. Et sic factum fuisse.

Nuptiæ per octiduum durant.

Per septiduum seu integram septimanam nuptiæ vulgo durare solent; sicut Laban Jacobo dixit; *Imple septimanam hanc*: & de Samsone scriptum est; *Si indicaveritis illud septem diebus convivii*. Hinc præceperunt Sapientes, si quis Virginem duxerit, exhilarare se cum ea per septem dies; & hi septem dies ipsi esse debent instar *Diei boni seu festivi*, ut nullum illis faciat opus, non negotietur, neque solus in publicum prodeat. Nuptiæ cum vidua non tantam habent lætitiam, & sufficit si per tres dies durent, sive Sponsus cælebs, sive viduus fuerit; quamvis hoc non omnes observent. Si Sabbathum in nuptias incidat, magno honore Sabbathum se afficere credunt, si strenue saltaverint; Sabbathum enim Sponsa appellatur, ut supra vidimus.

Christiani nulli invitandi.

Ante omnia singuli cavere debent, ne ullum incircumcisum Christianum ad nuptias invitent. Rex enim Salomo ait; (Prov.14.1.) *In gaudio tuo non miscebitur extraneus*. Hæc autem pura putaque est textus corruptio, qui aliter sonat, & longe alium sensum habet. Scribunt insuper, bonos Angelos, quum extraneos, hoc est, Christianos nuptiis interesse vident, protinus aufugere, malosque spiritus succedere, qui noxas nocent, rixas ac discordiam concitant, graves miserabilesque casus, ut lumbifragia, exossationes, cædes, &c. plerumque invehunt. Notandum est ergo, quam libenter Christianos nuptiis suis spectatores adesse videant.

Judæi non interesse debent nuptiis Christian.

Similiter prohibitum est Judæo invitato interesse convivio nuptiali Christianorum, ibique cum illis edere & bibere. Qui hoc facit, perinde habetur, ac si comederet de sacrificiis mortuorum, sicut dicitur; (Exod. 34. 15.) *Ne forte percutias fœdus cum habitatoribus ejus terræ &c. & invitet te aliquis, & comedas de sacrificio ejus*, h. e. ad convivium aliquod solenne, qualia instituuntur in nuptiis filiorum, aut filiarum. Quod si vero Christianus Judæo cibos miserit in domum suam, veluti Aves, Anseres, Pisces, Carnes, etiam a Christiano mactatas, illa sunt ei licita.

Quum alter alteri propinat, respondetur, לחיים טובים Lechajim tobhim, i. e. *Sit saluti*. Verum, si male erga aliquem sint affecti, utpote erga Christianum, vocibus illis קללה id est, *Maledictionem* intelligunt. Si enim Cabalistice literas in numeros resolvas, exurgent utrobique centum sexaginta quinque, atque hoc pacto propinanti maledictionem imprecantur. Sed has aliasque hujuscemodi Judæorum benedictiones & occultas technas, Deo dante, alias in lucem proferemus.

Proximo post nuptias Sabbatho Sponsus in Scholam mane se confert, comitantibus eum hospitibus nuptialibus, idem facit & Sponsa, quam fœminæ quædam comitantur. Cum lectio legalis peragitur, Sponsus ad legendum evocatur: qui eleemosynas se daturum promittit. Lectione & oratione finita, illos domum iterum deducunt, & sibi invicem valedicunt.

Polygamia, vel Digamia, hodie in regionibus Europæis non est amplius inter ipsos usitata, neque etiam permissa. Credunt

(Levusch hachur veargamā Num.1.§. 9.10.11.)

De Polygamia.

dunt eam Lege esse licitam: Sapientes etiam prisci eam permiserunt, si quis plures posset alere. At Rabbenu Gerson qui floruit circa Ann. 4830. h. e. ante 600. circiter annos, constitutionem fecit, nequis, sub Excommunicationis pœna, hoc tempore duas uxores ducat, ad minuendas lites & contentiones inter conjuges; quam plerique hodie sequuntur; neque permittunt, ut quis uxori suæ aliam superinducat, דאומדנא דמוכח הוא דארעתא דהכי אנסיבה ליה דלא לינסוב אחריתא *quia præsumitur, illum eo animo uxorem duxisse, ut nolit ducere alium,* אעַפִּי דלא התניתה עִמו בפירוש *etiamsi hanc conditionem in pactis non expresserit*. Si quis contra fecerit, is anathematis adigitur alterutram dimittere: si prima nolit exire, cogitur expellere secundam, & hæc quoque cogitur accipere libellum repudii. Hujus R. Gersonis constitutiones reperiuntur in libro *Colbo* Num. 116.

CAPUT XL.

De Judæorum divortio, & libello repudii.

Divortia cur a Mose permissa. Deut. 24. 1.

Constat equidem Judæis hic indulsisse Mosen; non tamen, quod a principio ita sese res habuerit, & a Deo instituta fuerit, sed pro duritia cordis ipsorum hoc illis permissum fuit, majoris turpitudinis vitandæ causa, ut manifeste Christus in Novo Testamento arguit.

Matt. 5. & 19. Gittin.

In Talmude autem magnum de Divortiis Tractatum habent, in quem alii Rabbini multa & varia arguta commenta & explicationes conscripserunt, multasque causas excogitarunt, propter quas Repudium alicui remitti possit.

De *Causis*, propter quas *Divortium* ab uxore fieri licet, vel solet inter Judæos: de Forma item ejus, diximus quædam in nostra de Divortiis Dissertatione. Quamvis strictim tantum: quia omnia, quæ illi de his scripserunt, vix magno volumine comprehendi possent. Innumera sunt observanda tum circa Scripturam libelli divortii, tum circa ejus traditionem, omnia in eum finem a Rabbinis excogitata ut negotium reddant sumtuosum, laboriosum & molestum, prolixum item, & hac ratione fortassis maritus ab eo vel suscipiendo, vel urgendo, deterreatur, vel interea uxori reconcilietur: quod etiam aliquando fieri scribunt. Et certe, hac de causa fortassis, hodie æque rara sunt inter ipsos divortia, ac inter Christianos, si non rariora. Quod si vero Adulterii causa repudium quis uxori mittere velit, tantæ remoræ non fiunt. Talem libellum vocant גט מצורי, & peculiari quadam arte scribi debet.

Quinam idonei sint ad libellum hunc scribendum? Cui pergameno inscribi debeat? Quo atramento? Quot lineis constare debeat? Quibus verbis concipiendus sit, quæque in eo comprehendi debeant; Singulorum verborum critica orthographia. Quot testibus confirmandus? Quomodo illi subscribere debeant & subsignare? Quomodo tradendus? Quantum debeat esse pergamenum? Quæ ejus forma? &c. de his ad nauseam plena sunt Ritualia Hebræorum.

Quod duodecim præcise lineis, nec pluribus, nec paucioribus constare debeat, ejus rei varias reddunt rationes. Sunt qui dicunt, ideo fieri quod גט *Geth* in numeris 12. faciat, & sic occulte id significet.

Formula libelli repudii.

Formula ejus vulgo hæc est, *Secundo die septimanæ, vigesimo octavo mensis N. Anno a mundi creatione 5363. juxta Numerum quo hic Moguntiæ, ad Rhenum sitæ, numerare consuevimus, Ego Isaac cognomine Eckendorffius, Rabbi Abrahami Sacerdotis filius, qui nunc Moguntiæ ad Rhenum habito, & quodcunque aliud nomen aut cognomen, vel ego, vel parentes mei, vel patria mea, vel patria parentum meorum, habemus, libera animi mei voluntate, absque ulla coactione, statui te dimittere, & a me exigere; te, inquam Saram uxorem meam, cognomine Trumerlam, filiam R. Levi sacerdotis, ex urbe N. aut si quod aliud nomen aut cognomen est tibi, aut parentibus tuis, aut patriæ tuæ, aut patriæ parentum tuorum, quæ hactenus uxor mea fuisti: nunc vero repudio, exigo, & egredi jubeo, ut tui juris sis, & libere quocunque volueris abeas, adeo ut nemo hoc tibi prohibere possit, a die hoc usque in sæculum. Itaque licita esto cuivis alii viro, & hic habe tibi libellum tuum expulsionum, libellum repudii, & epistolam dimissionum, juxta legem Mosis & Israel*. Formulam Hebræam vel Aramæam (hac enim lingua utplurimum in iis uti solent) qui videre avet, adeat Majemon. part. 2. de Repudiis, cap. 4. quæ etiam exstat in fine Grammaticæ nostræ Chaldaicæ & Syriacæ, & alia Ritualia Hebræorum.

De traditionibus libelli div.

De ritu Tradendi libelli, & divortii faciendi pauca subjiciamus. Ad hoc celebrem & nobilem aliquem deligunt locum, propter insignem aliquam aquam. Eo Rabbinus ille, cujus auspiciis res geritur, duos alios advocat aliunde Rabbinos, Actoris sumtibus, qui totius Actionis

nis ſunt moderatores: Scribam, Teſtes duos tum ſcriptionis libelli, tum traditionis. Ubi hi omnes adſunt, & libellus, prout decet, prius ſcriptus eſt, recognitus & approbatus; Rabbinus præſes, poſt preces matutinas peractas, ſe ſiſtit ad oſtium domus Synagogæ, facie verſus orientem converſa; Teſtis natu major, ad ejus dextram; Alter, ad ejus ſiniſtram: Scriba, cum Marito & Uxore ante ipſum. Mox Præſes alloquitur Maritum, & ſeqq. ex eo quærit; *Tu N. traditurus es libellum divortii libera voluntate, ſine coactione?* Si id affirmet, pergit; *An forte juramento vel voto aliquo te obſtrinxiſti ad eum dandum?* Si neget, porro ait; *Si juramento, voto vel anathemate es obſtrictus, ego illud ſolvam.* Ad hæc ille; Nihil tale unquam feci; Rabbinus; *An forte aliquid pro hoc libello accepiſti? ſi te pœniteat, revoca, & inveniemus hujus rei medium.* Maritus; *Non me pœnitet.* Rabbinus: *An unquam dixiſti quicquam, quod officere poſſit huic libello, & illum irritum reddere?* Maritus: *Non;* Rabbinus: *Si quicquam tale dixiſti, quaſi non plena voluntate hoc faceres, an id ſublatum cupis?* Maritus: *Ita.*

Poſt hæc Præſes, una cum Teſtibus Libellum legunt, ut & Subſcriptionem Teſtium duorum, & porro ſermone ad Scribam converſo, quærit ex eo; *Tu ſcriba N. ſcripſiſtine hunc Libellum? An ſcripſiſti eum ſuper pergameno Mariti, & cum ejus atramento ac calamo? An eum Mariti & Uxoris nomine ſcripſiſti? An Maritus tibi dixit; ut ſuo & uxoris ſuæ nomine eum ſcribas? An hæc omnia tibi dixit coram teſtibus? An agnoſcis hunc libellum eſſe eundem quem ſcripſiſti? An dixiſti ei, quod eum Ipſius & Uxoris nomine ſcripturus ſis, antequam ſcribere inciperes?* Ad hæc ſingula reſpondebit Scriba; *Ita.*

Exinde Teſtes alloquitur, & Primum in ſubſcriptione interrogat; Tu N. *An Maritus dedit Pergamenum, atramentum, Scribæ, & ei præcepit, ut ſcriberet Libellum ſuo & uxoris ſuæ nomine? An ſocius tuus ſubſignatus præſens fuit, & audivit, quod hæc Scribæ dixerit? An etiam vobis mandavit, ut ſubſignetis ſuo & uxoris ſuæ nomine? An adfuiſti cum primam lineam ſcriberet? An audiviſti Scribam dicentem, quod ſcripturus ſit utriuſque nomine? An ſubſignaſti illorum nomine? An prius dixiſti; Subſignabo illius & uxoris ejus nomine? An ſocius tuus tecum fuit, cum obſignares? An tu etiam adfuiſti cum ille obſignaret, & diceret, quod illorum nomine ſit ſubſignaturus? An hoc eſt ſigillum tuum? An hoc eſt ſigillum ſocii tui ſubſignati?* Dehinc eaſdem quæſtiones proponit Teſti ſecundo.

Hæc omnia ubi illi ſua affirmatione aſſeruerint, ad Uxorem converſus, ait; *An voluntarie accepturus es hunc libellum Repudii?* Si id affirmet, porro dicit ei, *Extende ambas manus tuas, & illi infra* (circa carpum) *conjunctis, ſuperne eas dilata, quaſi iis accepturus aliquid, eaſque ſic tene, donec tibi dixero, ut eas ad te retrahas.* Si annulos in digitis habeat, jubetur illos deponere. Tunc Rabbinus complicat libellum eo modo quo epiſtolæ complicari ſolent, eumque in manum mariti tradit, ei dicens; Tene eum in manu tua, uſque dum tibi dixero, ut illi tradas, ſimul etiam teſtes exhortans, ut probe advertant ad ejus traditionem: ejuſque ſint teſtes; Mox illo verbis ſequentibus præeunte Maritus clara, diſtincta & articulata voce, ita ſubſequitur; הרי זה ניטיך . והתקבלי ניטיך זה . ובו תהא מגורשת ממני . מעכשיו והרי את מותרת לכל אדם *En libellum tuum repudii: accipito libellum iſtum tuum repudii: eo a me eſto repudiata a nunc, & alii cuivis conceſſa.* Hoc dicto, ſimul Libellum tradit uxori, quæ a Præſide monetur, ut manus claudat, libellum teneat, & eum ſub veſte ſua recondat. Mox illum ab uxore repetens, ſecunda vice relegit, & teſtes quoque denuo rogat, an hæc ſint ipſorum ſigilla &c. Ubi nihil in contrarium prolatum fuerit, ad totum cœtum publice proclamat; הנה ר״ת ושאר גאונים גזרו וכן אני גוזר שלא להוציא לעז על גט׳ ואם שום גמגום יש למי יבוא ויגיד לי *Ecce Rabbenu Tam, & cæteri Gaonæi ſub anathematis pœna decreverunt; & ſic ego quoque decerno, ne quis contra hunc libellum repudii quicquam proferat & excipiat; aut, ſi quis ſcrupulum habeat, nunc prodeat, & mihi indicet.* Poſt Libellum שתי וערב *forma crucis* diſcindit vel dilacerat, quam קרע בית דין *Sciſſuram domus judicii* vocant, dimiſſæque injungit, ne intra tres menſes alii nubat. Plerumque Præſes libellum penes ſe reſervat & cuſtodit, neque eum uxori reſtituit; idque ideo, ne quis forte contentioſus ſcrupuloſius eum examinet, & aliquid inveniat, quo eum vel carpere, vel in dubium vocare, & illegitimum facere conetur.

Dum hæc fiunt, verecundiæ cauſa Mulier faciem ſuam obvelat, donec Præſes cum ea loquatur.

An a Marito ipſo ſcribi poſſit.

Unum adhuc addo; *An a marito ipſo ſcribi poſſit Libellus repudii?* De hoc ſcribitur לבוש הבוץ וארגמן Num. 132. §. 1. הכל כשריך לכתוב את הגט בין הבעל בעצמו בין שלוחו מי שיהיה ואפילו האשה

גטה

בעצמה כותבת את גטה *Omnes legitimi sunt ad Libellum repudii scribendum, tum Maritus ipse, tum Legatus seu procurator ejus, quisquis ille fuerit, imo & Mulier ipsa potest eum scribere*. Mox tamen ibidem subjungitur; *Etiamsi Maritus ipse possit Libellum suum scribere; tamen non solent id ei permittere, quia postea potest facile de eo litem movere, & dicere, se eum non scripsisse* לשמה *Uxoris suæ nomine*, (h. e. eo fine & ea intentione.) Hac de causa etiam non licet ei formulam dictare Scribæ, sed absolute dicet ei; *Scribe libellum repudii legitimum uxori meæ*.

De hoc carnali divortio solliciti admodum sunt Judæi, & ingentes de illo libros conscripsere; spirituale vero divortium, quo a Deo separantur, & de quo omnes Prophetæ conquesti sunt, præ cordis sui stupore perpendere non possunt. A Deo itaque alienati manent, & errantes, per totum Orbem meritissimo feruntur.

CAPUT XLI.

De Jure Leviratus; & quo modo Judaicæ mulieres a Leviris suis separentur.

Deut. 25. 5 Jus Leviratus.

IN Deuteronomio legimus; *Quum habitaverint fratres pariter, & mortuus fuerit unus ex eis & filius non fuerit ei, non nubet uxor mortui extra, viro extraneo: cognatus ejus ingredietur ad eam, & capiet eam sibi in uxorem, affinitatemque contrahet cum ea: Erit autem primogenitus quem peperit, stabit nomine fratris sui defuncti, ne deleatur nomen ejus ex Israele. Sin autem noluerit illam accipere in uxorem, a muliere coram majoribus natu & senioribus accusandum esse, calceamentum illi de pede tollendum, ut qui hoc pacto fundorum fraternorum redimendorum jus amiserit; in facie ejus a muliere spuendum, & dicendum; Sic fiet homini qui non ædificat domum fratris sui, &c.* Jus hoc Leviratus vocant יבום *Jibbum*.

Si quis ergo velit, juxta hoc præceptum, fratriam suam ducere, non opus habet eam, vi Legis Divinæ, sibi prius desponsare שמן השמים הקנוה לו, quia cœlitus vel divinitus eam acquisivit, sicut in Lege dicitur; *Et levir ejus ingredietur ad eam, & capiet eam sibi in uxorem*; nempe sine ulla alia ceremonia, tenetur autem מדברי סופרים ex statuto Rabbinorum. Simul etiam ei cedunt omnes defuncti facultates, omniaque jura, nec quicquam ad fratres defuncti redit. Ante tres tamen a morte mariti menses, seu 90. dies, non licet eam ducere, ut hoc spatio exploretur & cognoscatur, utrum ex defuncto conceperit; sicut nec ante hoc tempus completum ab eo separari potest. Si enim gravida deprehendatur, sub excidii pœna prohibetur eam ducere: Si postquam jam eam duxit, innotescat, illam ante jam fuisse gravidam, iterum eam ab ipso separant.

Dissentiunt inter se, *Potiorne sit* יבום Jibbum, *an* חליצה Chalizah? Quidam putant, Legi magis conforme esse ut eam ducat, quam ut se ab ea separet Levir; eo quod *Jibbum* præcedat, quamvis in arbitrio ejus relinquatur.

Sic scribit Leo de Modena; *Olim laudabilius fuit Leviram ducere, quam ab ea liberari: nunc vero, crescente malitia hominum, liberationem quærunt propter fines quosdam humanos, ut vel formosam, vel dotatam magis, ducant. Paucissimi sunt, maxime inter Germanos & Italos, qui eam ducant.*

Alii putant; ita tantum præcipere Legem, ut eam ducat fratri suo prolis suscitandæ causa, propter præceptum divinum: si alio fine id faciat, vel formæ ejus specie, vel dotis amplitudine, vel alia de causa illectus, perinde esse ac si incestum committeret, imo parum abesse, quin filii ab eis prognati, pro spuriis habeantur: & sic satius esse, ut se ab ea separet per *Chalizah*; Imo, nisi constet, illum eam ducere unice eam ob causam, ut Præcepto Divino satisfaciat, non obstante utriusque consensu, non esse permittendum.

Et quamvis scribant, si quis hic Jus suum urgeat, illum non posse violenter impediri, ob præceptum Divinum; tamen vix ullibi amplius in usu est & observantia ista Lex; tum ob causam jam dictam, quod, qui hoc Jus urgent, plerunque alio fine id faciant; tum (siquidem Levir jam aliam uxorem habeat) propter Constitutionem R. Gersonis, qui sanxit, ne quis duas uxores ducat, ad vitandas lites & jurgia, quæ ex bigamia oriri solent, & quod, hoc maxime tempore difficile nimis sit duas uxores alere & sustentare. Quando ergo talis aliquis casus incidit, non vi quidem cogunt eum ad *Chalizah*; sed vel verbis blandis illum demulcent; vel transactione amicabili rem componunt: vel, si his non succedat; vanis spebus eum circumveniunt, pollicentes, si Juri suo per *Chalizah* renuntiet, dandam ipsi esse a Levira seu fratria sua certam summam pecuniæ; non ta-

tamen animo id præstandi, sed להטעותו ad eum fallendum, & dolo hoc assensum duntaxat ejus eliciendum. Videatur *Levusch habbuz veargaman*, Num. 165. §. 1.

Quomodo peragatur Exutio Calcei.

Separationem vocant חליצה Chalizah *Exutionem Calcei*. Ita vero res tota transigitur: Pridie ejus diei, quo *Chalizah* debet fieri, post precationem vespertinam, eligit Rabbi, coram quo res peragenda est, duos minimum viros, spectatæ fidei & authoritatis, quos sibi adjungit, ut *Tres sint*, qui habeant speciem & formam Judicii. Post una cum illis Locum designat, in quo *Chalizah* facienda sequenti die. Quo facto redeunt ad Preces nocturnas.

Sequenti mane post preces matutinas peractas, conferunt se in illum locum, sequente toto cœtu, viris quidem deducentibus *Levirum*, Mulieribus *Fœminam*.

Exinde eligit duos rerum agendarum Testes, Tribus illis, ceu Judicibus, considentibus in scamno peculiari: coram his sistitur Levir & ejus Fratria: tum Rabbinus interrogat adstantes, An constat, quod tres menses effluxerint ipsi, a quo maritus ejus obiit? an hæc mulier fuerit uxor fratris demortui? an Defunctus & iste fuerint fratres ex eodem Patre; an mulier compleverit annum duodecimum? &c. Dehinc rogat Levirum, an hæc sit ejus glos, seu fratria, quæ hic adstet? an velit eam Leviri jure ducere, necne? an velit se ab ea separare? an libera voluntate hoc faciat, vel an unquam cuiquam dixerit, se non libenter ab ea separari velle? Mulierem interrogat, an aliquid eo die ederit, vel biberit? (jejuno enim stomacho debet fieri, ne ex cibo nimia sputi vel salivæ copia generetur). Leviro, fratriam suam ducere recusante, & respondente, se deliberato consilio sibi proposuisse liberam facere Fratriam suam per *Chalizah*, ut nubere possit cui velit, & libera sit a vinculo, quo ipsi sit obstricta; Fratria etiam testante, quod & ipsa acquiescat, nec quicquam habeat, quod excipiat; Rabbinus porro dicit mulieri, ut sputum in ore retineat, neque nisi jussa exspuat, affertur illi calceus (auriculis, ligulis, fibulis, peculiari modo compactus, qualem, qui omnibus pedibus sit aptus, in promtu Rabbini habent), hunc dextro pedi nudo induit, & parieti acclivem, mulier accedit, &, Rabbino verbis ipsi præeunte, distincta, clara voce dicit; *Renuit Levir meus suscitare nomen fratris sui in Israele, non vult Leviri jure me ducere:* Vir jussus a Rabbino, dicit; *Nolo ducere eam*: hoc facto, Mulierem jubet se incurvare in terram, & solvere sola manu dextra corrigiam calcei in pede dextro, viro, sinistro tantum pede insistente, calceum detrahit, sursum elevat, & postmodum in terram dejicit; ac simul una vice, & lente, ut testes id videre possint, collectum in ore sputum, quantum potest copiosum in terram *ante eum* (non in faciem ejus) exspuit, distincte & articulate dicens, præeunte Rabbino; *Sic fiet viro, qui non vult ædificare domum Fratris sui, & vocabitur nomen ejus in Israele* בית חלוץ נעל *Domus exuti calceo*; idque tribus vicibus: Judices, & circumstantium corona itidem ter ingeminant, & clamant חלוץ הנעל Chaluz hannaal *Eductus est calceus*; & ita ab invicem separantur: Rabbinus præses petit, ut Calceus iste sibi dono absoluto donetur.

Gravis in Talmude exsurgit quæstio; Si ejusmodi mulier dextra careret, qui calceum solveret? Quidam hoc casu dentibus uti concesserunt.

Si Levir hanc ignominiam subire nolit, vel tergiversetur, & vidua libena ad secundas nuptias convolaret, oportet illam sæpius leviro suo grandem pecuniam pendere, ut separationem hanc permittat: quia sine hac liberatione non potest suam dotem accipere, vel alii nubere.

Quum Levir in quapiam alia urbe habitat, mulieri levir adeundus est, & de matrimonio interpellandus.

Dandus etiam viduæ ejusmodi a leviro separatæ גט חליצה *Libellus eductionis calcei*, ut testimonium ejus rei habeat, & libere alii nubere possit. Formulam hujusmodi libelli qui avet legere, iterum Majemonidem consulat, in libro Jad par. 2. in Ritibus *Jibbum vechalizah* cap. 4. ubi simul etiam reperire est טופס הכתובה *Tuphas haksubah* Instrumentum literarum contractus matrimonialis, seu pactorum dotalium.

Et hoc more Sadducæi Christum interrogarunt; *Si septem fratres deinceps unam eandemque uxorem duxerunt, in resurrectione cujus e septem erit uxor?* unde videmus, tunc temporis adhuc fratres fratriam duxisse.

Matth. 22.

CA-

CAPUT XLII.

De menstrua mulieris pollutione, & quomodo sese Judaicæ mulieres tunc gerant.

Mulier menstruata. MUlieri, quæ immunditie laborat, in scholam ire, orare, Deum nominare, ullum librum sacrum tangere non licet, uti scribunt; *Omne sanctum non tanget, nec ingredietur in sanctuarium*; (Levit. 12. 4.) Quidam Rabbini tamen id permiserunt: sed qui cæteros sanctitate anteunt, scribunt, mulierem quæ ab hisce caveat diutius victuram.

A marito se debet separare. Quamprimum immunditiem suam percipit, per septem dies a marito se segregat, nec illum tangere audet, imo ne eodem quidem una scamno sedere, non cum illo ex una patina, vel uno mantili comedere, non ex eodem scypho bibere, nec e regione illius stare, & in os illum alloqui: si alter alteri quid velit dare, non sibi mutuo projiciunt, sed scamno vel mensæ imponunt, &, altero recedente, instar Brasilianorum & Margajatarum, alter accedens, rem datam aufert.

Vir etiam ab ea abstinere. Quando vir cum muliere profluvii tempore jacet, hinc nascuntur pueri, ut ajunt, lepra infecti (& hanc volunt præcipuam esse causam, cur tot inter Christianos leprosi reperiantur, & multis hic venenatis & acerbis calumniis Christianos impetunt, a quibus tamen recensendis in præsentia supersedebo).

Quomodo se mundare debeant. Post septem pollutionis dies, septem alios Purificationis dies numerat, & ubi prorsus mundam se esse sentit, alia muliere secum assumta, aqua frigida, omnino nudam absque indusio illam lavari, (hyeme quibusdam in locis aquam calidam labro affundunt; in aliis vero, tum hyeme, tum æstate, frigida lavantur) totamque immergi oportet, adeo ut ne minimus quidem capillus extra aquam promineat. Dum aquam subit, neque os, neque oculos omnino debet claudere, ut illuc etiam aqua penetrare possit, digitos distendere & divaricare, ita inclinari, ne mammæ corpori conglutinentur, capillos capitis ab invicem discriminare, nullum digitis annulum gestare, ne ullus sit in corpore locus, quem aqua non pervadat. Quædam illo die ab omni cibo, quædam a sola carne, donec laverint, abstinent, ne quid dentibus inhæreat, ac proinde dentes aquæ non sint pervii. Si emplastrum ulceri impositum mulier ferat, illud est tollendum, ungues resecuisse oportet, nulla alia mulier ausit illam, dum immergitur, tangere, quamvis animi deliquio corriperetur, nisi prius probe lotis manibus. Si a balneo aliquid adhuc dentibus hærere senserit, illi denuo lavandum est, &c.

Multa hac de re scribi possent, sed non sunt omnia Judæorum arcana retegenda. Ipsi Judæi peculiarem libellum, Germanica quidem dialecto, sed Hebræis characteribus, de Mulierum moribus ediderunt. Consulat qui voluerit, vel qui potuerit.

CAPUT XLIII.

De Judæis iter facientibus.

JUdæi iter ingressuri longius, cœnam instituunt valedictoriam, quam vocant סעודת פרידה *Sudus Pereda*, Ein Pereda Mahlzeit, q. d. *Cœnam separationis, sejunctionis*. Quidam tamen volunt, ab authore sic vocari, qui eam primus instituit.

Posteaquam domo egressus est, non everrunt eam intra horæ spatium: quia id Mortuis solent facere. Unde si idem facerent Judæo ad iter faciendum egresso, ominosum foret, quasi non esset rediturus, sed in itinere moriturus.

Ubi ad quartam circiter milliaris partem abest ab urbe ex qua exivit, obversa ad eam facie Precationem certam recitat, quam vocant תפילת הדרך *Tfillas badderech*. Ea ita habet: יהי רצון מלפניך יי' אלהינו ואלהי אבותינו שתוליכנו לשלום ורצעידנו לשלום ותסמכנו ותצילנו מכף כל אויב ואורב בדרך ותנחנו אל מחוז חפצינו ושלום ותחזירנו לביתינו לשלום כי אתה שומע תפלה ברוך אתה יי' שומע תפילה *Sit quæso beneplacitum tuum, Domine Deus noster, & Deus Patrum nostrorum, ut nos deducas ad pacem, & ingredi facias ad pacem, ut nos protegas, & liberes a manu omnis inimici & insidiatoris in via: deduc nos ad terminum destinatum in pace, & redire fac nos ad domos nostras in pace! Nam tu es Deus precationem exaudiens. Benedictus sis, qui Preces exaudis!* Hanc precationem recitant, etiamsi unum tantum milliare conficiant. In libro precum Judæorum Hispanorum formula hæc est paulo amplior. Additur, illum porro dicere יוה״ך ישרני יוה״ך יצילני יוה״ך יעזרני *Jubach custodiat me, Jubach liberet me, Jubach adjuvet me*. *Jubach* nomen est Angeli, hominum curæ præfecti, desumtum ex literis finalibus harum vocum

cum כי מלאכיו יצוה לך *Quia Angelis suis præcipiet de te*, Psal. 91. 11. Recitant etiam septies ex Ps. 90. v. 17. *Et sit amænitas Domini super nos, opus manuum nostrarum dirige super nos, opus, inquam, manuum nostrarum dirige*. Item versum 1. & 2. ex Genes. cap. 32. Et ex Psal. 29. v. 11. *Dominus populo suo det robur, Dominus benedicat populo suo in pace*.

Quidam superstitiosiores aliis etiam artibus, & conjurationibus Angelorum utuntur, quorum Nominibus magnam vim & efficaciam tribuunt. Sic qui intempesta nocte iter ingreditur dicit; *A dextra mea sit Michael* ומלפני נמואל *ante me Nemuel*, ימאחרי שעשיאל *pone me Schaaschiel*, שכינת אל על ראשי *Majestas Divina super capite meo. Eripe me Domine ab homine malo, ab occursu malo, & a vicino malo. Amen. Amen.*

In lib. prec. Hisp.

In via cavere sibi debent, ne telonium prætereant & defraudent; ne in periculum se conjiciant. Vitare debent quantum fieri potest omnem locum periculosum & infestum, neque cogitare, Deum miraculum sibi facturum, ut olim Jacobo; quia nec cuivis, nec quavis hora Deus facit miracula.

Si in via Christianum sibi obvium habeat, non debet simulare, ac si non esset Judæus: quinimo si Christianus eum pro Christiano habeat, tenetur illi aperte dicere, quod sit Judæus.

Sepher hajirach fol. 21.

Si Christianus Judæo se adjungat, cum ipso iter facturus, & Christianus accinctus sit gladio, Judæus ibit ad dextram Christiani; (ut observare possit, quando eum vult educere) si vero hastam aut baculum gestaverit, ibit ad sinistram: Si ascendant montem, Judæus præcedet, si descendant Christianus præcedet, (*tum ut Judæus tanto minus periculi habeat a Christiano, tum ne Christianus sit Judæo ullibi superior*): neque incurvabit se unquam coram eo (ne forte ipsi cerebrum comminuat): Si Christianus eum interrogaverit; quo es iturus? si unum milliare illi eundum sit, respondebit Duo.

Talm. Avoda sara cap. 2. Bes Jacob. fol. 176.

Si Judæi iter faciant, & forte in latrones incidant, qui in Judæos irruere volentes, a Judæis occidantur; tum, si etiam Christiani adfuerint, qui illud viderint, ac Judæi metuerint, ne illud aliis revelent, ac ita illi pœnas de homicidio perpetrato dare cogantur, Judæis licitum est etiam illos Christianos occidere, etsi promiserint, se non revelaturos illud. Non enim est eis credendum, cum sint ex illis populis, de quibus dicitur; *Os habent falsiloquum, & dextram fallacem*, *Psal.* 144. 8.

Sepher Chusidim Num. 1017

Sic de Davide refertur, quod nullum nec virum nec mulierem vivos reliquerit, ne forte proderent Davidem Philistæis.

Pro iis, qui mari iter faciunt, peculiarem habent precationem, quæ repetitur in fine libri Precum Judæorum Hispaniensium. Vocatur תפלת הים *Tfillas hajam*, Precatio maris. Ea vero nimis longa est, quam ut hic inseratur.

CAPUT XLIV.

De Judæorum Pauperibus & Eleemosynis.

Vulgo dicitur, nulli apud Judæos mendicationem permitti. Experientia vero ipsa docet, pessimam esse pauperum apud Judæos conditionem.

Mendicorum inter Judæos ratio.

Die Veneris, ut pridie omnium festorum, domos ditiorum mendicandi causa circumeunt, ut Sabbatho, vel die festo, aliquid in honorem festi habeant quod comedant.

Qui vel per ætatem, vel valetudinem circuire non possunt, vel ex verecundia non audent, illis פרנסים, vel ממונים ad ædes eleemosynam mittunt; veluti personis honoratioribus, sed ad egestatem redactis, ægrotis, viduis, &c.

In Synagogis vel Scholis singulis collectæ instituuntur, e quibus pars una impenditur ministeriis quibusdam Synagogæ, pars altera in gazophylacium conjicitur, pro usu pauperum.

Si quis pauperum extraordinaria aliqua necessitate urgeatur, & mediis ad id destituatur, veluti ad filiam nubilem elocandam, vel captivum redimendum, aut simile quid, Præfectus Scholæ Sabbatho ab unoquoque stipulationem accipit voluntariam & spontaneam, quid illi contribuere velit. Id deinde proxima hebdomada (quia eo die pecuniam contingere non licet) promte exolvunt, & pauperi illi datur.

Si quis ejusmodi paupertate prematur cui sublevandæ incolæ illius civitatis, in qua habitat, non sufficiant, Rabbinos, quibus notus est, adit: ab his illi literæ conceduntur, in quibus paupertatis ejus & penuriæ fit mentio, pietati & religioni ejus testimonium perhibetur, &c. Has literas כתב קבוץ Kesaf Kibbuz, hoc est, *Collectionis literas*; Ipsum vero mendicum קבצן Kabzan *Collectorem* appellant. Hisce literis instructus, per totam regionem discurrit, & quoscunque potest Judæos adit. Si in locum venerit Judæorum

rum frequentia celebrem, literas suas principi Rabbino, æditnmo, gubernatoribus, פרנסים *Parnosim* dictis, ראש הקהל Archisynagogo vel Eleemosynarum exactoribus (גבאים *Gabboim*) qui non secus atque apud Christianos cum loculis ædes sacras circumeunt, tradit, sibique vi harum literarum apud illos mendicandi facultatem concedi petit. Quum hoc illi conceditur, stat cum duobus adjunctis Judæis sub scholæ janua; vel duo illi Judæi cum literis, quantum plurimum possunt, ostiatim colligunt. Ex illa pecunia, quam sic collegit, Creditores ejus non possunt solutionem suam exigere: quia illa data ipsi est, non ut debita sua solvat, sed ut se & familiam suam ex ea sustentet. Et si hoc aliquis vellet facere, potest, ab uxore & liberis impediri.

Quotannis undecunque ubi Judæi sunt, mittunt eleemosynam Hierosolymam, pro sustentatione pauperum Judæorum, qui illic vivunt, & pro salute omnium, orant: sic in alia quædam loca, veluti צפת Tzaphat, Tiberiadem, Hebronem, ubi sunt sepulchra Patriarcharum Abrahami, Isaaci, Jacobi &c.

A Christianis quatenus eleemosynam accipiant.

Nullus Judæus a Christiano debet accipere eleemosynam publice; hoc enim causaretur, ut Christiani dicerent; *Quam crudeles vel sordidi sunt Judæi, quod non sustentant pauperes suos!* & sic Nomen Dei profanaretur. Clam tamen id facere potest, si ea indigeat, vel, ex eleemosyna Judæorum sufficientia alimenta habere nequeat.

Si quis Rex & Princeps Christianus dono ipsis eleemosynæ loco mittat pecunias, non remittunt, sed accipiunt eas, propter honorem Regis, & pacis causa: erogant autem eas pauperibus Christianis, sed clam, ne Princeps id rescisćat. Judæis pauperibus nihil de illis largiuntur, ne id pro bono opere Christiano imputetur.

Gittin cap. 5.

Pauperibus Christianorum ipsi quoque largiuntur eleemosynam, ægrotos ipsorum visitant, & mortuos sepeliunt. In Talmud etiam scribitur, non impediendos esse a Spicilegio ipsorum, quod in agris in usum pauperum relinquunt משום דרכי שלום pacis & amicitiæ conservandæ causa.

Hospites pauperes.

Quorum pauperes Judæi iter faciunt, ut plurimum per diem unum aut alterum hospitio gratis recipiuntur: si diutius in loco uno hæreant, non admodum grati sunt & accepti. Hinc in hypocaustis suis scribunt, ביום ראשון אורח, ביום שני טורח, ביום שלישי ברח או סרח hoc est, *Die primo hospes; secundo, onus; tertio, profugus aut fœtens.*

CAPUT XLV.

De Judæorum morbis.

Morbi Judæorum.

MUlti censent, Judæos Christianis vivaciores esse, nec tam variis infestari morbis ac Christiani: Verum experientia docet, illos æque juvenes ac reliquas gentes mori, & varis, ecthymatibusque, sacro igne, comitiali morbo, pestilentia, aliisque id genus, æque ac reliquas gentes laborare.

Morbus comitialis.

Morbum comitialem חולי הנופל vel ניפול *Morbum caducum* appellant. Frequens apud illos est, adeo ut & imprecationum formulas subeat; Pestilentiam חלוך Hilluch, quasi *Morbum fluentem & grassantem* dicas. Hinc etiam in diris suis usurpant.

Pestis. Remedium superstitiosum, contra Pestem.

Pestilitatis tempore, præter vulgare illud remedium, *Cito*, *Longe*, *Tarde*, insolentes characteres & mira nomina ædibus suis, cubiculis, hypocaustis inscribunt; sanctorum Angelorum, pestilentiæ præpositorum, nomina esse dicunt. Vidi aliquando in illorum ædibus, grandioribus elementis, אדירירון *Adiriron*, *Bediriron*, & ita deinceps, ut *Diriron* per totum Alphabetum, deduceretur; efficacissimum scilicet & præsentissimum pestilentiæ remedium. Sic in manuscripto quodam libro Judaice observatum hoc experimentum vidi, vocem hanc אברקלן, per diminutionem literarum, ea forma quæ apposita, chartæ pergamenæ inscriptam & appensam, fugare febrem quartanam, ut sicut literæ minuuntur, ita illa quoque gradatim minuatur.

Contra quartanam

אברקלן
אברקל
אברק
אבר
אב
א

In hujusmodi inventis superstitiosi valde sunt, propter singulares virtutes, & efficaciam, quam tribuunt לשמות הקרושים Nominibus sanctis.

Lepra.

Lepra revera non tam frequens est apud eos, atque apud Christianos; partim quia pauci sunt, cum Christianis collati; partim, quia temperant sibi a multis cibis, aliisque rebus, ex quibus morbus hic concipi potest. Cibos enim quod attinet, quam fieri potest, legem Mosis observant. In nullo tamen tam pervicaces sunt, ac in carne suilla. Illius nomen nec sustinere volunt vel possunt, mortem potius subire parati, quam illa vesci. Nihilominus tamen leprosi quidam inter illos exstant, ut Antonius Margarita

rita Pragæ ſuo tempore quoſdam repertos eſſe teſtatur; adde quod Vetus teſtamentum olim illis familiarem fuiſſe docet. נגע Negah *Plaga* illis dicitur, & hanc quoque in diris ſuis uſurpant.

CAPUT XLVI.

De Rabbinorum Judaicorum Promotione, officio, authoritate, & privilegiis.

Quomodo hodie Rabbini creentur.

TItulum hunc RABBI hodie quivis, qui modo in Talmude nonnihil verſatus eſt, & profecit, facile impetrare poteſt, ex quacunque tribu cenſeatur. Quamvis autem videri communiter velint eum non affectare; quin potius ſuperbum, eum quærere & ambire; revera tamen, ut poſtea videbimus, plerique circa hoc ſunt ambitioſiſſimi, & muneribus ſæpe potius ac favore, quam doctrinæ merito eum conſequuntur.

Non enim, ut inter nos, prævio examine doctrinæ & vitæ illis confertur. Qui ad hanc dignitatem aſpirat, operam dat, ut tum in Scholis, tum in plateis, & reliqua converſatione, maxime præſente Rabbino alio, cum aliis diſputando, ingenii ſui acumen, eruditionem oſtentet, tum nomen ſuum apud Scholæ illius, in qua literis dat operam, Rectorem profitetur, & Gradum hunc ab eo petit.

Promotio illorum ſine magna fit pompa: Rabbinus, qui Promotoris vicem agit, in Synagoga ſua publice proclamat & ſignificat, quod hic N. propter ſuam eruditionem, & vitæ probitatem; dignus ſit, cui *Rabbini* titulus conferatur, &, ſub pœna excommunicationis mandat, ut omnes in poſterum eum pro tali agnoſcant, eum ita nominent, & honorem Rabbino debitum ei conferant. Dat ei etiam hujus rei Teſtimonium. Nec deſunt ex novis his promotis, qui convivio poſtea Promotorem excipiant, invitatis ſimul aliis, ſi adſint, Rabbinis & amicis ſuis, & ei pro honore collato gratias agant.

Renuntiatio fit diebus Sabbathi, Lunæ, vel Jovis, vel diebus quibuſdam Feſtis, & Noviluniis, quibus libro Legis utuntur. Tum Rabbinus ille, qui Promotorem agit, mandat ei, qui officium סגן *Segen* gerit, & coram libro Legis ſtat, ut promovendum nomine ſuo ad Librum Legis vocet. *Segen* iſte *Chaſſani* ſeu Præcentori in mandatis dat, ut hunc N. ſuo & Patris ejus nomine, addito *Rabbini* titulo, advocet: Tum præcentor alta & elata voce clamat, יעמוד ויבוא רבי פלוני בר פלוני *Surgat & veniat Rabbi N. filius N.* Sic vocatus, ſæpe reluctatur, ac ſi hanc dignitatem minime expeteret, ſed nolenti & invito obtruderetur (licet a longo tempore prece & pretio eam quæſiverit): Promotor, qui Titulum hunc ei contulit, & ipſemet eum adit, vel per æditum ei ſignificat, ut ad librum legis, cum Rabbini titulo, accedat: Accedens, ſuo *Talles*, ſeu velo precatorio faciem ſuam tegit, & lentis paſſibus progreditur.

Morenu quis?

Poſt hunc gradum habent adhuc alium ſuperiorem, מורנו *Morenu*. Hunc nullus adipiſci poteſt, niſi prius *Rabbi* fuerit. *Morenu* apud ipſos eſt, quod inter nos Doctor Theologiæ, & ſupra alios Rabbinos authoritate & poteſtate eminet, eorumque eſt Caput & quaſi Præſes. Titulus hic eſt novus, & ducentis duntaxat annis in Germania natus, & inde in Italiam traductus: *Quidam* exiſtimant, illos id excogitaſſe ad imitationem Chriſtianorum, qui doctrinæ laude excellentes viros ſuos promoverunt in Doctores. *Alii* dicunt, cauſam fuiſſe nimis laxam licentiam vulgarium Rabbinorum, in dandis libellis repudii, & aliis caſibus decidendis. Primi omnium *Morenu* titulo creati, fuerunt מהר״ש h. e. *Morenu haraf Rabbi Schullam*, & מהר״יל *Morenu haraf Rabbi Jacob Levita, Vvilenſis*, qui librum Ritualem ſcripſit, & obiit Anno 1427.

Tzemach David fol. 59. 60.

Hiſpani non promovent Rabbinos.

In Hiſpania hunc Promovendi ritum non habent, neque titulis his utuntur, *Raf, Rabbam, Morenu*: quia dicunt illos non competere, niſi iis qui in terra Iſraelis ſint promoti, extra quam nullæ ſint promotiones. Unde morem hunc promovendi Germanorum & Italorum miratur Abarbenel in Nachalas avos fol. 191. col. 2. ubi addit; והלואי שיסמכו לרבנים אנשים הגונים *Utinam vero Rabbinos crearent, qui digni eſſent! Promoventur quandoque, qui vix unum Tractatum Talmudicum legerunt &c.*

Ubi decem circiter ſunt familiæ Judaicæ operam dant, ut ibi *Rabbinum* vel *Morenu* aliquem habeant, qui filios ipſorum informet, quem in rebus dubiis conſulant; quique lectiones, preces, & reliqua, quæ ad Cultum Divinum ipſorum pertinent, peragat, moderetur & dirigat.

Rabbinorum officium.

Officium Rabbinorum & Doctorum horum eſt, alios Rabbinos, vel ex Rabbinis Moranan creare, Jus aliis dicere; veluti ſi quis alteri debitum ſolvere detre-

trectet, Rabbi, sub excommunicationis & anathematis pœna, eum ad solutionem adigit; Præfractis transgressoribus Legis, vel statutorum Rabbinorum, qui publice ea transgrediuntur, Adulterio, Incestu, Homicidio, Apostasia, Proditione &c. vel iis qui Jejunia debita non observarint, Sabbathum profanarint &c. pro ratione delicti, pœnas irrogare Excommunicationis fulmine ferire; Dubia, circa licita & vetita occurrentia, decidere: De munditia & immunditia mulierum pronuntiare; Contractus, sententias, etiam in litibus civilibus, scribere: Matrimonia confirmare, & celebrare; Divortia facere; Legem coram Ecclesia exponere, & concionari; Academiæ Rectoratu fungi &c.

Rabbini nihil commodi inde habent.

Ab hac vero dignitate nihil vel quæstus, vel commodi præter solum fere nomen habent, & προτοκλιτίων; exceptis paucis nonnullis, qui a certis quibusdam districtibus & territoriis stipendia accipiunt; sed tenuia & macra, ne nimis pinguescant, & insolentes fiant. Et hi sunt primarii, quibus reliqui illius districtus Judæi omnes, & ipsi quoque Rabbini vulgares, subsunt. Sic Francofortenses, Fridbergenses, item, Colonienses, Suevi, unum summum habent Rabbinum &c.

Exteri & vulgares Rabbini, non possunt aliquem Rabbinum creare, sine scitu & permissu horum alicujus, sub cujus scil. Jurisdictione est promovendus.

Ambitio Judaica.

Quamvis autem non lucrosa sit dignitas Rabbinatus, parumque inde rei ipsorum familiari accedat, tanta tamen est ipsorum ambitio, ut caro sæpe eum pretio redimant, sive digni sint, sive non. Et vix, nisi muneribus, eo quis pervenire potest, quamvis doctrina sufficienti instructus. Munera autem clam offeruntur. Ita jam olim factitatum fuisse testatur Rabbi Abraham in Sepher hakkabbalah: Mentionem ibi facit *Rabbi Aharonis Sacerdotis*, סוחר עשיר גדול *qui opulentus fuit Mercator, quod* מפני עשרו ולא מפני שהית ראוי לכך *propter divitias, non quod dignus fuerit, Rabbi promotus fuerit*. Item de R. Acha, *quod non potuerit gradum hunc obtinere*, מפנו שנארת הראש גלורת שבאותו הדור שהיה שונאו *quia Aechmalotarcha illius temporis, vel Archisynagogus, averso erga eum fuerit animo, & eum oderit*. Item, *quod aliquando Textor fuerit in Doctorem creatus*. Item, *quod* ab eo tempore, quo Ismaelitæ rerum potiti fuerunt in Judæa, *dignitates has emerint ab infidelibus Regibus & Principibus*; כמו מוכסים *instar publicanorum &c.*

fol.32. col. 2.

fol.31.2.

fol.32.2.

Privilegia illorum sunt, illic sc. ubi Judæi rerum potiuntur.

Privilegia Rabbinorum.

Levusch par.3. Numer.243.2. & part. 4. Num.163. §.4.5.

1. Immunes sunt ab oneribus & contributionibus publicis, ad conservationem civitatis, veluti murorum, turrium & munitionum ejus, pertinentibus a custodiis item & vigiliis. Illi enim, ajunt, nulla opus habent custodia. שתורתן משמרתן *quia Lex illorum est custodia eorum*. Quod aliquot locis Scripturæ probant, & inter alia ex eo quod Hos. 8. 10. dicitur; גם כי יתנו בגוים עתה אקבצם ויחילו מעט ממשא מלך שרים quæ explicant; *Etiam cum didicerint vel studuerint* (sc. in Lege) *nunc congregabo eos* (si sc. vel omnes vel major pars legi operam dederint): *si pauci, immunes erunt a tributo quod penditur Regi & Principibus*. Item ex Esræ 7. 24. *Vobis autem notum facimus, quod omnibus Sacerdotibus & Levitis, Cantoribus, Janitoribus, Nethinæis, & ministris domus Dei hujus; tributum, vectigal, & redditum annuum præfectus nullus imponet.*

In Hebræo textu tria hæc usurpantur Nomina; מנדה quod explicant, *Tributa*, quæ a Rege vel Magistratu imponuntur subditis; בלוא *Pecunia capitationis*; הלך *Decimæ proventuum & jumentorum annuæ*. Ab omnibus his Rabbini, Doctores, Magistri, debent esse exemti, sive ea sint ordinaria, sive extraordinaria, etiamsi reliqui omnes illa, vel quædam illorum, pendant. Quod si Rex aut Princeps, nulla hujus rei ratione habita, eos etiam ad hæc pendenda adigat, dicunt, hoc non esse דינא דמלכותא *Jus Regium*, sed גזילה דמלכותא *Rapinam regiam*; שאין כח ביד המלכים לעבור על כל זה *Reges enim non habere potestatem, hæc omnia violare*: si de facto fiat, חייבים הציבור לתת בערם *Ecclesiam debere pro illis pendere, pro cujusque quota*; & quidem tam pro ditioribus, quam pro pauperibus: quia hæc Exemtio Rabbinis & Doctoribus debetur in honorem Legis Divinæ quam tractant. Hoc tamen non intelligendum de illis Rabbinis, qui simul negotiantur, & mercaturam lucrosam exercent: hi enim cum reliquis eadem onera portare debent: sed de illis שתורתן אומנותן quorum *Lex est unicum ἔργον ipsorum*; inprimis si quis fuerit celebris & consummatus in suo studio &c. Excipiuntur ab hoc privilegio etiam illi, quorum Vita Doctrinæ non respondet, quantumvis doctus & assiduus quis fuerit: hi enim vilissimæ plebi annumerantur: quia Lex eos tantum exemtos vult, qui vita inculpata & sancta Dei nomen sanctificant & glorificant.

2. Si Rabbinus aliquis merces venales habeat in foro, ejus generis merces nul-

li alii licet vendere, donec Rabbinus suas vendiderit, ut sine mora domum redire possit, & studiis suis invigilare. Adde quod non ex honore & dignitate Rabbinorum sit, diu in foro stare.

3. Si cui Doctori aut Magistro lis cum alio intercedat coram Judice, & alii etiam litigantes adsint, prius ipsi jus dicendum est, quamvis illi priores fuerint, quia Doctores hodierni repræsentant Sacerdotes, & illorum jura habent; Sacerdotes autem olim primas ubique partes obtinebant. Imo Doctor talis id exigere potest, & dicere; צורבא מרבנן אנא שרו תגראי ברישא *Rabbinus ego sum promotus, decidite meam litem primo.* Neque obstat quod dicitur; *Non accipietis personam in judicio, sicut parvum, sic & magnum audietis*: quia hic honor non habetur ipsius Personæ, sed Legi quam tractat. Atque hanc ob causam.

Deut. 1.17.

4. Considere jubent Judices Doctorem aut Magistrum, quando causam ejus audiunt & decidunt, reliquis stantibus.

Tempore Talmudicorum si quis ignominia affecisset, aut pudefecisset Sapientem, Libra auri multabatur, quæ cedebat injuria affecto. Hodie vero iste mos exolevit: pœna tamen talis irrogatur, in qua ratio habetur tum Actoris, tum Rei.

CAPUT XLVII.

De quibusdam Judæorum pœnis.

Pœnæ.

QUoniam Judæi sceptro & regimine pridem destituuntur, omnemque in corpus & vitam Judiciorum potestatem amiserunt, imponunt aliquando iis qui peccaverunt peculiarem pœnitentiam, quæ illis subeunda est.

Pœna adulteri. Liber Chasidim num. 167. Reschis chochma pag. 22.

Adulterum, pro adulterii ratione, variam agere oportet pœnitentiam. Hyeme per aliquot dies consequentes aliquandiu in aqua frigida, rivo vel profluente, illum sedere oportet; si omnia gelu astricta sint, glacies aperitur, & illi nudo ore tenus, quamdiu ovum igne duratur, intus est sedendum; Æstate illi nudo absque omnibus vestibus in formicarum acervo sedendum; nares tantum & aures obturantur, frigida postea abluitur: Si anni tempestas tepet, certum illi jejunii tempus præscribitur, quo nihil unquam edat, nisi noctu paululum quiddam panis & aquæ, donec tempus in aqua gelida, vel in formicarum acervo sedendi advenerit. In Medrasch scribunt, *primum Adamum per centum & triginta illos annos, antequam genuisset Sethum, narium tenus in aqua sedisse, propter peccatum quod commiserat, quum de arbore vitæ comederet.* Si vero pœna hæc merito minor judicetur, nudus æstate per densam apium turbam transeat oportet, & aculeis illarum tamdiu corpus suum objiciat, donec totum intumuerit, & postquam convaluerit, iterum, imo sæpius, pro peccati gravitate, pœnam hanc subeat. Si scortationes scortationibus, adulteria adulteriis cumularit, per multos annos continuos hæc illi pœna ferenda est: Interdum triennii solidi diu noctuque jejunium imponitur, adeo ut nihil gustare debeat, nisi noctu paululum panis & aquæ; vel, si maluerit, (optio enim pœnæ datur,) potest ter in anno per triduum integrum diu noctuque ab omni prorsus cibo & potu abstinere, uti regina Esther in gravissimo & extremo periculo fecit, omnesque Judæos facere jussit.

Pœna cum menstruata se commiscentis.

Si quis cum muliere menstruata rem habuerit, per quadraginta continuos dies illi jejunandum est & singulis diebus bis aut ter *Flagellatio*, quam מלקות *Malkus* appellant, subeunda; hoc est, tergo nudo plectendus est, & triginta novem plagis loro scorteo vel cingulo inflictis cædendus; Nec illi carnes, nec quicquam calidi edere, nec vinum nisi Sabbatho bibere licet. Ita, si quis uxorem suam tunc temporis tantum deosculatus fuerit, vel brachio prehenderit, illi quoque quadraginta dierum jejunium subeundem est.

Pœna homicidæ.

Homicida per tres annos in exilium pellitur, & ubivis urbium, quas Judæi incolunt, eo quo supra diximus modo, singulis diebus tergum flagris subjicere, & alta voce clamare debet רוצח אני *Ego sum homicida*; nullæ illi carnes edendæ, nullum vinum bibendum est, crinis promittendus barbaque, nec indusia nec aliæ vestes abluendæ sunt, non illi lavandum, vel balneis corpus fovendum est, quotquot mensibus semel caput velare debet, & brachium, quo homicidium perpetravit, catena ferrea collo alligatum ferre, hocque pacto apud Judæos huc illuc passim vagari, & publice admissum homicidium quotidie deflere. Quibusdam hæc imponitur pœna, ne uspiam pernoctent ubi pridie pernoctaverint, sed vagabundi instar Caini oberrent: Sunt quos cuti nudæ thoracem ferreum inducere oportet; Quidam ante scholam in januæ limine jacere, & omnium pedibus conculcari debent. Absoluto hoc exilio, & supplicio, per integrum annum singulis septimanis ter jejunabit, præter supra dicta jejunia.

Si quis proximum suum pugno percus-

cusserit, veniam ab eo petet, ac præterea fustigationem sustinebit. Rabbenu Tam autem sanxit, ut ei pugnus amputetur.

Si quis furatus fuerit, non solum furtum Domino suo restituet, sed amplius superaddet, ac præterea vapulabit, & per 40. dies jejunabit.

Illius, qui alterum coram Magistratu Christiano accusat.

Si Judæus Judæum apud Christianum magistratum accusaverit, & in jus vocaverit, vel illorum scelera & fraudes retexerit, ille מוסר *Moser* Proditor ab illis appellatur: gravem illi imponunt pœnitentiam, & contumeliosissime ab illis tractatur, &c. Qui plura similia scire volet, consulat librum Col-bo sub Numer. *67*.

CAPUT XLVIII.

De Juramento.

PRolixæ habentur apud Jurisconsultos Judæorum de Juramento Traditiones & Disputationes. Nos hic duntaxat agemus *de Forma & modo Juramenti solennis*, quod alicui a Judice faciendum injungitur; & ab Hebræis vocatur שבועת הדינים *Juramentum judicum*, seu, *judiciale*.

Primo omnium, antequam juramentum delatum quis præstet, eum serio exhortantur, ut rem probe consideret & expendat, Dei timorem ob oculos ponat, neque temerarie ad juramentum povolet; idque his vel similibus formis, *Scias, mundum totum contremuisse, quando Deus dixit;* Non assumes Nomen Domini Dei tui in vanum. *In omnibus transgressionibus, quarum in Lege fit mentio, dicitur;* ונקה Et innocens erit; *in hujus vero Legis appendice dicitur;* לא ינקה Non habebit innocentem, eum qui &c. *Omnium reliquarum transgressionum Legis pœna tantum denuntiatur, qui eam commiserit; hæc vero ab ipso & a tota familia ejus exigitur, sicut dicitur;* Ne des os tuum ut peccatricem facias carnem tuam, *h. e. propinquos tuos*: sicut illic; Et a carne tua ne abscondas te, h. e. *a propinquo tuo*. Imo pœna hæc omnibus Israelitis infligitur. *Reliquarum transgressionum pœna in unam & alteram generationem sæpe differtur, hæc statim & e vestigio infligitur, sicut dicitur;* Educam illam (maledictionem) dixit Dominus Exercituum, venietque ad domum ipsius furis, & ad domum jurantis per Nomen meum mendaciter, & pernoctabit in medio domus ejus. *Dum enim dicit;* והוצפיה Et educam eam, *vult dicere;* Statim immittam eam; & ingredietur in domum furis &c.

Eccles. 5. 3.

Zach. 5. 4.

Quin imo ea etiam, quæ Ignis & Aqua non consumunt, consumit Juramentum falsum, seu, Perjurium, sicut ibi sequitur; Et consumet ligna ejus & lapides ejus: *Si dixerit:* Non jurabo; *statim eum dimittunt, ne forte eum pœniteat; sed solvit, quod accusator ab eo exigit; si vero dixerit;* Ecce jurabo, *& alter in suo petito persliterit, adstantes acclamant illud Mosis ad populum de cœtu Coreh, Dathan, & Abiram;* סורו נא מעל אהלי האנשים הרשעים האלה Excedite e tentoriis hominum istorum impiorum; *Uterque enim illorum pro tali habetur, & alteruter illorum peccat; vel Actor falso juramentum ab altero exigens; vel Accusatus, falso jurans; si vere jurat, Actor iterum peccati reus tenetur, quod temere alterum ad juramentum faciendum adegerit &c. Insuper dicunt juraturo;* Volumus ut jures; non secundum mentem tuam, sed juxta mentem nostram & Domus judicii: *Si suspicentur, fraudem & dolum subesse; explicant ei juramentum, & omnes rimas fraudum obstruunt, quas mente sua fovere posset*. Alia etiam, prout e re ipsis videtur, adjiciunt, quæ metum & pavorem illis incutere queant.

Num. 16. 26.

Secundo, requiritur, ut Juramentum fiat בנקיטת חפץ *cum Apprensione rei alicujus pretiosæ & sacræ, ut puta Libri Legis*, & quidem ejus, quo in Synagogis suis utuntur, ceu cimelio quod habent pretiosissimo. Traditur juramento adstringendo, vel in brachia, vel in manum; vel etiam ipsi duntaxat proponitur, & manum ei imponere jubetur. Et ita communiter fieri solet, non ut per Librum Legis juret; sed לאיים עליו ut ejus præsentia, aspectu, & contactu, tanquam æterni Dei Lege, perterrefiat, ut vel veritatem dicat, vel juramento abstineat. Per nihil aliud enim, nisi *per Nomen Dei*, jurandum dicunt. Quando de negotio gravi & magni momenti est quæstio; solent in Synagogis Arcam sanctam, in qua Liber Legis asservatur aperire, & mandare juranti, ut manum suam in Arcam ipsam immittat, & ibi super Librum Legis ponat.

Loco libri Legis, si res non adeo gravis sit, potest etiam adhiberi alius aliquis liber sacer, in quo Nomina Divina sunt scripta: quia illi omnes dici possunt חפצים של מצוה *κειμήλια* præceptorum.

Quinimo sufficere quoque scribunt, si *Tphillin* seu *Phylacteria* sua quis manu teneat; quia illis etiam verba Legis & Nomina Divina sunt inscripta. Et sic juramento adstringi solent תלמידי חכמים Discipuli Sapientum, seu vulgares Rabbini

bini: quia enim illi gravitatem Juramenti per se norunt & intelligunt, ideo a graviori formula sunt immunes. Magni חכמים Sapientes & Doctores prorsus non tenentur de Juramento, sed verbis ipsorum creditur.

Quod jurandum sit בנקיטת חפץ *apprehensione rei alicujus sanctæ*, id dicunt fundamentum suum habere in eo, quod Abraham dixit ad servum suum Eliezer; Gen. 24. 2. שים נא ידך תחת ירכי *Pone manum tuam sub femur meum*; Hæc enim verba ita exponunt, quod eum jusserit manum admovere Circumcisioni, ceu fœderis Dei signaculo, & rei sanctissimæ: quia hoc tum unicum & primum erat præceptum Divinum, quo nihil habebant antiquius; Ac proinde perinde fuisse scribunt, ac si toti Legi manus imposuisset. Formula hæc בנקיטת חפץ eleganter in Jure Græco exprimitur, quando dicitur Κρατήσας ἐν ταῖς χερσὶν αὐτοῦ τὸ μεγαλεῖον *Tenens in manibus suis Rem magnam* vel, *augustam*, hoc est, Volumen Legis. Cabalistæ observant in verbis ante adducti loci נא ידך consurgere in numerum dictionis מילה ac proinde sic quoque tecte innui. Eliezerum jurasse per Dominum admota manu signo circumcisionis.

Tertio jurandum est per Nomen Dei, & quidem vel Proprium, vel aliud aliquod; vel etiam per Attributa Dei: Adduntur imprecationum & maledictionum certæ formulæ. Jurans *vel* ipse formulam verbis suis & nomine suo conceptam affert; *vel* formula ipsi a judicibus defertur; *Prioris* exemplum est; הריני נשבע בשם ה' אלהי ישראל *En juro ego per Nomen Domini Dei Israelis*; vel הריני נשבע במי ששמו רחום או במי ששמו חנון שאיני חייב לזה כלום *Juro per Eum, cujus Nomen est Misericors, aut, per Eum, cujus Nomen est Gratiosus, quod huic N.N. nihil quicquam debeam*. (vel, quicquid fuerit, cujus nomine Juramentum præstare tenetur.) *Posterioris* exemplum est, quando Judices dicunt; אנו משביעין אותך בשם אלהי ישראל *Adjuramus te per nomen Dei Israelis*; aut; *Per eum, cujus nomen est Gratiosus*; aut; *Per eum, cujus Nomen est Misericors, quod nil quicquam penes te sit, quod ad hunc spectet*, &c. Ad quæ ille dicet; *Amen*.

Stando faciendum est juramentum, ut cor ejus tanto efficacius Dei timore, reverentia, majestate & gloria afficiatur. Rabbini tamen sedentes illud præstant; ראימת שמים עליהם בכל עת quia præsumuntur semper Timorem Dei ob oculos habere, neque hic vel incitamentis, vel terriculamentis opus habent.

Quidam scribunt, fieri debere in præsentia decem minimum personarum, vel totius Ecclesiæ, ad tanto fortius percellendum jurantem. Id tamen non observari solet.

Quarto Juramentum præstandum coram parte adversa: quia enim Accusator exploratum habet, utrum hic vere aut falso juret; fieri hinc poterit, ut juraturus, ejus præsentia commotus, non juret. Si Accusator non nisi ex teste aliquo rem, ob quam juramentum alteri defert, cognitam habeat, jurandum coram Teste illo.

Quinto potest Juramentum concipi quavis lingua, quem intelligit, ut sciat quid juret, ac Dei timorem ob oculos habeat &c.

Hæc sunt præcipua, quæ circa juramentum judiciale observanda in Ritualibus ipsorum habentur; quibus tamen pro Judicum arbitrio, tum quoad verba, tum quoad res, plura addi posse scribunt, si necessitas id exigere ipsis videtur. Unde in *Levusch ir schuschan* Num. 87. §. 20. scribunt: *Judex habet potestatem jurare facere aliquem adibito Legis volumine, etiam ubi id non requiritur: terrorem item incutere juranti etiam rebus aliis, si id ipsi videatur necessarium*. Hinc quidam, tum ex Hebræis, tum ex aliis Scriptoribus, alia quoque addunt. Baal Aruch in הסת præter jam commemorata scribit: *Quando Discipulum sapientis, h. e. Rabbinum jurare faciunt, exuit Phylacteria sua, eaque tenet in manibus, loco libri Legis; deinde adferunt* מטה *lectum, h. e. tabulam vel asserem: super quo deferunt mortuum* (in cœmeterium), *eumque illic in medio deponunt: Utres item inflatos, quos diffindunt, aut* (si ligati fuerint) *solvunt, quando jurat, ut spiritus inclusus subito erumpat: exinde Candelas ardentes, quas exstinguunt: dehinc Cineres adustos, quos dispergunt, denique Saccos vel Culeos illic projiciunt: Minister cœtus, seu æditus stat coram Jurante, accusationis puncta recitat, ut & negationem accusati, ac dicit ad Juraturum*; Tu N. fili N.; si quicquam penes te sit, eorum de quibus ille accusationem contra te instituit, quod spectet ad τὸν N. præsentem, eris in Anathemate domus Judicii superioris & inferioris, venientque super te omnes maledictiones scriptæ in Lege. *Hoc dicto Buccina inflata sonum edunt; & ille subjungit*, Amen; *& testatur, se juxta mentem Judicum jurasse, non secundum mentem suam, juxta ea, quæ judices in animo suo habuerunt, non quæ ipse*.

Sciendum autem Judiciale hoc Juramentum esse duplex; vel מדאורייתא *Legis*,

gis, quod sc. alicui, vi Legis divinæ; vel, מדרבנן vel מדברו סופרים *Rabbinorum*, quod non ex Lege, sed ordinatione ac placito Rabbinorum defertur.

Illud est gravius, & triplex esse scribunt; *primo* cum quis partem ejus, de quo convenitur, fatetur; *secundo*, cum quis totum negat, & testis unicus ipsum falsi arguit; *tertium* est Custodum, cum illi conqueruntur, rem sibi concreditam, vel esse amissam, vel furto ablatam, vel mortuam; vel similia.

Hoc levius est, & superadditum a Rabbinis. Vulgo vocatur שבועת היסת *Schevuas heses*. Adhibetur in causis pecuniariis, & quibusvis aliis litibus forensibus, ubi & testes, & probationes claræ deficiunt. Ad illud excogitandum & introducendum scribunt permovisse eos Hominum malitiam, & improbitatem, veritatem injuste vel negantium, vel dissimulantium, vel supprimentium. In forma jurandi aliqua observatur differentia. Baal Aruch sic de eo scribit: *In* Schevuas heses *defertur Volumen Legis in Curiam, & in Sella vel pulpito quodam, more solito reponitur, vel Minister Ecclesiæ manibus suis eum tenet: postea recitatis momentis causæ utriusque partis, Formulam juramenti proponit, ut supra* &c.

Et quoque, qui Juramentum alteri defert, denuntiatur, si malitiose & fraudolenter agat, ad ægre sc. faciendum adversario suo, vel ad maculam aliquam famæ & honori ejus inurendam, omnes execratationes, in juramento commemoratas, in caput ejus redundaturas, juxta illud; *Juramentum Domini erit inter ambos illos*; hoc est, Deus vindex erit amborum; *Jurantis*, si falso juraverit; *Juramentum deferentis*; si falso alterum accusaverit, & ad juramentum adegerit.

Exod. 22. 10.

Juramentum hoc Rabbinorum equidem non necessario faciendum est בנקיטת חפץ prehensa vel adhibita re sacra, Lege videlicet Divina; hodie tamen mos obtinuit plerisque in locis, ut id in hoc quoque Juramento observetur; hac cum cautione, ne id in levioribus fiat causis. Unde in singulis fere regionibus, si de Pecunia sit controversia, definierunt, quanta debeat esse summa, ob quam illud vel deferri, vel non deferri possit.

Johannes Pfefferkorn in libello contra Judæos, ad Maximil. Imperat. edito Colon. An. 1510. sequentem proponit formam Juramenti, qua Judæi a Christianis adstringi possunt, quam dicit non vulgarem, neque omnibus notam & auditam esse: *Primum* scribit, *Jubebitur totum diem jejunare, quod illis & in juramento præstando, & peragendis aliis sacris, solenne est. Cum jamjam juraturus est, proponentur ei inprimis V. Libri Mosis, & Cornu hirci, quod in Synagogis inflari solet, & buccinari ad sacra & solennitates ipsorum: Deinde particula carnis bovinæ, & piscis, elixa utraque sigillatim singulæ afferuntur; cum quatuor vitreis fictilibus vasis; uno, vino repleto; secundo melle; tertio lacte; quarto oleo: His appositis, constituatur Judæus nudo capite coram omnibus his, sic maxime, ut odor horum in nares ejus ascendat. Posthæc præcipietur, ut dextram manum imponat libris Mosis, in eo præcipue loco, ubi Decem præcepta Legis præscripta sunt, & ita præibit solennibus verbis, qui juramentum exiget, aut alius ex ejus mandato*; Ego juro per אנכי יהוה אלהיך *Anochi Adonaj Elohecho*, juro per magnum Nomen Dei Schem hammephorasch: Juro per *Jod He Vav He*, me fassurum, dicturum, nihil celaturum, de his de quibus interrogabor. Quod si ego in uno aliquo ex his (*concipiantur, & nominentur, super quibus jurandum erit*) minimo aut maximo, falsum dixero, fefellero, fraudavero, excessero, præteriero, aliter ac rogatus sum, & responderim, fecerim, aut faciam, veniant super me plagæ omnes, & maledictiones, quæ in libris Mosis, Levitico maxime & Deuteronomio, præscriptæ sunt in omnes irreligiosos, & Legis tergiversatores, perjuros, & quicquid est malorum hominum. Neque unquam ingrediar terram sanctam, promissam patribus nostris, terram manantem lacte & melle; nec fiam particeps sonitus & clangoris cornu hircini, quod nominatur *Schophar hammaschiach*; nec vescar in Paradiso cum gaudio de bove *Schor habbar*; aut de pisce *Levijathan*; nec bibam de vino illo potenti *Jajin capparisin* dicto; & Melle dulci, *Masok Kidvasch*; & de Lacte nitido, cui nomen חלב *Chalab*; & miti ac mansueto Oleo, *Schemen tobh*: nec horum omnium particeps fiam &c. (*Addunt sæpe, quod vel solum illos fortissime adstringit*; Non videam Diem illum, quo venturus est Messias noster; si non servavero firmissime, quæ promisero, juravero &c.) Addit Pfefferkorn: *Si post tale juramentum, per Judæum præstitum, comperiatur aliquid celasse, aut dissimulasse, id juris est Magistratui, & loci Rectoribus, ubi talis moratur aut deprehenditur, in eum, propter falsum juramentum, in corpus & bona ejus, quam acerrime multam imponere, eumque castigare. Et inter ipsos Judæos perjurus is execrabilis est, ei aqua & igni interdictum est, & ingressu Syna-*

nagogæ arcetur . Hoc quippe est apud eos Juramentum sanctissimum , fortissimumque vinculum , ut Deorum gentium per Stygem , cum vulgaria rideant juramenta & contemnant . Hæc ille.

Ferdinandus Hess , Judæus conversus in Speculo Judæorum , Colon. impresso, Ann. 1601. p. 164. scribit , *Judæum , juramentum præstiturum , debere insistere Pelli porcinæ , & manum dextram imponere libro Legis* . Unde ille *Pellem hanc porcinam* vel quo fundamento , desumserit , nescio , in Jure Græco Romano Tom. I. pag. 119. inter alia memoratur, *Judæum in forensi negotio adjurandum , Rubo cinctum , Culeo debere insistere* ; quod aliquo modo convenit ; sed cur *Porcina pellis* esse debeat , nondum assequor. Formulam deinde ibidem ponit , sed obscuram , neque satis bene contextam .

Imprecationes , quæ Juramento inseruntur , variæ sunt , & pro Judicis arbitrio , vel causæ momento , possunt vel aggravari & multiplicari , vel mitigari & minui ; prout id fit etiam in ipsorum anathematismis . Petuntur communiter ex Levit. cap. 26. & Deuter. 28. In veteribus formulis Romanis hæ leguntur ; *Si falso juro , exsecrandi sint posteri ventris mei , more cæci parietem palpando quæram , & instar ejus qui oculos non habet , cadam . Cum hisce omnibus Tellus aperiat os suum , mèque absorbeat , ut Dathan & Abiram* . Item ; *Si culpabilis es , & perjurus , sis dispersus inter Gentes , & moriaris in terra inimicorum tuorum , & omnes maledictiones , quæ in Lege Mosaica , & Prophetarum libris , scriptæ sunt , eæ semper tecum maneant* .

Sanhed. fol. 63. 2.

An Judæus a Christiano Juramentum exigere & acceptare debeat ? de eo scribunt in Talmud ; אסור לו לאדם שיעשה שותפות עם הנוי שמא יתחייב לו שבועה ונשבע בעבודה זרה שלו *Non inibit Judæus societatem cum Christiano , ne forte Christianus ipsi reus fiat Juramenti , & juret per Deum suum alienum* . In Sepher Chasidim legitur ; *Cum aliquando accideret , ut Christianus Judæo deberet juramentum præstare , Judæum consuluisse Rabbinum , utrum sibi liceret ea lege a Christiano juramentum accipere , ut juret per Deum Abrahami , Isaaci , & Jacobi ? Rabbinus dixit , Non licere ; nam ait , etiamsi Christianus hæc verba adhibuerit ,* דעתו על אלהותו *tamen mente intelliget Deum suum . Quod si vero eum jusseris jurare* באותו שלא נולד ולא נהרג *per eum , qui nec natus est , nec mortuus ; istud juramentum ipse nihil curabit , falso jurabit , & tu perjurii causa eris* . לכך חדל לך

fol. 50. col. 1.

Itaque ne id feceris . Hodie tamen scribunt licitum esse , juramentum ab illis exigere , ne quis jacturam rerum suarum faciat : deinde , quia Christiani hodie , maxime extra terram Israelis , non sint veri Idololatræ , neque etiam per Idola jurent . Quamvis quandoque mentionem faciant שם של ע״ז Nominis alicujus Idololatrici , tamen אין כונתם אלא לעושה שמים וארץ intentionem eorum dirigi ad Deum Creatorem cœli & terræ , אלא שמשתתפים ש״ש ודבר אחר , & in hoc duntaxat peccare , quod Nomen Dei , & alterius alicujus rei conjungant . Vide Levusch hattecheles Numer. 156. Levusch ir schulchan Numer. 176. §. 51. & Levusch ateres sahaf , Num. 147.

CAPUT XLIX.

De Ægrotis, mortuorum sepultura, & quonam illos luctu defleant.

Ægrotorum visitatio.

JUdæum ægrotantem amici , noti , & docti Rabbini studiose *invisunt* & *solantur* : Ægrotorum enim visitatio inter bona opera principem apud illos locum obtinet. Deum enim ipsum exemplo suo præivisse hic nobis, in suis Medraschim scribunt. Nam quod Genes. 18. ℣. 1. dicitur ; *Et apparuit Dominus Abrahamo in quercubus Mamre* ; intelligendum ita esse volunt , quod *Deus Abrahamum ex Circumcisione* (de qua sub finem cap. 17.) *ægrum inviserit* . Hinc itaque merito perpetuo præcepto mandatum esse, ut sicut Deus ipse visitavit ægrotum , sic & nos idem faciamus. Rationes etiam has addunt; 1. quod ægrotum visitans , simul etiam Dei opem pro ipso imploret . 2. quod suam operam ad ipsum, qua pote restituendum, & juvandum offerat.

Propinqui statim ab initio morbi eum invisunt, quibus accensentur etiam Rabbini : remotiores non nisi die tertio.

Qui inimicus est ægri, non debet eum invisere, ne videatur lætari de ejus calamitate, & quia præsentia ejus ægroto est ingrata .

Tribus primis horis matutinis non est invisendus, quia tum morbi solent esse leviores, neque tribus diei ultimis, quia tunc sunt graviores.

Visitans ægrum, dicit ad eum; המקום ירחם עליך בתוך חולי ישראל *Deus misereatur tui , & omnium ægrorum inter Israelitas* .

Si gravissime & lethaliter ægrotet , amici, & aliquando etiam doctrina conspicui

spicui Rabbini, accersuntur; & siquidem dives fuerit, de hujus vitæ facultatibus primum cum illo agitur, si vero pauper, hoc labore levantur: serio monetur, ut in fide sua constans persistat, &, an adhuc adventum Messiæ speret, inprimis interrogatur.

Non invisendi sunt, vel dysenteria, vel oculis aut dolore capitis laborantes; quia visitatio, & alloquutio his est molesta.

Invisunt etiam ægrotos Christianorum מפני דרכי שלום pacis & tranquillitatis suæ causa.

In libro precum Judæorum Italorum scribitur, Venetiis moris esse, ut spectatus aliquis Rabbinus ægrotantem accedat, Librum Legis in sinu secum adferat, & tres hos Psalmos, 20. 38. & 91. recitet; postea longiusculam subjungi precationem, in qua misericordiam Dei, cum pro omnibus afflictis & ægrotis in Israele, tum inprimis nominatim pro ægroto præsenti implorent; denique absolutionis formulam prælegi, ab omnibus execrationibus & maledictionibus, quæ ægroto & domui ejus incumbere vel imminere possent.

Peccatorum confessio.

Ad Peccatorum quoque confessionem (quam וידוי vocant) in mortis lectulo recitandam, exhortantur ægrotantem, præposita ejus necessitate & utilitate. Formula ejus communis talis est, ut communibus ipsorum Precum libellis est consignata: מודה אני לפניך ה' אלהי ואלהי אבותי אל אלהי הרוחות לכל בשר שרפותי ומיתתי בידך, יהי רצון מלפניך שתרפאני ברפואה שלימה ויעלה זכרוני ותפלתי לפניך כתפלת חזקיהו בחלותו ואם קרבה עת פקודתי למות תהי מיתתי כפרה על כל חטאיך ועונות ופשעים שחטאתי ושעויתי ושפשעתי לפניך מיום חיותי ותן חלקי בגן עדן וזכני לעולם הבא הצפון לצדיקים ותודיעני אורח חיים שובע שמחות את פניך נעימות בימינך נצח: ברוך אתה יי' שומע תפלה *Agnosco & confiteor coram te, Domine Deus mi, & Deus patrum meorum, Deus, fortis spirituum omnis carnis, prosperam meam valetudinem, ut & mortem meam in manibus tuis esse. Tu me quæso pristinæ reddito valetudini, mei memor esto, & preces meas exaudi, ut Regis Ezechiæ temporibus, quum ille quoque morbo teneretur: si vero tempus visitationis meæ advenerit, quo mihi moriendum est, sit mors mea expiatio pro omnibus peccatis, iniquitatibus, & delictis meis, sive quæ nescius, sive quæ sciens commisi, ab illo die quo primum lucem hausi. Da quæso, ut partem habeam in Paradiso & sæculo futuro, justis destinato, & notas mihi fac vias vitæ æternæ, satia me gaudio gloriosi vultus tui dextra tua in æternum. Benedictus tu Domine Deus, qui preces exaudis.*

In libro Precum, juxta consuetudinem Judæorum Italorum, alia habetur formula, Alphabetico ordine conscripta, in cujus singulis literis peculiare & præcipuum aliquod peccatum continetur, ad quæ, tanquam capita, deinde quilibet alia refert, quorum sibi conscius est: Illa ita habet: אלהי ואלהי אבותי תבוא לפניך תפלתי ואל תתעלם מתחנתי שאין אני עז פנים וקשה עורף בדבר הזה שאומר לפניך יי' אלהי ואלהי אבותי צדיק אני ולא חטאתי· אבל אני חטאתי. אשמתי· בגדתי· גזלתי דברתי דופי· העויתי. והרשעתי זדתי· חמסתי· טפלתי שקר· יעצתי רע· כזבתי· לצתי: מרדתי· נאצתי. סררתי· עויתי· פשעתי· צררתי· קשיתי עורף· רשעתי· שחתתי· תעבתי· תעיתי· תעתעתי· סרתי ממצותיך ומשפטיך הטובים ולא שוה לי· ואתה צדיק על כל הבא עלי כי אמת עשית ואני הרשעתי· מה אומר לפניך יושב מרום. ומה אספר לפניך שוכן שחקים· הלא כל הנסתרות והנגלות אתה יודע. אתה יודע רזי עולם ותעלומות סתרי כל חי· אתה חופש כל חדרי בטן ובוחן כליות ולב: אין כל דבר נעלם ממך ואין נסתר מנגד עיניך· יהי רצון מלפניך יי' אלהי ואלהי אבותי שתסלח ותמחול לי על כל עונותי ופשעי ותכפר לי על כל חטאתי: *Deus mi, & Deus Patrum meorum; veniat in conspectum tuum oratio mea, & ne abscondas te a deprecatione mea, quia nequaquam impudentis oris, vel duræ cervicis sum, in hac re quam dicturus sum, coram te! Deus mi, & Deus Patrum meorum, justus sum ego, & non peccavi coram te; Imo vero peccavi, deliqui, prævaricatus sum, rapui, diffamavi, inique egi, impie egi, superbe egi, violenter egi, consui dolos, consului malum, mentitus sum, irrisi, rebellavi, sprevi, defeci, perversus fui, prævaricator fui, angustavi, duræ cervicis fui, improbus fui, corrupte egi, abominatus sum, erravi, perverti. Recessi a præceptis tuis, & a judiciis tuis bonis, & non profuit mihi. Tu vero justus es in omnibus quæ contingunt mihi: nam veritatem facis, ego vero impie egi. Quid dicam coram te, o qui sedes in excelso? Quid enarrabo coram te, qui inhabitas cælos? Annon omnia occulta & manifesta nosti? Tu nosti secreta mundi; & abstrusissima occulta omnium viventium. Tu scrutaris penetralia ventris, & probas renes & corda. Nihil tibi est absconditum, nec quicquam oculis tuis tectum. Placeat quæso tibi, Deus mi, & Deus Patrum meorum, remittere & condonare mihi omnes prævaricationes; & omnes iniquitates meas, expia omnia peccata mea.*

Confessionis necessitatem probant ex Num.

Num. 5. *6.* & exemplo Achanis. Si quis præ infirmitate ore confessionem edere non possit, in corde suo, alio sibi præeunte, faciet.

Solatium Judæorum miserum.

Hæc ultima est illorum consolatio, nempe ut mors temporalis & naturalis omnium peccatorum ab illis admissorum sit expiatio, illisque Deus in hujus mortis gratiam peccata condonet. Facile quivis conjicere potest, quam bene placari & sedari possit conscientia tam egregia consolatione. In libro precum Judæorum Italorum prolixior exstat Confessio, quam a Viris sanctissimis se accepisse scribunt, & recitari solere ab ægroto in præsentia decem personarum ad id convocatarum.

Confessio peracta, si quid adhuc Rabbino illi secreti dicendum vel committendum habeat, dicit: peccatorum remissionem petit: omnibus suis inimicis, & quicunque eum offenderunt, ignoscit: si filios habeat, ad lectum eos advocat, & benedictionem suam illis impertitur: Si Patrem aut Matrem, benedictionem ab illis accipit: tandem Testamentum suum condit, & de bonis suis, quid fieri velit, disponit. De Testamenti factione, & Hæreditatum ratione, multa dici possent: sed illa sunt prolixiora, & alio, ad Jus Hebræorum, pertinent. Hæc tantum obiter hic notamus; apud Hebræos fas non esse, alium testamento hæredem instituere, & hæreditatem transferre ab iis, qui ex legitimis sunt hæredibus, in alios. Et qui hoc facit, de eo dicunt, עוכר שארו אכזרי *Qui turbat carnem suam, i. e. propinquum suum, crudelis est*. Imo, כל הנותן נכסיו לאחרים והניח היורשין אע״פ שאין יורשין נוהגין בו כשורה אין רוח חכמים נוחה הימנו *Qui legat facultates suas aliis, derelictis seu præteritis hæredibus legitimis, ejus actiones a Sapientibus non probantur, etsi hæredes erga ipsum non se gesserint prout decebat*, Item; מדת חסידות היא שלא יעיד אדם חסיד בצואה שמעבירין בה ירושה מן היורש אפי׳ מבן שאינו נוהג לאחיו חכם ונוהג כשורה h. e. *Pium & sanctum est, ne quis tanquam testis subscribat Testamento, in quo hæreditas transfertur a legitimo hærede; ne quidem si fiat a filio degeneri & immorigero, ad fratrem γνήσιον, sapientem, & prout decet, se gerentem*. Ratio additur in Gemara; דעמא סליק מניהו זרעא מעליא *Fortassis enim ex talibus semen laudabile potest ingredi* &c. Leguntur hæc in Talmud Bava basra cap. 8. Qui cætera de Testamentis & Hæreditatibus scire avet, adeat ex nostris Seldenum, in libro De Successionibus in Bona defuncti, juxta Leges Hebræorum.

Nominis mutatio.

Solent etiam in periculosis morbis quandoque curare, ut in Synagogis publicæ Orationes pro se fiant, eleemosynas in Scholas & pauperibus mittere: Nomen item ægroti mutare, & aliud ipsi imponere, qua de re aliquid in Præfatione Concordantiarum scripsimus. Id scribitur in libello precum Judæorum Italorum fieri, libro Legis in manus a perito Rabbino sumto, recitatis item Psalmis tribus supra nominatis, & subjuncta precatione, quam ibidem est legere, in qua inter cætera ita scribitur; *Misereatur Deus super N. N. vitæque ac valetudini pristinæ eum restituat, voceturque nomen ejus in posterum N. lætetur in nomine hoc suo, & confirmetur illud in eo, &c. Sit quæso beneplacitum tuum, o Deus, ut mutatio nominis ipsius faciat ad abolendum ab eo omnia decreta dura & mala, & ad lacerandam sententiam contra ipsum latam; si mors decreta est super N.* (nomen prius) *non tamen decreta est super N.* (Nomen posterius & novum,) *si decretum malum factum est contra N. non est factum contra N. En, hac hora est quasi vir alius, sicut creatura nova, & sicut parvulus recenter natus ad vitam bonam & longitudinem dierum, &c.*

Moribundus non solus linquendus.

Ægrotus morti vicinus, solus non relinquendus, sed semper diu noctuque aliquis lecto adstare debet, ne, si solus moriatur, nimio animi mœrore animam exhalet. Anima enim consternatur, quando ipsi e corpore migrandum. Hinc præceptum est, ut in ejus separatione aliquis morienti adsit, maxime viro pio, docto, & bene merito, juxta illud, *Non videbit foveam, si viderit sapientes, quando moriuntur*. Et hoc inter bona opera inprimis referunt.

Psal. 49. 10.

Laceratio vestium in luctu.

Ægroto ultimum singultiente, & animam exhalante, adstantes omnes, sive propinqui fuerint, sive extranei, vestes suas lacerant aliquantum; ita tamen, ut non multum damni contrahi inde possit. Laceratio debet fieri stando, exemplo Davidis, de quo legitur; *Et stetit David, & scidit vestimenta sua*: & in anteriore vestimenti parte, ubi videri potest, non a tergo: Palmæ unius circiter longitudinem laceratio æquare solet, & a sinistro latare fieri; in luctu vero parentum ad dextrum latus facienda est: In obitu mortuorum cæterorum scissuram faciunt duntaxat in superiori veste: sed in obitu Patris & Matris, in omnibus vestibus; quia lugens non amplius potest observare præceptum de honorando Patre & Matre: propter reliquos defunctos laceratio potest fieri privatim: sed ob Patrem & Matrem nonnisi palam, & coram aliis: propter alios potest fieri

ri vel manu, vel instrumento aliquo; propter Parentes nonnisi manu &c. De vestium laceratione scribitur: *Scissisque vestibus, indutus est cilicio, lugens filium suum multo tempore.*

Gen.37.34

Planctus ob mortuos.

Post etiam, dum in conspectu ipsorum est, fletu non solum, lachrymis, & ejulatibus, sed & lessu ac næniis prosequendus (הספר *Hesped* Judæi vocant,) quibus laudes & merita defuncti, sive vir sit, sive mulier, recitantur, ad luctum & mœrorem augendum. Sæpe etiam tales mercede conducuntur, qui id faciant. Hic tamen modum tenendum scribunt, & cavendum, ne in excessu peccetur, & invidia defuncto creetur, vel occasio calumniandi malevolis præbeatur. Hinc est illud Lucæ 8. 52. *Flebant autem omnes & plangebant*. Huc etiam pertinere videtur quod Actor. 9. 39. de Donade legitur, quod *viduæ flentes ostenderint tunicas & vestimenta, quæ faciebat, dum adhuc cum illis esset*. Lugetur & defletur ab illis per septem dies, exemplo Josephi, qui patrem suum per septem dies deflevit.

Gen.50.10

Mortuus quomodo componatur.

Quamprimum animam egit, mortuo oculi clauduntur & os, corpus in terra reponitur linteo involutum, ejus vultus tegitur, nec ullus amplius vultum illius aspicere audeat, (dicunt enim hoc esse קשה לשכחה h. e. *inducere oblivionem & memoriæ obesse*) candela cerea ad caput ejus ponitur, pollicem in manu incurvant, eo modo, ut hac incurvatione & manus complicatione sacrosanctum Dei Nomen שרי exprimatur: sic enim compositum mortuum ne minimo quidem digito Satan tangere audeat. Pollicem vulgo fimbriarum, a palliolo tempore precum indui solito dependentium, (ut in libri hujus principio dictum est) filo annectunt; quia alioqui incurvus non maneret. Mortui enim manus & digitos semper extendunt, quasi innuentes, se mundum hunc mittere, nihilque in eo suum amplius reputare, ut contra infantes nascentes manus contrahunt, ut significent, sibi hujus mundi bona a Deo data, ac veluti in manibus inclusa fuisse: Aqua omnis, tam in ædibus defuncti, quam in vicinia, effunditur.

Abluatur.

Aqua calida, cui addunt flores chamæmeli & rosas siccas, studiose abluitur mortuus, ut purus & mundus sit, quum peccatorum ratio reddenda erit. Ovum insuper acceptum, cum vino agitantes, permiscent, & capiti illius illinunt. Ablutio & Inunctio hæc a quibusdam fit domi, antequam efferatur; in nonnullis locis, præsertim ubi Judæorum est magna copia, in Cœmeteriis; quæ בית חיים *Bes chajim* Locum viventium vocant, tabulæ (quam מטה *Mittah* Lectum vocant) impositum in cœmeterium deferunt, in quo certam quandam ædiculam habent, in qua eum abluunt, & post ablutionem loculo includunt. Hujus ritus fit mentio Actor. 9. 37. *Factum est autem in diebus illis, ut morbo correpta moreretur: quam cum lavissent, posuerunt in cœnaculo.*

Post ablutionem obstruunt omnia corporis ejus foramina.

Induitur.

Albam deinde illi lineam tunicam induunt, & quidem vulgo eam, quam Expiationis die induere solitus erat, una cum suo *Talles*, seu palliolo precatorio. Antiquissimæ enim hoc apud ipsos est consuetudinis, לקבור בבגרים לבנים in vestimentis albis tumulo mortuos mandare. Pretiosis vero vestimentis aliis, ne quidem Principem in Israele, sepelire licet. Causa; 1. ne pudore afficiantur illi, quibus tantæ facultates non suppetunt, ut pretiosas pro mortuis vestes comparent, 2. quia id fastum & superbiam redolet, quæ hic procul abesse debet: 3. quia est מעשה גיים opus & consuetudo gentilium. Unde constitutionem fecerunt, ut omnes mortui ejusdem generis involucris sepeliantur. In Talmud tamen legitur *Rabbi Jannaj moriturus liberis mandasse; ne sepelirent eum in vestibus vel albis vel nigris*. Non albis; *ne in gebennam detrusus, veluti sponsus appareret inter lugentes*; Non nigris; *ne in Paradiso compareret velut lugens inter hospites nuptiales. Itaque rubris vestimentis indui voluit.*

Schab. fol. 114. 1.

Si quis sit, qui cum ipso, dum viveret, non fuerit reconciliatus, is, ne a mortuo coram Deo accusetur, accedit ad cadaver, & prehenso pollice alterutro pedis ipsius, delicti veniam ab eo petit.

Atque hæc omnia viri præstant viris, mulieres mulieribus.

Posteaquam sic compositus est, in pheretrum reconditur supposito mundo linteo, & alio superimposito, atque effertur, deducentibus funus & comitantibus, non solum liberis & propinquis, sed & aliis ejus loci incolis magno numero, vide Lucæ 7. V. 12. Inter præcipua enim bona opera quoque referunt hanc לויה seu deductionem funeris. Pheretro, si Rabbinus fuerit, libros aliquot imponunt.

Quum ædibus effertur, testam in illum conjiciunt, hoc pacto indicantes, omnem cum illo tristitiam domo excedere debere. Quidam ajunt, Mulieres debere præcedere pheretrum in elatione funeris, alii volunt, illas debere sequi,

Prioris consuetudinis hanc reddunt rationem, quod per Mulierem mors in mundum introjerit: Posteriores dicunt, Viros præcedere debere, propter honorem filiarum Israelis, ne eas viri videant. Et sic communiter hodie observant.

Sepeliatur

Mox, ubi ad sepulchretum pervenerunt, ajunt; *Benedictus Deus, qui vos omnes in judicio & justitia formavit, creavit, cibavit, educavit, servavit, & interfecit, vestrum omnium numerum novit, & vos suo tempore vitæ restituet. Benedictus Deus, qui & interficit, & vitæ restituit.* Propter sepulchrum pheretrum humi deponunt, sepulchrum in quibusdam locis septies circumeunt, & longam admodum precem recitant, qua Deum laudant, quod æquam de mortuo sententiam tulerit, quam etiam ob caussam ab illis צידוק הדין *Justificatio judicii* dicitur, & incipit הצור תמים פעלו Ea finita, accedunt qui sepulchro reddant & contumulent: & proximos quidem amicos primam aggerere terram oportet. Diligenter autem attendendum, ut terra omnis, quæ in effodiendo sepulchro egesta est, iterum aggeratur; alioqui enim videretur terra quasi eum respuere, & dicere; Nolo ut in me sepeliaris. Si persona dignior fuerit, Oratione ei parentant, in ejus laudem. In cœmeterio nemo alterum salutat.

Convertuntur postea, & magno cum ululatu & gemitu domum repetunt, ac inter eundum singuli ter ad terram inclinati gramen evellunt, cum adhærente ei gleba, seu cespites gramineos, dicentes, זכור כי עפר אנחנו *Recordare, quod pulvis simus:* deinde illud post tergum jactant, addentes ex Psalm. 72. 16. ויציצו מעיר כעשב הארץ *Et florebunt de civitate, sicut herba terræ*, sic testantes spem nempe Resurrectionis mortuorum, qui instar graminis denuo germinabunt & florebunt, ut & Propheta ait; *Ossa vestra quasi herba germinabunt.* Alii vero id fieri dicunt, ut sic nobis, *homines nihil aliud nisi pulverem & terram esse*, in memoriam revocemus, ut David ait. Post tergum vero, non vero ante pedes, projiciunt; quia gramen illud immundum est, utpote ab iis tactum, qui circa mortuum occupati fuerunt: Ideo nolunt illud ante se videre: vel in luctus & doloris signum, sicuti de amicis Jobi legitur; *Sciderunt que singuli pallium suum, & sparserunt pulverem seu terram super capita sua.*

Pf.103.14. Jesa.66.14 Pf.103.14. Job.2.12.

Ubi ad scholæ atrium redierunt, manus abluunt, & ajunt; *Manus nostræ non effuderunt sanguinem istum* &c. *Expia populum tuum Israelem* &c. usque ad; *in medio populi tui Israel.* Hinc in scholam pergunt, humi sedent, mox de loco in locum subsiliunt, & septies vel novies ad minimum sedem mutant, recitantque Psamum 90. In mortui gratiam Precem recitant, quæ illis קדיש appellatur, ut & dicta aliquot consolantia; ut, *Et sic decor Domini Dei nostri super nos, &c.*

Deut.21.7. 8. Psal.90.17

Mortuus statim sepeliendus. Deut. 21. 23.

Eodem die, quo quis moritur, sepeliunt, vel quamprimum fieri potest; quia scriptum est; *Non pernoctabit cadaver ejus, sed* קבור תקברנו *sepeliendo sepelies* eum; quisquis nempe is fuerit. Et quo magis quis festinat ad efferendum eum, eo melius facit. Excipiuntur tamen Pater & Mater, quorum mors majori & diuturniori lamentatione & planctu prosequenda. Quod si etiam quis per noctem asservet cadaver, ad comparandam ei arcam, involucra, vel si exspectandi sint propinqui ejus ad funus deducendum, vel alii, quia hoc fit in honorem defuncti, non est illicitum.

Sepulchrum non est pridie faciendum, & per noctem apertum relinquendum. Nam scribunt, Traditionem se habere, si id fiat, intra paucos, atque adeo 16. dies, alium ex ea familia moriturum.

Non condunt duos mortuos in uno sepulchro juxta se invicem: sed debet aliquod esse inter eos intervallum, quod eos distinguat, ut unusquisque suum peculiare habeat sepulchrum. Hoc enim cedit in honorem demortui. Sic etiam non reponunt duo feretra super se invicem; aut si fiat, vel necessario faciendum sit, sex palmorum terra inferiori est injicienda.

Sepeliendus in dorsum reponendus est, facie sursum versa, ad instar dormientis. Si contra fiat, vel stans aut sedens sepulchro indatur, id mortuo ignominiosum censetur. Feretrum etiam operculo claudendum, neque terra faciei ejus injicienda, quod & hoc contemtum vel neglectum spiret.

Sepulchreta ubi.

Sepulchreta ab urbe abesse debent ad quinquaginta cubitos, ne subinde ea homines in conspectu habeant, & mœrore ac tristitia afficiantur.

De αὐτοχείροις.

Eum, qui sibi ipsi violentam mortem consciscit scienter, volenter, (המאבד עצמו לדעת) nec lugent, nec plangunt, nec vestes propter eum lacerant, nec se discalceant, nec quicquam in ejus gratiam faciunt: quia hæc omnia fiunt in honorem mortui; Talis autem non meretur, ut quicquam in honorem ejus fiat, quia impius est. Magnum enim peccatum commisit, & magnam illud pœnam meretur, juxta illud; *Et sanguinem vestrum, animarum vestrarum, requiram.* Re-

Genes.9.5.

Recitant ſuper ipſo ברכת אבלים Precationem lugentium, in honorem viventium ſuperſtitum.

Eadem eſt ratio ejus, qui in Excommunicatione moritur: non ſolum nullo honore, ſed ludibrio inſuper afficitur, lapidem feretro ejus imponunt, ad ſignificandum, illum Lapidatione dignum fuiſſe. Huc etiam referuntur, Apoſtatæ, Athei, Epicurei, Libertini, fidem abnegantes, Præceptorum jugum excutientes, & ſuo arbitrio, ſine Deo, & ſine Lege viventes: quia ſunt Dei oſores, de quibus dicitur; *Annon odio habentes te, odio proſequor?* Imo proximi agnati veſtibus albis, epulis, conviviis, feſtum agunt, lætitiam ſuam teſtantes, quod e medio ſint ſublati, juxta illud; *Quum pereunt impii, eſt exultatio*, Proverb. 11. 10.

Lugentes proximi.

Qui principes funus deducunt, ſive filii ſint, ſive proximi agnati, domum reverſi, per *ſeptem dies* humi nudis pedibus ſedent & edunt: Nullas carnes comedunt, nullum vinum bibunt, (verum Sabbatho, vel alio quopiam die feſto, horum uſus illis in feſti honorem permittitur) per *triginta dies* lugubres & ſquallidas veſtes gerunt; nullas vel lavant, vel lotas & mundas induunt: balneis abſtinent: non tondentur, oleis vel aquis odoratis nec unguntur nec lavantur; ungues non ſubſecant, ſed excreſcere ſinunt, &c. Virum cum viris edere oportet, mulierem cum mulieribus. Septem his diebus otioſi ſunt, non laborant, neque negotiantur, & miſerandum in modum ſe gerunt: Maritus & uxor non eodem lecto dormiunt &c.

Luctum *ſeptem dierum* probant ex eo quod dicitur; *Et convertam Feſta veſtra in Luctum*. Hinc concludunt; quemadmodum Feſtum durat per ſeptem dies: ita quoque Luctus per totidem dies durare debet.

Amos 8.10

Quod *per triginta dies non tonderi* debeant, probant ex eo, quod Deus ad filios Aharonis dixit; *Capita veſtra ne nudate* (אל תפרעו) (comam ſcil. quæ פרע dicitur, quam nutrire debebant, detondendo). Quomodo vero numerum triginta dierum hic inveniunt? פרע ſeu, *Comam alere* inquiunt, præcipitur etiam Naziræo Num. 6. 5. cum interdicto, ne eam detondeat omnibus diebus voti Naziræatus ſui. Votum autem Naziræatus indefinite, eſt triginta dierum. Unde vero hoc habent? Ex eo quod ibidem V. 8. dicitur; *Omnibus diebus Naziræatus ſui* קדוש יהיה *ſanctus erit*. Hic vox יהיה per Gematriam in numeris facit 30. Ergo tot ſunt dies Naziræatus, & per conſequens & Luctus. Acumen Rabbinicum!

Levit 10.6

Quod *per triginta dies* pullis veſtibus induti eſſe debeant &c. eliciunt ex eo quod legitur; *Et miſit Joab in Tekoah, & tulit inde mulierem ſapientem, & dixit ad eam; Præ te fer luctum obſecro, atque indue te quæſo veſtibus lugubribus, nec ungas te oleo, ſiſque veluti mulier jam diebus multis lugens ſuper mortuum.*

2. Sam. 14. 2.

Hic dicitur, *Diebus multis luctum circa veſtes & unctionem durare debere*. In ſupra adducto loco, ex Levitico, Comæ adjunguntur Veſtes; *Capita veſtra ne nudetis, & veſtimenta veſtra ne ſcindatis*. Itaque concludunt hinc, utriuſque debere eſſe eandem rationem, ut non per pauciores dies pullis veſtimentis mortuus lugeatur, quam raſura & tonſione capitis.

Prima veſpera, qui luget, cibo ſuo non veſcitur, ſed amici accedunt, cibum ſuum ſecum afferentes. Cauſas hujus rei reddunt varias: *quidam* ajunt, id fieri, quod lugens, circa curam mortui occupatus, non cogitet de cibo ſibi procurando: alii dicunt, id faciendum eſſe ad conſolationem lugentium, quam ex eo capiant, quando vident, ſe aliis curæ & cordi eſſe, & ſibi condolere: alii id educunt ex eo, quod Deus, luctum Ezechieli prohibens, dixit; *Et panem hominum ne comedas*; Hic volunt per *Panem hominum* intelligi *Panem aliorum hominum*, qualem lugentes edunt, & ſic jam tum hanc conſuetudinem in Iſraele obtinuiſſe. Si mulieri luctus obveniat, illa itidem non de ſuo, vel mariti cibo, epulum primum capiet: ſed mulieres aliæ illi cibum mittent, non viri. Ova *dura* illi edenda præcipue mittuntur conſolationis ergo, ut & vinum, quemadmodum enim ova rotunda ſunt & ſphærica, ita quoque mors volubilis eſt, hodie hunc, cras illum petit. Vinum; ad eos recreandos & exhilarandos, ut luctus ſui obliviſcantur, juxta illud Salomonis, Prov. 31.

Lugentes de alieno cibo comedant.

Ezec. 24. 17

Ob ſeptem perſonas obligatur quis ad luctus ſolennitates præſtandas; Patrem, Matrem, Filium, Filiam, Fratrem, Sororem, & Uxorem.

Parentes mortuos filii per annum integrum lugent. Pullis veſtibus, in luctu non utuntur: ſed veſtes illas, quibus obitus tempore quis indutus fuit, nec ullas alias, toto luctus tempore, per integrum ſcil. annum, geſtare tenetur. In quibuſdam tamen locis vel nigris, vel violaceis veſtibus induuntur. Quotannis etiam jejunio eum diem celebrant, quo parentes ipſis erepti fuere.

Filiorum luctus ob parentum obitum.

Filium præterea oportet per ſolidos undecim menſes, ſingulis diebus, Precem illam

illam, quæ קדיש dicitur, recitare. Scribunt enim & credunt, patrem hoc pacto ex purgatorio liberari. Impii duodecim integros menses in purgatorio manent: qui paulo magis pii sunt, citius egrediuntur. Hinc scribitur in Talmud; *Prævaricatores, tam Israelitæ, quam Gentiles, corpore suo descendunt in Gehennam, & ibi per duodecim menses cruciantur; Corpus consumitur, & Anima igne in cineres redigitur, quos ventus pedibus justorum in Paradiso flatu suo subjicit, sicut dicitur apud Prophetam*; Et conculcabitis impios: quia erunt ut cinis sub plantis pedum vestrorum: *Hæretici autem, Proditores, Apostatæ, Epicuræi, &c. manebunt in ea* לדורי דורות *in sæcula sæculorum, sicut dicitur*: Quoniam vermis eorum non morietur, & ignis ipsorum non exstinguetur. Ideo undecim tantum menses pro patre quisque orat: nemo enim patrem suum pro impio vult habere. Hac autem prece patrem liberari, e Talmude docent. Author Speculi ardentis citat ex tractatu *Callah* ejusmodi fabellam: *Quum Rabbi Akibba aliquando spatiatum ivisset, obviam factus est illi vir, eo lignorum fasciculo onustus, cui ferendo neque asinus, neque equus par fuisset. Interrogavit R. Akibba, an vir esset, an vero Spectrum? virum se esse respondit, jam quidem mortuum, & sibi singulis diebus tantum onus in purgatorium deferendum esse, quo miserrime propter peccata in hoc mundo perpetrata uratur. Denuo interrogavit Rabbi, an filium nullum superstitem reliquisset? qui uxor illius, qui filius vocaretur, & in qua urbe habitarent? Quum hæc omnia rescivisset, illo se contulit, filiumque illius inventum precem* קדיש *docuit, & singulis diebus pro patre suo recitare jussit; hoc enim pacto ex purgatorio liberatum iri. Quum vero filius didicisset, & aliquandiu recitasset, vir ille Rabbino noctu in somnis apparuit, gratiasque egit, & se ex purgatorio liberatum, & in horto Eden jam esse, confessus est*. Gestum hoc postea Rabbinus ad omnes Judæorum scholas scripsit, statuens & præcipiens, ut singuli filii precem hanc pro patre suo recitarent. Ideo patres in mortis lectulo decumbentes lætantur, si filium superstitem relinquant.

Purgatorium.

Rosch hasschanah fol. 17. 1.

Malach. 3. 21.

Esa. 66. v. ult.

Neque solum Filius, sed & tota Ecclesia singulis Sabbathis pro defunctis orat, maxime pro illis, qui vel aliquid ad usum pauperum, vel Synagogæ conservationem legarunt & contulerunt, vel aliis operibus bene meruerunt: Formula hujusmodi precationis exstat in libro Precum secundum consuetudinem Judæorum Italorum, & ita habet; *Recordetur Deus in bonum animæ Rabbi N. aut Dominæ N. qui, vel quæ ivit ad vitam æternam, cum anima Abrahami, Isaaci & Jacobi: vel* (si fœmina fuerit) *Saræ, Rebeccæ, Rachelis, & Leæ, qui vivunt in horto Edenis; quia daturus est Rabbi N. vel Domina N. filius ejus, aut propinquus ejus, quantum sponte animus ejus ipsi dictaturus est, in eleemosynam, vel, pro Oleo lucernæ &c. in expiationem animæ ejus, & ut Deus ejus recordetur in bonum; largiatur ei Deus requiem, id bene ipsi sit, & anima ejus ligata sit in fasciculo viventium in vita æterna, in paradiso, sub solio gloriæ. Expergiscatur tempore vivificationis mortuorum, & canet cum reliquis dormientibus in pulvere, sicut scriptum est*; Vivent mortui tui, cadavera mea resurgent; expergiscimini, & cantate, qui habitatis in pulvere; *& τῷ N. filio ipsius, vel propinquo, vel amico & familiari ejus, det mercedem bonam, & vitam bonam, in mundo hoc, & in seculo futuro; impleat petitiones cordis ejus & cordis nostri, in bonum; germinare faciat ipsi, & nobis, salutem brevi; Sic sit voluntas ejus, Amen*: Precationem hanc vocant זכרון הנשמות *Memoriam animarum*.

Oratio pro defunctis.

Ejusmodi fabulis sapientissimi Rabbini Judaicam fidem juventutis animis inserunt, unde tam pii, solertes & industrii Judæi tandem oriuntur. Ac sane sapientiam suam & sanctitatem præ cæteris omnibus gentibus mirum quantum jactant.

Elato mortuo, lectus, in quo animam exhalavit, de novo insternitur, & ad caput lampas olei accenditur, quæ per septem continuos dies ardet, in animæ honorem, quæ illuc, ubi evolavit, revertitur, & corpus amissum deflet.

Quod aquam ex ædibus effundunt, ejus rei varias reddunt rationes: Sunt qui dicant, in Propheriſſæ Mariæ memoriam id fieri, de qua scribitur; *Mortuaque est ibi Maria & populus aqua indiguit*. Sapientissimi Talmudis suffarcinatores id fieri scribunt, quia Angelus mortis, qui hominem interfecit, cultrum suum vel gladium aqua, quæ domi est, statim abluat, ac proinde aquam illam inficiat. Scribunt enim in Talmude, *Satanam sive Angelum mortis ad caput lecti stare, cum gladio evaginato præ manibus, a quo tres fellis amari guttæ dependent: ubi primum ægrotus gladium illum conspicit, terretur, & os diducit. Tum tres illæ guttæ homini in os decidunt; prima gutta confestim moritur; altera gutta pallidus & luridus redditur; tertia denique putrescit. Quamprimum vero homo animam exhalavit, ad aquam properat Satan, & gladium suum abluit: ideo omnem aquam in pla-*

Cur aquam effundant.

Num. 20. Tract. Abhoda Zara, cap. 1.

De Angelo mortis.

plateam ejiciunt. Egregium mehercle fidei Judaicæ fundamentum! Alii ſcribunt, olim ſono cornu alicujus publicatum fuiſſe, ſi quis mortuus eſſet: quod triſtitia hujuſmodi nova nemo libenter ſoleat ore nuntiare. Hac de cauſa nunc effundi aquam, ut omnes ſciant, mortuum eſſe in illis ædibus.

Scribit præterea Antonius Margarita, in tractatu de Scenopegiis legi, *priſcos pios Rabbinos a Deo petiiſse, ne ſibi Angelus mortis tam horrenda ſpecie in mortis lectulo appareret, idque a Deo impetraſse: imo illos per ſanctum nomen, Satanam non tantum faſcinaſse & vinxiſse, ſed & illi ſiniſtrum oculum eruiſse, &c.*

Tract. Berachos, c. 3. Schab. fol. 152. Taanith. fol. 23

Et in Talmude ſcribunt, *unicuique mortuos multo afficiendos eſſe honore; ſiquidem omnia norunt quæ in hoc mundo fiunt*. Item, *animam non illico cœlum, unde orta eſt, repetere, ſed in hoc mundo per duodecim menſes errare, iterum in ſepulchrum redire, multa in purcatbarterio interim pati, & demum poſt duodecim menſes in cœlum venire, ibique quieſcere.*

In libro שבט יהודה id eſt, *Tribus Judæ*, in diſputatione inter Chriſtianum & Judæum exorta, Chriſtiano quærenti, *cur mortui omnia norint, quæ hic in terra fiunt?* reſpondetur; *Animam in cœlum non venire, donec corpus ſepultum, & in pulverem denuo redactum fuerit, ac proinde diu adhuc in terris manere, & omnia quæ hic fiunt reſcire*. Animam vero non protinus in cœlum abire, ex Salomonis Eccleſiaſte probat, ubi ſcribitur; *Revertatur pulvis* (hoc eſt corpus) *in terram ſuam unde erat, & ſpiritus* (vel anima) *redeat ad Deum qui dedit illum*. Hic, inquit Judæus, *corpus primo in pulverem redigi* dicit, deinde *ſpiritum ad Deum redire;* alioqui dixiſſet Salomo; *Spiritus redeat ad Deum, & corpus in terram &c.*

Eccleſ. 12. 7.

De Chibbus hakkever.

Elias, præſtantiſſimus ille Grammaticus, in Tisbite ſuo ſcribit, ad radicem חבט, hanc eſſe Rabbinorum ſuorum ſententiam; *quum Judæus ex hac vita exceſſit, Angelum mortis venire, & ſuper ſepulchro ejus ſedere, animam in corpus denuo intrare, illudque in pedes erigere, tum Angelum mortis catenam accipere, cujus altera pars eſt ferrea, altera ignea, qua corpus hominis duobus ictibus ferit: primo ictu diſſolvi omnia membra ejus, altero omnia oſſa ejus diſſipari, ubi vero tertium ictum addiderit, in pulverem & cinerem redigi: bonos poſtea Angelos venire, qui oſſa ſimul colligunt & ſepulchro reddunt*. Pœnam hanc חבוט הקבר *Chibbut hakkever* appellant, nec de illa tantum ſcribunt, ſed & certiſſime eam credunt, & in precum ſuarum libellis Deum orant, *ut a* חבוט הקבר *liberentur*, ut in libello Precum, quas Benedictiones appellant, inter preces, quæ Expiationis die recitantur, videre eſt.

Num. 32.

Legimus quoque in libro חסידים *Chaſſidim*, *eum qui multas eleemoſynas diſtribuit, qui diſciplinæ & continentiæ amans eſt, qui libenter & ex animo benefacit, peregrinos cibat, piaque attentione preces concipit, quamvis extra terram Canaan habitet ab ictibus & plagis ſepulchri immunem fore, & tutum a* חבוט הקבר. Hinc quoque perſpicere eſt, eos, qui in terra Canaan moriuntur, harum plagarum expertes eſſe; omnes vero reliquos, qui extra terram illam moriuntur, huic pœnæ obnoxios. Huc etiam pertinet, quod oporteat illos, qui in peregrinis regionibus moriuntur per occulta & latentia foramina, terræque cavernas tamdiu volutari, donec in terram promiſſam venerint; alioqui a mortuis reſurgere non poſſunt, uti primo hujus libri capite expoſuimus.

Finitis ſeptem diebus luctus, in publicum iterum prodeunt: quidam lampades in Schola accendunt, orationes faciunt, & eleemoſynas pauperibus promittunt pro anima defuncti. Si Rabbinus, aut alius vir inſignis moriatur, conciones & orationes funebres in illorum honorem & laudem habentur, vel etiam Carmina, quæ juſta ipſis vocantur הספד המת *Planctus mortui*. In multis locis etiam lapides ſepulchrales ſepulchris addunt cum Inſcriptione, in qua nomen ſepulti, ejus laudes, dies item, annus & menſis mortis ejus, continentur. Non ſuperimponunt autem hujuſmodi lapidem ſepulchro, ſed juxta illud erectus ſtat. Unde מצבה *Mezzeva* vocatur, *Statua, Lapis ſtans*. In Rituali Maharil f. 111. ſcribitur, inter ſepulchra Moguntina inventam eſſe jam ante 200. & amplius annos, hujuſmodi ſtatuam, cui inſcriptum fuerit, שפחה חרופה; erectam, juxta ſupputationem in ea expreſſam, mille & centum ante annis. Unde antiquitas illius Synagogæ colligitur.

Qui Sepulchra Judæorum videt, dicit; *Benedictus ſit Deus, Rex Mundi, qui judicio creavit vos, judicio vos ſuſtentavit, judicio vos morte affecit, & judicio vos reſuſcitaturus eſt: Benedictus eſto Domine, qui vivificas mortuos*. Super ſepulchra autem Chriſtianorum dicunt בושה אמכם Pudore affecta eſt mater veſtra valde, erubuit genitrix veſtra: ecce

Jerem. 50. 12.

ce noviſſima gentium erunt deſertum, terra arida, & ſolitudo. Vel *Mortui non reviviſcent, mortui non reſurgent*.

Eſa.26.14.

Officium ejus, qui a morbo convaleſcit.

Qui ex morbo aliquo convaleſcit, tenetur Deo pro beneficio ſibi præſtito benedicere, his verbis: בא׳ אמ׳ה הגומל חסרים טובים לחייבים שגמלני כל טוב *Benedictus ſit Deus, Rex Mundi, qui beneficia ſua confert etiam in reos* (indignos, inter quos & ego): *quique mihi etiam omne bonum retribuit*. Audientes eum, ſubjungunt; אשר גמלך טוב הוא יגמלך כל טוב סלה *Qui tibi nunc benefecit, idem benefaciat tibi ſemper*.

Hanc benedictionem recitare debent in cœtu decem minimum perſonarum, inter quos etiam ſint duo Rabbini, juxta illud; ובמושב זקנים יהללוהו *Et in conſeſſu ſeniorum laudabunt eum*.

Pſ.107.32.

Si quis alius eum præveniat & Deum vel hac formula laudarit, quod eum reſtituerit; vel alia, veluti; ברוך רחמנא רעלמא ריהבך לן ולא יהבך לעפרא *Benedictus ſit Deus mundi, qui te nobis reddidit; & non tradidit te pulveri*; ipſe ſubjunget *Amen*, & defunctus eſt officio ſuo.

Facienda eſt hæc benedictio, ſeu Gratiarum actio, intra triduum a ſoluto morbo, dum nimirum miraculum ſeu beneficium eſt recens.

CAPUT L.

De venturo Judeorum Meſſia.

MEſſiam Judæis promiſſum eſſe omnes conſentiunt, ideo in quotidianis precibus a Deo petunt, *ut cito & in diebus ſuis veniat*: ſed quis ille, & quando venturus ſit, dubium valde eſt apud illos & controverſum:

Meſſiam qualem Judæi fingant.

Vulgo omnes credunt, hominem vulgarem & plebejum fore, qui tamen cæteros homines multiplici virtute longe ſuperet: uxorem etiam ducturum, liberos procreaturum, qui illi in regno ſuccedant.

Quia autem Sacra Scriptura duplici modo de Meſſia loquitur; interdum nempe tanquam de vili, paupere, & abjecto, qui & moriturus ſit; interdum tanquam de magnifico, præpotente & excelſo, &c. ideo ſibi duos quoque Meſſias finxerunt; alterum, quem *Meſſiam filium Joſephi* appellant, qui pauper erit & vilis, vir tamen ſtrenuus & rei bellicæ peritiſſimus; alterum, quem *Meſſiam filium Davidis* vocant, qui verus Meſſias & rex Iſraelis erit, quique eis in terra Canaan præerit.

De illius adventu inter ſe diſſident atque diſcordant.

De tempore adventus Meſſiæ Tractatu Sanhed. c. 12.

Priſci Judæi, ante Chriſti nativitatem, non procul a termino aberrarunt, quum Elias dixit; *Mundum ſex mille annos duraturum, nempe per duos mille annos mundum fore* תהו *inanem & vacuum*, hoc eſt, abſque Lege divina, *per duos mille annos* תורה *ſub Lege, reliquos vero duos mille fore* ימי משיח *dies Meſſiæ*. Sperabant itaque, poſt quatuor mille annos a mundi creatione Meſſiam venturum, nec ſane procul a ſcopo aberant. Nam; juxta vulgatam Chriſtianorum ſupputationem, Chriſtus rectus & verus Meſſias Anno 3963. vel ex Judæorum ſupputatione 3761. (ducentis enim & duobus annis a nobis diſtant) natus eſt. Verum quia non inſtar alicujus magnatis, vel præpotentiſſimi regis, ut Davidis, vel Salomonis, advenit Chriſtus, nec ex alienigenæ Herodis tyrannide, & Romanorum poteſtate eos liberavit; nec etiam ferreo ſceptro omnes illorum inimicos confregit & imminuit, ſed ſpirituali oris ſceptro regimen ſuum in illos orſus eſt; ideo pro vero Meſſia admittere illum noluerunt, etſi a quibuſdam agnitus & admiſſus fuerit, atque illo ipſo quoque tempore viri juſti & pii illum expectaverint, ut de Simeone dicitur; *quod conſolationem Iſraelis*, hoc eſt, Chriſtum, *expectaverit*, ut ſenior Prophetiſſa Anna *multa loquebatur de eo omnibus qui expectabant redemtionem Jeruſalem*. Et hoc eſt, quod Apoſtolus Paulus ait, *ſecundum electionem gratuitam quorundam, qui Chriſtum verum Meſſiam & ſervatorem admiſerunt, reſervationem factam eſſe*.

Cur Chriſtum pro Meſſia noluerint agnoſcere.

Luc.2.25.

verſ. 38.

Rom.11.5.

Tamen quia omnem regiam poteſtatem, verum ſacerdotalem honorem & dignitatem amiſerant, Urbs Jeruſalem deſtructa fuerat, & templum incenſum, tempora Meſſiæ præteriiſſe crediderunt. Ideo anno ſecundo & quinquageſimo a templi deſolatione, ſuperbus quidam & arrogans Judæus ſe pro vero Meſſia obtruſit, & ſibi hanc Bileam prophetiam attribuit; *Orietur ſtella ex Jacob, & conſurget virga de Iſrael, & percutiet duces Moab, vaſtabitque omnes filios Seth, Et erit Idumæa poſſeſſio ejus: hæreditas Seir cedet inimicis ſuis* (Hæc tum temporis de ineunte Chriſtianorum regno accipiebant, & etiamnum hodie venturum Meſſiam exſequuturum credunt) *Iſrael vero fortiter aget*. Gratiſſimus & acceptiſſimus hic illis fuit nuntius, quum audirent, ſe Romanis, qui paulo antea urbem & templum perdiderant: dominaturos & imperatu-

Barcochabh.

Num.24.17.

ratu-

raturos. Se autem impoſtor ille juxta hanc prophetiam בר כוכב Bar cochabh *Stellam exorientem* appellabat. Aderat illi primum præſtantiſſimus & doctiſſimus Rabbi Akibha, qui diſcipulorum viginti quatuor millia habuit, & de illo publice proclamabat הינו מלכא משיחא *En ipſum regem Meſſiam!* Magnum hoc pacto & numeroſum contraxit populum, ſedemque regiam Bitheræ habuit. Sed quum paulo poſt Imperator Adrianus Meſſiam hunc per ſeſquitriennium obſediſſet, urbem expugnaſſet, Meſſiam captum mortis ſupplicio affeciſſet, & ſimul cum hac Stella quadragies centum millia Judæorum jugulaſſet & miſere trucidaſſet, experti ſunt reliqui, ſe ab hac Stella ſeductos fuiſſe, & ab illo tempore in hunc uſque diem falſum illum Meſſiam בר כוזב *Bar coſabb* vel כוזיבה *Coſiba* hoc eſt, Mendacem, & falſum Meſſiam appellarunt. Multi præterea alii diverſis temporibus ſe pro Meſſia venditarunt, ut in libro שבט יהודה videre eſt, idque quia Meſſiæ tempora præteriiſſe, conſcientia convincebantur.

Quum autem Chriſtum verum Meſſiam ſpreviſſent & repudiaſſent, nulluſque alius oriretur, illam Eliæ traditionem, cujus modo meminimus, nempe poſt quatuor mille annos Meſſiam venturum, adulterarunt, & adjecerunt, *propter peccata ſua tempus protractum eſſe, nec Meſſiam adhuc advenisse*. Sed poſtquam nullus omnino advenit Meſſias, nec ullum amplius adventus illius terminum aſſequi potuerunt, diris & execrationibus devoverunt illos, qui tempora adventus Meſſiæ ſupputarent, & terminum ejus inquirerent, & dixerunt, תפח רוחן של מחשבי קצין *Rumpatur ſpiritus eorum qui tempora*, adventus nempe Meſſiæ, *ſupputant*. Nihilominus tamen multi, diris iſtis ſuſque deque habitis, juxta Prophetarum prædictiones, animi conſcientia impulſi, tempora adventus Meſſiæ præteriiſſe agnoverunt, ideoque ſcripſerunt, *Revera quidem natum eſſe, ſed propter ſua peccata & vitam impœnitentem nondum revelatum*, idque a maxima parte etiamnum hodie creditur. Hinc ſcribit R. Schelomo Jarchi, *majores exiſtimaſſe, Meſſiam eo die natum, quo Hieroſolyma ultimum deſolata eſt*. Ubinam vero tamdiu lateat, incertum eſt. Sunt qui arbitrentur, jacere in paradiſo, mulieris capillo alligatum, & huc Salomonis verba in Cantico Canticorum detorquent: *Caput tuum ſuper te ut Carmelus, & coma capitis tui eſt tanquam purpura, qua rex alligatus eſt in ambulacris. Rex*, nempe Meſſias, *in ambulacris*, nempe in paradiſo; Hanc veterum Rabbinorum expoſitionem hoc quoque loco reſpicit R. Schelomo. In Talmude dicitur *ſedere ad portam urbis Romæ inter ægrotos & leproſos*, ex illo ſc. Eſajæ loco cap. 53. ubi *deſpectiſſimus & noviſſimus virorum*, imo *vir dolorum & infirmitatum* appellatur. Alii alia mendacia, aliaſque fabulas comminiſcuntur.

Sanhedrin cap. 11. p. 97.

vel עצמן id eſt, corpus eorum.

Cant. 7. 5.

Sanhed. c. 11. p. 98.

Jeſ. 53. 3.

Verum utut ſit, venturum adhuc credunt. Sed adventum ejus decem portenta antecedent, quibus ad adventum ejus animadvertendum ſinguli monebuntur & excitabuntur. Non enim tam vilis erit & occultus illius adventus, atque quum Chriſtus advenit. Ego vero decem hæc prodigioſa ſigna enumerabo, prout in libello, qui אבקת רוכל *Pulvis aromatarius* dicitur, ſcripta leguntur.

Signa adventum Meſſiæ antecedentia

Primum ſignum erit, *quod Deus excitaturus & producturus eſt tres reges apoſtatas & a fide ſua deficientes, in hominum tamen conſpectu veri Dei cultum, quamvis animus longe alius ipſis ſit futurus, præ ſe ferentes, Omnes enim homines ſeducent, illiſque imponent, ut a Deo & fide ſua deficiant, ita ut multi quoque peccatores inter Iſraelitas liberationi ſuæ & redemtioni ſint deſperaturi, Deum abnegaturi, & timorem illius derelicturi. De illis dicitur;* Defecit veritas; *quid eſt,* Defecit? *Quicunque veritatem amant, catervatim aufugient, & in latibulis & ſpeluncis ſeſe abſcondent; fortes vero & tyranni illos omnes perſequentur & interficient. Tum nullus erit rex in Iſrael, uti ſcribitur;* Dies multos ſedebunt filii Iſrael ſine rege, & ſine principe, & ſine ſacrificio, & ſine altari, &c. *Nullus erit Academiæ rector, nullus princeps ſynagogæ; nulli fidi paſtores, qui populum lege Dei paſcant, nulli miſericordes & ſancti, nulli clari & præſtantes viri amplius erunt; Cœli claudentur, nullus cibus, nullum alimentum inter homines reperietur. Tres illi reges plurima dura, iniqua & tyrannica facient decreta (Dei tamen permiſſione & ordinatione novem tantum menſes regnabunt) adeo ut homines imminuantur & deficiant, &, quam Deum abnegare, mori præoptent, decuplum illis tributum imperabunt, qui octo antea pendebat, octoginta in poſterum pendet, qui decem, centum, cui non erit in ære luet in corpore, &c. & graviora in dies onera populo Iſraelis imponentur. Accedent etiam ab extremis terræ partibus nigri & doformes homines, quos qui intuebitur, præ terrore & metu morietur. Singuli enim* duo

Jeſ. 59. 15.

Hoſ. 3. 4.

duo capita, & septem oculos flammeos & igneos habebunt, tantæque pernicitatis & velocitatis erunt, ut cervos ipsos cursu æquent. Tum Israel clamabit; Væ, væ nobis! pueruli vero terrebuntur, & ipsi exclamabunt; Ah væ, Ah væ! quid nobis faciendum est mi pater? pater vero respondebit; Redemtio Israelis prope instat.

Alterum hoc est signum; *Deus maximum a sole in orbem calorem immittet, unde multi causi, febres ardentes, pestilentes, aliique morbi orientur, ex quibus mille hominum millia, tum inter ethnicos & mundi hujus nationes, tum inter impios Israelitas quotidie morientur, ita ut tandem Ethnici in fletus & amaros ejulatus prorumpant & dicant, Eheu! quo nos miseros vertemus, ubinam nos abscondemus? Properabunt itaque, & tumulum sibi ipsis struent, ibique mortem votis suis accersent; præ horrenda siti & doloribus, in omnibus terræ foraminibus & cavernis se se occultabunt. Justis vero & piis inter Israel calor ille medicinæ erit, uti scribitur;* Et orietur vobis timentibus nomen meum, sol justitiæ, & sanitas in pennis ejus. Idem hoc prædixerat quoque impius Bileamus; *Heu quis victurus est quando ista faciet Deus?*

Mal.4.2.

Num.24.23.

Tertio, *sanguineum rorem stillabit Deus in terram, qui Christianis & nationibus mundi gratissimus ros esse videbitur; de illo itaque bibent, & omnes morientur; Impii quoque inter Israel, qui redemtionem desperant, de illo bibent, & morientur. Piis vero & justis Judæis, qui in vera in Deum fide perstiterint, non nocebit, uti scribitur;* Qui sapientes fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti, & qui ad justitiam erudiunt multos, quasi stellæ, &c. *Et per triduum totus orbis sanguine scatebit, uti scribitur;* Et dabo prodigia in cœlo & in terra, & sanguinem, & ignem, & vaporem fumi.

Dan. 12.3.

Joel.2.30.

Quarto, *Deus salubrem rorem iterum demittet, de quo bibant mediocriter pii, qui ex prioris roris potu morbum contraxerant, & sanabuntur, uti scribitur;* Ero quasi ros Israeli, germinabit sicut lilium, &c.

Hos.14.6.

Quinto, *Deus solem in tenebras per triginta dies convertet, uti scribitur;* Sol convertetur in tenebras, & luna in sanguinem, antequam veniat dies Domini magnus & horribilis; *Post triginta dies pristinum illis splendorem restituet, uti scribitur;* Et congregabuntur instar vinctorum in carcere, & claudentur in ergastulo, deinde post multos dies visitabuntur. *Propterea terrebuntur Christiani, & pudebit eos, agnoscentque hæc propter populum Israelis fieri, & multi ad Judaicam fidem convertentur, uti scribitur;* Qui custodiunt vanitates frustra, misericordiam suam derelinquent.

Joel.2. 31.

Jesa.24.22.

Jonæ.2.8.

Sexto, *Deus impio imperio Idumæo* (Romano) *totius orbis regimen concedet; quidam vero inter cœteros Romæ exorietur, qui per novem menses universo terrarum orbi dominabitur, & magnas regiones destruet, cujus furor in populum Israel exardebit, & gravissima illis tributa irrogabit, ærumnisque & miseriis multis illos premet. Eo tempore Israelitæ valde imminuentur, delebuntur, & omni auxilio orbabuntur. Tempus illud prædixit Jesajas, quum dixit;* Vidit quod non esset vir, & admiratus est, quod nemo esset qui opem afferret. *Novem illis mensibus elapsis, Dominus Messiam filium Josephi,* hoc est, tribu Josephi oriundum, *cui Nehemiæ filio Husielis nomen erit, mittet, qui cum tribu Ephraim, Manasse, Benjamin, & Gaditarum parte adveniet. Quamprimum hoc Israelitæ audient & percipient, ad illum ex omnibus urbibus & regionibus confluent & congregabuntur, uti scribitur;* Convertimini filii rebelles, inquit Dominus, quia ego mariti jus in vos habeo, & assumam vos unum de civitate, & duos de cognatione, & introducam vos in Sion. *Tum Messias filius Josephi regem Idumæum* (hoc est, Imperatorem Romanorum) *aspero bello persequetur, illum superabit, magnamque hostium stragem edet, ipsum denique Idumæorum regem jugulabit, Imperium Romanum* (מדינת רומי) *destruet & desolabit, & sacra quædam vasa, quæ tanquam thesaurus in Imperatoris Æliani ædibus reservantur, Hierosolymam referret. Rex Ægypti pacem quoque cum Israelitis faciet, & omnes illos interficiet, qui circum Hierosolymam, Damascum & Askalonem habitabunt, cujus rei fama & rumor totum orbem pervadet, magnoque & horrendo pavore omnes homines consternabit.*

Jesa.59.16.

Jerem.3.14

Septimo, *dicunt lapidem marmoreum Romæ esse, qui formosæ virginis speciem referat, qui non humana dextra, sed divina virtute in illam formam cæsus sit, ad illum convenient sceleratissimi ex omnibus nationibus nebulones, amore illius ardebunt, & nefandis illum prement concubitibus. Ideo Deus creaturam & infantis speciem in lapide illo formabit, & tandem, lapide diviso, infantem educet, qui Armillus* הרשע *impius vocabitur; ille ipse nimirum, quem* אומות *Gentes vel Christiani Antichristum appellant: longitudi-*

Vide de hoc Armillo Lexicon Chald. & Talmud. in voce ארמילוס

ne & latitudine duodecim cubitos æquabit, inter utrumque oculum spithamæ interstitium erit, oculis profundis & rubris, capillo aureo, soleis viridibus, & duobus capitibus conspicuus erit. Ille impium Romanorum regem accedet, & se Messiam, illorumque Deum esse, profitebitur: Confestim Romani in illum credent, & regem sibi assument, omnesque Idumæi illum amabunt, illique adhærebunt. Ille totam regionem in potestatem suam rediget, & Idumæis (hoc est, Christianis) *dicet; Huc mihi legem, quam vobis dedi, afferte; Illi cum precum suarum libello afferent; ille vero tanquam rem cognitam accipiet, hanc ipsissimam legem suam esse dicet, & ut in se credant, hortabitur. Deinde ad Nehemiam quoque filium Husielis & totum Israelem, Hierosolymam legabit, & sibi Judæorum legem afferri seque Deum esse, ex illa probari jubebit: illi autem magno corripientur metu, summaque illos incedet admiratio. Tum Nehemias cum triginta millibus præstantissimis bellatoribus, e tribu Ephraim, Armillo cum libro legis obviam prodibit, & hæc verba coram illo leget;* Ego sum Dominus Deus tuus, non habebis Deos alienos coram me; *Respondebit Armillus; hæc in lege non exstare, ac proinde veniant, & se Deum esse confiteantur, & in Deum admittant, uti cæteræ gentes admiserunt. Nehemias filius Usielis servis suis illico præcipiet, ut illum capiant & vinciant, & cum triginta suis millibus in prælium prodibit, & ducenta hominum millia ex Armilli copiis cædet. Ira & furore capietur Armillus, omnemque suum populum in profundam vallem congregabit, & cum Israele iterum pugnabit, multosque illorum occidet. Ibi quoque optimus Messias filius Joseph in prælio cadet, verum sancti Angeli illum efferent, recondent, & cum cæteris Patriarchis conservabunt, Israelitæ vero majorem in modum perterrefient, & cor illorum instar aquæ effluet: sed Armillus Messiam filium Josephi mortuum esse non resciet; alioqui omnia internecioni daret. Tunc temporis orbis universi nationes Israelitas terris suis ejicient, nec diutius secum habitare permittent, & tantis ærumnis & angustiis urgebuntur Judæi, ut ab ipsius mundi principio tam graves nunquam experti sint; Tum accedet Angelus Michael, & impios ab Israele separabit, uti scribitur;* In tempore illo consurget Michael princeps magnus, qui stat pro filiis populi tui, & veniet tempus, quale non fuit, &c. *Residui in desertum fugient, & ibi a Deo probabuntur, & instar argenti & auri defæcabuntur, uti scribitur;* Et eligam de vobis transgressores & impios. *Item:* Eligentur & dealbabuntur, & quasi ignis probabuntur multi, &c. *Et omnes Israelitæ in deserto residui puri & sancti erunt, ibique per quadraginta quinque dies morabuntur, & herbas tantum, folia & gramen comedent, implebiturque in illis, quod Propheta Hoseas dicit:* Ecce ego lactabo eam, & ducam in solitudinem, & loquar ad cor ejus: *Verum unde probatur, illis per quinque & quadraginta dies esse in deserto manendum? Ex hisce Danielis verbis;* Et a tempore quum ablatum fuerit juge sacrificium, & posita fuerit abominatio in desolationem, dies mille ducenti nonaginta. Beatus qui exspectat, & pervenit usque ad dies mille trecentos triginta quinque (*nempe si ad* 1290. *addideris* 45. *exsurgent* 1335.) *Illo tempore peribunt & occident omnes impii Israelis, qui digni non sunt qui redemtionem videant. Tandem quoque impius Armillus Ægyptum expugnabit, uti scribitur;* Et terra Ægypti non effugiet. *Inde Hierosolymam contendet, & illam denuo solo æquare conabitur, juxta id quod dicitur;* Et figet tabernaculum suum inter duo maria, super montem inclytum & sanctum, & veniet usque ad summitatem ejus, & nemo auxiliabitur ei.

(Marginal notes: Ez. h. 20. Dan. 12. 10; Hos. 2. 14.; Dan. 12.; Dan. 11. 42.; Ibid. 45.)

Octavo, *Surget magnus ille Angelus Michael, & ingens cornu ter inflabit, uti scribitur;* In die illa clangetur tuba magna, & venient qui perditi fuerant de terra, &c. *Item;* Dominus Deus in tuba canet, & vadet in turbine Austri. *Quum prima vice medium & æqualem sonum tubæ dabit, verus Messias filius David, & Propheta Elias apparebunt, & se piis Judæis, qui in deserta Judæ fugerant, manifestos facient: tum animos colligent, manus illorum corroborabuntur, crura infirma & debilia firmabuntur. Omnes quoque Judæi per totum orbem vocem tubæ exaudient, & Deum populum suum misericorditer visitare, & perfectam redemtionem instare & imminere agnoscent: illi etiam congregabuntur, qui in Assyriam captivi abducti sunt. Christianis vero, & aliis gentibus, clangor ille magnum injiciet terrorem, magnis & gravissimis morbis corripientur. Interea Judæi ad iter Hierosolymitanum se accingent, Messias etiam filius David, & Elias Propheta, cum piis Judæis qui in deserta Judæ fugerant, cæterique omnes Israelitæ, qui ad illum congregati fuerint, magna cum lætitia Hierosolymam venient. Statim ut hæc audiet impius Armillus, dicet; Quousque vilissima hæc & abjectissima gens recalcitrabit? In-*

(Marginal notes: Ies. 27. 13.; Zach. 9. 14)

Ingentes itaque Christianorum copias & exercitus conscribet, & Hierosolymam ad novum regem debellandum in expeditionem educet. Verum Deus illos non amplius de angustiis in angustias deducet, sed Messiæ dicet; Sede a dextris meis; & populo Israel; Tranquilli & quieti estote, præsentissimumque & valentissimum auxilium, quod vobis hodie Deus ostendet, diligenter considerate, Tum ignem & sulphur Deus e cœlis pluet, uti scribitur; Et judicabo eum peste & sanguine, & imbre vehementi, & lapidibus immensis; ignem & sulphur pluam super eum, & super exercitum ejus, & super populos multos qui sunt cum eo. *Impius ille Armillus cum toto exercitu suo ibi morietur, & impii Idumæi* (h. e. Christiani) *qui Dei nostri domum perdiderunt, & nos ex patria nostra in captivitatem abduxerunt, misere peribunt, illosque Judæi ulciscentur, uti scribitur;* Et erit domus Jacob ignis, & domus Joseph flamma, & domus Esau (h. e. Christianum imperium; nos enim Esaui filios & Idumæos appellant) stipula, & succendentur in eis, & devorabunt eos; & non erunt reliquiæ domus Esau (Christianorum) quia Dominus loquutus est.

Ezech. 38. 22.

Abdiæ 18.

Nono, *quum Archangelus Michael summo & producto suo iterum clanget, omnia sepulchra Hierosolymis aperientur, & Deus omnes mortuos vitæ restituet; Messias quoque filius David, & Elias Propheta, pium Messiam filium Josephi, qui sub porta asservabatur, e mortuis suscitabunt. Interea totus populus Israel, Messiam filium Davidis ad reliquos Judæos, qui passim adhuc inter Christianos & alias gentes dispersi manebunt, ablegabit, ut Hierosolymam quoque veniant: hic omnes gentium reges sine mora Judæos, qui inter illos adhuc morabuntur, humeris suis & rhedis impositos Hierosolymam deducent.*

Scilicet is superis labor est, ea cura quietos Sollicitat!

Decimo, *quum Angelus Michael tertium clanget, educet Deus illos qui super fluvio Gosan, Lachlah & Chabor, nec non in urbibus Judæ habitabunt, & sine numero cum filiis Mosis in paradisum venient, terraque a fronte eorum & a tergo tota erit ignea & flammea, nec quicquam Christianis, reliquisque gentibus, quo sustentare se & vivere possint, relinquetur. Quum vero decem Israelitarum tribus educentur, columna nubis præsentiæ gloriosæ majestatis Domini circumdabit eos, & Deus ipse agmen illorum præcedet, uti scribitur;* Ascendet pandens iter ante eos: divident & transibunt portam, & egredientur per eam, & transibit rex eorum coram eis, & Dominus in capite eorum. *Deus quoque fontem aperiet illis, qui ex arbore vitæ scaturiet, illosque in via potabit, ita ut nullam unquam sitim patiantur, uti scribitur;* Aperiam in supremis collibus flumina, & in medio camporum fontes: ponam desertum in stagna aquarum, & terram inviam in rivos aquarum. *Item;* Non esurient, neque sitient, & non percutiet eos æstus & sol, &c.

Mich. 2. 13

Jesa. 41. 18.

Jesa. 49. 10.

Adversus hæc decem adventum Messiæ portendentia signa, in quibus magnæ illis ut plurimum ærumnæ & angustiæ erunt subeundæ, decem habent consolationes:

Prima consolatio in eo consistit, *quod Messias certo adhuc venturus sit, uti scribitur;* Ecce rex tuus ad te venit, &c.

Zach. 9. 9.

Altera, *quod per totum orbem dispersos in unum collecturus & congregaturus sit, uti scribitur;* Ecce ego adducam eos de terra Aquilonis, & congregabo eos ab extremis terræ, inter quos erunt cæcus, & claudus, & prægnans, & pariens simul, cœtus magnus revertentium huc. *Unde discere est, si quis claudus vel cæcus mortuus fuerit, illum a Messia cæcum & claudum vitæ restituendum; alter quoque alterum probe agnoscet. Sed postea a Deo sanabuntur, adeo ut claudi instar cervorum saltent, uti scribitur;* Tunc saliet sicut cervus claudus, & aperta erit lingua mutorum.

Jerem. 31. 8.

Jes. 35. 6.

Tertia, *quod Deus mortuos suscitabit, uti scribitur.* Et multi de his, qui dormiunt in pulvere terræ, evigilabunt.

Dan. 12. 2.

Quarta, *quod Deus sanctum templum instauraturus sit ea forma, quam Propheta Ezechiel vidit.*

Quinta, *quod populus Israel tunc universo orbi ab extremitate una ad alteram dominabitur, uti scribitur:* Gens & regnum quod non servierit tibi, peribit, & gentes solitudine vastabuntur. *Præterea totus Mundus ad Deum convertetur, jurique illius & legi subjicietur, uti scribitur;* Tunc reddam populis labium electum, ut invocent omnes nomen Domini, & serviant ei humero uno.

Jes. 60. 12.

Soph. 3. 9.

Sexta; *quod Deus illo tempore perdet & delebit omnes populi sui inimicos* (Christianos) *& in illos severe ac vehementer vindicabit, uti scribitur;* Iterum Idu-

Ezech. 25. 14.

Idumæos ulciscar per populum meum Israel, &c.

Septima, *quod Deus omnes morbos & plagas ab Israele tollet; uti scribitur;* Nec dicet incola, infirmus sum: a populo enim qui habitat in ea, auferetur iniquitas. (Jes. 33. 24.)

Octava, *quod Deus populo Israel annos & vitam prorogabit, & tamdiu vivent, quamdiu quercus vel alia arbor id genus subsistit, uti scribitur;* Secundum dies ligni erunt dies populi mei. *Item;* Non erit ibi amplius infans dierum, & senex qui non impleat dies suos, quoniam puer centum annorum morietur (hoc est, quum quis centum annos natus morietur, *In pueritia vel puer mortuus* dicetur: tamdiu enim vivent, quamdiu ab Adamo ad Noachum primi homines vixerunt nempe per aliquot sæcula, ut Aben Esra in hunc locum scribit.) (Jes. 65. 22. vers. 20.) (Vide Pesachim in Talmud c. 6. pag. 68.)

Nona, *quod se Deus ita Israelitis revelabit, ut illum de facie ad faciem videre possint, ut scribitur;* Et revelabitur gloria Domini, & videbit omnis caro pariter, quod os Domini loquutum est; *Imo, omnes in populo Israel Prophetas reddet, uti dicitur;* Et erit posthæc, effundam de spiritu meo super omnem carnem, & prophetabunt filii vestri, & filiæ vestræ. &c. (Jesa. 40. 5.) (Joel. 2. 28.)

Decima, *quod Deus innatas cupiditates, libidines, & mali irritamenta ab illis tollet, uti scribitur;* Et dabo vobis cor novum, & spiritum novum ponam in medio vestri, & auferam cor lapideum de carne vestra, & dabo vobis cor carneum, &c. *Hactenus ex libello* אבקת רוכל *Pulveris aromatarii.* In quibus etiamsi summa & argumentum illorum habeatur, quæ de Messia credunt, & quomodo ab illo in terram suam reducendi sint; non utile tamen fore credo, si paulo fusius descripsero, quibus solemnitatibus a Messia in terra Canaan excipiendi sint, & quis sit faustus, felix, & prosper illæ fortunæ status, quo sub illo utentur. (Ezech. 36. 26.) (Quomodo Judæi a Messia in terram Canaan sint ducendi.)

Ubi ergo Messias omnes Judæos, ex omnibus nationibus, & mundi partibus congregaverit, & in terram illam melle & lacte fluentem deduxerit, *Regium* celebrabit [1] *Convivium*, cum magno apparatu & lætitia, omnesque Judæos vocabit & comiter accipiet. In eo Judæorum quisque, אפתורא דדהבא *ad mensam auream*, accumbet, uti prolixe docetur in Talmud, Tractatu de Jejunio. Ibi omnium, quæ Deus unquam creavit, maxima animalia, jumenta nempe, alites & pisces mactabuntur, generosissimum & præstantissimum vinum bibetur, quod in paradiso crevit, ibidemque adhuc in Adami cella vinaria reservatur. (Convivium Messiæ.) (fol. 25. col. 1. Pesach. f. 119. Basra 75.)

Primo, ille שור הבר *Schor habbar* ingens, *Taurus*, horrendæ & magnitudinis, & roboris, in medium prodibit, cujus in libro Job fit mentio, & בהמות *Behemos* appellatur. Hic ille ipse est Taurus, ut ajunt Rabbini, de quo in Psalmis legitur; *Mea est omnis bestia sylvæ, & Behemos in montibus mille*, hoc est, qui quotidie montes mille depascitur. Verum jure quærat aliquis, quo tandem Taurus hic devenerit? nam jam pridem omnes totius orbis montes depastos oportuit. En Rhodus, en saltus! Ac sane hic Thomas, qui omnia bene dixit, hic Scoti subtilitas in luto hæreret: sed Magistris nostris nihil est invium, nodum hunc Gordium egregie solvunt; Immobilis stat, nec loco suo recedit, ut Taurus qui saginatur; quod vero interdiu depascitur, noctu in pridianam magnitudinem iterum excrescit. Unde vero potus illi suppetit pro tanta cibi copia digerenda? *S. Jochanan dicit; Quicquid aquarum Jordanis intra semestre congregat; uno haustu ingurgitat, juxta id quod dicitur;* En rapit fluvium, & non festinat, confidit, quod educet Jordanem in os suum *R. Simeon autem ben Jochaj dixit; Fluvius egreditur ex Edene*, cui (Bos immensæ magnitudinis Job. 40. 10.) (Psal. 50. 10.) (Rabh. Schel. Jarchi & Kabhvenaki hic.) (Vajikra rab. sect. 22.) (Job. 40. 18.)

[1] *Convivium &c. Ab his deliramentis cordatiores Judæi quam longissime absunt. Maimonides Melach.* XI. 2. Ne adscendat in cor tuum, quod in diebus Messiæ res quædam ab ordine mundi sit defectura, aut futura quædam innovatio in creaturis; Sed potius mundus ex ordine consueto labetur &c. *Et paulo post.* Non desiderarunt Sapientes, & Prophetæ dies Messiæ, nec dominentur toti orbi, nec ut imperent gentibus, nec ut negotientur cum istis populis, nec ut edant, & bibant, & gaudeant, sed ut sint exercitati in Lege, & sapientia illius. Et *Cap.* IX. 4. *de Pœnitentia.* In istis enim diebus scientia, sapientia, & veritas efflorescent; sicut dicitur Esa. XI. 9. *Quia repleta est terra scientia Domini.* Jerem. XXXI. 34. *Et non docebit ultra vir proximum suum, & vir fratrem suum.* Et Ezech. XI. 19. *Et auferam cor lapideum de carne eorum:* Quoniam ille est Rex, qui a semine David originem ducet, sapientia Salomoni præstabit, & erit Propheta Mosi magistro nostro æqualis (*Abarbanel ad Esa.* XI. *asserit* Messiam fore majorem Abrahamo, Mose, Davide, atque ipsis Angelis ministerii) ideoque omnem populum docebit, eosque in viis Dei erudiet, & omnes populi ad eum audiendum venient, sicut dicitur Mica IV. 1. *Et erit in novissimo dierum erit mons domus Domini præparatus in vertice montium, & sublimis super colles, & fluent ad eum populi. Hæc eadem habet Abarbanel* ad Esa. II. 1. *fol.* 28. *col.* 1. *& ad cap.* XLII. *fol.* 64. *col.* 3. 4. *fol.* 88. *col.* 3. Et ad Joel. II. *fol.* 242. *col.* 1. ubi *sperat* effusionem Sp. S. in omnem carnem, i. e. in omnes filios hominum & ex quacunque natione, & *Esa.* LXVI. 23. *Psal.* CXLV. 21. *Zephan* III. 9.

cui nomen est יובל Juval , *& ex eo bibit* , sicut scriptum est , ועל יובל ישלח שרשיו *Et super Jubal mittet radices suas.*

Jerem. 17. 8.

Secundo , huic convivio inferetur magnus ille *Cetus Leviathan* (seu , ut Judæi Germani proferunt , *Lissjasan*) de quo etiam in libro Jobi , & alibi in Scriptura agitur.

Leviathan

Tertio , Leviathanis hujus fœmella , compar , occisa , & salita apponetur : similiter & Vacca , cum Tauro illo creata . Huc volunt respexisse *Jobum* , quando dixit ; יכרו עליו חברים *Cœnabunt de eo* (Leviathane) *socii*.

Job 40. 25.

De hisce animantibus sapientissimorum Rabbinorum traditio Talmudica legitur in hæc verba : *Quicquid Deus creavit , marem & fœminam creavit , ac proinde omni dubio procul Cetum Leviathanem ita quoque creavit , sed ne mas fœminam saliret , genusque suum propagaret , & propter cetorum illorum immensam & inauditam magnitudinem totus orbis desolaretur , Deus marem eviravit , fœminam vero mactatam salivit , justisque & piis Judæis in futurum sæculum , hoc est , in dies Messiæ , reservavit , uti scribitur ;* Cetum qui in mari est occidit . *Pariter quoque ingentem bovem* בהמות , *qui montes mille depascitur , marem & fœminam creavit ; sed ne similiter multiplicarentur , ac per consequens totum orbem perderent & destruerent , quid fecit Deus ? mari viros decussit , & intestabilem reddidit ; fœmina vero , ne quæ taurum poterat , juvencum vel vitulum ferret , sterilitatem immisit , & piis Judæis in futurum sæculum recondidit , uti scribitur ;* Fortitudo ejus in lumbis ejus , & virtus illius in umbilico ventris ejus.

Babha basra cap. 5. p. 74.

Jesa. 27. 1.

Job. 40.

Avis maxima.

Quarto , scribit Elias Levita in suo Tisbite , se a Rabbinis suis inaudivisse, regio illi convivio insusitatæ magnitudinis *Avem* , quæ בר יוכנה *Bar Juchne* dicitur , tostam & assatam apponendam esse, de qua in Talmude scribitur; *quum aliquando ovum e nido decidisset , trecentas proceras cedros casu suo prostravisse ac perfregisse , tandem elisum , sexaginta pagos inundasse* . Unde facile quivis videre potest , *avem* , *piscem* , *taurum* non multum ab invicem quoad magnitudinem abludere ; facile etiam veru quo transfigentur metiri , & ambrosium dapis assariæ nidorem , si non naribus , mente saltem percipere . Cave autem fabulam credas id genus enim ingentes aves, non solum in Peredia & Perbibesia , sed & in Judæorum regionibus , complures reperiuntur . In loco Talmudis supra citato , fide dignissimus Rabbinus corvum non admodum parvum se vidisse testatur. Res ita gesta est : *Dixit Rabba barbar Channah ; Ranam aliquando vidi , quæ magnitudine pagum Akram in Hagronia æquabat . Sed quantus erat pagus ille ? sexaginta domos capiebat . Accessit serpens immanis , qui ranam absorpsit . Verum supervenit corvus , qui serpentem cum rana tam facile devoravit , quam vulpes pyrum comest , & inde in arborem proximam evolavit* . (Jam vero arboris hujus crassitudinem & altitudinem radio suo describat Archimedes) *Respondit Rabb Papa filius Samuelis ; Nisi ipse locum illum vidissem , non credidissem* . Hactenus e Talmude . Quis autem asinum hunc rabidum , Rabbinum , inquam , crociantem mendacii redarguat ? Ipse Kimchius in Psalmum quinquagesimum , ad expositionem vocula זיז scribit ; *Rabbi Jehudam filium Simeonis dixisse , Ziz, avem esse tam grandem , ut , quum alas expandit , sphæram solis* (גלגל החמה) *obtegat , & eclipsim universo orbi inducat* . Aliquando etiam *Rabbinus navigans , in medio mari avem genuum tenus in aqua stantem vidit ; Itaque secum navigantibus dixit ; Hic lavemur : aqua enim profunda non est . Vox vero e cœlis audita est , dicens ; Rabbi , cave faxis, ante septennium enim cuidam hic securis manibus excidit , quæ imum nondum attigit* . Unde expendere est , quanta fuerint avis illius crura , & pro crurum proportione reliquum corpus . Nullum dubium est , quin id genus aves in sylvam *Ela* se recipiant , in qua inauditi, terribilis & immanis Leonis lustrum memoratur , de quo Leone hæc in Talmude habentur ; *Quum aliquando Romanorum Imperator R. Jehosuam filium Hananiæ interrogasset ; cur Judæorum Deus se Leoni compararet , & an adeo robustus esset , ut leonem interficere posset ? respondit Rabbi , Deum seipsum vulgari leoni non comparare , sed Leoni illi qui in sylva Ela delitescit . Imperator leonem sibi ostendi jussit . Illum vero e cubili suo , & ex sylva , precibus ad Deum factis , Rabbinus eduxit . Quum ab Imperatore passuum millibus quadringentis abesset , tam horrendum rugiit , ut omnes mulieres gravidæ Romæ abortierint , & muri urbis conciderint , sed quum passuum millibus centum propior accessisset, iterum tam immane rugiit , ut omnibus hominibus Romæ dentes exciderint , ipse vero Imperator de sedili suo corruens , parum a morte abfuerit . Hic imperator Rabbino supplicavit , ut leonem in lustrum suum*

Bechores cap. ult. p. 57.

Rabha basra, cap. 5. p. 73.

De corvo immenso.

Psal. 50. 11.

Ibid. in Talm.

De Leone horrendo Cholin c. 3 pag. 59.

ſuum reduceret, *quod factum eſt*. Verum longius a regali noſtro convivio recedimus.

Poſt hæc Tragemata quoque apponentur, & fructus dulces omne genus ex horto Edenis; imo de ipſo Arbore vitæ ipſis comedendum dabit, uti in Caphtor uperach ex Medraſch adducitur; fol. 58. col. 1. Hinc & in Targ. Cantic. 8. 2. legitur; *Comedimus etiam de malogranatis Edenicis*, *quæ pro Juſtis illic aſſervantur*.

Vinum in convivio Meſſiæ apponendum

Sane carnem hanc bubulam, & ipſum ſalſamenta, poculum ſubſequi debet; alioqui non facile a ſtomacho concoquerentur. Ideo Meſſias in hoc convivio præſtantiſſimum vetus *Vinum* apponet, non illud quidem Falernum, ſed quod ſtatim ab ipſa mundi creatione in Paradiſo crevit, ibique in Adami torculari vel cella in illud uſque tempus aſſervatum fuerit, uti ſcribitur; *In die illa vini commendatiſſimi vinea cantabitur*, *Ego Dominus ſervo illud*. Item; *Calix in manu Domini*, *& vinum quod in eo rubet*, *& plenus eſt miſto*, *effunditque ex illo &c.* De hoc vino explicant illud Eſajæ; *Oculus non vidit præter te*. Sub finem convivii Poculum ipſis infundet, ſuper quo conſueto more Gratias agant: ipſi vero Deo gloriam tribuentes, ei hoc officium deferent; Deus illud offeret Michaeli; Michael Gabrieli; Gabriel Abrahamo; Abrahamus Iſaaco; Iſaacus Moſi; Moſes Joſepho; his omnibus, ceu tanto honore non dignis, detrectantibus, tandem id injunget Deus Davidi, dicens; æquum eſſe, ut terrenus Rex Regi cœleſti gratias agat. Cui David, אני אברך ולי נאה לברך Bene, gratias ergo agam, & me quoque hoc decet, ſicut dicitur; *Poculum ſalutum accipiam*, *& nomen Domini invocabo*. Exſtant hæc in Talm. Peſach. f. 119. 2. Poculum hoc continebit 221. menſuras, ſicut iterum in Talmud docetur; כסא דדוד לעלמא דאתי מאתן ועשרין ואחד לוגא מחזיק *Poculum Davidis in ſæculo venturo 221. Logos continebit*, *ſicut dicitur*; Poculum meum רויה *revajah* exuberans. Unde vero hæ 221. menſuræ? Ex eo quod per Gematriam vox רויה in literis hunc numerum conficit.

Jeſa. 27. 2. Pſal. 75. 9. Cap. 64. 4. Peſach. f. 34. 2. Pſal. 117. 13. Pſal. 23.

Num vero omnia hæc abligurient, nihilque reſidui in menſa relinquent? Omnino. Quid ergo de eo fiet? *Illi id inter ſe divident*, *& Hieroſolymis in foro venum exponent*, *juxta id quod dicitur*; Divident illum inter negotiatores; nempe *Leviathanem*. *Ex cute ſeu pelle vero ejus Deus faciet tabernacula vel umbracula pro juſtis*, *ſicut iterum dicitur*; Implebis tabernaculis pellem ejus. *Reliquum expandet ſuper muros Hieroſoymitanos*, *quod lucem a ſe ſparget inde ab extremitate mundi una*, *uſque ad alteram*, *ſicut ſcriptum eſt*; Et ambulabunt Gentes ad ſplendorem ortus tui. *Item*; Et ponam ex margaritis feneſtras tuas. Habentur hæc in Talmud Bava baſ. fol. 75. col. 1.

Job. 40. 25. Ibid. v. 26. Eſa. 60. 2. Eſa. 54. 12.

Ludi quos exhibebit. Certamen Tauri & Ceti.

Cæterum Meſſias ille, antequam convivium inſtruat, *ludos exhibebit*, ut cæteri reges & principes in conviviis nuptialibus, vel aliis ſolennioribus, convivarum exhilarandorum gratia ſolent. Taurum itaque Behemos, & immanem cetum Leviathanem, in arena inter ſe committet, ut illorum luſu recreetur, uti ſcribitur; *Omnes beſtiæ agri ludent ibi*. Item; *Leviathan iſte quem formaſti*, *ad ludendum cum eo*. Taurus ergo currens, & recurrens, cornua ſua in Cetum acuet, quod Meſſiæ gratiſſimum & jucundiſſimum erit, uti ſcribitur; *Gratius erit Domino*, *quam vitulus cornua producens*, *&c.* Leviathan vero Tauro occurret, ſquamis ſuis, inſtar thoracis & loricæ, inſtructus, viſu horrendus & terribilis, uti ſcribitur; *Corpus illius quaſi ſcuta fuſilia*, *compactum ſquamis ſe prementibus*, *&c.* Hic pugna demum crudeſcet, ſed irrito ſucceſſu; quia enim æqualium ſunt virium, uterque deſatigatus corruet. Tum Meſſias gladio ſtricto utrumque confodiet & interficiet, uti ſcribitur; *In die illa viſitabit Dominus gladio ſuo duro & grandi*, *& forti*, *leviathanem ſerpentem vectem*, *& leviathanem ſerpentem tortuoſum*: Item, *Qui fecit eum*, *gladium ſuum applicabit ei*: Item, *Confregiſti capita cetorum*. Prunas deinde verubus ſubjicient, & adjiciales illas epulas præparabunt, uti ſcribitur; *Et faciet Dominus exercituum omnibus populis in monte hoc convivium pinguium*, *convivium vindemiæ*, *convivium pinguium medullatorum*, *vindemiæ defæcatæ*. Piſces diſtribuentur, & hilariter epulabuntur, uti ſcribitur; *Concident eum amici*, *divident illum negotiatores*.

Job. 40. 15. Pſal. 104. 26. Pſal. 69. 32. Iob. 41. 6. Ieſ. 27. 1. Iob. 49. 14. Pſal. 74. 13. Ieſ. 25. 6. Iob. 40. 25.

Epulis his peractis Deus choream quoque piis iuſtituet, ſicut in Maſſeches Taanis, ſeu de jejunio ſcribitur; Dixit R. Elieſer, עתיד הקב״ה לעשות מחול לצדיקים והוא יושב ביניהם בגן עדן וכל אחד ואחד מראה אותו באצבעו שנא׳ *Faciet Deus chorum pro juſtis & ipſemet ſedebit inter eos in horto Edenis*, *& unuſquiſque digito exerto eum oſtendet*, *& dicet in die illo*;

fol. 31.

Ecce

Esa. 25. 9.

Ecce Deus noster ille est, expectavimus eum, exultabimus & lætabimur in salute ejus.

De uxore Messiæ. Psal. 45. 10.

Posthæc, *Messias quoque uxorem ducet*, uti scribitur; *Filiæ regum inter honorabiles tuas, adstat conjux ad dextram tuam, in auro Ophir*, id est, ut Judæi ipsi interpretantur, *Inter uxores tuas inclytas erunt filiæ regum*. Magno enim reges terræ sibi honori ducent, filias suas Messiæ in uxores dare. Verum præcipua Messiæ uxor, eademque regina (quæ hic voce שגל proprie designatur,) erit e formosissimarum puellarum Israelitidum numero; illa ad dextram regis adstabit, & perpetua regii thalami consors erit: reliquæ vero in gynecæo asservabuntur, nec ad regem nisi vocatæ venient.

Liberi Messiæ.

In hoc matrimonio *Messias filiis & nepotibus augebitur*, deinde *fato fungetur*, non secus ac cæteri homines. Filii ejus illi in imperio succedent, & Israeli dominabuntur, uti scribitur; *Videbit semen longævum, & voluntas Domini in manu ejus dirigetur*, hoc est, exponente Rambam, *Longævus quidem erit Messias, sed tandem ipse quoque in magna gloria morietur, & filius ejus in locum illius regnabit, & ita deinceps posteri omnes*.

Jes. 53. 10.

Judæorum status felicissimus sub Messia

Sed *quo modo Judæi in patria sua sub Messia suo vivent?*

Primum, Christiani, cæteræque gentes superstites, & quarum jugulis pepercerint, ædes illis & urbes ædificabunt, agros colent, vineas plantabunt, & quidem sine ulla mercedis spe: facultates enim suas ultro illis insuper offerent; imo principes & magnates illis servient, & subditi erunt. Ipsi vero pretiosis amicti vestibus ambulabunt, & spatiabuntur, instar sacerdotum unctorum, Domino consecratorum, sicut scribitur; *Ædificabunt filii peregrinorum muros tuos, & reges eorum ministrabunt tibi &c. Et aperientur portæ tuæ jugiter: die ac nocte non claudentur, ut afferantur ad te facultates gentium, & reges earum adducantur; gens enim & regnum quod non servierit tibi, peribit*. Item, *Et stabunt alieni, & pascent pecora vestra, & filii peregrinorum, agricolæ & vinitores vestri erunt. Vos autem sacerdotes Domini vocabimini, ministri Dei nostri dicetur vobis, facultates gentium comedetis, & in gloria earum superbietis*. (Ah quis hic Judæorum sitim & aviditatem exprimat! quam tamen sine ullo vultus sui sudore multi restinguunt, magno sæpe Christianorum detrimento aliquot aureorum millia corradentes.)

Dominium.

Jesa. 60.

Jesa. 61. 5.

Aeris salubritas. Jesa. 65. 17

Novus quoque, purus & salubris aer aspirabit eis, uti scribitur; *Ecce, ego creo cœlos novos & terram novam*. Ideo secunda fruentur valetudine, & longioris ævi erunt, non secus ac illi qui ante diluvium vixerunt; in senectute quoque viridi & robusti erunt ut in juventute, juxta id quod scribitur; *Adhuc fructificabunt in senectute, succulenti & vegeti erunt*.

Psalm. 92.

Terræ fertilitas.

[1] Triticum semel satum, quotannis sponte proveniet, germinabit, spicabitur & maturitatem suam assequetur, non secus ac sarmentum semel in terram depactum, uti scribitur; *Consolidabunt sese, non secus ac triticum, & germinabunt tanquam vitis*.

Hos. 14. 8.

Cœli obsequium.

Si quis horto suo vel agro suo, vel minimo etiam olusculo, peculiarem pluviam optaverit, illam a Deo impetrabit, uti scribitur; *Petite a Domino pluviam in tempore serotino, & Dominus faciet nubes, satisque pluviæ dabit vobis ad singulas herbas in agro*.

Zach. 10. 1.

Securitas.

Tum triticum suum & vinum in alta quiete & securitate colligent, nec illis ab ullo hoste nocebitur, uti scribitur; *Non dabo triticum tuum ultra cibum inimicis tuis, nec bibent filii alieni vinum tuum in quo laborasti, quia qui congregabunt illud, comedent, &c.*

Jesa. 62. 8.

Arbores novos fructus quotidie proferent: terra placentas dulces, & vestes sericas, sine labore hominis, edet, non secus ac quotidie fungos producit & boletos: mulieres quotidie parient, juxta id quod Jeremias dicit; *Concipiens, & simul pariens*.

Jerem. 31. 8.

Pax.

Nullum amplius bellum vel belli rumor in terra erit, sed solida & æterna pax

[1] *Triticum &c. Maimonides ad Codic. Sanhedr.* XI. I. Præterea in diebus Messiæ erunt divites & pauperes, potentes, & impotentes aliorum respectu, nisi quod tum faciliori negotio victus quæri possit, ita ut si quis modo paullum operetur, magnam assequetur mercedem; & hoc volunt Sapientes, quando dicunt terram producturam esse panem, & vestimenta serica; nam homines dicere solent, quod unus inveniet rem paratam, alter vero panem coctum aliqua elixa, quod probare videtur locus Esai. 61. 5. ובני נכר אכריכם וכרמיכם; unde liquet quod tum temporis locum habebit satio, & messis. Propterea ira accensus est hic Sapiens, qui hæc verba discipulo suo dixerat, quando illa non intellexerat, & cogitaverat illa literaliter intelligenda esse, & propterea pro ingenii illius modulo responderat, non secundum veritatem rei &c. *R. Bechai in Leg. fol.* 221. 2. *ubi inquit*, tempora Messiæ simillima hisce fore ratione actionum naturalium, & consuetudinis Mundi, ut omnis naturæ cursus idem sit futurus, qui in creatione constitutus est. *Innumeros alios recensere possem, qui hæc eadem sentiunt*.

pax inter homines & feras, uti scribitur; *Et percutiam cum eis fœdus in die illa, cum bestia agri, & cum volucre cœli, & cum reptili terræ, & arcum, & gladium, & bellum conteram de terra, & dormire eos secure faciam.* Item, *Habitabit lupus cum agno, &c.* (Hos. 2. 18.) (Jes. 11. 7.)

Quum inter Ethnicos, & peregrinas gentes bellum orietur, Messias pacis & concordiæ arbiter erit, adeo ut nullus manum gladio admovere audeat, uti scribitur; *Et judicabit gentes, & arguet populos multos, & conflabunt gladios suos in vomeres, & lanceas suas in falces, non levabit gens contra gentem gladium, nec exercebuntur ultra ad gladium.* (Jesa. 2. 4.)

Tum Judæi æterna perfundentur lætitia, novas nuptias celebrabunt, Deumque assidue & indesinenter laudabunt, & omnes sapientia & cognitione Dei pleni erunt, uti scribitur; *Hæc dicit Dominus, Adbuc audietur in loco isto, quem vos dicitis esse desertum, vox gaudii, & vox lætitiæ, vox sponsi, & vox sponsæ, vox dicentium, Confitemini Domino exercituum, &c.* Item; *Plena erit terra scientia Domini, tanquam aquis mare operientibus.* (Jerem. 33. 10.) (Jesa. 11. 9.)

Novi equidem, esse inter illos, qui hæc omnia allegorice explicant, quod nempe sub his hyperbolicis & carnalibus figuris, magnitudo bonorum & gaudiorum cœlestium spiritualis adumbretur, כלשון בני אדם humano loquendi more, לשבר ולשכך את הלבות ad movenda corda, & desiderium eorum excitandum, quo unusquisque studeat tantæ felicitatis aliquando particeps fieri. Non tamen omnem etiam fidem illis derogant, prout ad literam sonant, sicut id videre est in libro *Schylchan arba*, Porta 4. ubi rationibus prolixe probatur, hæc omnia ad literam implenda esse. Et Rabbi Meir Aldabi in libro *Schevile emunah* fol. mihi 113. posteaquam illic de spiritualibus bonis hæc singula explicasset & applicasset, porro subjungit; *Non est autem quod quis existimet, me ideo hæc Rabbinorum nostrorum dicta, de convivio Messiæ, in dubi m vocare aut negare. Absit hoc a nobis! Hoc vero dicimus, illas epulas non fore pro replendo ventre, uti simplices & stolidi nonnulli intelligunt, sed ad augendum intellectum, ut iis idoneus reddatur ad ea capienda & assequenda, quæ eo tempore ipsi apprehendenda sunt. Sunt nimirum hæc ex iis, quæ habent* נגלה ונסתר *sensum manifestum & occultum, &* ושניהם אמת *ambo sunt veri. Ad hæc respexit Salomon, quando dixit;* Ut mala aurea cum figuris argenteis, est verbum dictum suis modis. *Volunt enim dicere;* Verbum dictum duplici sensu, manifesto scilicet & occulto, (qualia sunt præsentia, de quibus agitur) esse sicut Malum aureum argenteis & perforatis palis tectum & inclusum: quamvis enim argentum exterius videatur eximium, tamen si quis interius per illa foramina conspiciat, illud longe præstantius deprehendet; quando scilicet aurum argento præstat. *Rabbini quippe nostri non semper loquuntur verbis simplicibus; sed necessitas eos quandoque adigit, ut ænigmatice & figurate loquantur; quando scilicet de iis agunt, quæ non ad vulgi captum & usum, sed pro eruditis & intelligentibus servire debent &c.* Videatur & R. Moses ben Majemon in Hilchos Teschuvah cap. 8. & Hilchos Melachim cap. ult. (Prov. 25. 11.)

In summa, sanctæ hujus gentis tanta erit fœlicitas, ut ipsa cogitatione concipi non possit, nedum ut verbis exprimi queat. Judæos itaque in hac sua prosperitate sollicitare nolo, nec fidei illorum arcana Christianis prodere ultra pergam. Hoc satis superque est: adde, quod illis non valde arridebit, quod & fidem illorum, & vitam eo usque retexerim.

Christianus vero Lector satis ex hisce omnibus percipiet & intelliget, Judaicam fidem, totamque illorum religionem, non in Mose, sed in mendaciis, falsis & futilibus traditionibus, Rabbinorum & seductorum fabulis, fundamentum suum ponere; ideo non amplius Christianis dicendum esse, Judæos legi Mosaicæ mordicus adhærere, sed cum Propheta Jeremia; *Apprehenderunt mendacium, & noluerunt reverti, attendi & auscultavi, nemo quod rectum est loquitur, &c.* Item cum Christo; *Irritum faciunt mandatum Dei per traditionem suam, frustra Deum colunt, docentes doctrinas quæ sunt mandata hominum, illum ore suo, non autem corde colentes, illum profitentes se scire, sed facto negantes, quum sint abominandi, & rebelles, & ad omne opus bonum reprobi,* ut inquit beatus Apostolus Paulus. Propterea luce meridiana clarius est, illos pœnam incurrisse, quam Moses interminatus erat, nempe, Deum *percussisse illos amentia, & cæcitate, & stupore cordis, adeo ut palpent in meridie sicut palpat cæcus in tenebris.* Hoc nimis in illis verum experimur, dum sacrosanctum Dei verbum tam misere corrumpunt & detor- (Conclusio libri.) (Jerem. 8.) (Matth. 15.) (Tit. 1.) (Deut. 28.)

torquent, & pudende contra omnem sensum & rationem, absque ullo pudore & intellectu, explicant & exponunt. Faxit Deus misericors, ut nos Christiani, horribili hoc iræ divinæ exemplo commoti, Deum, illiusque Verbum diligamus, qua par est reverentia excipiamus, ne furor ejus in nos quoque exardeat, & veritatis lucem tanti beneficii immemores amittamus; Faxit inquam, Deus, ut corda nostra in dies magis atque magis justitiæ Solem admittant, nosque Spiritu suo sancto in omnem veritatem ducat & deducat. Amen.



AUGU.



AUGUSTI PFEIFFERI ANTIQUITATES SELECTÆ

NUNC PRIMUM

A BLASIO UGOLINO

NOTIS ILLUSTRATÆ.

CAPUT PRIMUM.

DE PROSELYTIS

Proselyti Judæorum quondam solenni ritu in religionem intromittebantur.

§. I.

PROSELYTUS Hebraice dicitur [1] גר *advena*, vel *peregrinus*, Chaldæo-Syre גיורא, unde LXX. Int. & cum iis *Justinus Martyr* dixerunt γειώρας, eratque ejus nomen, qui vel [2] religionis vel [3] domicilii causa Judæis sese aggregaret.

§. II. Erant proinde Proselyti [4] duorum generum. Alii dicebantur גרי צדק *Proselyti justitiæ*, item [5] גרים גרורים *tracti*, i. e. sine intuitu secularis felicitatis sua sponte Judaismum suscipientes sive αὐτόματοι, vertente Hottingero *Thes. Phil. p. m.* 17. & [6] בני ברית *confœderati*, & quandoque κατ' ἐξοχὴν גרים *Proselyti*. Hi universam legem Mosaicam & Judaicam religionem recipere tenebantur certisque Proselytismi Symbolis opus habebant, ut post dicetur.

§. III. Alios vocabant גרי תושב *Proselytos inquilinos*, *s. domicilii*, *quod*, dicente Maimonide *Hilc.* אסורי ביאה *c.* 14. *n.* 7. *Judæis permissum esset concedere iis habitationem inter se in terra Israel*, (non tamen Hierosolymis, ut idem ait *Hilc.* בית בחירה *c.* 7. *n.* 14.) & quidem secundum R. [7] Bechai *in Cad Hakkemach. f.* 18. *c.* 4. in portis urbium, unde & גרי שער *Proselyti portæ* dicuntur, appellatione e *Deut. XXIV. v.* 21. desumta, id quod non necessario de *actu incolendi*, sed de *jure incolatus* intelligendum esse, contra Flaccium, ex mente Judæorum exemplo Naamanis probat CL. Paulus Slevogt *Disp. de Prosel. Jud. th.* 3. Et hi accedebant quidem ad Judæos, jugum autem legis Mosaicæ in se non suscipiebant, sed [8] relicta modo Idola-

lolatria se universæ humanitatis legibus, quas [9] septem *præcepta Noachidarum* vocitare solent, obstringebant secularis fere & privatæ alicujus commoditatis intuitu Conf. *Maimon. l. c. R. Dav. Kimchi S. Schorasch Elias Levita v.* נר *&c.*

§. IV. Quidam, ut Hottingerus *Thes. Phil. p. m.* 19. & ex eo Joh. Leusdenius *Jon Illustr. p.* 106. *& Phil. Hebræo mixt. Diss.* 21. *p.*148. addunt [10] שכירים *mercenarios*, tanquam tertiam Proselytorum speciem, cum תושב *Inquilinus* & שכיר *Mercenarius* diserte distinguantur *Exod. XII.* 45. adeoque existimant, peregrinis mechanicis certas quasdam leges & conditiones positas fuisse, quibus observatis artem suam in Palæstina exercerent. Ast hi quidni *ratione religiosi status, conditionum tolerantiæ & privilegiorum* ad inquilinos reducerentur, ut ut *ob vitæ genus* peculiare nomen sortirentur? Quicquid tamen sit, in sententiam R. Levi Barzelonitæ nequaquam concedimus, qui *in Chinuch p.* 17. *Proselytos mercenarios circumcisos quidem, at non baptizatos fuisse asserit.* Nec enim putamus, eos Judaismo viciniores fuisse inquilinis, qui ad circumcisionem non adstringebantur. Quin e collatione *v.* 44. *&* 45. *Exod. c. XII.* prona consecutio est, mercenarios circumcisos haud fuisse. Quare multo rectius R. Sal. ben Melech. *ad h. l.* & inquilinos & mercenarios *præputiatos incircumcisosve* vocat.

§. V. Jam porro *Proselyti justitiæ*, ubi [11] scrupulosa præcessisset de animo & intentione ipsorum exploratio ut & sufficiens de fidei Judaicæ articulis informatio, [12] tribus Symbolis sive ritibus recipiebantur I. במילה *circumcisione*, si masculi essent. [13] Nam fœminis Baptismus & oblatio olim sufficiebant, hodie [14] baptismus solus. Sed & masculis, qui in gentilismo circumcisi essent, [15] ut Arabes, vetus modo [16] vulnusculum resauciabatur, ut innuit Maimonides *Hilc.* מילה *c.* 1. §. 7. II. בטבילה [17] *Baptismo*, quo publice & coram tribus testibus [18] aquæ immergebantur. Sine hoc nullum Proselytum justitiæ fieri vel factum esse unquam persuasissimi sunt Judæi. [19] Hinc ex *Jevamoth f.* 46. Maimonides *Hilc.* איסורי ביאה *c.* 13. *n.* 6. *Proselytus*, ait, *qui circumcisus quidem, at non baptizatus est, non est Proselytus usquedum baptizetur.* Imo circumcisus & non baptizatus, referente Christ. Gersone *Comp. Talm. p.* 243. pro Samaritano habebatur, unde & in odium Samaritanorum baptismum Proselytorum circumcisioni primitus additum fuisse existimant Mayerus *Phil. S. P.* 1. *p.* 91. & Schickardus *de Jur. R. Hebr. c.* 5. *p.* 127. ipsi autem Hebræi baptismum hunc (quo jure, quave injuria, viderint ipsi) ab [20] ultima antiquitate accersunt. Nam de filia Pharaonis referunt Talmudistæ *Sota f.* 12. *& Megilla f.* 13. eam propterea ad rivum descendisse *Exod. II.* 5. ut lavaret & Proselytismo initiaretur. De Jethrone idem refertur *in Zenmorenna f. m.* 83. *c.* 1. Imo Lightfootus *Hor. Hebr. p.* 41. non dubitat primam hujus Baptismi institutionem Jacobo adscribere, *ex Gen. XXXV. v.* 2. id quod ipsi defendendum relinquimus, uti & ejusdem collationem, quam *p.* 43. *& seqq.* inter hunc Proselytorum baptismum & sacramentum initiationis Christianorum instituit, cum magno grano salis accipiendam putamus. III. בקרבן [21] *Sacrificio vel oblatione* sive jumenti, sive duorum turturum, sive duorum pullorum columbæ in holocaustum. *Sed*, ut ait Maimonides *l. c. n.* 5. *quia nunc temporis sacrificium cessavit, opus modo est circumcisione & baptismo: Cum vero sanctuarium restaurabitur* (ad Calendas sc. Græcas, si Diis Homeri placuerit) *sacrificium iterum erit offerendum.*

§. VI. Hac ratione initiati Proselyti justitiæ deinceps [22] iisdem gaudebant privilegiis cum ipsis Israelitis, quod enim hi erant nativitate, illi fiebant cooptatione, ut fatentur Talmudistæ *in Jevam. c.* 4. & Maimonides *l. c. c.* 12. *n.* 17. *& alibi.* Cum vero hæc *Seldenus* atque *P. Slevogt* fuse prosecuti sint nec nobis constitutum sit vel eorum scrinia compilare vel huc, quæcunque de Proselytis dici queunt, congerere, iis diutius non inhærebimus. Notamus tamen de his ipsis justitiæ Proselytis loqui Salvatorem *Matth. XXIII.* 15. cum Pharisæis objicit, quod pererrent mare & aridam, ποιῆσαι ἕνα προσήλυτον. Ubi versio Æthiopica notanter vertit: [23] *Ut baptizetis unum peregrinum, & cum batizatus fuerit, adaptatis eum magis, quam vos, gehennæ.* Alludit quippe ad טבילה גרות Baptismum Proselytorum, ut notant Lud. de Dieu *App. Not. ad Matt.* 23. *p.* 538. & Dilherrus *Elect. l.* 1. *c.* 8. *p.* 54. quod miramur non advertisse Nobiliss. Job. Ludolfum *Lex. Æth. p.* 414. Hos Pharisæi alliciebant, ut & commentis suis imbuerent & eorum bonis potirentur & [24] laudem zeli atque ardoris in religione captarent. Conf. D. Joh. Gerhardus *Harm. Evang. c.* 158. *p.* 119. *f.* & P. Slevogt *de Proselyt. thes. ultim.*

§. VII. Quod vero ad *Proselytos inquilinos*, eos Judæi non tam solenniter recipiebant, quam tolerabant. Admittebant vero eos [25] tempore Jubilæi, ut tradit Maimonides, *Hilc.* מילה *c.* 1. *n.* 6. *& Hilc.* עבֹּום *c.* 10. *n.* 6. Ex quo itaque nullos Jubi-

Jubilæos celebrarunt Judæi, nulli quoque Profelyti domicilii recepti funt. [26] Jubilæos autem inde a captivitate Babylonica intermiffos fuiffe Maimonides afferit, Conf. Cl. Slevogt *de anno Jubilæo th. 27.* & Hottingerus *Analect. Diff. 3. de Jubilæo p. 161.* Et qui de Judæorum Profelytis plura defiderat, adire poteft Maimonidem *Hilc.* אסורי ביאה *c. 13. 14.* Buxtorfium *Lex. Talm. p.407. feqq.* Munfterum *ad Ev. Matt. Hebr. c. 23. p. m. 329.* Gerhardum *Harm. Ev. c. 158. p. 115. feqq.* Seldenum *de Succeff. in bona def. c. 26. & de J. N. & G. l. 2. c. 2. 3. 4. &c.* Chr. Gerfonem *Comp. Talm. P. 1. c. 33.* Hottingerum *Thef. Phil. l. 1. c. 1. fect. 3.* W. Schickardum *de J. Reg. Hebr. c. 5. th. 17. p. 126. feqq.* Chrift. Cartwrightum *Elect. ad Exodum p. 131.* Georg. Gentium *ad* הלכות דעות *Maimonidis p. 91.* Paulum Slevogt *Difp. Acad. P. 2. difp. 14. integra de Profelytis Jud.* D. Joh. Lightfootum *Hor. Hebr. & Talm. p. 41. feqq. & 249.* Joh. Leufdenium *Philol. Hebræo-mixt. Difp. 21. de Profelytis.*

NOTÆ AD CAPUT PRIMUM.

[1] נר &c. *R. Bechai in Kad hakkemach lit.* נ *tit.* נר *fol. 18. col. 3.* כל אחד מישראל החולך מעיר אל עיר אחרת נקרא נר. Quicumque Ifraelitarum ex una urbe in aliam proficifcitur, is vocatur נר.

[2] *Religionis &c. R. Bechai ibidem.* וכן מי שהוא מן האומות ונתגייר וחזר לאמונת ישראל יקרא נר והוא הנקרא נר צדק לפי שבא להסתופף תחת כנפי השכינה. Sic etiam is, qui e Gentilibus venit ad amplectendam religionem, & fidem Judaicam, vocatur נר, & quidem נר צדק profelytus juftitiæ, eo quod venerit ut fefe protegat fub alis providentiæ divinæ.

[3] *Domicilii &c. R. Bechai ibid.* וכן גוי שקבל עליו שלא לעבוד ע״ז ובא להתישב בינינו יקרא נר תושב; Similiter Gentilis, qui fufceperit in fe, quod nolit amplius Idololatriam colere, veneritque ad habitandum inter nos, vocatur נר תושב profelytus domicilii.

4 *Duorum &c. Kimchi in rad.* גור. Omnis נר, de quo meminit Scriptura, quod נר commoratus fuerit in terra Ifraelis, eft is qui recipit in fe, quod non velit colere Idola (h. e. נר תושב) Eft autem alius qui plane, & perfecte fit Judæus, ille fc. cujus Lex in præceptis meminit, quando ea לגרים quoque obfervanda præcipit. Hicque eft נר צדק profelytus juftitiæ.

5 גרורים *&c. In Avodah Zarah cap. 4. appellantur* גרים גרורים Profelyti tracti, *id eft a fe ipfis moti ad Judaifmum fufcipiendum.*

[6] ברית *&c. R. Levi ad Exod. 24. vocat talem* נר בן ברית, profelytum filium fœderis, confœderatum.

7 *Bechai &c. Hæc funt verba R. Bechai;* גוי שקבל עליו שלא לעבוד ע״ז ועדיין אוכל נבלות ובא וגר בשערי עירנו הוא הנקרא נר תושב ונקרא נר שער׳ וכו׳; Gentilis qui recipit in fe, quod non velit amplius exercere Idololatriam, fed adhuc comedit morticina, ac venit ut commoretur in portis urbium noftrarum, is eft qui vocatur נר תושב, profelytus inquilinus, & נר שער profelytus portæ, cui jubemur ea dare *Deut. 14. 21.* לגר *peregrino, qui eft in portis tuis, dabis illud. Hunc locum Onkelos ita transfert* לתותב ערל *inquilino præputiato, qui eft in medio tui dabis illud &c. Et Jonath.* לגיור ערל *peregrino profelyto inquilino. R. Salomon* Deut. 24. 14. מגרך de advena tuo זה נר צדק, hoc dicitur de profelyto juftitiæ. בשעריך *in portis tuis* זה נר תושב אוכל נבלות, is eft profelytus inquilinus, qui comedit morticina.

[8] *Relicta &c. Avodah Zarah fol. 64. 2.* Quifnam eft נר תושב? Quicumque coram tribus Rabbinis recipit fe nolle Idololatriam colere, ex fententia R. Meir. At fapientes noftri ajunt; Quicunque recipit feptem præcepta filiorum Noæ. *Vide Maimonidem Ifuri Biah cap. 14. 7.*

9 *Septem &c. Babyl. Sanhedrin fol. 56. 1.* ת״ר שבע מצות צטוו בני נח דינין וברכת השם ע״ז ועילוי עריות ושפיכות דמים וגזל ואבר מן החי ר׳ חנינה בן גמלאל אומר אף על דם; Traduntur a Rabbinis feptem præcepta tradita effe a Noachidis, de judiciis, de maledictione nominis, de cultu extraneo de revelatione turpitudinum, de fanguinis effufione, de membro animalis viventis. Etiam ex fententia R. Chanina ben Gamaliel de fanguine. *In Berefchithrabba* על ז׳ דברים נצטוו בני נח על ע״ז ועל עליו עריות ועל שפיכות דמים ועל ברכת השם ועל הדין ועל הגזל ועל אבר מן החי ר׳ חנינה בן גמליאל אמר אף על הדם מן החי; De feptem rebus mandata acceperunt Noachidæ, de cultu extraneo, de revelatione turpitudinum, de homicidio, de maledictione nominis, de judicio, de rapina, de membro animalis viventis. R. Chanina f. Gamaliel dixit etiam de fanguine animalis viventis. *Vide Tofaphta Avodah Zarah in fine, Gemar. Babyl. Joma fol. 67. 2. R. Bechai in Biur Tora fol. 37. col. 3. & 4. & Maimonid. Melachin cap. 9.*

[10] שכירים *&c. Rafchi ad exod. 12. 45. fol. 72. col. 2.* תושב זה נר תושב ושכיר זה הגוי ומה ת״ל והלא ערלים אם ונאמר כל ערל לא יאכל בו אלא כגון ערבי מהול וגבעוני מהול והוא תושב או שכיר. Per תושב intelligitur profelytus inquilinus; Per שכיר autem Gentilis. Quid vero fibi vult fpecialis hæc utriufque mentio? annon hi præputiati funt? Verum talis intelligitur Gentilis, qualis eft Arabs circumcifus, & Gibeonita circumcifus, atque is vel inquilinus eft, vel mercenarius. *R. Sal. ben Melech in Michlal Jophi fol. xx. col. 1.* תושב ושכיר הם גוים וערלים מולים; Incola & mercenarius funt gentiles, & præputiati non circuncifi; *Addit R. Jacob Abendana in Spicilegio* והטעם מי שהוא מאמונה אחרת אף על פי שהיה מישראל; Intelligitur hac defcriptione is qui eft alterius religionis, etiamfi fit alias nativitate Ifraelita. *Deinde fubjungit* כי התושב הוא נר תושב שקבל עליו שבע מצות בני נח ושכיר הוא עבר שאין גופו קנוי, quod per תושב fignificetur profelyta incola, qui recepit in fe feptem præceptorum Noæ obfervationem, per שכיר autem fervus, cujus corpus ære non eft redemtum.

[11] *Scrupulofa &c. Targum Ruthæ ad cap. 1. 16.* Naomi dixit ei præceptum eft nobis fervare Sabbatha, & feftos dies, ita ut non liceat ambulare plufquam ducentos cubitos. Ruth dixit; Quocunque iveris, ego volo ire. Naomi dixit; Præceptum eft nobis non habitare cum Ethnico. Ruth dixit, ubicunque commoraberis ego commorabor. Naomi dixit, Præceptum eft nobis fervare fexcenta, & tredecim mandata. Ruth dixit; quod populus tuus obfervat, volo obfervare quafi effet populus meus. Naomi dixit; præceptum eft nobis non colere Deos exteros. Ruth dixit; Tuus Deus erit Deus meus. Naomi dixit, habemus quatuor pœnas capitales in tranfgreffores, lapidationem lapidibus, combuftionem igne, interfectionem gladio, fufpenfionem ex arbore. Ruth dixit; quemadmodum morieris, ego volo mori. *Babyl. Jevamoth c. IV.* ת״ר נר שבא להתגייר כזמן הזה או׳ לו מה ראית שבאת להתגייר אי אתה יודע שישראל בזמן הזה דוויים וחופים סחופים ומטרפין ויסורין באין עליהם אם אומר יודע אני ואיני כדאי מקבלין אותו מיד ומודיעין אותו מקצת מצות קלות ומקצת מצות חמורות ומודיעין אותו עון לקט שכחה ופאה ומעשר עני ומודיעין אותו עונשן של מצות א״ל הוי יודע שעד שלא באת למדה זו אכלת חלב אי אתה ענוש כרת חללת שבת ענוש סקילה וכשם שמודיעין אותו עונשין של מצות כך מודיעין אותו מתן שכרן ה״ל הוי יודע שהעולם הבא אינו עשוי אלא לצדיקים וישראל בזמן אינם וכולים לקבל לא רוב טובת

טובת ולא רוב פורענות ואין מרבין עליו ואין מדקדקים עליו קיבל מלין אותו מיד נשתיירו בו ציצין המעכבין את המילה חוזרים ומלין אותו שנייה נתרפא מטבילין אותו מיד וב' ת"ח עומדים על גביו ומודיעין אותו הרי הוא כישראל לכל דבריו אשה נשים מושיבות אותה במים עד צוארה ושני ת"ח עומדים לה מבחוץ ומודיעים אותה. Tradunt Rabbini, ſi hoc tempore proſelytus accedat, quærendus eſt, quid quæſo ſpectaſti? An ignoras Judæos nunc angi, expelli, diſſipari, diſcerpi, & varias caſtigationes ipſis ſupervenire? Si ſe iſta noſſe reſpondet, nec quicquam ſimulare, recipiunt eum; ſed proponunt ipſi præcepta quædam levia, & quædam gravia; v. g. de ſpicilegio, & oblivione relictis, & angulo agri relinquendo; & decimis pauperum, erudientes ipſum de pœnis tranſgreſſionum, dicendo; hactenus antequam ad hanc profeſſionem acceſſeras, impune comediſti adipem, aut profanaſti Sabbathum; nunc vero deinceps ob illud mereris exciſionem, ob hoc lapidationem. Contra tamen etiam obedientiæ mercedem doceant; ſcito venturum ſeculum pro juſtis, & Iſraelitis paratum eſſe, neque in hac vita vel bonum omne remunerari vel puniri malum; Iſta breviter tradant, ſine ambagibus, ſine ſubtilitate. Si recipit, circumcidant; ſin laciniæ ſuperſint (*de priſtina circumciſione*) veram impedientes, abſcindantur & illæ ſecundo. Poſtquam ſanatus fuerit, baptizant eum præſentibus binis ſapientibus, & porro informantibus. Ecce talis fit per omnia inſtar Iſraelitæ. Quod ſi mulier ſit, deducunt eam fœminæ ad aquas ubi mergitur uſque ad collum, aſſiſtuntque foris iterum duo Rabbini, qui eam inſtruant &c. *Vide Maimonidem Iſſure Biah cap.* XIV.

[12] *Tribus Symbolis &c. Siphri ad Num. xv.* 13. Rabbi dicit; Quemadmodum Iſraelitæ non ſunt ingreſſi in fœdus, niſi tribus rebus, i. e. circumciſione, baptiſmo, & acceptione ſacrificii; etiam Proſelyti ſunt eis ſimiles; Dicamne, quemadmodum Iſraelitæ ſanguine circumciſionis, & ſacrificiis pacificorum, etiam Proſelyti ſanguine circumciſionis, & ſacrificiis pacificorum? Et idcirco dictum eſt; *Et faciet ignitum in odorem ſuavitatis Domino*. (ſic Hebr.) Dixiſtine? Egredere, & vide, quæ nam ſit illa ſpecies ſanguinis, quæ tota comburebatur, neque de ea quicquam erat reliquum. Tu id non deprehendes niſi in holocauſto avis; ſi attuliſſet unam avem, non licebat; quia in tota lege non reperitur una avis, quæ offeretur. Hinc eſt quod dixerunt; ex omnibus nidis legis, dimidium erat holocauſtum, & dimidium ſacrificium pro peccato, excepto nido Proſelyti, qui totus comburebatur. *Vide Maimonidem Iſſure Biah cap.* XIII.

[13] *Nam fœminis &c. Kol-bo ſect.* 73. Scripſit autor libri Ha-melammed p. m. in paraſcha, Lechlecha h. e. Abi tibi de ſigno fœderis, quod pepigit Dominus cum patribus, quod eſt ut circumcidat omnis maſculus carnem præputii ſui, hoc ipſum ſignum ſufficere in maſculis; propterea quod mulier data ſit in auxilium maſculi &c.

[14] *Baptiſmus &c. Codex Jevamoth fol.* 46. Undenam vobis iſta, quam R. Joſua de Baptiſmo matrum fovet, ſententia probatur? Quia niſi per hunc, quonam medio ingreſſæ eſſent ſub gratiæ divinæ alas? Etiam Eunuchi, ut fœminæ, ſolo baptiſmo initiabantur. *Rabbenu Jacob in Jore Deah num.*268. *hil. Gerim*. Atque ita ſcripſit Gaon, ſi Eunuchus accedat, ut fieret Proſelytus, ingreditur ſub alas gratiæ divinæ perinde ut mulier.

[15] *Ut Arabes &c. Epiphanius hæreſ.* XXX. Et vero quid eſt, quod Ebion adeo de circumciſione ſua glorietur? cum & idolorum cultores, & ſacerdotes Ægyptii ſe circumcidant; quod & Saraceni, & Iſmaelitæ, ac Samaritani, Judæi, Idumæi, & Homeritæ faciunt. *Joſeph Antiquit. lib.* 1. *cap.* 13. Arabes vero poſt annum decimum tertium *circumciduntur*, quia Iſmael princeps eorum generis ea ætate circumciſus eſt.

[16] *Vulnuſculum &c. Rabbenu Aſcher ad Jevam. fol.* 135. *col.* 1. In principio capitis octavi Cod. Jevamoth fol. 71. diſputant inter ſe R. Elieſer f. Simeonis & Doctores noſtri de Proſelyto, qui in cœtum recipitur jam apella exiſtens, utrum circumcidendus ſit die aut nocte. Sed omnes fatentur quod deſtillatio ſanguinis fœderis omnino ſit neceſſaria. Nec deeſt verbis ipſorum ratio. Qui enim apella genitus eſt, cum præputium nunquam habuerit, nil indiget. Sed Proſelytus qui præputium habuit, quia circumciſio ejus in Gentiliſmo facta nullius eſt momenti, omnino opus habet, ut ſanguis fœderis ex ipſo deſtilletur. Enim vero ſi cui virga tota exciſa eſt, ambiat Proſelytiſmum, videtur ipſius circumciſio non impedire, quominus fiat Proſelytus, nam fatentur ſapientes, quod ſolus baptiſmus ſufficiat. *Vide Maimonidem Meila cap.* 1. 7. *& Schulchan Aruch in Hilcoth Gerim ſect.* 268. *ſubſect.* 1.

[17] *Baptiſmo quo publice &c. Gemara Chetuboth. cap.* 1. Oportet autem ut cum baptizatur præſto ſint tres, quippe quod Proſelyti cujuſque baptiſmus coram tribus celebratur; quin etiam hi, quorum miniſterio factus eſt Proſelytus, pater ejus audiunt. *Maimonides Iſſure Biah cap.* XIII. 6. Opus eſt inſuper ut baptizetur coram triumviris, cum ideo actus forenſis ſit &c.

[18] *Quæ &c. Maimonides Mikvaoth cap.* 1. *&* 4. Quiſque qui lavatur, aut baptizatur, ſubmergat totum corpus pariter, uti nudus erat. Et ubicunque in lege mentio lavandi carnem, aut veſtes fit, intelligendum eſt de lotione totius corporis. Nam ſiquis totum corpus excepta ſolum digiti extremitate lavat, manet adhuc in ſua impuritate. Et ſi vir ſit comatus, oportet eum totam capitis cæſariem immergere, quia eſt ſicuti corpus. Et quamvis indutus ſit veſtibus, vera tamen erat ablutio, quia aqua eas penetraverat, eique viam non præcluſerant.

[19] *Hinc ex Jevamoth &c. Integrum locum adduxiſſe non erit inutile, ex quo Lector ſententiarum varietatem cognoſcet*. Rab Chija fil. Abbæ cum apud Gablam divertiſſet, vidit filias Iſraelitarum impregnatas a Proſelytis circumciſis quidem ſed non baptizatis; Reverſus ad R. Johannem, hic ei dixit; egredere ac proclama filios ipſorum quod ſint ſpurii. Nunquam enim in æternum reputatur quis Proſelytus, donec circumciſus baptizetur; cum vero nondum baptizatus eſt, æſtimatur pro alienigena. Et Rabba inquit, nepos Hannæ, R. Johannem ſtatuiſſe; alienigena & ſervo cum Iſraelitide concumbente, infans inde genitus eſt ſpurius &c. Siquis circumciſus non fuerit baptizatus, R. Elieſer inquit, en talis eſt Proſelytus, ita enim deprehendimus in Patribus noſtris, quod circumciſi fuerint, & non baptizati &c. Sed ſapientes dicunt; baptizatus qui non circumciditur, circumciſus qui non baptizatur, neuter eſt Proſelytus, donec & circumcidatur & baptizetur. R. Joſua autem etiam a Patribus diſcere debebat, & R. Elieſer a Matribus. Quod ſi dixeris non deſumunt rationem poſſibilis ab impoſſibili; Nonne nota eſt doctrina hæc? R. Elieſer, inquit, undenam de Paſchate perpetuo *probari poteſt*, quod non conquiratur niſi de profanis? Reſp. Paſcha dicitur tam in Ægypto *celebrandum*, quam in quacunque generatione alia. Quæ ratio fuit Paſchatis in Ægypto celebrati? Non ſumebatur niſi de profanis; ita etiam Paſcha aliis celebrandum generationibus non ſumatur niſi de profanis. Etiam dicente ipſi R. Achiba, numquid poſſibile dijudicant ex impoſſibili? reſpondit ut impoſſibile magnum pondus habeat, diſcamus tamen exinde &c. R. Chija dixit filius Abbæ, dixiſſe R. Johannem; deciſum eſſe, nunquam fore Proſelytum, donec circumcidatur, & baptizetur &c. Siquis baptizatus fuerit, ut ut non circumciſus, R. Joſua inquit, en talis eſt Proſelytus; ita enim de matribus noſtris ſtatuere fas eſt, ſolum baptizatas eas fuiſſe, non circumciſas &c. Inde Baptiſmus probari poteſt, quod Moſes Exod. 24. 8. acceptum ſanguinem aſperſerit ſuper populum. Tradunt enim, aſperſionem non fore ſine baptiſmo. Undenam hæc R. Joſuæ opinio de baptiſmo matrum nobis innoteſcit? quia ſi non per eum, quo fuiſſent ingreſſæ ſub alas divinæ gratiæ? R. Juda inquit, in uno ſufficit. Siquis venerit dicens, circumciſus ſum, ſed non baptizatus, curant eum baptizari (*i. e. ut Gloſſa habet*, non opus æſtimant, inquirere in teſtes, an circumciſio ob præceptum divinum facta ſit, *an non*; Poſteaquam baptizatus fuerit, in baptiſmo ſufficit) Et quid in hanc rem verba R. Jehudæ? R. Oſchaja fil. R. Chijæ accedente ſibi Proſelyto, qui circumciſus fuerat, ſed non baptizatus, dixit; expecta hic uſque in craſtinum, tunc baptizari te curabimus &c. Cum deciſio eſſet non fore Proſelytum donec circumciſus bapti-

baptizaretur, Tosiphta annotat; Exinde nemo accurate inferre poterit, quod solus baptismus non sufficiat. Nil enim amplius exinde probare satagit, quam circumcisionem non valere sine baptismo.

[20] *Ab ultima antiquitate &c. Gemara Jevamoth fol. 46.* De baptizato, qui non circumcisus, nemo in hoc mundo litem movet, quo minus sit legitimus, sed disputant de circumciso qui non fuerit baptizatus. R. Elieser, ad *justificandum eum*, ad Patriarchas provocat; R. Josua vero Baptismum itidem in Patriarchis extitisse asserit. Undenam id habet? an dicam *ex verbis* Exod. 19. 19. *Abi ad populum hunc, consecraturus eos hodie, & in crastinum, & lavent vestes suas?* quid enim? an quo loco nulla vestium jubeatur lotio; baptismum necessarium diceres? & non æquum foret, ut ibi *baptismus* seu corporis immersio adhiberetur, ubi lotionis vestium expressa fit mentio? Quod si quis dixerit, civilem hic intelligi munditiem, tunc R. Josuæ sententia fundari poterit verbis Exod. 24. 8. *Et accepit Moses sanguinem istum, & aspersit super populum*; Cum recepta sit doctrina, nullam fieri aspersionem sine baptismo. *Aben-Ezra commentar. ad Exod.* 19. 10. Sensus vocis *& consecrabis eos*, est ut lavent se aquis. Id quod confirmant adjecta verba, *& lavent vestes suas*, more quo alias hæc duo conjunguntur *Levit.* 17. 16. & *si non laverit, & carnem suam non lustravit*. Propterea jussit Moses v. 15. ne abhinc cum uxoribus consuescant, quo puri sint, nec coinquinati. Qui vero cum uxore jam consueverit, consecret se more quo Bathseba 2. Sam. 11. 4. se consecrasse dicitur, a contracta per concubitum immunditia. *Abarbanel ad l. c. fol.* 169. *c.* 3. In consecratione hac comprehenditur id quod exposuit Moses Doctor noster p. m. verbis v. 15. ne *accedatis ad uxorem*, item lotio corporum, & amotio corporalium concupiscentiarum, in tantum ut & vestes suas lavent, quo in puritate appareant, & munditie. Imo nihil obstat, quominus dixerit; *& consecrabis eos hodie ac cras*, de lustratione; ut lustrent se, ac purgent istis diebus. Hoc enim vocatur consecratio, quemadmodum consecratio manuum atque pedum; Exod. 3. 1. c. 19. 13. *Maimonides Issure Biah cap.* XIII. 3. Ritus autem baptismi peractus, erat in deserto mox ante datam legem, uti dictum est; *sanctificabis eos hodie, & cras & lavent vestimenta sua. Exod.* 19. 10. *Contendunt in Megilla fol.* 13. *col.* 1. *Pharaonis filiam fuisse baptizatam.* Quando Exod. 2. 5. filia Pharaonis descendisse dicitur ut lavaret ad rivum, R. Johannes inquit, descendisse eam, ut se ablueret ab idololatrico cultu domus patris sui; *Glossa annotat*; לרחוץ לטבול לשון גירות lavare idem esse ac baptizari, quo sensu sumitur in Proselytismo. *Jacobum Baptismi autorem faciunt. Aben-Ezra vocem* illam והטהרו *Et mundamini* Gen. 35. 2. interpretatur שירחצו חגוף *lotionem corporis*, vel baptismum.

[21] *Sacrificio &c. Maimonides in præfatione ad Codicem Sevachim.* Sacrificium vero offerebat Proselytus e duobus turturibus, vel duobus columbæ pullis constans, utrisque in holocausta. Et hoc colligitur ex eo quod dicitur Num. 9. 14. Et in lib. Siphri dicitur, quod sicut Israelitæ non receperunt fœdus nisi tribus ritibus, circumcisione scil. baptismo, & sacrificio, ita quoque neque peregrini absque his tribus: (porro ibidem objicitur) dicat nonnemo; quemadmodum Israelitæ ad holocausta & sacrificia pacifica obligantur, ita etiam Proselyti; idcirco scriptum est num. 15. 3. ועשיתם אשה *& facietis ignitum*.

[22] *Iidem &c.* MS. *Ex Hechajim Hilchoth Nidea cap.* 10. Omnes Proselyti justitiæ quarumcunque Gentium, itemque servi manumissi in omnibus negotiis eodem loco, quo Originarii Israelitæ habentur, atque fas est iis intervenire sacro cœtui; ut ducant Judæas fœminas; & ut nubant Judæis maribus. *O congregatio, statutum unum est vobis.* Num. XV. 15.

[23] *Ut baptizetis &c. S. Jo. Chrysostomus Hom.* LXXIV. (*in Græco Codice* LXXIII.) *in Matth.* Ἐνταῦθα δύο αὐτοῖς ἐγκαλεῖ· ἓν μὲν ὅτι ἄχρηστοι πρὸς σωτηρίαν τῶν πολλῶν, καὶ πολλοῦ δέονται τοῦ ἱδρῶτος, ὥστε κἂν ἐφελκύσασθαι· ἕτερον δὲ, ὅτι ῥάθυμοι πρὸς τὴν φυλακὴν τοῦ κτιθέντος· μᾶλλον δὲ οὐ ῥάθυμοι μόνον, ἀλλὰ καὶ προδόται, διὰ τῆς κατὰ τὸν βίον πονηρίας διαφθείροντες αὐτὸν καὶ χειροποιοῦντες· ὅτ᾽ ἂν γὰρ τοὺς διδασκάλους ἴδῃ τοιούτους ὁ μαθητὴς, χείρων γίνεται· οὐ γὰρ ἵσταται μέχρι τῆς τοῦ διδασκάλου κακίας. ἀλλ᾽ ὅτ᾽ ἂν μὲν ἐνάρετος ᾖ, μιμεῖται· ὅτ᾽ ἂν δὲ φαῦλος, καὶ ὑπερβαίνει διὰ τὴν ἐπικλίαν τὴν ἐπὶ τὸ χεῖρον. In duobus magnis eos criminatur, quorum unum est, quia inutiles ad salutem multorum existentes, vix magno sudore quenquam possunt attrahere; alterum, quod desides ad custodiendos attractos sunt, imo vero etiam proditores, cum eos malo exemplo vivendi deteriores faciant. Magistris enim etiam ipsis pejores discipuli fiunt; probos enim doctores vix imitari possumus; improbos autem, quoniam faciliores ad mala sumus, etiam superamus.

[24] *Et laudem Zeli &c. Si Gentilem ad Judaismum adduxerint, illius se esse creatorem gloriantur. Bereschith Rabba Seder Lech Lecha fol.* 43. *col.* 4. *ad illud Genes.* XII. 5. Objecit R. Eliezer bar *Simra*; si maxime convenirent omnes, quotquot in hunc mundum veniunt, ut crearent saltem muscam unicam; non tamen possent infundere illi animam; quid ergo dicitur hic ואת הנפש אשר עשו; *Et animam quam fecerunt?* Resp. intelliguntur Proselyti, quos ad veram fidem converterunt. Quid inde? Esto ita, convertisse eos ad fidem, nunquid propterea dicendum erat, *fecerunt*. Omnino ut docearis, quod omnis quicunque ad gentilem venit, eumque convertit, perinde æstimetur ac si creasset illum. At dicendum fuerat, quam fecit, quare ergo dicitur; *quam fecerunt?* Respondet R. Huna; Abraham convertit mares, Sara autem fœminas. *Magnifaciendos Proselytos Judæi contendunt. R. Bechai in Cad hakkemach fol.* 19. *col.* 1. Dixit Resch Lakisch, majoris æstimandos hoc tempore Proselytos, quam Israelitas eo tempore, quo apud mentem Sinai consistebant. Ibi enim viderunt tonitrua, & fulgura, & vocem tubæ, & mirabilia, atque miracula longe maxima; Contra Proselyti nihil quicquam hujusmodi viderunt, & venerunt nihilominus, idque cum augustia, & miseria, ut se obtegerent sub alis divinæ gloriæ. *fol.* 13. 2.

[25] *Tempore Jubilæi &c. Gemara Babyl. Erachim fol.* 29. 1. גר תושב אין נוהג אלא בזמן שהיובל נוהג. Non erat mos Proselytos domicilii recipere nisi tempore tantum, quo observari solebant Jubilæi. *Vide Maimonidem Issure Biah cap.* XIV. 8.

[26] *Autem &c. Maimonides de Jubilæo cap.* 1. 3. Septendecim Jubilæos numerarunt Israelitæ ex quo ingressi sunt terram usque ad exitum. Annus vero quo exierunt, & in quo vastatum est Templum primum, fuit exitus anni septimi, & tricesimus sextus Jubilæi. Nam 410. annos stetit templum primum; eo vastato cessavit hæc æra; illa abrogata terra deserta relicta est 70. annos; & tum exstructum est secundum; quod stetit annos 420. Anno septimo ab exstructione Templi secundi ascendit Ezras, estque is secundus in terram introitus; atque ab hoc anno inceperunt uti alia æra, & fecerunt annum decimum tertium ab exstructione Templi secundi annum intermissionis, septemque annis Sabbathicis numeratis, consecrarunt annum quinquagesimum. Quamvis autem Jubilæus non obtinuerit sub Templo secundo, nihilominus computarunt annos Jubilæos ad consecrandos annos Sabbathicos.

CAPUT SECUNDUM

DE PŒNIS JUDÆORUM FORENSIBUS.

Præter quatuor supplicia capitalia Judæis usitata, notatu digna est pœna XL. plagarum demta una.

§. I. QUatuor [1] antehac apud Judæos ordinaria supplicia capitalia in usu fuerunt I. הרג *Occisio*, *s. Decollatio*. II. סקילה *Lapidatio*. III. שריפה *Ustulatio*, & IV. חנק *Strangulatio*, sive, ut in Targum *Ruth. c.* 1. *v.* 12. recensentur: רגימת אבנא *Injectio lapidum*, יקידת נורא *crematio ignis*, קטילת סייפא *Interfectio gladii*, & עליבת קיסא *suspensio ligni*, ut κατὰ πόδα vertit Joh. Coccejus ad *Sanhedrin p.* 57. [2] E quibus Rex solum gladii supplicium habebat, ut tradit Maimonides *Hilc. Sanh. c.* 14. qui & *Hilc.* מלכים *c.* 3. §. 12. ait: *Interficiendi potestatem Rex non habet, nisi gladio tantum*. Licet ergo [3] Nabot 1. *Reg.* 21. ob falso intentatum crimen [4] læsæ majestatis [5] lapidatus sit, id tamen de sententia Consessus factum esse probat Seldenus *de Success. p. m.* 179. Cætera itaque tria suplicia Synhedrii erant: quanquam huic etiam jus gladii concessum fuisse satis diserte probare videantur verba *Sanh. c.* 7.: ארבע מיתות נמסרו לבית דין סקילה שריפה הרג וחנק *Quatuor supplicia tradita sunt Senatui: Lapidatio*, *Ustulatio*, *Occisio* (quæ gladio fiebat & Synecdochice ita dicitur) & *Strangulatio*. Nequicquam ergo Schickardus e Maimonide probare conatur jus gladio puniendi penes solum Regem fuisse.

§. II. Communis processus cum omnibus supplicii capitalis reis talis fere erat: [6] Statuebantur rei coram judicibus in loco eminentiori, & testes e regione. (conf. 1. *Reg. XXI.* 9. 10.) Convictis de crimine judices & testes [7] manus imponebant dicentes: *Sanguis tuus sit super caput tuum*. [8] Damnatus producebatur e curia vel loco judicii ad locum supplicii, qui non intra urbem sed extra muros erat. (conf. *Act. VII.* 58.) [9] Inter educendum, si quid pro innocentia sua sonti succurreret, quater quinquiesve reduci poterat, vel si saltem alius ipsius defensionem in se suscipere vellet. Hoc fine [10] præco anteibat in hæc verba conclamans: *Prodit hic N. N. filius N. N. lapidandus* (decollandus &c.) *ob culpam hanc illamve. Testes ejus sunt N. N. & N. N. Quicunque eum insontem docere potest, accedat & rationes suas exponat*. Cum decem circiter cubitis a loco supplicii abesset damnas, [11] edenda ipsi erat confessio delicti (ut nonnulli probant ex *Jos. VII.* 19.) Edita illa confessione præbebatur ipsi [12] granum thuris (s. aliquid amari) in poculo vini (sic Salvatori οἶνος ἐσμυρισμένος *Marc. XV.* 23.) ut averteretur mens ejus (vel turbaretur intellectus, quod probant *ex Proverb. XXVI.* 6.) His peractis fiebat executio. Post eam (uti quidam notant) instrumenta supplicii igne [13] consumi vel auferri aliter solebant, ne funesta superarent omina. Conf. de hisce Talm. *Sanhedr. c.* 6. Maimonidem *Hilc. Sanh. c.* 13. *s.* Coccejum *ad Sanh. p.* 49. *s.* Lightfootum *p.* 309. 311. *&c.* Leusdenium *Disp.* 47. Godwyn *in Mose & Aarone l.* 5. *c.* 4. & alios.

§. III. Jam de singulis quoque paucula afferemus, & primo quidem *de decollatione*. Ejus processus traditur *in Sanhedr. c.* 7. *Præceptum de plectendis gladio ita exequebantur* עושה שהמלכות כדרך בסייף ראשו את מתיזין היו [14] *Præscindebant caput gladio juxta processum Regium*. R. Jehuda vero ait: אלא מניחין את ראשו על הסדן וקוצץ בקופיץ *Potius imponebant caput trunco & securi præscindebant*. (ut in Anglia.) Responsum ei est: *Hoc genere mortis turpius nullum est*. Certe apud Romanos etiam, post Augusti tempora, gladii, quam securis, in decollatione honestior fuit usus; unde *Bassianus Cæsar* valde increpuit illos, qui Papinianum securi decollassent, quod gladio factum oportuerat, teste Spartiano *in vita ejus* c. 4. Duo vero a Maimonide *Hilc. Sanh. c.* 15. §. *penult.* nominantur facinora, ob quæ quis capite plecteretur: *Occidendi* (gladio) *duo* [16] *sunt: Homicida &* נרחת urbs *excommunicata*, ut vertit Schickardus, vel: *prolapsa* ad Idololatriam.

§. IV. *Lapidationis* processus e traditione Talmudistarum *Sanh. c.* 6. & Maimonidis *Hilc. Sanhedr. c.* 15. §. 1. talis erat: Lapidando [17] quatuor cubitis ante locum supplicii detrahebantur vestes, ut denudaretur, velatis solum anterioribus (in viris,

nam

nam mulieres lapidandas non nisi modice denudabant.) [18] Dehinc adscendere jubebatur in locum lapidationis altitudine exæquantem geminam hominis staturam. [19] Ascendebant simul duo testes, quorum unus reum inde detrudebat, ut supinus concideret. [20] Si ex eo casu non moreretur, alter lapidem sublatum in pectus ejus demittebat, & si ne sic quidem moreretur, a populo universo lapidibus obruebatur, quem processum probant ex *Deut. XIII. 9.* c. *XVII. 7. Exod. XIX.* 13. [21] Testes in lapidationis executione primos fuisse patet quoque ex *Act. VII.* 58. 59. & ad priorem testium processum *Matth. XXI.* 44. alludi autumat Lightfootus. Peracta denique lapidatione [22] cadaver lapidati in sublime attollebatur, sive suspendebatur, non capite, sed manibus, [23] nec diu, sed statim solvebatur: id Judæi præceptum esse rentur *Deut. XXI.* 21. 22. 23. Eadem ex Hebræis producunt Coccejus *in Sanh. p.* 45. *f.* Lud. de Dieu *in Acta p.* 79. Schickardus *d. J. R. p.* 103. aliive.

§. V. Quinam [24] pœnam lapidationis incurrerint, exponunt Talmudistæ *Sanhedr.* c. 7. Adulterium tamen, cui *c.* 10. strangulationis pœnam dictant, antehac supplicio lapidationis punitum esse ex historia Susannæ & *Joh. VIII.* 5. patet. Habent alias Hebræi regulam: כל מיתה אמורה בתורה סתם אינה אלא חנק [25] *Supplicium extremum, quod in lege non specificatur*, (ut adulterii) *strangulatio est*. Et addunt rationem: כל מקום שנאמר מיתה בתורה סתם אין אתה רשאות מושכה להחמיר עליה אלא להקל עליה *Ubicunque supplicium extremum in lege non specificatur; non debes id trahere ad gravius, sed ad levius.* Jam strangulationis supplicium iis levissimum habetur. Verum quicquid sit, indeterminate positum supplicium tam de lapidatione, quam de strangulatione capi potest. *At*, inquias, *quomodo Talmudistæ ignorassent, quo supplicio tempore Salvatoris adulteria plecterentur!* Hic *Leusdenius* ad illud sese confert χρηστφύγετον, mulierem Christo adductam viro tantummodo desponsatam, nondum vero ductam fuisse, quales ex traditione Talmudistarum lapidabantur. Ast hoc σοφὸν φάρμακον nec historia Johannis nec lex Levitici illic citata adeo prone admittere videtur. Et in historia Susannæ res nimis liquida videtur. Potius diceremus [26] & lapidatione & strangulatione adulteros plexos fuisse, pro ratione concurrentium circumstantiarum. Posterius dum memorant supplicium Talmudici, prius eo ipso in totum non negant. Nec possumus præterire, quod *Sanh. c.* 7. §. 4 ajunt: [27] *Qui rem habet cum uxore Patris* חייב עליה משום אשת אב ומשום אשת איש *reus est* (lapidationis) *ob eam, tum quod sit uxor patris* (i. e. ob incestum) *tum quod sit maritata* (i. e. ob adulterium) *&c.* Et R. Dav. Kimchi *ad Ezech. XVI.* 40. fatetur adulteras lapidari solitas. Regula vero Judaica, ut cœteræ, valet apud eos non semper, sed plerumque; Conf. & Coccejus *ad Sanhedr. c.* 10. *p.* 79. Sigonius *de R. Hebr. l.* 6. *c.* 8. Sixt. Amama *Antib. l.* 3. *p.* 610. Dilherrus *Ecl. Syr. N. T. p.* 224. Leusdenius *Phil. mixt. p.* 327.

§. VI. *Combustionis s. ustulationis* processus juxta *Sanh. c.* 7. §. 2. & Maimonidem *Hilc. Sanh. c.* 15. §. 5. talis erat: [28] Ustulandus fimo ad genua usque immergebatur & a duobus mappa circa collum convoluta trahebatur hinc & inde, usquedum os ipsius hisceret, mox liquefactum stannum vel plumbum hianti infundebatur, ut descendens intestina concremaret. Adeoque comburendi non in succenso rogo cremabantur, ut nobiscum veneficæ, sed infuso liquefacto metallo in fœtida palude necabantur. Et hæc combustio a quibusdam dicitur *Combustio animæ*, ut altera illa apud Judæos, certe posteriores, minus usitata, ubi corpus incensis undique lignis comburitur, *Combustio corporis*. Conf. R. Levi *ad Lev.* 10. & Drusius *ad diff. loca Lev. c.* 74. Ast posteriorem Talmudici non putant legibus consentaneam. Ita enim l. c. legimus: [29] *R. Elieser filius Sadok* ait: *Historia habetur de filia sacerdotis quadam, quæ scortata & deinde aggestis circumquaque cremiorum fascibus combusta est. Illi responsum fuit:* מפני שלא היה בית דין של אותה שעה בקי *Hoc inde est, quod Senatus illius temporis non esset exercitatus* (s. peritus statutorum) scilicet Sadducæorum hæresi infecti erant. שאין להם אלא קרא כמשמעו *qui nihil accipiunt, nisi κατὰ ῥητὸν habeatur in Scriptura.* Porro quinam [30] Combustionis pœnam incurrerent, tradunt Talmudici *Sanhed. c.* 9.

§. VII. *Strangulatio* denique e Talmudistarum & Maimonidis descriptione ita peragebatur: [31] Immergebatur reus fimo usque ad poplites & indebatur sudarium durius teneriori atque circumvolvebatur collo ejus: tunc attrahebant id ambo testes, quilibet ad se, donec ille excluderet animam. [32] Ergo strangulandi non fuerunt suspensi, uti apud nos fures in patibulo, nisi quis simul blasphemus fuisset, ille enim post aliud supplicium in sublime tractus fuit. Id tamen non erat specie distinctum supplicium (nam mortuo fiebat) sed supplicii alterius consequens; ut miremur, quid scribat Drusius *ad diff. L. Lev. c.* 69. *Mortes dicunt Hebræi, cum volunt significare sup-*

supplicia. Earum genera quatuor : *Suffocatio*, *Combustio*, *Suspensio*, *Lapidatio*. Suspensionem addit; & omittit decollationem. Cæterum, qui strangulandi essent, tradunt Talmudici *Sanhed. c.* 10.

§. VIII. Atque ordinaria fuerunt Hebræorum supplicia capitalia, in quorum executione sequioribus temporibus per varias παραδόσεις τὸ ῥητὸν Scripturæ quandoque desertum fuisse, dubium non est. Disquiri tamen posset, annon plura fuerint? Nos non existimamus, quod ordinaria : extraordinaria plura fuisse non negamus. Addere vero nonnulli solent demersionem sive καταποντισμὸν. Ita Drusius *Observ. l.* 3. *c.* 23. *In consuetudine apud veteres Hebræos positum fuit, ut, qui crimen aliquod gravius commiserat, is, si deprehensus esset, in profundum Saxo ingenti alligatus demergeretur:* quæ observatio est B. Hieronymi *ad Matth.* 18. Idem asserit Erasmus Schmidius his verbis : *Cum aliæ gentes plumbeo vasi reos inditos demergerent, ut non tam aquarum vi, quam, omni elemento indigni, aeris privatione perderentur, ut ex l.* 14. *Athenæi comprobatur* : *Palæstini saxum collo alligabant & ita reum demergebant, ut hic* (Matth. XVIII. 6.) *& Marc. IX.* 42. *& Luc. VII.* 2. *habemus*. Conf. Casaubonus *ad h. l.* Lightfootus tamen *p.* 213. ait, Christum loqui de genere mortis forsan nullibi, certe nunquam apud Hebræos usitato. Sed ut ut inter ordinaria supplicia hoc non ponamus, nunquam tamen adhibitum fuisse nimis audax assertio est. Et mirum est, cur Vir CL. ambigat, num ullibi tale mortis genus usitatum fuerit. Certe CL. Henr. Kippingius *Recens. Antiqu. Rom.* licet de Judæis veteribus negat, a Syris tamen [33] perinde ut a Græcis atque Romanis hujusmodi supplicium aliquando adhibitum concedit, idque probat ex Scholiast. *ad Aristoph. Equites* : Ὅταν γὰρ καταπόντων τίνας, βάρος ἀπὸ τῶν τραχήλων ἐκρέμων. Et ministros Caij prædonis oneratis gravi onere cervicibus in flumen præcipitatos esse refert Svetonius *l.* 2. *c.* 67.

§. IX. Quidam etiam addunt pœnam *dimembrationis*, quam patriæ proditoribus & violatoribus pactorum inflictam volunt, ejusque vestigia producunt ex 1. *Sam. XV.* 33. 2. *Sam. XII.* 31. 2. *Reg. VIII.* 12. 2. *Reg. XV.* 16. *Matth. XXIV.* 51. Sic & Justinus *Dial. cum Triph. p.* 114. Tertullianus *de Patient. c.* 14. Epiphanius *de vita Proph.* aliique Patres de Esaja narrant, quod [34] serra lignea a Manasse dissectus fuerit, quo referunt verbum ἐπρίσθησαν *Hebr. XI.* 37. de Prophetis V. T. adhibitum. Sic & Caligula multos honesti ordinis medios serra dissecuit, teste Svetonio *l.* 4. *c.* 27. Et Dion. Cassius de rebellantibus in Africa Judæis sub Trajano ait : πολλοὺς δὲ καὶ μέσους ὑπὸ κορυφῆς διέπριον. Conf. & Gellius *l.* 20. *Noct. Attic. c.* 1. Sed & hoc, saltem ap. Hebræos, extraordinarium supplicii genus fuit. De loco vero *Matth. XXIV.* 51. conf. Gerhardus *Harmon. Evang. c.* 163. *p.* 741.

§. X. Sed & *Crucis* supplicium antiquis Hebræis usitatum fuisse censent Galatinus *de A. C. V. l.* 6. *c.* 8. Baronius *Tom.* 1. *Annal. A. C.* 34. *n.* 94. *p.* 221. *& not. ad Martyrol. Rom. p.* 230. ejusque Epitomator Spondanus *p.* 32. Car Sigonius *l.* 6. *de Rep. Hebr. c.* 8. *p.* 331. Gretserus *l.* 1. *de cruce c.* 19. J. Lipsius *l.* 1. *de cruce c.* 11. Corn. a Lapide *ad Gal.* 3. 13. Philippus Caroli *gustu Phil. sacræ Dial.* 3. aliive, nisi quod Romanos clavis affixisse crucis canditatos, Judæos funibus alligasse nonnulli notent. Ast negant id Jos. Scaliger. *Animadv. ad Euseb. p.* 109. Phil. Mornæus *de verit. Rel. Chr. c.* 30. If. Casaubonus *Exerc.* 16. *contra Baron. n.* 77. Drusius *l.* 4. *Præt. ad N.T.* Seb. Munsterus *ad Ev. Matth. Hebr. p. m.* 385. D. Gerhardus *Harm. Pass. p.* 8. Hugo Grotius *Ann. Ev. p.* 208. D. Georg. Calixtus *Conc. Ev. l.* 6. *c.* 11. Bald. Walæus *Comm. ad Ev. p.* 779. Sixtinus Amama *Antib. Bibl. p.* 404. Henr. Kippingius *Antiqu. Rom. l.* 2. *c.* 8. *&* alii. Et his nos quoque nostrum addimus calculum. Nam dum illi crucis vestigia ex *Num. XXV.* 4. *Jos. VIII.* 29. *c. X.* 26. 2. *Sam. XXI.* 9. quærunt, analogam quandam suspensionem, [35] quæ fiebat alia morte peremtis, quorum cadavera deinceps ad lignum pendula ostentui exponebantur, pro crucifixione, adeoque supplicii consequens pro ipso supplicio accipiunt. Neque vero D. Paulus *Gal. III.* 13. dictum *Deut. XXI.* 22. ad Christum crucifixum applicans, crucifixionem Hebræis usitatam fuisse dicit, sed concludit a suspensione in genere, quæ furcæ, cruci, patibulo, palo accommodari potest.

§. XI. *Scaphæ* [36] supplicium, cujus Plutarchus *in Artaxerxe*, Zonaras, Fulgosus *l.* 9. aliive meminerunt, voce [37] צינק *Jer. XXIX.* 26. inferri existimat Junius. Ast compedes manicasve exponunt Rabbini. Conf. Raschi, R. Dav. Kimchi & R. Sal. ben Melech *ad h. l.* Certe nos vocem צינק a r. צנק inusitata ap. Hebræos, sed superstite ap. Arabes & Samaritanos deducere malimus, quam cum Junio ex צי & ינק componere atque exponere *naviculam sugentem*. Nam צנק Samaritane est : *Clausit*, inde צינק commode esset vel *Carcer*, qui alias a claudendo Hebræis מסגר dicitur, vel *Catena* s. vinculum manus pedesve concludens atque constringens. Conf. Hottingerus *Smegm. Orient. p.* 190.

§. XII.

§. XII. Fuerunt hactenus supplicia Judæorum *capitalia*. Ex pœnis *non capitalibus* præcipue notabimus *Flagellationem*, quæ tamen a *Fustigatione* differebat. Hæc enim erat pœna [38] quædam extra Palæstinam ob contumaciam & violationem legum tum sacrarum, tum præcipue magistralium irrogari solita. Baculo verbera infligebantur neque plagarum definitus numerus, ut in flagellatione, erat, sed pro gravitate criminis temperabatur, [39] poteratque ad necem etiam sontis procedi. Dicitur alias מכת מרדות דרבנן & tunc Flagellatio, differentiæ causa, vocatur מלכות אורייתא. Conf. Maimonides *Hilc. Sanh. c. 16. & 18.* Autor *Aruch. in r.* מרר Coccejus *ad Sanh. & Macc. p. 123. & 145.* W. Henr. Vorstius ad. *Maim* הלכות יסודי התורה *p. 76.* Leusdenius *Phil. mixt. p. 334.*

§. XIII. Sic & Flagellatio Christi *Matt. XXVII. 26. Joh. XIX. 1.* cum describenda non erat ejusdem generis, verum ex more Romanorum. Hi enim ad [40] crucem ituros in carcere flagris concidere solebant. Hinc Josephus, *de Bello Jud. l. 2. c. 25.* ἐς μάςιξι προσαικισάμενος ἀνεςαύρωσεν. Conf. Rosinus *Antiqu. Rom. l. 9. c. 17. p. 710.* & Henr. Kippingius *l. 2. c. 8. p. 4. 9.* Alia tamen intentione a Pilato Salvatorem flagellatum esse contendit Beza.

§. XIV. Extraordinariæ autem crudelitatis inventum erat Flagellatio, [41] quæ fiebat בעקרבים *scorpionibus* i. e. flagellis aculeatis, ut vertit Junius *1. Reg. XII. 11.* *Baculi erant*, ait Ralbag, *pleni spinis, quæ pungebant & dolorem afferebant*. Spinarum speciem fuisse, quæ pungerent instar scorpionis, Gallice *Esglantier*, notant Raschi & R. S. ben. Melech.

§. XV. Sed jam ad *Flagellationem* XXXIX. *plagarum* accedimus. Præceptum divinum habetur de XL. plagis sonti coram judice infligendis *Deut. XXV. 2.* [42] Traditio vero humana est de XL. minus una sive XXXIX. plagis, quas Paulus quinquies a Judæis se accepisse scribit *2. Cor. XI. 24.* Quod enim Erasmus Schmidius *ad h. l.* supplet παρὰ μίαν ἡμέραν, quasi quinquies alternis diebus quadraginta plagis ceciderint, in medio relinquimus. Certe cum a Judæis se plagas istas accepisse dicat, potius solennis eorum flagellandi modus innui videtur. Sed unde orta sit numeri diminutio & subtractio unius plagæ, merito quæritur. Judæorum Seraphici magistri e transmarina sapientiæ suæ abysso miras hujus rei hauserunt rationes. Ajunt in textu [43] notanter dici במספר ארבעים numero quadragesimo i. e. *quadragenario proximo*, ut *Mischna Macchoth. c. 3. §. 10.* exponit, vel, *qui numerat quadraginta post se*, ut Gemara ibidem, vel *numero qui in causa est, ut post eum numeremus quadraginta*, ut Raschi, vel ארבעים i. e. *usque ad quadraginta*, ut explicat Maimonides. Verum non curant maleferiati homines distinctionem *Soph-Pasuk* inter במספר & ארבעים. Ita de quamplurimis, neglectis istis distinctionibus, σοχαςτικῶς disputare solent. Et quo jure במספר ארבעים exponitur: *Numero quadragenario proximo*? Addunt alii vocem אחיר in numeris valere 39. Acute nimis! Maimonides propterea unum ictum demtum esse ait, [43] ne lictor incautus quadragenarium excederet, quod lege erat prohibitum, numerum minuere non item, *in Hilc. Sanh. c. 17.* Certe numerum XXXIX. modus flagellationis sequioribus temporibus Judæis usitatus peperisse videtur. [45] Nam cum singuli ictus triplices & pro tribus essent, tredecim ictus pro 39. plagis satisfecerunt, & si decimus quartus additus, fuisset, XLII. plagæ contra legem inflictæ essent.

§. XVI. Res omnis expedita erit, ubi modum istum breviter ex mente Talmudicorum adduxerimus: Lictor sonti vestes detrahebat ad femora usque & manus ejus ligabat ad [46] lignum quoddam sesquicubitale terræ infixum, ut ei reus inclinatus incumberet. Postea lictor lapidi pone sontem insistens manu tenebat oblongum lorum [47] bubulum, cujus [48] manubrium unius palmæ erat, & illi utrinque additum lorum asininum ita ut singuli ictus [49] triplices essent. Nam lorum bubulum medium cum oblongum esset, cædebat pectus vel umbilicum, duo asinina superiorem & inferiorem dorsi partem, breviora namque erant. Ictus proinde XIII. pro XXXIX. erant, quia triplicabantur per diversa lora unius flagelli. Flagellationi intererant tres judices parvi Synedrii, quorum primus legebat verba legis *Deut. 28. v. 58. c. 29. v. 9.* & *Psal. 78. v. 38.* partim ad pœnitentiam, partim ad consolationem sontis, ita tamen sermonem moderatus, ut cum ictibus finiret: Secundus numerabat ictus: tertius identidem clamabat הכהו *Cæde eum*. Conf. jam Talm. *Tr. Maccoth. c. 3.* Maimonides *Hilc. Sanhedrin. c. 16. 19.* Buxtorfius *de Abbrev. Rabb. Ep. dedic. & Syn. Jud. c. 25. p. 521.* Schickardus *de J. R. Hebr. p. 57.* Coccejus *ad Sanh. & Macc. p. 122. s.* L'Empereur *ad Middot p. 8. 9.* Ant. Hulsius *Theol. Jud. P. 1. p. 277.* Lud. de Dieu *ad Acta p. 198.* Dilherus *Elect. l. 2. c. 18.* Leusdenius *Phil. mixt. Diss. 49.*

§. XVII. Sed num etiam in Synagogis aliquando peracta hæc flagellatio sit, non satis liquet: id tamen ut non omnino negemus faciunt loca *Matt. X. 17. & c. XXIII. 34.*

quicquid Beza ſuſpicetur. Cl. Lightfootus quidem, Vir in lectione Talmudiſtarum hodie incomparabilis, *Hor. Hebr. p.* 154. hoc ita explicat, ac ſi flagellari in Synagoga idem, ſit, quod flagellari בב״ד של שלשה *coram conſeſſu triumvirali*, qualis in Synagoga qualibet erat. Aſt, cum Apoſtoli ob religionem & confeſſionem Chriſti iſtam pœnam ſuſtinuerint, non eſt abſimile vero, in ipſis quoque Synagogis flagellationem peractam eſſe. Et ab authoritate Talmudica non valent argumenta negativa. Conf. Gerhardus *Harm. c.* 158. *p.* 205.

NOTÆ AD CAPUT SECUNDUM.

[1] *Quatuor &c. Babyl. Sanhedrin diſtinct.* ארבע מיתות. Quatuor mortes traditæ fuerunt domui Judicii, lapidare, comburere, occidere, & ſtrangulare. *Toſaphta Sanhedrin cap.* IX. 16. Quatuor genera mortis tradita ſunt Synhedrio, lapidatio, combuſtio, occiſio, & ſtrangulatio.

[2] *E quibus &c. Codex Sanhedrin* VII. 3. Inſtitutum de puniendis gladio tale eſt; Caput ejus enſe præſecabatur, quomodo juſſu regio fieri ſolet.

[3] *Nabot &c. Toſaphta Sanhedrin* IV. 10. Qui occidebantur ex decreto magiſtratus, eorum facultates pertinebant ad hæredes; qui juſſu Regis interficiebantur, eorum facultates ad Regem pertinebant; verba R. Jehudæ, & Sapientes dicunt, qui juſſu Regis occidebantur, eorum facultates hæredibus tribuebantur, eis dixit R. Jehuda nonne dictum eſt, *Ecce ad vineam Nabot deſcendit, ut poſſideat eam?* 3. *Reg.* 21. 18. Ei reſponderunt, quia filius erat fratris patris, & poterat eam hæreditate conſequi; Eis reſpondit, nonne ei erant filii? Ei reſponderunt, non eſt verum; quia occidit eum, & filios, quemadmodum ſcriptum eſt; *Si non pro ſanguine Nabot, & pro ſanguine filiorum ejus, quem vidi heri, ait Dominus, reddam tibi in agro iſto, dicit Dominus*; 4. *Reg.* 9. 26.

[4] *De Sententia conſeſſus &c. Si de ſententia conſeſſus fuiſſet damnatus, ejus bona non ad Regem, ſed ad ejus hæredes perveniſſent. Levi Gerſonides ad* 1. *Reg.* XXI. 15. Ex hoc loco ediſcendum, bona eorum, qui regni cauſa morte plectuntur, Fiſco, ſeu Regi ipſi cedere. *R. David Kimchius ibidem, ad verba illa Jezebelis, ſurge & poſſide vineam* Nabothi; Dixit id (*Jezebel*) ex cauſa, ſeu nomine hæreditatis. Quoniam bona ejus ad eum devenere ex ſententia judicii; & ipſe locum hæredum occupabat. *Et paucis interjectis*. Qui morte damnatur ob crimen læſæ Majeſtatis, tam is, quam quæ ſua ſunt, Regis fiunt. Ceterum diſſenſus eſt inter Magiſtros noſtros f. m. & dicunt; Eorum, qui regni cauſa morte plectuntur, bona Fiſco, ſeu Regi cedere; Eorum vero, qui confeſſus judicio, ad hæredes tranſmitti. Atque inde eſt, quod Jezebel juſſerit, ut teſtes Nabothum accuſarent dirarum tam in Regem, quam in Deum. Nam ſi de Deo ſolummodo accuſaſſet, judicium ejus confeſſui Judicum fuiſſet permittendum; unde & bona ejus ad hæredes fuiſſent tranſmiſſa; Sed quoniam dirarum in Regem eſt accuſatus, Regni cauſa morte damnatus eſt. Quod ſi objicis, cur igitur opus erat, ut Deus adjiceretur? Reſpondendum eſt non aliam ob cauſam, quam ut celerior in eum fieret juſtitia. *Gemara Babyl. Sanhedrin, cap.* VI. *fol.* 48. 2. Traditio eſt Rabbinica, ubi regni cauſa capite quis plectitur, bona ejus regi cedere, ubi vero per conſeſſum Judicum, bona ejus ad hæredes tranſmitti

[5] *Lapidatus ſit &c. Ob blaſphemiam in Deum, cujus Naboth accuſatus fuerat. Blaſphemi enim omnes lapidabantur.*

[6] *Statuebantur rei &c. Toſaphta Sanhedrin* VIII. 5. Miniſtri Judicum, & reus, & teſtes, & qui poſſent eſſe falſarii, & qui hoſce convincere poſſent, conſiſtebant inter ordinem exteriorem & populum, neque erat neceſſe, ut reus notus fieret, quia conſiſtere eum faciebant prope primum teſtem.

[7] *Manus imponebant &c. Siphra ad cap.* XXIV. *Levit.* 14. *Et ponant manus qui audierunt*, hi ſunt teſtes; *qui audierunt*, ſunt Judices; *Manus ſuas*; manus ſingulorum; *Manus ſuas ſuper caput ejus*; imponebant ſuas manus ſuper caput ejus, eique dicebant; *ſanguis tuus ſuper caput tuum; quod tu ita meritus es.*

[8] *Damnatus &c. Siphra ibid. Educ blaſphemum extra caſtra*, docemur, quod magiſtratus erant in loco interiori, & locus lapidationis in exteriori. *Maimonides Sanhedrin cap.* XII. Cum vero major pars ex condemnantibus conſiſteret, reum in executionem educi faciebant; locus autem iſte, quo damnatus pœnam capitalem ſubibat, procul a Synhedrio ſitus erat, quo trahunt illud; Educ blaſphemum extra caſtra. Mihi vero videtur diſtantia loci fuiſſe circa milliaria ſex, qualis inter Moſis Synhedrium ad oſtium Tabernaculi & caſtra Levitarum. *Hieroſ. Sanhedrin. fol.* 23. 1. *Babyl. Sanh. fol.* 42. 2. בית הסקילה חוץ לבי״; Locus lapidationis erat extra Synhedrium ſicut dicitur: *Educ blaſphemum extra caſtra*; Levit. 24. 14. *Traditio*. בית הסקילה היה לג׳ מחנות; locus lapidationis erat extra tria caſtra. *Gloſſa*. Atrium erat caſtra divinæ præſentiæ; mons tempii caſtra Levitarum. Hieroſolyma caſtra Iſraelis. Atque in quovis Synhedrio in quavis civitate erat locus lapidationis extra civitatem, ſicut Hieroſolymis.

[9] *Educendum &c. Babyl. Sanh. ibidem*. אחד עומד על פתח בי״ והסודרין בידו; Stetit quidam in oſtio Synhedrii, in manu habens ſudarium; וסוס רחוק ממנו כדי שיהא רואהו; atque equus tantæ diſtantiæ, ut intra conſpectum tantum foret. Si quis igitur dixerit; habeo quod teſter pro damnato, agitat iſte ſudarium; & currit eques, & revocat euntes; Imo ſi ipſe dicat; habeo, quod pro me ipſo apologizem, reducunt eum quater, quinquieſve; ſi modo ſit aliquid ponderis in verbis ſuis.

[10] *Præcone &c. Babyl. Sanh ibid.* Pergunt ad lapidationem, & præco præcedit eum clamans; N. filius N. prodit lapidandus, quia tale crimen commiſit; & N. N. ſunt teſtes in eum, ſi quis pro eo poteſt teſtari, prodeat & teſtetur. *Lampridius in vita Alexandri*. Turinum ad ſtipitem alligari præcepit, & fumo appoſito necavit, præcone dicente; fumo punitur, qui vendidit fumum *cap.* 36. *Spartianus in vita Septimii Severi*. Fuſtibus eum ſub elogio præconis cecidit. *Xiphilinus in Didio Juliano*. Τὸν Νάρκισσον θηρίοις ἔδωκεν αὐτὸ τοῦτο κηρύξας, ὅτι οὗτος ἐστιν ὁ Κόμμοδον ἀποπνίξας. *Et in Septimio Severo*. Καὶ θηρίοις μετὰ τοῦτο ὑπὸ κηρύγματος ἐδόθη.

[11] *Edenda &c. Toſaphta Sanhedrin* IX. 9. Quando decem cubitos aberat a loco lapidationis, ei dicebant, confitere; & contigit, ut quidam, qui educebatur, ut lapidaretur, cum ei dixiſſent, confitere, reſponderit; Sit mors mea expiationi pro omnibus peccatis meis; Et ſi hoc peccatum peccavi, cujus cauſa ducor ad mortem, ne mihi ignoſcatur, & Magiſtratus Iſraelis abſolvatur. Cum hoc relatum eſſet coram ſapientibus, ex eorum oculis eruperunt lachrimæ, & dixerunt, fieri non poteſt ut reducatur, cum lata ſit ſententia; Verum ejus ſanguinis Deo rationem reddent ejus teſtes. *Babyl. Sanh. ibid.* Cum vero jam decem tantum cubitis diſtat a loco lapidationis, hortantur eum ut confiteatur, nam ſic mos eſt ita interfectorum confiteri; omnis enim confitens habet portionem in mundo futuro.

[12] *Granum thuris &c. Babyl. Sanh. fol.* 43. 1. Prodeunti ad ſupplicium capitis potum dederunt granum thuris in poculo vini, ut turbaretur intellectus ejus; ſicut dicitur; *Date ſiceram perituro, & vinum iis, qui amaro ſunt animo &c.* Traditioque eſt, fœminas generoſas Hieroſolymitanas hoc e ſpontaneo ſumtu ſuo exhibuiſſe.

[13] *Conſumi &c. Sepulta fuiſſe omnes affirmant. Toſaphta Sanhedrin* IX. 13. Gladius, quo occidebatur, qui occiſionis erat reus, linteum, quo ſtrangulabatur, lapis quo lapidabatur, & furca, in qua ſuſpen-

ſuſpendebatur, ſepeliri debebant; Verum cum eo non ſepeliebantur. Quando caro conſumta erat, legati magiſtratus colligebant oſſa, & ſepeliebant in ſuis ſepulchris, etiamſi eſſet Rex maximus, non ſepeliebant eum in ſepulchris ſuorum majorum, ſed in ſepulchris quæ a Synedrio præſtituta erant. Duo ſepulchra a Synhedrio conſtituta erant, alterum pro lapidatis, & combuſtis, alterum pro ſtrangulatis & occiſis; & pariter dicebat David; *ne perdas cum impiis Deus animam meam*. *Pſalm.* XXV. 9. *Baal hatturim fol.* 212. 2. קבור הקברנו לומר שנם העץ נקבר עמו. Sepeliendi verbum in hac lege repetitur (*ſepeliendo ſepelies*) ut ſignificetur ipſum etiam lignum cum ſuſpenſo ſepeliendum eſſe.

[14] *Præſcindebant caput &c. Toſaphta Sanhedrin* IX. 17. R. Jehuda inquit. Textus dicit. *Diliges amicum tuum ſicut teipſum*: Levit. XIX. 18. Elige pro ipſo meliorem mortem; quomodo fiebat? Caput impoſitum trunco præcidebatur; ei dixerunt; non poterat morte affici hac turpiori; eis reſpondit; verum eſt, quod illa ſit mors turpiſſima, ſed hoc fiebat, ne morte ea afficeretur, qua *rei* a Gentilibus puniebantur; etenim ſacer textus dicit; *Nec in legitimis eorum ambulabitis*. Levit. *XVIII*. 3.

[15] *Duo &c. Codex Sanhedrin cap. IX.* 1. Iſti ſunt qui gladio puniuntur; Homicida, Incolæ urbis ad Idololatriam prolapſæ. *R. Levi Barzelonita Præcept. Affirm. XLVII.* Quod jubeamur occidere tranſgreſſores quorundam præceptorum legis gladio; Atque hoc ſupplicium vocatur a Rabbinis noſtris *Occiſio*, quæ mors facilis eſt. Unus autem eorum, qui hoc ſupplicio tollendi ſunt, eſt, qui ſervum ſuum percuſſerit, etſi Cananæus fuerit, ſi ſub manu ejus moriatur, ſicut dicitur; *vindicando vindicator*: Exod. 21. 20. i. e. occidatur occiſione gladii.

[16] *Quatuor &c. Toſaphta Sanhedrin IX.* 10. Quando a loco lapidationis aberat quatuor cubitos, ei detrahebantur veſtes. Maris anteriora velabantur, mulieris & anteriora & poſteriora; quia mulier tota eſt turpitudo, verba R. Jehudæ, quæ dicebat nomine R. Elieſeris; & ſapientes dicunt, homo lapidabatur nudus, at fœmina non lapidabatur nuda. *Hieroſol. Sanhedrin fol.* 23. 1. Cum jam intra quatuor cubitos a loco lapidationis perventum eſt, detrahunt veſtes ejus, atque eum denudant. *Apud Gentiles crucifigendi omnino nudabantur*. *Arrianus in diſſertatione Epicteti lib.* 4. *c.* 26. καὶ ἐν τῷ βαλανείῳ ἐκδυσάμενος καὶ ἐκτείνας σεαυτὸν, ὡς οἱ ἐσταυρωμένοι, τρίβῃ ἔνθεν καὶ ἔνθεν. *Artemidorus lib.* 2. Onirocriticorum cap. 58. σταυροῦσθαι ἀγαθὸν τοῦ πένιτι, καὶ γὰρ ὑψηλὸς ὁ σταυρωθεὶς, τοὺς δὲ πλουσίους βλάπτει, γυμνοὶ γὰρ σταυροῦνται.

[17] *Dehinc &c. Toſaphta Sanhedrin* IX. 11. Locus lapidationis erat duplici ſtatura hominis altus, & ipſe (lapidandus) ſtatura, ita triplici ſtatura altus erat. *Babyl. Sanhedrin fol.* 42. 2. Locus lapidationis erat duplici hominis ſtatura altus.

[18] *Aſcendebant &c. Babyl. Sanhedrin* 42. 2. Unus teſtium projicit eum in lumbos ſuos. Si in pectus ſuum ſe volvet, revolvunt in lumbos. Si ſic moriatur bene. *Jarchius ad Sanhedr. cap. 6. fol.* 45. 1. Tradunt Rabbini noſtri id quod de impulſione, ſeu præcipitatione habetur deſignari in illo apud Moſem de projiciendo, & quod de lapidatione, in eo quod dicitur lapidando, & quod de lapidatione & de impulſione in eo quod dicitur *aut lapidando lapidabitur*, *aut projiciendo projicietur*; illud autem (itidem in Miſna) ſi mortuus ſic fuerit reus ex impulſione ejuſmodi, ſatisfactum eſſe legi, pendere ex illo disjunctivo, aut projiciendo projicietur. Etiam per omnia ſecula morem illum obtinuiſſe ex eo quod dicitur, *lapidando lapidabitur*. *Gemara Hieroſol. Sanhedrin fol.* 23. 3. Undenam in *pœna lapidationis* ipſa lapidum projectio? Ex eo deſumta eſt, quod dicitur, *lapidando lapidabitur*; & undenam impulſio illa, *ſeu* lapidandi dejectio, *aut* projectio? ex eo deſumta eſt, quod dicitur *projiciendo projicietur*. *Levi Gerſonides ad* 2. *Reg. cap.* 9. 33. *ubi agitur de Jezabela e feneſtra juſſu Jehu Regis dejecta ita ſcribit; ut in terram dejiceretur*. Atque hæc lapidatio erat, quemadmodum etiam lapidatus eſt Naboth. Nam lapidatio erat aut per immiſſionem, *ſeu* projectionem lapidum in lapidandum, aut per projectionem ſeu detruſionem ipſius lapidandi in ſaxum, juxta illud quod dicitur; quoniam lapidando lapidabitur, aut projiciendo projicietur. Atque hic plane talio erat. *Et David Kimchi ibid.* Scriptura hic reſpicit Nabothum, quem illa dejici præceperat, & lapidari. Sic jam ille (*Rex*) præcepit eam dejici, quoniam judicium lapidationis in eam exequendum erat, ut nempe ex caſu moreretur, & ſic eam occiderent. *Iterum Gerſonides in Pirush ail hatorah fol.* 74. *col.* 3. Qui non obſervaverit hoc, lapidandus erat juſſu domus judicii, aut ex loco ſublimi præcipitandus. *MS. Ez Hechajim ibid.* Reus aſcendebat locum lapidationis, ſuis comitatus teſtibus, manus habens ligatas. Ibi unus teſtium, dato lumbis impulſu valido, ut ſeſe vertens, prono corpore in terram decidat, efficit. Si moriebatur, aquieſcendum erat.

[19] *Si ex eo caſu &c. Toſaphta Sanhedrin* IX. 11. R. Simeon filius Eleaſaris dicit; Lapis ibi erat ejus ponderis, ut a duobus hominibus ferri poſſet, qui in ejus pectus immittebatur, ut obſervaretur præceptum lapidationis. *Babyl. Sanhedrin ibidem*. Si ſic moriatur bene; ſi non, teſtis alter tollit lapidem, atque cordi ejus imponit; ſi ita moriatur bene. Si non, lapidatur per omnem Iſraelem. *Siphra ad Levit.* XXIV. 23. *Ac lapidibus oppreſſerunt eum*, & non ejus veſtem, *lapidibus*, docemur, quod ſi uno tantum lapide moreretur, ſatis eſſet. *Feceruntque filii Iſrael, ſicut præceperat Dominus Moyſi*; tam in manus impoſitione, quam in eo impellendo, quam in eo ſuſpendendo, quam in eo, ne in furca ejus cadaver pernoctaret.

[20] *Teſtes &c. Siphra ad Levit.* XXIV. 16. *Lapidibus opprimet eum* & non ejus veſtem; *omnis multitudo*; totane congregatio eum lapidabat? Verum hi erant teſtes, adſtante tota congregatione; poſſem credere, quod eſſet doctrina pro ea una vice tantum; idcirco dicit; *Et ad filios Iſrael loqueris*; Sit hæc conſuetudo pro generationibus.

[21] *Cadaver &c. Toſaphta Sanhedrin IX.* 11. 12. & quando ſuſpendebatur, alter teſtium ligabat, & alter ſolvebat, ut abſervaretur præceptum ſuſpenſionis. *MS. Ez Hachajim ibidem* Inter ajentia præcepta eſt quoque illud, ut blaſphemi, & Idololatræ ſuſpendantur. *Quia maledictus a Deo eſt, quod pendet in ligno*. *Deut.* XXI. 23. Atque de Idololatria quoque dicitur; *quoniam adverſus Dominum rebellis fuit*. *Num. XV.* 30. Ceterum fœmina non ſuſpenditur; quippe S. E. *Quando peccaverit homo*. *Deut. XXI.* 22. Interim quantum ad quatuor illa ſupplicia, quibus perimuntur ſontes, attinet, iiſdem tam viri quam fœminæ indiſcriminatim affici debent. Sic vero peragitur ſuſpenſio. Poſtquam lapidatione enectus eſt, defigitur trabs in terram, e cujus latere lignum quoddam prodit, ex eo per manus inter ſeſe junctas prope occaſum ſolis ſuſpenditur cadaver &c.

[22] *Nec diu &c. Toſaphta Sanhedrin IX.* 11. Dicebat R. Meyr, quid docemur e verſiculo qui dicit, *quia maledictus a Deo eſt quod pendet in ligno*? Quid hoc ſimile eſt? duobus fratribus inter ſe ſimilibus quorum alter eſt rex ſuper univerſam terram, alter vero ad latrocinia exeat. Poſt aliquod tempus, qui latrocinatur, capitur, & in furca ſuſpenditur; & omnes per eam viam prætereuntes, qui hunc vident ſuſpenſum, arbitrantur hunc ſuſpenſum eſſe regem; idcirco dictum eſt, *quia maledictus a Deo eſt, quod pendet in ligno*. *R. Abarbanel in leg. fol.* 379. *col.* 2. Allegavit (inquit) ſcriptura huius rei duas rationes, unam cum ait; *quia maledictus eſt a Deo, quod pendet in ligno*; alteram cum dicit; nequaquam *contaminabis terram tuam*. Ecce in explicatione loci hujus ſuper his Legis verbis, *quia maledictus eſt a Deo, quod pendet in ligno*, tres apud Interpretes occurrunt ſententiæ. Prima eſt, quam commemorat R. Salomon Jarchi b. m. cedere hoc in contemtum Regis, ſiquidem homo creatus eſt ad ſimilitudinem imaginis ejus, & Iſraelitæ ſunt ejus filii; quod parabola de duobus fratribus ſibi facie ſimilibus. Altera ſententia eſt in libro Siphre, ubi cum unus ſtatuiſſet, omnes lapidatos ſuſpendendos fuiſſe, obtinet decretum ſapientum, non fuiſſe ſuſpendendum niſi blaſphemum, & Idololatram, ſenſumque adeo verborum, *quia maledictus eſt a Deo, quod pendet in ligno*, hunc eſſe, quæſituros eſſe homines, ob quam cauſam ſuſpenſus ſit? cumque audiverint blaſphamaſſe Deum, & idola coluiſſe,

in

in despectum Dei hoc cedet, & commemorationem iniquitatis; quam sententiam similiter R. Abraham, & R. Moses bar Nachman, & R. Levi ben Gerson producunt, sed nulla mentione facta sive libri Siphre, sive Onkelosi, qui primum eam tradiderunt. Tertia sententia calculo R. Mosis bar Nachman comprobata est, quasi juxta literam lex diceret; Etiamsi in aliquo fuerit reatus mortis, jamque per sententiam judicii eo pervenerit, ut propter sceleris admissi magnitudinem suspendatur de ligno; etiamsi, inquam ita sit, non tamen relinques noctu cadaver ejus &c. siquidem ab omnibus hominibus maledictus & execrabilis est suspensus, cum inter omnia mortis genera nullum turpius aut abominabilius sit quam hoc ipsum &c. Quoniam rationibus istis magna est debilitas, nolo adversum istas pluribus agere, sed meam potius sententiam simpliciter indicabo. Sensus verborum *quia maledictus est a Deo quod pendet in ligno*, hic est, quod maledictio & pœna, quam Deus in hujusmodi peccatorem ac reum decrevit, neque perpetua esse debeat, neque certi & determinati temporis, sed simpliciter suspensio tantum. Postquam ergo ipse Deus suspensionis pœnam ita suspendit, ut non decerneret longo illam tempore futuram, quare tu prolongabis, & addes pœnæ illius, diutius eum in patibulo relinquendo? Non certe hoc decet; sed quo die suspensus est, eodem etiam sepeliatur, postquam suspensione sua pœnam sustinuit, & maledictionem, qua eum Deus punivit, & maledixit ob facinus commissum. Alteram de טומאה הארץ sic exponit. Sensus est, quod si homo mortuus suspensus sit, & retectus, corpus ejus fœtorem gravissimum edit in terra, atque inde damnum & corruptio ad cæteros homines in vita superstites redundat, id quod magna est contaminatio in terra, propterea quia homo est animal vivens, quod multo citius quam cætera viventia putrescit, & fœtet. Quæ ipsa causa est, quare in libro Siphre non tantum omnes ex Synhedrii sententia supplicio ultimo damnatos sic dicant sepeliendos, sed & quemlibet suum mortuum illo, quo obiit, die insepultum relinquentem transgredi præceptum hoc negativum, idque ex eadem causa naturali, quam recensui. *Babyl. Sanhedrin* 42. 2. morantur usque dum prope adsit occasus solis, & tunc judicium ejus perficiunt, eumque interficiunt. *Ubi Glossa*. Non perficiunt judicium ejus, neque eum suspendunt mane, ne pigrescerent circa ejus *sepulturam* inciderentque in oblivionem, *Et penderet ille post occasum solis*. Sed prope ad occassum solis, ita ut cito eum sepeliant. *Licuit tamen Regi ad incutiendum timorem suspensos diutius in patibulo relinquere. Maimonides Melachim cap.* 3. Suspendit & relinquit suspensos diebus multis, ut incutiat terrorem, & frangat malitiam improborum in seculo. *Quin etiam multos legimus sepultura caruisse, Jezabelem* 2. Reg. IX. 35. &c. *præterea interminationes divinas de projiciendis absque sepultura Jeroboami domesticis* 1. *Reg. XIV.* 11. *de Joakimi sepultura asini Jerem. XXII.* 19. *de qua Kimchius in eum locum fol.* 548. *col.* 2. Sepulturam asini sic intelligit; quemadmodum asinus non sepelitur, ita etiam ille non sepelietur. Quomodo enim fit sepultura asini? trahunt eum & projiciunt in sterquilinium. Similiter trahent cadaver Joakimi, & projicient illud extra portas Hierosolymorum. Sic enim ille extra urbem hanc mortuus est, cum altera vice in captivitatem abduceretur, neque permiserunt Chaldæi eum sepeliri. *Apud Gentes Crucifixi plerumque insepulti. Petronius Arbiter in Satyrico pag.* 140. Miles Cruces asservabat, nequis corpora detraheret ad sepulturam. *Et ibidem pag.* 143. Itaque Cruciarii unius parentes, ut viderunt laxatam custodiam, detraxerunt nocte pendentem, supremoque mandaverunt officio. *Plutarchus de Cleomene Spartarum Rege pag.*224. ὀλίγαις δὲ ὕστερον ἡμέραις οἱ τὸ σῶμα τοῦ Κλεομένους ἀνεσταυρωμένον φυλάττοντες, εἶδον εὐμεγέθη δράκοντα τῇ κεφαλῇ περιπεπλεγμένον. Artemidorus lib. 5. Onirocrit. Ἔδοξέ τις λαμπάδας ἀπὸ τῆς ἑστίας μὴ δύνασθαι ἀνάψαι, καὶ ἀπὸ τοῦ οὐρανοῦ ἀνάψαι ἐσταυρώθη, καὶ κατὰ τοῦτον τὸν τρόπον τῷ οὐρανίῳ πυρὶ ἐθάλπετο. *Annæus Seneca lib.* 8. *Controvers. sect.* 4. Omnibus natura sepulturam dedit, naufragos idem fluctus, qui expulit, sepelit. Suffixorum corpora crucibus in sepulturam suam defluunt, eos qui vivi uruntur, pœna funerat. *Sophocles in Ajace vers.* 841. Καὶ μὴ πρὸς ἐχθρῶν τοῦ κατοπτευθεὶς πάρος ῥιφθῶ κυσὶ πρόβλητος οἰωνοῖς θ' ἕλωρ. Ne ab hostium aliquo conspectus prius, projiciar canibus, atque avibus lanianda esca *Idem in Antigone v.* 210. Ἐᾶν δ' ἄθαπτον, δὲ πρὸς οἰωνῶν δέμας, καὶ πρὸς κυνῶν ἐδεστόν. Relinquere inhumatum avibus corpus, & canibus edendum. *Vide Horat. Epod.* 17.

[23] *Quinam &c. Maimonides Sanhedrin* cap. XV. Octodecim autem ex præscripto legis lapidandi sunt; Concumbens cum matre; cum uxore patris; cum nuru sua; cum puella desponsata; cum Masculo, cum bestia; Mulier attrahens in se bestiam; blasphemus; Stellarum cultor; qui dederat de semine suo Molocho. Qui consuluerat Ob. Qui consulerat Iideoni; seductor in Idololatriam; impulsor in Idololatriam; veneficus; Sabbathum profanans; patrem aut matrem execrans; filius rebellis.

[24] *Supplicium extremum &c. Siphra ad Levit. XX.* 10. *Et vir*, ad excludendum minorennem, *qui mœchatus fuerit cum uxore viri*, ad excludendum uxorem minorennis, *& adulterium perpetraverit cum conjuge proximi sui*, ad excludendum uxorem Idololatræ, *morte moriatur*, pœna strangulationis; tu dicis pœna strangulationis, at ego dicam aliqua ex mortibus, quæ a Lege præscribuntur. Dixisti? Egredere, & disce, quod quamlibet mortem, quæ a lege non explicatur, tibi non liceat referre ad mortem gravem, sed eam explicare pro morte levissima. Verba R. Josiæ. R. Jonathan dicit, non propterea quod sit pœna levior, verum quia hæc non sit, & quæcunque mors, quæ commemoratur, & non explicatur, non est alia, quam Strangulatio. Rabbi dicit; commemoratur mors per manum Dei, & commemoratur mors per manum hominis; quemadmodum in morte per manum Dei non apparet signum, etiam in morte per manum hominis non apparet signum. *Maimonides Sanhedrin cap. XIV.* Quatuor suppliciorum genera Capitalium Synhedrio tradita sunt, lapidatio, combustio, gladius, strangulatio, quæ bina priora in lege clare explicata inveniuntur, atque ex ore Mosis magistri nostri didicimus, omne mortis infligendæ genus simpliciter dictum significare strangulationem.

[25] *Et lapidatione &c. R. Levi Barzelonita Præcept.* XXXV. Et ibi in Sanhedrin explicatur, adulterum cum alterius conjuge congredientem, utrumque suspendi, virum cum virgine congredientem utrumque suspendi; virum cum virgine desponsata rem habentem, utrumque lapidibus obrui. Quod si filia fuerit Sacerdotis, illa comburitur, huic vero gula frangitur. Interdictum autem adulterii ex præceptis est, quæ omnes homines concernunt, sive Israelitæ fuerint; sive gentiles; aliquo tamen discrimine, quia conjugium apud gentiles nonnisi congressu contrahitur, apud Israelitas vero etiam dote. *Tosaphta Sanhedrin* X. 10. Qui congreditur cum virgine desponsata non meretur pœnam nisi sit virgo desponsata, & sit in domo patris; Virgo desponsata in domo mariti, & adulta desponsata in domo patris, & maritata tam in domo patris, quam in Domo mariti, qui cum ea congreditur, strangulatur, si cum ea decem congressi essent, omnes rei sunt lapidationis, si vero virgo non sit, primus lapidandus est, & cæteri omnes strangulandi. Qui recipit maritum in domo patris, quamvis sit virgo, qui cum ea congreditur, lex ejus est, ut strangulettur; Virgo desponsata, quæ fornicata esset, lapidabatur ad portam domus patris, si patris domus careret porta lapidabatur ubi fornicata esset; & si esset in civitate gentilium, super porta Synhedrii lapidabatur.

[26] *Qui rem &c. R. Levi Barzelonita Præcept.* CXC. Qui rem habet cum matre sua, quæ uxor patris ejus est, videlicet non vi stuprata, duplici reatu constringitur, altero quia mater ejus, altero vero, quia uxor patris ejus. Neque refert sive superstite patre cum ea fuerit congressus, sive eo defuncto.

[27] *Ustulandus &c. Levi Barzelonita Præc.CCXXIV.* Præceptum de comburendis tale accepimus. Damnatum fimo immergunt usque ad genua; Linteum postea durum molli involvunt, quod collo ejus circumdatur, & a duobus testibus ejus hinc inde trahitur

hitur, uſque dum os dehiſcat; Tunc inſtillant ſtannum, & plumbum, & ſimilia his, quod ori illius illiquatum deſcendit, & viſcera ejus comburit. *Contra vero apud Gentes extrinſecus comburendi reos conſuetudo obtinuit. Plautus in Captivis Actu* 4. *Scen.* 4. Atra pix te agitet apud Carnificem ac tuo capiti illuceat. *Horatius lib.* 1. *Epiſtol.* 15. Scilicet ut ventres lamina candente nepotum

Diceret urendos.

Prudentius in ſupplicio Romani

Nec ſic inuſtæ laminis ardet catis.

Juvenalis Satyra 1.

Tæda lucebis in illa

Qua ſtantes ardent, qui fixo gutture fumant

Sulpicius Severus lib. 2. *Hiſtor. ſacræ*. Operimento (*inquit*) quodam ex ſarmentis, tædis, pice, papyro contexto, & perlito veſtiebantur, & velut obvolvebantur Chriſtiani, paliſque ad guttur extenſis alligabantur, ut ſemper ſtarent arrecti. Tunc apex capiti imminens accendebatur, & pergebat tunica ardere, donec una cum homine incluſo deflagraret cerei inſtar. *A Juvenale Satyr.* 8. tunica moleſta *vocatur*, *& a Martiale lib.* 10. *Epigram.* 24. *a Tertulliano lib.* 1. *adverſus nationes cap.* 3. incendialis. *Seneca Epiſtol.* 14. vocat tunicam alimentis ignium illitam, atque intextam. Chriſtianos, *ut ait Tertullianus in Apologetico*, vocabant ſarmentarios, & ſemiaxios, quoniam ad ſtipitem dimidii axis revincti ſarmentorum ambitu exurebantur. *Vivicomburio, perduellionis rei, magi, ſacrilegi, ſicarii, incendiarii, calumniatores puniebantur. Calliſtratus l. Capitalium* §. *igni cremantur D. de pœnis. Paulus lib.* 5. *Sententiarum Tit.* 17. *&* 24. *Valerius Max. lib.* 6. *rerum memorab. cap.* 3. Ita P. Mutius Tribunus plebis omnes collegas ſuos, qui duce Spurio Caſſio id egerant, ut magiſtratibus non ſubrogatis communis libertas in dubium vocaretur, cremavit vivos. *Hirtius de bello Hiſpanico*. Servus deprehenſus in cuniculo, quia Dominum ſuum jugulaverat, vivus exuſtus eſt. *Hæc pœna poſtea obſolevit, uti videre eſt e reſponſo Modeſtini* L. ſi diutino §. ultimo. D. de pœnis. *Auguſtin. lib.* 1. *adver. literas Petiliani cap.* 20. *& lib.* 3. *contra Creſconium cap.* 49.

[28] *R. Elieſer &c. Gemara Sanhedrin fol.* 52. *col.* 1. Dixit R. Eleaſar filius R. Sadok; Recordor cum adhuc infans eſſem, & ſcapulis parentis veherer, quod adduxerint filiam Sacerdotis, quæ fornicata fuerat, eamque faſciculis ramorum circumdederint, atque ita combuſſerint. Cui reſponderunt, parvulus tunc fuiſti; atqui non ſolent probationem petere a parvulo. R. *Moſes Mikotzi lib. Præcept. fol.* 188. In capite Talmudico, quod incipit *Arba mithoth* dicitur quod R. Eleaſar bar Sadok maximi fuerit habitus ante templi deſolationem, teſtatuſque ſit vidiſſe ſe filiam Sacerdotis, quæ ſcortata fuerat, comburi faſciculis ramorum. Videtur autem hoc quadraginta minimum annis contigiſſe ante excidium, ſiquidem judicia capitalia inde ab eo tempore ceſſaverant.

[29] *Combuſtionis &c. Toſaphta Sanhedrin cap.* XXII. Hi ſunt qui comburebantur, qui congreſſus eſſet cum muliere & ejus filia, & filia Sacerdotis marito obligata. Si congreſſus eſſet cum matre, & poſtea cum filia, aut congreſſus eſſet cum filia, & deinde cum matre, reus eſt mortis. Quia non diſcimus, quod qui congreditur cum filia mulieris, quæ ab eo vi ſtuprata ſit combuſtionis ſit reus; cum textus dicat; *Et vir qui duxerit uxorem & ejus matrem, ſcelus eſt; Levit.* XX. 14. (ita Hebræus; *Vox ducere* oſtendit, quod textus agat de ea, quæ illi deſponſata ſit; idcirco dictum eſt; *Sacerdotis filia. Levit.* XXI. 9. Quocunque modo ei ſit filia. Adoleſcentula deſponſata, & filia Sacerdotis, quæ fornicatæ eſſent, lapidabantur; R. Simeon dicit, comburebantur, ſi fornicata eſſet cum ſocero, lapidanda erat; & R. Simeon dicit comburebatur. *Siphra ad Levit. cap.* XX. 14. Et vir ad excludendum minorennem; qui duxerit uxorem & matrem ejus. In omnibus exprimitur vox *concumbere*, & hoc loci dicitur *ducere uxorem*; quia non eſt reus ipſius pœnæ, niſi eam uxorem duxerit. Hinc eſt quod dixerunt. Poteſt permitti, ut quis ducat uxorem præter mulierem vi ſtupratam, & pellectam; & qui cogit, aut pellicit (*aliam mulierem*) præter illam, quam in uxorem duxit, reus eſt. *Uxorem & matrem ejus*. Non probatur niſi pro uxore & ejus matre; filia, & filia ejus filiæ, & filia ejus filii unde probatur? Dictum eſt hoc loci *ſcelus*, & dictum eſt ibi *ſcelus*; ſicuti illic eſt filia, & filia filiæ, & filia filii, etiam hic; etiam *ſcelus*, quod hoc loco dictum eſt, eſt filia, filia filiæ, & filia filii. Unde probatur, quod conſiderandi ſint mares æque ac fœminæ? argumento a pari; Dictum eſt hoc loco *ſcelus*, & dictum eſt ibi (*cap.* 18. *v.* 18. *ſcelus*; Quemadmodum ibi conſiderantur mares æque ac fœminæ; etiam in ſcelere, quod hic dicitur, conſiderantur mares æque ac fœminæ. Et unde probatur quod ſint conſiderandi aſcendentes æque ac deſcendentes? Dictum eſt hoc loci *ſcelus*, & dictum eſt ibi *ſcelus*; quemadmodum ibi conſiderantur aſcendentes æque ac deſcendentes, etiam hic conſiderantur aſcendentes æque ac deſcendentes. *In igne ardebunt ille, & illæ* (ita Hebræus) una ex illis, verba R. Iſmaelis. R. Akiba dicit, donec ſint ambo, quod ſi nupſiſſet matri, & concumbat cum filia, reus eſt; ſi filiæ, & concumbat cum matre, reus eſt; *In igne ardebunt ille, & illæ*; pœnam audivimus, præmonitio unde probatur? Ex eo quod dicit; *Turpitudinem uxoris tuæ & filiæ ejus non revelabis. Levit.* XVIII. 17. *Et ad Levit.* XXI. 9. *Sacerdotis filia quæ ſe profanaverit* (*ita Hebræus*) poſſem credere, quod etiamſi profanaret Sabbathum, comburenda eſſet; ideo dicit, *quæ ſe profanaverit ſtupro*, quando ſe profanaverit ſtupro, non autem quod alia re ſe profanaverit. Poſſem credere, quod etiamſi libera fornicaretur, quod eſſet comburenda; ideo dicit, *patrem ſuum*, & alibi dictum eſt *patrem ſuum* (Deut. XXII. 21.) ſicuti *pater ſuus*, qui eo loci dicitur, ſignificat, quod ſit marito obligata, etiam *pater ſuus*, qui hoc loco dicitur, oſtendit, quod ſit ſubjecta marito. Poſſum etiam dicere, quod *pater ſuus* veniat ad excludendum totam terram; Verum cum dicat, *& illa profanat*, ecce tota terra excluſa; cur igitur dicit, *patrem ſuum*? Ut nobis ſignificet, quemadmodum, ibi ſtuprum, cum marito obligata eſt, etiam *patrem ſuum*, qui hic commemoratur, cum marito ſubjecta eſt. Aut dicam, quemadmodum, *patrem ſuum*, qui eo loci dicitur, eſt adoleſcentula deſponſata, hinc etiam non probabo niſi pro adoleſcentula deſponſata; unde probatur adoleſcentula maritata? majorennis deſponſata? etiam vetula unde probatur? Ex eo quod dicit, *Sacerdotis filia* cujuſcunque conditionis. Ego non probo niſi filiam Sacerdotis nuptam Sacerdoti, unde probatur filia Sacerdotis nupta Levitæ, filia Sacerdotis nupta Iſraelitæ, etiam nupta Gabaonitæ, & ſpurio unde probatur? Ex eo quod dicit; *Sacerdotis filia*, quamvis illa non ſit nupta Sacerdoti. *Patrem ſuum illa profanat*. R. Elieſer dicit, ſi inceſtum committit cum patre, comburitur, ſi cum ſocero lapidatur; *flammis exuretur*; illa comburebatur, ſed ille, qui cum ea congrediebatur, non comburebatur; illa comburebatur; verum ejus teſtes, ſi falſi deprehenderentur, non comburebantur. *Maimonides Sanhedrin cap.* XV. comburendi ſunt decem; filia Sacerdotis adultera; concumbens cum filia ſua, cum nepte ex filia, cum nepte ex filio, cum uxoris filia, cum uxoris nepte ex filia ejus, cum nepte ex filio ejus, cum ſocru ſua, cum ſocrus ſuæ matre, cum matre ſoceri ſui. Hoc autem intelligitur, ſi in vivis ſit ipſius uxor, verum uxore demortua, exterminio plectendus eſt.

[30] *Immergebatur &c. Siphra ad Levit.* XX. 10. Ordo ſtrangulationis hujuſmodi erat. Damnatus uſque ad genua fimo immergebatur, linteum durius collo ejus circumdatum molliori involutum hinc inde trahebant, donec ei anima exiret *Mechilta ad Exod.* 21. 15. מכאן אמרו מצות חנק היו משקעין אותו בזבל עד ארכובותיו ונותנים סודרין קשין ברכין וכורך על צוארו מושך להלן וזה מושך להלן עד שנפשו יוצאה זה סדר חנק : Hinc dixerunt quod hoc ſit præceptum ſtrangulationis; immergunt (*reum*) fimo uſque ad genua; tum collo ejus circumdatum linteum durum molli involutum hinc inde diverſi trahunt, donec exſpiret. Hic eſt ordo ſtrangulationis.

[31] *Ergo ſtrangulandi &c. Abarbanel in Leg. fol.* 379. *col.* 2. Quantumvis ſententia ſapientum obtinuerit, non eſſe omnes lapidatos ſuſpendendos, exinde tamen non conſequitur, quod blaſphemus & Idololatra ſi convicti & confeſſi fuerint, ſuſpendi debeant,

ita

ita ut non lapidentur prius, verum hoc saltem, quod postquam lapidati sunt, suspendi adhuc debeant ob gravitatem delicti.

[32] *Perinde ut a Græcis &c. Diodorus Siculus lib.16.* Ο῾ δὲ φίλιππος τὸν μὲν ὀνόμαρχον ἐκρέμασε, τοὺς δὲ ἄλλους ὡς ἱεροσύλους κατεπόντισεν. *Polybius lib. 2. Histor.* Ἀλλ᾽ ὅμως τοιοῦτος ὤν, οὐδενὸς ἔτυχε δεινοῦ, πλὴν τοῦ καταποντισθῆναι διὰ τῶν ἐν ταῖς κεγχρεαῖς πεπραγμένων. *Curtius lib. 10. Mergi in amnem, sicut vincti erant, jussit. Suidas.* Ὅτε κατεπόντουν τινάς, λίθους τῶν τραχήλων ἀπεκρίμαζον. Quum aliquos in mare submergebant, de collo suspendebant lapides. *Victor Uticensis de Hunerico.* Imitator Geiserici patris, qui sui fratris uxorem ligato pondere lapidum, in Amsagam fluvium jactando demersit. *Vide Prudent. de Quirino.*

[33] *Serra &c. Bereschith rabba sect.* 65. נתנוהו בחמור של חרשים והיו מנסרים אותו והיה צוח ווי ווי ווי דארגזית לבוראי; Imposuerunt ipsum asino fabrorum, & serra dissecuerunt ipsum, & clamavit Væ Væ, quod offendi creatorem meum. *Et sect.* 70. אתה נותן את הרשע בחמור של חרשים אין אתה מועיל ממנו כלום; Etsi impium imposueris asino fabrorum (& in frusta eum dissecueris) tamen nullam ab ipso utilitatem elicies.

[34] *Quæ fiebat alia morte &c. Abarbanel in Leg. fol.* 379. *col.* 2. Pridem etiam visum est hoc esse de literali Scripturæ sensu, cum lex ait; *Quando peccaverit homo, quod morte plectendum est, & adjudicatus morti. Deut.* XXI. 22. Quod subintelligendum sit, lapidationis supplicio, quippe quod toties innuitur, quoties simpliciter & absolute nullo supplicii genere expresso mors memoratur; Et quod cum porro ait; *Appensus fuerit in patibulo*; hoc idem sit ac si dictum fuisset; si post lapidationis supplicium eum suspenderint. *Gemara Sanhedrin fol.* 46. *col.* 2. Si dictum fuisset (Deut. XXI. 22.) *Peccaverit & suspendes*; tunc dicerem ego, suspendendum prius reum, & postea demum (*in cruce aut patibulo*) occidendum, prout in Regno (*Romano*) fieri solet. At quia dictum est; *Et occisus fuerit & suspendes*, hoc docet, reum prius occidendum, & tunc demum suspendendum esse. *Apud Ægyptios, Syros, Chaldæos, & Persas rei post mortem suspendebantur. Justinus lib. 1. Histor.* Cyrum Persiæ Regem acie cepit Tomyris Regina Scytharum, & capite multatum in cruce fixit. *Herodotus lib. 4. Histor.* Histiæus Milesius turbarum autor bello victus ab Artapharne Darii Hystaspis legato captus, ablatoque capite in cruce suspensus est. *Idem lib. 7.* Leonidæ Spartanorum Regis ad Thermopylas interfecti prælio corpus, ablato capite, in crucem elevaverunt. *Plutarchus in vita Artaxerxis Mnemonis.* Catem Bagapatam jussit Parysatis deglubi vivum, cadaver in crucem tripliciter suffigi, pellem vero separatim paxillis distendi. *De eodem supplicio scribit Ctesia Cnidius in Eclogis.* Τὸ δέρμα περιαιρεθὲν ἀνεσταυρώθη ὑπὸ Παρυσάτιδος. *De Regis pistore apud Ægyptios Genes.* XL. 19. Auferet Pharao caput tuum, ac suspendet te in cruce.

[35] *Scapha supplicium &c. De hac pœna vide Eunapium Sardianum in vita Maximi.*

[36] צינק *&c. Hanc vocem omnes fere Hebræi compedes, manicas, numellam ferream carcerem interpretantur. Carcerem & numellas perpessus est Jeremias, ut ipse testatur cap.* 37. 4. 15. 16. 18. 20. 31. *& cap.* 38. 6. 9. 11. 13. 26. *& Thren.* 3. 6. 7.

[37] *Pœna &c. Tosaphata Maccoth.* III. 15. Pœna ex lege erat 40. plagarum minus una, & considerat an sit idoneus, si sit, accipit, sin minus, non his omnibus vapulat; sed in verberibus rebellionis non ita fit, sed vapulat, donec resipiscat, & pœniteat, aut donec exeat anima.

[38] *Poteratque ad necem &c. etiam apud Romanos aliquando rei usque ad necem cædebantur. Svetonius lib. 6. cap.* 49. Legit se hostem a Senatu judicatum, & quæri ut puniatur more majorum. Interrogavitque quale id genus esset pœnæ. Et cum comperisset, nudi hominis cervicem inseri furcæ, corpus virgis ad necem cædi, conterritus. *Eutropius in Breviario Histor. Romanæ lib. 7.* A senatu hostis judicatus, cum quæreretur ad pœnam (quæ pœna erat talis, ut nudus per publicum ductus, furca capiti ejus inserta, virgis usque ad mortem cæderetur, atque ita præcipitaretur de saxo) e palatio fugit. *Iterum Svetonius lib. 12. cap.* 8. Corneliam Virginem maximam absolutam olim, dehinc longo intervallo repetitam atque convictam defodi imperavit, stupratoresque virgis in comitio ad necem cædi.

[39] *Ad crucem ituros &c. Livius lib. 2. Histor.* Servum quidam paterfamilias nondum commisso spectaculo sub furca cæsum medio egerat foro. *Lactantius lib. 2. cap.* 8. Antonius Maximus diverberatum servum sub furca, medio circo ad supplicium egerat. *Dionysius Halycarnasseus lib. 8. Antiquit. Roman.* Vir Romanus haud ignobilis servum suum ad mortis supplicium tradens conservis aliis ducendum, ut magis notabilis pœna hominis ejus foret, per forum verberibus affectum trahere ipsos jussit, & siquis alius in urbe locus celebris. Qui autem ducebant eum ad pœnam, manus ejus ambas extendentes, & lignum ad pectus, & humeros alligantes, quod usque ad manuum volam pertingebat, sequebantur a tergo flagris cædentes sic nudum. *Polybius lib.* 5. ζωγρείᾳ δὲ ἐκυρίευσαν πλειόνων ἢ τριακοσίων ὧν, ἀναπεμφθέντων εἰς τὴν ῥώμην οἱ στρατηγοὶ προαγαγόντες εἰς τὴν ἀγοράν, καὶ μαστιγώσαντες ἅπαντας κατὰ τὸ παρ᾽ αὐτοῖς ἔθος ἐπελέκισαν. *Dion Cassius lib.* 39. *Histor.* Ἀντίγονον ἐμαστίγωσε σταυρῷ προσδήσας, καὶ μετὰ τοῦτο ἀπέσφαξε.

[40] *Quæ fiebat* בעקרבים *&c. R. Levi ben Gerson ad 1. Reg.* XII. 11. *interpretatur*, שבטים אשר בהם קוצים שנוקבים ומכאיבים baculos in quibus spinæ aculeatæ erant, quæ pungebant, doloremque afferebant. *R. David Kimchi* עקרבים קצים משוטים שהם עוקצים בקוצים שבהם וי"ת במרגנין. Scorpiones graviores sunt flagellis, quia pungunt Spinis illis, quas habent additas; *& Jonathan Chaldæus reddidit* מרגנין; *quæ vox Chaldæa* spinas aculeatas *notat. R. Abraham bar Jehuda in Chibbure leket*, עקרבים דערנ"יר בלעז קצים כעקרב. Scorpiones dicuntur Germanice *Dorner*, eo quod instar scorpionum pungant.

[41] *Traditio vero humana &c. Josephus lib.* IV. *Antiquit. Judaic. c.* 8. Ο῾ δὲ παρὰ ταῦτα ποιήσας πληγὰς μιᾶς λειπούσας τεσσαράκοντα τῷ δημοσίῳ σκύτει λαβὼν τιμορίαν ὑπομενέτω. Qui contra fecerit, plagas una minus quadraginta publica scutica accipiens pœnam sustineat. *Apud Athenienses quinquaginta plagarum numerus constitutus erat. Æschines contra Timarchum pag.* 19. Ο῾ νομοθέτης εἶπεν, δοῦλον ἐλευθέρου παιδὸς μὴ ἐρᾷν, μήτ᾽ ἐπακολουθήσειν, ἢ τύπτεσθαι τῇ δημοσίᾳ μάστιγι πεντήκοντα πληγάς.

[42] *Notanter dici* במספר ארבעים *&c. Maimonides ad Cod. Maccoth* III. 10. Si Lex dixisset tantum ארבעים במספר *quadraginta numero*, conveniret ut numerus esset completus, at cum dixit במספר ארבעים *numero quadraginta*, vult quod non vapulabit nisi cum limitatione quadam, & juxta certum numerum quem ferre potest, uti scriptum est Deut. 25.5. כדי רשעתו במספר, ubi lex flagellationes limitat.

[43] *Ne lictor incautus &c. Maimonides ibidem.* Et quod versu 4. dicit ארבעים יכנו dicere vult, usque ad quadraginta, sicut traditione accepimus a sapientibus, quod quandoquidem flagellationes infligendæ sunt juxta naturam sontis, & quadragenis nihil addendum est; non infligendæ sunt quadraginta flagellationes, & una intermittenda, ne quid addatur, sicuti exponitur, quod præceptum de non addendo innuat diminutionem plagarum.

[44] *Nam cum singuli ictus &c. Bartenora ibidem. Quanam igitur parte accipiet ictum abundantem?* Nam iste numerus in tres partes dividi nequit, quia triginta & novem in tres partes dividi possunt, una pars anterius, & duarum reliquarum una in unum humerum, & altera in alterum humerum, sed ubi quadragesima infligitur? inter humeros ipsius; verum decisio non est secundum R. Jehudam.

[45] *Ad lignum quoddam &c. Bartenora ibidem*, על העמוד *ad columnam*, quæ terræ infixa est, & tantæ altitudinis, ut reus ei inniti possit.

[46] *Lorum bubulum &c. Bartenora ibidem; Lorum bubulum*; Eo quod scriptum est Deut. 25. 3. ארבעים יכנו; Et deinde sequitur v. 4. *Non ligabis os ovis terentis in area.*

[47] *Manubrium unius palmæ &c. Tosaphata Maccoth. cap. ult.* 14. Non mutabatur pro eo lorum, non debebat esse longum sed breve, ne ad cor pertingeret, & moreretur.

48 Tri-

48 *Triplices essent &c. Maimonides ibidem*. Præterea necessarium est, ut ictuum triens infligatur cordi, & ictuum triens alterum uni humero, tertium denique alteri humero; & hoc colligimus ex eo quod scriptum est Deut. 25. 2. והכהו מלפניו כדי רשעתו, ergo non a posteriore parte feriet juxta impietatem ejus.

49 *Primus legebat &c. Tosaphta Maccoth. cap. ult.* 14. flagellatio a tribus peragebatur; primus verberabat, secundus numerabat, & tertius legebat. *Maimonides ibidem*. Judicum maximus prælegebat hos Legis textus in Misna memoratos (*scil. Deut*, 28. 58. 59.) quando flagellabant aliquem, & qui ipsum dignitate excipiebat, is numerabat plagas, & tertius ministrum flagellantem incitabat, ut feriret, dicendo, *ferito dum feris*. Si vero magnus esset plagarum numerus, lectio in duobus hisce versibus protrahebatur; at si exiguus esset numerus, lectio accelerabatur, & lectio peragebatur juxta plagarum numerum ut ambo simul finirent, & si plagarum inflictio finita esset ante lectionem, lectio repetenda erat. *De flagellatione ex professo agetur in Additamentis Maccoth, & in tractatu Maimonidis Sanhedrin, quorum altera prodibunt suo loco nunc primum ex Hebraico Latine reddita, & notis philologicis illustrata, alter vero nunc primum commentario adornatus.*

CAPUT TERTIUM

DE LACERATIONE VESTIUM.

Hebræi præcipue in Luctu defunctorum, solenni pœnitentia & vehementioribus animi motibus vestes scindere sive lacerare solebant.

§. I. LAceratio [1] vestium usitatissima fuit ap. Hebræos, non solos tamen. Nam [2] fuit & *Persis* aliisque in usu. Q. Curtius *de rebus gest. Alex. l.* 4. refert, spadonem Dario nuncium attulisse *veste lacerata*, & *l.* 5. quosdam Regem deplorasse *laceratis vestibus* lugubrique & barbaro ululatu. Conf. & Herodotus *in Thalia & Urania*, nec non Diod. Siculus *Bibl. Hist. l.* 17. De *Græcis* idem refert Lucianus *Dial. de luctu*. De *Sabinis* Tit. Livius, *Dec.* 1. *l.* 1. De Rege *Latino* Amatam deflente Virgilius *Æneid.* XII. dicit: *It scissa veste Latinus*. [3] De *Romanis* in genere vid. Dionys. Halicarnass. *l.* 7. Imo & de *Mexicanis* atque *Totonibus* novi orbis incolis quidam id referunt authores, unde satis inepte *Menasse ben Israel* relatione Montezin deceptus in libello suo מקוה ישראל probare voluit Americanos ex Israelitis oriundos esse, quod commentum erudite refutavit *Theophilus Spizelius*.

§. II. Quicquid sit, satis celebris erat hic mos ap. Hebræos, adhibitus vero [4] non unam ob rationem. Octo omnino collegit D. Casp. Finkius *Cen.* III. *Can. Theol.* 94. Nos potissimas ante allegavimus. Lacerabant igitur Hebræi vestes I. *in luctu defunctorum*. Constat id ex *Gen.* XXXVII. 34. de Jacobo. 2. *Sam.* I. 11. de Davide Conf. & 1. *Sam.* III. 31. 2. *Reg.* II. 12. Idemque hodienum verpulis nostris in more positum esse refert Buxtorfius *Syn. Jud. c.* 49. *p.* 697. III. *in solenni pœnitentia*; uti ex *Jos.* VII. 6. 1. *Reg.* XXI. 27. 2. *Reg.* XXII. 11. 19. *Jer.* XXXVI. 27. & 1. *Macc.* III. 47. colligitur, quo commode refert locum *Joel.* II. 13. Arias Montanus *in Jeremia s. l.* 8. *Antiq. Jud.* III. *in vehementioribus animi commotionibus*, idque *vel ob repentinos & insperatos casus*: Sic Athalia scindebat vestimenta comperta seditione 2. *Reg.* XI. 14. 2. *Par.* XXIII. 13. Fratres Josephi invento scypho *Gen.* XLIV. 13. Jephta conspecta filia *Jud.* XI. 35. *Conf.* 1. *Sam.* IV. 12. 2. *Sam.* I. 2. *c.* XIII. 31. *c.* XV. 30. 32. 2. *Reg.* VI. 30. Est. IV. 1. *Jer.* XLI. 5. *&c. vel ob* [5] *auditam blasphemiam*, quasi optarent blasphemum ipsum sic laceratum *Num.* IV. 6. 2. *Reg.* XVIII. 37. *c.* XIX. 1. Es. XXXVI. 22. *c.* XXXVII. 1. *Matt.* XXVI. 65. *Marc.* XIV. 63. Act. XIV. 14. *c.* XXII. 23. Sic & Judices blaspemum judicantes, recitantibus testibus verba blasphemiæ, vestimenta pro more lacerabant. *Avoda Sara c.* 2. & *Sanherdin c.* 7. §. 5. Judæi quandam adjiciunt limitationem lacerandas sc. vestes audita blasphemia *ex ore Israelitæ*. Sed & Hiskias audita blasphemia Rabsakis, qui allophylus tamen erat; vestimenta scidit. In promtu habent, quod respondeant, nim. eum ex Israelita factum esse Apostatam.

§. III. Lacerare vestes cuilibet integrum erat. Unde nequicquam Baronius *Annal. Tom.* 1. *A. Chr.* 34. & alii putant Pontificem *Caipham*, cum audita putatitia blasphemia vestimenta scinderet, contra legem peccasse, quod id sacerdotibus non liceret. Hoc vero [7] ad certum lacerationis modum restringi a Talmudistis, non negari sacerdotibus penitus, regerit Cunæus *de Rep. Hebr. l.* 2. *c.* 3. Conf. & Casaubonus *Exerc. in Baron.* 16. *n.* 73. Hottingerus *de Jur. Hebr. c.* 214. Leusdenius *Phil. Hebr. mixt. Diss.* 27. *p.* 183. & Hilar. Prachius *ad* בקשה *R. Happenini p.* 58. Nobiliss. Joh. Seldenus *de J. N. & G. l.* 2. *c.* 12. *p.* 265. & *l.* 2. *de succ. in Pontif. c.* 7. opportune observat leges sacras in hunc finem allegatas (ex *Lev.* X. 6. *c.* XXI. 10. *Exod.* XXVIII. 32. & XXXIX. 23.) a Talmudistis capi de vestibus sacerdotalibus,

quarum tantum in sacris ministeriis usus erat, non de vulgari amictu, [8] quem extra sacra ministeria gestabant. Hic lacerari poterat, non illæ. Hoc præsupposito deinde tradunt Talmudici [9] scissionis modum, quæ fieret a Pontifice & a gregario sacerdote. Sed hæc ὡς ἐν παρόδῳ.

§. IV. Diximus de *causis* lacerationis, nec non de *personis* quæ lacerarent. Non lubet jam nec vacat addere omnia, quæ dici possent tum de lacerationis [10] *materia*, quam & pallium & tunicam fuisse patet ex *Job.* I. 20. II. 12. *Esr.* IX. 4. tum *medio*, quod non cultrum sed manum fuisse ex 2. *Sam.* I. 11. liquet: [11] tum *forma* & modo, quem non constitisse in denudatione pectoris citra vestium rupturam vel scissuram, vel in vestium violenta modo detractione, diffibulatione vel diloricatione, contra Cajetanum *in c.* 14. *Marc.* & Sopranem asserimus; dum de aliis *circumstantiis*, de quibus ut & in genere de præsenti argumento conferri poterunt Maimonides *Hilc.* אבל *c.* 8. *&* 9. Schindlerus *Lex Pent. r.* קרע *p.* 1660. Drusius *ad loc. diff. Num c.* 58. Buxtorfius *Lex. Talm. c.* 2146. Ar. Montanus *l. c.* D. Casp. Finkius *l. c.* D. Gerhardus *Harm. Pass. c.* 6. *p.* 67. Menochius *l.* 8. *de Rep. Hebr. c.* 6. *q.* 7. Schickardus *de J. R. Hebr. p.* 155. Coccejus *in Sanhedr. p.* 62. Lightfootus *Hor. Hebr. p.* 304. Theoph. Spizelius *de Isr. Amer. p.* 85. &, qui hic omnium industriam superavit D. D. Geier, in aureo *Tr. de luctu Hebræorum p.* 412. *ad finem.*

NOTÆ AD CAPUT TERTIUM.

[1] *Laceratio &c. De laceratione vestium hoc loci pauca dicemus, quamplurima dicturi in tractatu Maimonidis* אבל, *qui suo loco edetur nunc primum ex Hebraico latine, & notis perpetuis philologicis illustratus.*

[2] *Nam fuit & Persis aliisque &c. Curtius lib.* 3. *cap. XI.* Ingens circa eam nobilium familiarum turba constiterat, laceratisque crinibus, abscissaque veste, pristini decoris immemores, reginas, dominasque veris quondam, tunc alienis nominibus invocantes. *Idem lib. X. cap. V.* Ad Darii quoque matrem celeriter perlata est, abscissa ergo veste, qua induta erat, lugubrem sumsit, laceratisque crinibus, humi corpus abjecit. *Xenophon.* παιδείας *lib.* 3. Ὁ παῖς αὐτοῦ ὡς ἤκουσε ταῦτα περιεσπάσατο τὴν τιάραν, καὶ τοὺς πέπλους κατερρήξατο, αἱ δὲ γυναῖκες &c. Puer ilius, quum audivit hæc, destruxit tiaras, & peplos discidit, mulieres vero &c. *& lib.* 1. ὡς οὖν τοῦτο ἤκουσεν ἡ γυνὴ περικατερρήξατό γε τὸν ἄνωθεν πέπλον, καὶ ἀνεδίρατο. Quum igitur hoc audisset mulier, disrupit certe superius peplum.

[3] *De Romanis &c. De Julio Cæsare Suetonius in ejus vita cap.* 33. *refert, quod trajecto* Rubicone pro concione fidem militum flens ac veste a pectore discissa, invocaverit. *De Augusto Dio Cassius narrat*, ipsum vestes, audita clade Vari, & legionum disrupisse. *Iterum Suetonius in vita Neronis*. Postquam deinde etiam Galbam, & Hispanias desciviSse cognovit, collapsus, animoque male fracto, diu & sine voce, & prope intermortuus jacuit. Utque resipuit, veste discissa, capite converberato, actum de se pronuntiavit. *Dio Cassius lib.* XLVIII. Utriusque exercitus milites, audita pace ducum, inter se etiam salutasse, statimque multos utrinque vestes dilacerasse more lugentium, quod quisque audivisset cognatorum, vel propinquorum, qui ex utraque parte interierunt. *Cornel. Tacitus lib. XI.* Annal. solus Mnester cunctationem attulit dilaniata veste clamitans; aspiceret verberum notas, reminisceretur vocis, qua se obnoxium jussis Messalinæ dedisset.

Et Statius Epicedo in Glauciam Melioris
Tu modo fusus humi, lucem aversaris iniquam;
Nunc torvus pariter vestes, & pectora rumpis

Idem in Priscillam
------- tunc flere & scindere vestes
Et famulas lassare greges, & vincere planctu.

Et Theb. III. num. 125.
------- Sanguineo discissus amictu
Luctus.

[4] *Non unam ob rationem &c. Maimonides Ebhel cap. IX.* 2. 3. Eo modo quo quis lacerat, ob parentes, tenetur etiam lacerare ob Rabbinum suum, qui legem ipsum docuit, itemque Principem, & ob patrem Synhedrii, itemque ob populi stragem insigniorem, ob blasphemiam Numinis, ob librum legis combustum, ut & ob civitates Judæ, & propter Jerusalem, & propter sanctuarium. *Idem Taanith cap. V.* 14. Si deletas Judeæ videt civitates, dicat; *Civitas sancti tui deserta est. Isai.* 64. 10. Et vestes dilaceret. Qui vastitatem cernit Hierosolymæ oportet dicat; *Jerusalem desolata est &c. Ibid.* Qui videt Templi exustionem dicat. *Domus sanctificationis nostræ, & gloriæ nostræ, ubi te laudaverunt patres nostris, facta est in exustionem ignis. Ibid. v.* 11. Tum vestes laceret. Sed ex quo tandem loco vestes oportet lacerare? E Sophim. Sed cum pervenerit ad Templi sedem, iterum scindendæ sunt; Qui autem adveniens e solitudine primum incurrat in Templi sedem, vestes discindat propter vastitatem Templi, tum lacerationem hanc amplificet propter Hierosolymæ ruinam. Atque his de causis oportet hominem & stantem, & manu sua discindere vestes, omnes scilicet quibus est indutus, sic ut a pectore denudetur; neque illas resarciet unquam, habet tamen licentiam earum connectendarum, colligendarum & consuendarum in modum scalæ. Siquis sæpius ventitet Hierosolymam, cum inter adventus duos pauciores quam triginta dies intercesserint, non tenetur vestes discindere denuo. Sin effluerint dies triginta, rursum oportet vestes scindere. *Bava Kama fol.* 17. 1. יצאו לפניו שלשים וששה אלף חלוצי כתף Præcesserunt ante ipsum 36000. exuti humero, i. e. nudis humeris, qui vestimenta scilicet sua luctus causa ita dilacerarunt, ut nudi humeri conspicerentur.

[5] *Ob auditam blasphemiam &c. Maimonides Avodah Zarah cap.* 11. Quicunque audiverit maledictionem nominis, tenetur lacerare *vestes*, atque etiam super maledictione ejus cognominis, tenetur discindere, si audierit ex Israelita. Si alter audierit ex ore ejus, & alter audierit, ex ore illius, qui audivit, tenetur discindere; *id vero* duntaxat si audierit ex ore Israelitæ; si autem audierit ex ore Gentilis, non tenetur discindere.

[6] *Blasphemia Rabsakis &c. R. Levi Barzelonita Præcept. LXXVI.* Omnem Israelitam, qui audit maledictionem nominis divini ex ore Israelitæ, teneri scindere *vestes*. Qui vero ab Idololatra illud audiverit non teneri scindere. Unde sciderunt vestes, Eliakin, & Sebna, quia Rabsake apostata fuit. *Maimonides ibidem*. ולא קרעו אליקים ושבנא אלא מפני שרשקה מומר היה

[7] *Ad certum &c. Siphra ad Levit. XXI.* 10. Si dixisset; *Caput non discooperiet, vestimenta non scindet*, possem dicere, non discooperiet, & non discindet mulierem adulterii suspectam; ideo dicit, *caput suum.* R. Meyr dicit; *caput suum non discooperiet, vestimenta non scindet*, pro suo mortuo juxta consuetudinem hominum, qui se discooperiunt, & se lacerant pro suis mortuis; *non scindet*; non scindet juxta

ta morem reliquorum qui ſcindebant; quomodo hoc intelligitur? Sacerdos (ſc. magnus) lacerabat inferius, & vulgaris ſuperius.

[8] *Quem extra ſacra &c. Maimonides de Vaſis Sanctuarii cap. VIII.* 10. Summus autem ſacerdos noctu & cum ex ſanctuario excedebat, veſtes aureas in ſuo conclavi deponebat.

[9] *Sciſſionis modum &c. Codex Horajoth cap. III.* 5. Pontifex maximus lacerabit inferius, ſacerdos vero ſuperius. *Vide Maimonidem ibidem cap. V. 6.*

[10] *Materia &c. Maimonide Ebhel cap.* VIII. Neque tamen tenetur ſcindere, niſi veſtem ſolummodo ſuperiorem. Omnibus diebus ſeptem luctus appareat ſciſſa in conſpectu omnium; & ſi omnino accidat ut mutanda ſit veſtis, mutet; neque tamen ſcindit ſciſſionem novam; cum ſciſſio quam fecit in hora fervoris, non habeatur ſciſſio. Dicitur autem hoc de mortuis omnibus, excepto patre, atque matre, ob patrem atque matrem lugens lacerat, donec pectus ſuum nudaverit, & ſeparaverit oras veſtimenti &c. Imo lacerat veſtimenta ſua omnia, quæ ſupra ſe habet, ut veſtem ſudoris adhærentem cuti, non patiatur ſibi ſcindenti obſiſtere. Et ſi mutaverit veſtem cum veſte alia, tenetur tamen toto ſeptiduo ſciſſionem iterare. Sic itaque propter patrem & matrem ſuam, exerit humerum ſuum, educitque brachium ſuum per induſium, vel per fiſſuram, adeo ut etiam ſcapularum, brachiique nuditas conſpiciatur, atque ſic ante feretrum procedit &c. *& cap.* IX. 1. Omnem rupturam quam fecit quis ob cognatos ſuos conſuit craſſe poſt ſeptiduum, recte autem reſarcit poſt diem demum triceſimum. Eam vero, quæ facta eſt ob parentes, craſſe tantum conſuit poſt triceſimum, nec unquam recte reſarcit in perpetuum. Mulier ſciſſuram faciens, e veſtigio craſſe conſuit, etiam ob parentes, idque ob verecundiam. *Ibidem cap.* IX. 6. Mortuo principe, omnes quidem ob eum lacerant, ſed exerunt ſolum utramque manum, unam hinc, & alteram illinc, omneſque ſcholæ otiantur; filii vero Synagogæ ad eandem ſe recipiunt in Sabbatho, & lugent ſeptiduo, neque deambulant per plateas, verum conſident ſecundum familias, ſilentes toto die &c. Si mortuus fuerit ſapiens, univerſi non modo cognati ejus, ſed & ceteri, qui ejus gratia lacerant, faciunt illud, donec nudetur pectus; ejuſdemque ſchola quieſcit toto ſeptiduo. Et jam jam conſueverunt ſapientum diſcipuli ubivis locorum lacerare unus ob alterum *condiſcipulum* palmi longitudine, quanquam invicem fuerint æquales, nec ullus alterum docuerit.

[11] *Tum forma &c. Maimonides ibidem cap.* VIII. Non tamen ſcindere licet inſtrumento, verum manu propria, palam in conſpectu omnis populi. *Unde fieret, & quanta eſſe deberet laceratio, docemur a Maimonide ibidem cap.* VIII. Unde vero lacerare incipit? *ab anteriori parte*, nam qui a poſteriori, vel latere, vel infra inchoat, non immunis eſt a reatu lacerationis male adminiſtratæ, niſi excepto ſolo ſummo ſacerdote, qui lacerat inferius. Quænam eſt menſura rupturæ? palmus, nec opus eſt ſejungere oram veſtimenti.

CAPUT QUARTUM.

DE TIBICINIBUS FUNERIBUS.

Ab Hebræis in funeribus Tibicines ut & Lamentatores adhibiti fuerunt.

§. I. Varii in funeribus & luctu Hebræorum olim erant ritus, quos ordine recenſere hac vice noſtri inſtituti ratio haudquaquam admittit, unde horum cupidum lectorem ad Maimonidis הלכות אבל & D. D. Gejeri de luctu Hebræorum pulcherrimum libellum remittimus: de tibicinibus tamen & lamentatoribus nonnulla in medium proferemus.

§. II. Tibicinum erat luctum inchoare & flebili cantu exequiatorum aures atque animos demulcere. Tales præſto erant in ædibus Jairi Archiſynagogi filiæ exequias parantis *Matth.* IX. 23. ubi nota *Theophylacti*: ἐπειδὴ ἄγαμος ἦν, μετὰ τῶν γαμικῶν αὐλῶν ἐθρήνει, *quoniam nondum nupta erat, deflebat eam nuptialibus tibiis*; inanis & ſupervacanea eſt, ut recte judicat Caſaubonus *Not. ad N. T. p.* 374. [1] Nam αὐληταὶ adhibebantur illic ex communi funebri conſuetudine, ita enim Talmudiſtæ *Ketuvot c.* 4. אפילו עני שבישראל לא יפחות משני חלילים ומקוננת *Etiam pauper inter Iſraelitas non adhibebit* (in funere uxoris) *pauciores, quam duas tibias & lamentatricem fœminam.* Ita & Maimonidus *Hilc.* אישות *c.* 14. Et Joſephus *l.* 3. *de Bell. Jud. c.* 15. ſcribit πλείστους μισθοῦσθαι τοὺς αὐλητὰς, οἳ θρήνων ἐξῆρχον αὐτοῖς. Adjunctas tibicinibus quandoque, fœminas fuiſſe ſiſtra vel tympana pulſantes, ex *Kelim. c.* 15. *in fine & c.* 16. patet.

§. III. Id tamen non diffitemur earundem tibiarum uſum [2] etiam in nuptiis ad lætitiam fuiſſe, ut diſerte ſcribit Raſchi *ad Ezech.* 25. 6. *Sunt quædam res, quibus utuntur ad luctum & ad gaudium, ſed non eſt par earum ratio*: וכן חלילין לכלה ולמת *Sic tibiæ adhibentur in nuptiis & funeribus.* Et ipſi Talmudici *Bava mezia, c.* 6. §. 1. *Qui conducit aſinarium aut aurigam, ut afferat* חלילים לכלה או למת *tibias aut pro ſponſa aut pro mortuo* i. e. aut ad nuptias, aut ad funus. Huc referunt Buxtorfius *Lex. Talm. p.* 766. & Abr. Schultetus *Exerc. Evang. l.* 2. *p.* 155. locum *Matth. XI.* 17. *& Luc. VIII.* 32. Quadrant huc verſus Ovidii *l.* 4. *Faſtorum.* [3] *Cantabat fanis, cantabat tibia ludis.*

Cantabat mœſtis tibia funeribus.

§. IV. Porro mos tibicines in funeribus adhibendi etiam aliis populis ſolennis fuit. De *Romanis* conſuli poſſunt Ant. Nebriſſenſis *Quinqu. cap.* 46. Kirchmannus *de Fun. Rom. l.* 2. *c.* 5. Dilherrus *Elect. l.* 2. *c.* 21. Hier. Magius *Miſc. l.* 1. *c.* 13.

13. Joh. Cunr. Dieterichius *Ant. Bibl. l. 1. p. 62.* Henr. Kippingius *Aut. Rom. l. 4. c. 6.* §. 5. aliique. De *Græcis* ſuppetit locus Homeri *iliad ω.* qui refert, [4] quum cadaver Hectoris in urbem allatum ac tectis penſilibus impoſitum eſſet adfuiſſe ἀοιδοὺς Θρήνων ἐξάρχους. Diſceptant ergo authores, num Judæi a gentilibus hanc conſuetudinem acceperint, an vero eandem iis tradiderint. Hoc volunt David Chytræus *l. de vita & morte p. 112. &* Hugo Grotius *in notis ad Ev. p. 189.* Aſt accepiſſe Judæos hunc morem a Græcis vel Romanis, poſtquam ſub eorum imperium redacti eſſent, cum nec in lege unquam advocare tibicines juſſi ſint nec ex ſcriptura hujus ritus ulteriora exſtent veſtigia, exiſtimant Schickardus *de J. R. Hebr. c. 6. th. 19. p. 162.* Beza *ad Matt. c. 9.* Abr. Sculteтus *l. 2. Ex. Ev. c.* 55. Menochius *de Rep. Hebr. l. 8. c. 5. qu. 6.* Barth. Meyerus *Phil.* S. P. I. *p.* 225. *ſeq.* D. D. Gejerus *l. c. p.* 73. & alii. Nec vero Grotium juvat locus *Jer.* IX. 17. cum non de tibicinibus, ſed de lamentatricibus agat, de quibus poſt. Plauſibilior in ſpeciem eſſet locus *Jer. XLVIII.* 36. ubi tibiarum mentio, ſi lugubres fuiſſe, ut notant quidem *Sa & Maldonatus*, certo argumento conſtaret. Plura de Tibicinibus & tibiis funebribus ſuppeditabunt Tremellius *ad c. IX. Matth.* Salmuthus *ad Pancirollum l. 2. tit. 9. p.* 382. *& l. 1. p.* 727. Ligthfootus *Hor. Heb. p.* 141. Exc. Dn. D. Quenſtedt *de ſepultura veterum p. 121. ſ.* Hil. Prachius *l. c. p. 60.* & locis ante citatis *Caſaubonus*, *Gejerus*, *Mayerus*, *Sculteтus*, *Buxtorfius*, *Dilherrus*, *Schickardus*, *Menochius*, *Kippingius*, *Dietericus*, qui ſpem facit integri *de Tibiis* libri a *Stephano Stephanio* edendi, quem hactenus nondum vidimus.

§. V. Tibicinibus cognati erant [5] *Lamentatores* ſ. *Siticines*, qui nænias vel νηνιτας in laudem defunctorum & lugentium conſolationem recitare ſolebant, *Hebr.* ספדנים. Horum quædam erat apud Judæos æſtimatio, [6] ut & threnodiæ quorundam poſteritati commendarentur. [7] Sic *Bar Kippuki* in funere Rabbenu hic leſſus erat: *Si cedros flamma corripuit, quid fiet de hyſſopo prodeunte de pariete? ſi leviathan hamo captus eſt, quid facient piſces in paludibus? ſi in torrentem inundantem cecidit hamus, quid facient aquæ lacunarum?* Aſt *Bar Abbin* ita parentabat: בכו לאבלים ולא לאבידה שהוא למנוחה ואנו לאנחה *Deflete lugentes, non vero defunctum, ipſe enim eſt in requie & nos in gemitu. Moed. Katon. f.* 25. 2. Hujuſmodi lamentatores atque lamentatrices præficas defunctum partim venalibus lacrimis deflentes, partim relictos dictis demulcentes, dudum ante Tibicines ab Hebræis adhibitos eſſe ex *Jer.* IX. 17. 20. *& Amos V.* 16. conſtat. Conf. Buxtorfius *Lex. Talm. p.* 1524. Sopranes *Dav. Digr. 2. f.* 479. 480. D. D. Gejerus *de luctu Hebræorum p. 76. ſeqq.*

NOTÆ AD CAPUT QUARTUM.

[1] *Nam αὐλητὰὶ &c. Codex Schabb. cap.* XXIII. עי׳ שהביא חלילין בשבת לא יספור בהן ישראל Gentilis ſi adferat tibias in Sabbatho, non planget illis Iſraelita. *Toſaphta Scabb. cap.* XVIII. Gentilis ſi attuliſſet tibias pro Iſraelita in Sabbatho, iis non plangendum eſt pro illo Iſraelita. *Maimonides Schabb. cap.* VI. 5. גוי שהביא חלילין בשבת למת Gentilis ſi adferat tibias in Sabbatho pro mortuo.

[2] *Etiam in nuptiis &c. Gloſſa ad Bava Metzia cap. 6.* לכלה, hoc eſt לשמח חתן וכלה ad exhilarandum ſponſum & ſponſam: למת, hoc eſt לקונן ad lamentandum ob mortuum *Toſaphta Moed Katon cap. ult.* 18. Non poſſunt adduci Tibiæ in domum lugentis; verumtamen in locum convivii, & lætitiæ, ubi obtinet conſuetudo. *In Targum Jonathan in Jeremiam* 48. *tibia* appellatur אבובא דוי calamus dolens, mœſtus. Et Aruch in voce אבוב dicit idem eſſe אבוב ac חליל, & quod vocetur חליל, quia emittit vocem mœſtam, ac lugubrem, דחלי קליה, uti legitur *in Gemara Erachin.*

[3] *Cantabat ſanis &c. Plutarchus in περὶ Εἶ.* ὁ αὐλὸς ὀψὲ καὶ πρώην ἐτολμήσε φωνὴν ἐφ' ἱμεροτοῖσιν ἀφιέναι, τὸν δὲ πρῶτον χρόνον πρὸς τὰ πένθη. Tibia nuper admodum auſa eſt vocem in lætis, & amatoriis emittere, nam tempore priori ad luctum vocavit. *Statius lib.* VI. *Thebaid.*

Tibia cui teneros ſuetum deducere manes.

In quem locum ita Lactantius Placidius. Jubet religio, ut majoribus mortuis tuba, minoribus tibia caneretur.

[4] *Quum cadaver Hectoris &c. Quin etiam Phryges, i. e. Trojani Tibiarum funebrium inventores fuiſſe dicuntur. Pollux* lib. 4. c. 10. ſegm. 75. Λέγεται δὲ καὶ Φρύγας εὑρεῖν αὐλὸν θρηνητικὸν, ᾧ κεχρῆσθαι τοὺς Κᾶρας, παρ' ἐκείνων λαβόντας· θρηνῶδες γὰρ τὸ αὔλημα τὸ Καρικὸν. *Idem lib. 4. cap.* 10. Segm. 99. Τὸ δὲ Νηνίατον ἐστι μὲν Φρύγιον. *Statius ibidem.*

Cum ſignum luctus cornu grave mugit adunco
Tibia cui teneros ſuetum producere manes
Lege Phrygum mœſta: Pelopem monſtraſſe ferebant
Exequiale ſacrum.

Alii Lydios inventores credunt. Plutarchus, ſeu autor libri de Muſica pag. 1136. ſcribit, Platonem lib. 3. de Rep. Lydiam harmoniam repudiare, ἐπειδὰν ὀξεῖα καὶ ἐπιτήδειος πρὸς θρῆνον, eo quod ſtridula ſit & lamentis accommodata. *Quibus ſubjungit*, Ariſtoxenus *ſcribit in primo de Muſica libro*, Ὄλυμπον πρῶτον ἐπὶ τῷ Πύθωνι ἐπικήδειον αὐλῆσαι Λυδιστί, Olympum primum de morte Pythonis lugubre carmen tibiis ceciniſſe Lydio modo.

[5] *Lamentatores &c. Maimonides Ebhel cap.* XII. Quia funus pertinet ad honorem mortui, ideo tenentur hæredes mercedem dare planctoribus, & planctricibus, ut pro eo plangant. *Codex Moed Katon* III. 8. 9. Mulieres in diebus feſti intermediis, threnis reſpondent ſed non feriunt palmis. R. Iſmael dicit; quæ propinquæ ſunt feretro, eæ palmis feriunt. In initio anni in initiatione templi, & in feſto Purym reſpondent, & palmis feriunt; quænam eſt *reſponſio*? ut omnes exclament ſimul. Quænam lamentatio? ut una loquatur, & omnes poſt eam reſpondeant, ut ſcriptum eſt Jerem. 9. 20. *Et docete filias veſtras lamentum, & unaquæque proximam ſuam planctum.* Cæterum de ſeculo futuro ſcriptum eſt Jeſai. 25. 8. *Præcipitabit mortem in ſempiternum, & auferet Dominus Deus lacrymam ab omni facie. Toſaphta Moed Katon ibid.* Quænam lamentatio? hoc

hoc intelligitur, plangere ſuper cor, juxta verſiculum qui dicit; *ſuper ubera plangite. Jeſai. XXXII.* 12. Planctus intelligitur manibus; vox enim קילוס ſignificat extendere brachia. *Vide Maimonidem Moed Katon VI.* 23. & Ebhel XI. 4.

[6] *Ut & threnodiæ &c. Multas hujuſmodi threnodias legimus in Gemara Moed Katon; Cum in die circumciſionis R. Chanen unicus filius mortuus eſſet, lamentatores in ejus funere hos threnos cecinerunt.* שמחה לתוגה נהפכה ששון ויגון הזדבקו ובעת שמחתו נאנח Lætitia in mœſtitiam converſa eſt, gaudium & dolor ſimul convenerunt, & in tempore lætitiæ ſuæ ſuſpiravit. *Ib.* נשים מענות מאי אמרי אמי רב ווי לאזלא ווי לחבלא אמר רב נשי דשכנציב אמרי הכי ווי לאזלא ווי לחבלא ואמר רב נשי דשכנציב אמרי נגד גרמא מכבא ונמטי מיא לאנטיבי ואמר רבא נשי דשכנציב אמרי שיול אצטלא ומלתא לבר חרי דשלימא זוודיה ואמר רבא נשי דשכנציב אמרי עטוף וכסו טורי דבר דרבכי ובר רמי הוה ואמר רבא נשי דשכנציב אמרי אחנא תגרי דאזבוני מבדקי ואמר רבא נשי דשכנציב אמרי רהיט ונפיל ואמברי זיפותא זייף ואמר רבא נשי דשכנציב אמרי מותא במותא ומרעא חיבוליה Mulieres lamentabantur, quid dicebant? Væ huic, qui abit, væ huic oneri (i. e. mortuo, qui humeris efferebatur) Dixit Rab. Mulieres Sechenzib ita dicebant; væ huic, qui abit, & væ huic oneri; & dixit Rabba; Mulieres Sechenzib dicebant, ceciderunt maxillæ, & aquæ ſurſum defluunt. Et dixit Rabba; Mulieres Sechenzib dicebant; mutuamini veſtem ſericeam pro hoc viro inſigni; jam enim ejus impenſæ ceſſaverunt; & dixit Rabba; Mulieres Sechenzib dicebant, operimini montes *tenebris*; quia iſte erat vir maximus, & illuſtris; & dixit Rabba; Mulieres Sechenzib dicebant, fratres noſtri mercatores; in eorum morte opes eorum manifeſtantur. Et dicit Rabba; Mulieres Sechenzib dicebant; ſemper cucurrit, & cecidit, & ob tranſitum fluminis neceſſe eſt, ut mutuetur obolum. Et dixit Rabba; Mulieres Sechenzib dicebant; mortuus eſt, quo modo reliqui omnes moriuntur, verum ante maximos dolores paſſus eſt. *Ibidem.* תמרים הניעו ראש על צדיק כתמר נשים לילות בימים; O palmæ commovete caput ſuper juſto, qui ſimilis erat palmæ; inſumamus dies ac noctes, ſcil. in luctu. *Ibidem in funere Rabbæ cum per aquam portaretur.* באו רוב שלישי במי זכור ורחם תעינו מאחריך כאשה מבעלה אל תזניחנו כאות מי מרה. Ingreſſa eſt præcipua pars Iſraelis (qui שלישית vocatur) in aquas, recordare & miſerere, erravimus a ſequendo te, ſicut mulier a marito ſuo, ne rejicias nos ſicut mulierem per aquas amaras. *Ibidem.* כי נח נפשיה דרבי יוחנן פתח עליה יצחק בן אלעזר היום קשה לישראל כיום בא השמש בצהרים שנאמר והיה ביום ההוא והבאתי את השמש בצהרים ואמר ר׳ יוחנן זה יומו של יאשיהו; Quando abiit ad requiem anima R. Jochanan; R. Iſaach filius Eleaſaris incepit; Funeſtus eſt hic dies Iſraeli, ſicut dies, quo occidit ſol in meridie; quemadmodum dictum eſt; *Amos* 5. 8. *Et erit in illo die, & faciam occidere ſolem in meridie.* (*Sic Hebræus.*) Et dicebat R. Jochanan; quod ipſe eſt dies *mortis* Joſiæ. *Ibidem.* כי נח נפשיה דרבי זירא פתח עליה ההוא ספדנא ארץ שנער הרה וילדה ארץ צבי עדלה שעשועיה אוי נא לא אמרה רקת כי אבדה כלי מלחמתה. Quando abiit ad requiem anima R. Zera, incepit pro ipſo ille lamentator; Terra Babylonis (*ubi natus eſt R. Zera*) gravida facta eſt, & peperit; terra deſiderabilis (*ſc. terra ſancta*) nutriit ſuas delitias. Nunc væ illi, dixit Racat (*ſc. Tiberias*) quod amiſit inſtrumenta ſui belli. *Ibid.* כי נח נפשיה דרבינא פתח עליה ההוא ספדנא תמרים הניעו ראש על צדיק כתמר ושים כימים על משים לילות כימים; Quando abiit ad requiem anima Rabena, incepit ille lamentator; O palmæ commovete caput pro juſto, *qui erat* ſimilis palmæ (*reſpicit illud Pſalm.* 91. 13. Juſtus ut palma florebit.) ponamus noctes ſicut dies (*ſc. diu noctuque lugeamus*) pro eo, qui ponebat noctes, ſicut dies (*ſc. in ſtudio legis.*) *Apud alias gentes uſitatæ maxime præficæ. Lucilius Satyr. XXII.*

- - - - - - - Mercede quæ
Conductæ flent alieno in funere præficæ,
Multo & capillos ſcindunt, & clamant magis.

Apud Vopiſcum Imperator quidam juſſit præficas a ſuo funere arceri. Nam ſi probus (*inquit*) fui, & de Rep. bene meritus, cuncti lacrymis decorabunt funus meum; ſin vero improbus & tyrannus, etiam conductitiis lacrymis haud dignus ero. *Apud Græcos Plato mentionem facit in Minoe, & Æſopus in πλουσίῳ. Achilles Iliad.* ψ *luget publice, militeſque ad idem hortatur;* Πάτροκλον κλαίωμεν, & mox; οἱ δ' ᾤμωξαν ἀολλέες ἦρχε δ' Ἀχιλλεύς.

[7] *Sic Bar Kippuki &c. Celebres lamentatores apud Hebræos erant* בר אבין & בר קפוק, *quorum mentio fit in Moed Katon fol.* 25. 2. vel בר & בר אובא קיפוף, *ut legitur in Jevam fol.* 103. 1. *vel* בר אבין וכר קפוי, *ut videre eſt in Baal Aruch in litera* ב *in* בר אבוי.

CAPUT QUINTUM.

DE CREMATIONE FUNERALI.

In funeribus Regum Iſraeliticorum ſupellex quidem regia & varia aromata, ipſa vero cadavera cremata non fuerunt.

§. I. GRæcos, Latinos alioſve [1] cremaſſe cadavera ſuccenſis rogis ſatis ſuperque decantatum eſt. Conf. præ aliis Kirchmannus *de Fun. Roman.* Meurſius *de Funere*, Franc. Peruccius *de pompa funebri, &c.* Hebræi id non faciebant, ſicut & Tacitus *Hiſt. l.* 5. *c.* 5. de iis ait *corpora condere* (malle) *quam cremare, e more Ægyptio.* Habebant enim ſepulcra ſua in locis ſubterraneis, [2] excavatis ſpeluncis & ſplendidis domunculis, totarum familiarum, etiam Regiarum, reconditoriis, qua de re plura addere nolumus. Conſuli poſſunt Hottingerus *de Cippis Hebraicis* D. D. Gejerus *l. c. c.* 6. *a* §. 8. *ad* 12. D.D. Quenſtedt *de ſepultura Veterum a c.* 8. *ad* 12. Frid. Mullerus *de ſepulcris Vet. Hebr. l.* 3. *a c.* 2. *ad* 7.

§. II. Cremata tamen a Judæis (utut non ſemper) fuiſſe cadavera, præcipue Regum, vel ſaltem ambuſta, volunt Abulenſis *ad* 1. *Sam.* 31. *qu.* 18. Tarnovius *ad Amoſum p.* 167. D. Danhawerus *Hodoſ. Chriſt. phœn.* 12. *p.* 1000. Hieron. Magius *l.* 3. *Miſc. c.* 11. C. a Lapide *ad* 1. *Sam.* 31. *p.* 359. Georg. Hornius *notis ad l.* 1. *Sulpitii p.* 190. Aſt negant Sanctius *ad* 1. *Sam.* 31. Coccejus *ad Amos* 6. S. Amama *Ant. Bibl. p.* 737. Schickardus *de J. R. Hebr. p.* 165. D. D. Gejerus *l. c. p.* 103. *ſeqq.* D. D. Dilherrus *Elect. l.* 2. *c.* 24. D. D. Quenſtendt *l. c. p.* 158. *ſeqq.* Cl. Henr. Kippingius *Ant. l.* 4. *c.* 6. §. 8. & alii. Quis hic ſe Palæmona interponat

nat? Si quid tamen omnino dicendum, cadavera ordinario ritu a Judæis nunquam cremata fuisse pronuntiamus. Afferunt quidem illi & urgent sequentia S. S. loca 1. *Sam.* XXXI. 12. 2. *Par.* XVI. 14. *c.* XXI. 19. *Jer.* XXXV. 4. 5. *Amos*. VI. 10. Sed singula jam strictim percurremus.

§. III. *Primum* de cadaveribus Saulis & filiorum a Jabesitis combustis multi ita capiunt, ac si non cadavera, sed aromata pro more cremata fuissent. Ita Jon. וקלו עליהון כמא דקלן על מלכיא תמן *Et combusserunt super ipsos* (aromata) *uti comburere solebant super reges*. Idem placet *R. Salomoni*. *R. Jeschaja* ait: [3] *Innuitur* החנטה *aromatizatio, qua multis aromatis conservarunt eos a putredine & combusserunt quoque aromata in illa aromatizatione*. Similia notant *Lyranus* & *Seb. Munsterus*. *Arabs* autem vertit: ואוקדוא להם קנדילא כמא יוקד ללמוך *Et accenderunt iis lampada* (s. facem) *sicut accendi solet regibus*. At hoc textus vix patitur. Alii itaque malunt carnem aeris injuriis dudum expositam, adeoque putrefactam & forte jam vermibus scatentem extraordinarie combustam esse, cum indecorum fuisset eam ita sepulturæ mandare. Accedebat quod Saulis cadaver ἀκέφαλον esset. Sic *Kimchi*, cum Targum Jonathanis allegasset, ait: *Aut vult eos* (*ex traditione Magistrorum nostrorum*) *super reges combussisse lectulos & utensilia eorum; vel innuit incensionem aromatum, de qua vid. Gen. 50. v. 2. sed rectior est expositio eos carnem combussisse, quod jam vermes produxisset, unde indecens fuisset eam sepelire cum vermibus, quare combusta carne sepeliverunt ossa*. In hujus vestigia pedem ponit *R. Sal. ben Melech*. Ita & *Sanctius* & *Junius*, qui tamen addit & ideo corpora combusta esse, [4] ne ludibrio exponerentur, si refoderentur forte. Hoc placet & *Sixtino Amamæ*. Quicquid tandem sit, non ordinaria erat illa combustio.

§. IV. In [5] altero loco 2. *Paral.* XVI. 14. non innuitur crematio corporis Asæ, sed incensio aromatum & regiæ supellectilis. Scilicet in exequiis regiis [6] supellex regia (exceptis tamen corona & sceptro) cum selectissima myrrha & plurimo thure in Regis honorem comburebatur: Conf. Maimonides *Hilc.* מלכים *cap.* 2. §. 1. & *Hilc.* אבל *cap. ult.* Kimchi *ad h. l.* & Schickardus *de J. R. p.* 164. Consentiunt nobiscum Interpretes, V. V. *combusserunt super eum &c.* LXX. ἐποίησαν αὐτῷ ἐκφορὰν μεγάλην ἕως σφόδρα Arabs: ואוקדוא קדאמה *combusserunt ante eum*. Male ergo Pagn. *Combusserunt eum*, nam in textu non est וישרפוהו vel וישרפו אתו sed וישרפו לו *combusserunt ipsi*, i. e. propter ipsum, vel in honorem ejus. Ipse diserte humatus dicitur. Concinunt *Raschi*, *Tirinus*, *Estius*, *Junius h. l. Martyr. ad* 1. *Reg.* 15. 24.

§. V. Idem dicimus de locis 2. *Par.* XXI. 19. & *Jer.* XXXIV. 4. 5. Posteriorem rursus male transfert Pagninus *comburent te*, cum in textu sit ישרפו לך Targ. יוקדון עלך *accendent super te* (non *exurent te*, ut in *op. Angl.* vertitur) Lut. similiter, wie man über deine Väter &c. so wird man über dich brennen. Ita & Piscator. Genev. *On fera brusler sur toi* (*des choses aromatiques*) Sic & Angli & Diodatus. Luctus notione in suis versionibus pro comburendi voce utuntur LXX. Syrus. Arabs.

§. VI. Quod ad ultimum locum, transfert V. V. *Et comburet eum*. Num enim id significare queat מסרפו, lis est sub judice. Nam si vel maxime מסרף [8] idem esset, quod משרף ut notat Drusius h. l. tamen non statim concederetur combustio corporum: cum משרפו possit exponi מסרף לו sc. aromata, ut quidam volunt. [9] Aliis מסרף explicatur *Avunculus* vel *frater matris*, cum præcedat דודו *frater patris ejus*. Ita *R. Juda* filius קריש citante Aben Esra (Pagninus legit *Karias*, Mercerus *Kares*. Abarbenel *in Proph. f.* 250. *c.* 4. & Cevalerius *Kadis*) R. Nathan, Kimchi *L. rad.* R. Sal. ben Melech. *h. l.* Munsterus, Vatablus, Schindlerus *Lex.* Lut. Syrus a. generalius: או מן דקריב לה *aut qui fuerit propinquus* (cognatus) *ejus*. Hoc sensu bene declarat locum Edvv. Livelejus: *Tantam hominum paucitatem relinquet pestis ut præ aliorum defectu vel patruus ipse aliique cognati hoc genus officii præstare mutuo cogantur*. Cl. Hottingerus *Smegm. Om. p.* 181. significationem petit e rad. Arab. סרף *modum excessit*, quod in funerationibus immodici ut plurimum impendantur sumtus. Adeoque ipsi מסרף est *Pollinctor* vel *Curator funeris*. Potius in subsidium vocarem Samarit. סרף *unxit*, ut מסרף sit, qui cadaver ungebat.

NOTÆ AD CAPUT QUINTUM.

[1] *Cremasse cadavera &c. Fuit antiquior consuetudo condendi terræ cadavera, quam cremandi. Plinius lib.* VII. *cap.* 54. Ipsum cremari (*inquit*) apud antiquos non fuit veteris instituti, terra condebantur. At postquam longinquis bellis obrutos erui cognovere, tunc institutum. Et tamem multæ familiæ priscos servavere ritus; Sicut in Cornelia nemo ante Syllam Dictatorem traditur crematus; idque voluisse, veritum talionem eruto C. Marii cadavere. *Apud Xenophontem lib.* VII. *παιδείας Cyrus moriens sic suos alloquitur.* Mei pueri, cum decessero, nolite neque in auro, neque in argento, neque in alio aliquo lapide collocare corpus meum, sed illud terræ reddite quamprimum, quid enim beatius, quam terræ misceri, quæ pulchra omnia bona gignit, & nutrit? *Cicero lib.*II. *de LL.* At mihi (*inquit*) antiquissimum sepulturæ genus id fuisse videtur, quo apud Xenophontem Cyrus utitur. Redditur enim terræ corpus, & ita locatum, ac situm, quasi operimento matris obducitur. Eodemque ritu in eo sepulcro, non procul a fontis ara regem nostrum Numam conditum esse accepimus, gentemque Corneliam usque ad memoriam nostram hac sepultura scimus usam.

[2] *Excavatis speluncis &c. Codex Bava Bathra* VI. 8. Siquis proximo vendiderit locum ad faciendum pro ipso sepulcrum, sic etiam si quis a proximo suo receperit ad faciendum sepulcrum, interius in spelunca faciet quatuor cubitos super sex, & aperiet in eo octo foveas, tres ab hac & tres ab illa parte, & duas e regione; longitudo fovearum erit quatuor cubitorum, altitudo autem septem, & latitudo sex. R. Simeon dicit, intra speluncam sex super octo faciet cubitos, & tredecim foveas aperiet in medio illius, quatuor ab hac, & quatuor ab illa parte, & tres e regione, & unam ad dextram partem, & alteram ad sinistram; at supra os speluncæ atrium faciet sex super sex cubitis in mensura feretri, at in medio illius aperiet duas speluncas, unam ab hac, & alteram ab illa parte. R. Simeon dicit, quatuor ad quatuor latera. Rabban Simeon filius Gamalielis dicit, omnia juxta petram.

[3] *Innuitur &c.* R. Jesaja Gaon. כמו ובמשרפות אבותיך והיא החנטה שעושין עליהם בבשמים רבים שלא יסריחו ושורפים בשמים באותה חנטה. Sicuti, & *in combustionibus tuorum Majorum*; erat hæc aromatizatio, quæ perficiebatur super iis multis aromatibus ne corrumpererentur (*aut ne fœterent*) & comburebant aromata in ea aromatizatione.

[4] *Ne ludibrio &c. R. Samuel Laniado in Cheli Jakar.* וישרפו אותם שם כדי שלא יבאו הפלשתים בלילה ויקחום מהקבר לתת נבלת עבדי ה׳ לחיתו ארץ ובשר חסידיו לעוף השמים לכך בחרו לשרפם שם כדי שלא ישאר כי אם עצמות היבשות שלא ישימו לב אליהם Combusserunt eos ibi, ne noctu venirent Philisthæi, ut eos eruerent e sepulcro, & projicerent cadavera servorum Dei bestiæ terræ, & carnem suorum piorum volucri cœlorum; idcirco existimarunt comburendos, ut ex his ossa arida tantum remanerent, pro quibus non animum adverterent. *Postea addit.* ויצומו שבעת ימים לפי ששרפום והוא בזוי לכך צמו והשרפה היתה מוכרחת מהטעם שזכרתי וגו׳ וכן נאמר לשיטת הרוק ז״ל יש טעם השרפה מפני התולעים לכך שרפו ויצומו *Et jejunaverunt septem dies*, propterea quod eos combusserant; cùm esset ea res contemtus; & combustio necessaria fuit ea de causa, quam commemoravi &c. Et idem dicemus de sententia Kimchi f. m. quod propter vermes eos combusserint, atque idcirco jejunaverint.

[5] *In altero loco* 2. *Paral.* XVI. 14. *&c. Raschi in hunc locum* וישרפו לו שרפה שרפו לו בשמים טובים לאפר ואותו אפר זורו עליו ויש מפרשים כמו ששורפין על המלכים וגו׳. Ei combusserunt aromata multa, ut inde conficerent cinerem, atque eam cinerem consperserunt super eum; & alii interpretantur, eo modo, quo consueverant comburere pro Regibus.

6 *Supellex regia &c. Hierosl. Sanhedrin* II. 5. מלך ישראל אין רוכבין על סוסו ואיז יושבין על כסאו ואין משתמשין לא בכתרו ולא בשרביטו ולא באחר מכל משמשיו וכשמת כולן נשרפין לפניו שנא׳ בשלום תמות ובמשרפות אבותיך. Rex Israel, non equitant in ejus equo, non sedent in ejus throno; non utuntur sceptro ejus & corona, neque reliquis ejus utensilibus; & cum moriebatur, hæc omnia ei comburebantur, juxta versiculum qui dicit; *In pace morieris, & combustionibus patrum tuorum &c.* (ita Hebræus) Jerem. 34. 5. *Tosaphta Avodah Zarah. VIII.* 9. Licita est combustio propter Reges, neque in ea est superstitio Amorræorum, juxta versiculum qui dicit; *in pace morieris, & combustione patrum tuorum &c.* Quemadmodum licita est combustio propter Reges, ita licita est propter Principes, non vero propter plebejos; Quibusnam rebus constabat rogus? ejus lecto, & ejus utensilibus; *Avodah Zarah* fol. 11. col. 1. Quemadmodum cremant propter reges, ita & propter Synedrii rectores, quid autem cremant? lectum, & utensilia ejus? Accidit cum moreretur Rabban Gamaliel senior, ut combureret propter eum Onkelos proselytus septuaginta minas Tyrias. *Scholiastes* hoc interpretatur de argenteo valore combustorum, dicens hoc pondus Tyrium continere xxv. *Sela*, & quodlibet *Sela* æquiponderare quatuor denariis, sive quatuor aureis Constantinopolitanis, combussisse igitur utensilia, quæ 70. minis (h. e. 7000. denariis) æstimaretur. *Legimus in Baraita ad III. Gemar. Moed Katon propter privatos etiam homines busta facta fuisse.* בראשונה היו מניחין את המוגמר תחת חולי מיעים המתים והיו חולי מיעים חיים מתביישים התקינו שיהו מניחן תחת הכל מפני כבודם חולי מיעים. Primis temporibus subjiciebant suffimentum iis, qui propter dolorem colicum mortui erant; & qui doloribus colicis vivi laborabant, pudebat; statuerunt subjiciendum omnibus (mortuis) propter honorem illorum, qui doloribus colicis laborabant.

7 *De Locis* 2. *Paralip. XXI. 9. & Jerem. &c. Raschi ad* 2. *Paral.* XXI. 9. אף על פי שהיה צריך לאותה שרפה לפי שחלה בחלאים רעים ובשרו מוסרח Quamvis necessaria ei esset ea combustio (*sc. aromatum*) propter morbos, quibus laboraverat, & ejus caro fœteret, noluit tamen Deus ejus honorem. *Idem ad Jer.* XXXIV. 4. 5. ובמשרפות אבותיך כך היה דרכם לשרוף על המלכים מפתן וכלי תשמישם; *& combustione patrum tuorum &c.* Hæc erat consuetudo comburendi propter Reges eorum lectos, atque eorum utensilia. *Abarbanel ad Jerem. ibid.* ורשרו גם כן שמשרפות אבותיו המלכים ישרפו לו והיו אותם המשרפות מטתם וכלי תשמישן שהיו שורפים עם שרפת בשמים מרוקחים כמו שנאמר באסא. Ei vaticinatus est, quod pro eo quoque comburerent combustiones Regum patrum suorum; & hæ combustiones erant eorum lecti, & eorum utensilia, quæ comburebantur cum aromatibus odoriferis, uti dictum est de Rege Asa. *Kimchi in Jerem. ib.* כמו שהיו שורפים על מטתם בשמים וזנים מרוקחים כמו שנאמר באסא ור״ל פירשו מה היו שורפים עליהם מטתן וכלי תשמישן. Quemadmodum comburebant super eorum feretrum aromata odorifera, sicuti dictum est in Rege Asa; Et sapientes nostri dixerunt, quid comburebant propter eos? Eorum lectos, & eorum utensilia.

[8] *Idem esset quod* משרף *&c. juxta Chaldæum & R. Sal.* מסרפו explicatur ex incendio eripiens eum, & ossa post conflagrationem residua sepulturus מסרפו *tamen videtur idem esse ea* משרף לו *cremans illi* (*uti explicat Gejer. de luctu* VI. 6.) *vel in honorem ejus pro more adolens thymiamata inter sepeliendum, aut efferendum, ne pestilenti odore afficerentur. Respexit huc Elias in obser. ad Kimch. l. radic. secundum nonnullos dicens* הגדול והחשוב שבקרובים הראוי לעשות לו שרפה בדרך ששורפים מלכים; Insigniorem æstimatioremque inter propinquos, cui competeret facere illi ustionem juxta consuetudinem qua urunt reges.

[9] *Aliis* מסרף *&c. Ita R. Nathan in cap. Concord.* מסרף *exposuit per* אחי אמו fratrem matris, quia

quia antecedens דוד est אח האב frater patris. *Abarbanel in hunc locum*. וזכר שתהיה מהומת המלחמה והדבר כל כך שלא יקברו המתים בכבוד ובהספד וגו׳ אבל דודו ומסרפו רוצה לומר קרובו וידידו יתעורו לשרוף העצמות כדי שלא יהיו למשל ברקב האויבים. Et dicit; Tantus erit stupor belli & pestis, ut non licuerit sepelire mortuos cum honore, & lamentationibus, sed דודו ומסרפו, i. e. amicus, & propinquus excitabitur ad ossa comburenda, ne sint ludibrio inter hostes.

CAPUT SEXTUM.

DE OSCULIS HEBRÆORUM.

Oscula apud veteres Hebræos honoris & amoris erant Symbola.

§. I. COmmemorant Hebræi in scriptis suis & *licita* & *illicita Oscula*. Conf. Bereschit Rabba *sect.* 70. Schemot Rabba *sect.* 5. Tanchuma *f.* 23. *c.* 4. Lascivum osculum vocant *fatuum*, vel quod est seu vergit [1] לתפלות *ad stultitiam* i. e. לפריצות *ad proterviam* vel *petulantiam*: Suavium diceret Donatus, qui valde subtiliter distinguit inter *osculum*, *basium* & *suavium*, & illud vult esse officii, istud pudici affectus, hoc libidinis. Sed ad illicita oscula etiam referendum. *Idololatricum*, de quo loquitur Job. c. XXXI. 26. Nam apud quosdam Idololatras mos obtinuit, ut, cum fanum aliquod præterirent, manum ori admotam ad osculum referrent quod ex Minutio Felice, Apulejo & Plinio notat Drusius *Obs. l.* 1. *c.* 20. seu dextram ori admoventes osculum labiis premebant & ad numen projiciebant. Sic Jobus negat se unquam solem adorasse exemplo eorum, qui oscula manu exciperent & versus eum projicerent. Nonnulli sic honorem idolis exhibitum innui autumant, uti hodie viros honoratiores salutantes manum ori admovemus (Gallice *baise les mains*) Conf. Aben Esra, Pineda, Coccejus *h. l.* Rivetus *in Hos. c.* 13. Reinholdus *Tom.* 2. *Præl. in libros Apocr. p.* 1559. Cl. J. C. Dieterichus *Ant. Bibl. P.* 2. *p.* 135. *s.* Cl. Kippingius *Ant. Rom. l.* 1. *c.* 9. §. 5. Solebant tamen etiam statuis atque idolis suis oscula figere religionis causa, si commode fieri posset, ceu patet *ex* 1. *Reg.* XIX. 18. & *Hos.* XIII. 2.

§. II. In *licitis* osculis Hebræi [2] primo loco ponunt נשיקה של גדולה *osculum magnificentiæ*, in Regum & Dynastarum inauguratione usitatum. Sic Samuel solenniter osculatus est Saulem 1. *Sam.* X. 1. Alii & præcipuos de populo Regibus vel principibus suis osculo homagium fecisse vel obedientiam saltem obtulisse observant, quo cum Drusio *Obs. l.* 2. *c.* 16. (quamvis hic alibi aliter sentiat) trahunt locum *Gen. XLI.* 40. על פיך ישק כל עמי *ad os te osculabitur omnis populus meus*, ut vertit Junius, qui & notat: *Hoc subjectionis Symbolo Dominum deagnoscet atque profitebitur*. Ast Viro *Cl. Ludovico de Dieu* hæc sententia displicet duplici nomine 1. quod vix verisimile sit antehac osculo ad labia facto Homagium præstitum esse, cum hodie in oriente plebs solum admittitur ad osculum strati, cui Princeps insidet, vel in quo thronus est collocatus; honoratiores vero ad osculum fimbriæ regiæ vestis, & quos summo honore dignatur, uti aliorum Principum legatos, ad osculum manus, nemo ad osculum oris. 2. [3] quod verbum נשק *osculari*, construatur cum ל aut Accusativo, non cum part. על. Ipse vero putat [4] ישק esse futurum Niphal ex שקק *discursitare*, negotiorum sc. curandorum causa, unde nomen משק *curatio Gen. XV.* 2. ubi בן משק ביתי *filius curationis domus meæ* i. e. procurator domus meæ, qui discursitando procurat omnia negotia domus meæ. Conf. Fullerus *Miscell. lib.* 3. *cap.* 15. Porro על פיך monet ex phrasi S. Sæ esse: *ad præceptum tuum*, ut *Job.* XXXIX. 30. habetque hic loci consentientes, interpretes V. V. LXX. Samaritanum, Chaldæum utrumque, Syrum, Arabem, Persam, Lu. qui uno ore reddunt: præceptum tuum, imperium tuum, verbum tuum seu jussum. Huic expositione Ludovici nos faventiores sumus, quam primæ. Aliis ob conjugatum nomen נשק armandi significatus magis arridet, ut Munstero, Pagnino, Mercero, &c. Alii: *Ad os tuum osculabitur* i. e. oris tui præceptum osculabitur & lubentissime suscipiet, quo pocul dubio oculum reflexerunt Syrus, Arabs, Lut. aliive. Sed in viam redeamus.

§. III. Ad idem osculi genus nonnulli referunt locum *Psal. II.* 12. *osculamini filium*. Lyrani nota est: *Osculamini filium i. e. facite Christo debitum homagium. Nam facientes homagium fidelitatis alicui, ipsum osculantur*. Ast potius reverentia & honor illa phrasi requiritur. Nam magnates veneraturi, manus ipsorum osculantur, non modo ap. nos, sed & alicubi in oriente. Sic vulgo Itali: *Bacio le mani di vostra signo-*

ſignoria i. e. ſum ſervus tuus. Conf. Glaſſius *Rhet. S. Tr.* 1. c. 4. *p.* 69. Joh. Viccars *Decapl. in Pſ.* 2. *p.* 7.

§. IV. Jam addemus reliqua. [5] *Secundum* erat נשיקה של פרקים *oſculum compitorum*, quod erat amicitiæ. Hebræi enim veteres in occurſibus amicos non modo precando bene, ſed & amplexando atque oſculando ſalutare ſolebant, quo refert Ludov. de Dieu locum *Luc.* X. 14. alii & *Matt. V.* 47. Eo abuſi videntur Amaſa 2. *Sam.* XX. 9. & Judas *Matth. XXVI.* 49. 50. [6] *Tertium* נשיקה של פרישות *oſculum diſceſſus*, ſive *valedictorium*, oſculo enim ſibi valedicebant veteres. Conf. *Gen. XXXI.* 55. 2. *Sam. XIX.* 39. 1. *Reg. XIX.* 20. ubi *oſculari* Druſio *Miſc. Cent. l. c.* 60. idem eſt, quod *oſculo valedicere*. Et ſic etiam ſe oſculabantur in reditu. *Quartum* Tanchuma adjicit, ſc. [7] נשיקה של קריבות *oſculum propinquitatis*. Eo ſanguine juncti favorem mutuum confirmabant & quaſi obſignabant. Conf. *Gen.* XXVII. 27. c. XXIX. 11. *Exod.* IV. 27.

§. V. Druſius *c.* 118. *in Gen. & c.* 12. *in Exod.* addit *oſculum precum*. Sed non ſine cauſa ſuſpicatur Buxtorfius *L. T. p.* 1405. eum accepiſſe Oſculum תפלות *ſtultitiæ*, cujus Hebræi mentionem faciunt, pro oſculo תפלות *precationum*. Alias Chriſtiani [8] in primitiva Eccleſia preces ſuas, præſertim orationem Dominicam, claudebant oſculo, quod Tertullianus *de orat.* appellat *orationis ſignaculum*, & Dilherrus *Elect. p.* 182. *Amen reale*. Sed de oſculis hactenus. Plura dabit *J. Heren. Schmid* in *Oſculologia*, quam vocat, *ſacra*, & Salmuthus *ad Panciroll. l.* 1. *p.* 434. *ſ.*

NOTÆ AD CAPUT SEXTUM.

[1] לתפלות *&c. Schemot rabba ſect.* 5. נשיקה לתפלות, oſculum fatuum, laſcivum; *Nam in Gloſſa* תפלות explicatur per פריצות, protervia, laſcivia.

[2] *Primo loco ponunt &c. Bereſchit rabba ſect.* 70. *ad verba illa, & oſculatus eſt Jacob Rachelem.* כל נשיקה לתפלות בר מן תלת נשיקה של גדולה נשיקה של פרקים נשיקה של פרישות נשיקה של גדולה ויקח שמואל את פך השמן ויצק על ראשו וישקהו Omnis oſculatio eſt ad fatuitatem, exceptis tribus. Oſculum magnificentiæ & dignitatis, ut; Tulit autem Samuel lenticulam olei, & effudit ſuper caput ejus, & deoſculatus eſt eum. *Maim. Melach.* 11. 5. מצוה על המלך לכבד תלמודי התורה: וכשנכנסו לפניו סנהדרין וחכמי ישראל יעמוד לפניהם ויושבים בצדו וכן היה אסא מלך יהודה עושה אפילו לתלמיד עד חנה היה עומד מכסאו ומנשקו וקורא לו רבי ומרי. Præceptum erat regi, ut honoraret doctores legis; Quod ſi ergo convenirent coram ipſis, & aſſidebant lateri ipſius. Atque ſic fecit Aſa rex Judæ, etiam diſcipulo adhuc adſurgendo de throno ſuo, & oſculando, appellandoque; mi magiſter! mi domine! *Apud Perſas, qui regii cognati appellabantur, regem oſculandi jus habebant. Arrianus lib. VII. cap. II.* Καλέσας εἴσω τῶν Περσῶν τοὺς ἐπιλέκτους . . . . . καὶ ὅσους συγγενεῖς ἀπέφηνε, τούτοις δὲ νόμιμον ἐποίησε φιλεῖν αὐτὸν μόνοις. Vocatis ad ſe Perſarum principibus - - - - & quotquot (*Alexander*) cognatos effecerat, iis ſolis, ut deoſculari ipſum liceret, ſanxit. *Idem ibidem.* Περσῶν μέν τινας ἤδη πεποίησε σαυτῷ συγγενεῖς, καὶ καλοῦνται Πέρσαι συγγενεῖς Ἀλεξάνδρου, καὶ φιλοῦσί σε, Μακεδόνων δὲ οὔπω τις γέγευται ταύτης τῆς τιμῆς. Jam nonnullos Perſarum tibi cognatos effeciſti, & Perſæ cognati Alexandri appellantur; hos te oſculari ſinis, Macedonibus ab hujuſmodi honore excluſis; *Idem ibidem*; προσελθὼν ἐφίλησεν αὐτόν, καὶ ὅτις ἄλλος φιλῆσαι ἐθέλησε; accedens ipſum deoſculatus eſt, & quicunque ipſum exoſculari voluit. *Xenophon de laudibus Ageſilai.* Ἐπιχώριον ἦν τοῖς Πέρσαις φιλεῖν οὓς ἂν τιμῶσι Patrius mos erat apud Perſas Oſculandi eos, quos in honore habebant.

[3] *Quod verbum* נשק *&c. Moſe ben Nachman fol.* 26. 2. נשיקה בלמ״ד איננה בפה אלא על ראש או על הכתף. Quando verbum oſculandi נשק conſtruitur cum ל tum non ſignificatur oſculatio ſuper os, ſed capitis, vel humeri.

[4] ישק *&c.) Nonnulli* נשק, *armatus fuit, deducunt; Hoc indicare videtur Targum Onkeloſi.* מימרך יתזן כל עמי, & juxta mandatum tuum armabitur omnis populus meus. *Aliis* נשק μεταληπτικῶς, eſt *obedire*; LXX. Ἐπὶ τῷ στόματί σου ὑπακούσεται πᾶς ὁ λαός. *Etiam Samaritanus* ועל מימרך יפרנר עמי; & edictum tuum obediet populus meus. *Syrus* ועל מלת פומך נסב דינא כלה עמי; & ad imperium oris tui ſuſcipiet judicium univerſitas ipſius populi mei. *Vulgatus*; Ad tui oris imperium cunctus populus obediet.

[5] *Secundum erat &c.) Bereſchit rabba ibidem.* נשיקה של פרקים וילך ויפגשהו בהר אלהים וישק לו. Oſculum compitorum, i. e. occurſus, ut qui perrexit obviam ei in montem Dei, & oſculatus eſt eum. Exod. 4 27. *Etiam apud Gentes hac obtinuit conſuetudo. Herodotus* de Perſis. Ἐντυγχάνοντες δὲ ἀλλήλοισι ἐν τῇσι ὁδοῖσι, τῷδε ἄν τις διαγνοίη εἰ ὁμοῖοί εἰσι οἱ ἐντυγχάνοντες. Ἀντὶ γὰρ τοῦ προσαγορεύειν ἀλλήλους, φιλέουσι τοῖσι στόμασι. Ἢν δὲ ᾖ οὕτερος ὑποδεέστερος ὀλίγῳ τὰς παρειὰς φιλέονται. Ἢν δὲ πολλῷ ᾖ οὕτερος ἀγεννέστερος, προσπίπτων προσκυνέει τὸν ἕτερον. Quum in via ſibi invicem occurrunt, & hoc quis cognoſcat, an pares ſint. Nam ſalutationis loco ſe mutuo oſculantur, quod ſi alter fuerit inferior paulo, malas oſculatur duntaxat; ſin autem fuerit multo ignobilior, proſtratus adorat honoratiorem. *Strabo quoque lib.* XV. Τῶν κατὰ τὰς ὁδοὺς συναντώντων, τοὺς μὲν γνωρίμους καὶ ἰσοτίμους φιλοῦσι προσιόντας, τοῖς δὲ ταπεινοτέροις παραβάλλουσι τὴν γνάθον, καὶ δέχονται αὐτῇ τὸ φίλημα. οἱ δ' ἔτι ταπεινότεροι, προσκυνοῦσι μόνον. Si notis & æqualibus in via occurrant, eos oſculantur, ſi humilioribus genam eis præbent, eaque oſculum excipiunt; qui humiliores admodum ſunt, adorant.

[6] *Tertium* נשיקה &c. *Bereſchit rabba ibidem.* נשיקה של פרישות ותשק ערפה לחמותה ורות דבקה בה. Oſculum ſeparationis vel diſceſſus. *Orpha oſculata eſt ſocrum, ac reverſa eſt; Ruth adhæſit ſocrui ſuæ. Ruth* 1. 14. Apud *Perſas eadem obtinuit conſuetudo. Xenophon. lib.* 1. παιδ. Λέγεται ὅτι Κῦρος ἀπιών, καὶ ἀπαλλάττοντο ἀπ' ἀλλήλων, τοὺς συγγενεῖς φιλοῦντας, τὸν Κῦρον τῷ στόματι, ἀποπέμπεσθαι αὐτὸν νόμῳ Περσικῷ. Καὶ γὰρ νῦν ἔτι τοῦτο ποιοῦσι Πέρσαι &c. Ἦ καὶ ἐν Πέρσαις νόμος ἐστὶν οὗτος συγγενεῖς φιλεῖν, μάλιστα φάναι, ὅταν γε ἴδωσιν ἀλλήλους διὰ χρόνου, ἢ ἀπίωσί ποι ἀπ' ἀλλήλων. Traditum eſt abeunte Cyro, quum a ſe invicem diſcederent, cognatos ore Cyrum, Perſico more, deoſculatos ab ſe dimiſiſſe, quod quidem ipſum etiamnum Perſæ facere conſueverunt &c. Etiamne Perſis in more ſit oſculari cognatos? Tum Cyrus maxime vero inquit, ubi vel ex intervallo temporis mutuo ſe aſpiciunt, vel aliquo ab ſe invicem diſcedunt.

[7] נשיקה של קריבות &c. *Bereſchith rabba ibidem.* ר' תנחומא אמר אף נשיקה של קריבות שנא' וישק יעקב לרחל שהיה קרובתו. R. Tanchuma addidit etiam oſculum propinquitatis ſicut dicitur; *Et oſculatus eſt Jacob Rachelem, quia erat propinqua ejus.*

Genes. 29. 11. *Præterea* נשיקה *significat genus mortis suavissimæ. Devarim rabba.* באותה שעה נשקו הק"בה ונטל נשפתו בנשיקת פה. Ea ipsa hora osculatus est eum Dominus, & accepit animam ejus per deosculationem oris. *Vide Maimonidem More Nevochim part. 3. cap. 51.*

8 *In primitiva &c. S. Paulus 1. Corint. XVI. 20. 2. Corint. XIII. 12. 1. Thessal. V. 26. vocat* φίλημα ἅγιον, *osculum sanctum; & S. Petrus I. v. 14.* φίλημα ἀγάπης *osculum amoris appellat. Justin. Martyr sub finem Apol. 2.* Ἀλλήλους φιλήματι ἀσπαζόμεθα παυσάμενοι τῶν εὐχῶν; Osculo nos invicem salutamus, quando a precibus cessamus.

CAPUT SEPTIMUM

DE DECIMATIONE PECUDUM.

Decimatio pecudum antehac apud Judæos peculiari ritu fiebat.

§. I. Decimabantur in V. T. & *pecudes* & *proventus*. Talis nim. determinata quota Domino dabatur: Nec enim audiendus est *Ystella*, qui *in Exod.* 22. per decimas alicubi, intelligendas decumanas modo & præstantissimas partes censet. Pecudes decimandæ (nam de proventibus jam non dicemus) erant, *Bos*, *Ovis*, *Capra*. Nam quod *Abulensis* dixit etiam equos, asinos, camelosve decimatos, id omni caret fundamento. Nos jam modum decimandi pecudes præcipue e sententia Rabbinorum, quæ fundatur in *Lev.* XXVII. 32. exponemus.

§. II. Is ita habebat [1] Colligebat pecuarius omnes agnos vel vitulos suos in unum stabulum, cujus ostium parvum erat, ita ut duo simul exire non possent: matres vero eorum extra caulam constituebat, ut cum agni vel vituli eas balantes vel mugientes audirent, ordine alter post alterum egrederentur. [2] Tum incipiebat pecus suum numerare 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. & quod decimo loco exiret, [3] sive macrum esset sive pingue, sive masculum, sive fœmineum, percutiebat virga quadam minio tincta & dicebat: Hoc erit pro decima. Probant hoc ex verbis: *Omne quod* יעבר תחת השבט *transibit sub virga LXX.* πᾶν ὃ ἂν διέλθῃ ἐν τῷ ἀριθμῷ ὑπὸ τὴν ῥάβδον, &c.

§. III. Alluditur ad hunc morem a Talmudistis *in Rosch haschana c. 1. f. 18. 1.* in Mischna: בראש השנה [4] כל באי עולם עוברין לפניו כבני מרון *In novo anno omnes homines transeunt ante eum sicut agni.* Gemara: *Quid est* כבני מרון? *Significat Chaldaice* כבני אמרנא *sicut agnelli.* Risch Lakisch *dixit* כמעלות בית מרין *sicut gradus ovilis.* Glossa: *Cujus via est angusta, ne duo simul possint ire unus juxta alium.* Dilucidius rem exponit Raschi *ad Lev. 27. Cum ventum esset ad decimandum, educebant per ostium unum post aliud & decimum* מכה בשבט צבועה בסיקרא *percutiebat* (pastor) *virga minio tincta, ut posset agnoscere quid decimasset, sic agebat cum agnis & vitulis annuatim.* Conf. Lyranus, Hieron. ab Oleastro, Munsterus, Corn. a Lapide, Lorinus, Junius *ad h. l.* Jos. Scaliger *Diatr. de decimis in lege DEI*, Sixtinus Amama *Diss. de decimis Mosaicis*. Ex professo alias de decimis agunt Talmudici in Tractatibus מעשרות, מעשר שני, דמאי, Maimonides in Jad. P. 3. L. זרעים.

NOTÆ AD CAPUT SEPTIMUM.

1 *Colligebat Pecuarius &c. Tosaphta Bechoroth cap. VII.* 10.--- 16. Quomodo decimabat? Sistebantur matres extrinsecus, & mugiebant, & filii obviam egrediebantur. *Maimonides de primitiis animantium cap. VII.* 1. Quid igitur fiebat? Nempe agni, aut vituli cogebantur omnes intra septum, in quo ostiolum esset ita parvum, ut exire duo simul nequirent; tum propter hoc intrinsecus continebantur eorum matres, quæ balatum exercent, ita fiebat, ut agni vocem matrum audientes e septo venirent ad eas; hæc enim Legis verba; *omnium quæ sub virgam subibunt; Levit. XXVII.* 32. hanc vim habent & sententiam, ut per se ipsæ abeant, manu non attrahantur.

2 *Tum incipiebat &c. Siphra ad Levit. XXVII. 32. Omnium decimarum bovis & ovis, & capræ, quæ sub pastoris virga transeunt*; excludit discerptum, quod sub virga non transit; non probatur nisi quando virga numerantur, si cubarent, aut starent, unde probatur? ex eo quod dicit; *quicquid decimum erit sanctificabitur*; non probatur nisi pro tempore, in quo illi nomen decimi imposuerit; unde probatur, etiamsi decimum non vocaverit? ex eo quod dicit; *quicquid decimum venerit, sanctificabitur. Maimonides ibidem.* Cum igitur agni deinceps e septo prodirent, tunc incipiebat numerare virga primum, secundum, tertium, quartum, quintum, sextum, septimum, octavum, nonum, & quod decimo loco egrediebatur, sive masculum, sive fœmineum, sive integrum, sive maculatum, signabat virga rubricata, dicens, ista est decima.

3 *Sive macrum &c. Siphra ibid.* Cum dicat textus, *& quicquid præcipuum est in muneribus; Deut.* XII. 11. possem credere, quod consuetudo esset, ut melius extraheretur; idcirco dicit; *Non eligetur nec bonum, nec malum.*

4 בראש השנה &c. *Tosaphta Rosch Haschana* 1. 12. In principio anni omnes, qui venerunt in mundum, transeunt coram eo ut agni, juxta versiculum qui dicit; *Qui finxit sigillatim corda eorum, qui intelligit omnia opera eorum. Psalm. XXXII.* 15. Et pariter dictum est; *Buccinate in Neomenia tuba in insigni die solennitatis vestræ; quia præceptum in Israel est, & judicium Deo Jacob. Psalm. LXXX.* 4. 5.

CAPUT

CAPUT OCTAVUM.

DE VIGILIIS HEBRÆORUM.

Nox apud veteres Hebræos in quatuor vigilias sive excubias distinguebatur.

§. I. VEteres Romanos nec diem nec noctem per horarum intervalla dimensos sed contentos fuisse, diem in tempus *antemeridianum*, *meridianum & pomeridianum*, noctem v. *in quatuor vigilias* distinguere, multorum est sententia. De die conferantur Censorinus *de die natali c.* 23. Plinius *l.* 7. *c.* 60. Varro *l.* 5. *de lingu. Lat. ab init.* De vigiliis egerunt Stevvechius *in l.* 3. *Vegetii c.* 8. Dorleans *in l.* 2. *annal. Taciti p.* 202. Steph. Durantus *l.* 3. *de ritibus Ecclesiæ c.* 5. *n.* 1. 2. nec non Paulus Sherlogus *Dioptr. Antiq. Hebr. l.* 2. *diss.* 1. *sect.* 7. *n.* 48. *& comm. in Cantic. vestigat.* 11. *n.* 6. *seqq.*

§. II. Hebræos eadem diei noctisque dimensione usos, vero absimile non est. Certe quotidie [1] tria ipsis erant precationis tempora (*Cosri P.* III. *num.* 5.) *matutinum*, *meridianum & vespertinum*, quæ Hebræis שחרית' מנחה' ערבית: eaque jam Prophetarum ætate usitata fuisse ex *Dan.* 6. *v.* 10. *& Ps.* 55. *v.* 18. constare potest. [2] Incipiebat autem *primum* hora tertia (quæ nostræ nonæ matutinæ respondet,) *secundum* hora sexta (nobis duodecima vel circiter) *tertium* hora nona (i. e. tertia pomeridiana.) Hinc *Act.* III. 1. Petrus & Johannes ascendisse dicuntur in templum sub horam precationis *nonam*. Sic *c. X.* 3. dicitur de Cornelio quod cum assidue precaretur, hora circiter *nona* viderit angelum. Et *ib. v.* 10. Petrus ascendit in solarium ut precaretur, circa horam *sextam*, i. e. circa meridiem, unde mox esuriisse dicitur. *Et v.* 30. Cornelius usque ad horam *nonam* jejunat, & hora *nona* precatur. Sed plura in rem e Maimonide attulere Petitus atque Capellus, & ex utroque Bald. Walæus *Comm. Ev. p.* 1035. *s. &* 1046.

§. III. Nox vero iisdem distincta est in quatuor *vigilias* seu excubias, seu custodias, Græce φυλακάς, Hebr. משמורות, quæ recensentur *Marc. XIII.* 35. i. m. ὀψὲ, μεσονύκτιον, ἀλεκτοροφωνία, πρωΐ. Sic *Matth. XIV. v.* 25. mentio fit *tertiæ* vigiliæ noctis, & *Luc. XII.* 38. *secundæ & tertiæ*. In V. T. Vigiliæ *matutinæ Exod. XIV.* 14. (*al.* 24. & *mediæ Jud. VII.* 19. Nam aliquando Hebræi [3] trium modo vigiliarum faciunt mentionem, quia vigiliam matutinam [4] a vigiliis profundæ noctis distinguere solent. Sic in Glossa Berachot. *c.* 1. §. 1. dicitur: *Vigilia est tertia pars noctis nim. profundæ*. Fabulosus Raschi *ad Exod.* XIV. 14. ait: *Tres sunt partes noctis quæ vigiliarum nomine veniunt, & ea quæ matutinum tempus antecedit dicitur matutina. Porro ego autumo vigilias distingui cantu angelorum ministerii* (de quo videatur *Avoda sara f.* 3.) *singulis catervis sibi post singulas vigilias succedentibus &c.* Erant itaque revera [5] quatuor noctis vigiliæ, at tres tantum profundæ noctis. Cum ergo dicitur *Gideon* Midianitas invasisse vigilia noctis [6] media, intelligendum id est de vigilia ista, quæ erat quidem totius noctis secunda, at profundæ noctis media: a finita sc. vigilia prima (quæ & caput seu principium vigiliarum dicitur *Thren. II.* 19.) ad mediam noctem. Conf. Lightfootus *Hor. Hebr. p.* 185. Goodwyn, *in Mose & Aarone l.* 3. L. de Dieu *ad Math. XIV.* 25. Leusdenius *diss.* 33. §. 5. Prachius *ad Happenini p.* 4.

§. IV. Originem consuetudinis distinguendi noctem in vigilias usui militari adscribere solent. Id forte de Romanis certum: ast dubiam res de Hebræis, quos quidem consuetudinem dividendi noctem in certas vigilias a Romanis accepisse nonnulli censent, sed sine causa: siquidem vigiliarum Judaicarum diserta exstat mentio, priusquam Hebreis Romanorum nomen & Imperium innotescere potuit. Conf. *Exod. XIV.* 24. *Ps. XC.* 4. *Ps. CXIX.* 148. *&c.* Illis proinde, stante templo, præcipue observatæ sunt vigiliæ propter succedentes sibi Levitas [7] templi custodes. [8] Talium 24. catervæ erant, e quibus posterioribus temporibus tres de sacerdotibus sumtæ (quo jure, disputat L'Empereur *ad Middoth p.* 2.) [9] Iis præfectus erat quidam qui aliis prælucentibus faces perlustrabat singulas custodias, & si quem e custodibus dormire animadverteret, percutiebat baculo, quin & vestimenta ejus comburere poterat. Ita *in Middoth cap.* 1. §. 2. refert R. Eleazar f. Jacobi: *Semel invenere avunculum meum dormientem, adeoque vestimentum ejus combusserunt.* [10] Ibidem dicitur roganti: *quæ vox in atrio magno?* responderi: *vox Levitæ vapulantis & cujus vestimenta comburuntur, quod dormiret in excubiis suis.* Non vero vigilabant isti per totam noctem sed singuli per vices una vigilia; reliquis vigiliis dormire ipsis licebat. Conf. & Jacob Juda Leo *de templo*

Hierosolymitano l. 1. Cæterum de totius νυχθημέρυ in quadrantes seu *Mischmarot* divisione vid. Junius *ad XII.* 10. Scaliger *de Em. Temp. Annot. ad Comp. Jud.* 637. Schmidius *ad Matth. XIV.* 25.

§. V. Annon autem Judæi præter hanc distinctionem etiam per horarum intervalla, antequam Romanis subjecti sunt, dies & noctes sint dimensi, & usi hoc fine sciatericis sive solariis, haud facile dixerimus. Certe ut nostrum suspendamus judicium, vel solum Achasi solarium 2. *Reg. XX.* 11. *& Esaia XXXIII.* 8. facit, de quo quidem variæ sunt auctorum sententiæ. Sed fusissime omnium de eo argumento egisse videtur Paulus Sherlogus *Antiquit. l. c. n.* 56. *s.* adeo ut vix tueri velimus Josephi Scaligeri assertionem *l.* 2. *de emend. temp. tit. de anno vet. Hebr. autumn. & l.* 7. *annot. in Computum Jud.* ignoratam Hebræis dierum & noctium in horas duodecim enumerationem, antequam a Romanis victi eorum ritibus paulatim accedere cogerentur. Conf. Seldenus *de J. N. & G. p.* 442. Salmuthus *ad Pancir. l.* 2. *tit.* 10. *p.* 409. *seq.* Quamvis pro Scaligero magis faciant, quæ ex Salmasio affert Bald. Walæus *Comm. Ev. p.* 922. Eruditus Lector judicet.

NOTÆ AD CAPUT OCTAVUM.

1. *Tria &c. Tosaphta Berachoth III.* 8. Possem fortasse existimare, quod toto die orandum esset; Jam explicatum est in Daniele; *Tribus temporibus in die flectebat genua sua*; *Dan. VI.* 10. Possem credere, quod ei liceret orare versus eam plagam, quæ illi libuisset; ideo dicit: *Et fenestris apertis in cœnaculo suo contra Jerusalem. Dan. ibid.* Possem credere, quod ita ageret, postquam abductus esset in captivitatem; idcirco dicit: *sicut & ante facere consueverat. R. Saadias ad Dan. VI.* 10. Tribus temporibus in die flectebat genua; mane, vesperi, & ad Mincham. *Et R. Solom. ad Psalm. LIV.* 18. *Vespere, mane, & meridie narrabo, & annuntiabo*; Vespere, mane, & ad Mincham, tria tempora orationis. Vide *Maimonidem Thephillah* 1. 7.

2. *Incipiebat &c. Gemara Baracoth fol.* 26. 1. 2. Oratio matutina est usque ad horam quartam. Oratio Minchæ est usque ad vesperam. Quænam est Mincha magna? ab hora sexta & dimidia. Quænam est Mincha parva? ab hora nona & dimidia. *Tosaphta Beracoth* III. 1. 4. Quemadmodum Lex statuit tempus lectioni *Audi Israel*, ita Sapientes tempus precibus decreverunt; Quare dixerunt, quod preci matutinæ sit tempus usque ad meridiem? quia sacrificium juge matutinum poterat offerri usque ad meridiem. R. Jehuda dicit usque ad quartam diei horam; quia sic sacrificium juge matutinum poterat offerri usque ad quartam diei horam. Et quare dixerunt, quod preci pomeridianæ sit tempus usque ad vesperam? quia ita sacrificium juge vespertinum poterat offerri usque ad vesperam. R. Jehuda dicit, usque ad dimidium tempus, quod reliquum erat post Mincham; quia sacrificium juge vespertinum non poterat offerri usque ad dimidium tempus post Mincham; Eccur dixerunt, quod orationi vespertinæ nullum sit tempus præstitutum? quia membra & adipes poterant offerri per totam noctem; Eccur dixerunt quod addititiæ preci sit tempus per totam diem? Quia sacrificium additittium poterat offerri per totam diem; R. Jehuda dicit, usque ad septimam diei horam, quia sacrificium additittium poterat offerri usque ad septimam diei horam. Quænam est ea, quæ vocatur Mincha magna? a sexta diei hora cum dimidia in posterum. Quodnam est dimidium tempus Minchæ? ad horam undecimam minus quarta diei parte. Orationi vespertinæ nullum est tempus præstitutum. R. Jose dicit, eo tempore dicenda est, quo clauduntur portæ (*sc. solis.*) Dixit R. Eleasar filius R. Jose, meus pater eam recitabat prope conclusionem portarum. Qui dicit orationem additiam sive ante sive post oblationem sacrificii jugis matutini, officio satisfacit. Vid. *Maimon. Tephillah* III.

3. *Trium &c. Gemara Berachoth fol.* 3. 1. שלש משמרות הוי הלילה ועל כל משמר ומשמר יושב הקב״ה ושואג כארי שנאמר האל ממרום ונו׳ Tres vigilias habet nox, & in unaquaque vigilia sedet Deus sanctus & benedictus, ac rugit instar leonis, sicut dicitur; *Dominus de excelso rugiet, & de habitaculo sancto suo dabit vocem suam, rugiens rugiet propter habitaculum (sic Hebræus) suum. Jerem.* XXV. 30. *Et paulo post.* R. Isaac filius Samuelis dixit: שלש משמרות הוי הלילה ועל כל משמר ומשמר יושב הקב״ה ושואג כארי ואומר אוי לבני שבעונותיהם החרבתי את ביתי ושרפתי את היכלי והגליתים׳ לבין אומות העולם. Tres vigiliæ noctis sunt, & in unaquaque sedet Deus sanctus benedictus ac rugit (*audi deliramenta*) instar leonis, dicitque; Væ filiis meis, quod propter peccata ipsorum vastavi domum meam, & combussi templum meum ac deportavi eos inter populos mundi.

4. *A vigiliis profundæ noctis &c. Lightfootus in horis Hebraicis ad Matth.* XIV. 25. Judæi (*inquit*) tres tantum vigilias noctis agnoscunt, nam hoc apud eos tritum, אשמורת הא שליש של לילה vigilia est tertia pars noctis. Sic Glossa in locum citatum Berach cap. 1. 1. vide etiam commentatores Hebræos in Judic. 7. 19. Non quod non noctem in quatuor partes diviserint, sed quod quartam partem, aut vigiliam non tam pro nocturna, quam pro matutina æstimarint; sic Marc. 13. 33. spatium illud post Gallicinium, πρωί est; vide etiam Exod. 14. 24. Erant ergo revera quatuor noctis vigiliæ, at tres tantum profundæ noctis. Cum ergo dicatur Gedeonem Midianitas invasisse vigilia noctis media, Jud. 7. 19. intelligendum est de vigilia ista, quæ erat quidem totius noctis secunda, at profundæ noctis media; a finita scilicet vigilia prima ad mediam noctem.

5. *Quatuor &c. Gemara Berachoth. fol.* 3. תנו רבנן ד׳ משמורות הוי הלילה דברי רבי ר׳ נתן אומר שלש מאי טעמא דר׳ נתן דכתיב ויבא גדען ומאה איש אשר אתו בקצה המחנה ראש האשמורת התיכונה תנא אין תיכונה אלא שיש לפניה ולאחריה. ור׳ מאי תיכונה אחת מן התיכונה שבתיכינות ורבי נתן מי כתיב תיכונה שבתיכונות תיכונה כתיב מאי טעמא דרבי אמר ר״זריקא אמר ר׳ אמי א״ר יהשוע בן לוי כתוב אחד אומר חצות לילה אקום להודות לך על משפטי צדקך וכתוב אחד אומר קדמו עיני אשמורת הא כיצד ד׳ משמורות הוי הלילה Docuerunt Rabbini noctem quatuor habere vigilias, sunt verba Rabbi; Sed R. Nathan dicit, tres. Quænam vero est ratio quod R. Nathan (tres statuit?) quia scriptum est Judic. 7. 19. *Ingressusque est Gideon, & centum viri qui erant cum eo in partem castrorum incipientibus vigiliis noctis media*; & traditur non dici התיכונה mediam, nisi una fuerit ante, & una post eam. Quare autem Rabbi (*quatuor statuit?*) תיכונה media est altera e media quæ inter medias. Quare R. Nathan tres tantum velit? Quia in Scriptura non habetur media in mediis duabus, sed media tantum. Quænam autem est sententia Rabbi? Quia R. Serika dixit, dictum esse a R. Ame nomine R. Jehoschuæ filii Levi, scriptum est Psalm. 118. 62. *Media nocte surgebam ad confitendum tibi &c.* & deinde vers. 148. *Prævenerunt oculi mei vigilias &c.* sic Hebræus; quomodo evincitur quatuor esse noctis vigilias. *Tosaphta Berachoth* 1. 3. Rabbi dixit; in quatuor partes dividitur nox; quando dicitur vox עונה, est vi-

cesima

cesima quarta pars horæ; & quando dicitur עת, est vicesima quarta pars עונה; & quando dicitur רגע est vicesima quarta pars עת.

[6] *Media &c. Tosaphta Berachoth ibid.* R. Nathan dicit; in tres vigilias dividitur nox, juxta versiculum qui dicit; *incipientibus vigiliis noctis mediæ*; Judic. VII. 19. Non datur media, nisi sit una ante, & altera post.

[7] *Templi custodes &c. Maimonides de Templo* VIII. Templum custodire jubendo sancitum est, etsi nihil neque ab hostibus timetur, neque a grassatoribus; ejus enim custodia hanc duntaxat habet rationem, ei ut habeatur honos; neque enim ad palatium præsidio munitum comparandum est id quod præsidio careat. Hæc igitur custodia in noctem est sancita totam, & custodes sunt sacerdotes & Levitæ.

[8] *Talium 24. &c. Kimchi in 1. Paral. 26.* Inter omnes Janitores erant viginti quatuor juxta numerum reliquarum classium; sex ad latus orientale; sex ad septentrionale, sex ad meridionale, in Asuppin duo & duo, hoc est omnino quatuor; quatuor ad occidentale, & duo in Parbar; ecce quatuor & viginti. Rabbini nostri eos distribuerunt in viginti quatuor loca &c. *Maimonides ibidem.* Custodia ejus sic descripta sit oportet, ut Sacerdotes custodiant intus, & foris Levitæ; & singulis noctibus perpetuo custodiant quatuor & viginti manipuli in locis diversis vigintiquatuor, in tribus videlicet Sacerdotes, & Levitæ in viginti uno reliquis. Sed isti custodes ubinam collocabantur? Sacerdotes in domo Abtines, in domo splendoris, & in domo ardoris &c. *& paulo post.* Levitæ vero positi erant ad quinque portas, quæ in monte ædis erant, & intra montem ad quatuor ejus angulos atrii videlicet extrinsecus, quoniam in atrio sedere nemini licebat, & ad atrii quinque portas item extrinsecus. Nam portam ardoris, & portam splendoris custodiebant Sacerdotes. En igitur loca duodeviginti. Præterea autem Levitæ custodiebant etiam conclave oblatorum, conclave veli, & posticam partem propitiatorii.

[9] *Iis præfectus erat &c. Maimonides ibidem.* His omnibus custodiis unus erat præfectus Antistes. Is præfectus montis ædis appellabatur. Hic igitur nocte tota singulas custodias lustrabat, & accensæ faces ei præferebantur. Cum offenderetur custodia, quæ non staret in pedes, præfectus monti ædis, pax tibi, ei dicebat. Quam si agnosset dormientem baculo tundabat suo. Idem habebat potestatem urendi vestimenta dormientis.

[10] *Ibidem dicitur &c. Maimonides ibidem.* Hinc vulgo dictitabant Hierosolymæ. Quid hoc clamoris est in atrio? Levita vapulat; aut ejus uruntur vestimenta, quoniam custodiæ suæ indormivit.

CAPUT NONUM.

DE PERMUTATIONE HEBRÆORUM

Veteres Hebræos, ante usum nummorum, ovium vel agnorum permutatione negotiationes suas exercuisse certum non est.

§. I. ELiciunt id nonnulli ex *Gen. XXXIII. 19.* ubi vox קשיטה per *oves agnosve* a pluribus exponitur. LXX. ἑκατὸν ἀμνῶν, quamquam Eugubinus legat μνῶν V. V. *centum agnis*. Syr. במא נקון *centum ovibus*, sic & Arabs במא נעהה Chald. במאה חורפן *centum agnis*. Et favere huic opinioni videtur, quod illo ævo omne peculium ex gregum numero censeretur. Certe *Græcis* olim bobus factam permutationem contendit Salmuthus *ad Panciroll. l. 2. tit. 10. p. 533.*

§. II. Ast si קשיטה ullo fundamento agnum notet, potius *l. c. & Jos.* XXIV. 23. *Job.* XLII. 11. (ubi itidem LXX. ἀμνάδα μίαν. V. V. *ovem unam* Targ. חורפא חרא Syrus נקיא Arabs שאה.) per nummum agni figura notatum exponi posset. Probant id quidam ex πραγματείᾳ Jacobi & vitæ genere pastoritio. Nec apud alias gentes insolens nummos pecudum vel animantium figura signare. Signabant in nummis *bovem & ovem* Romani & Athenienses, *Lupum* Argivi, *cervum* Beotii, *equum* Thessali, *leonem* Zyziceni & Lycii, *leporem* Rhegini, & noti apud nos *Thaleri ursati* Bärenthaler. Athenienses certis nummis nomina animalis, quo notati essent, imposuere & vocarunt πώλους, χελώνας, βοῦς (unde Proverbium: *Bos in lingua*) Et a pecudis figura nonnulli *pecuniam* dictam volunt, licet sint, qui malint, quod ex pecorum corio aliquando conficeretur. Excusari sic possent interpretes, quod *agnum* metonymice dixerint pro nummo *agno signato*.

§. III. Ceterum tempore Abrahami, adeoque Jacobi, jam fuisse τιμῆς ἀργυρίου diserte affirmat Stephanus *Act. VII. 16.* Imo plerique volunt cum קשיטה nostrum illic exposuisse. Ast obstare videtur, quod Stephanus loquatur de Abrahamo, *Gen.* 33. de Jacobo sermo fiat, unde non uno modo apparentem hanc ἀντιλογίαν conciliare conati sunt Lyranus, *in c. 7. Act.* Pererius *in Gen. 23. disp.* 2. Masius *in Jos.* 24. Rivetus *Exerc.* 109. *in Gen.* Lud. de Dieu *Animadv. ad Acta p.* 57. & e nostratibus Gesnerus, Rungius, Gerhardus *in Gen.* 23. 33. Arcularius *in c. 7. Act.* Waltherus *Harm. Bibl. p.* 135. Accedit huc testimonium Talmudistarum *Rosch haschanna c. 3. f.* 26. Dixit R. Akiba: *Quando iter feci in Africam, audivi quod* מעה *nummum* (non necessario *obolum*, ut illi volunt, qui centum *Kesita* Jacobi conferunt cum quinque siclis sacris sive 2 : ½ thal. sive 6. fl. & 5. sestertiis Holland. sed in genere Nummum, ob locum, *Job.* 42. & hinc קשיטאר *nummularius* Arabibus dictus videtur) *vocarent* קשיטה. *Quid inde fructus provenit? Ad explicandum id, quod in lege dicitur: Centum* קשיטה. Conf. *Bereschit rabba sect. 79. in fine* Raschi, R. Lev. ben Gersom, R.

Sal.

Sal. ben Melech *in Gen.* 33. Kimchi ספר שורשי, & præterea Arias Montanus *: Tubalkain s. l. 7. Antiq.* Drusius *Misc. Cent.* 1. *c.* 7. *& in Gen. c.* 97. Mercerus *in Gen.* 33. Waserus *de antiqu. Hebræorum nummis l.* 2. *c.* 15. Pagninus & Schilderus *in Lex.* Pineda *in Jobum*. Buxtorfius *Lex. Talm. p.* 2159. Gualtperius *collat. vers. in Genes. p.* 747. Hottingerus *de Nummis orient. p.* 103. Brerewoodus *de pond. & pretiis vet. numm. p.* 4. & Leusdenius *Phil. Hebræo mixt. Diss.* 29. *p.* 195.

NOTÆ AD CAPUT NONUM.

[1] *At si* קשיטה *&c. Aruch* ויתנו לו איש קשיטה אחת תרגום ויהבו ליה אינש מעה ואית דאמרי מרגליתא ואית דאמרי חורפא ; Targum dicit , & dederunt ei unusquisque monetam unam , Job. 42. Alii interpretantur margaritam , alii ovem . Alii interpretantur gemmam , alii agnos , alii vasa , alii selanim , i. e. nummos . *Gemara Rosch haschana fol.* 26. כשהלכתי לאפריקי היו קורין למעה קשיטה למאי נפקא מנאי לפרושי מאה קשיטה דאוריתא . Quando iter feci in Africam audivi quod nummum vocarint קשיטה ; Quid inde fructus provenit ? ad explicandum id quod in Lege dicitur ; centum קשיטה , id est siclos. *Genes. XXXIII.* 19. *Bereschit rabba sect.* 80. השאילי לי קשיטיך ; commoda mihi tuas gemmas . *Ibidem* במאה קשיטה ר' אבא בר כהנא במאה אונקיות במאה טלאים במאה סלעים . Centum קשיטה dicit R. Aba filius Cahana centum vasis , centum agnis, centum siclis. *Vide Kimchium in rad. R. Salom. in comment. ad cap.* 33. *Genes. R. Levi ben Gerson in Pentateuch.*

[2] *Factam permutationem &c. Homerus Iliad.* 7. *circa finem.*

Ἔνθεν ἄρ' οἰνίζοντο καρηκομόωντες Ἀχαιοὶ
Ἄλλοι μὲν χαλκῷ , ἄλλοι δὲ αἴθωνι σιδήρῳ
Ἄλλοι δὴ δὲ ῥινοῖς , ἄλλοι δ' αὐτοῖσι βόεσσιν
Ἄλλοι ἀνδραπόδεσσιν &c.

Vide Aristot. Polit. lib. 1. *cap.* 6. Columel. *in præfat. lib.* 6. *Hermogenian. l. pecuniæ ff. de ver. sig.*

[3] *Bovem & ovem Romani &c. Plin. lib.* 33. *cap.* 3. *scribit* : Pecuniam sortitam esse nomen a nota pecudis, quod primum æs nota pecudis signatum fuit. *Plutarchus in vita Publicolæ asserit* , in antiquissimis nummis signum fuisse ovis, & suis, & bovis.

[4] *Athenienses certis nummis &c. Vide Plutarchum in vita Thesei , & Pollucem in lib.* 9. *Onomast.*

CAPUT DECIMUM.

DE AVERSATIONE SUILLÆ JUDAICA.

Judæi ab ultimis temporibus sues præ omnibus immundis animantibus aversati sunt .

§. I. NOn injuria quispiam causam quærat , qui Judæi, cum alia animalia immunda , ut olim camelos , jam equos , asinos , canes &c. ad usum alant , porcorum tamen nec esum , nec usum , nec contactum , vix visum & nomen ferant , certe nuspiam aluisse eos suem Scriptura memorat . Unde est , quod in parabola *Luc. XV.* 11. filius ἀκόλαστος porcos in Judæa non pavit , sed in longinqua regione . Quin extrema supplicia subierunt potius , quam suilla vescerentur. Conf. 1. *Macc.* 1. 50. 66. 2. *Macc. VI.* 18. *s. & c. VII.* 1. *s.* Josephus *Antiq. l.* XII. *c.* 7. *& Bell. Jud. l.* 1. *cap.* 1. *& lib. de Macchabæis*. Post lex sancita exstat in Bava Kama *c.* VII. §. 7. ולא יגדל ישר אל חזיר' בכל מקום *nec Israelita porcos ullo loco educabit*. Et in Gemara : ארור האיש שיגדל חזיר *maledictus vir qui educaverit porcos*. Imo ne quidem eo fine alendos porcos concedunt , ut eorum arvina & adipe homines utantur , vel eos aliis vendant. Conf. R. Ascher *ad Mischnam cit.* Maimonides *in Niske Mammon. c.* 5. nec non L'Empereur *ad Bava Kama p.* 176. & Lightfootus *Hor. Hebr. in Matth. p.* 136. Imo nonnulli suem ita detestati sunt ut ne nominare quidem dignati pro sue דפר אחר *rem aliam* Græce πρᾶγμα ἀλλόκοτον dicerent , vid. *Schabbat fol.* 100. 2. *& fol.* 129. 2. *Berachot fol.* 43. 2. quod ideo fieri ait Elias *in Thisbi* , ne pueri audito nomine occasionem captarent inquirendi de sue ויבאו לידי אכילה *tandemque ad esum devenirent*. Quo fine & Judæi festo paschatos fermentum non nominant.

§. II. Sed jam hujus rei causas inquiramus. Quæ *Callistratus* & *Lampridius* apud Plutarchum *Sympos. l.* 4. *c.* 5. Tacit. *l.* 5. *Histor. c.* 4. & Petronius *in Catalectis* afferunt, missa facimus. Notum, quod proveniant ab hominibus præjudicio gravatis. Ipsos potius Judæos audiamus . Eorum alii extremam hujus animalis immunditiem prætendunt. Hinc Maimonides *in More Novochim P.* III. *c.* 48. inter alia; *Quod si*, ait, *permissum esset porcos comedere , plateæ & domus omnes longe sordidiores forent quam sterquilinia & latrinæ, sicuti in Galliis hodie videre licet. Scis etiam quod vulgo Rabbini dicunt* פי חזיר כצואה עוברת דמי *os porcos stercori* (per id) *transeunti simile habetur*. Et hæc porcorum impuritas haud obscure notatur *Prov. XI.* 22. *Matth.* VII. 6. 2. *Pet.* II. 22. Solent quoque maledici homines propter eandem causam [3] per insignem contumeliam porcis conferre Christianos. Sic Bechai *ad Par. Schemini* per por-

cum

cum *Psal. LXXX.* 14. regnum Romanum innui dicit. Alii lepram causantur, qua hoc animal & ipsum infestetur & inficiat alios. *Kidduschim fol.* 49. 2. *Si decem cabi lepræ descenderunt in mundum, novem acceperunt porci. Schabbat fol.* 129. 2. פגע בדבר אחר קשה לדבר אחר *qui incidit in rem aliam periclitatur de re alia*, i. e. juxta glossatores, *porcum comedenti periculum est a lepra.* R. Bechai *in Pentateuch f.* 132. *In quibusdam libris medicinalibus reperi infantem, si lac suillum sugat, fieri leprosum.* Sic in Plutarchi *Iside* est : τῶν δὲ (ὑὸς) γάλα πινόντων ἐξανθεῖ τὸ σῶμα λέπραν καὶ ψωρικὰς τραχύτητας. Ita Ælianus *l.* 10. *c.* 16. *de animalibus* ait : Ἀκούω δὲ καὶ Μανέθωνα τὸν Αἰγύπτιον σοφίας ἐς ἄκρον ἐληλακότα ἄνδρα εἰπεῖν, ὅτι γάλακτος ὑείου γευσάμενος ἀλφῶν ὑποπίμπλαται καὶ λέπρας. In lege quidem circa hujus animalis prohibitionem nihil allegatur, præterquam quod non ruminet *Lev.* XI. 7. *Deut.* XIV. 8. in legis tamen transgressionem gravissime detonat Esaias *cap. LXV.* 5. *c. LXVI. l.* 3. 17. Conf. Buxtorfius *Lexic. Talm. p.* 735. Cunæus *de Rep. Hebræorum l.* 2. *c.* 24. Seldenus *de Diis Syris Synt.* II. *c.* 17. L'Empereur *ad Bava Kama p.* 176. Schickardus *de Jure Regio p.* 148. & cumprimis Vir stupendæ lectionis Sam. Bochartus in nuper edito *Hierozoico*, incomparabili opere (cujus strictissimam epitomen & quasi sceleton exhibere voluit Johann. Henr. Ursinus *Miscell. p.* 79. *s.*) *P.* I. *l.* 2. *c.* 57. *de suibus & siliquis.* Quicquid tamen de his omnibus, [5] quidam ex Rabbinis concedunt porcinæ esum tempore putatitii Messiæ sui licitum fore, qua de re conferatur Hoornbeek *de Conv. Judæis l.* 7. *c.* 1. *p.* 465.

§. III. Sed Gergeseni s. Gadareni sues aluerunt? Mirum id Baronio. Sunt qui existiment, etiamsi Judæorum hominum urbs illa fuisset, potuisse tamen greges porcorum a Judæis mercatoribus ali, non quibus vescerentur, sed quos venderent. Ast potius Urbs *Gadara Marc.* V. 13. *& Luc.* VIII. 26. 32. [6] Græca fuit, non Judaica. Josephus *Antiq. l.* 17. *c.* 13. Γάδαρα καὶ Ἵππος Ἑλληνίδες εἰσὶ πόλεις. Eam Augustus, Herode fatis functo, Romanorum provinciæ Syriæ adjunxisse dicitur. *c.* 14. Et vero *Matth.* VIII. 28. ubi pro Gadarenis *Gergeseni* nominantur aperte significatur locorum illorum incolas non fuisse Judæos, sed ex stirpe Kenaanis in cujus filiis Moses censet את הגרגשי *Gen.* X. 16. pro quo Græci habent τὸν Γεργεσαῖον. *Hieronymus* tam in Matthæo, quam Marco & Luca constanter habet *Gerasenos*, ut Syrus *Gadarenos*, & *Gergesenos* Arabs & Æthiops. [7] *Gerasam* autem & *Gadaram* diversa oppida fuisse patet ex Josepho *l.* 3. *de bello Jud. c.* 19. *&* 20. Cum tamen *Gadara* & *Gerasa* vicina essent oppida, ab utroque potuit idem ager denominari, & forte etiam a *Gergeseis*, qui fuerint horum locorum prisci incolæ. Sed sive *Gadarenos* seu *Gerasenos* seu *Gergasenos* dicas, constat Græcos aut certo Syros ibi fuisse, non Judæos, ut mirum non sit illos porcis alendis operam dedisse. Conf. Abulensis *ad c.* 8. *Matth.* D. Lyserus *Harm. Evang. cap.* 64. *p.* 900. *& cap.* 65. *p.* 921. Beza *ad Matt.* 828. Casaubonus *Exerc.* 13. *in Baron. nu.* 34. & *Not. ad Marc. c.* 1. Abr. Scultetus *Exerc. l.* 2. *p.* 140. L. de Dieu, *ad Matth.* 8. Schickardus *l. c.* L'Empereur *loc. cit. p.* 180. Bochartus *loc. cit.* Walæus *ad Matth.* 8. *& Marc.* 5. Erasmus Schmidius *ad N. T. p.* 163.

§. IV. Judæorum æmuli sunt alii quidam populi, de quibus *Bochartus*, cumprimis Arabes, adeoque [8] omnes Muhammedani, & Abyssini. Illis quidem lex fixa in Alcorano *Sur.* 6. ubi his verbis concipitur : *Non reperio, quid mihi in eo, quod revelatum est, sit interdictum, ut eo vescatur quispiam, nisi morticinum aut sanguis effusus*, או להם הנזיר פאנה רחס *aut caro porci abominanda, aut si quid in honorem idoli fuerit oblatum. Abyssini* tamen non ex æmulatione Judæorum, sed ex consuetudine gentis se suilla abstinere profitentur. Exstat hac de re protestatio regis *Claudii* in confessione ipsius a *Ludolfo* edita, qui & in notis suis ad eandem, eorum plerosque nec leporem nec gallopavonem nec astacos aut carabos nec quicquam ex testaceo genere comedere refert, non quod lex ulla prohibeat, sed quod se insuetos horum ciborum dicant.

NOTÆ AD CAPUT DECIMUM.

[1] *Supplicia &c. Joseph. lib.* 5. *de Mac. ubi introducit Antiochum sic Eleazarum alloquentem.* Μετὰ τοσοῦτον χρόνον οὔ μοι δοκεῖς φιλοσοφεῖν, τῇ Ἰουδαίων χρώμενος θρησκείᾳ. Διὰ τί γὰρ τῆς φύσεως κεχαρισμένης καλλίστην τὴν τοῦδε ζώου σαρκοφαγίαν βδελύττῃ &c. Post tantum temporis non videris mihi philosophum agere, Judæorum institutis, & sacris utens. Quid enim natura carnis tam suavis esum indulgente, hujus in primis animalis carnes abominaris? Plane delirum est, deliciis innocuis frui nolle, & impium ipsos naturæ favores aversari &c.

[2] *Post lex sancita &c. Babyl. Bava Kama fol.* 82. 2. באותה שעה אמרו ארור האיש שיגדל חזירין וארור האדם שילמד את בנו חכמת יוונית. Ista hora pronuntiarunt; Maledictus vir, qui educaverit porcos, & maledictus homo, qui filios suos Græco-

corum ſapientiam docuerit. *Maimonides Niz. Mammon par.* 5. Dixerunt ſapientes; maledictus ſit, qui canes, & porcos alit.

[3] *Per inſignem contumeliam &c. Abarbanel in Roſch Amanah* 18. *col.* 2. Similiter ſe res habet cum illo ſapientum effato de porco; quare vocatur nomen ejus חזיר? Quia futurum eſt ut Deus לחחזירו reducat eum Iſraelitis. Id enim pridem ipſimet expoſuerunt in Jelammedenu, intelligendum de Imperio Romano, quod חזיר *porcus* vocatur ex illo Pſalmi LXXX. 14. Conſumſit eam חזיר porcus ſylveſtris.

[4] *Fol.* 129. *&c. Gloſſa ad hunc locum.* בדבר אחר חזיר לדבר אחר צרעת שהחזירים מנוגעים הן כדאמרינן בקדושין וגו'. *Per rem aliam* priori loco intelligitur porcus, poſteriori lepra, ſiquidem porci leproſi ſunt, prout ajunt in Kidduſchin &c.

[5] *Quidam ex Rabbinis &c. Abarbanel ibidem.* Vel dicendum, quod tunc ſimiliter propter bella ad certum tempus ſuillæ uſum Deus Iſraelitis concedet, veluti cum ipſis permiſit eo tempore, quo terram promiſſam occupabant; juxta illud Deut. VI. 11. *Dabit domos omni bono plenas*; quo etiam cervices porcorum indicari tradunt. Hoc ergo ſenſu dictum voluerunt illum ſuum להחזירו, *ut reducat eum*, item cum in Jelammedenu illud Pſal. CXLVI. v. 7. י״י מתיר אסורים ſic accommodant quaſi ſenſus eſſet; Dominus concedit illicita.

[6] *Græca fuit &c. Quippe quæ erat una ex Decapolis urbibus, quæ in Syria comprehendebatur; Joſephus in vita ſua pag.* 650. *Juſtum Tiberienſem accuſans inquit.* Σὺ δὲ καὶ πάντες Τιβερεῖς οὐ μόνον ἀνειλήφατε τὰ ὅπλα ἀλλὰ καὶ τὰς ἐν τῇ Συρίᾳ δεκαπόλεις ἐπολεμεῖτε. Tu quoque, atque omnes Tiberienſes non ſolum arma ſuſcepiſtis, ſed & urbes Decapolitanas in Syria oppugnaſtis. (*ubi notandum urbes Decapolitanas* ἐν Συρίᾳ) Σὺ γοῦν τὰς κώμας αὐτῶν ἐνέπρησας. Tu urbes earum in flammas immiſiſti. *Et paulo poſt.* Poſtquam Veſpaſianus Ptolemaida perveniſſet, οἱ πρῶτοι τῶν τῆς Συρίας δέκα πολέων. Viri primarii Decapoleos Syriæ Juſtum Tiberienſem acriter incuſarunt, ὅτι τὰς κώμας αὐτῶν ἐνέπρησεν, quod oppida eorum incenderat. Tunc ſuadens Juſtus concivibus ſuis ut arma caperent, & nolentes cogens, cumque omnibus his egreſſus, ἐμπίμπρησι τάς τε Γαδαρηνῶν καὶ Ἱππηνῶν κώμας in ignem mittit villas Gadarenorum, atque Hippenorum. *Idem lib.* 2. *cap.* 33. *de bello quum Judæorum in Syros excurſiones deſcribit*, ita inquit, γαδάροις καὶ ἵππῳ καὶ τῇ γαυλανίτιδι προσπεσόντες, in Gadaram, Hippon, & Ganlanitidem irruentes. *Et* Ἀλλ. *lib.* 2. *cap.* 34. Gadarenſes numerat inter eos, qui Judæos in ſua urbe degentes duriter tractabant. Ἱππηνοὶ καὶ γαδαρεῖς ὁμοίως, τοὺς μὲν θρασυτέρους ἀπεσκευάσαντο, τοὺς δὲ φοβεροὺς διὰ φυλακῶν εἶχον; Hippeni quoque & Gadarenſes ſimiliter, audaciores quidem e medio ſuſtulerunt, formidandos autem carcere detinebant. *Duæ fuerunt Gadaræ; una ad littus maris Mediterranei; illa primitus Gezer eſt dicta* 1. Reg. 9. 15. *Joſepho* Γάζαρα *Antiq. lib.* 13. *cap.* 11. Κατεστρέψατο γὰρ Σίμων γάζαράν τε πόλιν, καὶ ἰόππην, καὶ ἰαμνείαν. *Et lib.* 1. *Maccab. cap.* 14. 34. Καὶ ἰόππην ὠχύρωσε τὴν ἐπὶ τῆς θαλάσσης, καὶ τὴν Γάζαρα τὴν ἐπὶ τῶν ὁρίων Ἀζώτου; *pro Dialecti Syræ idiomate tranſiit* ז *in* ד *pro Gadara vocata eſt Gazara. Ideo Strabo poſt memoratam Jamniam lib.* 16. Καὶ ἡ Γαδαρὶς ἐστιν, inquit, εἶτ' Ἄζωτος καὶ Ἀσκάλων &c. *Et paulo poſt.* Gadarenſis fuit Philodemus Epicuræus, & Meleager, & Menippus ὁ σπουδογέλοιος, & Theodorus Rhetor &c. *Gadara altera in Peræa erat. Joſephus de bello lib.* 4. *cap.* 26. Ἐλθόντων ἐπὶ τὰ Γάδαρα μητρόπολιν τῆς Περαίας καρτεράν.

[7] *Geraſam autem & Gadaram &c. Vide Lightfoot a quo nonnulla accepimus, horas Hebraicas in Evangel. Marci pag.* 442. *Legimus in Hieroſ. Scheviith fol.* 36. 3. *Girgaſæos adventante Joſua, & præconio edicente; qui hinc migrabit, migret; ſe contuliſſe in Africam.*

[8] *Omnes Muhammedani &c. Apud Alcor. pag.* 64. Certe Deus interdixit vobis morticinum, & ſanguinem, & carnem porci. At vero qui neceſſitate coactus fuerit, non concupiſcens, neque tranſgrediens, non erit piaculum ſuper eum; quippe Deus eſt indulgens, miſericors &c.

CAPUT UNDECIMUM.

DE PHYLACTERIIS

ET FIMBRIIS JUD.

Phylacteria & Fimbriæ hodieque ſunt Judæorum precantium inſignia.

§. I. De [1] *Phylacteriis* primo dicimus poſtea diſtincte de *Fimbriis*. Ut ergo Romano-Catholici inter precandum adhibent quaſdam ſphærulas, vulgo Pater Noſter vocatas (quarum inventionem quidam Urbano II. alii Petro Eremitæ Ambienſi adſcribunt) ita Judæi uſurpant quædam lora cum illis Catholicorum ſphærulis ratione *finis & uſus* quodammodo, licet non ratione *modi & fabricæ* convenientia. Illa appellantur iis טוטפות, ex *Exod.* XIII. 16. *Deut.* VI. 8. *&c.* XI. *verſ.* 18. Quam vocem Hottingerus *Smegm. or. p.* 159. derivat a radice apud Hebræos obſoleta, ſed Arabibus adhuc uſitata טאף *circumdedit*, unde & procul dubio deſcendit [2] Chaldaicum מוטפתא *Tiara, Armilla: cui* nos hic aſtipulari malumus, quam vel Talmudiſtis *Sanhedr. f.* 42. *Menach. f.* 34. 2. Kimchio & Raſchio, quibus vox componitur [3] ex duobus nominibus טט & פת, quorum illud in Europa, hoc in Africa ſignificat *duo*. Verba Raſchi ſunt: טטפת תפילין ועל שם שהם ארבעה בתים קרויים טט בכתבי שתים פת באפריקי שתים i. e. *Tephillin propter quatuor domunculas vocantur Totaphot, nam* Tot *in Cathe* (in *Aruch.* גרבי Druſius *de* 3. *ſect. l.* 2. & Scaliger *Tribær. c.* 7. exponunt: *In Ægypto*, alii in Caſpia, alii in Europa) *notat* duo *&* Pot *in Africa notat* duo: Vel R. Menachemo, qui deducit ex נטף *ſtillavit, prophetavit*, ut notetur דבור ſeu ſermo, referente Raſchio, id quod R. Aben Eſræ longius petitum videtur: vel Schindlero, qui a טפף *plaudere*: vel Munſtero *in Ex.* 13. & Mayero *Philol. S. p.* 29. quibus vox eſt Ægyptiaca & vertenda videtur per מראות *conſpicilia*. Cum enim 1. hujus notationis in hodierna lingua Copt-Ægyptia nul-

nullum dari queat vestigium, unde Munstero innotuit? 2. Licet Mosi & quibusdam forte aliis lingua Ægyptiaca nota fuerit, ille tamen Ægyptias voces & phrases in sermone ad vulgus Hebræorum usurpasse neutiquam videtur, quippe in Ægypto confertim habitantes linguam Hebraicam illibatam conservarat, ut ex D. de Grentemesnil erudite observat Samuel Bochartus in *Phaleg. s. parte* 1. *Geogr. sacr. p.* 59. Targumistis, Rabbinis & hodiernis Judæis usitatissime dicuntur תפלן & a Syro in N. T. תפלן *precatoria* (1. פלל ab usu, quem habere videntur. Eandem vocem תפלין ἀντιφυλάκτον retinuit Tawusius Persa *Exod.* 13. 16. Christo ex hypothesi Judaica, in N. T. vocantur *φυλακτήρια*, q. d. *conservatoria* vel *custoditoria* sc. legis divinæ, a *φυλάττω*, non, ut putant Abulensis & Lyranus *ad Exod.* 13. *a phylaxe*, *custodire*, *&* *thora lex.* Alio sensu a Persa Xaverii interprete dicuntur : תעוידהאי i. e. *Tuitiones*, [4] *amuleta*. (vertente L. de Dieu *Hist. Christi Pers. p.* 419.) & Hieronymo *ad Matth.* 23. *pittaciola*.

§. II. De nomine satis; tendimus ad rem. *Tephillin* proinde Judæis duplicis sunt generis תפלין של ראש quæ diceremus [5] *Frontalia*, & תפלין של יד quæ vocaremus *Manualia* vel *Brachialia* : *φυλακτήριον frontale* est lorum coriaceum vitulinum ita complicatum, ut quatuor distinctas habeat cellulas seu capsulas, quibus includuntur quatuor schedulæ membranaceæ conscriptæ non verbis Decalogi, ut statuunt Hieronymus, Theophylactus & Beda, sed [6] periochis quatuor ex *Exod. c. XIII. & Deut. c.* VI. *&* XI. desumtis : hoc per aliud assutum lorum fronti inter oculos e cerebri regione alligant Judæi, quando precari volunt, putantes se h. m. divino præcepto belle satis fecisse. Huc enim Pseudo-Uzielides [7] & alii trahunt ista SS. loca. Ille sic transfert *Exod.* XIII. 9. *Eritque tibi signum miraculosum hoc sculptum, & explanatum in Thephilla manus, in superiori parte sinistræ tuæ & in memoriale sculptum & explanatum in Thephilla capitis ligata e regione oculorum in superiori parte capitis*. Confer eundem ad *Deut.* VI. *v.* 8. *c. XI.* 18.

§. III. *φυλακτήριον brachiale* simili ferme ratione conficitur, & tempore precum [8] brachii sinistri nudæ cuti alligatur in ea parte, [9] quæ cor respicit. Hic tamen diverso modo dicta Scripturæ sacræ inseruntur, ut exponit Maimonides *de Tephillin. cap.* 2. [10] *Quomodo Phylacteria capitis scribuntur? Scribunt quatuor textus S. Sanctæ in quatuor pergamenis, & convolvunt unumquodque seorsim, induntque ea quatuor domunculis, quæ consuuntur in uno corio. At quod ad Phylacteria manuum, scribunt in iis eosdem quatuor textus, per quatuor paginas in uno pergameno, quod convolvunt, sicut librum legis* (Gesetz-Rolle) *a fine usque ad initium ejus, & indunt uni domunculæ*. De Phylacteriis hisce & variis Judæorum circa ea superstitionibus plura dabunt ex Hebræis R. Maimonides *Tr. de Tephillin*, Moses Mikkotzi *Præc. Affirm.* 21. 22. Autor Arba Turim *in Orach Chajim n.* 25. Joseph Karo *in Schulchan aruch P.* 1. R. Jac. Abendana *Spicil. ad Miclal Jophi in cap.* 13. *Exod.* e Christianis P. Fagius *ad Targ. Ex.* 13. P. Galatinus *de A. C. V. l.* 11. *c.* 4. *p.* 681. Seb. Munsterus *Ev. Matth. Hebr. c.* 23. *p. m.* 325. Val. Schindlerus *Lex. Pent. r.* טטף *p.* 699. Joh. Drusius *de* 3. *sectis l.* 2. *c.* 15. Sixtus Senensis *Bibl. S. p.* 119. Nic. Fullerus *Misc. l.* 5. *cap.* 7. Buxtorfius *Lex. Talm. p.* 1743. *& Synag. Jud. c.* 9. *ed. post.* Victor a Corbe *lib.* 4. *contra Judæos c.* 24. 25. Jul. Conr. Otto *in Gali Razia l.* 3. *c.* 7. Otho Gualtperius *Syll. vocum Exot. N. T. p.* 153. *s.* Sam. Petitus *Var. Lect. l.* 2. *c.* 3. *p.* 109. Jov. Camero *Myrothec. ad Matth.* 23. *pag.* 105. D. Gerhardus *Harm. Evang. cap.* 158. *p.* 56. *s.* Dan. Heinsius *Exerc. Sacr. l.* 2. *c.* 7. Mich. Havemannus Wegeleuchte wider die Jüdische Finsternuß. *App. p.* 558. Barth. Mayerus *Phil. S. P.* 1. *p.* 124. Andr. Sennertus *ad Ps.* 1. *p.* 29. Chr. Cartwrightus *Elect. in Exod. p.* 152. 156. *seq.* Bald. Walæus *Comm. Ev. p.* 251. W. H. Vorstius *Ann. ad Maim.* יסודי תורה *pag.* 73. Lightfootus *Hor. Hebr. p.* 244. Joh. Hoornbeek *l.* 7. *contra Judæos cap.* 3. Leusdenius *Phil. Hebræo mixt. p.* 118. & alii.

§. IV. Hæcce Phylacteria inde a temporibus Mosis usitata non fuerunt, sed orta videntur post captivitatem demum Babylonicam, cum legi divinæ multa absurda glossemata ab hypocritis & portentosæ sapientiæ Magistris in dies affingerentur. Tempore Mosis & Prophetarum obtinuisse hujusmodi lora precatoria in τάξει Ecclesiastica, non putamus : originem potius habent ex prava Scripturæ sacræ explicatione, dum Judæi κατὰ ῥητὸν exponunt, quod metaphorice est capiendum. Nam licet loca *Exod.* XIII. v. 16. *Deut.* VI. *&c.* etiam nonnulli ex Patribus, ut Justinus *Dial. cum Tryphone*, Chrysostomus, Euthymius & Theophylactus *in c.* 23. *Matth.* κατὰ ῥητὸν explicent, Scaliger quoque *Elench. Triher. c.* 8. asserat, Christum ipsum propter divinam ordinationem Phylacteria gestasse, quod multo etiam disertius affirmat Gilb. Genebrardus *Chronolog. p.* 216. nec improbabile id sit Cl. Lightfooto *Hor. Hebr. p.* 245.

de quo tamen nos cum Cl. Buxtorfio *Diss. 6.* §. *98.* vehementer dubitamus; plerique tamen eadem metaphorice explicant h. m. והיה *Et erit* sc. ritus azymorum in memoriam liberationis Ægyptiacæ institutus, imo tota lex *Deut.* VI. *l.* 8. כאות על ידכה *veluti signum seu sigillum in manu tua*, i. e. perpetuæ recordationis, ut *Esa.* XLIX. 13. ולטפפת בעיניך *& sicut tiara seu ornamenta capitis tui*, quæ in fronte gesta, versetur semper *ante oculos tuos*. Qua de re plura adjicere non est nostrum. Conf. Gerh. *Harm. l. c.* D. Glassius *Præf. Rhet. S.* D. Tarnovius *Exerc. Bibl. p.* 101. Hakspanius *in notis Biblicis ad Ex.* 13. Junius *l. eod.*

§. V. Et de hisce Tephillin (non de latis & magnis purpuræ notis, ut scribit Epiphanius *hæ.* 15. neque etiam de palliis vel eorum laciniis, ut perperam in N. T. vertunt Arabs & Persa: ille ארדיתהם *pallia sua*, hic ראמן פרחי *lacinias vestimenti*) loquitur Salvator *Matth.* XXIII. 5. quando taxat Pharisæos, quod hujusmodi Phylacteria non modo probent, sed eadem & ampliora & speciosiora in majoris sanctitatis aucupium conficiant. Conf. Gerh. *l. c. p. 63.*

§. VI. Alia vero ratio erat [12] *Fimbriarum*, quæ ratione usus a DEO instituta erant, ratione abusus a Christo taxantur. Nam *Num. XV.* 28. præcipitur Judæis, ut faciant sibi ציצית *fimbrias seu peniculamentum* על כנפי *in alis* seu angulis *vestium*, iisque indant פתיל תכלת *filum hyacinthinum* in μνημόσυνον divinæ legis, cui constitutioni similis est, quæ exstat *Deut.* XXII. 12.

§. VII. Porro ציצית [13] Raschi deducit a ציץ & ait vel notari *cincinnum* seu filamentum cincinno simile ex *Ez. VIII.* 3. quod & Aben Esræ placet, [14] vel *promicans quiddam* ex *Cant. II. 9.* [15] Alias exponitur ציצית peniculamentum seu extrema pars vestis in fila exiens. Gallice *Des franges*, Franzen. Aben Esræ: חוטים היוצאים שאינם ארוגים *fila exeuntia, quæ non texuntur.* [16] In Targum Onkelosi dicuntur כרוספדין, [17] ex Græco κράσπεδα, uti a Salvatore vocantur *Matth. XIII.* 5. Sic Arabs vertit: אטראף *fimbrias*. Persa: אשתין *Oram*. Sed Interpres historiæ Christi addit: וריסמאנהא *funiculos*. *Deut. XXII.* 12. [18] dicuntur גדלים, Buxtorf & Jun. *Institæ*. Ad quem locum ait Aben Esra; *Homines mendaces dicunt, quod hoc præcepto tradatur idem* [19] *noctu observandum, quod præcepto de zizit* [20] *injungitur interdiu, propterea h. l. scribi:* In veste, qua te *tegis*. *Verum Doctores Talmudici docent, quod hic tradatur idem præceptum de zizit interdiu observandum. Expositio autem* [21] *vocis* גדלים. *desumitur ex* 1. *Reg.* VII. 17. גדלים fasciæ opere catenato, &c.

§. VIII. Videtur itaque antiquitus apud Judæos moris fuisse, [22] ut in extremis oris togarum vel palliorum quibus se tegebant *Deut. XXII.* 12. relinquerent [23] ציצית i. e. fila quædam exeuntia veluti in textoriis operibus, & iis ut patet ex *Num. XV.* 39. superinderent [24] פתיל *contortum filamentum* [25] תכלת i. e. *coloris hyacinthini*, juxta LXX. Raschi צבע רוק של חלזון *coloris viridis, qualis est conchylii* i. e. hyacinthini, v. Buxtorf. *Lex. Talm. p.* 759. vel cœrulei, secundum Aben Esram. כטעם תכלת בעבור שהוא כעין השמים i. e. תכלת *notat colorem, qui est sicut aspectus cœli*. Finis fuit *non moralis*, quomodo volunt nonnulli DEUM præcepisse, ut Judæi vestes suas, quas dicunt ita fuisse comparatas, ut anteriorem & posteriorem partem tegerent lateribus utrinque apertis, certis funiculis vel ansulis connecterent, ne vestibus hinc inde diffluentibus aliquam corporis partem turpiter denudarent: (Conf. L'Empereur *ad Bava Kama p.* 197.) *neque diacriticus* ut Epiph. *hær.* 15. Hieronym. *ad Matth.* 23. Corn. a Lapide, *ad Num.* 15. aliique addunt, ut nim. hoc vestitu a gentibus distinguerentur; *sed symbolicus*, ut haberent μνημόσυνον divinæ legis. Burgensis *ad Num.* 15. ait: *Hoc præceptum ordinabatur ad hoc*, 26 *ut cum vidissent illas fimbrias, recordarentur mandatorum Dei, sicut cum aliquis homo rogat amicum suum, ut aliquid faciat pro amore suo, pro cujus memoria ligat sibi digitum aliquo filo, ut cum hoc viderit, tradat memoriæ illud, quod sibi est injunctum*. Et ipsum Salvatorem nostrum sese hac in parte legibus Judæorum attemperasse, quidam concludunt ex Luc. VIII. 44.

§. IX. Sequioribus autem temporibus Judæi non servarunt τὸ ῥητὸν in ista κρασπεδοποιΐᾳ. Finxerunt enim *peculiarem vestem thoraci non absimilem*, ut ait Fagius *ad Num.* 15. *nisi quod manicis careat*, quam pingit Leusdenius *Phil. mixt. p.* 119. [27] Ea constat ex duabus quadratis particulis vel panneis [28] vel bombycinis vel sericis, quæ superne ligamentis quibusdam late connectuntur, & traducto capite humeris injiciuntur, ut una pars a pectore, altera a tergo dependeat. Quatuor inferioribus angulis (propter quos hanc vestem ארבע כנפות *quatuor alas* vocant) [29] annexa sunt fila lanea & contorta, quæ illi *zizis* vel Zoten vocant, hæc per nodum in extremitatibus panni duplicantur, ut octo videantur, quibus iterum quinque nodi singulari artificio innectuntur. Et hæc crotala sanctiores perpetuo circumferunt, alii precaturi sibi ap-

pen-

pendunt, exiſtimantes ſe hoc pacto omnia præcepta Dei recolere, ut Raſchi mirabiliter probat: [30] *Recordemini omnium præceptorum Domini.* [31] *Nam per Gemetriam vox* ציצית *in numeris facit 600. quibus addantur octo fila & quinque nodi fient 613.* (quot nimirum in univerſum ſunt præcepta legis) Conf. Buxt. *L. Talm.* 1908. *& Synag. Jud. c.* 9.

§. X. In hanc ἐθελοθρησκείαν, & quod Phariſæi præ aliis ſuas *Ziziot* facerent prolixiores & nodos atque funiculos denſiores, quo ſe præ illis mandatorum divinorum ſemper memores oſtenderent, Salvator eoſdem taxavit *Matth. XXIII.* 5. Conf. Ger. *Harm. Ev. p. 66.* & non pauci e ſupra citatis.

NOTÆ AD CAPUT UNDECIMUM.

[1] *Phylacteriis &c. De his in præſentia pauca dicemus, quamplurima dicturi in Mechiltha, & in Maimonidis tractatu Tephillin, qui ſuo loco edentur nunc primum ex Hebraico latini redditi, & notis perpetuis illuſtrati.*

[2] *Chaldaicum* טוטפתח *&c.* ולעילא מן כלילא טוטפן. Et ſupra coronam erant Tiaræ. *Eſther* 8. 15. טוטפתך יהוין עלך; Tiaræ tuæ erunt ſuper te. *Ezech.* 24. 17. טוטפתכון ברישיכון, & Tiaræ veſtræ erunt in capitibus veſtris; *Ezech.* 24. 23. *Apud Talmudicos varia ſignificant. Codex Schabb cap.* VI. לא בטוטפת Non cum Totaphoth egredietur ſcil. mulier in Sabbatho; *Ubi Gloſſa* ציץ שקושרין על המצח מאזן לאזן Totaphoth eſt lamina quam alligant fronti ab una aure ad aliam. *Menachoth fol.* 34. 2. *in Toſephoth*. Videtur טוטפת ſignificare capitis partem juxta frontem, ſicut dicitur in capite במה אשה, ubi ſignificatur corona, quæ circumdat totam frontem.

[3] *Ex duobus nominibus &c. Menachoth fol.* 34. 2. טט בכספי שתיים פת באפריקי שתיים Tat in Kaſphe ſignificat duo, Pat in Africa ſignificat duo.

[4] *Amuleta &c. Gemara Schabb ibid.* מאי טוטפת; Quid eſt טוטפת? Dixit R. Joſeph, alligamentum abſciſſionis, h. e. membrana ſacra collo appenſa ad abſcindendum periculum ab hoſte, vel ab invido.

[5] *Frontalia &c. De Frontalibus, & Manualibus vide notas in Relandi Antiquitates ſacras in Tomo ſecundo Theſauri.*

[6] *Periochis quatuor &c. Maimonides cap.* I. 1. Hæ quatuor ſectiones, quæ incipiunt. *Sanctifica mihi &c. Exod.* 13. 2. *Cumque introduxerit te Dominus &c. Ibid. verſ.* 5. *Audi Iſrael &c. Deut.* 6. 3. *Si ergo obedieritis &c. Ibid.* 11. 13. ſeorſim ſingulæ deſcribuntur, & pelle operiuntur, & vocantur Tephillin, & capiti imponuntur, & manui alligantur.

[7] *Et alii trahunt &c. Onkelos Deut.* 6. 8. Ligabis ea in ſignum ſuper manum tuam ויהון לתפלין בין עינך, eruntque in Tephillin inter oculos tuos. *Jonathan*. Et ligabis ea in ſigna ſcripta in manu tua ſiniſtra, eruntque in Tephillin ſuper cerebro tuo e regione oculorum tuorum. *Item*. די אנא קטרא תפלין ביד שמאלי וברישי; quæ ligo Tephillin in manu ſiniſtra mea, & in capite meo. Cantic. 8. 3. תפלין על ידיהון ועל רישיהון, & demittere Tephillin ſuper manus ipſorum, & ſuper capita ipſorum, *Eſth.* 8. 16. מן לעילא ותפלא ורישא, a ſuperiore parte Tephillæ capitis, *Exod.* 39. 31. Atque item. Et ponetis verba mea iſta ſuper cor veſtrum, & ſuper animam veſtram, & alligabitis ea, כד הנון כתיבין על תפלא cum fuerint ſcripta ſuper Tephillam, in ſignum ſuper altitudinem manus veſtræ ſiniſtræ, ויהון לתפלין eruntque in Tephillas e regione cerebri inter oculos veſtros. Deut. 11. 18.

[8] *Brachii ſiniſtri &c. Aben-Ezra ad Exod.* 13. 9. א״ר משה הכהן כי יד ברוב המקרא היד השמאלית אף ידי ישדה ארץ וימיני טפחה שמים. ידה ליתד תשלחנה. ודברי הקבלה חזקים ואין צריכין חזוק Dixit R. Moſes Sacerdos, vox manus multoties in Scriptura denotat manum ſiniſtram; e. g. *Manus quoque mea fundavit terram, & dextra mea menſa eſt cœlos*. Jeſ. 48. 13. *Manum ſuam miſit ad clavum*. Jud. 5. 26. quæ autem per traditionem habemus, tam firma ſunt, ut confirmatione non opus ſit. *R. Salom. in l. c.* על ידך שמאל לפיכך ידכה מלא בפרשה שנייה לדרוש בה שהיא בהה *ſuper manum tuam*; intellige ſiniſtram; vox enim ידכה *manus tua* in Paraſcha ſecunda (*Exod.* 13. 16.) plene exſtat cum ה He, ut myſtice interpretemur de manu contractiori.

[9] *Quæ cor reſpicit &c. Orach Chajim ſect.* 27. *n.* 1. יטה התפילה מעט לצד הגוף בענין שכשיכוף זרועו למטה יהיו כנגד לבו, deflectere faciat paullulum phylacterium verſus corpus ipſum, eo fine, ut curvato inferiori brachio, phylacterium e regione cordis ſit.

[10] *Quomodo Phylacteria &c. Ex Hechaiim MS. apud Wagenſeilium in Sotah*. Harum cuique περιοχῇ ex Lege indenda eſt, ſed erecta, ita ut ſuperior margo primus receptaculum ſubeat, atque ea ſchedæ ſit diſpoſitio, quæ lectionis ordinem naturalem ſervet in ipſa ædicula. Nota jam ſchedarum ordinem. Pericope והיה אם שמע, quæ ſi aptentur Phylacteria, ad dextram ea induentis prima ſit. In eam quæ ſuccedit immittenda Pericope שמע. Huic proxima ædicula tenere debet Pericopen והיה כי יביאך. Denique in ultimam ædiculam, quæque aptatorum Phylacteriorum ſiniſtrum latus eſt, conditur Pericope וקדש

[11] *Phylacteria manuum &c. Ibidem*. Pericopæ Phylacteriorum brachii columnis quatuor in membrana unica oblonga ſcribenda ſunt fere ita uti Pentateuchum deſcribere ſolemus, eſtque in ipſis is ordo ſervandus, quem ipſe ſacræ literæ ſuppeditant. *Et paulo poſt*. Sed ſi Pericopæ hæ quatuor ſeparatis membranis inſcriptæ, uni ædiculæ includantur, id licitum reputari debet. Nam traditum deprehenditur. Si quis duo habeat Phylacteria capitis (puta quæ capiti nunquam fuere aptata, neque ex eo ſanctitatem contraxerunt) huic fas eſt, alterutra ex his pelle operire, ut ædicularum interſtitia tegantur, atque tum iſtis pro brachii Phylacteriis uti non prohibetur.

[12] *Fimbriarum &c. De his quoque in Theſauro ſuo loco prodibit Maimonidis Tractatus Hebraice & latine, cum verſ. & notis clar.* Jo. Henric. Maii.

[13] *Raſchi deducit a* ציץ *&c. Abarbanel. in Leg. p.* 298. *col.* 4. ועשו להם ציצת וציצית חוטים או שערות יורדים ומדולדלים כמו ויקחני בציצת ראשי *Et faciant ſibi* ציצית ציצת autem ſunt fila vel crines, qui deſcendunt, & demittuntur; Quemadmodum Ezech. VIII. 3. *Et aſſumſit me crinibus capitis mei*, i. e. extremitatibus capilli. *Maimonides Zizith cap.* 1. 1. Ramus alæ veſtis adpoſitus, & ex eadem indumenti ſpecie conſtans, vocatur ציצית eo quod capitis cirros plane repræſentet. Q. S. E. Ezech. VIII. 3. *Et aſſumſit me* בציצת ראשי *cirris capitis mei; quod Chaldæus* exponit בסער ראשי pilis capitis mei. *R. David Jud.* 4. 19. *interpretatur* pro villis lanæ שמיכה כסות עב יוצאין ממנו ציציות מן הצמר, tegumentum craſſum, unde exeunt villæ lanæ per totum tegumentum. *In Schaab. fol.* 137. 1. *fila vocantur*; הציצין המעכבין את המילה, fila retardantia circumciſionem. *Vide R. Salom. ben Melech ad Num.* 15. 38. *R. Becbai fol.* 167. *col.* 4.

[14] *Vel promicans &c. Siphri ad Num.* 15. 38. Alia Gloſſa, cur appellantur ציצית? quia proſpexit Deus ſuper domos patrum noſtrorum in Ægypto, juxta verſiculum qui dicit; *vox dilecti mei ecce ille venit &c.* & pariter dictum eſt; *ſimilis eſt dilectus meus capreæ &c.* Item dictum eſt. *En ipſe ſtat poſt parietem noſtrum, reſpiciens per feneſtras*, מציץ *proſpiciens per cancellos. Cant.* 2. 9. 10.

[15] *Alias exponunt &c. Aben-Ezra ad Num.* 15. 38. והפירוש השני כאשר העתיקו חז״ל ובעבור שיש עדים נאמנים על הפירוש השני בטל הראשון והם העתיקו כי זאת המצות עם בגד שיש לו ארבע כנפים והציצת

הם הגדילים . Altera explicatio eſt juxta translationem Sapientum b. m. quæ , quoniam fidis teſtibus eſt confirmata , priorem illam abolevit ; ipſi autem explicarunt , præceptum hoc innuere veſtimentum quatuor alarum , & Zizith idem ſonare quod filamenta .

[16] *In Targum Onkeloſi &c. Num.* 15. 38. ויתנון על ברוספרא דכנפא. Ponentque ſuper oram veſtimenti. ויעבדון להון ברוספרין facientque ſibi fimbrias . Ibid.

[17] *Ex Græco &c. Heſychius* , κράσπεδα (inquit) τὰ ἐν τῷ ἄκρῳ τοῦ ἱματίου κεκλωσμένα ῥάμματα , καὶ τὸ ἄκρον αὐτοῦ , illa quæ ad oram veſtis aſſuuntur fila , & extremitas ejus .

[18] *Dicuntur* גדילים *&c. Abarbanel ibidem* . והיא קצוות שערי וכן חוטי הציצת הם כזאת הצורה בתחתית ונקראו גדילים לפי שהם גדילים מלמעלה והמפרשים פירשו גדילים על הצורה מלמעלה שהיא קלועה מעשה גבלות לחזק וכן בלשון חז"ל קוראין לקליעה גדיל ואין הקליעה קיימת רק בקשרים אם כן נקרא ציצת על שם ולהל הפתילים למטה ונקרא גדילים על שם הקליעה וקשרים שבעליון הפתילים. Similia ſunt fila Zizith , quæ inferne eandem habent figuram , vocanturque גדילים , quia ſunt glomerata ſuperne ; & Interpretes exponunt vocem גדילים de forma ſuperiore , quæ eſt contorta opere æqualiter terminato ad firmitatem , & ſic in ſermone Sapientum noſtrorum b. m. contortum voce גדיל vocant , neque eſt contortum firmum niſi nodis , ideoque vocatur Zizith a dependentia filorum , & vocantur גדילים propter opus contortum , & propter nodos , qui ſunt in ſuperiore filamentorum parte .

[19] *Noctu obſervandum &c. Maimonides plane fatetur licitum eſſe induere noctu peniculamenta , niſi ſit mendum in textu ; Zizith* III. 8. מותר לאדם ללבוש ציצית בלילה . Licet cuivis induere peniculamenta noctu .

[20] *Injungitur interdiu &c. Siphri ad Num.* 15. 39. Ego crederem in iis comprehendi operimentum nocturnum ; ideo dictum eſt ; *quas cum viderint* ; interdiu , & non noctu ; ſi veſtis deſtinata eſſet uſui cum diurno , tum nocturno , obligabitur ad peniculamenta .

[21] *Vocis* גדילים *&c. Targum* ותתן ית תרתין גדילן דדהב tum indes duos funes aureos Exod. 28. 24. Hebr. שתי עבתת duos craſſos vel tortos funes auri , i. e. catenas tortiles & auro inſtar funiculorum בתרתין גדילן הדתן duobus funibus denſis novis Jud. 15. 13. Hebr. בעבתים . Item כאסור גדילן ſicut vinculum craſſorum funium Ezech. 3. 25. ית תביא גדילתא Catenas contortas Hebr. העבתת Exod. 28. 14.

[22] *Ut in extremis oris &c. Abarbanel l. c. fol.* 299. *col.* 1. ואמרו על כנפי בגדיהם רמז אל הכסות העליון והטעם שב זמניהם נהגים ללבוש על כל בגדיהם מעיל ארבע כנפים ומתעטפים כמעיל ההוא בצורה הטלית אשר לנו היום כנפי המעיל מתפשטים במעיל ההוא בצורת יתי שהציצית תהיינה תלוים בהם וזהו ענין וראיתם אותו cum dicit ad oras veſtium veſtrarum , innuit velamentum corporis exterius ; atque hoc vult , quod ea tempeſtate ſoliti fuerint geſtare quatuor alarum pallium , quod ſuper omnes reliquas veſtes induebant , eoque pallio circumdabantur eum in modum , quo velamur inter nos hodie uſitato טלית , alis pallii hinc inde pendentibus. Præcepitque Deus , ut peniculi ad eas appenderentur , quod inſinuatum eſt verbis ; cum videritis illud .

[23] ציצית *&c. Siphri ad Num. XV.* 38. *Ut faciant ſibi fimbrias* . Ego credebam , faciendas ex filo ſimplici ; ideo dictum eſt *funiculos facies* . Deut. 22. 12. Quotnam filis funiculus conſtabit ? Non erunt tribus pauciora , verba Scholæ Schammai ; Schola Hillel dicit tria lanea , & unum hyacinthinum ; deciſio eſt juxta ſcholam Schammai ; Quare hæc dicta ſunt ? pro ſuo principio , verum pro ſuis extremitatibus , cujuſmodi ſint , nihil refert. Ego putabam , quod *peniculamentum* ex funiculis totum conſtare deberet ; ideo dictum eſt *fimbrias* ; quomodo hoc explicatur ? ut funiculi ab angulo prodeant , & a funiculis peniculamentum. *Per angulos palliorum* ; Ego putabam quoque comprehendi pallia , quæ tribus , quinque , ſeptem , octo angulis conſtarent ; idcirco dictum eſt *per quatuor angulos pallii tui* ; Excluduntur pallia , quæ tribus , quinque , ſeptem , & octo angulis conſtent .

[24] פתיל *&c. Siphri ibidem ponentes in eis vittas hyacinthinas* ; ut ſint netæ , & contortæ ; ego non probo niſi pro *filo* hyacinthino , quod ſit netum , & contortum , pro albo unde probatur ? Tu ita argumentaris ; Cum dixerit Lex , ut ponatur *filum* hyacinthinum , & pariter ponatur *filum* album ; Quemadmodum hyacinthinum eſſe debet netum & contortum , etiam album erit netum , & contortum . *Per angulos palliorum ponentes* ; ſuper locum texturæ , non vero in extremitate , ſi poſuiſſet ſuper extremitatem , eſt idoneum peniculamentum . R. Elieſer filius Jacobi dicit , quod ſit interdictum ; quia Lex dicit *per quatuor angulos pallii* , non vero per octo . *Per angulos palliorum ponentes* ; cur dictum eſt ? Quia dictum eſt ; *ut faciant ſibi fimbrias* ; Ego putabam , quod eas cum veſte texeret ; ideo dictum eſt *ponentes* . Quomodo ergo faciet ? ut illi aſſuat .

[25] תכלת *&c. Viridem alii exiſtimat . Aben-Ezra in Exod.* XXV. אמר יפת שהוא כדמות שחרות כי הוא תכלית כל הצבועים והכל ישובו אליו והוא לא ישוב במעשה אדם לעולם ואני נסמוך על רז"ל שאמרו שהוא ירוק והוא צמר . Dixit Japhet eſſe colorem ſimilem nigro , quia perficit omnes colores , & quia omnes in nigrum convertuntur , hic vero nunquam in alium converti poterit arte humana . Sed ego aſſentior doctoribus noſtris b. m. qui ſtatuunt fuiſſe viridem , & quidem in lana . *Jarchius l. c.* תכלת צמר צבוע בדם חלזון וצבעו ירוק . Thechelet eſt lana ſanguine Chilzon infecta coloris viridis . *Gemara Menachoth cap.* IV. ר"מ אומר מה נשתנה תכלת מכל מיני צבעונין מפני שהתכלת דומה לים וים דומה לרקיע ורקיע לכסא הכבוד שנאמר ותחת רגליו כמעשה לבנת הספיר וכעצם השמים לטהר . R. Meyr dicit ; quid differt color *thechelet* a reliquis colorum ſpeciebus ? Quod thechelet ſit ſimilis mari , & mare firmamento , & firmamentum throno gloriæ , ut dicitur Exod. 24. 10. *Et ſub pedibus ejus , quaſi opus lapidis ſapphirini , quaſi cœlum , quum ſerenum eſt . Nonnulli nigrum . Maimonides Zizith* II. 11. החלזון הוא דג שדומה עינו לעין התכלת ודמו שחור כדיו ובים המלח מצוי . Chilzon eſt piſcis , cujus color eſt inſtar coloris thechelet , & ſanguis ejus ater eſt inſtar atramenti , reperitur autem in mari ſalſo . *Sanguine Chilzon inficiebatur . Targum Jonath . Deut.* 33. 19. Populi multi in monte domus Sanctuarii adorabunt ; ibi offerent oblationes veras . Nam ad littus maris magni habitabunt , & oblectabunt ſe ex piſce Tariſa , וחלזונא יאחדון ויצבעון מאדמיה תיכלא , & Chilzonam capient , atque ex ejus ſanguine tingent hyacinthinum pro filis ſtolarum ſuarum . *Kimchius in Lexico* תכלת והוא צבוע בדם חלזון עם הסמים ידועים . Thecheleth eſt color factus ex ſanguine Chilzon , additis medicaminibus notis . *Erat Regum ornatus . Xenophon Cyrop.* VI. *Panthea uxor inter munera pretioſa offert Abradatæ Regi Suſianæ* χιτῶνα πορφυροῦν ποδήρη στολιδωτὸν κάτω , καὶ λόφον ὑακινθινοβαφῆ tunicam purpuream talarem , in extrema ora rugatam , & conum hyacinthini coloris .

[26] *Ut cum vidiſſent &c. Siphri . Ibid. Quas cum viderint recordentur &c.* Nos docet Textus , quod qui obſervat præceptum Zizith , reputatur perinde ac mereretur videre faciem Divinitatis ; quod color hyacinthinus eſt ſimilis mari , & mare ſimile firmamento , & firmamentum ſimile throno divino juxta verſiculum qui dicit ; *Et ſuper firmamentum , quod erat imminens capiti eorum . Et nonnullis interjectis . Quas cum viderint , recordentur &c.* Docemur , quod qui obſervat præceptum Zizith , ſimilis eſt illi , qui obſervaret omnia præcepta Legis .

[27] *Ea conſtat &c. Maimonides Zizith cap. III.* Indumentum , cui vi Legis divinæ peniculamenta appendenda ſunt , quatuor vel pluribus alis ornatum eſſe debet , menſuraque ejus tam ampla , ut caput maximamque ſui partem parvulus , qui ſolus ſpatiari in plateis didicit , nec alterius ope ad obſervandum , aut ambulandum ſecum indiget , tegere iſto queat .

[28] *Vel bombycinis , vel ſericis &c. Laneum vel lineum vult Maimonides ibidem* . Ipſum vero indumentum laneum duntaxat vel lineum eſto . Enimvero pallium reliquarum ſpecierum , v. g. veſtis ſerica , aut quæ ex lana vel vitis , vel camelorum , vel leporum , vel lanugine caprarum , ſimilibuſque aliis

com-

composita est, ad mandatum de peniculamentis non spectat nisi ex Sapientum sententia.

[29] *Annexa sunt fila &c. Maimonides ibid. cap. I.* 6. Jam vero qua ratione peniculamenta conficiuntur? Ab angulo pallii, ubi texturæ finis apparet, initium fit, ac sursum ad trium digitorum exactam longitudinem nodus prægrandis protenditur, in quo quatuor fila colliguntur, ac in medio duplicantur. Quandoque etiam octo fila triplicata una ab extremitate suspensa videre licet. Octo qui fila texit, quatuor ad minimum digitorum longitudinem conficere illa debent, sin superent, & ad unius, vel duarum quoque ulnarum longitudinem adscendant, genuina quoque habentur. Digiti quoad longitudinem æquales sibi omnino sunto. Ex hisce octo filis unicum hyacinthinum esse debet, reliqua septem alba.

[30] *Recordemini omnium &c. Abarbanel ad Num.* 15. 39. ואמרו היה לחם לציצת פירשו המפרשים והיה להם כנף המעיל הנזכר העליון לציצת להתדולל ולהתחבט בפניכם וכנגד עיניכם וראיתם אותו לאות ולסימן לזכור כל מצות יי׳ כי מפני שרוב בני אדם טבעים במגלות ים התאויות גם בטרדות העסקים. וצרכיכם חייבה החכמה האלהית את האדם לשום אות וסימן לזכר בבשרו אם יהיה ערום והוא ברית מילה וכן במלבושיו הכנף מעילו העליון שהוא תמיד לנגד עיניו והוא הציצת ועל ידיו העסקניות ובין ידיו התפילין של יד ושל ראש ועל פתח ביתו המזוזה ולדבר בהם תמיד בבקר ובערב כדי לזכור תמיד את בוראו וכמ״ש שויתי יי׳ לנגדי תמיד ועל זה אמר למען תזכרו ועשיתם את כל מצות יי׳ והייתם קדושים. Dictum est והיה להם לציצת; Eritque vobis ala pallii memorati exterioris pro peniculamento, ut dependeat, & dejiciatur ante faciem vestram, & ante oculos vestros, ut videatis istud tanquam signum & monumentum, ut recordemini omnium præceptorum Dei. Quia enim ut plurimum mortales libidinum terrestrium fundo immerguntur, negotiorumque & necessitatum suarum opere prægravantur, obstrinxit divina sapientia hominem, ut nudo ei memoriale poneretur in carne, fœdus nempe circumcisionis, vestito in oris pallii exterioris, quod jugiter in oculis ejus obversaretur peniculamentum; super manus denique negotiosas, & inter manus, manuum capitisque Phylacteria, & super ostium domus Mesusa, & ut de illis loquatur assidue, cum mane, tum vesperi, ut semper recordaretur Creatoris sui, sicut dicitur; *posui Dominum ante me jugiter*; qua de causa etiam scriptum; *ut recordemini, & faciatis omnia præcepta Domini, sitisque sancti. R. Bechai in Leg. Sect.* שלך לך *inquit*, כל מי שיש לו תפילין בראשו ומזוזה בפתחו וציצת בבגדו מובטח לו שלא יחטא. Quicunque habet Tephillin in capite suo, & Mesusam in janua sua, & Zizith in vestimento suo, is certus est quod non sit peccator.

[31] *Nam per Gematriam &c. Abarbanel l. c.* וכן אמרו גדולה מצות ציצת ששקולה כנגד כל המצוות שנאמר וזכרתם את כל מצוות יי׳ שבגמטריא כל מצוות יי׳ עולה לתר״ב מצוות ומצו הציצית אחת הרי תר״ג ועוד תמצא כי ציצית עולה תר׳ וח חוטי וה׳ קשרים הרי תר״ג ואף על פי שהוא ציצת כמוב חסר יו״ד מפרש בתנחומא ג׳ פעמים כתוב בפרשה לציצת הלק למ״ד לשלשתן והיא משלמת המנין גם אמרו שיש מ״ד תיבות מן דבר אל בני ישראל וגו׳ ועשו להם ציצת עד אני יי׳ אלוהיכם. Pariter dicunt; Magnum est præceptum de ציצית, quoniam præceptis omnibus æquivalet, prout dicitur, & recordemini omnium præceptorum Dei; siquidem per Gematriam כל מצות יהוה rependit numerum DCXII. præcepta, cui præceptum de filamentis si adjicimus, conficientur ecce DCXIII. Amplius reperias quod ציצית conficiat DC. nimirum VIII. fila, & V. nodi conficiunt XIII. Quamvis enim ציצת cum Jodh defecto scribatur, explicat תנחומא tribus vicibus scriptum esse in sectione לציצת diviso ל in singula isthæc tria, atque sic completur numerus. Præterea dicunt esse LXIV. vocabula e verbis דבר אל בני ישראל ועשו להם ציצת *usque ad verba*, Ego Dominus Deus tuus.

CAPUT DUODECIMUM.

DE DICASTERIIS HEBRÆORUM.

Judicia olim apud Judæos in portis urbium peragebantur.

§. I. Hebræi antiquitus judicia sua non exercebant in curiis vel certis huic rei destinatis palatiis, [1] sed sub dio; nec enim videmus certorum dicasteriorum, quamdiu apud Judæos regimen Patriarchicum, Hegemonicum, Heroicum, quin & ante Babylonicam captivitatem Monarchicum obtinuit, in sacris literis fieri mentionem. Sic etiam ante hac [2] apud Romanos non tantum in basilicis, templis & porticibus, sed etiam subdialibus locis, unde liberrimus esset cœli prospectus, judicia fiebant. Id quod patet ex Valer. Max. *l.* 8. *c.* 1. *tit:* 8. *Per idipsum tempus*, inquit, *quo tristes de eo* (Pisone) *sententiæ ferebantur, repentina vis nimbi incidit. Cumque prostratus humi pedes judicum oscularetur, os suum cœno replevit. Quod conspectum totam quæstionem a severitate ad clementiam & mansuetudinem transtulit*. Conf. Thom. Dempsterus *in Paralip. ad Antiq. Rom. Joh. Rosini p.* 725.

§. II. Subdialis iste locus tempore Patriarchici regiminis apud fontem fuisse videtur M. J. L. Reimero *de Rep. Hebr. de Reg. Patr. s.* 3. §. 1. id quod probat ex Gen. XIV. 7. ubi fit mentio עין משפט *fontis judicii*. LXX. ἐπὶ τῆς πηγῆς τῆς κρίσεως qui ita videtur ipse appellatus, quod ibidem incolæ convenirent & causas forenses disceptarent ac lites componerent, quo trahit Onkelosi versionem: qui tamen ad hunc finem digitum quidem intendit, locum tamen seu fontem non determinat. Ita enim vertit: למישר פילוג דינא i. e. *planitiem disceptationis judicialis*, quomodo ipsius mentem exprimit Raschi in h. l. *Onkelos interpretatur ad literam de loco, ubi incolæ conveniebant ad quævis judicia*. Conf. etiam Fagius.

§. 3. Sed quidquid sit, locum judicii antehac fontem fuisse, ex isto loco probari nequit. Probabilius est nominari hunc locum a Mose κατ' ἀντίληψιν & dici a severissimo Dei judicio in Mosen & Aaronem lato & contentione populi ad istum fontem *Num. XX.* 12. 13. nam idem locus dicitur absolute *Kades* & hic & illic. Innuit

nuit hoc Raſchi hiſce verbis: על שם העתיד שעתידי משה ואהרון להשפט שם על עסקי אותו העין והם מי מריבה *ob rem futuram ita dicitur; quia Moſes & Aaron ibi judicandi erant ob negotia ad eum fontem acta & hæ ſunt aquæ contentionis*. Pſeudo Uſielides: ותבו ואתו לאתרא דאתפליג ויגא דמשה נביא על עינא דמי מצותא הי ריקם *Et reverſi ſunt & venerunt ad locum, ubi deciſum eſt judicium Moſis Prophetæ juxta fontem aquarum contentionis, ille eſt* (fons deſerti) *Rekam* (ita enim poſt dicebatur *Kades*, ut præter utrumque Chaldæum teſtatur Euſebius κατὰ Μελχισεδεκιανῶν. Syrus: *Rakem*, Arabs: *Rakim*.) Conſentiunt nobiſcum Hieronymus *ad Fabiol.* Toſtatus, Lyranus, Gerhardus, Junius *ad h. l.* Glaſſius *Philol. Sacr. l.* 4. *Tract.* 3. *pag.* 958. Nec eſt, ut contra Jarchium excipiat R. Nachmanides: Kades h. l. eſſe Kades Barnea, ad deſertum Pharan, cujus præceſſerat mentio; illud v. judicium & jurgium contigiſſe in Kades deſerti Zin. Nam cum hi reges locum ſeu planitiem Pharan aperte dicantur reliquiſſe & reverſi conceſſiſſe ad fontem Miſpat, an non fons Miſchpat potuit eſſe in deſerto Sin deſerto Pharan contermino? Non ergo neceſſarium eſt ut fontem judicii hunc ponamus in Kades Barnea, cum hic abſolute dicatur Kades.

§. IV. Judicia autem ab ultimis inde temporibus uſque ad captivitatem Babylonicam & forte aliquandiu poſt eam a Judæis eorumque majoribus tempore pacis & quietis publicæ peragebantur in portis ſingularum urbium. (Conf. Car. Sigonius *de Rep. Hebr. l.* 6. *c.* 6.) quod & in more poſitum fuiſſe Hevæis conſtat ex *Gen.* XXXIV. 20. Judæi huc etiam referunt locum *Gen.* [3] *XIX.* 1. ubi Raſchi notat dici de Lotho ישב *quia eo die* (quo Angeli ad eum veniebant) *conſtituerant eum Sodomitæ judicem*: quod tamen facile refelli poteſt ex v. 9. Calvinus notat eum pecora ſua ex agro præſtolatum: Abulenſis & Cornel. a Lapide ajunt eum alias hoſpitalitatem ab Abrahamo edoctum hic hoſpites exſpectaſſe quo facere locum *Hebr. XIII.* 2. obſervat Gerhardus. Potius auram eum circa veſperam captaſſe putamus, ut in calidioribus illis regionibus moris erat. Cæterum cauſam, cur in portis conſidere voluerint Hebræorum judices, cenſet Hier. fuiſſe, *ut neque Agricola ad cauſas veniens frequentia civitatis & novo terreretur aſpectu, nec urbis habitator longe ab urbe properaret*. Addi poſſet, propterea hoc factum eſſe ut monerentur judices, ne quid facerent, cujus ipſos puderet, ſiquidem judicia omnibus audientibus atque videntibus faciebant; atque ſi aliquis ex univerſo cœtu pro reo aliquid afferre poſſet vel etiam contra eum, id majori παῤῥησίᾳ in medium proferret. Conf. D. Tarnov. *in Amoſum p.* 126.

§. V. Porro in portis erat certus & determinatus locus, ubi ſub dio pro more judices conſidebant. [4] Innuitur id 1. *Reg.* XXII. 10. ubi Achab & Joſaphat dicuntur conſediſe בגרן *in area* & auſcultaſſe Prophetis vaticinantibus. R. Dav. Kimch. ad *h. l.* exiſtimat אולי מפחד אויביהם שהיה להם מלחמה עם ארם תמיד היו עושים גרנים סמוך עיר i. e. *forte metu hoſtium, cum ipſis nim. bellum perpetuum cum Syris intercederet, feciſſe eos ſibi areas prope urbem*: qua conjectura opus non eſt. De forma autem illius areæ ex verbis Talmudiſtarum poſtea adjicit, fuiſſe *veluti dimidium rotundæ areæ* (כחצי גורן עגולה) *ut unus poſſet aſpicere alium* & ſic Joſaphatum & Achabum עם סיעתן *cum collegio ſuo* quaſi in ſemicirculum conſediſſe, id quod nos in medio relinquimus.

§. VI. In loco judicii judicibus poſita erant ſedilia & regibus throni ſeu ſolia regia. Patet id ex 1. *Reg.* XXII. 10. ubi Achab & Joſaphat ad portam ſediſſe dicuntur איש על כסאו LXX. ἀνὴρ ἐπὶ τοῦ θρόνου αὐτοῦ. Targum Jon. גבר על כורסיה *ſuper thronum ſuum*. Et *Jer. I.* 15. principes dicuntur poſituri איש כסאו *thronos ſuos ad oſtium portarum Jeruſalem*.

§. VII. Conſidebant etiam in portis non modo ſeniores & judices inferiores, ut vult Reimerus *de Reg. Her. ſ.* 2. §. 1. (licet alias certum, hos conſediſſe in portis ex *Prov.* XXXI. 23. & *Thren. V.* 14.) ſed etiam principes *Jer.* XXVI. 10. & ipſi Reges regio veſtitu conſpicui, ubi patet ex 1. *Reg.* XXII. 16. ubi ad verba: *Induti veſtibus*, notat R. Dav. Kimchi: *Exponendum eſt hoc de veſtibus pretioſis, quid enim alias eſſet, quod dicitur: erant veſtiti? novimus enim quod non fuerint nudi: exponas proinde de veſtibus regalibus pretioſis*. In eundem ſenſum Ralbag ſ. R. Levi Ben Gerſon in *h. l.* Hinc vertit V. V. *veſtiti cultu regio*. Syrus: לבושין לבושא ברדא *induti veſtimento verſicolore* ſive grandinato. Nec tamen negabimus etiam quandoque Reges & majores judices domi ſuæ privatim judicaſſe; ſed tunc judicia eorum publica erant ratione perſonæ publica authoritate pollentis, non autem ratione loci judiciis publicis ordinarie deſtinati.

§. VIII. Nec vero in portis conveniebant tantum partes litigantes, & de cauſis ſuis diſceptabant, quod quidem patet ex *Pſ.* CXXVII. 5. ubi inepte Raſchi ait intelligi

telligi תלמידי חכמים שמנצחין זה את זה בהלכה ונראין כאויבים זה לזה. *Discipulos Sapientum, quorum unus alterum vincit in decisionibus Talmudicis & videntur inter se hostes esse* : cum sermo sit de veris, non de personatis adversariis. Idemque patet ex 2. *Sam.* XV. 2. de Absolone, qui ad portas litigantium causas explorabat, in quem locum Ralbag notat: רל׳שהוא עומד במקום ששם יעברו העוברים לבוא אל שער המלך i. e. *nim. stabat ille juxta locum, ubi transibant viatores, ut irent ad portam Regis*. Hoc est יעל יד דרך השער LXX. ἀνὰ χεῖρα τῆς ὁδοῦ τῆς πύλης. Jonathan. על כבשאורח תרעא ad semitam viæ portæ. Minus bene Syrus : על גנב תרעא דמלכא & Arabs : ענד באב אל מלך ad januam Regis. Sed proponebantur quoque ibidem, & discutiebantur omnia negotia, & Forensia & Ecclesiastica, quæ bonum publicum concernere videbantur ut patet ex 1. *Reg.* XXII. 10. *&c.* his observatis facula accenditur locis aliis *Gen.* XXIII. 10. *Deut.* V. 8. *cap.* XXI. 19. *Ruth.* IV. 1. *Job.* XXXI. 21. *Prov.* XIV. 19. XXII. 22. XXIV. 7. *Esa.* XXIX. 21. *Jer.* XXVI. 10. *Thren.* V. 14. [5] *Amos* V. 10. 12. 15. *Zach.* VIII. 16. *&c.*

§. IX. Sequentibus autem temporibus Synedrium Magnum [6] consedit in לשכת גזית *conclavi cæsi lapidis* (λιθοστρώτῳ *Joah.* XIX. 13. juxta Seldenum *de Successſ. p. m.* 364. *s.* quamvis alia mens Heinsio *Exerc. S. l.* 4. *c.* 10. Bezæ *ad. h. l.* Gerhardo *Harm. Pass. c.* 11. *p.* 134. aliisque,) id est, ædificio splendido ex cæsis & politis quadratis lapidibus ad latus Templi Hierosolymitani constructo, unde σύνεδροι dicuntur חכמי גזית *Sapientes Gazit.* De eo Jac. Juda Leo *de Templo Hieros. l.* 2. *n.* 128. ex versione CL. Sauberti *p.* 107. *Congregabatur illic Synedrium unius & Septuaginta virorum : quorum novem & sexaginta sedebant ad latus occidentale cameræ hujus coram principe & patre domus judicii, qui secundum ab isto locum obtinuit. Sedere autem omnes veluti dimidius circulus, duoque* λογογράφοι *stetere ibi, alter a dextra judicum, alter a sinistra eorundem, &c.* Quadraginta vero annis ante excidium Templi circa ea tempora, quibus Salvator in Palæstina docuit, migravit Synedrium ex hoc ædificio, וישבה לה בחנויות *& consedit in tabernis*, ut dicitur in ע״ז *c.* 1. Istæ tabernæ erant in monte templi, paulo longius tamen a Templo. R. Nathan enim dicit fuisse חניות מקום חוץ מלשכת הגזית בהר הבית, i. e. *locum extra conclave cæsi lapidis in monte Templi*. Et circa hæc eadem tempora, teste Maimonide *Hil. San. cap.* 14. amisit Synedrium [8] supplicia capitalia. Fatentur hoc ipsi Judæi *Joan.* VIII. 31. *Nobis non licet occidere quenquam*. Sic ergo Apostoli *Actor.* V. 27. coram Synedrio non steterunt in ædificio Gazit, sed in illis tabernis. [9] In causa CHRISTI tamen ad conclave Gazit redierunt. V. Gloss. *ad Sanh. f.* 38. Ex hisce tabernis deinceps [10] ad plura alia loca etiam extra urbem concessit Synedrium, ut dicit Maimonides l. c. *Synedrium* קלקלה השורה *pervertit lineam ; Nam (* σύνεδροι *) migrarunt de loco in locum, imo ad decem loca migrarunt, & ultimus eorum fuit Tiberias, & inde nullibi substitit, ad hæc usque tempora*. Plura hic suppeditabunt L'Empereur *ad Middot. p.* 138. *seqq.* M. Joh. Vorstius *diss. de Synedr.* §. 42. *seqq.* Seldenus *de Successſ. p.* 365. Coccejus *ad Sanhedr. p.* 297. *s.* Sigonius *de Rep. Hebr. l.* 6. *c.* 7.

NOTÆ AD CAPUT DUODECIMUM.

[1] *Sed sub dio &c. Abarbanel ad Judic. IV. 5. ubi disseritur de Debbora, quæ Israelem sub palma judicabat, scribit ;* בני ישראל היו עולים לפניה למשפט בכל יום ולכן כדי שלא תתיחד עם האנשים היתה יושבת תחת תומר. Ascendebantque ad eam filii Israel ad omne judicium singulis diebus, idcirco ne sola cum viris moraretur, sub palma consistebat. *Jalkut ibid.* תנא רבי אליהו והיא יושבת תחת תומר לפי שאין דרכה של אשה להתיחד בתוך הבית. Si consuetudo erat, ut sub dio judicaretur, quid iidem Rabbini curarunt, ut nobis rationem redderent loci, ubi Debbora judicaret ? *Kimchi ibid.* ויש לפרש רק הפשט שהיה לה בית תחת תומר אחד ; literaliter explicandum est, quod ei fuerit cubiculum sub palma ; *Verisimile est etiam duo minora Synhedria, quorum alterum ad portam atrii, alterum ad portam montis templi considebant, sub dio judicasse, cum nullum iis in templo conclave, ubi considerent, assignatum esset. Abarbanel ad Deut. XVI.* 18. היו בירושלים שני בתיי דינים של כ״ג אחד מהם היה יושב על פתח הר הבית ואחת על פתח העזרה. Erant duo Synhedria Hierosolymæ viginti trium, quorum alterum super porta montis domus, alterum super porta atrii considebat.

[2] *Apud Romanos &c. Etiam Athenis Areopagi Magistratus sub dio judicabat ; rationem reddit Antiphon in oratione de Herodis cæde, nempe* ne judices in eundem locum convenirent, atque ii, qui manibus essent impuris, &, ne qui de cæde accusabat, sub eodem tecto esset, atque ille ipse, qui cædem patrarat.

[3] *Locum Genes. XIX. 1. &c. Abarbanel ad hunc locum ;* וקרה שהיה לוט יושב בשער העיר ובאמרים ז״ל שאותו היום מנוהו עליהם שופט ולכן היה יושב בשער העיר. Et accidit, ut Loth sederet in porta civitatis, juxta id quod dicunt Sapientes (sc. Sanh. XI.) quod eo die eum constituerint judicem ; & ideo sedebat in porta civitatis.

[4] *Unanimiter id* 1. *Reg. &c. Abarbanel in hunc locum.* בפתח שער שומרון juxta ostium portæ Samariæ &c. כורן עגולה כמו שהיו יושבים הסנהדרין בשושבם ad similitudinem areæ eo modo, quo Synedria in loco suo considebant.

[5] *Metu hostium &c. Abarbanel ibidem ;* אולי שמפני המלחמה היו עשים הגרנות סמוך לעיר ; forte causa belli fecerunt illi areas prope urbem.

[6] כחצי גורן *&c. Codex Sanhedrin.* IV. 3. סנהדרין היתה כחצי גורן כדי שיהו רואין זה את זה. Sinedrium instar horrei dimidiati fuit orbiculare, ut unus alterum contueri posset : *Vide Maimonidem Sanhedr. cap.* 1. *Amos* V. 15. *R. Bechai in Deut.* 16. 18. בית דין של כ״ג מעמידין אותן בכל עיר ועיר שיש

בה״

בה, ק"כ אנשים מישראל או יותר ויושבת בשער העיר שנאמר והציגו בשער משפט' Synedrium vigintitrium virale constituebatur in singulis civitatibus, in quibus essent centum viginti Israelitæ, aut plures, & considebat ad portam civitatis, juxta versiculum qui dicit; *constituite in porta judicium*. *Amos* V. 15. *Maimonides Sanhedr. cap.* 1. בכל עיר ועיר מישראל שיש בה ק"כ או יותר סנהדרי קטנה ויושבת בשער העיר שנ' והציגו בשער משפט in omnibus vero urbibus, in quibus erant centum & viginti Israelitæ, aut plures, constituebant Synedrium minus, quodque sedebat in porta urbis, juxta illud; *constituite in porta judicium*. *Amos V.* 15. *Iliad.* 3. *Legimus Senatores Trojanos in porta urbis consedisse*. Εἵατο δημογέροντες ἐπὶ σκαιῆσι πύλῃσι. Sedebant populi seniores in Scaeis portis, *qui ab Eustathio* ἡγήτορες τρώων primates Trojanorum *appellantur*. Deut. 16. 18. בכל, תתן לך בשעריך, *Onkelos*, *&* *Jonathan* קרויכון in omnibus civitatibus vestris *interpretantur*; *Porta pro tota urbe sumitur Gem. Babyl. ad tit. Sanhedr. c.* 1. *fol.* 16. 2.

7 *Consedit* in לשכת גזית *&c. Bereschith Rabba in Genes.* 49. 10. לא יסור שבט מיהודה זו לשכת הגזית שנתנה בחלקו של יהודה שנ' וימאס באהל יוסף ובשבט לא בחר ויבחר את שבט יהודה את הר ציון אשר אהב הר המצוין בתורה Istud est camera vel consistorium dolatum, quod datum est in parte Judæ, sicut dictum est Psalm. 78. 67. *Et repulit tabernaculum Joseph, & tribum Ephraim non elegit*; sed elegit tribum Juda, & montem Sion quem diligit; montem inquam *speculatum* per legem.

8 *Quadraginta annis &c. Hierof. Sanhedrin cap. Hajou bode Kin.* ארבעים שנה קודם חורבן הבית גלתה סנהדרי וישבה לה חנות (פר"שי מקום היה בירושלם וכן שמו) per annos quadraginta antequam destrueretur domus migravit Synhedrium, & sedit in tabernis (*Glossa R. Salomonis Jarchi*; locus in Jerusalem sic vocatus), *Babyl. Sanhedrin* fol. 42. 1. ארבעים שנה קודם חורבן הבית גלתה סנהדרין וישבה לה בחנות Quadraginta annis ante excidium domus migravit Synhedrium, & consedit in tabernis, & *Babyl. Schabbath fol.* 15. 1. *& Avodah Zarah fol.* 8. 2. מ"ח שנה עד שלא חרב הבית גלתה לה סנהדרין וישבה לה בחנות, Quadraginta annis antequam templum excisum est, migravit Synhedrium, & consedit in tabernis.

9 *Supplicia capitalia &c. Gemara Hierosol.* 18. 1. קודם לארבעים שנה עד שלא חרב בית שני נטלו דיני נפשות מישראל; Quadraginta annis ante excidium templi secundi cessarunt judicia animarum in Israel. *Vid. iterum fol.* 24. 2. *& Babyl. Sanhedrin fol.* 41. 1. *& Avodah Zarah fol.* 8. 2. *& Juchasin fol.* 51. 1.

10 *In causa Christi &c. Hic locus in MSS. Maimonidis Sanhedr. XI. legitur, qui in impressis desideratur* אף ישוע הנוצרי דמה שהיה משיח ונהרג בבית דין והוה גרם לאבד ישראל בחרוב ולפזר שאריתם ולהשפילם. *Aliquando rediisse in conclave Gazith multis in locis legitur Tosipht. Cethuboth fol.* 30. 1. י"ל ולפעמים לצורך שעה היו חוזרין סנהדרין ללשכת הגזית dicendum est quandoque tempore opportuno rediisse Synhedrium in Conclave Gazith. Et *Tosipht. Avodah Zarah fol.* 8. 2. וי"ל ד"ממ כשהיו רואין צורך שעה היו חוזרין אל הלשכה ודנין שם, quin dicendum est eos quoties decernerent tempus opportunum esse, rediisse in conclave illud, ibique judicasse.

11 *Ad plura alia loca &c. Babyl. Rosch Hascanæ fol.* 31. 1. מלשכת הגזית לחנות ומחנות לירושלם ומירושלם ליבנה ומיבנה לאושא ומאושא לשפרעם ומשפרעם לבית שערים ומבית שערים לצפרי ומצפרי לטבריא E conclavi Gazith in Tabernas (in monte Templi positas) a Tabernis in Hierosolyma, ab Hierosolymis in Jabnen, a Jabne in Usham, ab Usha in Sepharaiim, a Sepharaiim in Beth-shairim, a Beth-shairim in Zipphori, a Zipphori in Tiberiadem. *Vide Sepher Juchasin fol.* 21. 1. *& fol.* 26. 2.

CAPUT DECIMUMTERTIUM
DE PUBLICANIS.

Publicanorum ordo Romanis honoratissimus, Judæis exosissimus fuit.

§. I. ROmanorum redditus erant tum e proventibus terræ annuis, tum ex rebus importatis. Eos, qui illinc essent, vocabant φόρον *Tributum*; qui hinc, τέλη *vectigalia*. Discrimen illud inter τέλος & φόρον Apostolus quoque *Rom.* XIII. 7. innuit. Cum itaque Judæi a Romanis penitus subjugati essent, præter stipendia prædiaria & tributum didrachmi capitatim impositum (*Matth.* XVII. 24.) tenebantur etiam pendere vectigalia, quæ conducebant & exigebant τελῶναι, dicti ἀπὸ τοῦ τέλος ὠνεῖσθαι, a quibus distinguendi *Tributi exactores*. Romanis τελῶναι vocabantur *Publicani*, voce generaliori. Nam ita Ulpianus *ff. de Publ. & Vect. & Commiss. l.* 2. *& l.* 1. *§. Hic Publicani*, inquit, *sunt*, *qui publico fruuntur*: *Nam inde nomen habent*, *sive fisco vectigal pendant*, *vel tributum consequantur*; *& omnes*, *qui quid a fisco conducunt*, *recte appellantur publicani*. Generalior tamen ista nominis Publicani acceptio distinctionem inter τέλος *vectigal* & φόρον *tributum*, hujusque & illius exactores conductoresve haud tollit. Conf. quæ ex Petito mutuatur Bald. Walæus *Comm. Ev. pag.* 453.

§. II. Ea afferre lubuit, ut tanto melius innotesceret discrimen inter [1] מוכסים & גבאין. Nam illi dicuntur Hebræis quæstores ærarii s. exactores τοῦ φόρου, hi conductores vel præfecti τοῦ τέλους sive τελῶναι. Aperte autem distinguuntur מוכסין & גבאין in in Bava Kama *f.* 113. 1. *in Mischna* אין פורטין לא מתיבת המוכסן ולא מכיס של גבאין. *Non permutant nummos neque ex arca publicanorum* (מוכסין) *neque ex loculo quæstorum ærariorum* (גבאין). Sic & *ib. f.* 94. 2. *circa fin. in Gemara*: הרועים והגבאין והמוכסים תשובתן קשה. *Difficilis est pœnitentia Pastorum*, *Quæstorum & Portitorum*. Vides hic iterum distingui גבאין a מוכסין. Proinde minus caute tradit Ang. Caninius *ad loca obsc. N. T. p.* 70. Publicanos Hebræis dici גבאין, cum dicantur מוכסין, idque non a כסס *supputavit*, ut placet Buxtorfio, sed, juxta Trostium *Lex. Syr. p.* 379. & Hot-

& Hottingerum *Lex Harm.* a מכס quod Arabice eſt *Tributum collegit*, *licitatus eſt*, (nam licet non itidem, cognati tamen erant τελῶναι & Quæſtores illi.) Sic appellantur in Talmude *Bava Kama l. c. Schabbat c.*8. *in Miſchna* §. 2. *Sanhedrin f.* 25. 2. *f.* 44. 2. *Nedarim f.* 28. 1. *&c.* in Targum *Jud. V.* 10. & in N. T. Syr. מכסא eſt, qui in textu τελώνης. At גביא nunquam eſt Publicanus, ſed miniſter vel exactor judicialis *Matth. V.* 5. ut fallatur adeo CL. Iſ. Caſaubonus, quando *Ex.* 13. *n.* 37. ſcribit Publicanos Syriaca voce appellari גבאין, in eo a Caninio deceptus. Sed magis miramur id neque advertiſſe perſpicaciſſimum in talibus Lightfootum. Nam is probaturus publicanos ap. Judæos peſſime audire, adducit locum e Talm. Hieroſ. *Demai f.* 23. 1. חבר שעשה גבאי דוחין אותו מחבורתו transfert: *Religioſus, qui evadit Publicanus, pellendus eſt e ſocietate religioſa.* Mallem ego: *Sapiens*, ſive doctus, *qui fit exactor tributarius, pellendus eſt e ſocietate ſua.* Nam textus Talmudicus non adhibet מוכס ſed גבאי. Arabice τελώνης ſimiliter vocatur מכסא; conf. Whelocum *ad Evang. Perſica p.* 46.

§. III. Publicani tales apud Romanos non infimæ, ſed equeſtris erant dignitatis. Cicero *pro Planc.* ait: *Flos equitum Romanorum, ornamentum civitatis, firmamentum Reip. publicanorum ordine continetur.* Sed cum res vel pueris nota ſit, plura non addemus, ne incurramus cenſuram, qua Baronius a Caſaubono *l. c.* notatus eſt.

§. IV. Nec tamen omnes publicani neceſſario Romani erant, verum diſcrimen erat inter [2] publicanorum Principes, & Publicanos ſimpliciter tales, quos vocat *ſocios vectigalium* Paulus I. C. *ff. de Publ. & vect. l.* 9. §. *Socii*. ראש המוכסים ſeu *Architelonarius* neceſſario erat Romanus, vel civitate Romana donatus. Cæteri ut Romani eſſent opus non erat, ſed ex ea provincia vel urbe a publicanorum Principibus eligebantur, in qua vectigalia exacturi erant. [3] Sic & Judæi eſſe poterant, id quod Tertullianus *de pudicitia c.* 9. ex aſſumento quorundam Græcorum codicum ad *Deut. XXXIII. poſt v.* 17. ὐκ ἔσαι τελεσφόρος ἀπὸ θυγατέρων Ισραὴλ &c. minus recte negavit. Idem etiam notat Gemara in *Bava Kama c.* 10. *& Matth. XVIII.* 17. ὁ ἐθνικὸς ϗ ὁ τελώνης diſtinguuntur, quia poterant eſſe publicani, qui non eſſent Ethnici. Conf. Hieronymus *Epiſt.* 146. Ang. Caninius *l. c. p.* 71. Baronius *Ann.* 31. *n.* 71. Caſaubonus *Ex.* 13. *n.* 36. Waſerus *de nummis Hebr. l.* 1. *c.* 18. Scultetus *l.* 1. *c.* 18. *p.* 48. L'Empereur *ad Bava Kama p.* 271. Joh. Seldenus *de J. N. G. l.* 2. *c.* 5. *p.* 179. aliique.

§. V. Judæi autem publicanos pro exitialibus fere hominibus habebant; id quod ortum tum ex hypotheſi Judæorum, qui putabant, rem ſe indignam eſſe, vectigalia peregrino populo pendere: tum ex malis moribus publicanorum, qui redemta vectigalia pro lubitu exaggerabant, indeque cum damno vectigalia pendentium diteſcebant, dummodo redemtionis ſuæ ſummam Magiſtratui exſolverent. Hæ immodicæ exactiones etiam ipſis Romanis diſplicebant. Hinc Ulpianus *ff. de Publ. & Vect. l.* 12. ait: *Quantæ audaciæ, quantæ temeritatis ſint publicanorum factiones nemo eſt, qui neſciat.* Propterea quoque Suidæ *Publicanatus* eſt: πεπαῤῥησιασμένη βία, ἀνεπιτίμητος ἁρπαγὴ, ἀναισχυντος πλεονεξία, πραγματεία λόγον μὴ ἔχȣσα, ἀναιδὸς ἐμποεία i. e. *liberrima violentia, irreprehenſa rapina, impudentiſſimus quæſtus, irrationalis negotiatio, impudens mercatura.* Conf. Chemn. Harm. *Evang. c.* 16. *p. m.* 169.

§. 6. Quid vero Judæi de iis ſenſerint, & quantopere ab eorum converſatione abhorruerint Phariſæi, patet tum ex N. T. Vitio enim Salvatori vertebant, quod cum iis ederet, biberet & familiariter converſaretur, quod ipſi non faciebant. V. *Matt. IX.* 11. *XI.* 19. *Marc. II.* 16. *L. VII.* 34. *V.* 30. *XIX.* 7. imo publicani illis erant bipedum ſceleratiſſimi. V. *Luc. XVIII.* 11. Tum ex Talmudicis pandectis & Hebræorum Scriptis, v. g. אין פירטין מתבת מוכסין *Non permutant nummulos ex arca publicanorum.* Bav. Kam. cap. 10. in Miſch. Ratio redditur של גזל לפי שהם *quia ſunt ipſorum rapinæ.* קשה תשובתן *difficilis eſt pœnitentia Paſtorum, Eleemoſynariorum, & Publicanorum*, ibid. f. 94. *Publicani ſunt* הפסולין *inepti ad teſtandum aut judicandum* Sanhedr. f. 25. 2. Qui Sanh. f. 44. *publicanus* dicitur, eum gloſſa explicat *improbum.* Nedarim *cap.* 3. §. 4. junguntur Sicariis & latronibus. Et in Aruch dicitur: מוכס סתם גזלן *Publicanus ſimpliciter eſt raptor:* ut jam alia mittamus. Conf. Buxtorfius *Lex. Talm. pag.* 1065. & Lightfootus *Hor. Hebr. pag.* 108. *&* 2. 6. quæve ex Grotio habet Walæus *p.* 58.

§. VII. Non omnibus tamen æque infenſi erant, nec enim omnes ejuſdem erant generis. Quidam erant 7 a Rege *conſtituti*, monente Bartenora *ad Nedarim f.* 28. 1. qui vectigalia Magiſtratui colligebant, & hos, ſi nihil exigerent præter קצוב ſeu Joannes ait, *Luc.* III. 13. Διατεταγμένον, licet ipſis eſſent ſudes in oculis, tamen æquiori animo tolerabant, utpote jus Regium exequentes; hinc in Gemara dicitur: דינא דמלכות דינא *jus Regium*

etiam est jus; quo dicto approbatur sententia Christi *Matth.* XXII. 21. Alii erant[8] *spontanei*, de quibus præcipue in præcedentibus egimus, שאין להם קיצבא *quibus a Magistratu* non erat determinatus exactionis modus, sed qui redemtis redditibus, quantum poterant, extorquebant: hi infames iis erant, & ab ipso Christo notantur *Matth.* XVIII. 17. & hinc in Historia Evangelica meretricibus & publicis peccatoribus ut plurimum associantur. Vid. *Matth.* IX. 10. 11. XI. 19. XXI. 31. 32. *Marc.* II. 15. 16. *Luc.* XV. 1. Conf. etiam L'Empereur *ad B. K. p.* 272.

NOTÆ AD CAPUT DECIMUMTERTIUM.

[1] מוכסים & נבאין *&c. Gemara Sanhedr. fol.* 25. 2. Hi non sunt idonei ad perhibendum testimonium רועין והגבאין והמוכסין Pastores, exactores, & Publicani. *In quæ verba sic R. Gaon.* Rabbini excludunt Publicanos, ideo quod exigunt plusquam quod iis statutum; nam si sic, forent iidem cum נבאין exactoribus.

[2] *Publicanorum principes &c. Schabb. fol.* 78. *ubi mentio* מוכס גדול ומוכס קטן Publicano majori, & minori. *De quibus Glossa*. Aliquando est Publicanus major, cui grave nimis est stare in ponte toto die; substituit ergo sibi Publicanum inferiorem.

[3] *Sic & Judæi esse &c. Maimonides Gesela cap.* 5. שפסקו המלך ואמר שיקח שליש או רביע או דבר קצוב והעמיד מוכס ישראל לגבות חלק זה למלך quem Rex constituit, jussitque accipere tertiam aut quartam partem, aut fixum quid, sique is publicanus Israelita fuerit, qui eam partem Regi exigat &c.

[4] *Audaciæ &c. Zeno Comicus apud Grotium inquit*; πάντες τελῶναι πάντες εἰσιν ἅρπαγες. *Theocritus apud Musonium interrogatus quænam foret ferarum omnium crudelissima?* E montanis Ursum, & Leonem, ex urbanis vero Publicanos, & Parasitos *respondit*. *Suetonius in Vespasiano cap.* 1. *refert tanquam elogium singulare additum statuis Sabini patris Vespasiani cum Epigraphe*, Bono Publicano.

[5] *Inepti &c. Maimonides Eduth X.* 4. המוכסין סתמן פסולין מפני שהקחן ליקח יותר מדבר הקצוב להם בדין המלכות ולוקחין היתר לעצמו Publicani simpliciter *ad testandum* inidonei sunt, quod plus accipiant, quam in statuto regio ipsis determinatum est, illudque sibi ipsis recipiant.

[6] *Est raptor &c. Maimonides de juramento cap.* III. לפיכך נשבעין לחרמין ולהורגין ולמוכסין Ideo qui jurant Raptoribus, Latronibus, & Publicanis *liberi sunt*. *Idem* גזלה *cap.* V. Hominum de quibus præsumitur eos fures esse, præsumiturque omnes eorum opes per rapinam congestas esse, opusque totum suum esse opus rapacium, veluti Publicanorum, & latronum, opibus uti non licet, nec est eorum nummus cum tuo commiscendus, eo quod præsumitur ex rapina acquisitus.

[7] *A Rege constitutus &c. Maimonides ibidem* שפסקו המלך ואמר שיקח שליש או רביע או דבר קצוב והעמיד מוכס ישראל לגבות חלק זה למלך ונודע שאדם זה נאמן ואינו מוסיף כלום על מה שגזר המלך, אינו בחזקת גזלן לפי שדין המלך דין הוא quem Rex constituit jussitque accipere tertiam, aut quartam partem, aut fixum quid, sique is publicanus Israelita fuerit, qui eam partem Regi exigat, atque homo fide dignus, qui nihil addat supra id, quod a Rege constitutum est; Talis non præsumitur Raptor, quia jus Regis jus est.

[8] *Spontanei &c. Maiminides ibidem* במה דברים אומרים שהמוכס כלסטים בזמן שהמוכס כותי או מוכס עומד מאליו או מוכס העומד ואין לו קצבה אלא לוקח שירצה ומניח מה שירצה Quibus casibus intelligendum quod Publicanus sit tanquam latro? iis si Publicanus est Gentilis, qui se ipsum constituit, aut talis, qui quidem a Rege constitutus est, sed cui fixum quid non est præscriptum, verum exigit quod vult, & dimittit, quod vult. *Idem de jurejurando cap.* III. 2. באי זה מוכס אמרו במוכס העומד מאליו ממון שלא ברשות מלך המדינה או שלוקח ברשות המלך אבל מוסיף לעצמו על הדבר הקצוב כמו שיתבאר בהלכות גזלה; de quo Publicano hoc intelligendum est? De eo qui se ipsum constituit, quique exigit pecuniam non ex autoritate Regis provinciæ, aut qui quidem jussu Regis postulat, verum proprio motu supra id quod constitutum est, exigit, sicut explicavimus in Hilc. גזלה. *R. Gaon ad Sanhedr. fol.* 25. 2. Sed cum Rex imponit tributum exigendum a Judæis, ab unoquoque secundum opes suas, hi Publicani, quorum est æstimare cujusque opes, nonnullis favent, & censum eorum mitigant, alios vero onerant, plus quam æquum.

CAPUT DECIMUMQUARTUM.

DE LICTORIBUS ET CARNIF.

Hebræi in Rep. sua olim non habebant ordinarios executores pœnarum capitalium.

§. I. Lictores Romanis erant, qui Consules, Prætores, Dictatorem in publico vel præcedebant, vel sequebantur, toga vel sago rubente amicti cum fascibus & securibus. Ii pœnas infligebant delinquentibus, virgis cædendo, securi feriendo, strangulando. *Carnifex* servos in crucem trahebat, nec præterea quicquam suppliciorum exigebat. Erat autem homo capitis diminuti & infamis. Hinc Cic. *pro C. Rab. Sed*, inquit, *moreretur prius acerbissima morte millies Gracchus, quam in ejus concione carnifex consisteret, quem non modo foro, sed etiam cœlo hoc ac spiritu censoriæ leges ac urbis domicilio carere voluerunt*. conf. Rosin. *Antiqu. Rom. l.* 7. *c. ult.* Calvinus J. C. *Lex Jur. v. carnifex*. Kippingius *Antiqu. l.* 2. *c.* 4.

§. II. Apud veteres Hebræos autem pœnarum capitalium ordinarii executores erant nulli. Nam sententiam judicis exequebantur [1] vel testes, ut de lapidatione patet ex *Lev.* XXIV. 14. & idem de strangulatione tradunt Hebræi. De decollatione tamen dubitat Rivetus *in Gen. Exerc.* 59. verum & hanc non carnifices, sed alias personas peregisse post videbimus: vel universus cœtus, ut itidem de lapidatione constat ex *Lev.*

Lev. xx. 2. xxiv. 14. 16. 25. *Num.* xv. 6. 2. *Paral.* x. 18. *Luc.* xx. 6. *&c.* de combuſtione ſimul *Joſ.* vii. 25. vel certe perſonæ, quibus id a Judicibus committebatur. Sic Saul Sacerdotes interfecturus non accerſit lictores, ſed injungit id ſuis רצים, per quos ראשי intelligit Abner & Amaſam; potius tamen in genere intelliguntur *Satellites*, Lacquejen, qui cum tergiverſarentur, præſtat id ſolus Doeg, qui tamen non infimo loco apud Regem fuit 1. *Sam.* XXII. 18. Sic Dux exercitus Benaja occidit Joabum 1. *Reg.* II. 25. vel ipſi quandoque judices ſententiam ſuam ſunt executi: Sic Gedeon interficit Zebam & Salmunam *Jud.* VIII. 21. & Samuel Regem Agag fruſtulatim concidit 1. *Sam.* XV. 33. conf. D. Capſ. Finckius *Quæſt. illuſtr. p.* 127. & *Can. Theol. Cent.* 4. *can.* 30. De teſtibus autem ſequentia tradit Maimonides in Hilchot Sanh. c. 13. *Damnatos capitis teſtes interficiunt; homicidam, quem teſtes non interficiunt, quivis interficit; cap.* 14. *qui damnatus vi reſiſtit, quo minus uſitatum ſupplicium de eo ſumatur neque vinciri poſſit, teſtes quoquo modo poſſunt, de medio tollunt.* Onkelos *Gen.* IX. 6. vertit: דישוד דמא דאנשא בסהדין על מימר דייניא דמיה יתשד: Qui effuderit ſanguinem hominis, per teſtes juxta ſententiam judicum ſanguis ejus effundetur. Raſchi ibidem: אם יש עדים המיתוהו אותם Si teſtes adfuerint, illi occident eum.

§. III. Huc quoque referendus erat locus *Joh.* VIII. 7. de quo ſupra cap. 2. diximus. Interea vidimus Leuſdenium reſponſionem ſuam illic a nobis tactam hauſiſſe e Buxtorfii *Tract. de Sponſalibus & divortiis* §. 25. ubi Vir Cl. etiam probat Kimchium a Sixtino Amama & a nobis quoque in partes vocatum non loqui de ſupplicio lapidationis adulteris infligendo, ſed de jactu lapidum in adulteras ad ignominiam. Quod ut verum eſſe agnoſcimus, ita rem totam lectoris arbitrio lubentes committimus.

§. IV. Quod autem ad pœnas non capitales, quales Fuſtigatio, & Flagellatio, putamus judicibus aſtitiſſe miniſtros ordinarios, qui eas exequerentur; ſive illi in Scriptura [2] שוטרים ſive נוגדים dicantur. Et hi dubio procul capitali ſupplicio afficiendos denudabant, ligabant. & ut alias aſportabant כלי הדינין *inſtrumenta judicum* ſeu מאני חניתא *inſtrumenta tabernæ*, quæ dicuntur *in Gem. Sanh. c.* 1. ita diſponebant alia ad ſupplicium neceſſaria. [3] De שוטרים ita ſcribitur *in Hilc. Sanh. ab init. c.* 1. *Juſſum legis eſt, conſtituere judices atque cenſores* (Deut. XVI. 18.) *Per judices intelligit eos Magiſtratus ordinatos in Synedrio, coram quibus litigant partes: per Schoterim vero illos, qui cum baculo & loro aſſiſtunt judicibus & circumeunt in foro, plateis atque tabernis, ut rectificent portas & menſuras atque percutiant iniquos ex ore Judicis. In quocunque autem ipſi cernunt pravitatem, eum adducunt Synedrio ut judicetur pro merito malitiæ ſuæ.* Conf. Lightf. *p.* 92. Ita & hodienum referente Schik. *de jure Reg. p.* 97. in Turcia cuſtodes urbium obambulant fuſtibus inſtructi, ut multent, ſi quos in propatulo rixantes offendant, aut quovis clamore publicam quietem turbantes. Et in hunc ſenſum dicit Salomon *Prov. VI.* 7. de formica, quod promte faciat officium, nec opus habet שוטר, i.e. ejuſmodi ῥαβδούχῳ ſeu ἐργοδιώκτῃ. LXX. ἀναγκάζοντα reddiderunt, & ſic Arabs: מן יצטר חא *qui cogat eam.* Sed utut de Schoterim adhuc lis ſit pendens inter non vulgares Viros, dubium tamen non eſt, quin judices ordinarios quoſdam habuerint miniſtros, quomodocunque fuerint vocati. Qui flagellationem adminiſtrabat olim, *in Miſchna Maccot c.* 3. vocatur חזן הכנסת quam vocem Cocc. *ad Macc. pag.* 120. vertit Miniſtrum publicum & lictorem; licet enim ita etiam vocetur ille Miniſter Synagogæ, quem nos diceremus Æditiuum, hic tamen utique pro alio miniſtro judicialis conſeſſus ſumi videtur. Conf. Lightfootus *p.* 70.

NOTÆ AD CAPUT DECIMUMQUARTUM.

[1] *Vel teſtes &c. Vide quæ diximus in notis ad caput ſecundum de Pœnis.*

[2] שוטרים ſive נוגדים *&c. vocantur etiam* סרדיוט *Berachot* 56. 1. חנתפש לסרדיוא שמירה נעשת *qui ſomniat* quod ſit comprehenſus a lictore, ei accidet cuſtodia. *Schabb. fol.* 32. 1. אדם יוצא לשוק יהי דומה לעניו כמי שנמסר לסרדיוט homo egreditur in forum erit in oculis ſuis quaſi traditus ſit lictori.

[3] De שוטרים *&c. Abarbanel in Leg. fol.* 364. *col.* 4. השופטים הם הדיינים הפוסקים את הדינים אם בדיני נפשות בית דין של כ"ג ואם בדיני ממנות בית דין של שלשה או שלשה שופטים בלבד בעיירות הקטנות כמו שזכרתי והשוטרים הם הרודים בעם העושים במלאכת להכריח את האנשים שיקיימו המשפט הפסוק מהשופטים Schophetin ſunt judices qui cauſas decidunt ſive in judiciis capitalibus, ſynhedrio puta viginti triumvirali ſive in judiciis pecuniariis Synhedrii triumviralis, ſive denique ſint tres illi judices, quos diximus in parvis civitatibus conſtituendos. Schoterim autem ſunt exactores populi, quorum functio in hoc conſiſtit, ut cogant homines ad obſervantiam decreti conſtituti a Judicibus. *R. Jacob Abendana in leket Scheecha ad Michlal Jophi fol.* 39. *col.* 2. שופטים אלו הדיינים ושוטרים אלו הרודים בעם שיש להם מקל ורצועה לביאם לבית דין ולכוף אותם להנהיגם על פי המשפט אשר יאמרו השופטים Schophetim ſunt judices, ſed Schoterim exactores populi, qui baculum & lorum gerunt, quibus reos ad locum judicii citant, & cogunt, eoſque tenore judicii gubernant, prout decreverunt judices.

CAPUT DECIMUMQUINTUM.

DE SPARSIONE SALIS.

Veteres Hebræi urbes plane desolatas in perpetuæ solitudinis symbolum sale conspergere solebant.

§. I. FActitatum id ab antiquis fuisse, testatur [1] exemplum Abimelechi *Jud. IX.* 45. qui urbem Sichemorum יזרע מלח *consevit sale*, ut etiam vertunt LXX. & Targum. Syrus transtulit זרעה מלוחא quæ verba, cur in Bibl. Anglic. Polyglot. reddantur: *seminavit eam sinapi*, & non potius: *seminavit eam herba salsa*, vel *urtica* (id enim significat Hebræum & Chaldaicum מלוח cum quo convenit Syr. מלוחא) non video, nec enim apud Syros מלוחא est Sinapi. Arabs *consevit eam herba salsa*. Sed textus verum sal innuit. Id factum imitatus est Frid. Barbarossa, dum Mediolanum funditus evertit, insperso sale, & inducto aratro, quo de conf. Nauclerum *in Frid.* D. Wagnerum *Instit. Hist. p.* 566. Liebenthalium *Coll. polit. Ex.* 5. *pag.* 112.

§. II. Fiebat hoc [2] in Symbolum perpetuæ desolationis. Sic Ralbag. notat ad l. c. *Fecit hoc Abimelech, quod indignus esset locus, ubi essent agri vel vineæ:* nam teste Plin. *l.* 31. *c.* 7. 9. [3] loca salsuginosa sunt infœcunda. Hinc Virgilius *Georg.* 2.

Salsa autem tellus & quæ perhibetur amara,
Frugibus infœlix: ea nec mansuescit arando,
Nec Baccho genus, aut pomis sua nomina servat.

Sic מלחה *terra salsuginosa* in Scriptura notat infœcundam *Jerem. XVII. 6. Ps. CVII.* 34. [4] *Job. XXX.* 4. & quando DEUS salsuginem comminatur, extremam desolationem innuit, *Deut. XXIX.* 23. [5] *Zeph. II. 9.* [6] Ita fertilissima olim *Pentapolis* ob Sodomitarum peccata in salsissimum mare conversa est, cujus etiam aqua infructuosum & sterile reddere fertur, quicquid attingit, ob salsedinem, quam secum vehit. Inde & ים המלח *Mare salsum* vocatur. Et hinc forte Chaldæum verbum מלח, quod alias significat *salire*, saltzen, exponendum quandoque est *Devastare*. Sic enim *Esra IV.* 14. די מלח היכלא מלחנא *quod sale palatii Regii salivimus* Hebræi exponunt: *quia vastationem templi vastavimus*, seu intermisimus ædificationem templi, ut jam sit veluti terra salsuginosa atque vasta. Ita Kimchi *in lib. Rad.* Raschi, Aben-Esra, & R. Sal. ben Melech *ad h. l.* Ita & Lut. Die wir den Tempel zerstöret haben. Et Junius in prima editione: *Quia demolitionem templi demolimus*, at in altera τὰ ἴδια ἁλῶν: *Quod Salarium de regis palatio percipimus*, quo etiam abeunt V. V. & Syrus. Nam LXX. & Arabs hæc verba sicco transeunt pede. Conf. jam Flacius *Clav. P.* 1. *p.* 196. Spanhemius *P.* 3. *Dub.* 91. *pag.* 456. Dieterichius *Ant. l.* 1. *p.* 152. Porro quod alias Sal etiam fuerit firmandi fœderis & inviolabilis amicitiæ signum, jam nil attinet dicere. Conf. præter alios Bernhardinus Gomesius *de sale*, cumprimis *lib.* 4.

NOTÆ AD CAPUT DECIMUMQUINTUM.

[1] *Exemplum Abimelechi Judic. &c.* Abarbanel *in Judic. IX.* 45. ואולי עשה זה כדי שלא נטעילו עוד שם כרמים שהיו אנשי שכם עשירים בסבת הכרמים כמו שנאמר ויבצרו את כרמיהם או עשה זה להפחיד ערים אחרות שלא יבגדו וגו' כי כן מנהג המלכים לעשות לערים המורדים לזורעם מלח; fortasse id fecit, ne possent amplius ibi plantare eorum vineas, quia Sichemitæ vinearum causa divites erant, sicuti scriptum est, & vindemiarunt suas vineas (ita Hebræus) vers. 27. aut ideo fecit, ut terrorem incuteret reliquis civitatibus, ne deficerent, cum hæc sit Regum consuetudo ut in urbibus rebellibus sal spargant.

[2] *In symbolum &c.* Theodoretus *quæst.* 18. Τί ἐστιν, ἔσπειρεν ἐν αὐτῇ ἅλα; τὴν ἀκαρπίαν τοῦτο δηλοῖ, οὐδὲν γὰρ ἐξ ἁλῶν φύεται. Quid hoc est? seminavit illam sale, hoc denotat sterilitatem, quoniam ex sale nullus fructus nascitur.

[3] *Loca salsuginosa &c.* Pausanias *in Corinthiacis scribit Neptunum iratum* ποιεῖν ἄκαρπον τὴν χώραν ἅλμης εἰς τὰ σπέρματα, καὶ τῶν φυτῶν τὰς ῥίζας καθικνουμένης facere regiones infructuosas, & steriles immissa salsugine in sementes, & arborum radices.

[4] *Job.* 30. *&c.* Bochartus *p.* 1. *Hieroz. lib.* III. *cap.* 16. *p.* 876. *scribit* מלוח esse halimum, quia מלוח & ἅλιμος vel ἅλιμον a sale facta est, & quia Jobus ibi describit extremam hominum miseriam, *qui decerpebant halimum super arbusta.* Antiphanes *apud Athenæum lib.* 4. *cap.* 16.

Τῶν Πυθαγορικῶν δὲ τυχὸν ἄθλιοί τινες
Ἐν τῇ χαράδρᾳ τρώγοντες ἅλιμα, καὶ κακὰ
Τοιαῦτα συλλέγοντες

E Pythagoricis forte quidam pauperes Halima exedentes, quæque talia colligunt insipida terræ in hiatibus.

Lucanus lib. VI.

- - - cernit miserabile vulgus
In pecudum cecidisse cibos, & carpere dumos
Et morsu spoliare nemus &c.

5 *Zeph.*

5 *Zeph.* II. 9. *&c. Kiddusch im fol.* 66. *col.* 1. אבותינו היו אוכלים מלוחים Patres nostri comederunt urticas. *Glossa* מלוחים sunt ירקות olera sive herbæ, quæ Aramice vocantur קקולי

6 *Quod sale palatii &c. Aben-Ezra l. c.* Sal regis eodem sensu, quo dicuntur cœli solvendi, ut fumus & terra salita, quæ non habitabilis. *R. Sal. Jarchi ibid.* Vastationem templi volumus vastare; sal ibi sumitur pro ruina, & desolatione, ut terra salsa & non habitabilis, id est volumus vastare, & penitus delere. *Romani circa deletas urbes aratrum ducebant. Bereschit Rabba sect.* 2. *Turnus Rufus* aratrum induxit urbi Hierosolymæ. *Maimonides Taanith* v. 3. Eodem illo die ad calamitatem constituto Tyrannus Rufus & templi fundamenta, & vicinitatem ejus aratro vertit, ut compleretur prædictum id; *Sion quasi ager arabitur. Mich.* 3. 12. *Q. Horat. lib.* 1. *Od.* 16.

Urbibus ultimæ
Stetere causæ, cum perirent
Funditus, imprimeretque muris
Hostile aratrum exercitus insolens

Ubi Acron; hæc consuetudo fuit condendis, atque evertendis urbibus, ut aratro fieret. *M. Lucanus lib.* 7.

Sarmaticumque premet succintus consul aratrum.

CAPUT DECIMUMSEXTUM.

DE DOTE.

Dotem antehac apud Hebræos dabat Sponsus.

§. I. DOtem apud Romanos Sponsa afferebat Sponso: apud multas alias nationes Sponsus Sponsæ. De Germanis ait Tacitus *de Mor. Vet. Germ. Dotem non uxor marito, sed uxori maritus offert.* Et Brissonius *de Ritu Nupt.* refert, quondam in more Saxonibus fuisse ut uxores a parentibus trecentis solidis emerent. De Cantabris memorat Strabo *lib.* 3. nisi a viro Sponsæ dos esset soluta, nullum matrimonii fœdus ductum fuisse. Imo Ægyptii, ut refert Pererius *in Gen. p.* 793. usque adeo aversabantur dotes muliebres, ut, qui dotem ab uxore acciperent, eos velut mancipia uxori addicerent. Eundem quoque morem Æthiopibus esse, colligo e verbis Nobiliss. Jobi Ludolfi *Lex. Æth. p.* 48.: חצ -- -- Dos: *Sed eam non uxor marito, ut ap. Romanos; sed maritus uxori offert, prout ap. Germanos priscos in usu fuit.*

§. II. Sic & apud Hebræos Sponsum acquisivisse sibi Sponsam, certa numerata dote, patet, ex quibusdam Scripturæ locis Sic *Gen.* XXXIV. 12. ait Sichem: הרבו עלי מאד מוהר ומתן *multiplicate super me valde dotem & munera*, i. e. poscite a me, quantum volueritis, dotis. Hinc colligo, antehac usitatum fuisse, ut Sponsæ parentes a sponso exigerent dotem, quia dicit Sichem, se tantum dotis daturum quantum postularent, & splendida munera sponsalia, quæ alias vocantur παράφερνα. Simplicius hoc est, quam si cum Corn. a Lap. exponeremus: Non exigo ab illa, ut sponsa dotem, sed ipse in compensationem *injuriæ eam dotabo*. Nec enim hoc ait Sichem, se dotem postulare non velle, sed jubet, ut ipsi a se poscant dotem, etiam majorem, quam alias pro more dare sibi incumberet. Idem patet ex *Exod.* XXII. 16. 17. ubi mandatur, ut qui rem habuerit cum virgine מהור ימהרנה לו לאשה *dotando dotet eam sibi in uxorem*, i. e. more det ipsi dotem quæ alias Sponsæ a sponso debetur, & sic eam sibi ducat in uxorem, sin renuat, *dat ipsi* [2] *dotem virginum*, i. e. ob ereptam virginitatem tantum dotis, quantum alias virginibus & illi deberetur, si virgo esset, & ab ipso duceretur. Et ad hunc morem, quo sponsus sponsam dotabat, fieri allusionem quandam *Hos.* II. 19. 20. ut & *Actor.* xx. 28. *Ephes.* V. 25. notat Pererius *loc. cit.*

§. III. Porro dotem, quæ pro personarum conditione æstimabatur, si sponsus ex paupertate numerare non posset, solebat ipsi æquipollens quoddam injungi. Patet id ex *Gen.* XXIX. 18. 27. ubi Jacob pro singulis uxoribus septennalem servitutem sustinuisse, & h. m. eas sibi (cum scil. dotem non haberet) acquisivisse legitur. Conf. Perer. *ad h. l. disp.* 2. §. 14. Et luculentius est Davidis exemplum 1. *Samuel.* XVIII. 23. 25. 2. *Sam.* III. 14. a quo nim. Saul utpote pauperculo loco dotis poscebat centum præputia Philistinorum. Conf. Junius *ad h. l.*

§. IV. Sed & apud nostrates verpas analogon quid obtinet. Nam in Talmude peculiaris exstat tractatus כתובות qui agit de literis matrimonialibus, & dote, quæ uxori nuptiarum causa datur, quam Rabbini dicunt כתובה, facultates autem ab uxore marito allatas dicunt נדוניא Conf. Maimon. in הלכות אישות & Buxtorfius *de Sponsalibus*, qui in calce libri *p.* 162. Exemplar literarum dotalium producit.

CAPUT

NOTÆ AD CAPUT DECIMUMSEXTUM.

[1] *Dotem &c. De hac uberrime agemus in Tosaphta Chethuboth, & in tractatu Maimonidis Isuth, qui suo loco edentur nunc primum ex Hebraico latine redditi, & notis perpetuis Philologicis adornati.*

[2] *Dotem virginum &c.* Erat 200. Zuzorum *ut videre est in formula contractus* והבינה ליכי מוהר בתולייכי כסף זוזי מאתן דחזי ליכי מדאוריתא אנא בוכנא ופרזלא ומתכר אסיתא דנחתא; Et do tibi dotem virginitatis tuæ argentum scilicet 200. Zuzorum, quæ tibi debentur ex lege ipsa.

CAPUT DECIMUMSEPTIMUM.

DE MORE CONVIVANDI.

Antiquitus in conviviis Judæorum singulis convivis cibus demensus in singulis scutellis apponebatur.

§. I. Diversus erat modus antiquioribus cibos distribuendi, cum non apponerentur cibi omnibus convivis communes, ut quisque sibi quas vellet partes decerperet; sed singulis partes jam distributæ, quæ Hebræis מנות Græcis μερίδες, μοῖραι, μερισμοὶ vocantur, in peculiaribus scutellis: quem morem aliis etiam gentibus non inusitatum fuisse probat Joh. W. Stuckius *Antiq. Conv. l.* 3. & Plutarch. *l.* 2. *probl.* quærit, laudabilius ne fecerint Majores certis portionibus, an recentiores, communibus dapibus victitantes?

§. II. Vestigia hujus moris offendimus in convivio illo Regio Davidis, ubi singuli accipiebant suas portiones panis, carnis, & vini, 2. *Sam.* VI. 19. 1. *Paral.* XVII. 3. Sic 1. *Sam.* I. 5. Elcana in epulo post Sacrificium, cum singulis partes suas distribuisset, Hannæ dabat מנה אחת אפים *distributionem unam facierum*, i. e. spectabilem, Ein ansehnlich Stück. Targum חולק בחיר *partem selectam*, i. e. ut exponunt Raschi & Kimchi *parte hilari vultu accipiendam*. R. Jeschaja: *ab utroque latere carne plenam*. Ralbag autem *partem duplicem, nim. ex frustis pinguissimis & ex frustis sine pinguedine, ut eligeret sibi quam vellet*. Sic Syrus: *partem duplam*. Arabs: *Hannæ vero dedit partem uberem duplo majorem his, quas dederat illis*. Aliud spectarunt V. V. & Lut. quorum ille vertit: *Partem unam tristis*, hic: Ein stücke traurig, Sic *Genes.* XLIII. 34. dicitur Joseph singulis fratribus suis misisse משאות *fercula*, seu *portiones* מנות ut exponit Raschi: per quas Aben Esra, Pererius, Cornel. a Lap. Mercerus aliive intelligunt dona convivalia, honoratioribus præsertim quondam mitti solita. Non incommode tamen Rivetus ad communem convivandi morem has portiones reducit.

§. III. Et ad eundem morem (cum forte aliquandiu in vulgaribus conviviis durarit) idem Rivetus non male refert verba Domini *Luc.* X. 42. *Maria elegit* ἀγαθὴν μερίδα. Hinc quoque phrasis *Psal.* XVI. 5. *Dominus pars portionis meæ*. Nec enim opus est, ut cum Pagnino, Syro, Chaldæo, Arabe atque Æthiope hæreditatis significationem nomini חלקי tribuamus. Et cum non cibi modo, sed & potus mensura singulis convivis data sit, ut patet ex 2. *Sam.* VI. 19. hinc lucem fœneratur locus *Psal.* XI. 7. Conf. Rivetus *ad c. Gen.* XLIII. Menochius *de Rep. Hebr. lib.* 6. *c.* 3. *quæst.* 7. *fol.* 503.

§. IV. Sed & singulis convivis peculiarem fuisse mensam positam, asserunt Hebræi. In Tosephot *Berachot c.* 6. *f.* 42. 1. היו להם שלחנית קטנים וכל אחד לפני עצמו אוכל על שלחנו. *Habebant parvas mensulas & unusquisque seorsim comedebat super mensa sua peculiari*. Ibid. infra: שהם היו רגילים כל אחד להסב על מטתו ועל שלחנו אבל עכשיו כלנו אוכלים על שלחן אחד: *Quia ipsi* (prisci) *solebant singuli accumbere in lecto suo & ad mensam suam: nunc vero omnes comedunt ad mensam unam*. In *Colbo f.* 54. 1. *Moris tum fuit, ut discumberent in lectis & coram unoquoque peculiaris mensa esset, ac propterea unicuique etiam apponenda erat Mazza* (azymum) *& olera amara ad mensam ejus: apud nos vero id jam non est necesse*. Eundem olim Germanorum fuisse morem, Tacitus autor est, scribens: *Lauti cibum capiunt: separatæ singulis sedes: & sua cuique mensa*. De Græcis observat apud Homerum Athenæus *Dipnosophist. l.* 1. ἑκάστῳ τῶν δαιτυμόνων παρατίθεσθαι τράπεζαν καὶ κάνεον καὶ δέπας, πιεῖν ὅτε θυμὸς ἀνώγει. *Convivarum cuique appositam mensam cum disco & cyatho, quo, cum animus esset, bibere liceret*. Homeri versus sunt Odyss. θ

πὰρ

- - - - πὰρ δ' ἐτίθει κάνεον καλλῶτε τράπεζαν,
Πὰρ δὲ δέπας οἴνοιο, πιεῖν ὅτε θυμὸς ἀνώγοι.

Idem hodie Chinensibus observari, autor est Matth. Riccius *Exp. ad Sinas lib.* 1. *cap.* 7. Conf. Buxtorfius *Diss. de Cœna p.* 37. & Th. Gathakerus *in Cinno s. Advers. misc. p.* 231.

CAPUT DECIMUMOCTAVUM.

DE MOLENDINIS HEBRÆORUM.

Veteribus Hebræis usitatæ fuerunt molæ trusatiles domesticæ.

§. I. [1] POst pilas, in quibus fruges tostæ pinsebantur, teste Servio Grammatico, inventæ priscis molæ [2] versatiles & trusatiles, quales & *Pistrina* dicuntur; & majores quidem circumagebantur [3] a jumentis, [4] asinis nimirum machinariis minores ab hominibus & frequenter [5] servis, qui flagitium aliquod commiserant, non absque insigni labore & defatigatione virium: qua de re egit cum primis Salmuthus ad Panciroll. *P.* 2. *Tit.* 21. *p.* 711.

§. II. Molas trusatiles habebant [6] etiam Hebræi, quæ constabant [7] lapide superiori & inferiori. Ille Hebr. dicitur רכב quod inferiori veheretur, Græc. μύλος, Latin. [8] Catillus (Scal. *ad Manil.* autem Meta) & pro quantitate molæ manibus trudebatur vel toto corpore laboriose circumagebatur. Hic Hebr. רחים (quæ vox tamen totam machinam etiam exprimit) שכב quia cubabat infra superiorem, [9] Græc. ἐπιμύλιον, Latin. [10] Meta (Scalig. Catillus) & immobilis erat.

§. III. Molendina talia fere non publica, sed domestica erant etiam apud pauperiores, uti colligitur ex *Deut.* XXIV. 6. *Num. XI.* 8. qualiave adhuc habent Æthiopes Conf. Job. Ludolf. *Lex. Æth.* 216. Quantum a. ex sacris Literis constat non a jumentis circumagebantur (nam μύλος ὀνικὸς i. e. λίθος μυλικὸς Synecdochice, quomodo vertunt etiam Arabs & Persa, *Matt. XVIII.* 6. vel non dicitur ab asino circumagente molam, sed a lapide [11] inferiori, ὄνος ob tarditatem seu potius quietem vocatur, quanquam alii superiorem ita appellatum malint, vel si ab asino dicitur, respexit Salvator ad Molendina & Pistrina Romanorum, quæ Judæis, qui sub illorum jugo gemebant, non incognita eo tempore. Conf. Grotius *h. l.* Er. Schmidius *h. l. p.* 25.) sed ab hominibus, communiter ab [12] ancillis & [13] mulieribus, servis & maritis alia interim curantibus, & pro abjecto laboris genere habebatur, ceu constat ex *Exod.* XI. 5. *Esa.* XLVII. *v.* 2. *Matth.* XXIV. 41. *Luc.* XXII. 53. Latini eam operam servis mandabant. Consulantur *Laur. Pignorii & Titi Popmæ* de servis commentarii.

§. IV. Huc Vatablus, Flacius *P. I. Clav. v. Mola* & Sixtinus Amama *Antibarb. Bibl. p.* 756. etiam referunt locum *Job.* XXXI. 10. תטחן לאחר אשתי [14] *Molat alteri uxor mea*, i. e. fiat vilis ancilla. Vatablus notat: *Eripiatur mihi & alteri famuletur. Solebant mulieres in familiis, in quibus non erant servi, molere & panem decoquere.* Concinit Arabs vertens: *Quin moluit uxor mea alteri & confecit panem alium.* In eundem sensum & Syrus. Ast alia mens Chaldæo, Vulgato Lut. Ille vertit: תשמש עם חורן אתתי *Concumbat cum alio uxor mea*, Iste: *Scortum alterius sit uxor mea*, hic denique: So müsse mein weib von einen andern geschändet werden. Nec puto aliud in animo habuisse LXX. dum transferunt: ἀρέσαι ἄρα καὶ ἡ γυνή μου ἑτέρῳ. Hunc sensum certe & præcedens versus & sequens hemistichium dilucide satis confirmare videntur, quicquid reluctetur Amama. Sc. rem obscœnam Sp. S. honeste & tecte circumscribit: uxor mea instar metæ seu lapidis molaris inferioris alteri succumbat. Neutiquam tamen concedimus in sententiam B. Hieronymi *in c.* 47. *Es.* censentis, [15] Samsonem ad procreandam sobolem robustissimorum virorum coire cum allophylis mulieribus coactum esse, quod *Jud. XVI.* 21. טוחן s. *in carcere moluisse* dicatur. Idem de eo non sine αἰσχρολογία scripsit Petrus Comestor *Hist. Scholast.* c. 16. *Molere fecerunt quasi opera servili eum affligentes. Nam molere est terere, sicut triticum vel annonam. Hebræi tamen tradunt, quod Philistæi fecerunt eum dormire cum mulieribus robustis, ut ex eo prolem robustam susciperent, nam molere est etiam subagitare vel coire. Qui enim coit, quasi molere & terere videtur.* Atque huc etiam alii referunt in sensu nequam τὸ *Ludere*, cum vocatus dicitur Samson, ut ante eos luderet, quod est

secun-

ſecundum illos rem turpem & veneream ante oculos ſpectatorum exercere, quam voluptatem eadem voce παίζειν *Exod.* XXXII. 6. indicari Villalpandus exiſtimat. Namque παίζειν & Latine [16] *Ludere*, ſic μύλλειν, [17] *molere & depſere*, *permolere & perdepſere*, nequitiæ verba eſſe notant Druſius *Quæſt. Hebr. l.* 2. *q.* 8. *& obſ. l.* 5. *c.* 5. Rittershuſius *ad Oppian. p.* 287. Taubmannus *in Plaut. Truculent. II.* 2. *p.* 1408. Heraldus *ad Martialem*, Barthius *l.* 38. *Adv. c.* 6. Paræus *in Muſæum f.* 97. Dilherrus *Elect. l.* 2. *c.* 9. Salmuthus *ad Pancir. l. c. p.* 718. Laurenbergius *in Antiquario f.* 130. Aſt in hiſtoria Samſonis certum eſt potius reſpici ad morem, quo captivos in carceribus ad molas volvendas adigere ſolebant. Patet id ex *Thren. V.* 13. quem locum deduxit ad παιδεραστίαν vulgatus Interpres. Hoc fine [18] & oculis Samſon orbabatur. Nam ne vertigine corriperentur & impedirentur a labore, jumentis molas circumagentibus [19] oculi corio obducebantur, hominibus velabantur non modo, ſed & quandoque ſupplicii loco eruebantur. Apulejus *l.* 9. *Mileſiarum*: *Molæ quæ proxima videbatur, matutinus adſtituor, & illico velata facie propellor ad incurva ſpatia flexuoſi canalis, ut in orbe termini circumfluentis reciproco greſſu, in ea recalcans veſtigia, vagarer incerto errore.* Scythas commodioris miniſterii cauſa viſu orbaſſe omnes ſervos autor eſt Herodotus *in Melpomene*. At de Samſone conf. Dieterichius *Ant. P.* 2. *p.* 48. *ſeqq.*

NOTÆ AD CAPUT DECIMUMOCTAVUM.

[1] *Poſt pilas &c. Servius ad Virg. Æneid. lib.* 1. *v.* 183. Majores molarum uſum non habebant; frumenta torrebant, & ea in pilas miſſa pinſebant, & hoc erat genus molendi; unde & pinſores dicti ſunt, qui nunc piſtores vocantur. *Plinius lib.* XVIII. Piſtura non omnium facilis, quippe ex Hetruria farris toſti pinſente pilo præferrato, fiſtula ſerrata, & ſtella intus denticulata, ut niſi intenti pinſant, concidantur grana, ferroque frangantur. *Ad pinſendum utebantur piſtillo, & mortario. Columella.* In mortarium novum, aut bene emundatum conjicito, piſtillis conterito. *Plautus Aulul. Act.* 1. *Sc.* 2. *v.* 17.

Cultrum, ſecurim, piſtillum, mortarium,
Quæ utenda vaſa ſemper vicini rogant

Etiam Hebræi. Gemara Cholin fol. 36. 2. אנא בוכנא דפרזלא דמתבר אישא דנחשא; Ego ſum piſtillum ferreum, quod confringit mortarium æneum. *Ibid. fol.* 52. 1. בוכנא בלא אסיתא בוכנא piſtillum abſque mortario, אסיתא חסרתא בוכנא mortarium abſque piſtillo.

[2] *Verſatiles &c. Gellius lib.* 3. *cap.* 3. Ob quærendum victum ad circumagendas molas, quæ truſatiles appellantur, operam piſtori locaſſe. *Cato de re ruſtica cap.* 10. 4. Molas aſinarias unas, & truſatiles unas, Hiſpanienſes unas, molilia tria &c. A Servio manuariæ vel manuales *appellantur ad Virg. Georg. lib.* 1. *v.* 274. *Gregorius Turonenſis lib. de virtut. S. Martini, & de gloria Confeſſorum c.* 107. Accepta (*inquit*) annona ad molam vadit, impoſitoque tritico molam manu vertere cœpit. *A Virgilio in Moreto deſcribuntur.*

[3] *A jumentis &c. Auſonius*

Cui ſubjugabo de molarum ambagibus,
Qui machinali ſaxa volvunt pondere,
Tripedes caballos, terga ruptos verbere.

Apulejus lib. 9. *Metamorph.* Jam de meo jumentorio contubernio, quid vel ad quem modum memorem? Quales illi mali ſenes, vel cantherii debiles? Circa præſepium capita demerſi contruncabant moles palearum &c.

[4] *Aſini &c. In Miſchar happeninim apud Buxtorf. pag.* 308. מי שמתחכם חכמה הוא כחמור הריחיים סובב סובב ואיני זז ממקומו, qui ſapientem ſe facit ſine ſapientia ſimilis eſt aſino molario, qui indeſinenter circumeundo nunquam tamen a loco ſuo recedit. *Avodah Zarah fol.* 16. 2. טחני ריחיא בערודי molunt in molis cum onagris. *Ovidius lib.* 6. *Faſtor.*

Et quæ pumiceas verſat aſella molas

Et lib. 3. *de arte*

Illa ſonat raucum quiddam, atque inamabile
ridet,
Ut rudit a ſcabra turpis aſella mola.

Colum. VII. 1. *de aſinis loquens*; Molarum, & conficiendi frumenti pene ſolennis eſt hujus pecoris labor. *Achmes Oneir. cap.* 195. μύλωνα ἀλήθοντα ὄνῳ δυναστῷ pristinum, in quo aſinus robuſtus moleret.

[5] *Servis &c. Julius Pollux lib.* 3. *Onomaſt. cap.* 8. *n.* 2. Καὶ ἵνα μὲν κολάζονται οἱ δοῦλοι, μύλωνες καὶ ζητρεῖα, καὶ χονδροκοπεῖα, καὶ ξυντεῖα. Loci porro ubi puniuntur ſervi, molæ, carceres, priſtina, granaria, & molendina. *Artemidorus Oneir. lib.* 2. *cap.* 47. μύλος ἀεὶ τῶν σκληρῶν καὶ πονηρῶν πραγμάτων λύσιν, καὶ πιστὸν θεράποντα σημαίνει. Mola ſemper durorum & difficilium negotiorum ſolutionem, & fidelem ſervum ſignificat. *Plautus in Epidico Act.* 1. *ſc.* 2.

Quem quidem ego hominem irrigatum plagis
piſtori dabo

Ibidem.

Det nomen ad molariam coloniam

Idem in Perſa Act. 1. *Sc.* 1. Pluſculum annum fui præferratus apud molas tribunus vapularis.

[6] *Etiam Hebræi &c. Gemara Chetubeh. fol.* 59. 2. ריחים דידא mola manuaria. Bava Metzia. מעמיד בו רחיים של חומר אבל לא רחיים של יד. *Qui conducit domum a vicino ſuo* erigere poteſt in ea molam aſinariam, ſed non molam manuariam.

[7] *Lapide ſuperiori &c. Codex Bava Bathra cap.* II. מרחיקין את הרחים שלשה מן השכב שהן ארבע מן הרכב. Deut. XXIV. 6. Superior lapis vocatur רכב. *R. Salomon com. in h. l.* Vult רכב eſſe ſuperiorem lapidem, & רחים inferiorem. *Audiendus R. Jac. Abendana in Spicilegio ad R. Salomonis ad h. l.* יופי מכלל ויתכן עוד לפרש כי רחים היא על השתים לא על התחתונה לבד כי התחתונה לבד תקרא שכב כמו שנקראת העליונה רכב כמו שאמרו במשנה מרחיקים את הרחים שלשה מן השכב שהם ארבעה מן הרכב ופירוש הפסוק לא יחבול רחים והם השנים ואפילו הרכב לבדו לא יחבול אותו כי לא תהיה המלאכה זולתי שתיהן ביחד וזכר העליונה לבדה ולא זכר התחתונה כי העליונה נקלה לקיחתה התחתונה כי התחתונה קבועה; Congrua eſt explicatio illa, quod vox רחים dicatur hic de utraque molæ parte, & non de inferiori tantum. Nam inferior tantum dicitur שכב, prout ſuperior appellatur רכב, quemadmodum dicunt in Miſchna. Removent a pariete *vicini* הרחים *molas* tres *palmos* reſpectu השכב *molæ inferioris*, qui ſunt quatuor reſpectu הרכב *molæ ſuperioris*. Ut adeo ſenſus hujus verſus ſit. Nec accipiat quis in pignus nec utramque molam, imo nec ſuperiorem ſolam, quia non fit opus *molituræ* ſine ambabus ſimul. Expreſſamque mentionem injicit ſolius ſuperioris, & non inferioris, quia ſuperior eſt levior captu; inferior enim eſt fixa.

[8] *Catillus &c. Targum Deut.* XX. 6. ריחיא ורכבא molas & catillum.

[9] *Laborioſe &c. Aben-Ezra ad Thren. V.* 13. כשל כוח הנערים בהניע עץ הטחנה, defecerunt puerorum vires in movendo ligno molitorio.

10 Græc.

[10] Græc. ἐπιμύλιον &c. Ita LXX. locum Deuter. XXIV. 6. interpretantur; οὐκ ἐνεχυράσεις μύλον οὐδὲ ἐπιμύλιον.

[11] *Meta &c. Paulus de Instr. & Instr. Leg.* 18. Est autem meta inferior pars molæ, catillus superior. *Ammianus Marcellinus lib.* 17. Hominum millibus multis tanquam molendinarias rotantibus metas.

[12] *Inferiori* ὄνος *&c. Xenophon lib.* 1. ἀναβάσεως *scribit incolas* ὄνους ἀλέτας περὶ τὸν ποταμὸν ὀρύττοντες καὶ ποιοῦντες lapides molares circa fluvium fodientes, & formantes, eos deinde Babylonem vectos vendere, & pro hoc pretio frumento comparato, vitam sustentare. *Helladius Chrestom. apud Photium fol.* 871. τὸν γὰρ ἄνω τοῦ μύλου λίθον ἀχθῶνα ἐπονομάζομεν, ὄνον δὲ τὸν κάτω μύλου. *Moeris Atticista;* μύλος ἡ τράπεζα τοῦ μύλου, ὄνος τὸ ἄνω μύλης. *Hesychius;* ὄνος ὁ ἀνώτερος λίθος τοῦ μύλου. *Et alibi:* μύλη λέγεται ὁ κάτω τῆς μύλης λίθος, ὁ δὲ ἄνω ὄνος. *Et alibi* ἀλετῶνας *interpretatur* τοὺς τοῖς μύλοις ἐπιτιθεμένους λίθους. *Et Julius Pollux lib.* 6. *cap.* 4. ubi inter ἐργαλεῖα molæ recensentur ὄνος, ἀλετών inferior æque ac superior molæ lapis. *Et lib.* 10. *cap.* 25. inter instrumenta ἀρτοποιϊκὰ numeratur ὄνος, & ἀλετών. *Non solum Græci, sed etiam Latini hunc lapidem appellarunt asinum. Catullus Epigram.* 98. *ad Æmilium*

Et non pistrino traditur, atque Asino.

[13] *Ancillis &c. Hanc pœnam Babyloni minatur Deus. Esai. XLVII.* 2. קחי רחים וטחני קמח *Filia Babel* sume molam, & mole farinam. *Homerus* 20. *Odyss. v.* 105. seqq.

Φήμην δ' ἐξ οἴκοιο γυνὴ προέηκεν ἀλετρὶς
Πλησίον, ἔνθ' ἄρα οἱ μύλαι ἥατο ποιμένι λαῶν.
Τῇσι δὲ δώδεκα πᾶσαι ἐπερρώοντο γυναῖκες,
Ἄλφιτα τεύχουσαι καὶ ἄλειατα, μυελὸν ἀνδρῶν
Αἱ μὲν ἄρ' ἄλλαι εὗδον, ἐπεὶ κατὰ πυρὸν ἄλεσσαν.
Ἡ δὲ μί' οὔπω παύετ' ἀφαυροτάτη δ' ἐτέτυκτο.
Ἥ ῥα μύλην στήσασα, ἔπος φάτο, σῆμα ἄνακτι.

Vocem autem e domo mulier præmisit molendinaria
Prope illic utique ei molæ erant pastori populorum.
His autem duodecim omnes versabantur mulieres
Farinas hordeaceas conficientes, & triticeas medullam virorum.
Illæ quidem aliæ dormiebant, postquam triticum moluerant.
Hæc autem una nondum cessarat; debilissima autem facta est.
Hæc igitur mola stabilita verbum dixit, signum regi.

Callimachus hymno in Delum vers. 241.

\- - - μηδ' ὅθι δειλαὶ
Δυσκέες μογέουσιν ἀλετρίδες
Neque ubi miseræ & ægre laborantes molitrices

Ubi Scholiastes. Ἀλετρίδες θεράπαιναι αἱ ἀλήθουσαι, Ἀλετρίδες sunt ancillæ molentes. *Athenæus Deipnosophist. lib.* 6.

Οὐ γὰρ ἦν τότε Μάνης, οὔτε Σάκης οὐδενὶ
Δοῦλος, ἀλλ' αὐτὰς ἔδει μοχθεῖν ἅπαντα τὰν τῇ οἰκίᾳ
Εἶτα πρὸς τούτοισιν ἤλουν ὄρθριαι τὰ σιτία
Ὥστε τὴν κώμην ὑπηχεῖν θιγγανουσῶν τὰς μύλας.
Nec Manes tum, nec Sacis ulli fuit
Servus: illas oportebat domi elaborare omnia.
Præter hæc diluculo fruges molebant,
Ut molarum, quas tractabant, strepitu personaret pagus.

Plautus in Mercatore act. 2. *sc.* 3.

Nil opus nobis ancilla, nisi quæ texat, quæ molat,
Lignum cædat, pensum faciat, ædes verrat, vapulet,
Quæque habeat quotidianum familiæ coctum cibum.

Et paulo post

\- - - aut Syram, aut Ægyptiam
Ea molet, conficiet pensum, pinsetur flagro.

Theophrastus Eth. Char. c. 5. Diligenter interim, ne hoc ancilla panifica rescifcat, cavens. Deinde vero cum illa molere, & quæ sunt ad victum necessaria, tum sibi, tum universæ familiæ parare solet.

[14] *Mulieribus &c. Codex Chetubboth VIII.* אלו מלאכות שהאשה עשה לבעלה טוחנת ואופה ומכבסת מבשלת ומינקה את בנה מצעת לו המטה ועושה בצמר הניסה לו שפחה אחת לא טוחנת ולא אופה ולא מכבסת וגו'. Hæc sunt opera, quæ uxor faciet marito suo, molet, coquet panem, lavabit, coquet *carnes*, lactabit infantem suum, sternet illi lectum, & operabitur in lana. Si unam ancillam illi introduxerit, non molet, nec panem coquet, nec lavabit. *Ubi Bartenora*. Molet molis manualibus, quæ parvæ sunt. At si magnæ fuerint, parabit omnia, quæ ad molendum necessaria sunt, ut triticum immittere in molam, & recipere farinam. *Plutarchus Qq. Rom.* 84. Διὰ τί τὰς γυναῖκας, οὔτε ἀλεῖν, οὔτε ὀψοποιεῖν τὸ παλαιὸν; ἢ τὰς συνθήκας διαμνημονεύοντες ἃς ἐποιήσαντο πρὸς τοὺς Σαβίνους; ἐπεὶ γὰρ ἥρπασαν τὰς θυγατέρας αὐτῶν, εἶτα πολεμήσαντες διηλλάγησαν, ἐν ταῖς ἄλλαις ὁμολογίαις, καὶ τοῦτο ἐγράφη, μήτε ἀλεῖν Ῥωμαίῳ γυναῖκα, μήτε μαγειρεύειν. Cur antiquitus mulieres neque molere sinebant, neque coquere? An memoria pactorum cum Sabinis initorum? Post raptum enim Sabinarum & bellum pace mutatum id quoque in pactis scriptum fuit, mulierem viro Romano nuptam neque molere debere, neque coquere.

[15] *Molat alteri &c. Levi ben Gerson ad Job cap.* 31. 10. מהעבודות המיוחדות אשר תעבוד בהם האשה את בעלה ex ministeriis singularibus, quibus marito serviebat uxor. *Vide ibid. Salom. Jarchi.*

[16] *Samsonem &c. Gemara ad cap.* 1. *Sota*. ויהי טוחן בבית האסורים אמר רבי יוחנן אין טחינה אלא לשון עבירה וכן הוא אומר תטחן לאחר אשתי ועליה יכרעון אחרים מלמד שכל אחד ואחד הביא לו אשתו כדי שתתעבר ממנו. Erat molens in carcere. R. Jochanan dicit hoc loco nil nisi rem veneream indicare, prout in alio paralello (Job. XXXI. 10.) *Molat alteri uxor mea, & super eam incurvent se alii.* Quare docetur quemque adduxisse illi uxorem suam in carcerem, ut ab eo gravidaretur. *Simeon in Jalkut part. II. num.* 71. *fol.* 11. *col.* 4. Unusquisque adduxit uxorem suam ad eum in carcerem, ut gravida fieret ab eo.

[17] *Ludere &c. Flavius Arrianus cum commemorasset Sardanapali sepulchrum; cui hæc verba inscripta erant,* Ἔσθιε, καὶ πῖνε, καὶ παῖζε, *lib.* 2. *de expedit. Alexandri Magni scribit:* καὶ τὸ παῖζε ῥᾳδιουργότερον γεγράφθαι ἔφασαν τῷ Ἀσσυρίῳ ὀνόματι; illud vero *lude* molliore quodam, lasciviorque Assyrio nomine expressum ajebant. *Lingua Assyriaca erat eadem ac lingua sancta. Hæc tria junguntur etiam ab Horatio lib.* 2. *Epistol.* 2. Lusisti satis, edisti satis, atque bibisti; *Ludere nil aliud est, quam Veneri operam dare; ut videre est in Catullo in Epithalamio Juliæ, & Manlii;* Ludite ut lubet, & brevi liberos date. *Cui respondet Græcum* παίζειν; *vide Anacreontem od.* 36. & 41. *& Hebræum* חוך, *uti legitur Exod.* 32. 6. וקמו לחיכא & surrexerunt ad ludendum. Et *Genes.* 26. 8. והוה יצחק חאיך & fuit Isaac ludens. Nam (*ut inquit Maimonides More Nevochim lib. III. cap.* 8.) in Lingua ista Sancta nullum exstat proprium nec virilis, nec muliebris membri generationis vocabulum, prout nec actus generandi, neque seminis, vel ejaculationis illius. Horum, inquam, nullum reperitur proprium, ac primum in Lingua nostra vocabulum, sed exprimuntur vocabulis tropicis, ac metaphoricis &c. *Vide reliqua ibidem digna lectu.*

[18] *Molere &c. Horatius lib.* 1. *Sat.* 2.

\- - - non alienas
Permolere uxores

Petronius Arbiter in Satyrico pag. 18. super inguina mea diu multumque frustra moluit

Catullus in Gelliam

\- - - patris perdepsuit ipsam
Uxorem, & patrem reddidit Harpocratem

Ausonius epigram. 70. 7.

Deglubit, fellat, molitur per utramque cavernam.

Idem epigr. 92.

Cum dabit uxori molitor tuus, & tibi adulter.

Cicero ad Pætum lib. 9. *epist.* 22. Jam etiam non obscœna verba pro obscœnis sunt. Batuit, inquit, impudenter, depsit, multo impudentius; Atqui neutrum est obscœnum. *Varro Myst. apud Non.* 11.

Sed tibi fortasse alius molit, & depsit. *Plautus Truculent.* act. 2. sc. 2.

\- - - suam non enim ille meretriculis
Molendis rem coegit.

Vide Theocriti idyll. IV.

19 *Et oculis &c. S. Hilarius in Matth.* XVIII. Molæ opus labor est cœcitatis; nam clausis jumentorum oculis aguntur.

20 *Oculi &c. Secundus vetus Poeta lib. 1. Anthol. c. 33. epigr. 21.*

Ο'υχ ἅλις ὅττι μύλοιο περίδρομον ἄχθος ἀνάγκης
Σπειρηδὸν σκοτίαις κυκλοδιώκτοις ἔχω
Ἀλλ' ἔτι καὶ πώλοισιν ἐρίζομεν

Nonne satis est, quod molæ circularium onus necessitatis
Convolutim oculis clausis in gyrum actis habeo?
Quin adhuc cum equis cursu contendamus

Lucianus ita Asinum loquentem inducit. Ὀθόνην τοῖς ὄμμασιν ἐπιπετάσαντες ὑποζευγνύουσί με τῇ κώπῃ τῆς μύλης. Oculi linteo velatis alligant me scapo molæ.

CAPUT DECIMUMNONUM.

DE TRITURA HEBR.

Segetes apud veteres Hebræos non excutiebantur flagellis, sed exterebantur ungulis boum & tribulis.

§. I. HEbræi aliique populi infirmiora quidem semina, puta melanthium & cuminum, baculis sive flagellis excutiebant: ast frumenta vel ungulis boum vel plostellis trahisve apud eosdem exterebantur. [1] Conf. *Es.* XXVIII. 27.

§. II. *Prior* modus antiquior, in Palæstina olim præprimis (& etiamnum in Canariis aliisque regionibus notante Corn. a Lapide *ad Deut.* 25. *p.* 1002.) usitatus, a Varrone *de re rustica l.* 1. *c.* 52. ita describitur: [2] *Apud alios exteritur grege jumentorum inacto & ibi agitato perticis, quoad ungulis e spica exteruntur grana.* Hebræis in usu erat ferrum [3] vocatum דרבן 1. *Sam.* XIII. 21. indictum ligno dicto מלמד *Jud.* III. 31. Græce vocatur κέντρον *Act.* IX. 5. Aben Melech ad locum Samuelis de eo: *Est*, inquit, *aculeus infixus ligno cuidam, quo pungunt boves cum arant* (vel triturant etiam) *& aculeus quidem dicitur* דרבן, *lignum autem* מלמד *sicut ajunt in Mischna* (Kelim f. 17.) מלמד *baculus qui absorpsit* הדרבן *aculeum*, (i. e. hunc infixum habet.) Eo itaque boves stimulati & circumacti subjectos in area manipulos frugum calcabant, neve extrita grana comederent, [4] os iis fiscella obstringi solebat, id quod tamen fieri [5] vetuit Deus *Deut.* XXV. 4. 1. *Cor.* IX. 9. Allusum ad hunc triturandi modum *Mich.* IV. 13. 14. quo loco DEUS populos Sioni inimicos *tanquam manipulos in aream* se congregaturum comminatus, eam ita alloquitur: *Surge & tritura filia Sion: nam ferreum faciam cornu tuum &* פרסתיך נחושה *ungulas tuas chalybeas* (vel æneas) *quibus populos multos comminues*, ubi קרן ad ungulas forte eo sensu referri posset, quo equi Latinis *cornipedes* vocantur. Columella quidem *de re rustica l.* 1. *cap.* 21. ait commodius id per equos fieri potuisse. Ast adhibitos huic rei in Palæstina [6] equos, vel saltem quandoque asinos, non omnino negabimus. Interim [7] boves huic operi aptiores videntur, quam vel asini, cum & excitatiores sint & fortius figant pedes, vel equi, quorum & minor Hebræis copia, nec tam facili negotio in circulos redigi potuissent.

§. III. *Posteriorem* modum ita delineat Varro *l. c. E spicis in aream secerni grana oportet; quod fit apud alios jumentis ac tribulo. Id fit e tabula lapidibus aut ferro asperata, quæ imposito auriga, aut pondere grandi, trahitur jumentis junctis, ut discutiat e spica grana; aut ex assibus dentatis cum orbiculis, quod vocant Plostellum Phœnicum. In eo quis sedeat atque agitet, quæ trahunt jumenta, ut in Hispania citeriore & aliis locis faciunt.* Hujusmodi rusticana instrumenta Hebræis vocantur [8] חרוץ *Es.* XXVIII. 27. [9] מורגים 2. *Sam.* XXIV. 22. מורג חרוץ *Es.* XLI. 15. הריצי ברזל vel חריצות 2. *Sam.* XII. 3. 1. *Par.* XX. 31. *Amos* I. 3.

§. IV. Cæterum vel rotis carebant, & constabant, ut delineant Hebræorum magistri, ligno vel tabula inferne clavis obtusis ferreis munita, cui gravandi causa pondus vel moles quædam ferrea imponebatur. Trahebatur a bobus super trituram atque ita grana exterebantur stramenque redigebatur in paleam. Ita Talmudici *in Menachot c.* 3. *f.* 22. *& Sebachim cap.* 14. *f.* 116. Juxta R. Salomonem *ad Es.* 41. erat *instrumentum ligneum prægrave constans* (vel refertum) חריצים חריצים *multis incisuris* (seu inferne denticulata) *instar instrumenti fabrorum ferrariorum, quod vocatur vernacule* Lima. Abarbenel: *Est*, inquit, *instrumentum e ligno lato cum multis foraminibus confectum, quorum in medio silices acuti sunt, cui lapidum pondus grave* impo-

imponunt, *tum frumento superinducunt &c.* Est proinde *Traha*, quæ & *Traga* dicitur juxta Servium *in Georg. l.* 2. ad v. *Tribulaque trabeæque &c.* Verba ejus hæc sunt: *Tribula*, *genus vehiculi omni parte dentatum*, *unde feruntur* (Gatakerus in Cinno emendat: *teruntur*) *frumenta*; *quo maxime in Africa utebantur*. *Trabeæ*; *vel tabula est*, *ut quidam dicunt*, *quæ trahentibus bubus solet areæ induci ad pabulum colligendum*, *vel vehicula sine rotis*, *quas vulgo Tragas dicunt*. Tale sine rotis innuit Esaias *cap.* XLI. 15. & convenit Rabbinorum descriptioni epitheton בעל פיפיות *Dominus orum* i. e. oribus instructum, vel potius, dentibus. [11] *Targum* מלי סמפורין *plenum aciebus*.

§. V. Aliud erat *Plostellum* rotulis dentatis & serratis munitum, in quo sedebat qui ageret jumenta, quod Varroni *Phœnicium* dicitur & procul dubio innuitur *Es.* XXVIII. 27. nam statim subditur אופן עגלה. Tale forsan habebat Arnan 1. *Paral.* XXII. 20. qui *v.* 22. Davidi suppeditat segetes ad oblationem, boves ad holocaustum, instrumentum trituratorium ad ligna sacrificii.

§. VI. [12] Ast *Jud.* VI. 11. a communi consuetudine recessum videtur: ubi quippe Gideon dicitur triticum in torculari excussisse. Sunt qui non torcular, sed areolam fuisse autumant, quæ tantum capiebat, quantum torcular, id quod testimonio R. Judæ confirmant. Conf. Junius. Ast Jonathan, R. Kimchi & alii verum torcular agnoscunt. Monent tamen Kimchi & Aben Melech abludere hoc a communi triturandi more, quod הדישה *trituratio* fiat jumentis, ast חניטה *excussio*, baculis. Non male R. Jeschaja: *In torculari excutiebat paululum*, *quia præ metu non poterat omnia.* Innuit nimirum id in casu necessitatis factum esse. Sed conf. de tritura veterum præ aliis Fullerus *Miscell. l. 6. c.* 12. & Th. Gatakerus *in Cinno lib.* 2. *c.* 2. *p.* 182. *ad* 80.

NOTÆ AD CAPUT DECIMUMNONUM.

[1] *Confer Es. &c. Hieronymus in hunc locum.* Infirmiora semina virga excutiuntur, & baculo quæ vulgo flagella dicuntur. *Raschius ibidem.* כי לא בחרוץ רשין את הקצח לפי שהרע נוח לצאת מתוך קשים שלו וכן לל כמון לא יסבו אופן עגלה לדושו לפי כי קל הקצח לחובטו במטה וכמון בשבט. Nam non tribulo triturant melanthium, quia semen ejus facile exit e folliculis suis, & sic quoque super cuminum non involvunt rotam currus, ut ita trituretur, quia melanthium facile pertica, & cuminum baculo dejicitur.

[2] *Apud alios exteritur &c. Homerus Iliad. v. circa finem*

Ὡς δ᾽ ὅτε τις ζεύξῃ βόας ἄρσενας εὐρυμετώπους
Τριβέμεναι κρῖ λευκὸν ἐϋτροχάλῳ ἐν ἀλωῇ
Ῥίμφα τε λέπτ᾽ ἐγένοντο βοῶν ὑπὸ πόσσ᾽ ἐριμύκων
Ut si aliquis jungat boves masculos latas frontes habentes
Triturare hordeum album in bene complanata area,
Statim vero tenuia fiunt a pedibus magnorum taurorum

[3] *Vocatum* דרבן *&c. Maimonides ad Celim IX. 6.* מלמד notat signum aliquod in extremitate sua habens clavum ferreum, quo vomerem purificant inter arandum, ob pulverem quod ei adhæret, idcirco vocatur מלמד הבקר erudiens jumentum, quia jumentum ope illius ducitur in viam rectam, eamque non egreditur, forma vero illius, quod in extremitate est, vocatur דרבן aculeus, cum quo Sapientum verba comparantur, Eccl. 12. 11. *Bartenora ibidem* מלמד *stimulus* habet formam baculi alicujus longi, in capite vero ipsius est clavus ferreus tenuis, & ope illius vaccam ducunt ad sulcos inter arandum, idcirco vocatur מלמד הבקר erudiens jumentum, clavus autem qui in capite illius est דרבן *aculeus* vocatur, quemadmodum verba sapientum Eccl. 12. 11. vocantur דרבונות *aculei*. *Vaiikra rabba sect.* 29. vocatur מלמד שמלמד פרה לחרוש quod docet arare bovem.

[4] *Os iis fiscella &c. Eustathius ad Iliad. X. 466.* παυσικάπη κατὰ Αἴλιον Διονύσιον μηχάνημά τι τροχῷ ἐμφερὲς, δι᾽ οὗ τὸν τράχηλον διεῖρον τῶν ὑποζυγίων, ὥστε μὴ ἐσθίειν, ὡς παύουσα τῆς κάπης, ὅ ἐστι τοῦ κάπτειν, ὅ ἐστι τοῦ ἐσθίειν. Pausicapa secundum Ælium Dionysium est instrumentum rotæ simile; per quod colla jumentorum transmittebant, ut non possent edere. Dicitur autem ita, quia prohibet a cibo fumendo. *Hesychius.* παυσικάπη μηχάνημά τι τροχῷ ἐμφερὲς, δι᾽ οὗ τράχηλον εἶρον, ὡς μὴ δύνασθαι προσενεγκεῖν τὴν χεῖρα ita ut manum ori admovere non possit. Pollux Onomast. 7. 20. τό γε μὴν τοῖς οἰκέταις τοῖς ἔνδον ἐργαζομένοις ὑπὲρ τοῦ μὴ κάπτειν τῶν ἀλφίτων περιτιθέμενον, παυσικάπη ὀνομάζεται, τροχοειδὲς μηχάνημα ὂν τῷ τραχήλῳ περιαρμοζόμενον, ὡς ἀδυνατεῖν τῷ στόματι τὰς χεῖρας προσάγειν. Quod vero servis intus laborantibus ne farinam devorent, circumponitur, pausicape nominatur, & instrumentum erat rotæ in morem factum, collo adaptatum, ne ori manus admovere possent. *R. Sal. ben Melech ex Kimchii lib. Radic. ad Deut.* XXV. 4. מחסום שישימו בפי הבהמה מחסום. שלא תאכל ולא שמך est quod ponant in os animalis ne comedat vel mordeat.

[5] *Vetuit Deus &c. Raschius ad verba* לא שחסום *scribit*; דבר הכתוב בהווה והוא הדין לכל בהמה היה ועוף ולכל מלאכה שהיא כדבר מאכל אם כן למה נאמר שור להוציא את האדם Loquitur Scriptura de re præsenti, sive ejusmodi, quæ quotidie solet accidere. Et idem quoque fieri debet omnibus jumentis, bestiis, & avibus in omni negotio quod circa cibum versatur. Quod si ita est, cur quæso Scriptura bovis solum mentionem facit? ut excipiatur homo. *Idem in Bava Metzia fol.* 89. 1. מה דייש מיוחד דבר בשעת גמר מלאכה פועל אוכל בו אף כל שהוא בשעת גמר מלאכה פועל אוכל בו Quid est tritura? est actio quædam peculiaris, quam si quis justo tempore laborans ad finem perducat, de ea debet comedere, quod & in omnibus aliis procedit, ut, qui justo tempore laborans ad finem perducit, de iis debeat comedere.

[6] *Equos &c. Secundus vetus Poeta Anthol. part.* 1. *c.* 33. epigr. 21.

Τίπτε τὸν ὀγκηστὴν βραδύπουν ὄνον ἅμμιγ᾽ ἐν ἵπποις
Γυρὸν ἀλωητοῖς ἐξελάατε δρόμον,
Cur rudentem tardum asinum simul cum equabus
In rotundum in areis triturantibus agitatis cursum?

Columella 2. 21. 4. At si competit, ut in area teratur frumentum, nihil dubium est, quin equis melius, quam bobus ea res conficiatur, & si pauca juga sunt, adjicere tribulam, & traham possis.

[7] *Boves &c. Gittim fol.* 1. פרה שהכניסה לרבקה על מנת שתינק ותדוש. Juvenca quam inducit in rib-

ribkam ut ſugat, & trituret. *Et Peſachim fol.* 26. הכניסה לרבקה ודשה, inducit eam in ribkam, & illa triturat. *Et Gloſſa ad priorem locum.* רבקה קו"פלא בלע"ז שמרבקין שלוש בהמות או ארבעה בצואריהן זו אצל זו ודשים הדישה. Ribka vulgari lingua eſt copula, quæ tres aut quatuor pecudes collis ſuis ſimul junctas convinciunt ad triturandum. *Et ad poſteriorem* רבקה קו"פלא בלע"ז שקושרין ד' פרות ביחד Ribka vernaculo ſermone copula, qua quatuor juvencas ſimul vinciunt. *Et ad vocem* ודשה & triturat, *eadem Gloſſa* ודשה תבואה עם חבירותיה & triturat proventum cum ſociis ſuis.

Homerus Iliad. υ. circa finem

Ὡς δ᾽ ὅτε τις ζεύξῃ βόας ἄρσενας εὐρυμετώπους
Τριβέμεναι κρῖ λευκὸν ἐϋτροχάλῳ ἐν ἀλωῇ
Ῥίμφα τε λέπτ᾽ ἐγένοντο βοῶν ὑπὸ πόσσ᾽ ἐριμύκων

Ut ſi aliquis jungat boves maſculos latas frontes habentes
Triturare hordeum album in bene complanata area,
Statim vero tenuia fiunt a pedibus magnorum taurorum

Callimachus in hymno Cereris v. 20.

Κάλλιον, ὡς καλάμην τε, καὶ ἱερὰ δράγματα πρᾶτα
Ἀσταχύων ἀπέκοψε, καὶ ἐν βόας ἧκε πατῆσαι.

Pulchrius, ut culmum & ſacros manipulos primos
Spicarum abſciderit, & boves calcare immiſerit.

Cyrillus Alexandr. in Eſaiam lib. 3. *tom.* 5. Αἰγυπτίων μὲν παῖδες συνενεγκόντες ἐξ ἀγρῶν ἐπὶ τὴν ἅλωνα δράγματα, εἶτα βοῦς ἐπαφιέντες αὐτοῖς, καὶ ἐν κύκλῳ περικομίζοντες, καταλεπτύνουσι ταῖς χηλαῖς τὰς ἀστάχυας διακρίνουσι δὲ καὶ διϊστῶσι τῶν ἀχύρων σῖτον. οἱ γε μὴν ἐν ἑτέραις πόλεσι καὶ χώραις ἁμάξαις χρώμενοι, καὶ τροχοῖς προσπεριοιδέσιν. Ægyptiorum filii, comportatis ex agris in aream manipulis, his deinde boves immittunt, & circumagunt, ut ſpicas ungulis comminuant. A paleis vero triticum diſcernunt, atque ſeparant. In aliis autem urbibus & regionibus plauſtris, & rotis preſteri ſimilibus utentes hoc idem conantur efficere. *Longus Paſtoral. lib. III. pag.* 130. Ἡ μὲν οὖν Νάπη μετὰ τοῦ Δάφνιδος αὐτοῦ μένουσα, περιήλαυνε τοὺς βοῦς, καὶ τοῖς τριβόλοις κατειργάσατο τὸν στάχυν. Nape itaque cum Daphnide iſthic manens circumagebat boves, & tribulis ſpicas comminuebat.

[7] חרוץ *&c. Raſchi ad Jeſ.* 41. 15. למורג חרוץ כלי הוא של עץ וכבד ועשוי חריצים חריצים כמין כלי נפחים של ברזל שקורין לי"מא בלע"ז וגוררין על הקשין של שבלין ומחתכין עד שנעשו תבן דק למורג חרוץ eſt inſtrumentum ligneum, & ponderoſum, crebris inciſurarum aciebus ad limæ ſimilitudinem eminentibus paratum, quod eo uſque trahitur ſuper culmos, dum extritis frumentis in paleas minutas redigantur. *Abendana ibidem.* חרוץ הוא כלי שדשין בו התבואה והוא לוח עץ ואבנים וקורת החובורת תחתיו Eſt inſtrumentum quo triturant frumentum, & eſt tabella lignea, ſuper qua lapides tenues ſunt infixi. *Raſchius iterum ad Menachoth fol.* 22. 1. עיזא דקורקסא קורקסא נסר גדול מלא יתידות עיזא עז של ברזל נותנין עליו להכבידו Kurkeſa eſt tabula magna clavis plena. Capram vero ferream eidem propter onus imponunt. *Vide ad l. c. Iſai. Abarbanel. Kimchium, & in lib. Radic.*

[8] מורגים *&c. Avodah Zarah fol.* 24. 2. מאי מורגים אמר עולא מוטה של טורביל מאי מוטה של טורביל עיזא דקורקסא דדייז אמר רב יוסף מאי קראה הנה שמתיך למורג חרוץ חדש בעל פיפיות תדוש הרים ותדוק וגבעות כמוץ תשים Quid vero intelligitur per מורגים? Ula reſpondet, intelligi lectum ſeu tabulam tribulæ. Et quid eſt lectus ſeu tabula tribulæ? Reſp. Capra tabula triturantium. Raf Joſeph dicit; ex quo dicto Scripturæ hoc probatur? E dicto Eſai. 41. 25. *Ecce ego ponam te* למורג *in tribulam exciſam novam habentem ora* (ſeu dentes) *triturabis montes, & comminues illos, & colles quaſi ſtipulam pones. Raſchi in l. c.* טורביל עיזא דקורקסא דף גדול ועב מאד ורחב וטרוף בפגימות הרבה לרוחבו עמוקות תכופות זו אצל זו ודשין בו תבואה שמעבירין עליו הבהמות והפגימות נכנסו בדייש והתבואה נחבטת Eſt tabula longa craſſa valde, & lata, & per latitudinem ſuam inciſuris multis & crebris aſperata, & hac triturant frumentum, dum per illa frumenta ducunt, & inciſuræ intromittuntur inter triturandum, frumentum autem poſtea ventilatur. *Idem ad Sevachim fol.* 116. עיזא דקורקסא כמין עז של עץ ויש יתידות חדים חריצים קר"ניש ומוליכו ומביאו על הקשים של דישה לאחר שנדשה ומחתכין ונעשין תבן. Capra trituratoria eſt ad modum capræ ligneæ, & ſunt clavi acuti crebris inciſuris gallice *cornes*. Hanc ergo traducunt ſuper ſtramenta triturationis, poſtquam jam trituratum eſt, & comminuunt, & faciunt paleam minutam. *Vide Maimonidis, & Bartenoræ commentarium ad caput ultimum Codicis Parah.*

[9] *Tribula genus &c. Iſidorus Origin.* 20. 14. Tribula genus vehiculi, unde teruntur frumenta, & ob hoc ita vocatur. *David Cohen de Lara in Ir David pag.* 40. טריבל לוח טרוף פגימות שדשים בו תבואה. Tribulum eſt tabula rupturis aſperata, qua frumentum triturant.

[10] *Targum &c. Eſai.* 41. 15. למורג תקיף חדת מלי סמפורין in tribulam fortem novam plenam aciebus, Hebr. בעל פיפיות habens duo ora, i. e. duplicem aciem.

[11] *Aſt. Judic.* VI. 11. *&c. Kimchius in hunc locum.* חובט חטים כמו דש אלא שהדישה בבהמות וחביטה במקל וכן כי התבוט ויתן הובט במקל. בזית להפיל הזיתים. Excuſſio idem eſt quod דש, niſi quod radix דוש de animalibus, חבט vero de baculo uſurpatur, quemadmodum *Deut.* XXIV. 10. *Quando decuties olivam tuam*, ubi dicitur, quod olivæ baculo dejiciantur. LXX. *reddunt* ῥαβδίζειν *Judic.* VI. 11. *Ruth.* II. 17.

CAPUT VIGESIMUM.

DE LUCTU HEBR.

Hebræi veteres in mæſtis & funeſtis caſibus, pœnitentia & jejuniis ſuis, percutiebant pectus, lumbos & femora: induebant ſaccos: inſpergebant ſibi pulverem & cinerem.

§. I. Ritus lugentium fuſe peculiari tractatione perſecutus eſt ὁ πάνυ *Dn. D. Gejerus*, unde ſequentium non modo occaſionem, ſed maximam materiæ partem hac vice deſumere nobis lubuit. Quid enim refert, ſi onuſtior ab alieno limine diſcedas, modo Dominus non ægre ferat?

§. II. Et [2] στερνοτυπίαν primo ſeu pectoris tunſionem in luctu Romanis Græciſve haud inſolentem fuiſſe oſtendunt Kirchmannus *de Fun. Roman. l.* 2. *c.* 11. *p.* 129. *ſ.* Ravanellus *T.* 2. *Bibl. t. Pectus, n. IV.* Menochius *l.* 8. *Rep. Hebr. c.* 6. *p.* 9. De Hebræis vero certa in promtu ſunt teſtimonia. Sic *Nahum. II.* 7. introducuntur ancil-

læ

læ מתופפות על לבביהן [3] *tympanizantes ſuper pectora ſua*. Quæ verba Abarbenel quidem *f.* 296. *cap.* 1. ita declarat: אותם שבימי הצלחתה היו מנגנים ומתופפים בתוף וכנור עתה ינהמו בקול יונים בכוונה רבה על לבביהן i. e. *Ii, qui rebus lætis fidibus cecinere & pulſarunt tympana atque cytharas, jam ingemiſcent inſtar columbarum*. Sic & infra *cap.* 2. cum allegaſſet *Aben Caſpi*: ואמהותיה מנהגנות לפניה היו מנהמות כקול יונים תחת שהיו מנגנות ומשוררות לפנים ומתופפות על לבביהן בתוף וכנור i. e. *Et ancillæ ejus deducentes eam ſuſpiraturæ ſunt velut columbæ, pro eo quod cecinerunt antea & pulſarunt ad pectora ſua tympana & cytharas*. Similiter Junius: *Pro eo, quod ancillæ pſaltriæ, Sambuciſtriæ & Symphoniacæ proſequuntur Dominas, tum omnes in deportationem abeuntes edent concentus querulos & lamentabiles*. At ſua ſponte textus fundit ſenſum a nobis tactum. Hinc rectius Raſchi: מקישות ידיהן לבן כחיקש בתופים vel, ut declarat Abarbenel: המכות בידיהן על לבביהן כדרך האדם המכה בתוף: *Percutiunt manibus ſuis pectora, ſicut quiſpiam pulſare ſolet tympanum*. R. Dav. Kimchi: כמו שאדם מכה בתוף כן הן מכות על לבביהן הנשים הנוהות והמקוננות *Sicut aliquis pulſat tympanum, ſic illæ pulſant ſuper pectora ſua pro more mulierum lamentantium & plangentium*. Quæ ex eodem ut pleraque mutuatus eſt R. Sal. ben Melech. Cæterum verbum מתופפות non caret emphaſi, quam bene exprimit Bibliander: *Proprie* תוף *Hebræis tympanum pulſare, quod Nahum uſurpat metaphorice, ſignificans fore, ut plangant ſeque affligantes pectora velut tympana pertundant*. Conf. & Coccejus *ad h. l.* Tympana in gaudiis pulſari ſolita tam a viris, quam a fœminis patet ex *Gen.* XXXI. 27. *Exod.* XV. 2. *Jud.* XI. 44. 1. *Sam.* X. 5. *Pſal.* LXVIII. 26. *Eſa.* V. 26. &c. [4] Sic & Publicanus ἔτυπτεν εἰς τὸ στῆθος, dolens ob peccata & velut oſtendens eorum fontem, cor ſcil. corruptum *Luc.* XVIII. 13. Conf. *Luc.* XXIII. 48.

§. III. Sed & *Lumbos* percutiebant Hebræi, atque *Femora*. Hæc enim duo, licet quandoque promiſcue adhibeantur, differre tamen certum eſt [5] ex *Exod.* XXVIII. 42. *Femora* Hebræis vocantur ירכים; *Lumbi* vel חלצים, quod veteres ſe latiori [6] cingulo circa lumbos conſtringerent, ut apud nos ancillæ vel fœminæ laborantes, quo ſua peragerent expeditius neque a fluidis laxiſque veſtibus impedirentur. Conf. *Eſ.* V. 27. *cap.* XI. 5. *Job.* XXXVIII. 3. XL. 2. 1. *Reg.* XVIII. 46. *Prov.* XXXI. 17. & illic Dn. D. Geierus: ſeu quod iis gladius accingeretur, ut placet Al. Uchtmanno *ad Bechin. Olam pag.* 345. vel מתנים Arab. מתאן dicuntur a מתן *percuſſit in dorſi latere*, & מתן *methnen* eſt *ictus vehementior*. Nam percuſſos aliquando gravius in vehementi mœrore lumbos eſſe nonnulli concludunt ex *Ezech.* XXI. 16. (6.) quanquam Junius velit שברון מתנים ſeu *fractionem lumborum* ſignificare diſruptionem cinguli ad lumbos, itidem ex ritu veterum in luctu. Alias lumbos contrectabant veteres ambabus manibus, corpus velut fulcire annitentes, vel minuere ſtudentes dolorem hypochondriorum ex atra bile effuſa oriundum, ut conjicit Flacius *P.* 1. *Clavis pag.* 632. Et cum lumbis præcipua inſint [8] parturientium tormina (ut innuitur *Nahum.* II. 10.) eo alluſum a Propheta *Jer.* XXX. 6.

§. IV. *Femora* autem in mœrore & luctu percuſſa etiam Latinis, unde Ovidius, *Metam. lib.* 11. *f.* 2. *Et conata femur mœrenti plangere &c.* & Græcis. Hinc Homerus Ulyſſem valde perturbatum depicturus *Odyſſ. N. v.* 198. *p. m.* 382.

Ὤμωξέν τ' ἄρ ἔπειτα, καὶ ὣ πεπλήγετο μηρὼ
Χερσὶ καταπρηνέσσ'.

Et de Achille ait *Iliad. II.* 124. *p.* 566. quod

Μηρὼ πληξάμενος Πατροκλῆα προσέειπεν.

De Hebræis res certa ex *Jer.* XXXI. 19. *Percuſſi* (nam ספקתי recte notante Aben Melech hic percutiendi ſignificatum habet) *femur meum*. Conf. *Ezech.* XXI. & Dn. D. Geierus *l. c. c.* 16. §. 7.

§. V. Sed dicendum etiam de *Saccis*. Erant craſſiores, duriores vel viliores veſtes, quas exutis aut laceratis ſplendidioribus induebant Hebræi, in luctu defunctorum, in mœrore publico ob metum belli, obſidionem, cladem, funeſta quævis, denique in ſolenni pœnitentia & jejuniis. Patet id ex ſequentibus Sacræ Scripturæ Locis *Gen.* XXXVIII. 34. 2. *Sam.* III. 13. 1. *Reg.* XX. 32. *cap.* XXI. 27. 2. Reg. VI. 30. *cap.* XIX. 1. 1. *Par.* XXI. 16. *Neh.* IX. 1. *Pſal.* XXX. 12. *Pſal.* XXXV. 13. *Pſal.* LXIX. 12. *Job.* XVI. 15. *Eſ.* III. 24. *cap.* XV. 3. *cap.* XX. 2. *cap.* XXII. 11. *cap.* XXXVII. 1. *Jer.* IV. 8. *cap.* VI. 26. *cap.* XLVIII. 37. *cap.* XLIX. 3. *Thren.* II. 10. *Ezech.* XVII. 18. *Dan.* IX. 3. Joel 1. 8. *Amos* VIII. 10. Jon. III. 6. 8. Jud. IV. 8. *cap.* VIII. 5. 1. *Maccab.* III. 47.

§. VI. Conficiebantur iſtæ veſtes e craſſiori viliorique cannabi aut lino, & juxta Catholicos interpretes, ex villis quoque hircorum & caprarum, nec non pilis camelorum

lorum &c. unde *Cilicia* vocant (conf. Lorinus *ad Psal.* XXXIV. *Ebr.* XXXV.) id quod tamen *neque ex sacra pagina demonstrari neque ullo alio satis firmo argumento probari posse*, ait Casaubonus *Exerc.* 13. *n.* 6. *p.* 180.

§. VII. *Accingebant* eas quandoque *supra lumbos*, supra talarem togam honoratioresque vestes suas instar crassi & sordidi ventralis induebant funibusve adstringebant. Unde frequens vocis שק cum voce חגר vel phrasibus שום על מתנים׳ חגר על חלצים &c. citatis locis est constructio : sic & commemoratur מחגרת שק *cingulum Sacci Esa.* III. 24. quod & *aperiri* s. solvi dicitur cum vestis illa lugubris deponitur *Esa.* XX. *Psal.* XXX. 12. Aliquando etiam nudæ carni applicabant, ita ut non nisi laceratis superioribus vestimentis conspici possent. Sic transeunte Joramo per muros videt populus saccum אל בשרו מבית *super carnem ejus intrinsecus* 2. *Reg.* VI. *v.* 30. Arabs: עלי ברנה מן תחת היאבה *super corpus ejus subter vestes ipsius*. Conf. 1. *Reg.* XXI. 27. Sic Job. ait. *c.* XVI. 15. *Saccum consui* עלי גלדי *super cutem meam*.

§. VIII. *Colorem* sacci *atrum* fuisse Sopranes aliive minus solide probant ex *Es. L.* 3. *& Apocal. VI.* 12. Nam *operire solem sacco est splendorem radiosve ejus intercipere; Sed num propterea sacci color est niger? candelæ splendor impediri potest obtentu panni etiam albissimi*, ait Dn. D. Geierus *p.* 403. Posterior locus utut plausibilior, nou tamen evincit omnes saccos atros fuisse. Sed conferantur de saccis Schindlerus *Lex. Pent.* Mercerus *ad Pagn.* v. שק Grotius *ad Matt.* XI. 21. Carol. Sigonius *de Republ. Hebr. l.* 4. *c.* 18. Menochius *l.* 8. *de Republ. Hebr. c.* 6. *qu.* 4. Dn. D. Geierus *c.* 22. §. 6. *f.* Dn. Joh. Mich. Dilherrus *Dial.* 1. *Philologico p.* 46. Schmidius *ad N. T. p.* 1448.

§. IX. Tandem de *cineris* quoque *inspersione* paucula. Hebræi nim. in luctu & mœrore ob mortem suorum & alios funestos tristesve casus, nec non in jejunio & pœnitentia pulverem undequaque arreptum plenis pugillis inspergebant capiti, sic & cinerem, in quo se volutabant etiam, & sic sordidati sedebant : imo quandoque cum pane cinerem vel incauti vel studio ori ingerebant, quo se esse revera pulverem & cinerem s. vilissimos ex honoratissimis factos & pulveris instar aliorum pedibus conculcandos significarent, Deo autem humilitatem suam declararent. Conf. sequentia SSæ loca *Jos. VII.* 6. 1. *Sam. IV.* 12. 2. *Sam. XIII.* 19. 1. *Reg. XX.* 38. *Esth. IV.* 1. 3. *Job. II.* 12. *Psal. CII.* 10. *Esa.* LVIII. 5. *Jerem.* VI. 26. *c.* XXV. 34. *Thren.* III. 16. *Ezech.* XXVII. 30. *Dan.* IX. 3. *Jon.* III. 6. *Mich.* I. 10. 1. *Maccab.* III. 47. 2. *Macc.* XIV. 15. *Matth.* XI. 21. *Luc.* X. 13. *Apoc.* XVIII. 19. Conf. Pineda & Coccejus *in Job.* II. Menochius *l.* 8. *de Rep. Hebr. c.* 6. *qu.* 10. Sigonius *l. c.* Dn. D. Gerh. *Harm. Evang.* Dn. D. Geierus *c.* 9. Lightfootus *Hor. Hebr. p.* 125.

§. X. Sed nec apud Græcos Latinosve parallela desunt exempla. Sufficiat nobis unus vel alter locus ex Homero & Virgilio. Ille ita *Odyss.* Ω. *v.* 315. *p. m.* 688. de Laerte.

> Ἀμφοτέρῃσι δὲ χερσὶν ἑλὼν κόνιν αἰθαλόεσσαν
> Χεύατο κακκεφαλῆς πολιῆς ἀδινὸν στεναχίζων.

Sic de Achille Patroclum lugente *Iliad.* Σ. *v.* 23. *f.*

> Ἀμφοτέρῃσι δὲ χερσὶν ἑλὼν κόνιν αἰθαλόεσσαν
> Χεύατο κακκεφαλῆς, χαρίεν δ' ᾔσχυνε πρόσωπον.
> Νεκταρέῳ δὲ χιτῶνι μέλαιν' ἀμφίζανε τέφρη.
> Αὐτὸς δ' ἐν κονίῃσι μέγας μεγαλωστὶ τανυσθεὶς
> Κεῖτο.

Similiter de Lausi patre Virgilius *Æneid. l.* X. *v.* 844.

> *Canitiem immundo deformat pulvere & ambas*
> *Ad cœlum tendit palmas & corpore inhæret.*

Et de Latino *Æneid. l.* XII. *v.* 609.

> — *it scissa veste Latinus*
> *Conjugis attonitus fatis, urbisque ruina*
> *Canitiem immundo perfusam pulvere turpans.*

Conf. Kirchmannus *de Fun. Rom. l.* 2. *c.* 12. *p.* 208.

NOTÆ AD CAPUT VIGESIMUM.

[1] *Ritus lugentium &c. De his uberrime agemus in tractatu* Maimonidis de luctu, *qui suo loco edetur nunc primum ex Hebraico latine redditus, & notis philologicis illustratus.*

[2] Στερνοτυπίαν *&c. Herodotus in Euterpe fol.* 50. Luctus eorum, ac sepulturæ tales sunt, quibuscunque aliquis decessit homo alicujus momenti, ibi omnes fœminæ illius familiæ caput sibi & vultum oblinunt luto, deinde relicto domi cadavere, ipsæ per urbem vagantes τύπτονται ἐπεζωσμέναι, καὶ φαίνουσαι τοὺς μαζοὺς, se plangunt succinctæ nudatis mammillis, & cum eis proximæ quæque; Altera ex parte viri

viri τύπτονται, ἐπεζωσμένοι καὶ οὗτοι & ipsi expectorati se verberant. *Lucianus de luctu pag.* 812. καὶ ἡ πρὸς τὴν αὐλὴν αὐτὴ στερνοτυπία; Et quid ista pectorum ad tibiæ modos percussio? *Artemidorus ὀνειρο. lib.* 1. *cap.* 14. καὶ τοὺς μαζοὺς λωβῶνται, etiam mammas dilaniant. *Julius Firmicus de error. profan. relig.* Radunt capita, ut miserandum caput regis sui turpitudine dehonestati defleant capitis, tundunt pectus, lacerant lacertos, veterum vulnerum reserant cicatrices &c.

[3] מתופפות *&c. Chaldæus habet* מטרפן על בבהון, tundentes super pectus suum.

[4] *Sic & Publicanus &c. S. Augustinus in Psal.* 146. Quid aliud significat pectorum tunsio, nisi forte putamus, ossa nostra aliquid peccasse, cum cædimus, & tundimus pectus? sed significamus, nos cor conterere, ut a Domino dirigatur.

[5] *Ex Exod. &c.* מחרצין ועד ירכן a lumbis usque ad femora.

[6] *Cingulo &c.* 2. *Reg.* 1. 4. וחרזא אסיר בחרציה & cinctorium alligatum lumbis ejus.

[7] *Percussos &c. Nah. II.* 10. Et cor tabescens, & dissolutio geniculorum, & defectio in omnibus מתנים lumbis.

[8] *Parturientium &c. Jerem. XXX.* 6. Interrogate, & videte an pariat masculus? Quare ego vidi omnis viri manum super lumbum suum quasi parturientis, & conversæ sunt omnes facies in auriginem; *ubi Kimchi annotat* propter tormina parturientis vehementia, quæ dolores antecellunt alios, comparari milites fœminis ejusmodi anxiis ad indicandam angustiæ copiam &c.

[9] *Femora autem &c. Jerem. XXXI.* 19. Postquam enim convertisti me, egi pœnitentiam, & postquam ostendisti mihi ספקתי על ירך percussi femur meum, *ubi Kimchi addit* כמצטער ומתאבל instar valde anxii ac lugentis; *Abarb.* כאדם מתחרט sicut homo resipiscens. *Ezech. cap. XXI.* 12. 17. clama atque ulula . . . . ספק אל ירך plaude super femur, *juxta Jarchium* לנהי ולקינה ob planctum ac lamentum. *Plautus Milit. act.* 2. sc. 2. v. 47. Pectus digitis pultat, cor credo evocaturus est foras; Ecce autem avertit nisus læva; in fœmine habet lævam manum, dextra digitis rationem computat, feriens femur dextrum ita vehementer &c.

[10] *Græcos Latinosque &c. Euripides in supplicibus* ἀμφὶ δὲ σποδὸν κάρα κεχύμεθα, cinerem vero circa caput fudimus, *Hecuba in Troadibus*. Solvite crinem, per colla fluant mœsta capilli tepido Trojæ pulvere turpes paret exertos turba capillos. *Et post.* Solvimus omnes lacerum multo funere crinem, coma demisso est libera nodo, sparsitque cinis fervidus ora. *Lucianus de luctu pag.* 767. κόνις ἐπὶ τῇ κεφαλῇ πάσσεται pulvis capiti inspergitur &c.

CAPUT VIGESIMUMPRIMUM.

DE MORIBUS SCHOLASTICIS HEBR.

Discipuli quondam apud Hebræos ad præceptorum suorum pedes reverentiæ causa prostrati jacebant vel considebant.

§. I. JUdæis aliquando in more positum fuisse, ut discipuli in Scholis, præsertim inferiores vel incipientes, per distributos ordines classesve in pavimento super mattas vel jacerent prostrati vel considerent, nemo in eorum scriptis versatus ignorat. Inde scilicet est, quod *R. Eliefer F. Schamua*, gloriaturus se nunquam tardius in scholam venisse, *ait se nunquam incessisse super capita populi Sancti* in Megilla *cap.* 4. *f.* 27. *cap.* 2. *circa fin.* Verba hæc sunt: I*nterrogarunt R. Eliefer filium Schamua discipuli:* במה הארכת ימים *qua ratione ætatem prolongasti? Respondit:* מימי לא עשיתי קפנדריא לבית הכנסת ולא פסעתי על ראשי עם קדוש *per totam vitam meam non feci compendium viæ petens Synagogam, neque incessi super capita populi Sancti*, &c. (*R. Perida* simili modo rogatus ibidem inter alia respondet: מימי לא קדמני אדם לבית המדרש *Nemo unquam me prior venit in Scholam:*) Notat vero ille ordinarius Scholiastes; כשהיו התלמידין בבית המדרש עג̃ קרקע ההולך על גב מסיבתן לישב למקומו נראה כפוסע על ראשי עם *Discipulis in Schola supra pavimentum prostratis*, adveniens quis tardius *& transiens per classes eorum, ut occupet locum suum, videtur super capita populi* (condiscipulorum) *incedere*. Idem & in *Synagogis* usu venisse colligimus ex Sanhedrin. *c.* 1. *f.* 7. 1. ubi *Eliefer* inquit: מנייך לדיין שלא יפסע על ראשי עם קדוש *Authoritatem sibi conciliabit judex, si non incedat super capita populi sancti*: ad quæ verba Glossator: שכשהיה המתורגמן דורש היו הצבור יושבין לארץ והמפסיע ביניהם לילך וליש נראה כמפסיע על ראשן: *Cum Interpres* Ecclesiæ *concionaretur, cœtus considebat humi: Incedens ergo inter præsentes, ut peteret locum suum, videbatur incedere super capita eorum.* Et id judicis personæ parum dignum censet Eliefer. Conf. Lightfootus *Hor. Hebr. p.* 76.

§. II. Spectat huc monitum in *Pirke Avoth c.* 1. הוי מתאבק בעפר רגליהם והוי שותה בצמא דבריהם *Pulveriza te* (vel voluta) *in pulvere pedum* sapientum, *& quando sitis, bibe verba ipsorum*. Sensus est: Esto eorum discipulus, ad pedes eorum prostratus. Quo ipso simul reverentia summa injungitur. Nam in pulvere coram alio prostratus, extremam humilitatem ipsi declaraturus videtur. Hinc in SSa pulvis terræ sæpius contemtum, abjectionem & miseriam infert. Conf. 1. *Sam.* II. 8. *Job.* XVI. 15. *Ps.* VII. 6. *Ps.* XXII. 16. 30. *Ps.* XLIV. 26. *Ps.* CXIII. 7. *Ps.* CXIX. 25. *Es.* XLVII. 1. *c.* LII. 2. *Thren.* III. 16. 29. *&c.* Id dimanavit ad alias linguas, præcipue orientales. Ut Hebraismo viciniores mittamus, referenda huc est insolentissima

ista

ista *Persarum* gnome de *Ali* suo הר כה הוז חאך נישרת בר דר או כר פרשתה אשרת חאר ברשר אושכ Har kih tschun chac nist bar der u , Ker phrischthe est chac bar ser ust, i. e. *Qui non est instar pulveris ante fores ejus , utut vel Angelus fuerit , pulvis operiet caput ejus* . Conf. Lev. Wernerus *ad prov. Pers.* 6. Imo nec *Turcis* insolens talis loquendi genius. Adagium quippe eorum est: חאר פאיאן תותיא אית כוזכה Chacpajan tutiia eth Kuske, i. e. *ex pulvere pedum para oculis Tutiam* , i. e. e re abjectissima medicamen. Sed hæc ὡς ἐν παρόδῳ. Illud omittere non possumus, similem reverentiam Præceptoribus exhiberi apud Chinenses vel Tschinenses . *Nunquam*, ait de iis Mart. Martinius *Histor. Sin. Dec.* 1. *l.* 4. *pag.* 89. *Discipulus adversa fronte Præceptori considet, sed in loco humiliori . Et hoc non modo observatur, dum illi dat operam, sed etiam deinceps quoad vixerit . Semper illum nominat Præceptorem, qui titulus apud Sinas summus habetur, semper se discipulum . At licet discipulus superiorem teneat aliquando gradum dignitatis, quam Præceptor , hunc tamen eadem ille veneratione, qua antea, prosequitur*. Quam ab his in diversum abeunt plerique Europæi!

§. III. Ex dicta Hebræorum consuetudine Jos. Scaliger *Elench. Tribær.* & Ludov. de Dieu *ad Acta* locum *Actor.* XXII. 3. illustrant , ubi Paulus ait se educatum esse παρὰ τοὺς πόδας γαμαλιὴλ, quæ verba *Æthiops* transtulit: לתחת אגרה לגמלאל *sub pedibus Gamalielis*. *Scaligeri* super hac re verba hæc sunt: *Qui dabat operam doctori , primum erat* תלמיד *μαθητής*. *Projectus ad pedes doctoris audiebat docentem . Discipulus enim legebat projectus in solo*, διερριμμένος ἐν ἐδάφει, מוטל בקרקע. *Doctor autem interpretabatur , quæ ipse legebat . Et quamdiu discebat* ἐν ἐδάφει , *illud tempus dicebatur* קטנות *practici dicunt* minoritatem. *Est enim verbo verbum redditum. Et discipulus dicebatur* קטן minor, *tam ratione ætatis (dicebatur enim* בחור *) ut Jurisconsulti , quam ratione etiam disciplinæ , quod adbuc tyro esset . Itaque legimus:* אמור' כשוהייתי קטן קריתי לפני יהודה במגלה וזה באישא *Dixit Rab , quum essem minor , legebam coram Rabbi Jebuda in Volumine* Esther, *isque, erat æger . Quod vero projectus in solo ipsi dabat operam ad pedes ejus , probatur sententia Jose ben Joezer in* Pirke Avoth : יפי ביתך בית העד לחכמין והוי מתאבק בעפר רגליהם Sit domus tua domus conciliabuli sapientibus & pulveriza te pulvere pedum eorum : *& eo loco Pauli Actor.* XXII. 3. ἀνατεθραμμένος δὲ ἐν τῇ πόλει ταύτῃ παρὰ τοὺς πόδας γαμαλιὴλ. Hactenus ille . *Ludovici de Dieu* vero sequens *ad h. l.* animadversio est : *Sedebat Magister in loco editiore : at* תלמיד discipulus *dicebatur* מוטל בקרקע prostratus sive jacens in solo, *ad pedes Magistri*. *Tamdiu dicebatur* קטן parvus *& tempus illud* קטנות parvitas . *Tum erat juvenis neque vocabatur nisi nomine Patris* e. g. בן שמעין filius Simeonis. *At post* סשיכה impositionem manuum , *qua ad Rabbinatum promovebatur , suo nomine appellatur*, Rabbi David filius Simeonis. *Hic dum esset* חבר socius Magistri, *non amplius jacebat in solo, at nec sedebat sedente magistro , sed erat* מוטה inclinatus sive in latus recumbens. *At quum factus esset* מורה הוראה Doctor legis, *vocareturque* מורנו הרב Doctor noster Rabbi , *sedebat, quum alios juniores aut imperitiores doceret , at stabat coram alio Rabbi sene*. Hæc utpote nec lectu injucunda nec indigna observatione διαῤῥήδην recensere voluimus . Similia habet Elias Levita *in Tisbi voce* דבר, e quo forte sua saltem bonam partem hauserunt Viri immortali laude dignissimi .

§. IV. Possumus hic ex occasione de Doctorum Judaicorum gradibus & honorariis titulis in medium proferre pluscula , nisi prolixitatem declinaremus. Tres innuit Salvator *Matth.* XXIII. 8. 9. 10. nominibus ῥαββὶ , πατὴρ , καθηγητὴς sc. רבי *Rabbi* , אבא *Abba* , & מר *Mor* vel *Mar* , qui conjuncti leguntur in Macchot *f.* 24. 1. ubi Josaphat discipulum sapientum compellasse legitur אבא אבי אבי רבי רבי מרי מרי De אבא in specie dicitur in Juchasin *f.* 31. 2. לשין בבור כמו רבי אבא חוא *Abba* pater *est nomen honoris, ut v. g. Rabbi* . Hinc in Talmude memorantur *Abba Saul Abba Jose*, aliive. Similiter Abissini sive Habesseni Apostolum quemcunque & Patriarcham vocant : אבונ *Abuna* i. e. Patrem nostrum, & quemvis Ecclesiæ Doctorem : אב *Aba* Patrem . Sic in Confessione Regis Claudii D. Paulus semel atque iterum dicitur אבונ פולס *Abuna Paulus*, & Apostoli in genere אבונ . *Abawina*. Vicissim solenne Hebræis est discipulos vocare בנים *filios*. Sic בני הנביאים *filii Prophetarum* erant eorumdem discipuli , 1. Reg. XX. 35. 2. *Reg.* II. 3. 5. 7. 15. *c.* IV. 1. 38. *c.* V. 22. *c.* VI. 1. *cap.* IX. 1. *&c.* Jonathan ubique transfert תלמידי נבייא *discipuli Prophetarum*. Inde Raschi כל בני הנביאים במקרא תרגומו תלמידי נבייא Arabs itidem constanter vertit: תלאמדת אל אנביא . Rationem reddit R. Sal. ben Melech *ad* 2. *Reg. II. f.* 80. 3. בני הנביאים רוצה לומר תלמידי הנביאים שהם להם כמו בנים וכן אמרו רז״ל כל המלמד בן חברו תורה מעלה עליו הכתוב כאלו ילדו. *Filii Prophetarum , qui illis erant instar filiorum. Sic enim ajunt Sap. p. m. Quisquis docet filium socii sui legem, æstimatur in*

SS. ac

SSa. ac si generasset eum. Conf. Edw. Pokoke *ad Carmen Tograi p.* 3. & de *Abba* J. Saubertus P. *Prodr. Phil. S. p.* 84. *s.* Cæterum τῦ רבי appellatio Salvatori in Novo fœdere passim tributa legitur, E. g. *Marc. II.* 21. *Johan. I.* 39. *cap.* XIII. 13. *&c.* Eandem etiam plerumque expressit Interpres Hebræus a Munstero editus, ubi in Græco textus est διδάσκαλος, ut *Matth.* VIII. 19. *c.* XII. 38. *c.* XIX. 16. *c.* XXIV. 16. 24. 36. Et inde notanter *Nierses* Poeta Armenus Christum appellat Rapun huc huzz panaurazz i. e. *Magistrum animarum rationalium.* Sed de gradibus doctorum penes Judæos plura dabunt Clavis Talmudica edita a L'Empereur *S. Halichot Olam p.* 21. *seq.* R. Dav. Ganz *in Zemach David. edit. Vorstii p.* 87. Munsterus *ad Tobiæ c.* 13. *p.* 19. *seq.* Angelus Caninius *ad loca obsc. N. T. p.* 86. *seq.* Buxtorf. *Lex. Talmud. p.* 10. 705. 1248. 2176. *&c. & Abbrev. Rabb. p.* 172. *seq.* Chr. Gerson *Comp. Talm. P.* 1. *c.* 27. Lud. de Dieu *ad Matth.* 23. D. Mullerus *Judaism. Prol.* 5. Johan. Hoornbeek *contra Jud. proleg. p.* 33. Antonius Hulsius *Theol. Jud. P.* 1. *p.* 311. *seq.* Lightfootus *Hor. Hebr. in Matth. p.* 246. Leusdenius *in Jona Illustr. p.* 5. *& Joel. ill. p.* 25. 65. 78. *& alii.*

§. V. At vero *Sam. Petitus*, citante Bald. Walæo *p.* 1247. D. Pauli tempore discipulos coram Præceptoribus stetisse potius asserit & negat istum esse loci *Act. XXII.* 3. sensum: tantum innui, quod Paulus in Gamalielis ædibus educatus pedibus ejus assederit, inque eodem lectulo accubuerit. Idem forte in animo habuit Arabs. Ita enim vertit: מרבא פי אלמדינת לדי רחל אשמה עאמא לייל *Educatus in hac urbe apud virum nomine Gamalielem.* Post Gamalielis demum obitum, morem in solo coram Præceptore discumbendi ortum, ait Petitus: quem tamen alii ab ulteriori antiquitate, adeoque Elisæ temporibus accersunt, coram quo filii Prophetarum sedisse dicuntur 2. *Reg. IV.* 38. ubi Arabs תאלומדת אלאנביא חלוש בין ידיה *& discipuli Prophetarum discubuerunt* (nam חלש proprie est *humi considere* more orientalium) *coram eo.* Junii nota est: *Tanquam discipuli ad pedes illius: ut Paulus de se loquitur Actor.* 22. 3. Nos vero litem inter Scaligerum & Petitum non dirimemus, potius ad Lectoris eruditi judicium provocamus.

NOTÆ AD CAPUT VIGESIMUMPRIMUM.

[1] *Ut discipuli &c. Mores scholastici illustrabuntur in Tractatu Maimonidis de studio Legis, qui suo loco prodibit.*

CAPUT VIGESIMUMSECUNDUM.

DE ANATHEMATISMIS HEBR.

Anathematismorum penes Judæos tria gradibus distincta numerantur genera.

§. I. VOces ἀνάθημα & ἀνάθεμα, licet ab eodem themate descendant, diversa tamen sustinent significata. Illa enim rem dedicatam s. consecratam, ut *Luc. XXI.* 5. hæc hominem ἐπάρατον dirisve onustum vel communione bonorum indignum denotat. Sic *Coptitæ*, qui voces Græcas tantum non innumeras suæ linguæ inserciunt, ϨΙ ἀνάθεμα vocant homines אלמחארם *excommunicatos.* Modo haud absimili Hebræorum חרם & rem Domino consecratam, ut *Lev. XXVII.* 28. & diris devotam exprimit, qua de re multa præclare monuerunt Ludov. Capellus *in diatriba ad Matth.* 15. 5. nec non *de voto Jephtæ*, & Joh. Seldenus *de J. N. & G. l.* 4. *c.* 6. *seq.* Nos in præsentia τῦ חרם & anathematum non aliam suscipimus tractationem, quam qua notant pœnam Ecclesiasticam Judæis solennem, qua sontes a communione removebant vel etiam additis simul diris devovebant.

§. II. Tria autem hic Judæi usurpant nomina, totidemque, ut plerisque placet, innuunt excommunicationis gradus. De iis ita Elias *in Tisbi voce* נידוי: *Tres sunt species excommunicationum sc.* נידוי חרם *&* שמתא. *Niddui* הוא הריחוק *consistebat in segregatione; quod si ita quis non resipisceret* חיו מחרימים אותו *devovebant eum per Cherem; & si nec tum resipisceret* היו משמתים אותו *per Schammata.* Conf. David de Pomis *Lex.* 226. 2. De singulis ordine, sed paucis, dispiciemus.

§. III. *Niddui*, a נדה excludere, quasi seclusio a contubernio aliorum (quo alludi voce ἀφορίσωσι *Luc. VI.* 22. non abs re ad eum locum censet *Grotius*) erat levius

vius excommunicationis genus in restricta certis modis separatione excommunicati a societate tum publica, tum privata ad certum tempus consistens. Vestigia ejus comparent *Esdr.* X. 8. Causæ, ob quas contingere posset, constanter [2] numerantur XXIV. ut in Berachot *f.* 19. 1. Hieros. Moed. Katon *cap.* 3. *Gem.* quas in Talmude [3] nonnisi sparsim obvias ordine recensent Maimonides in הלכות תלמוד תורה *cap.* 6. 7. Jos. Karo *in Schulchan Aruch Chosen hammischpat n.* 11. *&* *Jore deah. num.* 334. e Christianis vero Buxtorfius *Lex. Talm. p.* 1304. Chr. Gerson *Comp. Talm. p.* 173. Coccejus *ad Sanhedrin p.* 146. Seldenus *de J. N. & G. l.* 4. *c.* 8. *p.* 529. & alii.

§. IV. [4] Excommunicatio ista vel fiebat בפניו in præsentia excommunicandi conceptis verbis, idque hac formula: פלוני זה בשמתא (i. e. בנידוי, ut postea patebit) *Præsens N. N. esto in excommunicatione*; vel denuntiabatur absenti, idque vel per nuncium, vel publico programmate, quod dicebatur פתחא של נידוי aut נידוי כתב שלי qua de re in Chosen hammischpat *n.* 11. *sect.* 4. Poterat vero indici non modo Authoritate publica & a publicis personis, sed & pro ratione causæ [5] a privato privatim. Sic in Moed Katon *cap.* 3. narratur: *Risch Lakisch custodiebat hortum. Venit nonnemo, & cœpit vorare ficus. Inclamavit eum, sed iste nil quicquam curavit. Jussit proinde hominem in Anathemate esse. Respondit alter: Et ego te in anathemate esse jubeo. Namque utut ad pecuniam* (pro redimendis ficubus) *tibi obstrictus sim, proptereane excommunicandus videor?* (nam propter debita pecuniaria neminem excommunicabant, priusquam judicis nomine moneretur, idque tribus vicibus.) *Adiit Risch Lakisch Scholæ rectores. Responsum fuit: illius anathema ratum est* (nam denuntiarat anathema alteri citra causam anathema indicenti) *tuum nullum est &c.*

§. V. Si hoc anathema esset publicum, pro gravitate causæ & ratione circumstantiarum (ut & *Cherem*) ad majorem horrorem tum ipsis reis tum toti cœtui incutiendum, inflatis in Synagoga [6] cornibus s. buccinis, promulgari solebat. Exemplum luculentum exstat in Kiddußchin cap. 4. *Venerat quispiam Pombedithæ ad macellum, dicens cuidam* (lanioni) *da mihi carnem. Respondebatur ipsi: exspecta donec prius acceperit* שמעיה *minister R. Jehudæ f. Ezechielis* (qui tum Præses Academiæ erat) *tunc dabimus tibi. Ait: Quis est Jehuda* בר שויסקל (pro Jecheskel, der Bratenfresser /) *qui me potior sit, ut accipiat prior? Euntes retulerunt id R. Judæ, qui iratus protulit tubas & excommunicavit hominem.* Ejusdem moris mentio fit in Moed Katon *f.* 16. 1. & Schevuoth *f.* 36. 1. Et in Sanhedrin *fol.* 107. 2. Jesus Hannozri quadringentis buccinis excommunicatus legitur: quanquam excommunicatum neget & simul in causas inquirat Seldenus *l. c. p.* 543. qui *p.* 544. in explicatione loci Talmudici a nobis antea citati aliquid humani passus videtur, dum Perechiadæ & Jesu Personas confundit. Hinc in Sanhedrin *fol.* 7. 2. instrumentis judicum accensetur *tuba*. Nam R. Huna dixisse perhibetur: *efferte mihi instrumenta tabernæ*, & additur: *Quænam illa?* Resp. *Virga, calcei, tubæ, Lora. ubi Glossa:* שופרא לשמתא ונידוי *Tuba ad excommunicationem atque anathema: sandalium ad discalceationem leviri.* Conf. Buxt. *Lex. Talm. pag.* 2463. Coccejus *ad Sanhedr. p.* 146. Lightfootus *Hor. Hebr. pag.* 113.

§. VI. Durante excommunicatione [7] nec tondebat se excommunicatus, nec lavabat, instar lugentis. Non adhibebatur tanquam membrum consessus decem personarum, ut scil. novem præsentibus decimus esset. Quin, ut *Schulchan Aruch* addit, si ita visum esset foro, interdici ipsi poterat, ne convivio trium interesset, ne cum decem oraret, nec si mortuum haberet, quis eum sepeliret, nec si filium, quis eum circumcideret. Non assidebat cuiquam (præter uxorem & liberos) intra spatium quatuor cubitorum. Si interea moreretur, feretro ejus grande saxum imponebatur, quod lapidatione dignus haberetur, in impœnitentia quippe mortuus. Lugeri haud solebat: quæ & plura alia tradit Maimonides *l. c.* Stante templo licebat ei illud ingredi, certis legibus tamen & diverso modo, ut agnosceretur talis esse, sc. vertendo se sinistrorsum, & causam rogatus respondebat: *Excommunicatus sum*, cui more solenni reponebatur: *Qui inhabitat hanc ædem, indat animo tuo, ut auscultes verbis sociorum tuorum, quo iterum recipiant te.* Middot *c.* 2. §. 2. In Pirke Elieser *c.* 17. *fin.* Rex Salomon duas portas in templo ædificasse fertur, unam pro sponsis, alteram pro lugentibus & excommunicatis: qui ingrederetur portam hanc ore non velato, is pro excommunicato agnitus & similibus verbis exceptus ibidem legitur.

§. VII. Terminus excommunicationis [10] erat dies trigesimus. Si tum pœnitentia ductus peteret relaxationem anathematis, impetrare poterat. Nonnunquam tamen interea pro gravitate causæ verberibus castigabatur: solebat quoque si ob læsam reputationem, quam vocant, Magistralem excommunicatus esset, [11] libra insuper auri læso solvenda, multari. Qui a privato excommunicatus esset, [12] ab eodem absolvi debe-

debebat, vel a principe fori, si excommunicans vel ignotus esset, vel interea mortuus. Anathema publice indictum publice rescindebatur: [13] si quis præsens excommunicatus esset, præsenti annuntiabatur absolutio. Poterat & anathema pro diversitate peccati & moribus peccantis citius abrogari, imo e vestigio. Sic *R. Huna* anathema cuidam nomine Dei abuso indictum statim rescindebat. *Nedarim c.* 1. Si quis diem trigesimum præterlabi fineret, [14] duplicabatur terminus: rarissime triplicabatur ad nonaginta dies, potius tum *a Niddui* ad *Cherem* fiebat progressus. Formula excommunicatum absolvendi, si ipse adesset, erat שרוי לך ומחול לך [15] *Absolutus es & res est tibi remissa*, si absens פלוני שרוי לו ומחול לו *Absolutus est N. N. & res ei remissa*.

§. VIII. Qui per Niddui corrigi non posset, incidebat [16] in *Cherem* seu devotionem. Quæ vox vel pressius accipitur & opponitur *τῳ Niddui*, vel in genere quamvis exprimit excommunicationem. Sic Elias ait: *Tres esse species* חרמות *anathematum*. Ita quoque capitur verbum החרים & superstes apud Samaritanos radix חרם *anathematizavit*. Quanquam enim eadem nec Arabibus nec Abyssinis sit insolens, non tamen eodem plane gaudet significatu: illis enim inter alia notat *prohibuit*, hisce *illicitum censuit*. Qui ipse etiam sensus rebus devotis non male congruit, quæ uni quippe certo usui destinatæ ad alios adhiberi non poterant. Sed & Persis (uti Tavvusio *Lev.* 13. *v.* 17.) atque Turcis חרם *Haram* est *Anathema* & מחרום *Machrum* excommunicatus (conf. Hier. Megiseri *Lex. Turcic.*) Inde etiam corruptum puto Armenorum *Baharan*, quo exprimunt, quicquid devotionis ergo gestatur, alias *Hiecchal* (vid. Rivolæ *Lex. Arm. pag.* 219.) Alias חרם *τῷ* נידוי contradistinguitur, & ab hoc non uno differebat modo. Cherem conceptis [17] fiebat diris: Niddui non item. Huic obnoxius inter alia & docere & discere poterat separatim, illi neutrum licebat, adeoque plane [18] *ἀποσυνάγωγος* erat, qua voce Salvator apud Johannem *cap. IX.* 22. *c. XII.* 42. & *c. XVI.* 2. hoc anathematis genus expressit, ubi Seldenus non tam repulsionem a Synagoga, quam remotionem ab omni [19] conversatione innui contendit *p.* 541. nos simul exclusionem a doctrina asserimus. Prius tamen Interpretes orientales magis attendisse videntur. Sic *Johan. XVI. v.* 2. vertit Syrus: נפקרונכון ניר מן כנושתהון *Ejicient vos namque e Synagogis suis*. Arabs: פאנה שוף יחרחונכם מן חאמעהם *Utique futurum est, ut expellant vos e Synagogis suis*. Æthiops: אמכרבים יוצאכם *e Synagogis suis exire facient vos*. Persa: ושמאנרא אז מיאן חמאערת בדר בננר Woschumanra es mian gjamaat bedar cunend, *& vos e medio Synagogæ expellent*. Similem phrasin usurpat Historia Christi Xavieriana a Lud. de Dieu edita *pag.* 409. ex *Johan. XII.* 42. תא אישאנרא אז חמאערת בירון נכננר Ta ischanra es gjamaat birun necunend, *Ne ipsos e Synagoga ejicerent*. Eadem pœna multatum nonnulli censent cœcum istum *Joh. IX.* 34. ubi Historia Christi Xavieriana habet: ואז חמאעת בירון כרדנר Woes gjamaat birun cardend, *& e Synagoga pepulerunt*. Bertramus huc quoque refert exemplum Corinthii illius incestuosi 1. *Cor. V.* 3. ut & Hymenæi atque Phileti 1. *Tim. I.* 20. id quod nos in medio relinquimus.

§. IX. [20] Formula ejus brevissima erat isthæc: פלוני מוחרם וארור בו אלה בו שבועה בו נידוי *N. N. devotus & maledictus esto. In illo sit execratio, in illo juramentum, in illo anathema.* [21] Prolixiorem diris quamplurimis & angelorum nominibus refertam recitat Buxtorf. *Lex. Talm. cap.* 827. Prolixissimam autem recensent ex *Colbo* Seldenus *l. c. p.* 524. & W. H. Vorstius *ad Pirke Eliezer p.* 226. Eam tamen *τῷ* Schammata tribuendam censet L'Empereur. *Armeni*, ut id velut obiter notemus, hujusmodi diris plenum Anathema vocant *Anedzech*, unde *Anidzel*, vel *Anidzanel*, est hujusmodi diris devovere, & *Anidzeal* ita devotus: nam commune anathema indicere iis est *hercchel* vel etiam *Szuvel*, seu (ut Galanus *Gramm. p.* 73. & 123. *b.* effert) *nszuvel*. Sed hoc אנב אורחא.

§. X. Devotus per Cherem non docebat nec docebatur: operam nec locabat nec conducebat: nemini cum ipso commercium erat, nisi quantum ad victum, ne inedia moreretur. Id enim ne fieret, nec tamen aliorum consuetudine frueretur, faciebant ipsi exiguum tugurium, ubi ali posset. Aliquando etiam quisquis [23] cum devoto ederet biberetve aut intra spatium quatuor cubitorum ei assideret, eodem anathemate feriebatur. Sic Christiani quidam eidem anathemati consentientes addicebant, cui hæreticos ipsos. Ita *Habesseni* Concilio Chalcedonensi, quod ob damnatum Dioscorum repudiant & contemtim alias vocant מחבר אברן *conventum stultorum*, item מחבר עלון *conventum Apostatarum*, his verbis anathema dixerunt: ונצ : ואת: מחבר : רכס : צכב בכלקדן : ונצ : כל : ציסתפ : מסל הם : וכל : צינבר : בהומנ. תימ : ונתנס : אנסמעם : למחבר : עלון : לעלם : quæ ita vertimus: *Excommunicatus esto conventus execrabilis, qui fuit Chalcedone. Excommunicatus sit omnis, qui participem se reddit sen-*

tentiæ eorum & quisquis ambulaverit in fide eorum, & nos non obtemperamus conventui apostatarum in æternum.

§. XI. Hoc anathemate, quamvis sat gravi, nondum omnis ad pœnitentiam præclusus erat reditus. Supererat tertium genus κατ᾽ ἐξοχὴν dictum שמתא, quo excommunicato omnis spes redeundi ἀποτόμως negabatur. [25] Vocem nonnulli e Talmudicis in *Moed Katon c.* 3. *f.* 17. 1. deducunt ex שם & מיתא q. d. *ibi mors*; alii ex שממה & תהא quasi *erit desolatio*. Beza *ad* 1. *Cor.* 16. aliique accipiunt quasi שם אתא *Dominus venit*, censentque παράλληλον anathema esse τῷ [26] μαραναθά 1. *Cor.* 16. 22. Ast malunt quidam simplicius derivare ex שמת i. e. *segregare*, *excludere*, ut notetur ignominiosa e cœtu exclusio; Arabibus enim שמת est *fœdum facere*, teste Erpenio *Notis ad Cent.* 1. *Adag.* 56. Alias שמת est *esse* ἐπιχαιρέκακον, teste Golio *Lex. Arab. p.* 1309. & in optimum sensum συγχαίρειν, docente Dominico Germano *in Fabr. p.* 308.

§. XII. Porro Munsterus, Coccejus & Seldenus negant שמתא specie, vel gradu etiam, a ceteris distinctum anathema esse, maluntque esse [27] Synonymum τῷ נידוי, cum hæc duo passim promiscue adhibeantur. Verum enim vero tantum abest, ut inficiemur verbum שמת & nomen שמתא quandoque ita ampliari, ut de quovis anathemate dicantur, ut id potius ἐξαγώνιον καὶ ἔξω πάσης σοῤῥάξεως κείμενον putemus. Interim nonnunquam שמתה κατ᾽ ἐξοχὴν sumi pro extrema devotione & anathemate præcedentibus graviori, id demum est μέγα λίαν αἴτημα. Ut enim Eliam & Davidem de Pomis locutos esse, ut Grammaticos, non ut Jurisconsultos, Seldeno demus, Raschi tamen rerum legumque Talmudicarum callentissimus tam facile repudiari nequit. Is vero שמתא & a נידוי & a חרם satis diserte discriminat. A Niddui quidem in Glossa *ad Pesachim f.* 52. 1. ubi ait: *Sapientem, qui fœdum quid commisisset, adjudicabant ad flagellationem,* ולא לנדותו *& non excommunicabant* (scil. per Schammata, ut mox sequitur) משום דשמתא חמורה *Schammata enim est res gravissima* (unde & R. Ascher *in Comp. Talm. eo loco f.* 130. 2. ait: לא משמתינן אלא על דבר חמור *Non Schammatizamus nisi propter gravissimam causam*) At vero חכם ששמועתו רעה *Sapiens malæ famæ* obnoxius erat τῷ נידוי, cui & aliis casibus subjici poterat. A Cherem autem ad *Moed Katon f.* 17. 1. *Erit* כשומן *tanquam pinguedo illita fornaci quæ absorbetur, nec unquam ex ea egreditur: sic consumtus est & perditus* דמשמתינן ליה ולא נפקא מניה לעולם *quem Schammatizamus; neque egreditur ex eo in æternum*. Ast vero, & per Niddui & per Cherem rejectos recipi posse ostendit Maimonides.

§. XIII. Ad hujusmodi anathema plurimi volunt oculum reflectere Apostolum 1. *Cor. XVI.* 22. voce μαραναθά, qua censent excommunicatum divino judicio absolute committi. Circa vocem μαρὰν lapsus non parvus videtur magni cujusdam Viri; qui putavit Syros ab *Aram* gentis conditore Deum appellasse *Maram* vel *Maran*, qui idcirco notatus est a Dilherro *Ecl. Syr. pag.* 174. & Hackspan. *Syll. disp. p.* 381. Sic Anglica quædam versio, Seldeno citante explicat: *Let him be had in execration, yea excommunicadet to death*. Ast Græci codices constanter legunt μαραναθά & Syrus habet מרן אתא moran etho *Dominus noster venit*. Ita Arabs declarat: אלרב קד חאא *Dominus modo venit*. Æthiops: במצאת לאנצאן *in adventu Domini nostri*. Quod Armenus effert: chalsdamcchen dearn *adveniente Domino*. Coptitæ μαραναθά exponunt: *quoniam Dominus* sc. venit. Quicquid sit, summum anathema innui, vix quisquam negabit. Bertramus huic anathemati censet subjacuisse Alexandrum fabrum ærarium 1. *Tim. IV.* 14. ut & eos qui Galatarum Ecclesiam interturbabant *Gal. V.* 12. qua de re penes cordatos esto judicium. De Anathematismis autem Hebræorum plura dabunt Drusius *Quæst. & Resp. l.* 1. *q.* 9. & *Prat. l.* 4. *ad Job. c.IX.* 22. Christ. Gerson. *Comp. Talm. P.* 1. *c.* 25. Buxtorf. *Lex. Talm. c.* 827. 1303. 1324. 2463. 2466. 2561. Aloysius Novarinus *Schediasm. Sacroprof. l.* 7. *cap.* 10. Lud. Capellus *Spicileg. p.* 65. Bon. Corn. Bertramus *de Rep. Hebr. cap.* 7. *pag.* 81. *s.* L' Empereur *ad Bertr. p.* 370. Seldenus *de J. N. & G. l.* 4. *c.* 7. 8. 9. *Coccejus Exc. Gem. Sanhedr. p.* 147. *s.* Vorstius *ad Pirke Eliez. pag.* 226. Dillhert. *Elect. l.* 2. *cap.* 19. Leusdenius *Joel. illustr. pag.* 56. & *Phil. Hebræo. mixt. disp.* 50. & alii.

NOTÆ AD CAPUT VIGESIMUM SECUNDUM.

[1] *Domino &c. Abarbanel in Pirush Tora fol.* 257. *col.* 2. כנגד הטון הראשון אמר אך כל חרם אשר יחרים איש וגו׳ לא ימכר ולא יגאל לפי שהחרם ההוא הוא קדש קדשים ליי׳ ומה שהוא קדש ליי׳ לא ימכר כי הוא אסור בהנאה ולכך החרם חזה הוא לה׳ בלבד ועל

המין השני אמר כל חרם אשר יחרם ליי׳ מן האדם לא יפדה מות יומת ומזה המין היה חרם יריחו שאם יגיע ליד איש ישראל נפש אדם מהנלכדים שמה לא יוכל לפדות אותו אבל על כל פנים מות יומת אך בחרם שיחרים איש עבדו ליי׳ לא יומת לך יגתן לחטוב עצים

עצים ולשאוב מים ולשרת לכהנים וזהו פשוטו של ענין. De prima ſpecie ait S. Scriptura, *tantum omne anathema, quod quis devoverit &c. Non vendatur nec redimatur*, quoniam ſcilicet hujuſmodi anathema eſt ſanctiſſimum Domino. Et quod ita ſacratum eſt Domino non vendatur, quia profanis uſibus interdictum eſt. Idcirco anathema hoc tantum eſt Domini. De ſecunda vero ſpecie ait, *omne anathema, quod devoverit quis ex homine, non redimatur, morte moriatur*. Et hujus ſpeciei erat anathema Hiericunthis, ſi nempe inciderit in poteſtatem cujuſpiam Iſraelitæ, vita hominis ex eis, qui ibi caperentur, non poterit redimi, ſed omnino morti tradendus erit. Nihilominus, quod ad anathema illud, quo ſervum ſuum quis Domino devoverit, attinet, is morti tradendus non eſt. Tantum is donarium eſt, ut ligna diſcindat, aquam hauriat, & ſacerdotibus miniſterium præſtet. Atque hic eſt literalis loci illius ſenſus. *Vide Nachmanidem ad Levit.* 27. & *R. Bechai in Pentateuch. fol.* 161. *col.* 1.

[2] *Numerantur XXIV. &c. Gemara Berach. fol.* 19. 1. בכ"ד מקומות בית דין מנדין. In viginti quatuor locis, i. e. propter 24 cauſas judices excomminicant. *Gemara Hieros. Moed Katon cap.* 3. על עשרים וארבעה דברים מנדין. Propter viginti quatuor cauſas excommunicant.

[3] *Non niſi ſparſim &c.* 1. *Gemara Babyl. Moed Katon fol.* 17. 1. המבזה את החכם ואפילו אחר מותו; qui ſapientem contumelia affecerit, quanquam mortuum. 2. *Gemara Babyl. Jevamoth fol.* 52. 1. המבזה שליח בית דין; qui miniſtrum magiſtratus contumelia affecerit. 3. *Gemara Babyl. Kidduſchin fol.* 28. 1. מקורא לחבירו עבר; qui proximum ſuum appellaverit ſervum. 4. *Gemara Babyl. Moed Katon fol.* 16. 1. *& Hieroſ. ibid. fol.* 81. 4. מי ששלחו לו בית דין וקבעו לו זמן לא בא; qui ad magiſtratum evocatus ad tempus ſibi præfixum non venerit. 5. *Gemara Babyl. Berach. fol.* 19. 1. & *Hieroſ. Moed Katon fol.* 81. 4. המזלזל מדבר אחד מדברי סופרים ואין צריך לומר בד"ת, qui vilipenderit præceptum unicum, quod habetur in præſcriptis ſcribarum, neque dicere neceſſe eſt in præſcriptis legis. 6. *Gemara Babyl. Baba Kama fol.* 112. 2. & *Hieroſol. Moed Katon ibid.* מי שלא קובל עליו את הדין מנדין עד שיתן; qui non in ſe ſuſceperit judicatum præſtare, excommunicandus erat uſque dum præſtaret. 7. *Gemara Babyl. fol.* 156. מי שיש ברשותו דבר המזיק כגון כלב רע או סולם רעוע מנדין אותו עד שיסירהיזקו; is qui in ſua poteſtate haberet, quod aliis damnum inferret, veluti canem mordacem, aut ſcalas confractas excommunicandus erat, uſque dum id, quod damnum ita inferret, corrigeret. 8. *Babyl. Baba Kama fol.* 46. 1. המוכר קרקע שלו לגוי מנדין אותו עד שיקבל עליו כל אונס שיבא מן הגוי לישראל חבירו בעל המיצר. Qui fundum ſuum vendiderat Gentili; excommunicabant eum niſi in ſe ſuſcepiſſet reſarcire damnum quodcunque inde eveniens Iſraelitæ proximo ſuo. 9. *Babyl. Baba Kama fol.* 219. 1. המעיד על ישראל בערכאות ישראל של גוים והוציא ממנו בעדותו ממון שלא בדין ישראל מנדין אותו עד שישלים; qui teſtem ſe exhiberet contra Iſraelitam in tribunalibus Gentilium, adeo ut inde pecuniam ſolvere cogeretur ex moribus Iſraelitarum indebitam, excommunicandus erat, uſque dum ipſe refunderet. 10. *Babyl. Cholin. fol.* 132. 2. טבח כהן שאינו מפריש המתנות ונותנן לכהן אחר מנדין אותו עד שיתן; Sacerdos mactans, qui non ſepoſuerit donanda ſacerdotibus cæteris, excommunicandus erat uſque dum ea daret. 11. *Babyl. Peſachim fol.* 52. 4. המחלל יום טוב שני של גליות אף על פי שהוא מנהג, qui diem feriatum ſecundarium in captivitate profanarit, etiamſi id eſſet ex conſuetudine. 12. *Babyl. ibid. fol.* 50. 2. העושה מלאכה בערב הפסח אחר חצות; qui opus aliquod fecerit pridie Paſchatis tempore pomeridiano. 13. *Babyl. Nedarim fol.* 7. 2. המזכיר שם שמים לבטלה או בשבועה בדברי הבאי; Qui nomen Dei pronuntiarit ſive oſcitanter, ſive cum juramento, verbis elatioribus. 14. *Hieroſ. Moed Katon* 81. 4. המביא את הרבים לידי חילול השם. Qui vulgo in cauſa eſſet, ut nomen Dei profanarent. 15. *Hieroſ. ibid. & Babyl. Peſachim fol.* 53. 1. המביא את הרבים לידי אכילת קדשים בחוץ; Qui vulgo in cauſa eſſet, ut ſacra extra locum ſacrum comederent. 16. *Babyl. Berachoth in fine*. המחשב שנים וקובע חדשים בחוצה לארץ; qui annos ſupputaret & menſes præfigeret extra terram. 17. *Gemara Moed Katon fol.* 17. המכשיל את העור; qui cæco poſuerit offendiculum. 18. *Alpheſi ad Sanhedr. fol.* 274. המעכב את הרבים מלעשות מצוה; qui vulgo eſſet impedimento, ne præceptum quodpiam præſtarent. 19. *Babyl. Cholin fol.* 18. 1. טבח שיצאת טרפה מתחת ידו; mactans, qui permiſerit pecudem laceratam exhiberi. 20. *Babyl. Cholin* 18. 1. טבח שלא בדק סכינו לפני חכם, mactans, qui coram ſapiente non exploraverit cultrum ſuum. 20. *Babyl. Nidda* 12. 2. המקשה עצמו לדעת; qui difficilem ſe præbet ad diſcendum. 22. *Babyl. Chetuboth* 28. 1. מי שגירש את אשתו ועשה בינו ובינה שותפות או משא ומתן המביאין להן רהיזקק זה לזה כשיבאו לבית דין מנדין אותן; ubi repudiaverat quis uxorem, qua cum nihilominus commercii ſocietatem retinuerat, quæ in cauſa eſſet adeo redintegrandi eorum congreſſus, ut in forum eo nomine vocarentur, erant excommunicandi. 23. *Babyl. Moed Katon fol.* 17. 1. חכם ששמועתו רעה, ſapiens, cui mala fama. 24. *Ibid.* המנדה מי שאינו חייב נדוי, excommunicans alium immerentem.

[4] *In præſentia &c. Maimonides de ſtudio Legis* VII. 2. וכיצד הוה הנדוי אומרים פלוני יהא בשמתא ואם נדהו בפניו אומרים לו פלוני זה יהא בשמתא. Quomo o erat excommunicatio? Dicebant *N. erit in Shammata*; ſi autem præſens eſſet, dicebant; *Hic N. eſt in Shammata*.

[5] *A privato &c. Maimonides ibidem* VI. 10. וכן הכחם עצמו מנדה לכבודו לעם הארץ שהפקיר בו Et ſic ipſe Doctor hominem vulgarem excommunicare poteſt, quoniam contumelioſe erga ipſum ſe geſſerit.

[6] *Cornibus &c. Pirke R. Eliezer cap.* 38. קבצו את כל הקהל היכל יי' והביאו שלש מאות כהנים ושלש מאות תינוקות ושלש מאות שופרות ושלש מאות ספרי תורה בידם והיו תוקעין והלוים משוררים ומזמרין ומנדין הלוחות הכותיים; Congregarunt totam Eccleſiam in templum Domini, & introduxerunt 300. ſacerdotes, & 300. pueros, quibus erant in manibus 300. buccinæ, & 300. libri legis. Hi clangebant, cantantibus interea, & pſallentibus Iſraelitis, & excommunicabant Cuthæos. *Gemara Sanhedrin fol.* 107. 2. אפיק ארבע מאו' שיפורי' ושמתיה produxit quadringentas buccinas, & ſchammatizavit eum. *Babyl. Sanhedr. fol.* 7. 2. כלי הדיינין מקל רצועה שופרא וסנדלא, inſtrumenta Judicum virga, flagellum, tuba, & ſandalium. *Ubi Gloſſa* שופרא לשמתא ונידוי, tuba ad excommunicationem, atque anathematizationem.

[7] *Nec tondebat &c. Maimonides ibidem* VII. 3. מה המנהג שינהג המנודה בעצמו ושנהגין עמו מנודה אסור לספר ולכבס כאבל כל ימי נדויו ואין מזמנין עליו ולא כוללין אותו בעשרה לכל דבר שצריך עשרה ולא יושבין עמו בארבע אמות אבל שונה הוא לאחרים ושונין לו ונשכר ושוכר. Quæ obſervanda ſunt ab excommunicato, & quomodo adverſus illum ſe alii gerere teneantur? Sicut lugenti non permittitur, ita nec illi capillos tondere, aut veſtes lavare, quamdiu eſt excommunicatus. Excommunicatum ad convivium non invitant, nec in quocumque negotio, quod ad decem viros ſpectat in eorum numerum illum cooptant, & quatuor cubitos ab eo ſedebant, & aliis ille legem repetere poſſit, & illi alii legunt; ab aliis mercedem accipit, alioſque mercede conducit.

[8] *Grande ſaxum &c. Berachoth fol.* 19. 1. כל המתנדה ומת בנדויו ב"ד סוקלין את ארונו, excommunicatus moriens in excommunicatione ſua, domus judicii lapidat feretrum ejus. *Moed Katon fol.* 15. 1. מנודה שמת ב"ד סוקלין את ארונו, excommunicatus ſi moriatur, judices lapidant arcam ejus.

[9] *Dignus &c. Babyl. Moed Katon* 15. 1. רבי יהודה אומר לא שיעמידו עליו גל אבנים כגלו של עכן שמים אלא ב"ד שולחין אבן גדולה על ארונו ללמדך שכל המתנדה ומת ב"ד סוקלין את ארונו, id quod de lapidatione dicitur ex ſententia R. Jehudæ, non ita intelligendum eſt ſuper eum congeri, inſtar cumulis Achan. Sed ex juſſu Synedrii relinquitur ſuper tumulum ejus ſaxum grande, ut inde diſcas, oportere cujuſlibet excommunicati tumulum lapidari.

[10] *Erat dies &c. Hieroſ. Moed Katon fol.* 81. 3. אין נידוי פחות משלשים, excommunicatio non erat minus quam triginta dies.

[11] *Libra inſuper &c. Maimonides ibid.* 6. 10. אם באו עדים שבזהו אפילו בדברים חייב נדוי ומנדין אותו

ב"ד

כ"ד ברבים וקונסין אותו ליטרא זהב בכל מקום ונותנין אותה לחכם, si adveniant testes, eumque verbis solummodo Doctorem contemsisse testentur, excommunicationis sit reus, eumque publice senatus excommunicat, & libra auri ubique multabat, eamque doctori dabat.

[12] *Ab eodem &c. Maimonides ibidem 7.6.* מי שלא ידע מי שנדהו ילך לו אצל הנשיא ויתיר לו נדויו, si quis haud cognoverit a quo fuerat excommunicatus, principem adibat, eumque princeps absolvebat.

[13] *Si quis præsens &c. Maimonides ibidem.* מי שנדוהו בפניו אין מתירין לו אלא בפניו נדוהו שלא בפניו מתירין לו בפניו ושלא בפניו, si quem præsentem excommunicassent absolutionem ei nisi præsenti non concedunt, at si absentem excommunicassent, sive sit præsens, sive absens, eum absolvunt.

[14] *Duplicabatur &c. Hierosl. Moed Katon ibidem.* מנדין ושונין לאחר ל׳ ומחרימין לאחר ס׳, excommunicant eum, & post triginta dies iterum excommunicant, & post sexaginta anathematizant. *Vide Maimonidem ibid.* 7. 3.

[15] *Absolutus &c. Maimonides ibidem* 7. 2. וכיצד מתירים הנדוי או החרם אומרים לו שרוי לך ומחול לך ואם התירוהו שלא בפניו אומרים פלוני שרוי לו ומחול לו; quomodo autem quenquam ab excommunicatione, aut anathemate solvunt? ei dicunt, *solutus sis & immunis*. Si illum absentem absolvunt, tum dicebant, *sit N. solutus, & immunis*.

[16] *In Cherem &c. Maimonides ibidem.* מי שישב בנדוי שלשים יום ולא בקש להתירו מנדין אותו שנייה ישב שלשים יום אחרים ולא בקש להתירו מחרימין אותו, si quis triginta dies excommunicatus manserit, nec absolvi petierit, eum iterum excommunicant, & si alios triginta dies excommunicatus permanserit, nec absolutionem rogaverit, anathemate feriunt.

[17] *Fiebat diris &c. Piske Harosh in Moed Katon art.* 55. נידוי סתם אין בו קללה, in Niddui non erat absolute maledictio, nam dixerunt tantum יהא נידוי *sit N. sub excommunicatione*. Rabbenu *Asher fol.* 34. 2. Barak shammatizavit Meroz, sicut scriptum est *maledicite Meroz*, quod & נידוי excommunicatio est, & קללה maledictio, nam in voce ארור est & excommunicatio, & maledictio.

[18] Ἀποσυνάγωγος *&c. Elias ben Moseh scribit in captivitate usum obtinuisse, ut si quem peccati sui non pœniteret, a congregatione excommunicaretur, & ab Ecclesia separaretur,* ואם לא יקבל עליו משפטי שדי נחרים איתו ונבדיל אותו ממנו שכתו׳ יחרם כל רכושו והוא יבדל מקהל הגולה, quod si non fecerit leges divinas observando, ponimus eum in Cherem, & separamus eum a nobis secundum quod scriptum est; *Auferetur, seu destructur ei tota substantia* (Esdra 18. 8.) & ipse separabitur ab Ecclesia captivitatis; & *post*. להחרימו לנדותו ולהבדילו מעדת ישראל; eum ponere in Cherem, & in Niddui, & separare eum ab universitate Israel.

[19] *Conversatione &c. Babyl. Moed Katon fol.* 15. 1. אין נושאין ונותנין עמו ואין מתעסקין עמו אלא מעט עסק כדי פרנסתו. Nullum cum eo habere licuit commercium, neque illi omnino adesse, nisi in quantum necesse esset ut aleretur.

[20] *Formula &c. Maimonides ibidem* 7. 2. והחרם אומרים פלוני וארור אלה בו שבועה בו נדוי. In anathemate autem dicebant, *sit N. anathematizatus, & maledictus, & ipsum maneant diræ, & execratio, & excommunicatio*.

[21] *Prolixiorem &c. Dabimus formulam, quam Buxtorfius ex antiquo libro ms. refert Lex. Chald.* 828. על דעת אדוני האדונים יהיה בחרם פב"פ בשני בתי דינים בעליונים ובתחתונים ובחרם קדישי עליונים ובחרם שרפים ואופנים ובחרם כל הקהל גדולים וקטנים ויהיו עליו מכות גדולות ונאמנים וחלאים רעים ומשונים ויהיה ביתו מעון תנים ויאפל מזלו במעונים ויהיה לקצף אף וחרון ותהיה נבלתו לחיות ופתנים וישמחו עליו קמים ושוטנים כספו וזהבו לאחרים נתונים וכל בניו אל פתחי אויביו יהיו מזומנים ועל יומו נשמו אחרונים ויהיה מקולל ומפי אדירירון ואכתריאל ומפי סנדלפון והדרניאל ומפי אנסיסיאל ופתחיאל ומפי שרפיאל וזגנזאל ומפי מיכאל וגבריאל ומפי רפאל ומשרתיאל ויהיה מוחרם מפי צבצביב ומפי הבהביב הוא יי׳ הגדול ומפי שבעים שמותיו של מלך הגדול ומן צד צורטק חותם יי׳ הגדול ויבלע כקרח ובעדתו בבהלה ובחפזון תצא נשמתו גערת יי׳ תמית אותו ויחנק כאחיתופל בעצתו וכצרעת גחזי תהיה צרעתו ולא יהיה תקומה למפלתו ובקבורת ישראל לא תהיה קבורתו ולאחרים תנתן אשתו ועליה יכרעון אחרים במותו בזה החרם יהיה פב"פ וזה יהיה נחלתו ועלי ועל כל ישראל יפרוש השם שלומו וברכתו (ואם ירצה להוסיף יאמר אלו הפסוקים והיה כשמעו וכו׳ לא יאבה וכו׳ והבדילו יי׳ לרעה וכו׳) השם ישמור עניי׳ עמו מכל רע.

Ex sententia Domini Dominorum, sit in Anathemate Ploni filius Ploni in utraque domo judicii, Superorum scil. & Inferorum, in anathemate item Sanctorum excelsorum, in anathemate Seraphim, & Ophannim, in anathemate denique totius Ecclesiæ maximorum, & minimorum. Sint super ipsum plagæ magnæ & fideles, morbi magni & horribiles; caliginosum fiat sydus ejus in nubibus; sit in indignationem, iram, & excandescentiam; cadaver ejus objiciatur feris, & serpentibus, lætentur super ipso hostes & adversarii, argentum, & aurum ipsius dentur aliis, & omnes filii ejus ad ostium inimicorum ipsius sint expositi; super die ejus obstupescant posteri. Sit maledictus ex ore Addiriron, & Achtariel, ex ore Sandelphon, & Hadraniel, ex ore Ansisiel, & Patchiel, ex ore Seraphiel, & Sagansael, ex ore Michael & Gabriel, ex ore Raphael, & Mescharetiel. Sit anathematizatus ex ore Zafzavif, & ex ore Hafhavif, qui est Deus ille magnus, & ex ore septuaginta nominum Regis ter maximi, ex ore denique Tzortak, cancellarii magni; Absorbeatur sicut Korah & cœtus ejus; cum tremore & terrore egrediatur anima ejus; increpatio Domini occidat eum; stranguletur ut Achitophel in consilio suo, sicut lepra Gechasi sit lepra ipsius; neque ulla sit resurrectio ruinæ ejus; in sepultura Israelis non sit sepultura ejus; alienis detur uxor ipsius, & super eam prostranto se alii in morte ejus. In hoc anathemate sit Ploni filius Ploni, & hæc sit hæreditas ipsius. Super me autem, & super totum Israel expandat Deus pacem, & benedictionem suam, Amen. Adduntur etiam versus 18. 19. 20. capit. 29. Deut.

[22] *Non docebat &c. Maimonides ibidem.* יותר עליו המוחרם שאין שונה לאחרים ואין שונין לו אבל שונה הוא לעצמו שלא ישכח למודו נשכר ואין נשכרין לי ואין נושאין ונותנין עמו ואין מתעסקין עמו אלא מעט עסק כדי פרנסתו Anathematizathi conditio erat multo gravior, quod neque aliis scripturam legere licebat, neque ei legere permittitur cuiquam, at solus legit, ne legis scientiam oblivioni traderet, nec mercede ipse conducitur, nec alii ab eo mercedem accipiunt, nec cum eo negotiantur, aut operam exercent, nisi parce, ut habeat quo vitam sustentet. *Babyl. Moed Katon* 15. 1. אין נושאין ונותנין עמו ואין מתעסקין עמו אלא מעט עסק כדי פרנסתו, nullum cum eo habere licuit commercium, neque illi omnino adesse, nisi in quantum necesse esset ut aleretur; idcirco ei faciebant נחות קטנה בשביל פרנסתו tabernaculum exiguum quo ali posset. *Talis etiam usus obtinuit apud Ethnicos Euripides in Oreste.*

- - - μήθ' ἡμᾶς στεγαις
Μὴ πυρὶ δέχεσθαι μήτε προσφωνεῖν τινὰ
Μητροκτονοῦντας - - -

Nemini fas esse nos matricidas aut tecto aut igne, aut alloquio excipere. Sophocles in Oedipo Tyranno

Τὸν ἄνδρ' ἀπαυδῶ τοῦτον ὅστις ἐστὶ γῆς
Τῆς δ' ἧς ἐγὼ κράτη τε καὶ θρόνους νέμω,
Μήτ' εἰσδέχεσθαι μήτε προσφωνεῖν τινὰ
Μήτ' ἐν θεῶν εὐχαῖσι μήτε θύμασι
Κοινὸν ποιεῖσθαι, μήτε χήρνιβας νέμειν
Ὠθεῖν δ' ἀπ' οἴκων πάντας ὡς μιάσματος
Τοῦ δ' ἡμιν ὄντος - - -

Eum ego edico virum, quicunque est, ne quis in terra hac cujus ego Rex sum, hospitio excipiat, aut alloquatur, aut in Divinis supplicationibus, aut sacrificiis ut socium admittat, aut solennium ablutionum participem faciat, cum ab omnibus expellendus sit velut patriæ inquinamentum. *Herodotus in Polymnia scribit, quod* Aristodemum Spartæ ob militiam desertam ignominiæ nota multatum nemo aut igni, aut alloquio inde dignatus sit. *De Tapobranes Rege Plinius Hist. 6. cap.* 22. Regem (*inquit*) siquid delinquat morte multari nullo interimente, sed aversantibus cunctis, & commercia etiam sermonis negantibus. *Demostenes in orat. contra Leptinem scribit, quod Draco contra homicidam legem tulerit* εἴργεσθαι σπονδῶν, κρατήρων, ἱερῶν, ἀγορᾶς

ἀγορᾶς &c. arcendum esse a libationibus, crateribus, templis, foro &c. *Solennis exsecrationis exemplum est apud Livium Decad. 3. lib. 6. cap. 25. de Acarnanibus contra Ætolos*. A quindecim ad sexaginta annos conjurant nisi victores se non redituros; qui victus acie excessisset, cum nequis urbe, tecto, mensa, lare exciperet; diram execrationem in populares, obtestationem quam sanctissimam potuerunt, adversus hospites composuerunt. *Romani quoque hac pœna contra malos cives usi sunt. De Metello Appianus ita loquitur de bello Civili lib.* 1. Μηδένα κοινωνεῖν πυρὸς, καὶ ὕδατος ἢ στέγης a nemine communicandam aquam, & ignem, aut tectum. *De Gallis Cæsar de bello Gallico lib.* 6. Siquis (*inquit*) privatus, aut populus eorum (*sc. Druidum*) decreto non stetit, sacrificiis interdicunt. Hæc pœna apud eos est gravissima. Quibus ita est interdictum, ii numero impiorum, & sceleratorum habentur. Iis omnes decedunt, aditum eorum, sermonemque defugiunt, ne quid, ex contagione, incommodi accipiant. Neque iis petentibus jus redditur, neque honos ullus communicatur. *De Germanis Tacitus Annal.* 14. Scutum (*inquit*) reliquisse præcipuum flagitium. Nec aut sacris adesse, aut concilium inire ignominioso fas; multique superstites bellorum, infamiam laqueo finierunt.

[23] *Cum devoto ederet &c. Maimonides ibid.* וכן אם ראו ב׳ ד׳ להחרים זה בתחלה ולהחרים מי שאוכל עמו ושותה עמו או מי שיעמוד עמו בארבע אמות מחרימין כדי לייסרו וכדי לעשות סיג לתורה עד שלא יפרצו החוטאים Etiamsi Senatui placuerit quenquam statim anathemate ferire, aut alium quempiam, qui cum illo comederit, aut biberit, aut qui intra quatuor cubitos ab ipso steterit, facere licuit ad eum corrigendum, & ad legem sepe muniendum, ne effræni protervia abripiantur peccatores. *Plato de legibus lib. 9. parentes pulsantem voluit exulem urbe fieri*, & πάντων ἱερῶν εἴργεσθαι arcendum cunctis templis, & ab ingenuorum non solum consortio, sed etiam contactu, pœna insuper in ingenuum, qui cum sonte comederit, biberit, aut τινὰ ἄλλην κοινωνίαν κοινωνήσῃ alia aliqua communione cum illo communicaverit, aut sponte tetigerit, *adjecta etiam hujusmodi*, μήτε εἰς ἱερὸν ἐλθὼν μηδὲν μήτ᾽ εἰς ἀγορὰν μήτ᾽ εἰς πόλιν ὅλως πρότερον ἢ κχθήρηται, neque templum aliquod ingredi ei fas esse, nec in forum, nec in urbem omnino priusquam legitime purgatus fuerit.

[24] *Omnis spes &c. Legimus sæpe etiam ab* שמתא *excommunicatos fuisse absolutos. Gemara Moed Katon fol.* 16. 1. Quidam lanio fuit, qui profane contempsit R. Tobiam, præfecti sunt ipsi Avai, & Rabba, ושמתוה, & excommunicarunt ipsum. Tandem abiit (*lanio iste*) & placavit, sive contentum reddidit adversarium suum. Tum dixit Avai; quid ergo nunc faciendum? לישרו ליה estne solvendus ab excommunicatione? לא חל שמתא עליה תלתין יומין לא לישרי ליה si non mansit super eum שמתא per triginta dies non est solvendus. *Et mox*. In ea ergo est sententia Avai הני בי תלתא דשמיתו, tres qui excommunicarint aliquem, non veniunt tres alii, & solvunt eum, ויחיד מומחה שרי שמתא unicus probatus potest solvere excommunicationem Schammata. *Gemara Pesachim fol.* 52. 1. הני טבחי דהוצל קיימי בשמתא isti laniones Hutzalenses stant in excommunicatione R. Chasdæ his viginti duobus annis; quid juris porro est? אילימא דהו לא משמתינן להו num dicendum, quod non ulterius excommunicamus illos? id est non amplius relinquere debemus ipsos in excommunicatione.

[25] *Vocem &c. Moed Katon fol.* 17. 1. מאי שמתא אמר רב שם מיתה ושמואל אמר שממה יהיה ומהניא ביה כטיחיא בתנורא. Quid est Schammata? Dixit Rab dicitur quasi שם מיתה ibi est mors; Et Samuel dixit שממה desolatio erit, quæ proderit ipsi sicut pinguedo fornaci calenti. R. *Salomonis Glossa*; Erit כשומן sicut pinguedo illita fornaci, quæ absorbetur, nec unquam ex ea egreditur, sic consumtus est & perditus; דמשמתינן ליה ולא נפקא מניה לעולם, quem Schammatizamus, neque unquam ex eo amplius egreditur.

[26] *Μαραναθὰ &c. in Græco sic legitur* ἤτω ἀνάθεμα, μαρὰν ἀθὰ, sit anathema: maran atha. *Syrus* sit Cherem, i. e. Dominus venit; *Arabs*; sit devotus a spe Domini.

[27] *Synonimum &c. In plerisque autoribus* שמתא *non distinguitur a* נידוי. *Gemara Cholim fol.* 132. 2. האי כהנא דלא מפריש מתנתא ליהוי בשמתא, hic sacerdos non separans dona dignus est ut sit בשמתא, nempe בנידוי; *hæc decima est causa ex 24. quas retulimus, propter quas reus puniebatur Niddui, & tamen hic dicitur* בשמתא. *Maimonides ibidem* VII. 2. וכיצד הוא הנדוי אומרים פלוני יהא בשמתא ואם נדהו בפניו אומרים לו פלוני זה יהא בשמתא. Quæ erat formula Niddui? dicebant, N. *erit in Shammata*. Si autem præsens esset, dicebant; *Hic N. est in Shammata. Vide plura apud clar. Buxtorfium* in Lexic. Chald. 1468. *Hinc concludendum videtur duos non tres fuisse excommunicationis gradus, sc.* Niddui, & Cherem, *nullumque discrimen intercessisse inter* Niddui & Shammata.

CAPUT VIGESIMUMTERTIUM.

DE JURAMENTO PER CREATURAS.

Per Creaturas jurare Judæi pro more & consuetudine habuerunt.

§. I. JUramentum a Talmudistis *in Schevuoth* nec non a Majemonide in הלכות שבועות in quatuor distribuitur species. Prima dicitur שבועת ביטוי [1] *Juramentum promissorium*, ut vertit Lightfootus *Hor. Hebr. ad Matth. pag.* 100. at Buxtorf. *Lex. Talm. c.* 289. *Juramentum futilitatis s. leve & temerarium c.* 2315. Erat, si quis juramento promitteret vel asseveraret, se hoc illudve, quod in sua potestate esset, fecisse vel non fecisse, facturum vel non facturum, & falleret. Secunda שבועת שוא [2] *Juramentum vanum*, cum quis juramento assereret, vel 1. notissimæ veritati & experientiæ contraria e. g. *Virum esse fœminam, se vidisse Camelum in aere volitantem*: [3] vel 2. de quibus nemo dubitaret e. g. *lapidem esse lapidem*; [4] vel 3. se facturum, quæ factu impossibilia e. g. *se nil gustaturum per totam septimanam*, [5] vel 4. se non facturum, quod facere teneretur e. g. *non gestaturum phylacteria*, [6] Tertia שבועת פקדון *Juramentum de deposito*, custodis vel depositarii. [7] Quarta שבועת עדות *Juramentum testimoniale*, coram judice vel Magistratu. In qua divisione sua de

rei

rei juratæ veritate tantum solliciti fuere, quanquam ne sic quidem τὸ ἀκριβοδίκαιον satis attenderint: cæterum quoties, quomodó & per quem quis juraret, non adeo curarunt.

§. II. Ipsis certe, ut cæteris jam non immoremur, sed nostrum pressius urgeamus institutum, jurare temere & futiliter per creaturas perquamfamiliare & solenne erat. In *Juchasin f. 56.* 1. cum Rabbinorum quorundam per templum jurantium mentio injecta esset, subjicitur: וזה מנהג בישראל *& sic mos fuit in Israel*, sc. jurare [8] per templum.

§. III. Sed hujusmodi juramentorum exempla ex ipso Talmude produci facile possunt. Per cœlum *Berachot. fol.* 55. 2. השמים כן הוא [9] *per cœlum, res ita est*. Per templum duplici formula jurabant המעון הזה *per habitaculum hoc*, & היכלא *per templum*. Prior occurrit *in Keritut f.* 8. 1. ubi *cum venderentur aliquando turtures & columbarum pulli Hierosolymis denario aureo, dixit Rabban Simeon filius Gamalielis* המעון הזה לא אלין הלילה *per habitaculum hoc non quiescam hac nocte, nisi veneant denario argenteo*. Conf. & *f.* 25. 1. *& Ketubbot f.* 27. 2. *& Bava Bathra f.* 166. 1. ubi glossa: בבית המקדש נשבע *per domum Sanctuarii jurat*. Posterior *in Kidduschin f.* 71. 1. ubi R. Jochanan: היכלא בידינו היא *per templum res est in manu* s. potestate *nostra*, &c. Glossa: שבועה בהיכלו של מקום *est juramentum per templum Dei*. Per altare suetos esse jurare, patet ex Echa rabbati *cap.* 2. 10. כמה השביעו' יוסי בר חנינה אמר במזבח הפנימי *Quomodo jurare voluit eum?* Resp. *Per altare interius*. Et nescio, sintne huc referendæ istæ [10] sive jurandi sive vovendi formulæ, quæ exstant in Nedarim *cap.* 1. *f.* 13. 1. כאימרא (*agnus*) כדירים (*caulæ*) כעצים (*ligna*) כאישים (*ignita*) כמזבח כהיכל כירושלים. Sed nondum jurandi finis est. Jurarunt etiam [11] per Mosen *Hieros. Megilla cap. ult. f.* 75. 3. *& Hieros. Horajoth. cap.* 3. *f.* 47. 4. *& in editione Amst. Talm. Bab. f.* 15. 4. *l.* 42. [12] Per coronam regis תנא דמלכא *Kidduschin f.* 9. 1. Per vitam Regis בחיי המלך *Rosch haschana f.* 17. 2. (Sic Calvinus & alii volunt Josephum jurasse per vitam Pharaonis *Gen. XLII.* 16. præsertim cum Aben Esra scribat *ad Exod. XX.* 7. Ægyptiis solenne esse jurare [13] *per caput Regis*. * Hinc Calvinus, Piscator, aliive adulationis & temeritatis postulant Josephum. Sed conf. Gerhardus *in Gen. pag.* 735.) Per vitam Rabbinorum בחייהן רבנן *Pesachin f.* 113. 2. Per vitam propriam. Ita enim exponenda videntur verba ista *in San. fol.* 24. 2. דור לי בחיי ראשך *Jura mihi* [14] *per vitam capitis tui*. Nil enim prohibet quo minus hic ראש reciproce capiatur, perinde ac apud Abyssinos. Conf. Wemmerius *Instit. Grammat. p.* 24. Ludolfus *Lex. Æth. col.* 112. Alia hac vice mittemus. E dictis autem clara lux loco *Matth. V.* 33. *seq.* Conf. Buxtorfius *Lex. Talm. c.* 608. 1586. 1565. 2314. 2441.

§. IV. At nec aliis orientalibus mos ille insolens fuisse videtur. Certa res cumprimis de Arabibus. In scenam prodeat vel solus impostor magnus Muhammed qui in *Alforcano* suo passim & ipse jurat & jurantem Deum introducit, *per montem & scripturam delineatam in pagina extensa. Per domum habitatam & per tectum elatum: & per mare fervens*. Sur. 52. v. 2. 5. Item: *Per ficum & olivam, per montem Sinai & per hanc provinciam fidelem*. Sur. 95. v. 2. 3. Item: *Per seriem Angelorum* (quanquam hic discrepent interpretes) *& procellosos ventos; Per sparsas dissipationes & separatrices separationes*. Sur. 77. Quo juramento quid posset cuiquam per somnium incidere ineptius! Sic jurat *Per calamum & quo scribunt*: Sur. 68. *Per stellam cadentem*. Sur. 53. [15] *Per ventos, nubes, cœlum*, Sur. 50. 51. *Per signa* [16] *Zodiaci*, Sur. 85. *Per sidus lucens*, Sur. 86. *Per noctem obscuratam & auroram, per Pascha biduumque præcedens*, Sur. 89. 92. *Per vesperam*, Sur. 103. *Per Solem*, Sur. 91. *Per literam* P. Sur. 50. &c.

* *S. Augustinum* adeat studiosus Lector q. 139. ubi Josephi juramentum ab omni prorsus vel levissima noxa vindicat; ex recentioribus vero *Bonfrerius* & *Jansenius* in cap. 24. *Genes.* 16. plura contra Calvini ineptias proferunt.

NOTÆ AD CAPUT VIGESIMUM TERTIUM.

[1] שבועת ביטוי *&c. Maimonides de jurejurando* 1. 1. ביטוי הוא שנאמר בתורה או נפש כי תשבע לבטא בשפתים להרע או ולהטיב והיא נחלקת לארבעה חלקים שתים להבא ושתים לשעבר כגון שנשבע על דבר שעבר שנעשה או שלא נעשה ועל דבר שעתיד להיות שיעשה ושלא יעשה Jusjurandum temere effutitum est de quo dictum est in lege, *& protulerit labiis suis, ut vel male quid faceret, vel bene. Levit.* 5. 4. Et hoc distinguitur in quatuor partes, quarum duæ sunt de re futura, & duæ de re præterita conceptæ, e. g. si quis jurasset de re quæ præteriit, illam factam esse, vel non factam, & de re futura, se illam facturum, vel non facturam.

[2] שבועת שוא *&c. Maimonides ibid.* שבועת שוא נחלקת לארבע מחלוקות האחת שנשבע על דבר הידוע שאין כן כיצד כגון שנשבע על האיש שהוא אשה ועל האשה.

האשה שהיא איש; Jusjurandum vanum dividitur in quatuor species. Prima est, si quis jurat de re nota eam sic se non habere, e. g. qui jurat virum esse fœminam, & fœminam esse virum.

3 *Vel 2. de quibus &c. Maimonides ibid.* השנייה שנשבע על דבר ידוע שאין בו ספק לאדם שהוא כן כגון שנשבע על השמים שהוא שמים על האבן זו שהיא אבן. Secunda, quando quis jurat super re nota, de qua nemo dubitat, eam sic se habere; e. g. qui jurat cœlos esse cœlos, & lapidem hunc esse lapidem.

4 *Vel 3. se &c. Maimonides ibid.* רביעית שנשבע על דבר שאין כח בו לעשות כיצד כגון שנשבע שלא יישן שלושת ימים לילה ויום רצופים או שלא יטעום כלום שבעת ימים רצופים; Quarta qui jurat de re, quam non facere potest; quomodo? e. g. qui jurat se nolle dormire tres dies continuos, nocte dieque, aut se nihil gustaturum septem dies continuos.

5 *Vel 4. se &c. Maimonides ibid.* שלישית שנשבע לבטל את המצוה כיצד כגון שנשבע שלא יתעטף בציצית שלא ילבש תפילין; Tertia siquis jurat, quod præcepta velit violare; e. g. qui jurat se fimbrias induere nolle, aut phylacteria sibi non apponere.

6 *Tertia &c. Maimonides ibid.* שבועת הפקדון כיצד כל מי שיש ממון חבירו בידו בין פקדון בין מלוה או שגזלו או עשקו או מצא לו אבדה ולא החזירה וביוצא בזה ותבע ממנו ממון שיש לו בידו וכפר בו ה"ז עובר בלא תעשה שנאמר לא תכחשו זו אזהרה לכפירת ממון; jusjurandum Depositi quomodo? Omnis qui possidet res socii sui, sive jure commodati, sive mutui, sive eas rapuerit, aut vi detineat, & quæ his similia; & requirenti *Domino* res, quas habet, negaverit, profecto ille transgreditur præceptum negativum, quia dictum (Levit. 19. 11.) *non mentiemini*, quod est prohibitio negationis rerum.

7 *Quarta &c. Maimonides ibid.* שבועת העדות כיצד העדים שידעו עדות ממון ותבעם בעל העדות להעיד לו וכפרו בעדותן ולא העידו ונשבעו שאינן יודעין לו עדות זו היא נקראת שבועת העדות; jusjurandum testimonii quid est? si testes sciant testimonium rei pecuniariæ, atque Dominus requirat eos, ut testimonium sibi præbeant, ipsi vero testari detrectent, jurentque se ignorare testimonium; hoc vocatur jusjurandum testimonii.

8 *Per templum &c. Ketubhoth cap. 3. & Tosapht. ibid.* Dixit R. Zecheriah ben Ketsab המעון הזה per templum hoc non recessit manus mulieris e manu mea &c. *Juchasin fol.* 56. 1. Bava ben Bata juravit per templum in fine tractatus Cherithuth, & Rabban Simeon ben Gamaliel in initio; & sic mos fuit in Israel.

9 *Per cœlum &c. per cœlum intelligunt Deum. Maimonides ibid.* XII. 3. מי שנשבע בשמים ובארץ וכיוצא בהן אף על פי שאין כוונתו אלא למי שבראם אין זו שבועה; qui jurat per cœlum, & per terram, aut per solem, aut simile quid, etsi mente intelligat eum, qui creavit ea is non jurat. *Kimchi in Psalm.* 1. כל מעשיך יהיו לשם שמים, omnes actiones tuæ sint nomine cœli, i. e. Dei. *R. Elias Levita in Tisbi* voce שמים scribit הכל בידי שמים חוץ מיראת שמים omnia sunt in manu cœli, præter timorem cœli, i. e. Dei. Midrasch Koheleth v. 6. qui venit visitatum ægrotum dicit השמים ירחמו עליך, cœli misereantur tui. *Etiam in S. Scriptura sæpe vox Cœli usurpatur pro Deo, ut Psalm.* 83. 9. *de impiis dicitur*, opponunt cœlis os suum, *ubi Euthymius*; per cœlum quidem Deum intelligit, qui in cœlis habitat. *Etiam Basilius M. scribit*, cœlis os opponere est blasphemiis contra Deum uti. *Vide etiam Dan.* 4. 25. *Matth.* 21. 25. *Luc.* 15. 21. *Joan.* 3. 27.

10 *Sive jurandi &c. Tosaphta Nedarim* 2. 4. R. Jehuda dicit; qui dicit per Hierosolymam, nihil dicit, nisi intento animo voverit Hierosolymam versus. *Et mox.* Hierosolyma, pro Hierosolyma; templum pro templo; altare pro altari; agnus pro agno, per agnum; conclave lignorum pro conclavi lignorum, per ligna; ignes pro ignibus, per ignes; patinæ pro patinis, per patinas; omnia hæc, quod ego de tuo non edam.

11 *Per Mosen &c. Maimonides ibidem.* וכן הנשבע מנביא מן הנביאים או מכתוב מכתבי הקדש אף על פי שאין כונתו אלא למי ששלח נביא זה או למי שצוה בכתב זה אין זו שבועה; ita qui jurat per prophetam e prophetis, aut per scripturam librorum sacrorum, etsi intelligat eum, qui misit illum prophetam, aut jussa dedit in illo scripto, is non jurat.

12 *Per coronam &c. Etiam apud Ethnicos per sceptrum jurare usitatum. Homerus Iliad.* 1.

Ἀλλ' ἔκ τοι ἐρέω, καὶ ἐπὶ μέγαν ὅρκον ὀμοῦμαι
Ναὶ μὰ τόδε σκῆπτρον.
Sed tibi edico & super magnum jusjurandum juro
Certe per hoc sceptrum . . . . *Vide Virgilium Æneid. lib.* 12. *v.* 206.

13 *Per caput &c. Etiam apud Ægyptios Episcopos usitatum scribit Balsamon ad Canon 23. Synodi Chalcedonensis* ὡς εἰς τὴν κεφαλὴν τοῦ βασιλέως ἢ εἰς τὴν οἰκείαν σωτηρίαν ὀμόσαι τινά, per Imperatoris caput, vel suam ipsius salutem jurare. *Homerus lib.* 15. *Iliad.* πατρίον κεφαλὴν μέγαν ὀμοῦμαι, patrium caput testor quod magnum juramentum.

14 *Per vitam capitis &c. Kimchi ad Jerem. IV.* 2. כמו שדרך העולם להשבע במה שיאהב יותר כמו בנפשו וראשו וכן הנביאים הזו נשבעין תמיד בדבריהם. Quemadmodum mos est jurandi per id quod quisque valde amat, videlicet animam & caput; sic jurant sæpius prophetæ in verbis suis. *Virgil. lib.* 9. *Æneid. v.* 300.

Per caput hoc juro, per quod pater ante solebat.

Ovid. lib. 5. *Trist. Eleg.* 5.

Per caput ipse suum solitus jurare, tuumque
Quod scio non illi vilius esse suo.

15 *Per ventos &c. Usitatum etiam apud Scythas, uti scribit Lucianus in Toxari.* Adeone te fugit, quod nihil sit majus mortalibus vita, ac morte? Per hæc itaque juramus, quoties per ventum, & Acinacem juramus; videlicet per ventum, tanquam qui vitæ sit causa, per Acinacem vero, ut qui mortis sit autor.

16 *Zodiaci &c. Ita etiam Vettius Valens Antiochenus ineditus;* ὁρκίζω σε πάντη τῇ συντάξει οὐρανοῦ μὲν ἀστέρωντον κύκλον, καὶ δυωδεκαζώδιον τε καὶ Σελήνην καὶ τοὺς πλανήτας ἀστέρας. Adjuro te per systema cœli, zodiacum, lunam, & ceteros planetas.

CAPUT VIGESIMUM QUARTUM.

DE LECTIONIBUS SABBATICIS.

Ritus legendi in Synagogis Paraschas & Haftaras jamdudum Judæis solennis fuit.

§. I. Judæi in Synagogis suis Pentateuchum quotannis legendo absolvunt, finem facientes in festo tabernaculorum & sequenti Sabbato initium iterum capientes. Quod enim nonnullos post trium demum annorum decursum absolvere legem observant Maimonides הלכות תפלה *c.* 13. §. 1. & Benjamin Tudelensis *in Itinerario*

ſuo p. 115. id a communi conſuetudine abludere ipſimet non diffitentur. Quo vero id commodius & ordinatius fieret, diſtinxerunt legem in portiones LIV. (juxta Eliam LIII.) reſpondentes totidem ſeptimanis. Haud contineat, exceſſu tamen quodam opus erat propter annum embolimeum ſ. intercalarem qui integro abundat menſe. De סוד העיבור *artificio intercalandi*, ut & de ratione anni apud Hebræos in genere, conferantur *Tal. Sanh. c.* 1. & illic Joh. Coccejus *p. 6. ſ.* Maimonides in הלכות קדוש חדש *c.* 4. Sebaſt. Munſterus *Calendario Hebraico*, Joſ. Scaliger *l. 7. de Emend. Temporum*, Joh. Seldenus *de anno civili & Calendario veteris Eccleſiæ ſ. Reip. Judaicæ*, Jac. Chriſtmannus *Calend. Palæſt. R. Ori*, Nic. Mullerus *de Anno Jud. lunæſolari*, D. Ægidius Strauchius *diſſ. de computo Talm. Rabbinico* & alii.

§. II. [2] Sectiones iſtæ legales hebdomadicæ a Judæis vocantur פרשיות ſing. פרשה Paraſcha a פרש *ſeparando*, quaſi ſeparata ab aliis & diſtincta ſectio. At cum id nominis etiam tribuatur minutioribus legis ſegmentis ſ. *τμήμασι*, hebdomadicæ ſectiones ad differentiam dicuntur Paraſchæ *majores*, *τμημάτια* illa minores. Illæ deſignantur vel tribus majuſculis פפפ vel interdum ססס (imo & per vocem פרשה integram in Exemplaribus nonnullis) minores, per unicum minuſculum פ vel ס. Porro פ notat Paraſcham eſſe פתוחה *apertam* ס vero סתומה *clauſam*. Ratio appellationis deſumta eſt e modo ſcribendi vel conſtituendi ſpatia linearum. In volumine enim legis MSS. cujus in Synagogis uſus eſt, id curioſe obſervatur, ut Paraſcha aperta inchoetur ab initio lineæ, clauſa in medio, qua de re conſ. Maimonides הלכות ספר תורה *c.* 8. §. 1. 2. Elias Levita *in Tab. fract.* Fabritius *Part. c. 9.* Mercerus *in Gen.* I. 6. III. 16. VI. 8. Buxtorfius *Abbrev. Rabb. p.* 163. Hottingerus *Theſ. Philol. p.* 219. Cæterum ne in Paraſchis minoribus oriretur confuſio, omnes ordine recenſuit, quæve & quot clauſæ, quotve apertæ eſſent ediſſeruit Maimonides *l. c.*

§. III. Nomina adipiſcuntur Paraſchæ iſtæ a prima voce vel priorum magis emphatica. Sic prima dicitur בראשית, ſecunda נוח, tertia לך לך; cæteras recenſet Fabritius *p. 37. ſ.* Id tantum notamus nomina, quibus libri Pentateuchi exprimuntur (ſcil. בראשית שמות׳ ויקרא׳ במדבר׳ אלה הדברים) *πρώτως* & primario Paraſchas ſignificare, qua de re conſ. Hottingerus *ad hiſtor. creat. cap.* 1. *quæſt.* 1.

§. IV. Dividunt alias *Maſorethæ* legem ut & cæteram SSam in פרקים *capita &* סדרים *ordines* quanquam hoc nomine etiam Paraſchæ *κατ᾽ ἐξοχὴν* ita dictæ quandoque veniant nec tamen plane attingunt numerum noſtratium capitum, quorum autorem multi faciunt *Hugonem Cardinalem*. Balæus *cent.* 3. *p.* 275. in favorem gentis ſuæ *Stephanum Langthon.* Conſ. Sixtus Senenſ. *Bibl. S. l.* 3. *p.* 617. Genebrardus *Chronol. p.* 644. Ferdin. de Eſcalant. *Clyp. Conc. p.* 615. Sic exempli gratia Geneſis a nobis in L. capita diſpeſcitur, at a Maſorethis in XLII. Sed de partitione SS. V. T. in capita & pericopas præter citatos conferantur Laur. Fabritius *Part. c. 7. ſ.* Joh. Crojus *Obſ. in N. T. P.* 1. *c.* 2. *&* 3. Hotting. *Theſ. Phil. l.* 1. *c.* 2. *ſect.* 5. Leusdenius *in Phil. Hebræo. diſp.* 3. & alii.

§. V. Legendis iſtis Paraſchis deſtinarunt [3] ſeptem viros, eos a Miniſtro ſ. angelo Eccleſiæ evocandos, quorum [4] primus ſacerdos, [5] ſecundus Levita [ſi tales adeſſent) cæteri quinque communes Iſraelitæ erant. Hinc eſt, quod in nonnullis Bibliorum Hebræorum editionibus ad marginem adſcriptæ conſpiciuntur hæ ſeptem voces 1 כהן. 2. לוי vel שני 3. שליש vel ישראל 4. רביעי 5. חמיש 6. ששי 7. שביעי. denotantes ordinem lectorum & cujuſque חלק ſive portionem. Conſ. Buxtorfius *Synag. Jud. c.* 14. Hinc Lightfootus *Hor. ad Matth. p.* 74. arbitratur Chriſtum *Luc. IV.* 16. a Miniſtro Eccleſiæ Nazarethanæ evocatum eſſe ut pro more tanquam membrum iſtius Synagogæ legeret; quam ſententiam ipſi relinquimus defendendam. Facula autem e dictis accenditur loco *Act. XV.* 21. ubi Moſes dicitur legi *ἐν ταῖς συναγωγαῖς κατὰ πᾶν σάββατον*.

§. VI. Sed opus jam eſſe videtur ut in moris hujus [6] natales paululum inquiramus. Certe ex Judæis non deſunt, qui הלכה מסיני *traditionem ex monte Sinai* vocent. Alii eaſdem ad Eſdræ tempora referunt. Ita quoque Buxtorfius *Bibl. Rabbin. p.* 183. Schickardus *Bech. Happ. p.* 283. Dn. D. Mullerus *Judaiſmo Prol.* 1. *p.* 12. & alii. Utramque ſententiam ita conciliare conatur Tremellius ad *Act. XIII.* 15. ut morem iſtum a Moſe primitus introductum, & deinde poſt ſolutam captivitatem ab Eſdra in uſum revocatum, adjuncta Prophetarum lectione, dicat. Eadem habet R. Gedalias *in Schalſchel Hakkabb.* cujus verba & plura in rem præſentem habet Crojus *P. I. obſ. in N. T. c.* 2. Rem in medio relinquit Fabritius *p.* 41. Certe diu ante Chriſti tempora uſitatum iſtum morem fuiſſe vel ex *Act. XV.* 21. patet, ubi *ἐκ γενεῶν ἀρχαίων* accerſitur. Fabritius idem probat ex *Nehem.* VIII. 9. 18. *Luc. XVI.* 29. Hottingerus & ante eum alii etiam ex *Act.* XIII. 15. ubi per *περιοχὴν* intelligunt *Paraſ-*

cham:

cham: quanquam nonnisi indirecte legis divisio in Paraschas inde probetur, cum de lectione Prophetica sermo sit.

§. VII. Leguntur Paraschæ legales, ut olim, ita etiamnum lingua originali Hebræa. Unde tamen minus solide infert Chr. Helvicus *de Paraphr. Chald. p.* 3. tempore Salvatoris Hebræorum vulgus Hebraicam linguam intellexisse. Certe ut intelligerent, successu temporis [7] & Targum simul legi cœpit. Qui mos aliquandiu duravit, cum Chaldaice non magis quam Hebraice loquerentur. Elias namque *Præf. Meturgem*, ait: *Targum Onckelosi semper affatim reperiri, cum legere teneantur quavis septimana Parascham bis, semel* מקראי *ex textu & semel* תרגום *ex paraphrasi*. Et de more eo dubitare nos non sinunt exemplaria quædam Biblica cum Targum interlineari, de quibus vide Br. Walton. *Apparat. pro l.* 12. *num.* 6. *& Dissert. de Ling. Orient. th.* 29. *p.* 48.

§. VIII. Sed Paraschis seu lectionibus legalibus adjunctæ quoque sunt parallelæ lectiones Propheticæ [8] dictæ *Haftaræ* a s. הפטרה r. פטר *dimisit* quasi *Missæ*, quod iis lectis populus dimitteretur. Qui autem textus Prophetici Paraschis respondeant, peculiaris לוח s. Index calci vel Pentateuchi vel totius codicis Biblici subjunctus ostendit, cujus prolixam satis explicationem suscepit Fabritius *cap.* 24. Illud modo addimus Propheticas istas lectiones niti Judæorum hypothesi, qua libros quosdam Historicos Propheticis annumerant, Danielem autem Prophetarum numero eximunt, qua de re conf. Dn. D. Mullerus *Jud. Proleg.* 2. *p.* 19. *s.* Hoornbeek *Prol. contra Jud. p.* 41. *s.* L'Empereur *ad Jacchiad. in Dan. p.* 4. Vorstius *ad* הלכות יסודי התורה *Maimon. p.* 93. Hottingerus *Th. Phil.* 510. aliique.

§. IX. Originem Hastararum Judæi a tempore *Antiochi Epiphanis* accersunt, qui legis lectionem tam publicam, quam privatam sub capitali pœna prohibuerit; quare selectæ sunt Sectiones quædam Propheticæ Paraschis Mosaicis sensu vel memoriali quodam Symbolo respondentes, ut ostendit Buxtorfius *Abbrev. p.* 283. Mortuo autem Antiocho & rebus Judaicis nonnihil in melius restitutis ajunt ita Mosaicam lectionem iterum introductam esse, ut Prophetica semper subjungeretur. Conf. Elias *in Tisbi p.* 169. Buxtorfius *l. c. & Syn. Jud. c.* 16. Fabritius *c.* 10. Andr. Rivetus *Isag. ad Script. Sacr. p.* 504. Hottingerus *Thes. p.* 222. Cæterum Paraschis & Haftaris Judaicis respondent fere Pericopæ Evangelicæ & Epistolicæ Christianorum; cum enim A. C. 370. *Hieronymus*, ut ajunt, *Damasi* jussu, singulis diebus Dominicis singula tribuisset Evangelia, id imitatus *Paulus Diaconus Aquilejensis* Evangeliis textus ex Epistolis A. C. 770. addidisse dicitur. Conf. Gerhard. *Homil. p.* 1. *Epist. dedicat.* quamquam alia mens aliis. At ista persequi nostra jam non refert. Qui de Paraschis & Haftaris plura scire avet, adeat cumprimis Fabritium *de partitionibus codicis sacri*, Buxtorfium *Lex. Talm. c.* 1855. *& Abbrev. p.* 163. *s.* 281. *s. & Syn. Jud. cap.* 16. Schickardum *Becch. Happ. pag.* 18. Crojum *l. c.* Hottingerum *l. c.* Christ. Bornitium *Diss.* 3. *de Synag. Hebr. th.* 10. aliosque.

NOTÆ AD CAPUT VIGESIMUM QUARTUM.

[1] *Judæi &c. De Lectionibus Sabbathicis hic pauca dicemus, suo loco edituri* Maimonidis constitutiones Tephilla, nunc primum ex Hebraico latine redditas, & notis perpetuis philologicis illustratas.

[2] *Sectiones istæ &c. De his sectionibus edentur suo loco Maimonidis* הלכות ספר תורה a cl. Van-Bashuysen *latina versione, & notis illustratæ*.

[3] *Septem viros &c. Maimonides Tephilla. XII.* 16. Quotnam sunt, qui Legem legunt? In Sabbatho mane legunt septem, & in die expiationum sex; & in diebus festis quinque, non erunt pauciores, sed possunt esse plures; in noviluniis & in feriis festivitatis legunt quatuor; in Sabbatho, & in die expiationum vesperi, & in die Lunæ, & Jovis in toto anno, & in Encæniis, & Purim mane, & in diebus jejunii mane, & vesperi legunt tres, nec possunt esse nec plures, nec pauciores.

[4] *Primus Sacerdos &c. Codex Gittin* 5.8. ואלו דברים אמרו מפני דרכי שלום כהן קורא רשון ואחריו לוי ואחריו ישראל מפני דרכי שלום. Et hæc dixerunt pacis gratia, Sacerdos legat prius, & post ipsum Levita, post hunc Israelira pacis gratia. *Gemara Gittin fol.* 56.2. והא רב הונה קרי בכהני בשבתות וי"ט שאני רב הונא דאפילו רב אמי ורב אסי כהני חשיבי ד"י מיכף הוו כייפי ליה; At ecce R. Houna *Israelita* legit ante Sacerdotes in Sabbathis, & in diebus festis; alia ratio est R. Hounæ, cui etiam R. Ame, & R. Ase Sacerdotes spectatissimi terræ Israelis honorem exhibuerunt. *Orach Chajim tit.* 135. 3. כהן קורא בתורה ראשון אחריו לוי אחריו ישראל, Sacerdos primus legit, post hunc Levita, ac tum denique Israelita. *Vide Maimonidem l. c.*

[5] *Secundus Levita &c. Orach Chajim ibid.* בשבת ויום טוב ויום הכפורים קורים אחר לוי ת"ח הממונים על הצבור ואחריהם ת"ח הראויים למנותם פרנסים על הצבור ואחר כך בני ת"ח שאבותיהם ממונים על הצבור ואחר כך ראשי כנסיות וכל העם; In Sabbatho, festo, & die expiationis post Levitas legunt viri docti, qui præfecti sunt Synagogæ, post hos viri docti, qui digni sunt Synagogæ præfici Gubernatores; tum filii virorum doctorum, quorum patres Synagogæ præsunt, & demum capita Synagogæ, & populus universus.

[6] *Natales &c. Maimonides ibidem. XII.* 1. משה רבינו תיקן להם לישראל שיהו קורין בתורה ברבים בשבת ובשני ובחמישי בשחרית כדישלא ישהו שלשה ימים בלא שמיעת תורה ועזרא תיקן שלהו קורין כן במנחה בכל שבת משום יושבי קרנות וגם הוא תיקן שיהו קורין בישני ובחמישי שלשה בני אדם ולא יקראו פחות מעשרה פסוקים. Moses Magister noster injunxit Israelitis, ut publice legem recitarent die Sabbathi, nec non secundo, & quinto septimanæ, horis matutinis, ut ne scilicet triduum subsisterent absque auditu legis. At Esdras etiam illud instituit, ut singulis Sabbathis etiam legerent post meridiem in gratiam tabernariorum. Idem vero etiam ordinavit, ut die secundo & quinto tres homines legant, neque minus legant versibus decem. *Babyl. Bava*

Kama fol. 82. 1. Esdra decrevit decreta decem, instituit publicam legis lectionem diebus hebdomadis secundo & quinto, iterumque Sabbatho ad Mincha.

7 *Et Targum &c. Hieros. Megillah fol.* 74. 4. ויקראו בספר תור' זה המקרא ותו'; & legerunt in libro legis, is fuit textus; מפורש זה תרגום, explanate; illud fuit Targum. Imo a temporibus Esdræ institutum publice interpretem; qui in Synagoga, quod Hebraice a prælectore legebatur, populo Chaldaice exponeret. *Gemara Megillah* IV. A diebus Esdræ interpretem suis in Synagogis habere solebant, qui quod legebatur populo, exponebat, ut sensum verborum caperent; Lectorque versiculum legebat, quiescebatque donec interpres exponeret, pergebat tum, aliumque versum legebat, interpresque exponebat, unumque tantum versum interpreti legere ei licebat; eratque hæc perpetua in legenda Lege praxis. *Alphes Megillah* IV. Solemni ipsis in more positum erat, interpretari in Synagoga, quia lingua Syriaca loquebantur, exponebantque ut omnes intelligerent; & R. Salomon ibidem. Targum eo tantum consilio instituebatur, ut mulieres, & populus terræ, qui linguæ sanctæ ignari erant, intelligerent, quæ legebantur autem, vulgari lingua Babylonica exponebantur. *Babyl. Jomæ fol.* 20. 2. Ivit Rabh ad locum R. Shillæ ולא הוה אמורא למיקם עליה & non affuit interpres qui adstaret R. Shillæ. Rabh ergo adstitit; ubi Glossa; לא הוה אמורא מתורגמן, non affuit interpres, qui coram lectore prælegente stetit; והחכם לוחש לו לשון עברית; & doctor insusurravit ei in aure Hebraice, atque ille populo reddidit vernacule. *Huc spectat illud Matth.* 10. 27. Quod in aure auditis, prædicate super tecta.

8 *Dictæ Hafftaræ &c. de his quoque uberrime agetur in tractatu* Maimonidis Tephilla.

CAPUT VIGESIMUM QUINTUM.

DE ITINERE SABBATI.

Iter Sabbaticum Judæis est certum viæ spatium, quod extra urbem citra violationem Sabbati confici posset.

§. I. Breviores nobis in sequentibus ducendæ erunt lineæ. Utut vero non omnia dicamus, ostendemus tamen καδδώαμιν, unde cætera peti queant. Quod ad præsens attinet negotium, notum est *Actor. I.* 12. commemorari Σαββάτε ὁδὸν (Hebr. תחום השבת) cujus tamen ratio forte non omnibus æque nota est. P'ητὸν in suis versionibus Arabs, Vulgatus & alii retinent. At Syrus exponit ופריק מנה איך שבעא אסטדון *distat ab ea* (Hierosolyma mons olivarum) *circiter septem stadiis* (Josephus *Antiq. lib.* 20. *c.* 16. tantummodo quinque habet, sed conciliationem suscepit de Dieu) Æthiops vero reddit: מטז מרוץ באש אנרה יארח מנגר קדמרת שנברת *Spatio cursus viri, quod est iter primi nisi malis: prisci*) *Sabbati*.

§. II. Breviter dicemus quod res est. Rabbinorum [1] statutis definitum certum viæ spatium, quod Sabbato extra urbem emetiri liceret, sc. bis mille cubitorum s. passuum mediocrium, qui conficiunt מיל *milliare minus* seu quadrantem milliaris majoris. Id per Rabbinicam consequentiam extraxerunt [2] ex *Exod. XVI.* 29. ubi ne quis loco suo exeat, jubetur. Jam cum [3] suburbium ab urbe bis mille cubitis distaret, ut est *Num. XXXV.* 5. si urbs petenda esset, spatium illud requiri quandoque videtur. Arcessunt huc etiam [4] locum *Jos. III.* 4. ubi bis mille cubitis jubentur ab arca abesse, ante quam tamen in Sabbato adorare poterant. Intra urbis pomæria autem spatiabantur pro lubitu, quot vellent passus. Plura dabunt Maimonides הלכות שבת *cap.* 27. Buxtorfius *Lex. Talmud. col.* 2582. *s.* Seldenus *de J. N. & G. l.* 3. *c.* 9. Lud. de Dieu. *ad Acta p.* 4. *s.* nec non Hottingerus *J. Hebr. p.* 33. Sigonius *Rep. Hebr. l.* 5. *c.* 11. *p.* 282. Erasmus Schmidius *ad N. T. p.* 773. Salmuthus *ad Pancirollum P. II. p.* 716. Hoornbeck *contra Judæos p.* 507.

§. III. Sed non deest iis σοφῶν φάρμακον, si duo ultra terminum Sabbati sejuncti Sabbato sine ejus violatione convenire debeant. Faciunt nimirum [5] ערוב התחמין *mixturam terminorum*. Mixtio illa fiebat posito vespera Sabbati in medio viæ [6] pane integro vel cibo alio, commodo quodam loco, de quo inter ipsos convenisset, ut iter faciens ibi prandium Sabbatinum sumeret, quod perinde erat ac si domi suæ pransus esset. Deinde ab eo loco licebat ipsi bis mille alios gressus numerare, usque ad locum sibi propositum. Itaque תחום שבת terminus Sabbati miscebatur cum alio termino ulteriori: de qua mixtione plura tradunt Talmudistæ in tractatu ערובין *c.* 3. *s.* cujus Mischnam cum Rabbinorum commentariis edidit Dn. D. Sebastianus Schmidius: & Maimonides in הלכות עירובין.

NOTÆ AD CAPUT VIGESIMUM QUINTUM.

1 *Statutis &c. R. Sal. ad Exod.* 16. 29. אלו אלפיים אמה ולא במפורש שאין התחומין אלא מדברי סופרים. Hi sunt bis mille cubiti, sed non definite, nam termini non sunt nisi ex statutis scribarum.

barum. *Maimonides Schabb.* 27. היוצא חוץ מתחום המדינה בשבת לוקה שנ׳ אל יצא איש ממקומו ביום השביעי מקום זה הוא תחום העיר ולא נתנה תורה שיעור לתחום זה אבל חכמים העתיקו שתחום זה הוא חוץ לשנים עשר מיל כנגד מחנה ישראל וכך אמר להן משה רבינו לא תצאו חוץ למחנה ומדברי סופרים שלא יצא אדם חוץ לעיר אלא עד אלפים אמה הוא מגרש העיר; qui *in Sabbatho* ultra terminum urbi præstitutum exibat, vapulabat, juxta id quod habetur in lege, *non egrediatur ullus e loco suo die septimo*; locus hic est terminus urbi præstitutus, seu spatium intra terminum illum protensum. Ejus vero mensura diserte non statuitur a lege; unde tamen per interpretationem sapientes illud fecere duodecim milliaria, quod spatium erat ultra quod e castris Israeliticis non erat egrediendum. Nam & sic jussit Moses magister noster non esse egrediendum e castris. Cæterum ex Scribarum scitis manavit illud, quod non liceret homini urbe exire ultra bis mille cubitos, scilicet spatium illud pro suburbio habetur. *Targum in Ruth.* 1. 16. Dixit Naomi τῇ Ruth, jubemur observare Sabbatha & dies festos בדיל דלא להלכא בר מתרין אלפין אמין ad non eundum ultra bis mille cubitos. *Hierosl. Erubbin fol.* 21. 4. מניין אלפיים אמה, unde statuitur de bis mille cubitis? ex hoc, *ne exeat quis e loco suo die septimo; Exod.* 16. 29. *Jonathan hunc versum ita transfert; Maneto quisque in loco suo*, ne deportato quicquam de potestate sive jurisdictione unius in potestatem alterius nisi ad quatuor passus; non egrediatur quisquam e loco suo ad deambulandum, nisi duo millia passuum in die septimo.

[2] *Ex Exod. &c. Babyl. Erubbin fol.* 51. 1. Hi bis mille cubiti ubinam scribuntur? Hinc traduntur, שבו איש תחתיו, maneat unusquisque apud seipsum *Exod.* 16. 29. hi sunt quatuor cubiti; ne exeat quis e loco suo; hi sunt bis mille cubiti &c. Asai ben Akiba dicit; ex hoc deducuntur, quod dicitur מקום מקום, locus, locus. Dicitur hic locus (*ne exeat quis e loco suo*) & dicitur alibi, *statuam tibi locum* Exod. 21. 13. Sicuti locus, qui dicitur alibi est bis mille cubitorum, ita locus, de quo dicitur hic, est bis mille cubitorum.

[3] *Suburbium &c. Sotah* V. 3. בו ביום דרש ר׳ עקיבא ומדותם לחוץ לעיר את פאת קדמה אלפים באמה ונמר מקרא אחד או מר מקיר העיר וחוצה אלף אמה סביב אי אפשר לומר אלף אמות שכבר נאמר אלפים אמה ואי אפשר לומר אלפים אמה שכבר נא נאמר אלף אמה הא כיצד אלף אמה מגרש ואלפים אמה תחום שבת ר׳ אליעזר בן של ר׳ יוסי הגלילי אומר אלף אמה מגרש ואלפים אמה שדות וכרמים; Eadem die porro differebat R. Akiba; *Et metiemini extra civitatem ad plagam orientalem bis mille cubitos &c.* alio loco vero dicitur. *Sunto a muro civitatis cujusque extrinsecus mille cubiti circumquaque*. Non igitur de mille cubitis accipi potest; nam etiam bis mille cubiti designantur. Quin ne accipi potest, de bis mille cubitis; nam memorantur etiam mille cubiti. Quomodo ista (*concilianda? scilicet*) mille cubiti ad suburbium *spectant*, bis mille vero cubiti ad terminum Sabbathicum. R. Eliefer fil. R. Jose Galilæi, mille cubitos de suburbio, bis mille cubitos de agris, & vineis accipit.

[4] *Locum Jos. &c. R. David ad hunc locum*. Est in hoc Derasch, q. d. futurum est, ut aliquando agatis Sabbathum in urbe Jericho, idcirco non recedetis ab Arca ultra bis mille cubitos ad quamlibet plagam. Quare id? ut licitum vobis sit ire, & orare ante Arcam in Sabbatho. *Vid. in h. l. R. Salom. & Medrasch in lib. Jalkuth. Oecumenius*. Iter Sabbathi, ut ait Clemens lib. Stromatων 5. duorum millium cubitorum erat, idque potissimum quod sanctum Tabernaculum & Arca tanto interstitio castrorum ordinem præcedebant, & a tanto intervallo tentoria figebant, quo spatio licebat his, qui castra metati erant, ad sanctum Tabernaculum accedere. Vulgo creditum erat, quod castrametatio Israelitarum in Eremo esset quadraturæ duodecim milliarium. *Targum Jonathan Num.* 2. Castrorum Israelis longitudo erat duodecim milliarium, & latitudo erat duodecim milliarium. *Kimch. in Jos.* 3. Latitudo aquarum (*dissectarum in Jordane*) erat duodecim milliarium secundum castra Israelis, sicut exponunt Rabbini *nostri*. *Sotah fol.* 34. 1. *Steterunt atque descendentes in loco uno*. Jos. 3. 16. *Et quanta earum altitudo?* duodecim milliarium super duodecim milliaria secundum castra Israelis. *Ubi Glossa*. Castra Israelis erant duodecim milliarium super duodecim milliaria. Atque illi transierunt Jordanem secundum castrametationem ipsorum. Tota latitudo castrorum scil. transiit simul per spatium duodecim milliarium latitudine. *Hierosl. Sotah fol.* 21. 4. Adam & Zarethan distabant 12. milliaribus.

[5] תחמין *&c. Maimonides Erhubbin* VI. מי שיצא מן המדינה בערב שבת והניח מזון ב׳ סעודות רחוק מן המדינה בתוך התחום וקבע שביתתו אף על פי שחזר למדינה ולן בביתו נחשוב אותו כאלו שבת במקום שהניח בו שתי הסעודות וזה הוא הנקרא עירוב תחומין. Qui egreditur ex urbe vespera Sabbathi, & deponit cibum duorum prandiorum, longe ab urbe in medio vel intra terminum, figitque ibi quietem suam, etiamsi revertatur in urbem; & pernoctet in domo sua, id reputatur ac si quievisset in eo loco, ubi cibum duorum istorum prandiorum deposuerat; Illud est quod vocatur mixtio תחומין *terminorum*.

[6] *Pane integro &c. Etiam atriorum commixtio pane integro fiebat. Maimonides ibid. c.* 1. אין מערבין בחצירות אלא בפת שלימה בלבד; non miscent in atriis nisi cum pane integro duntaxat.

CAPUT VIGESIMUM SEXTUM.

DE CONFŒDERATIONE HEBR.

Confœderationum antiquissimum Symbolum fuit per dissecta animalia transire.

§. I. Fœderum pagendorum varia erant apud varias gentes solennia Symbola. Scythas, Germanos pluresve alios [1] sanguinis mutuo gustu vel haustu fœdera & conjurationes iniisse constat. Exempla dabunt Herodotus *l.* 1. *qui Clio p. m.* 49. Salustius *Catilin. c.* 22. Valerius Maximus *l.* 9. *c.* 11. Pomponius Mela *l.* 2. *Geogr. p.* 42. Tacitus *Annal. l.* 12. *c.* 47. Florus *l.* 4. *c.* 1. Athenæus *l.* 2. *Δειπνος. c.* 2. Solinus *c.* 25. Saxo Grammaticus *Histor. Dan. l.* 1. *p.* 11. Conferantur Lipsius *ad l. c. Taciti*, Joh. Freinshemius *ad Florum p.* 328. Georg. Schonbornerus *l.* 4. *Polit. c.* 35. Elias Putschius *ad l. c. Salustii*. Macedones patrio ritu fœdus, quod sanctissimum haberi vellent, sic iniisse, ut panem gladio divisum uterque libaret, refert Cælius Rhodiginus *l.* 28. *Lect. Antiq. c.* 15. ut alia mittamus.

§. II.

§. II. Hebræi autem ab ultimis temporibus soliti sunt dissecare pecus, plerumque juvencam, [2] in duas partes, & per segmenta, quæ διχοτομήματα appellat Theodoretus, transire, in perpetuum fœderis firmamentum, idem velut sibi imprecaturi si primi fœderis initi leges violarent. Luculentissima res est [3] ex *Jer. XXXIV. 18. Dabo homines istos qui transgressi sunt fœdus meum, qui non præstiterunt verba fœderis, quod pepigerunt coram me*, sicut *vitulum, quem dissecuerunt & transierunt inter partes ejus*. Conf. & *v.* 19. Sic *Genes. XV. 9.* 10. 17. 18. Cum Abraham vitulam triennem in duas partes dissecuisset, postea lampas ardens transiisse inter segmenta dicitur. Et additur: *Hoc die pepigit Dominus Abrahamo fœdus &c.* Raschi illic notat: *Mos pangentium fœdus erat dividere pecus & transire per dissectas partes ejus --- Porro lampas ignis transiens inter segmenta erat legatus divinæ majestatis*. Dn. D. Calovius *Disp. 6. Antiq. Grot.* triplicem ait animantium dissectorum finem fuisse *fœderalem, Symbolicum & Sacrificalem*.

§. III. Num mos iste ante Abrahami tempora Chaldæis aliisve usitatus fuerit, quod Grotio placet, an vero hi demum ex κακοζηλίᾳ eum assumserint, perinde nobis est. Fuisse tamen eum antiquissimum apud Chaldæos ritum Cyrillus *l.* 10. *adversus Julianum* testatur. Cæterum apud Romanos [4] cæsa porca fœdera juncta esse, & apud Græcos cæso tauro, apro vel ariete, ex Homero, Pausania, Virgilio & Livio probari solet. Conf. de ritu isto Hebræorum ulterius Cornel. a Lap. *in Genes. XV. & Exod. XXIV. 7. & 1. Cor. XI. 15.* Bonfrerius *in Genesin p.* 197. Gerhardus *in Genes. p.* 335. Joh. Tarnovius *de Fœderibus p.* 6. Heinsius *not. ad Silium Italicum p.* 10. 11. Sixt. Amama *Antib. Bibl. l.* 4. *q.* 740. Kippingius *Antiquit. Rom. l.* 1. *c.* 12. *pag.* 339.

NOTÆ AD CAPUT VIGESIMUM SEXTUM.

[1] *Sanguinis &c. Herodotus lib. 1. de Lydis, & Medis loquens ita scribit*. Ineunt autem hæ gentes fœdera cum cetero ritu Græcorum, tum feriendo brachia, quo illa humeris connectuntur, ac mutuum sanguinem delingendo. *De Scythis ita P. Mela lib.* 11. *c.* 8. Ne fœdera quidem incruenta sunt, fauciant se, quia paciscuntur, exemtumque sanguinem, ubi permiscuere degustant. *Herodotus pariter de Scythis ita testatur lib.* 3. Fœdera cum quibusque ineunt Scythæ, hoc modo ineunt; infuso in grandem calicem fictilem vino, commiscent eorum sanguinem, qui feriunt fœdus, percutientes cultello aliquantulum corporis, deinde in calice tingunt acinacem, sagittas, gladium. Hæc ubi fecerunt, sese multis verbis devovent. *Conf. de iisdem Lucian. Toxar. pag. 636. & 637. Valerius Max. lib. 9. cap.* 11. Sic cruore e dextris constrictis elicito, & ab utraque parte delibato, Ponti reges fœdera, & amicitiam, pacemque contraxerunt. *Tacit. Annal. lib.* 12. Mos est regibus, quoties in societatem coeant, implicare dextras, pollicesque inter se vincire, nodoque perstringere. Mox ubi sanguis in artus extremos se effuderit, levi ictu cruorem eliciunt, atque invicem lambunt, quasi mutuo cruore sacratum. *De Bruti filiis vide Plutarchum in vita Publicolæ, & de Catilina Salustium de bello Catilin. Dionem lib. 37. Florum lib. 4. cap. 5. Minucium pag.* 71.

[2] *In duas partes &c. Bechai in Genes.* 14. 33. והברית הזאת הוה שעוברין בין בתרי הבהמה וכעניין שכתוב העגל אשר כרתו לשנים; hoc fœdus ejusmodi est, ut transeant inter partes animantis; quemadmodum scriptum est; *vitulum, quem conciderunt in duas partes*; *Jerem.* 34. 18. והברית הזאת הוא כעין חרם והוא השבועה שנשבעו כבר וכמו שאמר יהי מבותר כבהמה זו מי שיעבור על השבועה אבל הכוונה בברית הזאת כאשר תהיה אצל השם יתברך כי כשם שאי אפשר שיהיו חוזרים לכמות שהיו כך אי אפשר שתתבטל מתנתו יתברך Et hoc fœdus est tanquam species anathematis & est confirmatio juramenti, quod jam peractum est; perinde ac dicere vellent, dividatur in medium instar hujus animantis qui jusjurandum violaverit. -- Verum sensus hujus fœderis, cum esset erga Deum, erat, quod quemadmodum fieri non poterat ut illæ partes in pristinum statum restituerentur, ita fieri non poterat, ut Dei donum abrogaretur.

[3] *Ex Jer. &c. Abarbanel in hunc locum*. ובעבור שהיה דרך כורתי הברית לבתר עגל אחד ולעבור בין בתריו כמו שהיה במראת בין הבתרים וזה לרמוז שיהיו כורתי הברית שניהם עם היותם נבדלים במקום מותיהם מוקים כנון העגל ההוא בהיותו חי שהיה מתאחד מכל צד & quoniam erat consuetudo eorum, qui fœdus feriebant, ut vitulum dividerent, & inter ejus partes transirent, uti contigit in visione inter partes (*ita denominatur visio Abrahami Genes.* 14. 33.) & hoc significabat, ut ambo fœderati, quando in suis locis sejuncti essent, deberent esse conjuncti, quomodo ille vitulus, dum vivus erat, quacunque parte conjunctus erat.

[4] *Cæsa porca &c. Livius Decad.* 1. *lib.* 9. Audi Juppiter, audi pater patrate populi Albani, audi tu populus Albanus, ut illa palam prima postrema ex illis tabulis cerave recitata sunt sine dolo malo, utique ea hic hodie rectissime intellecta sunt: illis legibus populus Romanus prior non deficiet; si prior defexit publico consilio, dolo malo, tum me Diespiter populum Romanum sic ferito, ut ego hunc porcum hodie feriam, tantoque magis ferito, quanto magis potes, pollesque. *Id ubi dixit, porcum saxo silice percussit. Virgilius Æneid.* VIII. v. 641. Stabant, & cæsa jungebant fœdera porca.

CAPUT VIGESIMUM SEPTIMUM.

DE REPRÆPUTIATIONE.

Reductionem præputii summopere detestati sunt Hebræi.

§. I. EX odio in Judæos & κακοζηλίᾳ aliarum gentium deserentes Judaismum præputium post circumcisionem sibi rursus [1] attrahere solebant. Id de Menelao & Tobiæ filiis testatur Josephus *Antiqu. l. 1. c. 6.* Eosdem παρανόμους vocat Historia Maccabæorum, quia inter alia ἐποίησαν ἑαυτοῖς ἀκροβυστίας, *fecerunt sibi præputia 1. Macc. I. 15.* Sic in primitiva Ecclesia nonnullos fastidio rituum Judaicorum præputia reduxisse ex 1. *Cor. VII.* 18. colligitur. Nam prohibet id Apostolus. *Circumcisus* ait, *quis vocatus est* μὴ ἐπισπάσθω, *ne attrahat* sc. præputium, ut משך quandoque specialiter est *præputium retrahere*, & משוך quasi ἐπισπαστικὸς, qui reducto præputio est, *repræputiatus*. Sic supplet Syrus לא נהפוך לה עורלותא

§. II. Fieri autem id [2] poterat vel instrumento quodam Chirurgico ferreo, quod σπαθιστῆρα vocat Epiphanius *l. de mens. & pond.* vel certis medicamentis, de quibus conf. Dioscorides *l. 4. c. 157.* & Aur. Corn. Celsus *l. 7. de re Medica. c. 25.*

§. III. Id vero detestabantur Judæi, ut, ne longius hinc abeamus; Maimonides in הלכות תשובה inter eos, quibus pars [3] non est in futuro seculo, etiam referat המשוך ערלתו eum, qui reducit præputium suum. *Sic & in* הלכות מילה *c. 3. §. 3.* Et ne id facile fieri posset (quamvis alii נולדי מהולים *circumcisos* [4] *natos*, de quibus Dn. D. Schertzerus *Trif. Orient. p. 105.* & nescio quos præterea in causa esse velint) addiderunt circumcisioni ritum [5] פריעה i. e. penitus unguibus denudandi glandem (conf. Buxtorfius *Syn. Jud. c. 4.*) [6] quem tanti faciunt; ut scribant) מל ולא פרע את המילה כאלו לא מל *Qui circumcidit & non denudat, perinde est ac si non circumcidisset*. Volunt etiam præceptum eundem esse, cum juberetur Josua *c. V.* 2. circumcidere filios Israel *secundo* i. e. juxta ipsos, facere in illis פריעה, cum tamen de iis modo capiendum illud mandatum sit, qui in deserto nati & circumcisi nondum erant. Sed non licet nobis jam esse prolixis. Conf. de præsenti argumento Andr. Masius *Josuam c. V. p.* 82. Tremellius *ad Syr. 1. Cor. VII.* 18. Petrus Cunæus *de Rep. Hebr. l. 3. c. 5.* Buxtorfius *Lex. Talm. c. 1274.* Beza *ad 1. Cor. VII.* Corn. a Lapide *ad l. c.* Hackspanius *Not. Bibl. ad Jos. V. p. 622.* Dn. D. Schmidt *Tr. de Circumcisione p.* 374. 378. Cl. Dn. Joh. Frischmuth *Exerc. de Circumcis. Zipporæ c. 2. §. 9.*

NOTÆ AD CAPUT VIGESIMUM SEPTIMUM.

[1] *Attrahere &c. Legitur in Jalkut Prophetarum fol. 63. 1. ex Jelammedenu ad Jerem. 9. 25.* ופמדתי על כל מול בערלה, *& visitabo super omnem, qui circumcisum habet præputium*; מהו מול שהיו מולים ומשכו להם ערלה; quid est מול? Indicat quod fuerint circumcisi, & attraxerint sibi præputium. *In Jelammedenu iterum in fine sectionis* לך לך *legitur*; יהויקים משך לו ערלה Jehojakim retraxit sibi præputium, sicut dicitur 2. Paral. 36. 8. *Reliqua autem verborum Joakim, & abominationes ejus quas operatus est, & quæ inventa sunt in eo.* Quid invenitur de eo? שמשך לו ערלה quod reduxerit sibi præputium. *Gemara Hierosol. Jevamm. cap.* 8. הרבה משוכים היו בימי בן כוזיבא וכולן מלו והיו והולידו בנים ובנות; Multi cum attracto præputio fuerunt in diebus Becosibæ, qui omnes fuerunt denuo circumcisi, & genuerunt postea filios, & filias.

[2] *Poterat &c. R. Salomon ad Sanhedr. fol.* 44. 1. משך ארת עור אמתו תמיד עד שנישת רבברה וכיסתה ארת ראש הגיד כדי שלא יראה מהול; Attraxit pelliculum membri sui jugiter, donec augeretur, obtegeretque caput membri istius, ut non appareret *Achan* circumcisus esse. *Theophylactus in epist. ad Corinth. cap. 7. ad illud*; ne adducat præputium; Fieri poterat (*inquit*) ut multi, quos defectæ pelliculæ puduisset, medicamento apposito, & hanc niterentur iterato sancire, & obscænum illud concisum in pristinum statum redigere. *Henricus Stephanus in voce σπάω ubi S. Pauli locum adducit, μὴ ἐπισπάσθω ἀκροβυστίαν, ne accersat sibi præputium*; ne attrahendum sibi curet Chirurgi manu, cute nimirum ferro adducta, ut glandem rursum operiat.

[3] *Non est &c. In Jelammedenu fol. 8. col.* 4. Apostatis, qui defecerunt ad Idololatriam, & qui sunt circumcisi, הק"בה מושך להן ערלה Deus reducit ipsis præputium, & deturbat eos in gehennam.

[4] *Natos &c. Hierosol.* Jevamoth *cap. 8. circumcidendo circumcidetur Genes.* 17. 13. מכאן לנולד כשהוא מהול שצריך להטיף ממנו דם ברית; Hinc probatur, quod qui natus est circumcisus, necesse est ab ipso extrahere sanguinem fœderis, מפני כבושה היא quia præputium subactum est. *Vide Maimon. Meila 1. 7. Schulchan Aruch part. 2. sect. 263. subsect. 4. De Mose nato circumciso vide Vaiikra rabba sect. 4. De Davide R. Sal. Psal.* 16. 1.

[5] פריעה *&c. Maimonides ibid.* 11. 2. Quomodo circumcidunt? Amputant totam pelliculam, quæ contegit glandem, donec appareat tota glans. Postea denudant totam membranam tenuem, quæ est sub pellicula ungue, & removent eam utrinque, donec appareat tota glans. *Schulchan Aruch sect.* 264. *subsect.* 3. Quomodo circumcidunt? Abscindunt præputium quoad totam cuticulam, quæ tegit glandulam, ita ut detegatur glandula, deinde discerpunt membranam tenuem, quæ est sub cuticula, ungue, & in utrumque latus removent, donec appareat nuda glandula.

[6] מל *&c. R. Alphes de Sabbatho cap.* 19. מל ולא פרע את המילה כאלו לא מל; qui circumcidit;

dit, & non denudat circumcisionem, perinde est ac si non circumcideret. *Maimonides ibid.* 11. 4. Qui circumcidit, & non denudavit, idem est ac si non circumcidisset. *Schulchan Aruch Sect.* 264. *subsect.* 4. Si quis circumcidit, & non discerpit *membranam*, idem est ac si non circumcidisset.

CAPUT VIGESIMUM OCTAUUM.

DE UNCTIONE HEBR.

Apud Hebræos non modo Pontifices sed etiam inaugurandi Reges solenniter ungebantur.

§. I. GRegarii [1] sacerdotes olim apud Hebræos ordinarie non ungebantur: sed sufficiebat ipsis esse de sacerdotum unctorum familia, & censebantur unctione Aaronis & filiorum ejus tum præsentium sacerdotio initiati. Dum ergo quidam, quos citat Lorinus *ad Levit. c.* 4. nescio quid discriminis faciunt inter sacerdotem unctum & non unctum, ostendunt se non satis intelligere locum *Levit. IV.* 3. ubi mentio quidem fit sacerdotis uncti, sed intelligitur Pontifex, ut ibidem vertunt LXX. & Chaldæus. Hic enim ordinarie oleo sacro ungebatur, quoties novus sacro muneri admoveretur successor. Conf. *Ex. XXIX.* 29. *c. XXX.* 30. *s. Levit.* VIII. 2. *c.* XXI. 10. Huic addunt משוח מלחמה [2] *unctum castrensem*, qui auspiciorum bellicorum causa ungeretur.

§. II. At vero Reges perinde ac Pontifices oleo sacro inunctos fuisse ([4] utrum illi super caput, forma coronæ seu literæ O, hi inter supercilia instar Græci X. quod Hebræi tradunt, jam non disquiremus) satis manifestum est e locis & exemplis sequentibus 1. *Sam.* IX. 16. *c.* X. 1. 2. *Sam.* 1. 13. 21. *c.* XIX. 10. 1. *Reg. l.* 39. *c.* XIX. 16. 2. *Reg.* IX. 3. 6. *c.* XI. 12. *c.* XXIII. 30. *Ps.* XLV. 8. *Ps.* LXXXIX. 21. quod idcirco nequicquam negant Simon Episcopius *l.* 3. *Instit. Theol. sect.* 2. *c.* 2. *theor.* 16. & Becanus *de Potestate Regis & Pontificis adversus Lancellottum p.* 36. *s.* quorum argumentis cum erudite satisfecerit Cl. Kippingius, nos actum modo non agemus. Id vero notamus, existimare Rabbinos [5] unicam unctionem toti prosapiæ, cum regnum hæreditarium esset, suffecisse, nec opus fuisse ut in successore repeteretur, [6] nisi aliquando legitimus successor ob machinationes æmulorum periclitaretur: contra [7] Pontificem quemcunque ungendum fuisse. Cæterum in capite causæ nobiscum consentiunt & præsentem materiam vel diductius tractant vel illustrant Tostatus *ad* 1. *Sam. X. quæst.* 1. 2. Pineda *l.* 2. *de rebus Salomonis c.* 6. Barradius *Tom.* 2. *concord. Evangel. l.* 3. *c.* 41. Salianus *Tom.* 3. *annal. V. T. p.* 104. *s.* Sanctius *ad* 1. *Sam.* X. Buxtorfius *Lex. Talmud. col.* 1267. Sigonius *l.* 7. *de Rep. Hebr. c.* 3. Cunæus *l.* 1. *de Rep. Hebr. c.* 14. Wilh Schickardus *de J. R. Hebr. p.* 22. *s.* Seldenus *de Success. in Pont. l.* 2. *c.* 9. Salmuthus *ad Pancirollum l.* 1. *p.* 558. Henr. Kippingius *l.* 1. *Ant. Rom. c.* 13.

NOTÆ AD CAPUT VIGESIMUM OCTAVUM.

[1] *Sacerdotes &c. Abarbanel ad Exod.* 30. 23. שהכהנים ההיוטים נמשחו לפי שעה במדבר בניהם לא היו נמשחים אחריהם כי כבר נתקדשו מאותה משיחה ראשונה שנמשחו לפי שלא נעשה בהם יחור והבדלה מבין שאר אחיהם ולא נתחדשה בהם מעלה יותר ממה שנולדו בה Vulgares Sacerdotes inuncti sunt semel in deserto ad conferendum ipsis sanctitatem. Verum illorum filii minime inuncti sunt post eos: Vi enim primæ illius unctionis, qua semel delibuti fuerant patres, sanctificati sunt. Quippe inter ceteros fratres nihil habebant peculiare, nec quicquam novæ dignitatis ad eam in qua nati erant, accedebat.

[2] משוח מלחמה *&c. Pesikta Sutarta fol.* 78. *col.* 1. משוח מלחמה בשעה שהוא מדבר אל העם אינו מדבר אלא בלשון הקדש שנ׳ והיה בקרבכם אל המלחמה ונגש הכהן ודבר אל העם; Unctus bello cum milites alloquitur, verbis tantum Hebraicis uti debet; Nam Deut. 20. 2. *Appropinquante autem jam prælio stabit Sacerdos ante aciem, & sic loquetur ad populum. Maimonides Melachim* VII. ממנין כהן לדבר אל העם בשעת המלחמה ומושחין אותו בשמן המשחה וזהו הנקרא משוח מלחמה. Ordinant sacerdotem, qui loquatur ad populum tempore belli, eumque ungunt oleo sacro, & is est, quem vulgo appellant משוח מלחמה *unctum belli*.

[3] *Reges &c. Maimonides de vasis Sanctuarii* 1. 7. אין מושחין ממנו לדורות אלא כהנים גדלים ומשוח מלחמה ומלכי בית דוד בלבד. Non ungunt ex eo in generationibus, nisi solum Sacerdotes magnos, & unctum bello, & Reges de domo David. *Abarbanel ibidem.* לפי ששני המנהיגים האלה ראוי שיתנהגו וינהיגו את העם כפי התורה והמצוה כמו שאמר כי שפתי כהן ישמרו דעת ותורה יבקשו מפיהו ובמלך נאמר ולבלתי סור מן המצוה ימין ושמאל; Quia utrosque istos rectores regi oportet, ac regendum populum ad normam legis, & præceptorum, quemadmodum dicitur de Sacerdote quidem, *Mal.* 2. 7. *Labia enim Sacerdotis custodient scientiam, & legem requirent ex ore ejus.* De Rege vero Deuter. 17. 20. *Neque declinet in partem dextram, vel sinistram. Hanc assignat causam Abarbanel, quare Pontifices, & Reges ungendi essent.*

[4] *Utrum &c. Horajoth fol.* 12. *col.* 1. תנו רבנן כיצד

כיצד מושחי' את המלכים כמין נזר ואת הכהנים כמין כי מאי כמין כי אמר רב מנשיא בר גדא כמין כף יוני. Quomodo unxerunt Reges? in forma coronæ; Sacerdotes in forma Chi. Quid significat in forma Chi? Resp. R. Menasse filius Gade in forma Kaph Græci. *Ubi Glossa ad verba* כמין כף יוני inquit שמתחיל למשוח באצבעו בין ריסי עיניו ומושך אצבעו על הראש להולך עד שהגיע לעורף בכף יוני; Incepit ungere digito suo inter palpebras oculorum ejus, ac protraxit digitum suum super caput, continuitque usque pervenit ad cervicem in forma Kaph Græci. *Kerituth.* 5. 2. בשהוא מושחו מציקין לו על ראשו ואחר כך נותנין לו שמן בין ריסי עיניו ואחר כך מציקין לו שמן על ראשו; Quum ungit eum, affundunt ei super caput. Deinde oleum inter oculorum palpebras ponunt, ac denique oleum affundunt capiti ejus. *Abarbanel ibid.* כשמלך היו מושחין אותו בין ריסי עיניו כמין נזר לרמוז שיחרו הקב"ה מקרב ישראל להת נזר המלכות ועטרת המעלה על ראשו. Rex ungebatur inter oculorum palpebras in forma coronæ, ut innueretur Deum S. Benedictum eum elegisse e medio Israelitarum, cujus capiti diadema regium & coronam celsitudinis imponeret. *Et mox.* שצורת המשיחה בכהן גדול אינ' כצורתה במליכים עם היות היציקה שוה בשניהם אמרו בגמרא תנו רבנן כיצד מושחין את המלכים כמין נזר ואת הכהנים כמין כ"ף. Forma unctionis Sacerdotis magni non erat eadem atque Regum, etsi affusio utriusque esset communis. Dixerunt in Gemara; tradunt magistri nostri; quomodo ungunt Reges? in modum coronæ. Sacerdotes vero in modum Caph. *Vide Maimonidem l. c.*

5 *Unicam &c. Maimonides ibidem.* אין מושחין מלך בן מלך שהמלכות ירושה וגו'; Non ungunt Regem, qui est filius Regis, quia regnum est hæreditarium. *Abarbanel ibid.* הסבה בזה מבוארת היא שהמלכו' להיותו כפי הדין ירושה לבן הבכור אם היה ראוי אליו ולא אלא יהיה בו מונע עצמי לכן כשימלוך תחת אביו מבלי קטט' ומחלוקת לא היה צריך למשיחה חדשה כי היה נסמך על משיחת אביו כשמלך מחדש בהיותו יורש מלכות כפי הדין הישר. Causa hujus rei manifesta est, quod regnum debetur jure hæreditario filio natu majori, si ad illud idoneus sit, nec sit in eo impedimentum essentiale, idcirco quando paternum regnum obtinebat filius sine dissensione, & contentione; haud opus habebat nova inunctione; siquidem patris sui unctione nitebatur, dum regnum de novo adibat, cujus possessione accipiebat recto atque æquo jure. *Bechai Parasch. Scoph. fol.* 500. 3. בזמן ששלום על ישראל אינו צריך משיחה; tempore quo pax est in Israel, non eget unctione.

6 *Nisi &c. Abarbanel ibid.* אמנם בהיות במלכו' קטטה יצטרך המולך בו למשיחה לאו' לבני מרי שהוא הנבחר למלכות; Verum si de regno oriretur dissensio, & contentio; opus habebat, qui inibat illud, unctione, quæ commonefaceret rebelles, illum esse electum ad regnum.

7 *Pontificem &c. Abarbanel ibid.* אמנם הכהן גדול שלא יירש הכהונה גדולה מאביו כי אינה ירושה לבניו לרשת אותה הבן הבכור כמלכו' אבל הוא ממונה מיד אחיו הכהנים להיות כ"ג בעבור היותו יותר הגון לאותה מעלה מצד עצמו כמו שאמר והכהן הגדול מאחיו ואת ז"ל גדול בנאוי גדול בעושר גדול בכח היה ראוי שיהיה נמשח כדי שמתוך אותה המשיחה יודע שהוא הממונה לכ"ג מבין כל שאר אחיו; Verum quandoquidem summum Sacerdotium non adipiscebatur summus Sacerdos jure hæreditatis paternæ, quæ natu grandiori filio deberetur, ut regnum; sed præficiebatur a fratribus suis Sacerdotibus, qui esset summus Sacerdos, quod ad eam dignitatem aptior per se, magisque idoneus esset; quo sensu dicitur Levit. 21. 10. *Sacerdos maximus inter fratres suos*; sicque ajunt Sapientes nostri, maximus pulchritudine, maximus opibus, maximus robore. Ea causa est, quamobrem par esset illum inungi, ut per ejusmodi unctionem palam fieret illum e reliquis fratribus in summum Sacerdotem fuisse constitutum. *Vide Maimonidem l. c.*

CAPUT VIGESIMUM NONUM.

DE ACCUBITU HEBR.

Hebræi olim cibum capientes in toris vel lectulis accumbere solebant.

§. I. EX Berachot *c.* 6. §. 7. manifeste liquet Hebræis aliquando [1] utrumque corporis positum & ישיבה *sessionem* הסובה *accubitum* inter comedendum in usu fuisse. Sed cum *sessio* non indigeat explicatione nostra, de *accubitu* pro ratione instituti nostri pauca in medium proferemus. Mos iste orientalibus plerisque satis usitatus ita brevissime describitur: Cubabant ad mensas vel [2] singulas & peculiares, vel communes, easque [3] vel rotundas vel hemicyclas [4] in pulvillis, torulis vel lectulis (olim fere [5] gramine, fœno, pellibus, vel ut res ferret) [6] in sinistrum latus, parteque superiore corporis in cubitum sinistrum reclinata, ut dextra cibum caperent; capitibus versus epulas [7] & pedibus extrorsum porrectis, arrecto leviter capite & dorso a substratis pulvillis modice elevato, positu ad quietem commodissimo. Proinde hic accumbentium situs non confundendus est (ut factum a Joh. Corasio *l.* 6. *Misc. c.* 10. *n.* 5. & Flav. Blondo Foroliviensi *in Rom. triumph. l.* 2. *f.* 34.) cum isto positu Turcarum & Persarum, quo ἐναλλὰξ seu decussatim implicitis tibiis in pavimento sedent, ut in Gallia sartores, de quo conf. Cl. Gentius *ad Ros. Musl. p.* 582. A. G. Busbequius *Ep.* 3. *p.* 212. Fabritius *Spec. Arab. p.* 55. Cæterum de accubitu Hebræorum plura tradunt Flacius *P.* I. *Cl. Scripturæ p.* 1174. Villalpandus *ad Ezech. c.* 23. 41. Schindlerus *Lex Pentagl. p.* 1112. Baronius *ad A. C.* 34. *n.* 36. 40. Casaubonus *ad Baron. Exerc.* 16. *n.* 22. Menochius *l.* 3. *de Rep. Hebr. cap.* 3. *q.* 3. Buxtorfius *P. Lex. Talm.* 203. 1333. 1415. Buxtorfius *F. diss.* 6. *a* §. 32. *ad* 40. D. Gerhardus *Harm. Ev. c.* 169. *p.* 1273. D. Geierus *de Luct. Hebr. p.* 343. Joh. C. Dieterichius *l.* 2. *Ant. Bibl. p.* 64. *ad* 75. Lightfootus *Hor. Hebr. in Matt. p.* 290. Er. Schmidius *ad Matt.* 26. *v.* 20. *& alibi.* De Romanis autem, quibus non minus ritus iste solennis, conf. I. Lipsius *l.* 3. *Ant. Lect. c.* 1. W. Stuckius *l.* 2. *Ant. Conviv. cap.* 34. Joh. Rosinus *Antiq. l.* 5. *c.* 28. *p.* 391. & Dempsterus *in Paralip. ad eundem pag.* 393. *f.* Henr. Kippingius *l.* 4. *Ant. c.* 3. *&* plures alii.

§. II. Hinc lux clara quamplurimis SSacræ locis [8] ut *Amos II. 8. c. VI.* 4. [9] *Ezech.* XXIII. 41. *Prov.* VII. 14. 16. *Est.* I. 6. *cap.* VII. 7. 1. *Samuel.* XXVIII. 23. *Judith.* XII. 15. *Matth.* XIV. 19. *cap.* XV. 35. *cap.* XXVI. 20. *Luc.* VII. 36. *&c.* cumprimis *Johan.* XIII. 23. ubi cum Petrus ab occipite Servatoris, ut videtur, recumbens, commode cum ipso loqui nequiret vel de proditore sciscitari, super caput Christi Johannem prospiciens nutu eum dicitur monuisse ut rogaret. Is enim loco a Christo secundo accumbens & capite ad sinum ejus pertingens facile sese ad pectus admovere & sic obversa ad eum facie sciscitari potuit. Conf. Casaub. *Exerc.* XVI. *n.* 26. Schmidius *ad eum locum* & Lightfootus *l. c.*

§. III. Sed utrum mos accumbendi an assidendi antiquior fuerit apud Hebræos, digladiantur inter se viri non vulgares. Petrus Ciacconus *de modo conv. Rom.* existimat Judæos hunc morem a Romanis, cum sub eorum jugo tenerentur, accepisse; a qua sententia & Philo non alienus videtur. Sed distingui posset inter ipsum accubitum & ejus circumstantias atque apparatum. Hic nonnihil Judæos a Romanis accepisse non negamus, ast quo minus ipse accubitus a Romanis ad Judæos translatus sit, obstant loca e V. T. citata. Veruntamen sessum accubitu antiquiorem penes Hebræos vel saltem utrumque æque antiquum fuisse concludunt nonnulli ex [10] *Gen.* XXVII. 19. *&c.* XXXVII. 25. *Jud.* XIX. 6. 1. [11] *Sam.* XX. 18. 25. 34. 1. [12] *Reg.* XIII. 20. Conf. Drusius *ad loc. Gen. c.* 27. *& ad Ex. c.* 20. Sed qui id negant, respondent ישב illic sumi pro הסב *accumbere*, quemadmodum Paraphrastæ Chaldæi in illis locis transtulerunt אסחר. Certe istum jacendi decumbendique morem inter epulandum vetustissimum apud Hebræos fuisse ac ferme cum ipsis hominibus cæpisse, erudite probare satagit Casaubonus *l. c. p.* 350.

§. IV. Nec modo inter epulandum, sed & alias, cum v. g. discerent, discubuisse Hebræos notum est. Quem quidem morem recentiorem putat Sam. Petitus, ut supra vidimus, sed, ut hoc jam addamus, non desunt qui eum ad ipsius Mosis tempora referant ex *Deut.* XXXIII. 3. ad quem locum conf. Junius, & Corn. a Lapide.

NOTÆ AD CAPUT VIGESIMUM NONUM.

[1] *Utrumque &c. Tosephot Berachoth* 42. 1. ישיבה שלנו הוי קביעות לנו כהסבה דידהו; Sessio nobis est hodie consueta, ut accubitus olim illis. *Maimonides Berachoth VII. hæc duo conjungit* נכנסים ויושבין מסובין מיסב בראש; ingrediuntur, & consident; & major sedet in primo loco. *Illud* 1. *Sam.* 16. 11. לא נסב non accumbemus *R. David explicat* לאכול ad comedendum, & R. Salomon scribit כל מושב סעודה קרויה היסבה; omnis sessio in convivio vocatur היסבה

[2] *Vel singulas &c. Tosephot Berachoth fol.* 42. 1. היו להן שלחנות קטנים וכל אחד לפני עצמו אוכל על שלחנו; Habebant parvas mensulas, & unusquisque seorsim comedebat super mensa sua peculiari. *Et ibidem inferius*. שהם היו רגילים כל אחד להסב על מטתו ועל שלחנו אבל עכשיו כלנו אוכלים על שלחן אחד. Quia ipsi *prisci* solebant singuli accumbere in lecto suo, & ad mensam suam; nunc vero comedunt ad mensam unam. *Rabbenu in Alphesi majori in Berach. fol.* 33. 1. בימיהם שהיו השלחן ומפות לפני כל אחד ואחד היה צריך שיסבו וכו'; In diebus illorum *priscorum* quando mensa & mappa erat coram unoquoque, necessarium erat, ut discumberent, ut conjungerentur.

[3] *Rotundas &c. fuisse circulares probabile est, quod* סבב circuire, ambire, circulariter moveri significat; *Hinc derivatur* הסב accumbere, discumbere, הסבה accubitus, מסבים accumbentes, discumbentes. *Hinc* 1. *Sam.* 16. 2. לא נסב non circumsidemus. *Et Psalm.* 127. filii tui sicut novellæ olivarum סביב in circuitu mensæ tuæ. *Rotundæ fuerunt etiam apud Romanos. Varro lib.* 4. *de ling. lat.* Mensam escariam cibillam appellabant, ea erat quadrata, ut etiam nunc in castris, a cibo cibilla dicta est, postea rotunda fuit. *Et mox*. Mensa vivaria rotunda nominabatur cilibantum, ut etiamnum in castris, id videtur declinatum a Græco ἀπὸ τοῦ κύλικος.

[4] *In pulvillis &c. Virgil. lib.* 1. *Æneid.* Jam pater Æneas, & jam Trojana juventus - Conveniunt stratoque super discumbitur ostro. *Liv.* 3. *Decad. lib.* 8. Cænatumque simul apud regem est, eodem etiam lecto Scipio atque Hasdrubal, quia ita regi cordi, accubuerunt. *Plautus Amphytru. Act.* 2. *sc.* 2. *Alc.* Cœna apposita est, cœnavisti mecum, ego accubui simul. *Amph.* In eodem lecto? *Alc.* in eodem. *Sos.* hei non placet convivium.

[5] *Gramine &c. Tibul. lib.* 2. *Eleg.* 6. At sibi quisque dapes, & festas exstruet alte--Cespitibus mensas, cespitibusque thoros. *Juven. sat.* 6. Sylvestrem montana thorum cum sterneret uxor-Frondibus & culmo, vicinarumque ferarum-Pellibus.

[6] *In sinistram &c. R. Gemara Pesachim fol.* 108. 1. פרקדן לא שמיה הסיבה היסבת ימין לא שמיה הסיבה supine jacere non vocatur accubitus, atque recumbere in latus dextrum non vocatur accubitus. *Glossa ad Codic. Berachoth* 6. 6. Jam vero accubitus iste erat, cum inclinarent se in latus sinistrum in lectulis, atque ederunt, & biberunt sic inclinati. *Maimonides in Chametzumazza VII.* 8. והסיבת ימין אין לו הסיבה וכן המיסב על ערפו או על בניו אין זו הסיבה. Neque accubitus in dextrum *latus* habebatur pro accubitu; neque si quis accumberet, reclinans se in cervicem, vel in faciem, erat accubitus. *Kimchi Radic. fol.* 320. שהיתה דרכם לישב על המאכל והמשתה סביב סביב ובעת האכלתם ושתיתם היו נסמכים ותדע כי לא קראו לשום סמיכה בעלום למיכה הסיבה בעת האכילה והשתיה שדרכם לשבת סביב; quia consuetudo illorum erat collocare se ad cibum & potum circa *mensam* & tempore quo comedebant, & bibebant in latus sinistrum inclinabant se; honoris ergo vocabant etiam inclinationem accubitum; scias autem nullam unquam inclinationem dictam fuisse accubitum, nisi *factum* eo tempore, quo edebant & bibebant, quia solebant collocare se circa *mensam*.

[7] *Et pedibus &c. Jarchius in Berachoth fol.* 46. 2. בזמן שהן שתי מטות ונליך הין לאכל בהסיבה על צדו השמאלית מוטה ורגליו לארץ; Eo tempore quando erant duo lecti, solebant edere accumbendo, inclinantes se in latus sinistrum, ut quis jaceret, & pedes protenderet in terram. *Glossa ibidem*. Edere soliti sunt recumbentes in latus sinistrum, pedibus in terra positis, unusquisque super lectulum unum. Accumbendi hujusmodi ordo erat. *Gemara Berachoth fol.* 46. 2. אמר ליה ריש גלותא לרב ששת אף על גב דרבנן קשישי אתון פרסאי בצרכי יסעודה בקיאי טפייכו בזמן שהן שתי מטות גדול מסב בראש ושני

לו למעלה הימנו בזמן שהן שלש מטות גדול מסב באמצע שני לו למעלה הימנו שלישי לו למטה הימנו Dixit Æchmalotarcha quidam ad R. Schescheth; etiamsi veterani Rabbini vos sitis; Persæ tamen in iis quæ ad mensam, & convictum pertinent, vobis longe sunt peritiores. Quando duo sunt lecti, maximus accumbit in capite, & secundus supra ipsum. Quando tres lecti sunt, maximus accumbit in medio, secundus supra ipsum, tertius infra ipsum. *Sequitur*. אמר ליה וכי בעי אשתעויי בהדי מתריץ תרוצי ויתיב ומשתעי בהדיה אמר ליה שאני פרסאי דמחוי ליה במחוג Respondit *R. Schescheth* ipsi; Itaque si velit colloqui oportet ut se erigat, & assurgat, erectusque sedeat, ut cum ipso colloquatur. Respondit ei *sc. Æchmalotarcha*; Aliam consuetudinem habent Persæ; Nutibus & signis ei annuunt, & mentem suam exprimunt. *Paucis interjectis*. אנא מתניתא ידענא דתניא כיצד סדר היסבה בזמן שהן שתי מטות גדול מסב בראש שני לו למטה הימנו בזמן שהן שלש מטות גדול מסב בראש שני לו למעלה הימנו שלישי לו למטה הימנו. Traditionem novi in qua traditur; Qualisnam est ratio accumbendi? Quando duo sunt lecti, maximus accumbit in primo, & secundus infra ipsum (*R. Salomon hoc loco*; ne si primus aliquid velit loqui cum secundo, assurgere, & erigere se cogatur.) Quando tres sunt lecti, maximus recumbit in primo, secundus supra ipsum, tertius infra ipsum (*ubi R. Salomon*; si velit, potest loqui cum tertio, & si velit loqui cum secundo, satius est ut erigat, quam ut deprimat secundum, coram eo qui minor est ipso, ut ille sit infra, & is qui minor est supra.) *Tosaphta Berachot* 5. 4. Quinam est ordo accumbendi? Quando sunt duo lecti; qui maximus accumbet in eo, qui est primus; & secundus post eum in secundo, qui est infra eum. Quando sunt tres lecti, maximus accumbet in summitate illius, qui est in medio, secundus supra eum, & tertius infra eum; reliqui hunc ordinem sequentur. *Vide Maimonidem Berachot cap.* VII. *Hic mos etiam apud Romanos obtinuit. Servius ad Æneid. lib.* 1. *Mediamque locavit*; ipse enim apud majores Domini fuerat locus; ut aperte Salustius docet; Igitur discubuere Sertorius inferior in medio, super eum T. Fabius Hispaniensis Senator ex proscriptis, in summo Antonius; & infra Scriba Sertorii Versius, & alter Scriba Mecænas in imo; medius inter Tarquinium & Denatium Perpenna. *Ex his patebit, quomodo Joan.* 13. 23. *in sinum Christi dicatur recubuisse*.

[8] *Ut Amos &c. R. Sal. ad vocem* יטו *Amos* 2. 8. כל מסיבת סעודה בהטיה היא שהוא נסמך על שמאלו omnis accubitus ad epulas fit cum inclinatione.

[9] *Ezech. &c. R. David ad illud Ezech.* 33. 41. וישבת על מטה כבודה, *& sedisti super lectum honorabilem, & mensa instructa est ante ipsum; scribit*: Moris enim erat apud ipsos להסב במטות accumbere in lectis, ut ex verbis Rabbinorum nostrorum discimus.

[10] *Genes.* 27. *&c. Targum in hunc locum* אסתחר ואכל מצידי; *Accumbe & comede de venatione mea; & ibid.* 37. 25. ואסחרו למיכל לחמא; *& accubuerunt ad sumendum prandium*.

[11] *Sam. &c. Targum ad* 1. *Sam.* 20. 5. אסחרא אסחר עם מלכא למיכל, *accumbendo accumbam cum rege ad prandendum*. Et 20. 24. ואסחר מלכא על לחמא למיכל; *& accubuit rex ad prandium ad comedendum*.

[12] *Reg. &c. Targum ad* 1. *Reg.* 13. 20. עד דאנון מסחרין על פתורא; *Dum illi adhuc circum accumberent ad mensam*. Et *Jerem.* 16. 8. לאסחרא עמהון למיכל ולמשתי *ad discumbendum cum illis ad comedendum & bibendum*.

CAPUT TRIGESIMUM.

DE TECTIS ÆDIUM HEBR.

Tecta Ædium in Palæstina non fastigiata in cacumen sed plana & peribolis cincta erant.

§. I. ERat mos architecturæ in Palæstina ut tecta plana, non vero more nostratium ad instar prismatis formarentur, quæ peribolo loricato Dei jussu cingenda erant, ne quis incautus delaberetur *Deut.* XXII. 8. de quo loco fuse egit Dieterichius *Antiq. l.* 2. *p.* 40. *s.*

§. II. Erant tamen ob planitiem ita comparata tecta (quæ Græcis δώματα) ut in iis ambulare, apriari, deversari, epulari, dormire, aliaque id genus facere liceret. Commeabant homines in tecto spectandi aut colloquendi causa *Jud.* XVI. 27. 1. [1] *Sam.* X. 25. 6. Apricabantur illic & captabant auram recreationis causa, vestibus etiam, ut in calidis regionibus illis fieri quandoque necesse erat depositis, ceu patet ex *Matt.* XXIV. 17. *Marc.* XIII. 15. *Luc.* XVII. 51. idque tam diurno quam nocturno tempore 2. *Sam.* XI. 2. Unde & tabernacula ibidem struebant *Neh. VIII.* 17. Poterant illic abscondi & tuto latere *Jos. II.* 6. 8. *Jud. IX.* 51. Sic & velut in secessu orabant ibi *Act. X.* 9. Quod si qua tamen in propatulo fieri omniumque conspectui exponi vellent, erant & huic fini satis accommoda tecta. Sic palam coiturus Absalon conscendebat tectum 2. [2] *Sam.* XVI. 22. [3] Et lugentes tristem casum suum publicaturi tecta petebant *Is.* XV. 3. 4 *c.* XXII. 1. Quin volunt nonnulli e tectis orationes quandoque & conciones ad populum habitas ex *Matt.* X. 27. *Luc.* XII. 3. quanquam Lightfootus alludi illa ad istum morem velit, quo minister synagogæ vespera sabbati in celsissimæ domus tecto sexies tuba canebat, quo omnibus innotesceret Sabbatum, ut traditur in *Schabbat. fol.* 35. 2. Idololatræ etiam tecta publico Deastrorum suorum cultui aptissima putabant. 2. [5] *Reg.* XXIII. 12. [6] *Jerem.* XIX. 13. *c.* XXXII. 29. *c.* XLVIII. 38. [7] *Zepan. I.* 5. Sic Rabbini [8] חמנים quorum mentio fit *Lev.* XXVI. 3. *Es.* XVII. 8. *& c.* XXVII. 9. 2. *Paralip.* XX. 4. ajunt fuisse statuas sub dio in tectis cultas & soli dicatas. Patebat & in casu necessitatis per tectum in ædes aditus *Luc. V.* 19. *Marc. II.* 4. Locutiones denique proverbiales & metaphoræ a tectis hinc

hinc inde occurrunt ut *Ef.* XXXVII. 27. *Pf.* CXXIX. 6. *Prov.* XXI. 9. *&c.* XXV. 24. ubi melius esse dicitur habitare *in angulo tecti*, id est, spatiolo omnibus cœli injuriis exposito, *quam cum muliere contentiosa*. Nec sine elegantia quos σεληνιαζομένους Evangelista vocat. Syrus appellat *filios tecti Matth. IV.* 24. *& Matt.* XVII. 15. ad naturam eorum alludens, quod extra domus conclavia in tecta agantur. Conf. Buxtorf. *Lex. Chald. Syro p.* 5. Lud. de Dieu *in Matt. c.* 4. Fullerus *Misc. l.* 2. *c.* 17. (quanquam hic non plane nobiscum faciat) Jac. Horstius *de causis & effectis noctambulonum p.* 22. & de tectis tam Hebræorum, quam Græcorum & Latinorum, plura dabunt Laur. Ramirez *in Pentecontarcho c.* 27. Beza *ad Matth.* 10. 27. *& Marc.* 14. 15. Casaubonus *in l.* 4. *Athenæi pag.* 276. Sixt. Amama *Antib. Bibl. l.* 4. *p.* 733. L'Empereur ad *Middot. p.* 161. Er. Schmidius *in N. T. p.* 179. 458. 562. & Dieterichius *l. c.* TANTUM EST.

NOTÆ AD CAPUT TRIGESIMUM.

[1] *Sam. &c. R. Sam. Laniado in h. l.* דבר עמו מעניני המלכות ולכך העלהו הגג שהמקום פנוי ואין שם כתלים כי אזנים לכותל. Loquutus est cum eo (*nempe Samuel cum Saul*) de rebus ad regnum pertinentibus; atque ideo fecit eum in tectum adscendere, ubi locus est liber, neque sunt parietes, quia parietes habent aures.

[2] *Sam.* 16. *&c. Kimchi in l. c.* הטו לו האהלים על הגג שיבואו שם הפילגשים וישכב אבשלום עמהם תוך האהל לעיני כל ישראל כי כלם ראו שנכנס עמהם. Ei extenderunt tentoria super tectum, ut eo convenirent concubinæ, & cum his Absalon concumberet, & hoc fieret coram omnibus Israelitis, quia omnes viderunt, quod cum iis ingressus est. *R. Levi ben Gerson in l. c.* הנה בזה נתקיים מה שייעד לו השם יתברך לדוד ושכב עם נשיך לעיני השמש כי אתה עשית בסתר ואני אעשה את הדבר הזה נגד כל ישראל ונגד השמש. Ecce hac re adimpleta fuit comminatio Dei benedicti adversus David; *& dormiet cum uxoribus tuis in oculis solis hujus.* 2. *Reg.* 12. 11. Quia tu clam fecisti, & ego faciam coram universo Israele, & in conspectu solis.

3 *Et lugentes &c. Kimchi ad l.c. Esaiæ.* ועל הגגות כלומר בגלוי יחגרו שק ויילילו ויבכו *super tecta*, significat, palam se accingent sacco, & lamentabuntur, & lugebunt. *Idem ad Jerem.* 48. 38. *Super omnia tecta Moab, & in plateis ejus omnis planctus*; Manifestum (*inquit*) seu publicum h. m. indicari planctum, ubi tam in tectis, quam in plateis conspici possunt a quibusvis aliis iidem plangentes.

4 *XXII.* 1. *&c. Raschi in h. l.* כי עלית כולך לגגות כשבא עליהם חיל עולים על גגותיהם לראות את החיל ולהלחם. *Quidnam quoque tibi est, quia adscendisti & tu omnis in tecta?* Cum advenerit contra ipsos exercitus, adscendunt super tecta ad videndum exercitum, & ad pugnandum; *Kimchius ibid.* דרך בני העיר לעלות לגגות ולמגדלים בעת שיבאו להם האויבים ויכנסו בעיר בחזקה יעלו בגגותם להשגב בהם או להלחם מהם על נפשותם. Usus incolarum civitatis erat, ut adscenderent super tecta & turres cum advenient hostes contra eos, aut vi in urbem ingredientur; adscendent super tecta, ut se contra illos muniant, aut pugnent, ut vitas suas ab iis tueantur. *Abarbanel ibid.* עלית כולך לעשות כדרך הנשים שתעלו לגגות לראות את החילות הבאים; *adscendisti & tu omnis in tecta*; juxta consuetudinem mulierum, quæ adscendunt super tecta, ut exercitus advenientes aspiciant.

5 *Reg. &c. Laniado in l. c.* למורנו טעם לעשות המזבחות על גג עלית אחז לפי שהיה הפסל שם; docemur, quod ex hac de causa hæc altaria super tectum cubiculi Achan erigerentur, quod ibi erat Idolum.

6 *Jerem. &c. Kimchi in Jerem.* 32. 29. היו מקטרים על הבתים הגדולים על גגותיהם; Thura adolebant super domos magnas, & excelsas, super eorum tecta. *Abarbanel ibidem.* באותם הבתים שהיו גבוהים היו מקטרים על גגותיהם לבעל שהוא השמש וכן היו מנסכים נסכים בהם לאלהים אחרים. In iis domibus, quæ erant excelsæ, adolebant super tecta Baal, qui erat sol, & pariter in iis libabant cæteris Diis.

7 *Zephan &c. Abarbanel in l. c.* משתחוים על הגגות בפרסום לצבא השמים והם הרשעים עובדי ע"ז בגלוי. Adorabant super tecta palam exercitum cœlorum, & hi erant impii, qui palam idola colebant.

8 חמנים *&c. Abarbanel ad Levit.* 26. 3. הם בתי עכ"ום שהיו עובדים שמה לשמש ולירח; Erant domus Idololatrarum, qui adorabant Solem, & Lunam. *Et Raschi ibidem.* מין ע"ז שמעמידין הגגות ועל שם שמעמידין בחמה קריין חמנים; est species idololatriæ, quam erigebant super tecta, & quia soli erigebant, vocantur חמנים. *Kimchi in radic.* חמם, *scribit* חמנים נקראו כן לפי חמנים שהיו עושים אותם עובדי השמש ita vocabantur, quia ea faciebant, qui colebant solem.

FINIS.

INDEX

INDEX CAPITUM

Quæ in hoc volumine continentur.

BONAVENTURA CORNEL. BERTRAMUS.

De Rep. Hebræorum.

CAROLI SIGONII LIBRI SEPTEM

De Repub. Hebræorum.

Liber Primus.

LIBER SECUNDUS.

LIBER TERTIUS.

CAPUT

CAPUT

AUGUSTI PFEIFFERI

Antiquitates Selectæ.